





THESAURUS
ROMANARUM
ANTIQUITATUM.
VOLUMEN XII.

THESAURUS ANTIQUITATUM ROMANARUM,

CONGESTUS

a

JOANNE GEORGIO GRÆVIO.

ACCESSERUNT

Variæ & accuratæ tabulæ æneæ.

VOLUMEN DUODECIMUM.



I. Camerata in. P. Monaco fc.

VENETIIS,
Typis Jo: Baptistæ Pasquali.

M. DCC. XXXVII.

SUPERIORUM PERMISSU.

L E C T O R I

S. P. D.

JOANNES GEORGIUS GRÆVIUS.



IN hoc ultimo tomo primum locum ſibi vindicat rarus in noſtris terris Vincentii Butii libellus de calido, frigido, & temperato potu. Sunt & alii, qui in hoc argumento verſati ſunt, imprimis Marſilius Cognatus in eruditiſſimis libris de ſanitate tuenda, Joannes Freinshemius de potu calido, Joannes Heinricus Meibomius de cereviſiis potibuſque aliis præter vinum cerebrum ſauciantibus, ſed in hoc volumen, ne nimis intumeſceret, referri non poterant. Butius cap. 8. ait Eſſæos fuiſſe dictos etiam ὁσίους, in quo fallitur. A non nullis Eſſæi dicuntur Haſidæi, non quod veri eſſent Haſidæi, ſed quod ex illis originem duxerint, ut multis docet Joſephus Scaliger in elencho trihæreſii Serrarii cap. 18. & ſequentibus, ut & Druſius contra Serrarium. Non tamen abhorret a veri ſimilitudine ὅσιος originem ſuam debere Hebræis, idque factum eſſe ex *Haſidim*. Poſt Butium habes Bulengerum de conviviis, in quo multa ſunt, quibus miniatulæ poſſint apponi, ut cum libro primo cap. 10. inter varia convivia numerat *cœnas adjiciales*, cum tamen in omnibus libris apud Varronem, Senecam, Plinium legatur *adiciales* pro *aditiliales* teſtantibus Petro Fabro, Lipſio, Grutero, Harduino. Sic appellantur cœnæ, quæ in aditu ſacerdotiorum aliarumve curationum dabantur a recens inauguratis. *Adjiciales* non bene tuetur Scaliger ad Varronem. Variis conviviis addi poteſt *cœna libera*, cujus mentio eſt in paſſione S. S. Perpetuæ & Felicitatis. Cœna erat lautiſſima, quæ dabatur damnatis ad beſtias pridie antequam pugnarent, ut in proœmio ad illam paſſionem docuit Henricus Valleſius. In capite XXIV. tuetur *intempeſtiva convivia*, quæ ſic dicta putat cum Lipſio, quod de nocte inirentur, aut in ſerum protraherentur. Sed quis meminit conviviorum de nocte, cum de die convivia ſæpe commemorentur? Vere Salmaſius oſtendit intempeſtiva convivia veteribus fuiſſe incognita, & a ſciolis aut imperitis librariis in nonnullos libros invecta: antiquiſſimos codices non noſſe niſi *tempeſtiva convivia*. Haec eſſe, quæ de die, ſive multa adhuc die, hoc eſt, ante legitimam cœnæ horam incipiebant agitari, quo uſque tandem, licet vel ad ſequentem lucem, producerentur. Hora juſta coenæerat nona, non decima, ut idem Bulengerus aliique putant. Martialis:

Et jubet exſtructos frangere nona toros.

Si maturius incipiebant coenare ut apud Juvenalem

Exul ab octava Marius bibit & fruitur Diis
Iratis ,

erat convivium tempestivum, & vitio vertebatur, quamvis aut ante noctem finiretur, aut in meridiem noctis, ut ille loquitur, duceretur. Clare patet ex loco Ciceronis, quem ipse Bulengerus affert ex libro de senectute: *Ego propter sermonis delectationem tempestivis conviviis delector*. Paullo post addit, hæc convivia solere in multam noctem vario sermone produci. Cum post coenam non nunquam epulis indulgerent, quod faciebant gulones, id non dicebatur convivium intempestivum, sed comissatio, quod pluribus docuit primus Jos. Scaliger, insulse irrisus tum temporis a Delrio, cum huic sententiæ post Bulengerus & omnes docti viri subscripserint, quaque nihil est verius. Cap. LI. de condito nimis agit concise. Ejus meminit Ulpianus l. 9. Π. de trit. vin. ol. legato, ubi ait IC. id non contineri vini appellatione. Male conditum a non nullis confunditur cum mulso, cum tamen mulsum fiat ex melle & aqua, ut auctor est Isidor. XX. 3. quod Græcis est hydromeli. Oenomeli vero est vinum, cui mel est admixtum, sicut μηλόμελι potus ex melle & pomis, non vinum sine ulla admixtione dulcissimum, ut sentit Salmasius. Vide Meibomium de cerevisiis cap. x. At *conditum* est vinum melle, pipere aut aliis aromatibus conditum, quod & *piperatum* dicitur Plinio. Serviebat stomacho imbecilliori confirmando, ut patet ex Palladæ epigrammate in *conditum* in Antholog. lib. 1. quod monit Cujacius in observationibus, & Grotius in florum sparsione; ideo illo utebantur ante coenam plerumque. Cap. LXI. agit de aceto, idque dicit potui fuisse ex lege 3. Π de pen. leg. quod verum est. Ideoque Ulpianus Π de trit. vin. ol. leg. l. 9. scribit vino legato contineri acetum, quod paterfamilias vini numero habebat. Quis hodie acetum vini numero habeat? Memini mihi adolescenti, cum juri civili darem operam, a magistro hanc legem sic explicatam fuisse, illam intelligendam esse de vino, quod, postquam legatum esset, coacuerit. Sed hanc ineptam interpretationem refutat illa ipsa lex. Nam ex §. 2. clare liquet aliud esse acetum vini numero, aliud vinum quod coacuit, & post in acetum transiit. Acetum utique potui erat, eoque milites utebantur in castris. Spart. Pescenn. *Jussit in expeditione neminem bibere vinum, sed aceto universos esse contentos*. Plutarchus in Catone Censorio scribit etiam, illum semper in expeditionibus aquam bibisse, nisi quod in acerba siti & calore usus aliquando sit aceto. Hinc & milites, qui Christi cruci assidebant, acetum secum adportarant. Erat enim acetum aqua varie temperatum communis militum potus, ut dudum docuit Lipsius in libris de re militari Romanorum. Acetum hoc aqua dilutum, propie dicebatur posca, auctore Celso, quamvis varia fuerint poscarum genera, de quibus copiose Reinesius Var. Lect. III. 9. Aliud erat acetum, quod extinguendis incendiis servabatur, quod non continebatur vino legato. l. 3. §. 5. Π de pen. leg. & l. 12. §. 18. de inst. leg. De hac aceti vi in

reſtinguendis flammis, quæ non poterant deleri aqua, legendus Macrob. VII. Saturnal. 6. Nam & ex aceto igneæ particulæ evolarunt, unde frigidum eſt & humidum & intimius penetrat, poroſque reddit latiores ad fomites ignis delendos, ſi Theophraſto credimus. Aliud eſt acetum, quod condimenti numero habetur, nec vini, ſed aceti nomine continetur in eadem lege 9. quia hoc non eſt ὄξος σκευαστικὸν *acetum factitium*, quod arte conficitur ex aceto, ſed hoc ab initio eſt acetum, quod etiam *vappa* dicitur, Siculis βάμμα, pro quo Æoles dixerunt βάππα, Latini *vappa*, docente Salmaſio in exercitationibus Plinianis. Hoc acetum Atticis omnium ἡδυσμάτων ἄριστον, omnium condimentorum optimum ducebatur, ut per excellentiam ἦδος diceretur, non εἶδος, ut male hic ſcribitur apud Bulengerum. vide Athen. lib. II. Δειπνοσοφ. Id aceti genus proprie dicebatur acetum Scylliticum, ſeu Scyllites. vide Columellam XII. 33.

Bulengero additur Erycius Puteanus, qui de nonnullis ritibus convivalibus, quos alii non attigerunt, bellum ac lepidum edidit libellum Mediolani, cum ei genua virerent.

Nunquam Romani cœnabant, quin ante in balneis corpus lavarent. Hinc ſcriptoribus de conviviis ſubjecimus Andream Baccium de thermis. Quæ in capite tertio & quarto de Romanorum thermis, & variis in urbe aquis diſputat, in multis accuratius diſcuſſa ſunt ab Alexandro Donato, Famiano Nardino, & Franciſco Fabretto, quos habes in tertio & quarto tomo hujus Theſauri. In capite VI. de coriceo quæ tradit, ſeu, ut loquitur, choriceo, ſeu corticeo ſunt vana. Tu ſcribe *coryceo*, & certiora ex Bernardini Baldi libro de ſignificationibus vocum Vitruvianarum diſce. In capite IX. perperam ſcribitur *myliarium*, cum ſcribendum ſit *miliarium*, uti credo Baccium quoque ſcripſiſſe. Nam hæc ejus ſunt verba: *Græcis hæc* (nimirum vas caldarium, frigidarium, & tepidarium) μιλίαρια, *Latinis, ut apud Catonem, Senecam, atque Palladium legitur, myliaria, vel (ſi mihi liceat etymologiæ præferre claritatem,) myliaria dicta, a magna fortaſſe capacitate, quaſi plus mille* librarum *aquæ caperent*. Procul dubio ſcripſit *vel miliaria dicta*, quia id derivari putat a *mile*. Sic enim veteres ſcribebant, pro quo nunc vulgo *mille* ſcribunt. Videtur tamen id vas dictum eſſe potius a *milio* coquendo, quam a *mille*, quod etiam aquæ calefaciendæ inſerviebat. Hanc vocem non acceperunt a Græcis Latini, ſed a Latinis Græci. Τὸ μιλίαριον, inquit Athæneus, καλούμενον ὑπὸ Ῥωμαίων, τὸ εἰς θερμοῦ ὕδατος κατεργασίαν κατασκευαζόμενον, *miliarium a Romanis dictum ad aquam calefaciendam comparatum*. Gloſſæ veteres: *miliarium*, θερμηρόν Alibi vocatur etiam θερμαντήριον, & θερμοφύρος, & θερμάριον. Gloſſæ: θερμοφόρος, *caldaria*, quæ omnia vocabula Græca caldariam Romanorum exprimunt. In epigrammate Græco Nicarchi Anthol. lib. II. χαλκοῦν μιλιάριον nominatur, & ψυχρὸν μιλιάριον in titulo dicitur, quod tarde calefaceret, ut ex ipſo epigrammate apparet. Ex vario miliariorum genere alia aliis citius calefiunt, ut etiam teſtatur Seneca: *Minora*, inquit, *miliaria citius calefiunt*. Hoc quidem verum eſt. Sed & ex iis, quæ paris ſunt magnitudinis, ſpiſſiora tardius ca-

lefiunt. Etiam genus æris ad hoc facit, ut ufu cognitum eft. Liquet autem ex his non frigidaria & tepidaria dicta etim effe *miliaria*, ut vult Baccius, fed illa in quibus aqua calefit. Sed tempore Vitruvii & Plinii, vafa, quibus aquam calefaciebant, dicta fuiffe *caldaria*, ut credunt omnes, non exiftimo. Caldarium adjectivum eft, quod pro fubaudito fubftantivo, ut Grammatici loquuntur, duplicis eft fignificationis. Aut enim fubauditur conclave, & pro loco, in quo calda eft lavatio, accipitur, aut fubauditur vas, & eft id in quo calefit aqua. Priore fenfu ponitur in his apud Vitruvium verbi: *Et item eft animadvertendum, uti caldaria muliebria viriliaque conjuncta & in iifdem regionibus fint collocata.* Item: *Ipfa autem caldaria tepidariaque lumen habeant ab occidente hiberno.* Frequenter *caldaria* dicebatur genere fœminino, tum fubauditur cella, ita & *tepidaria* & *frigidaria*. Græci θερμὸν οἶκον vocant, & θερμὸν οἴκημα. Tepidaria cella Luciano dicitur in Hippia vel balneo ἠρέμα χλιαινόμενος οἶκος, *cella modice incalefcens*, & χλιαρὸς οἶκος, *tepida cella*: Frigidaria ψυχροδόχος οἶκος. Alias *caldarium* pro vafe ipfo vel aheno Vitruvius ibidem pofuit, *tepidarium* & *frigidarium*. *Ahena*, inquit, *fuper hypocauftum tria funt componenda, unum caldarium, alterum tepidarium, tertium frigidarium.* Non videtur tamen abfolute caldarium appellaffe pro aheno, ex quo aqua calida effluebat, fed *ahenum caldarium*. *Ahena*, dicit, *fuper hypocauftum tria funt componenda, unum caldarium*, nimirum ahenum. Atque ita de tepidario & frigidario aheno. Abfolute vero *caldarium* eft auctori θερμὸς οἶκος. Falluntur ergo viri docti, qui obfervarunt hanc vocem tam de vafe, quam de loco dici. nam de loco tantum abfolute dicitur, quæ eft *caldaria cella* Plinio. In hac fignificatione *caldarium* & *caldaria* dicitur pro *caldum* & *calda*, ut *plenarium* idem eft quod *plenum*. At de vafe vel aheno, quod caldarium appellatur, id vocabulum non ufurpatur, pro calido, fed quod fit vas calidæ aquæ, ideo παραγωγικῶς dicitur *caldarium*. Sed fortaffe dixerit aliquis ita *caldarium conclave*, aut *cellam caldariam* vocatam quod calidæ in ea fint aquæ alvei, θερμαὶ πύελοι. Lucianus in laudato dialogo de cella caldaria: ὁ δὲ ἔνδον οἶκος κάλλιστος φωτὸς ... πορφύρᾳ ... τρεῖς καὶ οὗτος, θερμὰς πυέλους παρέχεται. *Interior cella pulcherrima eft & multa luce plena, & tanquam purpura illuminata, quæ & ipfa tres habet alveos calidos.* Græci tamen θερμὸν οἶκον vocant, hoc eft, *caldam cellam*, non *caldarium*. Nam *caldarium* pro vafe vel aheno non eft vocabulum fæculi Vitruviani: fed multo recentioris. Falluntur viri docti, qui putant apud Plinium pro vafe legi lib. XXXIV. cap. 8. Nam in eo loco, quem citant, *caldarium* de vafe non dicitur, fed de ære, quod tantum funditur, non etiam malleo ducitur, ideoque opponitur *regulari*. Verba Plinii de æris generibus: *Regulare & in aliis fit metallis, itemque caldarium. Differentia, quod caldarium funditur tantum: malleis fragile, quibus regulare obfequitur, ab aliis ductile appellatum, quale omne Cyprium eft.* Sed unde æs illud *caldarium*? An quod *caldaria* nunc dicta ex eo fierent, ut fentit Salmafius in Exercitationibus Plinianis? Si hæc effet ratio, *Caldarianum* potius aut *caldariarium* dicendum effet. Præterea non folum ex ære fufili, fed

etiam

etiam ex ductili caldaria fiunt. Imo etiam magis ex isto. Certe quod *caldarium* Plinio vocatum, Græci vocant χαλκὸν τροχίαν, *æs cursile*. Quod vero *regulare* est, Græci τυπίαν nominant, id est, ut sic loquar, batutile, posteriores ἐλατὸν, id est, ductile dixerunt. Pollux lib. VII. cap. 25. Καὶ τροχίαν μὲν χαλκὸν τὸν χυτὸν χρὴ καλεῖν, τυπίαν δὲ ὃν ἂν οἱ νῦν εἴποιεν ἐλατόν. ἐλκυστὸν, Sic legendum. In Glossis dicitur χωνευτόν. *Regulare* Plinio nuncupatur, quod in regulas malleo extenderetur. De quo Salmasius in Exercitationibus Plinianis, ut & cur τροχίας χαλκὸς, dicitur æs fusile seu caldarium. Sed de caldario Plinii, quod idem est cum τροχίᾳ, & fusili seu χυτῷ Græcorum unde nomen invenerit hæreo. Non sane a vasis vel ahenis caldariis, quia Plinii ætate hæc vox non erat in usu apud Romanos. Recentiores autem infimi ævi Latini, id est, post Constantinum *caldariam* dixerunt non *caldarium* de vase, in quo calefieri aqua supra ignem solebat. Glossæ veteres: θερμοφόρος *caldaria*. Gregorius Turonensis de gloria Confessorum cap. XCVIII. *Accensoque foco ponit cadariam ligneam super ignem impletam aqua cum oleribus, urgensque ignem ita vehementer fervere coegit, ut putaretur ænea esse*. Ab eo diminutivum *caldariola* apud veterem Juvenalis Scholiastem, *ut solent in urbe calices fractos, & caldariolas componere*. Sic enim legendum. Eodem sensu & genere *caldaria* etiam legitur in legibus Longobardorum & Wisigothorum, *in caldariam aquam mittere*, & *examen caldariæ*, quo mittebant manum suam in caldariam, hoc est, ahenum aquæ ferventis. *Caldaria* igitur, non *caldarium* infimæ Latinitatis auctoribus est ahenum ad aquam calefaciendam comparatum; vetus Latium appellavit *miliarium*, ut supra vidimus. Forsan caldarium æs dictum est fusile, quia calidum est, cum funditur, quod vero ductile; ducitur ex frigido. Nam æs regulare dicunt etiam ψυχρήματον, & χαλκότυποι artifices, qui in eo tundendo laborant. Omne Cyprium esse tale Plinius scribit, ideo ductile. *Cuprum* absolute media Latinitas dixit, inde cuprea omnia, quæ ex ductili ære vel Cyprio facta erant. Frustra itaque sunt viri docti, qui hic notarunt *caldarium* absolute & apud Plinium & in hoc Vitruvii loco de vase accipi, quod posteriores Latini *caldariam* dixerunt, veteres *miliarium*. Hoc si esset, etiam *tepidarium* vas aliquod esset, in quo aqua usque ad teporem tantum calefieret, & *frigidarium*, in quo sola frigida esset. Quod est ineptum. Extra balnea nullum vas caldarium, vel tepidarium, vel frigidarium. Tria ahena in thermis supra hypocaustum collocabantur, unum quod vocabatur *caldarium*, alterum quod *tepidarium*, tertium quod *frigidarium*. Ita autem erant collocata, ut ex tepidario in caldarium quantum aquæ calidæ exisset influeret, & de frigidario in tepidarium eodem modo. At caldariæ nostræ, quæ in usu communi habentur, & sic dictæ sunt infimo Latinitatis seculo, non solum aquæ calefaciendæ idoneæ sunt, sed etiam tepidæ continendæ & frigidæ. Ideoque tribus his nominibus simul vocari possent. Nam aqua priusquam in his calefiat frigida est, deinde tepescit, postea fervet. *Caldariæ* autem dicuntur præcipue quod

ad aquam calefaciendam ſuper ignem comparatæ ſint. Hujuſmodi caldariam cum hoc nomine non norat ſeculum Plinianum. Hæc procemio ad iſtum Tomum ſufficiant. Scriptores reliquos, quos continet, cognoſces ex indiculo, qui fronti libri apponitur. Vale.



SERIES SCRIPTORUM,

Qui in Tom. XII. Thesauri Antiquitatum Romanarum inveniuntur.



VIN-

VINCENTIUS BUTIUS

MEDICUS, ATQUE PHILOSOPHUS,

DE CALIDO, FRIGIDO, AC TEMPERATO

ANTIQUORUM POTU,

ET QUO MODO IN DELICIIS UTERENTUR.

AD EMINENTISS. PRINCIPEM

CAMILLUM CARD. PAMPHILIUM.

EMINENTISSIMO PRINCIPI

CAMILLO CARD. PAMPHILIO

VINCENTIUS BUTIUS

FELICITATEM.



PINDARUS Poeta, EMINENTISSIME PRINCEPS, ille, inquam, qui ob Carminum elegantiam Athenæo famosiſſimus, Plutarcho ſuaviſſimus dictus fuit, in *Olympia* monet, ut quicunque aliquod opus aggreſſurus eſt, huic frontiſpicium ſplendidum faciat:

—— ἀρχομένου δ' ἔργου πρόσωπον
Χρὴ θέμεν τηλαυγές.

---- *incipiente opere frontiſpicium*
Oportet facere præfulgidum.

Quo autem ego ſublimiori titulo has meas paginas nunc in lucem prodeuntes, ut cunctis gratæ ſint, decorare, quam celſiſſimo PAMPHILIO nomine poteram? Cui hæc ſcripta, quam ſcientiſſimo CAMILLO, qui Tuſcis *Mercurium* ſonat, commendare? Cui litterarii mei agelli primitias, quam beneficentiſſimo Principi, veluti meo clementiſſimo numini offerre, & conſecrare? Ea enim in te animi morum benignitas eſt, ea ſapientiæ ad ſummum excultæ ſublimitas, ea regalis magnanimitas, ut altam fortunam virtutibus, quemadmodum de Pompejo Tullius prodidit, exæques. Solita itaque Romana, avitaque generoſitate, Cardinalis Ampliſſime, hoc votivum munus, ac debitæ venerationis ἀνάθημα, hoc γεῦμα, hoc delitioſiſſimi ſpecimen potus, quem Eminentiæ tuæ porrigo, ſuſcipe; humiliter petens, ut tantum auſum magnitudinis tuæ merito, devotoque meæ obſervantiæ affectui condones, meque in protectione feliciſſima ſerves, qua alias ſingulari bonitate humaniſſime recepiſti. Interim Deum Optimum Maximum precor, ut omnes cogitationes tuas tam lætus ſequatur eventus, ut virtutibus tantis purpuræ gloria, & novetur, & augeatur.

AD AUCTOREM.

OMnibus in terris qua ſe lux publica mundi
Circumfert, BUTI, tua virtus explicat alas:
Nec, quod contingit mortalibus, occidet unquam
Illius vis immortali prædita forma.
Nil vulgare ſapis, penetras arcana latentis
Naturæ, malis herbarum noſcere vires,
Aut Solis curſum, obſcuræ ſidera noctis,
Menſtrua quove abeat diverſo Cynthia vultu.
Quin etiam oſtendis quo POTU antiqua vetuſtas
Uſa ſit, ut calido ſeſe oblectare Lyæo
Conſueſſent populi haud raro, & frigentia ſæpe
Pocula miſcuerint redimiti tempora ſertis.
Doctum Opus, atque ipſo Muſarum Principe dignum.
Volvere tam cultas nec dedignabere chartas
Gloria Romulidum, & proavis generoſe Camille
Addite Pamphiliis, & ſacri muricis oſtro;
Clarior at multo virtutibus, & tua forſan
Lux tribuet rebus ſplendorem, & nubila pellet.

Carolus de Comitibus Romanus.

INDEX CAPITUM.

CAPUT I.

AB exordio Mundi terræ fructus ad cibum, aquam ad potum, creavit Deus. Natura vero ad humidæ substantiæ continue defluentis reparationem, bibendi desiderium indidit, & horam, ac potus quantitatem edocuit. E quo appetitu licet primo omnes gentes ante diluvium aquam sumerent, prout e terra nascebatur, varia tamen postea potionum genera a diversis nationibus instituta fuerunt, inter quæ vinum præcipuum locum obtinuit, quod Noe invenit; id autem ob ebrietatis periculum ipsis lymphis dilui oportuit, quarum administrationis modus in sequentibus demonstratur.

II. *Aqua, quæ* rerum Parens *a Talete nuncupatur, duplex e terra scaturit, calida, & frigida. Homeri de duobus Scamandri fontibus, & Platonis de calidis, & frigidis Atlanticæ Insulæ aquis loci. Campania utrosque fontes habet, Palæstina, & Ungaria. In sylva Ammon Solis aqua mane tepida, meridie frigidissima, vespere calidissima. Apud Garamantas fons est die perfrigidus, nocte fervidus. Calidas autem aquas Ana primum in solitudine invenit.*

III. *Hinc calida balnea, & frigida lavacra reperta, hæc ad robur, illa ad sanitatem. Balinea laborum, lassitudinum, animi anxietatum remedia putabantur, ex itinere redeuntibus adhibebantur. Christianis lavari licitum erat. Apud Hebræos hospitum pedes calida lavabantur, pedes enim incedebant. lotis pedibus in convivium recipiebantur. Heroes ex Homeri, & Virgilii testimonio, Trojani, Græci, Romani, Persæ post balneum cœnabant.*

IV. *Aderant publica, & privata balnea, quibus se frequenter lavabant. Prisci brachia tantum, & crura abluebant. Ex balneis calidæ usus emanavit, quæ & defatigationi prodest, & partes internas lenit: a jejunis post exercitium vel per se, vel cum vino sumebatur, nam frigida sola lædit. Hanc Cæcilianus petiit, vel ob lassitudinem, vel ut majorem vini copiam absorberet.*

V. *Calidi potus usus primo a Græcis derivavit, etsi calidam Homeri tempore non bibebant, ut Julius Pollux ostendit. Eos Plautus, quod caldum biberent, reprehendit. Acron ait tepefactis aquis uti consuevisse.*

VI *Romani Reip. tempore thermas, & thermoposias receperunt, ut sordes abluerent, & calorem refocillarent, discalceati enim incedebant, unde cholicæ, & stomachi dolores & affectus. Thermæ digestionem juvant. Calda imus venter delectatur. Calda febrientibus, tepida pleuriticis offerebatur. Calda intestina refrigerantur. Epilepticis, apoplecticis, paralyticis, melancholicis, in frigido capitis dolore, asthmate, tussi, ophthalmia, catharrhis, syncope in frigidis temporibus datur. In stomachi imbecillitate, inflatione, astrictione, canino appetitu, in renum affectibus, disuria, stranguria, & ad menstrua provocanda porrigitur. Tiberina calefacta Valescus filios incurabili morbo oppressos sanavit.*

VII. *Calidæ propinatio malæ valetudinis signum erat. Calidæ facultates ex Aetio. Senibus, ac delicatis exhibebatur. Senes calidum amant. Ulyssis exemplum patrem ad balneum hortantis. Calda in itinere per frigora facto administrabatur.*

VIII. *Orientales populi caldam frequentarunt. Socrates, & antiqui Christiani calidam potarunt. Justini, & Ignatii loci. Divites, & pauperes calefactam aquam bibebant, seniores item qui delicate viverent. In cœnis funebribus a Christianis adhibebatur. S. Bernardus, Abbas Pyonius, aliique Monachi sitim calida levabant. Græci fervidam calici immiscebant.*

IX. *Calida in luxu adhibebatur. Servorum mora graviter puniebatur. In Imperatorum palatio die, noctuque extabat. Cum aromatibus in vino infundebatur. Temperati viri eam spernebant. Pueri, ac puellæ, sponsæque ministrabant.*

X. *Potus calidus apud Græcos Imperatorum Græcorum tempore durabat. Japonenses, ac Sinæ populi calidum potant, apud quos antiquissimus est usus. Turcæ item Chaoam excalefactam bibunt.*

XI. *Romæ in thermopoliis calda, vinum, & dulces potiones vendebantur: In iisdem antiqua vina concreta dissolvebantur. Sine liquatione etiam præfrigidum, & præcalidum bibebant. In Arcadia vinum utribus exsiccabatur, ut gladio divideretur. Calidum in myrrhinis poculis administrabatur, vitrea spernebantur. Crystallina adhibebantur. Tepescere dicebatur, quando jam de frigiditate remiserat.*

XII. *Calix a calida potione dictus. Antiqui mane insomnia calda, vel generoso vino expiabant. Vas pro calda decoquenda Ahenum dicebatur, proprie vero Romanis miliarium.*

XIII. *Thermopolia Romæ a Claudio sublata. In funestis calida interdicebatur, ante horam quartam uti gulæ irritamentum prohibita. Ea vomitum excitabant primo sanitatis gratia, ad humores expurgandos introducta, quemadmodum Cæsar faciebat, quæ postmodum in lasciviam versa est. Ideo crebræ vomitiones a clarissimis autoribus reprehensæ, præsertim quando ad novam ingurgitationem adhibebantur. Huic autem pelvis semper parata, quæ aliquando argentea, aliquando etiam aurea erat. Rex David guttur istorum sepulchrum vocat. Habacuc vomitum ignominiæ. Ructus reprobatur.*

XIV. *Tepida vomitum ciet per se, vel cum vino commixta. Fœminæ æque ac viri vomebant. Vina dulciora, vinumque in vappam conversum uti stomacho magis infensum deligebant. Pro horum symbolo Ægyptii aquaticum felem pingebant, qui cum sumptos cibos evomuit, rursum avide vomit.*

XV. *Hoc pariter Græcanicum inventum fuit. Ad bibendum in conviviis coactos sapiens e medio surgere, & vomere jubet, ut eos, qui sententiam dicturi sunt, quo erudite loquantur. Musici ad conservandam, & augendam vocem vomitum provocabant. Pinnas ad promovendum adhibebant, quæ ex Phœnicoptero erant.*

XVI. *A calida, decocta provenit. Cruda enim laboriosa. Aquam decoquere, vitroque demissam refrigerare Nero invenit, quam & morti proximus exoptabat. Aqua prius calefacta magis refrigeratur. Imperatoribus parabatur, citius refrigeratur. Cyrus Choaspis aquam decoctam in expeditionibus portabat. Aqua decoctione omnem pravitatem amittit. Hippocrates decoctam agnovit. Aristenætus vinum ferventi mixtum per canalem aquæ ad convivas delatum scribit. Tepidam etiam bibebant, teste Epicharmo, quam Athenienses metaceras vocabant. Hujus & Martialis meminit.*

XVII. *Veteres calidum, frigidum, & temperatum bibebant. Sitis calidæ, frigidæ, & cujusque potionis desiderium est. Agri apud Hieropolitanos calida irrigantur. Caldum abusive illud quandoque, quod temperatum est, appellatur. Brachmani in Regiis conviviis tripodes habebant sponte frigidam, & calidam ministrantes. In Hipparci cœna calida, & frigida fuit. Apud Romanos calidæ, ac gelidæ ministri adstabant. Varronis mensa a puero versa calidam frigidamque cuique convivæ afferebat.*

XVIII. *Frigidus potus calido usitatior. Nives condebantur, & toto anno venibant. Alexander in India fossas nive replevit. Græci primi nives potarunt, postea Romani, cujus ubertas Romæ maxima erat. Hanc vel media hyeme bibebant, glaciemque uti frigidiorem exquirebant, in scyphos dijiciebant. nivatis piscinis æstivis temporibus utebantur. Montes nivium in viridariis faciebant.*

XIX. *Imperatores frigidum bibebant. Otho, Commodus, Alexander, Gordianus, Maximinus, Julianus, Theophilus, Andronicus, & alii. Ipsæ mulieres refrigeratos nive latices potabant. Aquam nive permixtam*

VINCENTIUS BUTIUS

MEDICUS, ATQUE PHILOSOPHUS,

DE POTU ANTIQUORUM.

CAP. I.

ARGUMENTUM.

Ab exordio Mundi terrae fructus ad cibum, aquam ad potum, creavit Deus. Natura vero ad humidae substantiae continue defluentis reparationem, bibendi desiderium indidit, & horam, ac potus quantitatem edocuit. E quo appetitu licet primo omnes gentes ante Diluvium aquam sumerent, prout e terra nascebatur, varia tamen postea potionum genera a diversis nationibus instituta fuerunt, inter quae vinum praecipuum locum obtinuit, quod Noe invenit; id autem ob ebrietatis periculum ipsis lymphis dilui oportuit, quarum administrationis modus in sequentibus demonstratur.

NAturae Conditor, omniumque opifex Deus in ipso Mundi principio ex uberrimo suae bonitatis fonte, unde viva, & vitae aqua profluit, cunctis semina rebus inspersit, quo perpetua foecunditate, & prole multiplicarent, terraeque fructus ad cibum, aquam vero ad potum singulari providentia paravit. Hinc Galenus Medicorum antesignanus, ac Philosophorum clarissimus *de San. tuenda* & lib. *de diff. cont.* in princ. ait, quod provida Natura, quae nihil frustra, nihil casu, nihil sine ratione agit, & quae in necessariis non deficit pro illius humidioris substantiae reparatione, quae ex perpetuo corporum fluore dissolvitur, potus desiderium indidit, virtutemque appetitus ad ejus necessitatis horam dignoscendam, debitamque quantitatem assumendam immisit: Ex hoc naturali appetitu omnes quidem gentes licet ab initio solam aquam, prout Natura subministrabat, haurirent, juxta illud *Ecclesiastici* cap. XXIX. *Initium vitae hominis aqua, & panis:* temporis tamen tractu Aegyptii primum, & Assyrii, deinde Graeci, ac tandem Romani variis artibus potus parare instituerunt, quorum praestantissimus ex uvis exprimitur, quod vinum nuncupatur; cujus inventum iidem Aegyptii Osiri, Graeci Baccho, Latini Saturno attribuerunt. Ex sacris vero Paginis *Gen.* cap. IX. a Noe post Diluvium jam secunda Mundi aetate incipiente liquet inchoasse. Quod suavissimum poculum, & medicaminum medicamen eximium cum in illis principiis haud decenter adhiberetur, evenit, ut & ipsum medela, ac normae praescriptione egeret, tum ob ebrietatis periculum, tum quod diversis hominum temperamentis non aeque congruebat. Arrepta itaque fuga Dionysium in undis latitasse fabulati sunt, Lyaeum laticem lympha, quam *pretiosissimam* vocat Pindarus, attemperare oportere innuentes. Quae quomodo ab Antiquis administrari soleret, paucis nunc enarrare conabor.

CAP. II.

ARGUMENTUM.

Aqua, quae rerum Parens a Talete nuncupatur, duplex e terra scaturit, calida, & frigida. Homeri de duobus Scamandri fontibus, & Platonis de calidis, & frigidis Atlanticae Insulae aquis loci. Campania utrosque fontes habet, Palaestina, & Ungaria. In sylva Ammon Solis aqua mane tepida, meridie frigidissima, vespere calidissima. Apud Garamantas fons est die perfrigidus, nocte fervidus. Calidas autem aquas Ana primum in solitudine invenit.

QUoniam vero Aqua, quam *rerum Parentem* Tales appellat, duplex e terra scaturit,

calida, inquam, & frigida, ut in Scamandri ad Ilium fluento maximum illud Homeri ingenium, omnium quorum memoria extat sublimissimum, ostendit *Iliad.* XXII. his numeris:

Κρουνὼ δ' ἵκανον καλλιρρόω, ἔνθα δὲ πηγαὶ
Δοιαὶ ἀναΐσσουσι σκαμάνδρου δινήεντος.
Η μὲν γάρ θ' ὕδατι λιαρῷ ῥέει, ἀμφὶ δὲ καπνὸς
Γίνεται ἐξ αὐτῆς, ὡσεὶ πυρὸς αἰθομένοιο.
Η δ' ἑτέρη θέρει προρέει εἰκυῖα χαλάζῃ,
Η χιόνι ψυχρῇ, ἢ ἐξ ὕδατος κρυστάλλῳ.
Ad fluentum autem venerunt pulchrifluum, ubi fontes
Duo scaturiunt Scamandri vorticosi.
Alter quidem aqua tepida fluit: circum autem fumus
Fit ex ipso, velut ignis ardentis.
Alter vero ætate defluit similis grandini,
Vel nivi frigidæ, vel ex aqua crystallo.

Et Plato, qui ex Homerico fonte permultos rivulos in se ipsum deduxit, Atlanticam delitiosissimam insulam, ac rerum abundantissimam describens, in ea tam frigidos, quam calidos fontes statuit, inquiens in *Critia*: *Neptunus mediam Atlanticam Insulam exornavit, humoremque duplici aquæ frigidæ, & calidæ ex terræ abditis per fontes exteriores erumpere, alimentaque item varia, & abundantia per terras pullulari jussit.* Et inferius: *Utebantur autem fontibus tam calidis, quam frigidis jugi scaturigine exuberantibus, quibus inerat ad utrumque usum mirifica cum jucunditate salubritas. Porro circa fontes habitationes constructæ erant, & arbores consitæ, & receptacula quoque aquarum circumposita, partim quidem sub divo patentia, partim vero sub tecto calidis lavacris hyberno tempore accommodata. Regia seorsumque separata, atque alia mulieribus, alia item equis, cæterisque jumentis, decens plane, & conferens unicuique servabatur.* Hæc Plato. Campania quoque Veteribus felix appellata est, quod calidos, frigidosque fontes habeat ad valetudinem magnopere opportunos. Palæstina item lacte, & melle manans terra, hoc est, omnimoda ubertate referta, non frigidis tantum lymphis abundat, verum & calidas etiam scaturigines habet, quas Ana primus in solitudine adinvenit. *Gen.* cap. XXXVI. vers. 24. *Ana invenit aquas calidas in solitudine, cum pasceret asinos Sebeon patris sui.* Quanquam Ibycus tradit ab Hercule repertas sibi a Vulcano indicatas, ut cum laboribus esset confectus recrearetur. Natal. lib. VII. *Mythb.* cap. I. Pisander vero Herculi a Minerva demonstratas. In Hungaria supra Budam frigidæ fons calidæ ita contiguus est, ut qui haustum veniunt duabus urnis, eodem in vestigio altera calidam, altera frigidam haurire possint, ut refert Georg. Wernherus *de admir. Ung. aquis*. In sylva Dei Ammon adest aqua Solis nuncupata, quæ matutino tempore est tepida, in meridie frigidissima, vespertino vero tempore maxime calida: Q. Curtius lib. IV. Apud Garamantas quidam fons extat tam frigidus diebus, ut non bibatur, tam fervidus noctibus, ut non tangatur: S. Augustinus Tom. V. lib. XXI. *de Civit. Dei* cap. V.

CAP. III.

ARGUMENTUM.

Hinc calida balnea, & frigida lavacra reperta, hæc ad robur, illa ad sanitatem. Balinea laborum, lassitudinum, animi anxietatum remedia putabantur, ex itinere redeuntibus adhibebantur. Christianis lavari licitum erat. Apud Hebræos hospitum pedes calida lavabantur, pedites enim incedebant. Lotis pedibus in convivium recipiebantur. Heroes ex Homeri & Virgilii testimonio, Trojani, Græci, Romani, Persæ post balneum cœnabant.

IDcirco hominum solertia, quæ cuncta in sui commodum convertere consuevit, quo lucu-lentius tanto bono frueretur, atque in ejus delitiis innataret, frigida lavacra, & calda balinea excitavit, hæc ad hyemis usum, illa ad æstatem accommodata. Et si Homero credimus, quem ad intelligentiam, ac multarum rerum peritiam plurimum conferre multa dives eruditione nos docet Plutarchus in *Ejus Vita*: quod ista ad sanitatem, ea ad duritiam corporum conferrent. Poeta enim in *Iliade* fortes ubi Heroes canit, frigida adhibet in *Odyssea* vero in Politia, calida administrat: nam Telemachus cum Pisistrato apud Menelaum hospitio susceptus, postquam domum conspexerunt adinstar Solis ornatam ad labra descendentes perpolita lavabant. *Iliad.* X. circa finem:

Ες ῥ' ἀσαμίνθους βάντες ἐϋξέστας λούσαντο.

Eustathius *in eundem Homerum* scribit Balneum introductum fuisse, *ῥύπου μὲν ἀποθετικὸν, ἀναψυχῆς δέ τινος αἴτιον*, ut sordes quidem mundaret, & aliqualis recreationis causa esset. Ulysses lavacrum narrans, quod sibi Circes ancilla pararat, ait *Odyss.* X.

Αὐτὰρ ἐπειδὴ ζέσσεν ὕδωρ ἐνὶ ἤνοπι χαλκῷ,
Ες ῥ' ἀσάμινθον ἔσασα, λό' ἐκ τρίποδος μεγάλοιο,
Θυμῆρες κεράσασα κατὰ κρατός τε, καὶ ὤμων,
Οφρά μοι ἐκ κάματον θυμοφθόρον εἵλετο γυίων.
Cæterum postquam efferbuit aqua in splendido abeno,
In labrum me collocatum lavit ex tripode magno,
Suaviter fusa aqua per caputque, & humeros,
Ut mihi laborem animum rodentem demeret membris.

Pindarus ab Homero *Nem.* od. IV.

Οὐδὲ θερμὸν ὕδωρ τόσον
Γε μαλθακὰ τεύχει
Γυῖα, τόσσον εὐλογία
Φόρμιγγι συνάορος.
Neque calida aqua tantum
Quidam lassa reficit
Membra, quantum laus
Citharæ consona.

Λουτρὰ enim *ἄκη πόνων παντοῖα* lavacra laborum omnium remedia censebantur. Athenæus lib. I. c. XX. *βαλανεῖον* balneum *ἀπὸ τοῦ βάλλειν τὰς ἀνίας* dictum produnt, quod molestias pellat. Et ut Divus Augustinus inquit, quod pellat ex animo anxietatem. Plato *de Legib.* VI. *Ubique autem in iis Gymnasia juvenes, tam sibi commoda, quam senibus præparent: calidis balneis constitutis, & copiose siccis appositis lignis, ut & remedium ægrotantibus, & lenimen labore defessis agricolis afferantur: quæ sane curatio melior est, quam Medici parum periti medela.* Plautus in *Mercatore*:

Nunquam ædepol omnes balneæ mihi hanc lassitudinem eximent.

Hippocrates II. *de Diæta* in lassitudine balneo utitur. Galenus item *de San. tu.* I. cap. VI. & IV. c. X. lassitudini lavacrum adhibet: proinde ex itinere redeuntibus administrabantur. Idem Plautus in *Epidico*. Monet Epidicus Stratipoclem, ut ad lavandam virginem peregre venientem, aquam calefieri jubeat:

—— abi intro, at jube huic aquam calefieri.

In *Bacchidibus*, Sc. I.

—— aqua calet, eamus hinc intro, ut laves:
Nam ut navi vecta es, credo timida es.

Et in *Truculento*, Act. II. Sc. III.

Sed obsecro hercle Astaphium, i intro, ac nuncia
Me adesse, tu i propere, & suade jam ut satis laverit

Priscis quoque Christianis lavari licitum fuit, non enim voluptatis tantum, sed sanitatis potissimum gratia balneum erat. D. Irenæus testis est D. Johannem Evangelistam in balneis se lavasse. In hunc enim modum scribit *adv. Hæres.* l. III. c. III. *Sunt qui audierunt eum dicentem, nempe Polycarpum, quoniam Johannes Domini discipulus in Ephesum iens lavari cum adisset intus Cerinthum, exilierit de balneo non lotus, dicens, quod timeat ne balneum concidat, cum intus esset Cerinthus inimicus Veritatis.* Tertullianus in *Apol. adv. Gent.* c. XLII. ait: *Non lavor diluculo Saturnalibus, ne & noctem, & diem perdam, attamen lavor honesta hora & salubri, quæ mihi & colorem, & sanguinem, servet.* De Monachis Palæstinæ quamvis asperrimæ vitæ Euagrius ait, crebro balneis usos fuisse, *Hist. Eccl.* l. I. c. XXI. ἐ βαλανείοις δὲ συχνοῖς ὁμιλοῦσι, *porro balneis crebro utuntur*. De Abbate vero Antonio pro singulari laude ponit Sozomenus a balneis abstinuisse, nec unquam unctum fuisse, l. I. c. III. *Oleo ungi, balneis & similibus rebus uti recusavit, quippe corporis firmitudinem ejusmodi rebus humidis in mollitiem mutari solere censuit.* D. Cæcilia nobilissima Virgo Romana Domi balnea habebat, quorum adhuc vestigia Romæ in ejus templo ad dexteram in ingressu visuntur. Solebant enim Christianæ Virgines semel in mense lavari, Augustino teste in *Regula Monachorum* ep. CIX. ubi ait: *Lavacrum corporum, ususque balnearum non sit assiduus, sed eo quo solet intervallo temporis tribuatur, hoc est, semel in mense, cujus autem infirmitatis necessitas cogit lavandum corpus, non longius differatur.* Apud Hebræos hospitum pedes calida lavabantur. In *Genesi* enim c. XVIII. vers 4. Abraham tribus Angelis, quos sub humana specie tanquam peregrinos receperat, ait: *Afferam pauxillum aquæ, & lavate pedes vestros.* Hanc vero calidam fuisse Chrysostomus auctor est in Homil. XLI. *in Gen.* dicens: *Aquam tepidam, inquit, (Abraham) habeo ad lavandos pedes.* Cur autem hæc præberetur Oleaster nos docet *in cap.* XIX. *Gen.* his verbis: *Ratio, ut reor, quare tunc hospitibus aqua ad pedes abluendos ad ingressum dabatur, est quia omnes pedites incedebant, nec erat tunc usus equorum, ideo ne illotis pedibus domum fœdarent, atque etiam ut melius quiescerent, pedes in ingressu lavare solebant, crediderim etiam tum temporis nudis pedibus homines incessisse.* Glossa ibidem *ad Caput* XIX. Lavate pedes vestros moraliter ait, quod hospitibus solet fieri, ut affectus terreno pulvere sordidati, & acidia, & pusillanimitate tanquam pulverulentis squaloribus emundentur: loti vero ad mensam accedebant. Unde in libris *Judicum: Postquam laverunt pedes suos, recepit eos in convivium.* Sic Heroes quoque priusquam ad convivium accederent, balneum adire consuevisse; & Homeri auctoritas, & Virgilii scripta testantur: *Æneid.* I.

Littore ahena locant alii, flammasque ministrant.

Ubi Servius: Ahena, inquit, parata erant a Trojanis, ut se ante lavarent, quam cœnarent, cum Heroicis temporibus carne elixa non vescerentur. Δεῖν enim θεραπεύσαντα τὸ σωμάτιον, καὶ λουσάμενον ἰέναι πρὸ δεῖπνον, *Oportere curato corpore, & loto ad cœnam progredi*, Athenæus lib. IV. ex Aristotele asserit, qui indecorum esse dicit multo cum sudore, & pulvere accedere ad convivia, quippe cum viro liberali, & ingenuo, neque sordere, neque squalere conveniat, neque limo gaudere, ut Heraclitus inquit. Athenas Alaricus Rex ingressus, omnique genere comitatis exceptus, postquam & lavit, & cum selectissimis in urbe viris epulatus est, urbe cessit, ut habetur apud Zozimum *Hist.* lib. V. in *Arcad.* Persæ item antequam cibum caperent lavare soliti erant, Xenoph. lib. VIII. Quem morem & Romanos nostros etiam tenuisse Plautus nobis demonstrat, in *Sticho* dicens:

Quam mox cocta est cœna? impransus ego sum. E. abi intro ad me, & lava.

In *Persa*:

Locus hic tuus est, hic accumbe: ferre aquam pedibus, præbe tu puer.

Et in *Amphitryone*:

Al. *Lavisti.* Am. *quid postea quam lavi?* Al. *accubuisti.*

Cicero *de Orat. Cum lauti accubuissent.* Et orat. *pro Dejotaro: Huc te balneo priusquam accumberes ducere volebat.* Et in *Epist. ad Atticum: Post horam octavam in balneum unctus est, accubuit.* Appianus Catonem Uticensem circa vesperam a balneo ad cœnam transisse ait. Xiphilinus in *Severo: Sub vesperum iterum lavabatur, cœnabatque cum suis domesticis, & familiaribus.* Et in *Trajano*: *Trajanus cœnavit lotus.* Apulejus *Metam.* IV. anum inducit quosdam juvenes mensa jam instructa ita alloquentem: *At vobis fortissimi, fidelissimique mei sospitatores juvenes, affatim cuncta suavi sapore percocta pulmenta præsto sunt, panis numerosus, vinum probe calicibus effricatis affluenter immissum, & ex more calida tumultuario lavacro vestro præparata.* Et mox addit Apulejus: *In fine sermonis hujus, statim sese devestiunt: nudatique, & flammæ largissimæ vapore recreati, calidaque perfusi, & oleo peruncti mensas dapibus largiter instructas accumbunt.* Martialis lib. X. ep. XLVIII.

Nuntiat octavam Phariæ.

Octava enim hora lavabantur, ut etiam Plinius Junior lib. III. ep. III. Vitruvius lib. V. cap. X. & Spartianus in *Hadriano* asseverant. Qui prandere consueverant, ante prandium lavabantur. Haly in *regal. dispos. Balneo quidem sani post exercitium, & ante prandium utuntur, quo ea, quæ per motum non bene dissoluta sunt, purgentur, & evacuentur. Siccitas, quam motus fecerat, humectetur, sordesque, quæ a vaporibus factæ a corpore egredientibus, & a pulvere exterius supervenienti in ipso exercitio, & post abluantur.*

CAP. IV.

ARGUMENTUM.

Aderant publica, & privata balnea, quibus se frequenter lavabant. Prisci brachia tantum, & crura abluebant. Ex balneis calidæ usus emanavit, quæ & defatigationi prodest, & partes internas lenit: a jejunis post exercitium vel per se, vel cum vino sumebatur, nam frigida sola lædit. Hanc Cæcilianus petiit, vel ob lassitudinem, vel ut majorem vini copiam absorberet.

HAbebant autem tum publica, tum privata balnea, quæ in luxum adeo quandoque cesserunt, ut Lampridius scribat Commodum Imperatorem septies per diem, atque octies lavisse, & in ipsis balneis edisse; quamquam Seneca in *Ep.* tradit, quod antiqui moris Romani brachia tantum, ac crura abluebant, qui scilicet sordes opere collegerant, cæterum toti nundinis lavabantur.

Ex frequenti autem balneorum consuetudine caldæ quoque, seu calidæ aquæ, quam Græci pariter θερμὸν, & θερμὸν ὕδωρ appellant, ad potum usum emanasse fieri potuit, cum ibi præsto ad bibendum haberetur; non extra enim tantum adhibita recreat, & lassos reficit. Verum & interius assumpta, ut in libro *de Sanitate tuenda* Plutarchus affirmat, a defatigatione prodest, & partes internas lenit. Eupolis apud Athenæum lib. III.

—— τὸ χαλκίειον
Θερμαινέθ' ἡμῖν, καὶ θεῷ πέπτειν τινα

Κἰλδ' ἵνα σπλάγχνοισι συγμενώμεθα.
Abenum calfacere nobis aliquem, & aquam
Jube decoquere, viſceribus ut auxiliemur.

E noſtris Tibullus lib. I. el. ult.

Et calidam feſſo comparat uxor aquam.

Jejuni namque poſt exercitium calidam, vel ſolam, vel cum vino bibere ſolebant, quod aperte demonſtrat Athenæus lib. II. cap. II. dum inquit: *Oportet igitur ſanitatis ſtudioſos exercitationibus mediocribus uti, ne nimium ſudent, & lavacris ita ut corpora madefiant, ac mobilia reddant. Poſtea aquam bibere tanquam utiliſſimam, hyeme quidem, & vere calidam fere, æſtateque frigidam, ne ſtomachum ſolvat: at mediocrem bibere oportet multitudinem; quia præaſſumpta eſt hæc bonæ habitudinis gratia, ne ſincerum vini robur per membra diffundatur, & ne extremis incidens vaſculorum obſit. Quod ſi quis noſtrum difficulter id faciat, dulcem aquam, vel calidam præaſſumito: hinc vinum maxime quod dictum eſt Protropon Lesbium dulce, quia optime diſponit ſtomachum.* Hactenus Athenæus; ex quibus etiam deducitur calidam præpotam, aut vinum dulce ebrietatem prohibere. *Frigidæ potio poſt exercitationes, niſi calidam præbibas, noxa non vacat: offendit enim non obſcure ventrem, & jecur, nonnullis etiam nervos.* Galenus in lib. *de ſal. die.* nu. XII. Cui inhæret Princeps ſive Avicenna l. p. fen. III. doc. II. c. VIII. inquiens: *Si quis jejunus abſtinere non poterit, quin aquam bibat, & proprie poſt exercitium, bibat prius vinum aqua calida temperatum.* Oribaſius lib. v. cap. XXVII. vinum dicebat Herodotus jejunis dandum eſt, indita quinta aquæ calidiſſimæ parte, ſique admodum potens ſit quarta. Calida præterea jejuno aſſumpta renes ex itinere, ſeu alia cauſa excalfactos temperat, & a recrementis expurgat. Trallianus lib. IX. *Bibere oportet ante omnem cibum aquam tepidam. Nihil enim renes adeo recrementis vacuos, temperatoſque reddit, ut non amplius calculos procreare poſſint. Nam temporis ſpatio igneus ipſorum calor a tepore aquæ extinguitur.* Ex quibus Epigrammatis LXVI. lib. VIII. Martialis dilucidatio patet, dum canit:

Caldam poſcis aquam, nondum mihi frigida venit:
Alget adhuc nudo clauſa culina foco.

Cæcilianus enim conviva longe ante horam a puero nunciatam ad Martialem accedens itinere laſſus calidam expoſcebat. Niſi hanc fortaſſe petierit, ut ſe ad copioſiorem vini potum prępararet. Baſilius *de laud. Jejun. Noli te ad largiorem vini potionem aquæ potu præparare. Ne te ad jejunii myſteria introducat ebrietas.*

CAP. V.

ARGUMENTUM.

Calidi potus uſus primo a Græcis derivavit, etſi calidam Homeri tempore non bibebant, ut Julius Pollux oſtendit. Eos Plautus, quod caldum biberent, reprehendit. Acron ait tepefactis aquis uti conſueviſſe.

A Græcis autem primo calidi potus conſuetudinem emanaſſe, omnino clarum eſt. Caldum tamen Homeri tempore non bibebant, ut Julius Pollux, qui ſub Commodo Cæſare Athenis docuit, de talento, & aliis nummis ſcribens explicat his verbis lib. IX. c. VI. *Tres ſemiobuli æris calidæ erant Philemon ait in Pice fabula. Hic vero magnam quis quæſtionem ſolvat, de qua dubitavi ſępius, num apud aliquem Veterum calida utentium de potu illud dici invenire liceat. Et hæc ſane apud Homerum claritatem habent magnam, nam ſi quis ignitos lebetes, cum lebetibus ignis expertibus comparet, putaret hos pro calidæ aquæ apparatu ordinari. Idem quoque fuerit illi in tripode igni appoſito, qui ad lotionem calefiebat, quorum non parvus erat uſus. Apud Homerum enim non elixas carnes quidam Heroum comedebant, licet hujuſmodi illi obſoniorum præparatio cognita fuerit, cum inquit, veluti lebes interius fervet, multo igne petitus, pinguedinem coquens tenelli porci. De potu vero apud Homerum nequaquam invenire licebit, calidam aquam ad potum referri: apud veteres autem Medicos & ſane cum Hippocrates* v. *Aphor.* x. *inquit: frigidum infeſtum eſt nervis, oſſibus, dentibus, & cerebro: manifeſtum eſt, quod calida dentibus offerenda ſunt. Ego vero illud in* Theſmophoriazuſis *Ariſtophanis dictum, Athenis caleſcit, de Mulieribus potum præparantibus intellexi. Idemque in Eupolidis Populis dictum eſt. Sed quod nec illud in argumentum calidæ potationis ſufficiens ſit: ſuccurrit mihi illud in Ariſtophanis Georgis manifeſte de lotione dictum. Ex Urbe nunc in agrum diſcedamus, ut dudum a nobis illic in ſolio æreo lotum puniamus. Illud quidem apud Philemonem, Abeni calidum erat ad bibendum comparatum, manifeſte arguit calidi potationem. Nam numiſmatis bucca non lavacri eſt, ſed potionis menſura:* Hucuſque Pollux. Scenæ decor Plautus de Græcis in *Curcul.*

Tum iſti Græci palliati capite operto qui ambulant.
Quin incedunt ſuffarcinati cum libris, cum ſportulis,
Conſtant, conferunt ſermones inter ſe tanquam drapetæ
Obſtant, obſiſtunt, incedunt cum ſuis ſententiis.
Quos ſemper videas bibentes eſſe in œnopolio.
Ubi quid ſurripuere, operto capitulo caldum bibunt,
Triſtes, atque ebrioli incedunt.

Eos enim uti a Latinorum moribus alienos arguit, triſteſque, & ebriolos vocat, quodque caldum biberent. Damnat inſuper, quod operto capite ambularent, cum noſtris aperto incedere mos fuerit, adeo ut Celſus l. I. c. IV. ne veſte quidem velare cui caput infirmum erat nonniſi urgente neceſſitate permitteret. Acron ſuper illum Horatii locum lib. III. *Carm.* od. XIX.

Quo Chium pretio cadum
Mercemur? quis aquam temperet ignibus.

Ait, *Temperet*, id eſt, *tepefaciat. Nam tepefactis aquis ſolebant Græci vina temperare.*

CAP. VI.

ARGUMENTUM.

Romani Reip. tempore thermas, & thermopoſias receperunt, ut ſordes abluerent, & calorem refocillarent, diſcalceati enim incedebant, unde cholicæ, & ſtomachi dolores & affectus. Thermæ digeſtionem juvant. Calda imus venter delectatur. Calda febrientibus, tepida pleuriticis offerebatur. Calda inteſtina refrigerantur. Epilepticis, apoplecticis, paralyticis, melancholicis, in frigido capitis dolore, aſthmate, tuſſi, ophthalmia, catharrhis, ſyncope in frigidis temporibus datur. In ſtomachi imbecillitate, inflatione, aſtrictione, canino appetitu, in renum affectibus, diſuria, ſtranguria, & ad menſtrua provocanda porrigitur. Tiberina calefacta Valeſcus filios incurabili morbo oppreſſos ſanavit.

A Romanis tamen ipſo etiam Reip. tempore, quo omnia prudentia, & frugalitate florebant, thermarum, ac thermopoſiarum uſus receptus eſt; quippe qui excalceati ſolis ſoleis incedentes, balneis ubi ſordes abluerent, & thermopoliis unde calorem refocillarent, indigebant, ut ex Martiale lib. XII. epigr. LXXXVII. & Dione liquet: frequentes enim cholicæ, ventris dolores, hyppocondriaci affectus, ac ſtomachi debilitates, & relaxationes, quibus, teſtante Celſo l. I. & l. IV. c. V. maxima Urbanorum pars detinebatur, oriebantur. Thermas vero ſtomachi digeſtionem juvare, ac cruditatem concoquere Satyrus Aquinas inſinuat Sat. I. v. 43.

—*& cru-*

—— & crudum pavonem in balnea portas.

Eſt enim caro pavonis dura, & difficillimæ digeſtionis. Hinc D. Auguſtinus *de Civit. Dei l.* XXI. cap. VI. *Quis niſi Deus Creator omnium dedit carni pavonis mortui, ne putreſceret?* Aperte vero Haly in *Regal. diſp.* demonſtrat ſcribens: *Balneum corpus, & membra humectat, calorem naturalem confortat, digeſtionem optimam reddit, anguſtiam, ſi qua eſt, aufugat, poros aperit, ſuperfluitates evacuat, dolores mitigat, viſcoſitates, & ventoſitates diſſolvit.* Columella *lib.* I. delitias luxurioſorum arguens in hunc modum ait: *Ut apti veniamus ad ganeas; quotidianam cruditatem Laconicis excoquimus; & exuſto ſudore ſitim quærimus.* Horatius ep. VI.

—— crudi tumidique lavemur.

Et Perſius ſat. III.

Turgidus hic epulis, atque albo ventre, lavatur,
Gutture ſulphureas lente exhalante mephites.

Cholicæ autem Cordubenſis Dinaſta c. *de aqua* ait, præſidium eſſe aquam, quæ multum fuerit excalefacta, hanc vero Aetius ſerm. IX. c. XXX. a cibo etiam porrigit de coli dolore ex frigidis, & pituitoſis humoribus ſcribens: *Quod ſi ſitis a cibo accedat, aqua calida præbeatur, inſenſiſſima enim ipſis frigida exiſtit.* Quod & prius Antiphanes novit, qui ideo calidam reſpuebat, quod ſanus eſſet, nec ſuum tormina ventrem conturbarent:

—— ἐν χύτρᾳ δέ μοι
Ὅπως ὕδωρ ἕψον, τὸ μηδὲν ὄψομαι.
Οὐ γὰρ κακὸν ἔχω, μηδ' ἔχοιμ'. ἐὰν δ' ἄρα,
Στρέφῃ με περὶ τὴν γαστέρ', ἢ τὸν ὀμφαλὸν,
Παρὰ φερτάτου δακτύλιος ἐστί μοι δραχμῆς.
—— in olla autem mihi
Aquam coctam non contingat cernere.
Non enim male habeo, & quidem avertat Deus. ſin autem,
Turbent meum tormina ventrem, vel umbilicum,
Paratus ex optima mihi annulus drachma eſt.

Qui poſtremus verſus ab aliis ita legitur:

Πάρεστι ἰατρὸς φέρτατός μοι δάκτυλος.
Medicus adeſt optimus mihi digitus.

Digito enim vomitus provocatur, qui tormina aufert. Hippocrates vero ſanitatis lumen, atque hominum Pæon, calida imum ventrem delectari, *lib. de liquidorum uſu*, aſſeruit, eamque febrientibus exhiberi jubet *lib. de loc. in hom.* ſcribens: *Febricitantibus cibum ne offeras, neque ſorbitionibus ſubtus alvum ducas, in potu dabis aquam calidam:* a quo Cordubæ Princeps Avicennas III. XIII. cap. *de contur. ſto. Non oportet, ut bibatur in febribus, niſi aqua calida.* Plinius Secundus *l.* III. c. I. de medela ægritudinum in quotidianis febribus calidam cum vino auſtero, in tertianis, & quartanis aquam calidam porrigit; inſuperque in iiſdem quartanis vinum calefactum præbet. *Vini, inquiens, optimi Spateni, vel Pecinium, vel puto Adriani, Aphrive, ſeu Burgi Gallici pond.* IX. *penſabis. Hinc quotidie in majori calice potionem dabis vini calefacti jejuno, donec totum bibat, & ſanus erit.* Trallianus cap. XIII. *l.* I. Phreneticis tepidam aquam crebrius, & paulatim bibitam conducere dicit, frigidam autem aquam vitare oportere, eo quod tuta non ſit. Plato *de Rep.* aqua calida inteſtina refrigerari, & appetentiam concitari dicit. Idem Princeps Avicenn. *l.* I. fen. II. c. XVI. *Et illi quidem, quibus aqua calida arte juvamentum præſtat, ſunt Epilexiam habentes, & melancholiam, & capitis dolorem frigidum, & aſthma, & ophthalmiam, & bothor in gutture, & gingivis, & apoſtema poſt aures habentes, & rheumatiſmos, & ulcera in diaphragmate, & in pulmonis ſolutionem in parte pectoris.* Menſtrua præterea provocat, & urinam. Paulus *l.* III. cap. XVIII. vinum tenerum calente aqua temperatum apoplecticis, ac paralyticis potui tradit. Celſus *l.* IV. cap. IV. in tuſſi porrigit: *Potus primum aqua calida, deinde invicem aliis diebus hæc, aliis vinum.* Et in catharrho calidum potum laudat ibid. *Si ſtomachus pituita impletur nihil edendum, bibendumque niſi calidum, vitatis tantum his, quæ pituitam contrahere conſueverunt.* Alexander *l.* VI. cap. I. in pleuritide tepidam dat. Galenus XII. met. III. in ſyncope præter quam in æſtate potionem calidam exhibet: *Quos ſyncope premit, ſi quidem æſtas ſit, regio naturaliter calens, & æſtuans, aut ſtatus cæli vehementer calidus, cum frigida vinum dabis: ſi nihil ejuſmodi ſit cum calida. Quæ tamen ſecundo, & tertio dabitur potio, omnino calidam exhibendam curabis.* Areteus vero II. ac. c. III. vinum dat primo calidum, deinde cibo exhibito frigidum, quod ſiti medeatur. Celſus *l.* IV. c. V. in ſtomachi reſolutione vinum meracum bene calidum, vel frigidum porrigit. Galenus VII. met. IV. in ipſius imbecillitate vinum vetus calefacit, & cum largo pipere præbet. Quamquam Plutarchus III. *Symp.* V. languente ſtomacho, & ob imbecillitatem confirmationis indigente, nihil calidum adhiberi debere aſſerit, ſed vino tantum dato mederi. Idem Celſus *l.* IV. c. V. in ſtomachi inflatione ſcribit: *Cibis calidis neque inflantibus, eodemque modo calidis potionibus primo aquæ, mox ubi reſedit inflatio, vini auſteri.* In ejuſdem aſtrictione Aetius ſer. IX. cap. XIII. & XXI. calidæ plurimum potum permittit; qui & in canino appetitu potum præberi jubet ante cibum multum, & acervatim bibendum, calidum, aut certe tepidiorem. Avicennas item *l.* III. fen. XIII. tr. II. c. XIV. in jejunio vinum actu calidum, & plurimum ponticitate, & acetoſitate carens porrigi mandat. Trallianus *l.* IX. c. IV. in renum affectibus, ut jam oſtendimus, tepidæ potionem imperat. Aetius quoque *lib.* XI. cap. XIX. in diſuria, & ſtranguria calidam præbet: *In potu plurima aqua calida dulcis exhibenda, ægerque aſſidue ad mictionem cogendus: Si enim acre recrementum diutius in veſica moretur, partes ipſas corrodit, & exulcerat.* Valeſcus Valeſius Tiberinam aquam calefactam liberis ægrotis propinare juſſus, eos ab incurabili morbo ſanavit, ut refert Zozimus *Hiſt. lib.* II. initio.

CAP. VII.

ARGUMENTUM.

Calidæ propinatio malæ valetudinis ſignum erat. Calidæ facultates ex Aetio. Senibus, ac delicatis exhibebatur. Senes calidum amant. Ulyſſis exemplum patrem ad balneum hortantis. Calda in itinere per frigora facto adminiſtrabatur.

Martialis cum aliquando ægrotaret, ac longo calidæ uſu tædio jam affectus eſſet, Setinum, niveſque appetens ita canebat, *lib.* VI. ep. LXXXVI.

Setinum, dominæque nives, denſique trientes,
Quando ego vos, Medico non prohibente, bibam?
Stultus, & ingratus, nec tanto munere dignus,
Qui mavult heres divitis eſſe Midæ.
Poſſideat Libycas meſſes, Hermumq; Tagumque,
Et potet calidam, qui mihi livet aquam.

Cœnabis tanquam æger, ait Sen. ep. LXXVIII. *ſed omnia iſta perferemus facile, ſorbitionem, & aquam calidam, & quicquid aliud intolerabile videtur delicatis, & luxu fluentibus, magiſq; animo, quam corpore morbidis.* Divus Gregorius in Paſtorali de iis, qui flagella metuunt, ſcribit ſæpe infirmos, quos fortis

pigmentorum potio sanare non potuit ad primævam sanitatem calidam opportune datam revocasse his elegantissimis verbis *Pastor. curæ P.* III. *admonit.* XIV. in fine: *Quos cruciamenta non corrigunt, nonnunquam ab iniquis actionibus lenia blandimenta compescunt. Quia & plerumque ægros, quos fortis pigmentorum potio curare non valuit, ad salutem pristinam tepens aqua revocavit; & nonnulla vulnera, quæ curari incisione nequeunt, fomentis olei sanantur. Et durus adamas incisionem ferri minime recipit, sed leni hircorum sanguine mollescit.* Medicas autem calidæ facultates Aetius *l.* III. cap. CLXV. in hunc modum presse describit: *Aqua calida convenit, ubi oportet excretionem præparare, & ubi quid attenuare, & ubi diffundere, aut liquefacere, aut mollire aut eluere, concoquere, aut discutere volumus: particulatim vero mucum ducit, & screatum adjuvat, & dolorem omnem mitigat, & præsertim in præcordiis, ac intestinis, ructum movet, & flatum provocat, urinam, ac secessum ducit. Bona est etiam ad concoctionem, ac digestionem, & nutritionem, & augumentum. Menses ducit, nervis & convulsionibus idonea est, ut etiam pleuritidi, & peripneumoniæ.*

Calida etiam senibus, ac delicatis hominibus dabatur. Philo *de vita contemp.* Οἶνος ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις οὐκ εἰσκομίζεται, ἀλλὰ διαυγέστατον ὕδωρ, ψυχρὸν μὲν τοῖς πολλοῖς, θερμὸν δὲ τῶν πρεσβυτέρων τοῖς ἁβροδιαίτοις. *Vinum per illos dies non præbetur, sed aqua limpidissima cæteris frigida, calida vero his, qui inter seniores delicatius habentur.* Calidum enim senectus amat. Proinde Plato VI. *de Leg.* senilia balnea, calida appellat, iisque senes assuescere monet. Ulysses Laertem patrem senem, ac squallidum ad balneum hortatur, ita enim Principem virum decere dicit, cui Laertes similis erat: *Odyss.* XXIV.

Τοιούτῳ δὲ ἔοικας, ἐπεὶ λούσαιτο, φάγοι τε,
Εὑδέμεναι μαλακῶς. ἡ γὰρ δίκη ἐστὶ γερόντων.
Tali autem similis es, postquam lotus est, comeditque,
Dormit molliter: hic enim mos est senum.

Calida insuper iis, qui iter in magnis frigoribus faciebant, præbebatur, ut Rasis in eorum regimine scribit *l.* VI. cap. II. *ad Almans.* his verbis: *Quod si frigus fortissimum fuerit, atque ipsum statim post comestionem iter incipere necesse fuerit: vinum purum tepefactum bibat, aut vinum cui tantum aquæ calidæ ammixtum est, ut ex ea tepefieri possit.*

CAP. VIII.

ARGUMENTUM.

Orientales populi caldam frequentarunt. Socrates, & antiqui Christiani calidam potarunt Justini, & Ignatii loci. Divites, & pauperes calefactam aquam bibebant, seniores item qui delicate viverent. In cœnis funebribus a Christianis adhibebatur. S. Bernardus, Abbas Pyonius, aliique Monachi sitim calida levabant. Græci fervidam calici immiscebant.

AD sanitatem igitur aqua calida primo instituta fuit, hanc enim, ut vidimus, veteres Medici in variis morbis, & febribus ipsis administrabant. Deinde a plurimis etiam in communem usum deducta, potissimum ab orientalibus populis, ac frigidi temperamenti hominibus, quorum stomachus calido fotu egeat, iisque etiam qui imbecillioribus cibariis utuntur, ac jejunio carnem castigant, ut de frugi, & parcissimo Socrate, & de antiquis Christianis legitur; illum enim suavissimus auctor Xenophon calidum bibisse insinuat, in *Ejus fact. & dictis* ita referens: *Cuidam dicenti, calidam esse aquam, quam biberet: calida, inquit, igitur tibi erit, ubi lavari voles. At ille: Minime, nam ut laver frigida est. Nunquid ne, & pueris tuis eadem est sententia, ut neque ad bibendum eam aptam putent? Non, inquit ille: verum pluries admirari soleo; quidnam ita voluptuose ad horum utrumque utantur. Utrum, inquit, aqua istæc tua calidior est, quam quæ in Æsculapii templo est? Illa, inquit, quæ apud Æsculapium. Recordare igitur, ait, quam sis, & pueris tuis, & sacram aquam adeuntibus fastidiosior.* Nudis autem pedibus incedebat, sordido palliolo contentus, ut Laertius refert. Christiani item, Clem. Alexandrino teste II. *Pædag.* II. nullos gerebant calceos, nudisque pedibus incedebant, & si id pati non possent, soleis utebantur. Lucianus in *Philopat.* Christiani habitum describens, inquit; Pallium putre, sine calceis, & tegmine capitis incedens, detonsa coma. Hos vero Apostolorum tempore calidam bibisse Justinus Martyr significat in *Dialogo cum Triph.* inquiens: Μὴ ὅτι θερμὸν πίνομεν ἐν τοῖς σάββασι, δεινὸν ἡγεῖσθαι, ἐπειδὴ καὶ ὁ Θεὸς τὴν αὐτὴν διοίκησιν τοῦ κόσμου ὁμοίως καὶ ἐν ταύτῃ τῇ ἡμέρᾳ πεποίηται, καθάπερ ἐν ταῖς ἄλλαις ἁπάσαις. Id est: *Neque vero, quod calidam potamus sabbati die, piaculum esse putetis, cum Deus etiam hac die eandem suscipiat mundi gubernationem, quam & in aliis omnibus diebus.* Huc etiam spectat illud Ignatii Martyris in ep. III. *ad Magnesian.* post medium: ἕκαστος ἡμῶν σαββατιζέτω πνευματικῶς, μελέτῃ νόμου χαίρων, οὐ σώματος ἀνέσει, δημιουργίαν Θεοῦ θαυμάζων, οὐχ ἕωλα ἐσθίων, καὶ χλιαρὰ πίνων, καὶ μεμετρημένα βαδίζων. Hoc est: *Unusquisque nostrum sabbatizet spiritualiter, meditatione Legis gaudens, non corporis refocillatione, & remissione opificium Dei admirans, non pridiana comedens, & tepidam bibens, & ad præscripta spatia obambulans.* Nec vero divites solum, sed & pauperiores etiam calefactam aquam bibebant. Arnob. *l.* II. *Potio autem vini sit prorsus incognita, nec sedandæ aliud admoveatur siti, quam liquor purus e fontibus caldore ignis intactus: & si fieri potest, manibus subministratus cavis.* Philo Ebræus frugalia convivia Christianorum Alexandrinorum, Essenorum nomine a vitæ honestate, describens, quos & *Hosios*, hoc est, sanctos appellabant, calidam, ut superius retulimus, iis qui inter seniores delicatius tractarentur porrigi consuevisse narrat: vid. S. Hieron *de Script. Eccl. s* in *Marco*, & Baronius *ad An. Chr.* LXIV. Unde ex istius usu, ac reliqua victus ratione sobria, & naturæ legibus congruente, eorum plurimi centesimum vitæ annum attingebant. Qui antiqui Christiani in cœnis etiam funebribus, ac suis agapis calida utebantur, ut ex triclinii pictura apparet lunari forma, quæ in monumento primo arcuato Cœmeterii Sanctorum Marcellini, & Petri inter duas lauros ad S. Helenam via Labicana extat, apud Bosium in *Roma subter. l.* III. cap. XXXVIII. Ubi convivæ sedent, puer autem a poculis juxta tripodem in hemicycli medio stat in manu calicem habens, supra vero primarum sedium convictores a dextera parte scriptum est: IRENE DA CALDA a læva: AGAPE MISCE MI. S. Bernardus cum suis fratribus caldam bibebat. Isdem enim in descriptione situs Monasterii Claravallis de Alba amne inquit: *Hic jam in vicinia domo caldariam implet, & se igni coquendum committit, ut fratribus potum paret, si forte sterilis vindemia cultoris industriæ non bene responderit, & defectu sanguinis uvæ, de filia fuerit festucæ supplendus.* In *Ejus* vero *Vita l.* III. cap. I. extat, ipsum bucellam panis aqua calida madefactam sumere consuevisse: *Cibus ejus bucella panis in aqua calida penitus emolliti cum exiguis sorbitiunculis erat.* Legitur quoq; de Abbate Pyonio jam sene, qui cum vinum non biberet, calidam ei Monachi offerebant. Auctor Græcus incertus in *Vita Patr. l.* V. n. XXXV. *Dicebant de Abbate Petro, cognominato Pyonio, qui erat in cellis, quia*

vinum non bibebat. Quando autem senuit, rogabant eum, ut sumeret modicum vini. Qui cum non acquiesceret, tepefaciebant aquam, & ita ei offerebant, & dicebat: Credite mihi filii, quia velut pro condito illud accipio, & adjudicavit se tepida aqua esse contentum. S. Hieronym. *ad Eustoch.* scribens memorat, quanto labore in eremo carnis tentationibus repugnarit, atque inter multa, ne ægris quidem calidæ usum concessum fuisse refert. *De cibis*, inquit, *& potu taceo, cum etiam languentes Monachi aqua frigida utantur, & coctum aliquid accepisse luxuria sit.* A calidæ vero in cœnis administratione apud Græcos usum olim emanasse videtur ζέσιν, id est, fervidam calici immiscendi, quæ cum aquæ naturam habeat, & ignis sit particeps Spiritum Sanctum significare dicebant, & Sanctorum fervorem; adhucque etiam Concilii Florentini tempore aquæ calidæ guttulas Eucharistico latici instillabant, ut habetur in *Euchologio*, sive *Rituali Græcorum.*

CAP. IX.

ARGUMENTUM.

Calida in luxu adhibebatur. Servorum mora graviter puniebatur. In Imperatorum palatio die, noctéque extabat. Cum aromatibus in vino infundebatur. Temperati viri eam spernebant. Pueri, ac puellæ, sponsæque ministrabant.

IN luxum autem usurpata etiam calida aqua fuit. Unde servorum mora graviter animadvertebatur. Ammian. *l.* XXVIII. c. IV. *Ita autem pauci inter eos severi vindices delictorum, ut si aquam calidam tardius attulerit servus, trecentis adfligi verberibus jubeatur: si hominem occiderit, dominus hactenus exclamet, quid faciat maniosus, & nequam?* Senec. *l.* I. *de Ira*, cap. XII. *Irascuntur boni viri pro suorum injuriis, sed idem faciunt, si calida non bene præbeatur, si vitrum fractum, si calceus luteo sparsus est.* Et iterum ibid. *l.* II. cap. XXV. *Parum agilis est puer, aut tepidior aqua potui erogata, aut turbatus thorus, aut mensa negligentius posita: ad ista concitari insania est.* Arrianus *l.* I. c. XIII. Οταν δὲ θερμὸν αἰτήσαντος σοῦ μὴ ὑπακούσῃ ὁ παῖς. ἢ ὑπακούσας χλιαρώτερον ἐνέγκῃ, ἢ μηδ' εὑρεθῇ ἐν τῇ οἰκίᾳ; τὸ μὴ χαλεπαίνειν, μηδὲ ῥήγνυσθαι, οὐκ ἔστιν ἀρεστὸν τοῖς Θεοῖς. *Cum vero te calidam poscente, puer non audierit, aut si audierit, tepidiusculam attulerit, aut plane in ædibus non fuerit; id non ferre graviter, nec disrumpi iracundia, nonne Deo placet?* Plinius *l.* VII. c. LIII. de M. Ofilio Hilario: qui cum populo admodum placuisset natali die suo, conviviumque haberet edita cœna, calidam potionem in pultario poposcit, simulque personam ejus diei acceptam intuens, coronam e capite suo in eam transtulit, tali habitu rigens nullo sentiente, donec accubantium proximus tepescere potionem ammoneret. Dio Cassius *Rom. Hist. l.* LVII. de Druso: Τῇ τε μέθῃ μέθῃ καταχορὴς οὕτως ἐγίγνετο, ὥστε ποτε νυκτὸς ἐμπρησθεῖσί τισιν ἐπικουρῆσαι μετὰ τῶν δορυφόρων ἀναγκασθεὶς, ὕδωρ αὐτῶν αἰτούντων, θερμὸν σφίσιν ἐγχέαι κελεῦσαι: *Adeo in temulentiam effusus, ut cum noctu quibusdam, quorum ædes incendio flagrabant, cum stipatoribus opem ferre cogeretur, aquam poscentibus, calidam infund. jusserit.* Eunapius Sardianus in *Philosophorum, Sophistarumque Vitis*, in *Ædesio*, de Ægyptio quodam Astrologo narrat, qui Constantinopolim hospes veniens opiparam cauponam irrupit jejunus magno confecto itinere, ac præ siti pene enectus, jussitque vinum γλυκεῖ ἠρτυμένον, molle, & conditum aromatibus misceri sibi adnumerata pecunia. Cauponaria ministerio se accingebat, & discursabat satagendo, dumque Ægyptio poculum apponit, & depromptum vinum defundit a parturiente accersita, (erat enim obstetrix) καταλιποῦσα τὸν Αἰγύπτιον πρὶν τὸ θερμὸν ὕδωρ ἐπιβαλεῖν κεχηνότα, relicto Ægyptio priusquam hiscenti caldam aquam in vino infunderet ad puerperam accurrit, qua liberata ad hospitem reddit, qui develata infantuli sorte pleno poculo se proluit. Unde liquet non prius vinum bibisse, quam Cauponaria reversa calidam injecisset. De Proæresio autem ait, quod temperatissimus esset, incalceatus Gallicas hyemes, & frigora in delitias converteret, Rhenum tantum non glaciatum biberet, ac totum vitæ curriculum exegerit calidæ potionem nunquam expertus, καὶ τόν γε ὅλον οὕτω διετέλεσε βίον, ἀπείρατος θερμοῦ γενόμενος ποτοῦ. Hanc vero cum pueri, tum & lepidissimæ puellæ, sponsæque, ut vetus adagium refert, ministrabant. *Caldam Nympha ministrat aquam.*

CAP. X.

ARGUMENTUM.

Potus calidus apud Græcos Imperatorum Græcorum tempore durabat. Japonenses, ac Sinæ populi calidum potant, apud quos antiquissimus est usus. Turcæ item Chaoam excalefactam bibunt.

CAlidum autem potum apud Græcos suo etiam tempore durasse Petrus Aponensis *concil. drian.* CXVIII. testatur: de potu enim, qui hyeme sumi debet loquens, postquam frigidiorem probavit, qui non frigiditate omnia participet aeris illius, sed ea quæ potius æstatis, subjungit: *Græci tamen ob quendam abusum continue bibunt calidius. Antiquitus etiam universaliter ita potabantur infirmi: licet in quibusdam morbis fortasse, ut thoracalibus expediat, hyemeque præcipue.* De Japonensibus, Sinæque populis legitur, antiquum esse, uti & frequentem apud eos caldam bibendi usum. Johannes enim Hugo Linscotanus in *Navigatione*, de Japonia in hunc modum scribit: *Vinum ex oriza coctum potant usque ad ebrietatem. Post prandium olla cum calida apponitur, quam ferventem ebibunt æstate, & hyeme. Prædictæ autem ferventi aquæ pulverem injiciunt ex herba quam Chaa vocant, in magnam hujus potus æstimationem. Inde qui aliqua opulentia pollent, loco fere secreto aquam hanc servant, eamque excipientes amicos summa benignitate depromunt. Ipsi eam Domini, Principesque præparant, summo item ollarum, quibus herba custoditur, coquitur, ac propinatur pretio.* Ubi de Turcis quoq, D. Paludanus hæc annotat: *Turcæ similem fere modum in potu Chaoæ retinent, quam ex certis fructibus conficiunt, baccæ lauri similitudine, ac ab Ægyptiis Bon, sive Ban vocatur. Ex illis susquipondo sumunt, quos aliquantulum tostos in aqua* XX. *pondo coquunt, usque ad medietatem. Hunc potum matutino tempore quovis, in tabernis suis ferventem hauriunt, ex figulinis ollis, eodem more quo nostrates vinum igni eliquatum mane bibunt. Stomachum eo potu confortari arbitrantur, ac calefieri, ventositates expelli, ac obstructione aperiri.* De Sinensibus autem, seu Chinensibus Nicolaus Trigautius in *Expeditione Christiana apud Sinas l.* I. hæc habet: *Sinenses potu utuntur ferventi, etiam in summo æstu; sive ille vinum sit, sive decoctio Cia, sive aqua: & sane videtur id stomacho prodesse non parum, nam & Sinæ fere diuturnioris sunt vitæ, & ad annum septuagesimum, ac sæpe octuagesimum viribus non admodum destituuntur. Hinc quoque evenire arbitror, quod Sinarum nemo calculari morbo laboret, qui nostros Europæos sæpe torquet, ex eo, credo, quod perpetuo frigidam potent.* Jo. Petrus Maffeius *Indic. lib.* VI. de

Sinarum regione: *Cæterum ex herba quadam expressus liquor admodum salutaris, nomine Chia, calidus hauritur, ut apud Japonios: cujus maxime beneficio, pituitam, gravedinem, lippitudinem nesciunt, vitamque bene longam sine ullo ferme languore traducunt.* Ad nostros redeo.

CAP. XI.

ARGUMENTUM.

Romæ in thermopoliis calda, vinum, & dulces potiones vendebantur. In iisdem antiqua vina concreta dissolvebantur. Sine liquatione etiam præfrigidum, & præcalidum bibebant. In Arcadia vinum utribus exsiccabatur, ut gladio divideretur. Calidum in myrrhinis poculis administrabatur, vitrea spernebantur. Crystallina adhibebantur. Tepescere dicebatur, quando jam de frigiditate remiserat.

ROmæ Thermopolia aderant, in quibus non calda tantum, sed & vina etiam, & dulces potiones vendebantur. Plautus in *Curculione* Græculos in Thermopolio bibentes ebriosos appellat; in *Pseudolo* vero dulcium potionum meminit, Act. II. Sc. IV.

> Ps. *Quid si opus fiet, ut dulce promat indidem, & quid bibet?* Ch. *Rogas?*
> *Murrhinam, tum passum, defrutum, melinam, mel quojusmodi.*
> *Quin in corde instruere quondam cœpit Thermopolium.*

Memorat & Thermopolium in *Trinummo*, Act. IV. Sc. III.

> *Ecce hominem te, Stasime, nihili: satin' in Thermopolio*
> *Condalium es oblitus, postquam thermopotasti gutturem?*

Et in *Milite Glor.* Act. III. Sc. II.

> *Neque equidem heminas octo exprompsi in urceum,*
> *Neque illæ hic calidum exuunt in prandium.*
> Pa. *Neque tu bibisti?* LV. *Dii me perdant, si bibi.*
> Pa. *Qui jam?* LV. *quia enim obsorbui: nam mihi nimius calor*
> *Comburebat gutturem: alii sunt ebrii,*
> *Postquam potarunt.*

Ex quibus etiam colligi posset calida in Thermopolio vetustate concreta vina dissolvi consuevisse, & servos illos ob ingluviem thermopotasse gutturem: *Quo generosius vinum est, hoc magis vetustate crassescit*, Plinius *lib.* XXIII. cap. I. Unde Horatius *l.* I. *Carm.* od. XI

> —— *Sapias, vina liques.*

Martial. *l.* IX. ep. II.

> *Incensura nives dominæ Setina liquantur.*

Et *l.* XII. ep. LX.

> —— *ne calda Sabello*
> *Desit, & ut liquidum potet Alauda merum.*

Tertull. *contra Marcion. l.* IV. *Qui bibunt vinum liquatum.* Calda enim, ut ex Aetio ostendimus, ad liquefaciendum aptissima est. Hujusmodi autem fuisse illud vinum creditur, quod Britannico propinatum fuit, vetustissimum nempe, & ex optima nota, caldaque solutum: erant enim tunc Saturnalia, in quibus vino, & epulis maxime indulgebatur. Tacit. *Ann. l.* XIII. c. XVI *Illic epulante Britannico, quia cibos potusque ejus dilectus ex ministris gustu explorabat, ne omitteretur institutum, aut utriusque morte proderetur scelus, talis dolus repertus est. Innoxia adhuc, ac præcalida, & libata gustu potio traditur Britannico. Dein postquam fervore aspernabatur, frigida in aqua affunditur venenum; quod ita cunctos ejus artus pervasit; ut vox pariter & spiritus ejus raperentur.* Quamquam & absque liquefactione præfrigidum, & præcalidum etiam bibebant. Celsus *l.* IV. c. V. in stomachi exulceratione: *Vino, si febris non est, dulci, aut si id inflat, certe leni utendum, sed neque præfrigido, neque nimis calido.* Aristot. IV. *Meteor.* recenset vinum in Arcadia, in utribus suspensis exsiccari consuevisse instar salis, ut etiam gladio dividi, & non alias quam aqua calida superimposita in liquorem potabilem reduci posset.

Calidum in Myrrhinis poculis bibebatur. Martial. *l.* XIV. ep. CXI.

> *Si calidum potas, ardenti myrrha Falerno*
> *Convenit, & melior fit sapor inde mero.*

Vitrea enim spernebantur. Idem *l.* XII. epigr. LXXIV.

> *Nullum sollicitant hæc, Flacce, toreumata furem,*
> *Et nimium calidis non vitiantur aquis.*

Chrystallina tamen divites etiam adhibebant, quemadmodum de Tucca idem Martialis ostendit *lib.* X. ep. XIII. canens:

> *Candida Setini rumpant Chrystalla trientes.*

Persæpe enim calices caldæ fervore frangebantur. Ni dicere velimus generosa Setina suo fulgore Chrystalla rumpere, dum per ea mirabiliter translucent. De calido triente Persius sat. III.

> —— *calidumque trientem excutit e manibus.*

Calicem nempe calido vino, vel aqua calida mixto. Antiquus Commentator MSS. Biblioth. S. Augustini: *Trientem calidum;* quia in potu miscebatur aqua calida gelidis, & gelida calidis. Martialis *ad Librum suum*, *lib.* II. ep. I.

> *Te conviva leget mixto quicunce, sed ante*
> *Incipiat positus quam tepuisse calix.*

Quamquam de vini potius fervore intellexerit, quando jam animi excalefacti sunt, antequam frigescere incipiant. Idem enim *ad Plinium* similiter de suo libro canebat;

> *Hæc hora est tua, dum furit Lyæus,*
> *Dum regnat rosa, dum madent capilli:*
> *Tum me vel rigidi legant Catones.*

Posset & pro frigida diluto sumi, quando jam aliquid de frigiditate remisit, veluti sumpsit Senec. IV. *Natur.* dum scripsit: *Videbis quosdam graciles,* &c. *frustra nivis in scyphos suos dijicere, ne inter bibendi moram tepescant.* Et Ovidius de suis studiis canens, *lib* III. *de Ponto*, el. IV.

> *Illa bibit lector sitiens mea pocula plenus,*
> *Illa recens pota est, nostra tepebit aqua.*

Recens enim aqua de fonte hausta ob insitam frigiditatem ea longe suavior est, quæ egelida facta in vase quievit.

CAP. XII.

ARGUMENTUM.

Calix a calida potione dictus. Antiqui mane insomnia calda, vel generoso vino expiabant. Vas pro calda decoquenda Abenum dicebatur, proprie vero Romanis miliarium.

CAlicem autem a calida potione, qua convivantes utebantur, dictum fuisse magnus Cassiodorus affirmat, *in Psalmum* enim X. scribit: *Calix dictus, eo quod assidue calidam solebat suscipere potionem:* Et *in Ps.* XV. *Calix a calida dictus est potione, quoniam sicut ille cor hominis exhilarat bibitus: ita & hic sanctas animas perpetue jocundat haustus.* Denique *in Ps.* LXXV. *Sæpe diximus calicem mensuram esse potabilem, qua ægra siti corpora reparantur. Dictus a calida potione, qua frequenter utimur combibentes.* Et ante eum gloria Romanorum Varro in Libris *de Lingua Latina* ita pariter prodidit *lib.* IV. *Calix a caldo, quod in eo calda puls apponebatur, & calidum ea bibebant.* Ubi Turnebus

in *Commentario*, non *calda puls*, sed *calda plus*, legendum ait e veteri libro. Quod non verisimile sit in eo appositum fuisse pultem: sed potius aquam calidam. Infra enim etiam habet, *Vomer, quod vomit eo plus terram*.

Insomnia quoque Antiqui mane aqua calida, generosove temeto expiabant. De calida Aristophanes in *Ranis*:

Ἀλλά μοι ἀμφίπολοι λύχνον ἅψατε,
Καλπίσι τ' ἐκ ποταμῶν δρόσον ἄρατε,
Θέρμετε δ' ὕδωρ,
Ὡς ἂν θεῖον ὄνειρον ἀπολύσω.
Agite ministri facem accendite,
Rorem e flumine urnulis haurite,
Lympham calfacite,
Ut divinum somnium expiem.

De Mero Martialis *l.* XI. ep. LI.

Amphora nunc petitur nigri cariosa Falerni,
Expiet ut somnos garrula saga meos.

Vas autem ad calidam decoquendam Græci χαλκεῖον, hoc est, *Ahenum*, vocabant, Latini quoque eodem nomine nuncuparunt. Horat. *l.* II. ep. I.

——— Emptis
Sub noctem gelidam lignis calefactat Ahenum.

Paulus JC. c. XVIII. *de instr. & inst. leg. Nec multum refert inter cacabos, & Ahenum, quod supra focum pendet; his aqua ad potandum calefit, in illis pulmentarium coquitur.* Proprie tamen a Romanis *Miliarium* dicebatur. Athenæus *l.* III. *Et miliarium vocatum a Romanis illud, quod in calidæ aquæ operationem præparatum*: Cujus formam Seneca *Quæst. Nat. l.* III. c. XXIV. ita describit: *Facere solemus dracones, & miliaria, & complures formas, in quibus ære tenui fistulas struimus per declive circumdatas: ut sæpe eundem ignem ambiens aqua per tantum fluat spatii, quantum efficiendo colori sat est, frigida namque intrat, effluit calida.*

CAP. XIII.

ARGUMENTUM.

Thermopolia Romæ a Claudio sublata. In funestis calida interdicebatur, ante horam quartam uti gulæ irritamentum prohibita. Ea vomitum excitabant primo sanitatis gratia, ad humores expurgandos introducta, quemadmodum Cæsar faciebat, quæ postmodum in lasciviam versa est. Ideo crebræ vomitiones a clarissimis autoribus reprehensæ, præsertim quando ad novam ingurgitationem adhibebantur. Huic autem pelvis semper parata, quæ aliquando argentea, aliquando etiam aurea erat. Rex David guttur istorum sepulchrum vocat. Habacuc vomitum ignominiæ. Ructus reprobatur.

PORRO Thermopolia Romæ a Claudio sublata fuisse Dio *l.* LX. his verbis testatur: Τά τε καπηλεῖα ἐς ἃ συνιόντες ἔπινον, κατέλυσε, καὶ προσέταξε μήτε κρέας πυεφθὸν, μήθ' ὕδωρ θερμὸν πιπράσκεσθαι, καί τινας ἐπὶ τούτῳ μὴ πειθαρχήσαντας ἐκόλασεν. *Cauponum tabernas, in quas coeuntes potabant, demolitus est, edixitque ne quis carnem elixam, aut aquam calidam venderet, in quosdamque contra delinquentes animadvertit.* Qui præterea *l.* LIX. refert, Cajum Caligulam ob mortem Drusillæ sororis interdixisse, ne quis intra dies funeris ipsius aliqua in re lætitiam præ se ferret. Unde quidam ob aquam calidam venditam impietatis reus factus ab eo trucidatus fuit: ὁ πωλήσαντα θερμὸν ὕδωρ ἀπέκτεινεν, ὡς ἀσεβήσαντα. Ammianus Marcellinus *l.* XXVIII. c. IV. scribit Ampelium Romæ Præfectum, ut gulæ irritamenta, & ganeas tetras in urbe corrigeret statuisse, ne taberna vinaria ante horam quartam aperiretur, neve aquam vulgarium calefaceret quisquam. Hanc enim multi ad luxuriam, quo majorem inde cum vini, tum cibi copiam ingurgitarent, vomitum excitando convertebant, quemadmodum Rhodios factitasse ferunt, quos ob id Stratonicus albos Cyrenæos, civitatemque illorum, porcorum civitatem vocavit, apud Athenæum *lib.* VIII. Sane Romani a principio sanitatis causa vomitu utebantur, ut Sobrii Cæsaris exemplum demonstrat, quem ante cibum vomuisse Tullius *l.* XIII. ep. I. *ad Atticum* scribens narrat his verbis: *Post octavam in balneum, tum audivit. De Mamurra non mutavit, unctus est, accubuit, ἐμετικὴν agebat. Itaque & edit, & bibit ἀδεῶς, & jucunde: opipare sane, & apparate: nec id solum, sed bene cocto, & condito, sermone bono, & si quæris? libenter.* A balneo enim vomitus humores in stomacho stabulantes expurgat. Aetius de cruditate serm. IX. c. XIII. *Commodissimum est aqua calida in balneo hausta vomere: velut abluendo ea, quæ in stomacho desident biliosa, aut pituitosa.* A quo Rabanus *in* c. VII. *Eccl. Ajunt Medici, quod homo jejunus si vomitum faciat, stomachi vitia purget, & choleram minuat.* Pompejus ingrato, quem divitem effecerat, objecit, quod fecisset eum ἐκ πεινατικοῦ ἐμετικὸν, de sæpe esuriente, sæpe vomentem. Quoniam vero vomitiones tunc supra modum crebræ esse cœperunt, eapropter Asclepiades, qui eo tempore florebat, illas merito damnavit, ut refert Plinius *lib.* XXVI. c. III. Celsus pariter *l.* I. c. III. vomitum non luxuriæ causa, sed valetudinis fieri oportere commonefecit. Moralis item Seneca *consol. ad Albinam* c. IX. vomitores, qui vomunt, ut mox resarciantur, taxat: *Vomunt, ut edant, edunt, ut vomant epulas, quas toto orbe conquirunt, nec concoquere dignantur.* Philo quoque *de Vita cont.* arguit inquiens: πολὺς ἄκρατος, καὶ ὀψοφαγία, καὶ ἐπὶ πλήρεσι τοῖς ὄγκοις ἀπλήρωτοι ἐπιθυμίαι, θερμολουσίαι τε ἄκαιροι, καὶ ἔμετοι, καὶ αὖθις πάλιν οἰνοφλυγίαι, καὶ ἔφεδροι γαστριμαργίαι. *Multum merum, & edacitas, & in plenis opibus insatiabilia desideria, calida lavacra intempestiva, & vomitus, & statim rursus vinolentiæ, & insidentes ingluvies.* Plutarchus in *Moralibus* uti spontaneum in meretricibus abortum vituperat: *Ut meretrices abortum provocant, ut rursus impleantur, & voluptuentur, ita quidam in hoc ipsum corpus evacuant, ut rursus liceat ingurgitare.* Divus Hieronymus in *can. decr. dist. nov. de consec.* increpat: *Multi*, ait, *impatientiam gulæ vomitu remediantur: & quod turpiter ingesserunt, turpius egerunt.* Alexis in *Opora*, apud Athenæum *l.* X.

Vini multum non diluti bibis jam satur: nec vomis.

In conviviis enim ad lavandum, vomendum, meiendum pelvis parata erat. Pollux *l.* X. c. XXI. de vasis vomendi multos ait evomere κοτταβίζειν vocare; vino enim in Cottabi ludo expleti vomebant. Vas autem λεκάνην, id est, *pelvim* nominari Cratino teste in *Horis*: *Num fastidio laborat? alam ocyus quis, & pelvim inferat.* Polyzelus quoque in *Mimo Tindareo*: In pelvi primum ablues, evomes, explebis. Scapham in *Anagyro* Aristophanes dixit. Herodoto ποδανιπτὴρ appellatur: ἐστὶ ποδανιπτὴρ ἀργυροῦς, ὅπου δαιτυμόνες ἐναπονίζεσθαι, ἐμοῦσι, ἐνουροῦσι. *Est pelvis argentea, in quam convivæ lavant, vomunt, meiunt.* Qui item aurei vasis meminit, in quo prius Ægyptii vomebant, mingebant, pedesque lavabant, ab Amasi Rege in Jovis simulacrum conversi, ut narrat Herodotus *l.* II. Divus Augustinus *de Civit. Dei l.* II. *Extruantur amplissimæ, atque ornatissimæ domus, ubi convivia opipara frequententur, ubicumque libuerit, & potuerit, diu noctuque bibatur, ludatur, vomatur, diffluatur.* Cicero *in Pisonem*: *In quo convivio nemo potest dicere, utrum iste plus biberit, an vomuerit, an effuderit. Bibitur usque eo dum de solio ministretur.*

Unde de his Rex David exclamat: *Sepulcrum patens eſt guttur eorum.* Vomentium enim ora ut mortuorum ſepulcra fœtent. S. Auguſtinus *l.* IV. c. XX. *de Bap. con. Donat. Pulmones uſtione vini quotidiana putreſcunt, & per ora veluti mortuorum ſpiritus tetri emittuntur.* Martialis *l.* I. ep. XXVIII.

Heſterno fœtore mero qui credit Acerram,
Fallitur: in lucem ſemper Acerra bibit.

Habacuc c. II. v. 16. vomitum ignominiæ vocat, ac gloriam offuſcare dicit: *Circumdabit te calix dexteræ Domini, & vomitus ignominiæ ſuper gloriam tuam.* Vomitus enim qui non a morbo, vel ab aliquo ſtomachi affectu producitur: verum ab immodico tantum cibo, potuque ventriculum onerante, deditoque ſtudio excitatur, utique deteſtabilis eſt, ut & ille, qui ab ebrietate promovetur, de quo Eſaias c. XIX. *Dominus miſcuit in medio ejus ſpiritum vertiginis, & errare fecerunt Ægyptum in omni opere ſuo, ſicut errat ebrius, & vomens.* Et c. XXIII. Judæos carpens dixit: *Omnes menſæ veſtræ repletæ ſunt vomitu, & ſtercore,* ſeu *vomitu ſtercoreo.* Hieremias c. XXV. *Bibite, & inebriamini, & vomite.* Et c. XLIII. *Allidet manum Moab in vomitu ſuo, & erit in deriſum etiam ipſe.* Sic etiam apud ingenuos ructus. Idcirco S. Chryſologus de Divite epulone ait ſer. CXXI. Divitem variis crapulatum ferculis indigeriem ſuam ructaſſe ad cœlum. Tertullianus *adverſus Pſychicos* c. V. *Turpis epulonum ructus cœlum violat, cœlumque fœdior vomitio conſpurcat.* Romanæ hiſtoriæ narrant Cajum Imperatorem intempeſtivis uſum balneis vomere conſueviſſe, ac rurſum compotare. Philo *de legatione ad Cajum*: *Octavo menſe gravis morbus Cajum invaſit, quia frugaliorem victus rationem, & ſalubriorem qua uſus ſub Tiberio fuerat, mutavit in luxum Regium, multum enim abſumebatur meri, cupediarumque; & pleno ventre non ſatiabatur concupiſcentia, accedebant eo balnea parum tempeſtiva, tum vomitus, rurſumque compotationes, & voluptates ventris.* Vitellium vero tam crebro vomere ſolitum fuiſſe, ut ſolo alimentorum tranſitu paſceretur. Suetonius in *Vitellio* c. XIII. Vitellius *epulas trifariam ſemper, interdum quadrifariam diſpertiebat in jentacula, & prandia, & cœnas, commeſſationesque: facile omnibus ſufficiens vomitandi conſuetudine.* Dio in *eod. Vitel.* καὶ τὸ πλεῖστον, καὶ τῆς ἡμέρας, καὶ τῆς νυκτὸς ἐδαπάνα, ἀπλήστως περιφερόμενος, καὶ συνεχῶς πάντα ἐξεμῶν, ὥστε μόνῃ τῇ παρόδῳ τῶν σιτίων τρέφεσθαι. ἀφ' ὧνπερ καὶ αὐταρκεῖν ἠδύνατο; ἐπεὶ οἵ γε συνδειπνοῦντες αὐτῷ πάντες κακῶς ἀπήλλαξαν. *Magnam diei partem, noctiſque conſumebat in comeſſationibus, crebroque vomebat omnia, ut ſolo tranſitu ciborum nutriretur. Cui quidem rei ſufficere poterat; quamvis cæteri, qui cum eo cœnabant omnes miſere interirent.* Xiphilinus in *Severo* Plautianum omnium intemperatiſſimum, & ingluviei deditiſſimum fuiſſe ait, ita ut ſimul paſceret, & vomitaret, quod præ ciborum, & vini copia concoquere non poſſet. S. Ambroſius: *Spectaculum triſte*, inquit *l. de Helia* c. XIII. *Chriſtianorum oculis, & miſerabilis ſpecies. Cernas juvenes terribiles viſu hoſtibus, de convivio portari foras, & inde ad convivium reportari, repleri ut exhauriant, & exhauriri, ut bibant.*

CAP. XIV.

ARGUMENTUM.

Tepida vomitum ciet per ſe, vel cum vino commixta. Fœminæ æque ac viri vomebant. Vina dulciora, vinumque in vappam converſum uti ſtomacho magis infenſum deligebant. Pro horum ſymbolo Ægyptii aquaticum felem pingebant, qui cum ſumptos cibos evomuit, rurſum avide vomit.

VOmitum autem tepida ciet. Celſus *l.* I. c. III. *Qui vomere poſt cibum volet, ſi ex facile facit, aquam tantum tepidam ante debet aſſumere, ſi difficilius, aquæ vel ſalis, vel mellis paulum adjicere. At qui mane vomiturus eſt, ante bibere mulſum, vel hyſſopum, aut eſſe radiculam debet, deinde aquam tepidam, ut ſupra ſcriptum eſt, bibere.* Hippocrates *de inter. affec.* ad vomitum provocandum magnum vini poculum cum aqua tepida temperatum præbet. Eccleſiaſticus: *Utinam calidus, vel frigidus eſſes, ſed quoniam tepidus es, ideo te vomam.* D. Joannes in *Apocalypſi* c. IX. *Scio opera tua, quod neque frigidus es, neque fervidus. Utinam frigidus eſſes, aut fervidus. Itaque quoniam tepidus es, & nec frigidus, nec fervidus, incipiam te evomere ex ore meo.* Ubi Areta Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus ſcriptor Græcus pervetuſtus ait: *Tepidi metaphora decenter uſus eſt, quod etiam Medici recentiores ad vomitum provocandum adſumunt: unde etiam iis, qui difficiles ſunt ad vomitum, tepidæ aquæ potu eliciunt vomitum.* Iidem etiam Antiqui, Galeno teſte *l.* IV. *de ſan. tu.* c. IV. vino dulci poſt balneum vomitum provocabant, quo ventriculum lavando appetitum excitarent, quem *eſuritionem* Martialis appellat *ad Turanium* ſcribens, *l.* V. ep. LXXIII.

Poſt hæc omnia forte ſi movebit
Bacchus, quam ſolet, eſuritionem.

In Philænim, *l.* VII ep. LXVIII.

Non cœnat prius aut recumbit ante
Quam ſeptem vomuit meros deunces.

Orexin Juvenalis, hoc eſt, vehementem edendi aviditatem nuncupat, *ſat.* VI.

—— tandem illa venit rubicundula, totum
Oenophorum ſitiens, plena quod tenditur urna
Admotum pedibus, de quo ſextarius alter
Ducitur ante cibum, rabidam facturus orexin,
Dum redit, & loto terram ferit inteſtino.
Marmoribus rivi properant, aut lata Falerno
Pelvis olet: nam ſic, tanquam alta in dolia longus
Deciderit ſerpens, bibit, & vomit.

Fœminæ enim non minus ac viri vomebant. Seneca ep. XCV. *Fœminæ non minus potant, & oleo, & mero viros provocant, atque invitis ingeſta viſceribus per os reddunt, & vinum omne vomitu remittunt.* Plinius *l.* XIV. c. XXII. ad initium: *Cautiſſimos ex his balineis coqui videmus, exanimesque efferri: Jam vero alios lectum expectare non poſſe, imo vero nec tunicam, nudos ibi protinus anhelos ingentia vaſa corripere, velut ad oſtentationem virium, ac plene infundere, ut ſtatim evomant, rurſuſque hauriant, idque iterum, tertiumque, tanquam ad perdenda vina geniti, & tanquam effundi illa non poſſint, niſi per humanum corpus.* Et *l.* XXIX. c. I. ad finem: *Illa perdidere imperii mores, illa, quæ ſani patimur, luctatus ceromata ceu valetudinis cauſa inſtituta, balineæ ardentes, quibus perſuaſere in corporibus cibos coqui, ut nemo non minus validus exiret, obedientiſſimi vero efferentur. Potus deinde jejunorum, ac vomitiones, & rurſus perpotationes.* Ad quod alluſit & Palinurus ſervus apud Plautum in *Curcul.* Act. I. Sc. I. dum de jentaculo ait:

—— Num tu Venerem vomere vis?

Vina autem dulciora deligebant, ut quæ in ſtomacho magis ſupernatarent, atque eam potionem tepidam aſſumebant, idem præſtant ſimpliciter pota, ſi ſint, quam conſueverunt, dulciora; vid. Paulus *lib.* I. cap. LXII. Oribaſius p. ſyn. c. XVIII. Galen. in Hipp. *de Humor.* com. I. n. XI. Ad hoc & ξοπίας, ſeu ἐκξοπίας οἶνον, hoc eſt, everſorem,

ſeu verſum, & vappam factum vinum adhibuiſſe credunt, quod cum ſtomacho infenſum ſit vomitum facillime concitat. Hos autem tacite delineare volentes Ægyptii aquaticam felem pingebant Horapolline in *Hieroglyphicis* teſte, *l.* II. c. CX. his verbis: *Eum qui ubi ſumptos cibos evomerit avide, rurſum vomat, & ita ut ſatiari non poſſit, ſignificantes, felem aquaticam pingunt. Hæc enim ore parit, & natans fœtum abſorbet.*

CAP. XV.

ARGUMENTUM.

Hoc pariter Græcanicum inventum fuit. Ad bibendum in conviviis coactos ſapiens e medio ſurgere, & vomere jubet, ut eos, qui ſententiam dicturi ſunt, quo erudite loquantur. Muſici ad conſervandam, & augendam vocem vomitum provocabant. Pinnas ad promovendum adhibebant, quæ ex Phœnicoptero erant.

USum Græci pariter introduxerunt, ut nobis Athenæus teſtatur ex Interprete dicens *lib.* XV. ad principium: *Poſtea quæſtio fuit de cottabis, ut puto, & de iis qui illis utebantur: quos exiſtimavit ex præſentibus quidam, eorum eſſe Medicorum, qui poſt purgationes balnei, ſtomachi gratia amyſtidem bibentes ſingultiunt: quare inquit non antiquam eſſe conſuetudinem hujuſmodi, neque ſe quempiam antiquorum cognoviſſe, qui uſus ſit hoc purgationis genere. Quamobrem eos increpare ſolebat Eraſiſtratus Juliates in libris de Univerſi tractatu, qui id facerent, quoniam oculis plurimum obeſſe dicebat, ventremque inferiorem continere.* Vomitum inſuper apud Antiquos ii procurabant, qui in conviviis multum edere, & bibere cogebantur, ad quos ita Sapiens inquit Eccl. c. XXXI. v. 25. *Et ſi coactus fueris in edendo multum, ſurge e medio, & vome, & refrigerabit te, & non adduces corpori tuo infirmitatem.* Ii pariter, qui poſt epulas ſententiam dicturi erant, quo magis apte, & erudite loquerentur. Plutarchus in *Sympoſio* docens in conviviis philoſophantium conſulit vomitum ei, qui perite dicere vult, ſiquidem caput vinum tentare cœperit. Salomon in *Proverbiis* c. XXIII. monens apud hominem lividum non eſſe cœnandum, inquit: *Cibos quos comederas evomes, & perdes pulchros ſermones tuos.* Hoc eſt ut eleganter dicas cibos per vomitum educes: Et in iiſdem *Proverbiis* c. XXX. ait: *Verba congregantis filii vomentis.* Ubi Salomon filium vomentis ſe vocat, quoniam exonerato vomitu ſtomacho, capiteque levato ad docendum accingebat. Conſimiliter & Muſici ad conſervandam, vel augendam vocem inter cætera clyſtere, vomituque purgabantur: Suetonius in *Nerone* cap. XX. Ad quem etiam promovendum pinnas adhibebant. Ariſtophanes in *Acharnenſibus*, Act. II. Sc. VI.

—— Δι. φέρε νῦν ἀπὸ τῆ κράνας μοι τὸ πτερόν·
Λα. Τουτὶ πτίλον σοι. Δι. τῆ κεφαλῆς νῦν μου λαβοῦ,
Ἵν᾽ ἐξεμέσω. βδελύττομαι γὰρ τοὺς λόφους.
—— Di. *nunc aufer a galea pennam mihi.*
La. *Eccam tibi hanc pennam.* Di. *tene meum caput*
Ut evomam. Nam criſtas has abominor.

Ubi Scholiaſtes: pinnam quærit, ut vomat. Conſueverunt enim difficile vomentes pinna uti. Et Plato Comicus metaphorice in plebem:

Λαβοῦ λαβοῦ τῆ χειρὸς, ὡς τάχιστά μου,
Μέλλω στρατηγὸν χειροτονεῖν ἀγύρριον,
Αἰτοῦντα λεκανίω, καὶ πτερὸν, ὅπως ἐμέσῃ·
Apprehende apprehende quam celerrime manum meam,
Imperatorem decreturam iſtum Agyrrhium,
Quærentem pelvim, ac pennam, ut ſcelus evomat.

A Martialis *lib.* III. epigr. LXXVII.

—— *ſuggeritque ructanti*
Pinnas rubentes.

Ex Phœnicoptero enim erant, cui rubens penna, idem *l.* XIII. epigr. LXIII.

Dat mihi pœnna rubens nomen.

Suetonius in *Claudio* c. XXXIII. *Nec temere unquam triclinio abſceſſit, niſi diſtentus, & madens, & ut ſtatim ſupino, ac per ſomnum hianti pinna in os inderetur ad exonerandum ſtomachum.* Qui mos illi demum exitio fuit, Tacito auctore *Ann. l.* XII. cap. LXVII. his verbis: *Igitur exterrita Agrippina; &* B *quando ultima timebantur, ſpreta præſentium invidia, proviſam jam ſibi Xenophontis Medici conſcientiam adhibet. Ille tanquam niſus evomentis adjuvaret, pinnam rapido veneno illitam faucibus ejus demiſiſſe creditur.*

CAP. XVI.

ARGUMENTUM.

A calida, decocta provenit. Cruda enim laborioſa. Aquam decoquere, vitroque demiſſam refrigerare Nero invenit, quam & morti proximus exoptabat. C *Aqua prius calefacta magis refrigeratur, Imperatoribus parabatur, citius refrigeratur. Cyrus Choaſpis aquam decoctam in expeditionibus portabat. Aqua decoctione omnem pravitatem amittit. Hippocrates decoctam agnovit. Ariſtenætus vinum ferventi mixtum per canalem aquæ ad convivas delatum ſcribit. Tepidam etiam bibebant, teſte Epicharmo, quam Athenienſes metaceras vocabant. Hujus & Martialis meminit.*

A Calida decocta dimanavit. Aqua enim cruda inflat, & terreſtres quaſdam partes retinet: unde bibentibus laborioſa efficitur. Alexis D apud Athenæum *l.* III. c. XXI.

Ὕδατος ἀπέφθου κύαθον αὖ δ᾽ ὠμὸν πίῃ,
Βαρὺ, καὶ κοπῶδες.
Incoctæ aquæ crudum bibas ſi poculum,
Laborioſa fit, & gravis.

Decoctione vero flatus illi evaporant, illæque terreſtres partes ignea vi diſcedunt. Ignis enim proprium eſt diverſas naturas ſegregare: atque ita decocta aqua ex gravium, & terreſtrium ſeparatione levior, & ſubtilior eſt. Hujus inventorem in ſummo illo Romanæ magnitudinis faſtigio Neronem fuiſſe referunt. Plinius *l.* XXXI. c. III. *Neronis Principis inventum eſt, decoquere aquam, vitroque de-* E *miſſam in nives refrigerare. Ita voluptas frigoris contingit ſine vitiis nivis. Omnem utique decoctam utiliorem eſſe convenit: item calefactam magis refrigerari ſubtiliſſimo invento.* Qui ideo ab urbe fugiens, *dum clandeſtinus ad villam introitus pararetur, aquam ex ſubjecta lacuna potaturus manu hauſit: &* Hæc eſt, *inquit*, Neronis decocta ...... *Fameque interim & ſiti interpellante, panem quidem ſordidum oblatum aſpernatus eſt, aquæ autem tepidæ aliquantum bibit;* ut Suetonius refert in *Nerone* c. XLVIII. Decoctam item nominat Athenæus *l.* III. & ei ὁμόχρονος Galenus VII. *met.* IV. in ſtomachi intemperiei F curatione inquiens: *Aquam dedi nive refrigeratam, veluti Romæ præparare ſolent, calefacientes prius ſecundum eam præparationem quam ipſi decoctam vocant.* Cujus conſuetudinem alii poſtea Imperatores retinuerunt. Plutarchus Domitiani Præceptor VI. *Symp.* IV. *Omnis aqua prius calefacta magis refrigeratur, & inalgeſcit, ut ea quæ Imperatoribus paratur igni admota dum ferveat, vaſe dehinc multa nive accumulata circundato frigidior redditur.* At non intenſius tantum, ſed citius etiam ex Ariſtotele in *Meteorologicis* refrigeratur, ubi ſcribit *l.* I. c. II

Confert autem ad celeritatem congelationis, & præcalefactam fuisse aquam, citius enim refrigeratur: quapropter multi cum aquam refrigerari cito voluerint ad solem ponunt primo. Galenus IV. in VI. *epid. te.* X. & *l.* de LX. *aquæ* c. I. *Cum aquam frigidissimam reddere voluerimus nive, & ipsam prius calefactam, ut facilius permutetur, refrigerabimus: nam quodque prius calefactum a vicinis in se totum alterationem promptius ob raritatem admittit.* Avicennas *l.* I. fen. II. doct. II. c. XVI. *Aqua calida citius recipit frigiditatem, & citius coagulatur ratione fortis raritatis.* Præsente calore frigus fortius agit, ut frigore calor; ignis enim aqua respersus vehementius incalescit. Sol majorem in mari æstum, quam in terra gignit, quod aqua magis quam terra illi adversatur. Nazianzenus:

—— ἄγριον οἶδμα θαλάσσης,
—— *ferum æstum maris.*

De decocta Martialis *l.* II. epig. LXXXV.

Vimine clausa levi niveæ custodia coctæ.

Et in *Apophoretis*, sive *l.* XIV. ep. CXIV.

Spoletina bibis, vel Marsis condita cellis;
Quo tibi decoctæ nobile frigus aquæ?

Juvenalis *sat.* V.

Si stomachus domini fervet vinoque, ciboque:
Frigidior Geticis petitur decocta pruinis.
Non eadem vobis poni modo vina querebar:
Vos aliam potatis aquam.

Decoctam Choaspis aquam Cyrus Persarum Rex in expeditionibus secum portabat, de eo ita scribente Herodoto in *Clio* I c. I. Καὶ δὴ καὶ ὕδωρ ἀπὸ τοῦ Χοάσπεω ποταμοῦ ἅμα ἄγεται τοῦ παρὰ Σοῦσα ῥέοντος, τοῦ μόνου πίνει βασιλεὺς, καὶ ἄλλου οὐδενὸς ποταμοῦ. Τούτου δὲ τοῦ Χοάσπεω τοῦ ὕδατος ἀπεψημένου πολλαὶ κάρτα ἅμαξαι τετράκυκλοι ἡμιόνειαι κομίζουσαι ἐν ἀργυρέοισι ἀγγείοισι, ἕπονται ὅκοι ἂν ἐλαύνοι ἑκάστοτε. *Portatur etiam aqua ex flumine Choaspe Susa præterfluente, ex quo uno ex omnibus fluminibus Rex potat. Cujus Choaspis aquam decoctam, & in argentea vasa diffusam, ferentes permultæ carrucæ quatuor rotarum mulis trahentibus assidue comitantur quocunque ille proficiscitur.* Hæc Herodotus. Ctesias Cnidius apud Athenæum *l.* II. c. II. declarat quomodo aqua hæc Regia sequebatur, & quomodo in vasis posita afferebatur, eam, & levissimam esse inquiens, & suavissimam. Avicennas fen. XI. doct. II. c XVI. dicit decoctionem omnem aquæ pravitatem abjicere. Supra Hippocratem philosophari difficile. Non latuit divinissimum Senem hoc arcanum, etenim scribit in *Epidemiis l.* VI. c. IV. *Aqua ut frigida fiat, minusque noceat, decocta postquam est aerem quidem suscipiat. Vasculum vero non plenum sit, & operculum habeat.* Philo θερμὸν, id est, *caldam* vocat, quam refrigerari solere tradit *de Plantat. Noe*: Νῦν μὲν γὰρ ἄχρι τοῦ σώματος, καὶ ψυχῆς παρεθῆναι πίνουσι ἀθέως, καὶ ἀπνευστὶ χαίροντες ἔτι δὲ προσεπιτρέπειν τοῖς οἰνοχοουμένοις κελεύοντες κἂν διαμένωσιν ἀγανακτοῦντες, ὅτι τὸ θερμὸν λεγόμενον παρ' αὐτοῖς ποτὸν περιψύχουσι. *Nunc enim usque ad animi, corporisque languorem potant absque respiratione bibentes, & ultro pincernas urgentes, indignantesque illi cessantibus, dum caldam, quam vocant, frigefaciunt.* Aetius ex Ruffo decoctam ex purissimis undis aquam, ac refrigeratam, denuo calefactam potui optimam esse ait *l.* III. c. CLXXV. his verbis: *Optimum igitur erit, si aquam his, quas supra diximus, dotibus approbatam in fictili vase decoxeris, inde frigere permiseris, postea rursus calefactam propinaveris.* Aristænetus vinum calidum ferventi a pincerna aqua lepido astu miscere facit, ac per rivum dimittere, quo temperatum ad convivas appellat. Inquit enim *l.* I. epist. III. *Immisit in canalem famulus potionis eximiæ plenas phialas, quæ secundo fluctu ferrentur brevi inter se intervallo distinctæ. Singula autem pocula in morem navicularum pereleganter natantia rectum gerebant medicæ arboris folium, quod vicem exhibebat velorum, rectum cursum tenentibus phialis, quæ suopte ingenio lenta, ac tranquilla aura gubernatæ tanquam naves cito puppim inflante vento cum dulcissimis oneribus ad convivas appellebant recta: transeuntes enim quisque calices apprehendens manu ebibebamus æqualiter omnes, & modice mixtos. Nam de industria prudens pincerna tanto calidius justo vinum ferventi lympha temperaverat, quantum frigidissimi tubuli rigor totum refrigerare posset poculum, ita ut nimio solum calore per aquæ frigus imminuto, maneret mixtum justo temperamine.* Ὁ γὰρ ἔμμετρος οἰνοχόος ἐξεπίτηδες τοσοῦτο θερμότερον τοῦ δέοντος τὸν οἶνον συνέμισγεν ὕδατι διαπύρῳ, ὅσον ἔμελλεν ὁ ψυχρότατος ὀλκὸς ἐπιπελάζων, αὐτὸ τὸ κραθὲν ἐπιψύχειν, ὅπως ἂν μόνης γε τῆς ἀμέτρου θερμῆς τῷ ψυχρῷ μειουμένης τὸ σύμμετρον καταλήψοιτο. Puerilia colloquia apud veteres Glossarios: *Misce mihi calidum non fervens, nec tepidum, sed temperatum.* De tepida Epicharmus apud Athenæum *l.* XIV.

Καὶ πιεῖν ὕδωρ διπλάσιον χλιαρὸν ἡμίνας δύο.
Et bibere aquam duplam tepidam heminas duas.

Tepidam autem Athenienses *metaceras* appellabant. Amphis in balneo exclamavit: Ὕδωρ ἐνεγκεῖν θερμὸν, ἄλλος μετάκερας, *aquam ferat calidam alter, aut metaceras*, Philemon apud Athenæum *l.* III. Martialis *ad Cæcilian. l.* VI. ep XXXV.

At tu multa diu dicis, vitreisque tepentem
Ampullis potas semisupinus aquam.

CAP. XVII.
ARGUMENTUM.

Veteres calidum, frigidum, & temperatum bibebant. Sitis calidæ, frigidæ, & cujusque potionis desiderium est. Agri apud Hieropolitanos calida irrigantur. Caldum abusive illud quandoque, quod temperatum est, appellatur. Brachmani in Regiis conviviis tripodes habebant sponte frigidam, & calidam ministrantes. In Hipparci cœna calida, & frigida fuit. Apud Romanos calidæ, ac gelidæ ministri adstabant. Varronis mensa a puero versa calidam frigidamque cuique convivæ afferebat.

EX quibus liquet Veteres cum calidum, tum frigidum, tum etiam temperatum, & tepidum bibisse. Unde bene dicebat Plato *de Rep.* sitim esse, vel calidæ, vel frigidæ, vel summatim cujuspiam potionis desiderium. *Bibunt*, inquit Galenus VII. met. VI. ad finem, *alii calidum, alii frigidum, & vinum vel liberaliter, vel parcius, vel omnino nullum: vel hoc genus, vel illud.* Et Comm. *in* III. *Epid* com. II. æg. VIII. *Hi meraciorem, illi sumunt dilutiorem, nonnulli temperatam: sunt qui frigidam, alii calidam, atque utramque aut de more, aut insueti biberunt aliquando.* Flores, herbæque, ac plantæ quemlibet irriguum vel frigidum, vel calidum fontem innoxie potant. *In quibusdam locis*, inquit Justinianus *Digest. l.* XLIII. t. XIX. *de aquis, & cum calidæ sunt, irrigandis tamen agris necessariæ sunt, ut Hierapoli. Constat enim apud Hierapolitanos in Asia agrum aqua calida irrigari.* Calidum autem potum Antiqui abusive quandoque appellabant illum, qui temperatus erat; quod videlicet frigiditas abesset, eodem Galeno teste in *lib. de simp. med. fac.* cap. II. dicente: *Poculum, & balneum cum temperata sunt calida a nobis dicuntur nonnunquam appellationis abusu, quandoquidem eucrata, sive temperata dici debeant, ac symmetra potius quam calida.* Philostratus in *Apollonii Vita lib.* III. cap. VIII. recenset Brachmanas Indos, qui olim abditiora Naturæ mysteria inter cæteras nationes perscrutabantur, in Regiis eorum conviviis quattuor Pythicos tripodes exponere consuevisse,

visse, qui sponte sua in medium procedentes plus propinabant convivis admirationis, quam potus. Siquidem ita erant fabricati, ut ipsorum duo vinum proderent, reliquorum vero alter aquæ frigidæ fontem, alter vero calidæ ministrarent. Ænei autem pincernæ ex ære nigro conflati subsistentes, vinum mensurabant, aquam miscebant, poculum ad libitum, & nutum convivantium proferebant. Lucianus in Hipparchi cœna duplicem in mensa aquam ponit, quo vinum ad libitum temperaretur: in *Asino*: Τράπεζα δὲ τῇ κλίνῃ παρεστήκει, ποτήριον ἔχουσα, καὶ οἶνος αὐτοῦ παρέκειτο, καὶ ὕδωρ ἕτοιμον, καὶ ψυχρὸν, καὶ θερμόν. *Mensa juxta lectum sita, & in ea calix, ibique appositum vinum, & parata aqua, cum frigida, tum calida.* Romani calidæ gelidæque ministros habebant, ut cuique ad libitum, & pro consuetudinis, & naturæ more, vina temperare liceret. Juvenalis sat. v.

—— quando ad te pervenit ille?
Quando vocatus adest calidæ, gelidæque minister.

M. Varro, quo, Lactantio teste, nemo unquam doctior, ne apud Græcos quidem, nedum apud Latinos, vixit, in descriptione suæ villæ sub oppido Casino artificiosam mensam memorat, ex qua aqua calida, & frigida ad pueri libitum ad convivas affluebat, lib. III. *de Re Rustica* cap. v. *In insula est columella, in qua intus assis, qui pro mensa sustinet rotam radiatam. Hæc ab uno puero, qui ministrat ita vertitur, ut omnia una ponantur: & ad bibendum, & ad edendum: & admoveantur ad omnes convivas: & aqua calida, & frigida ex orbe ligneo, dictaque mensa ad unumquemque actum fluat in convivam.*

CAP. XVIII.

ARGUMENTUM.

Frigidus potus calido usitatior. Nives condebantur, & toto anno venibant. Alexander in India fossas nive replevit. Græci primi nives potarunt, postea Romani, cujus ubertas Romæ maxima erat. Hanc vel media hyeme bibebant, glaciemque uti frigidiorem exequirebant, in scyphos dijiciebant. nivatis piscinis æstivis temporibus utebantur. Montes nivium in viridariis faciebant.

Frigidus tamen potus calido longe usitatior fuit. Nives enim hyeme condebantur, quæ in officinis toto anno venibant. Plutarchus paleis, & rudibus pannis involutam nivem per multum temporis integram servari scribit, VI. *Sympos.* VI. Ideo dixit Augustinus, *de Civ. Dei* lib. I. *Quis dedit paleæ tam frigidam vim, ut obrutas nives servet? vel tam fervidam, ut poma immatura maturet?* Tradit Chares Mytilenæus apud Athenæum lib. III. cap. XXI. Alexandrum Magnum, ubi Petræ civitatis Indiæ obsidionem percurrit, triginta magnas fossas excavasse, quas cum nive replevisset, ramos quernos superinjecit, sic enim plus temporis nivem perdurare posse affirmat. Græci enim, ut ipsorum litteræ testantur, primi nives potavere, quos deinde Romani prosequuti sunt. Xenophon *de dictis & fact. Socratis* lib. II. Ινα δὲ ἡδέως πίνῃς, οἴνους τε πολυτελεῖς παρασκευάζῃ, καὶ τοῦ θέρους χιόνα περιθέουσα ζητεῖς. *Ut vero voluptuose bibas, vina varia, pretiosaque, ac in æstate circumiens hinc & illinc quæritas nivem.* Primo enim, ut opinor, in montium radicibus nives æstate repertæ sunt, quemadmodum hodie in Leonissæ, magisque in Sibyllæ sexto ab Asculo lapide, montium pedibus toto anno copiosæ cernuntur, ut in summis caloribus modico sumptu in propinqua diversaque loca deferantur. Plutarch. *de cohib. ira*: Χίονος δὲ μὴ παρούσης, οὐκ ἂν πίων, οὔτε ἄρτον ἐξ ἀγορᾶς φαγών, οὔτε ὄψου γευσάμενος ἐν λιτοῖς ἢ κεραμείοις σκεύεσιν. *Qui autem nisi nive præsente non bibt, neque panem in foro emptum edit, neque obsonium gustat vili aut figlina allatum in patina.* Alexis, qui Menandri avunculus fuit, nives bibisse canit:

Καὶ χιόνα μὲν πίνειν παρασκευάζομεν,
Τὸ δ᾽ ὅλον ἐὰν μὴ θερμὸν ᾖ, διαστρέφομεν.
Et ad bibendum nives nos accingimus,
Et ni cuncta sint calentia, distrabimus.

Simonides vehementis æstus tempore apud quemdam epulans iis qui a poculis erant nivem cæteris, dum biberent, miscentibus, sibi vero minime, hoc epigramma ex impræmeditato recitavit:

Τήν ῥά ποτ᾽ Οὐλύμποιο περὶ πλευρὰς ἐκάλυψεν,
Ὠκὺς ἀπὸ Θρήκης ὀρνύμενος Βορέης,
Ἀνδρῶν δ᾽ ἀχλαίνων ἔδακε φρένας, αὐτὰρ ἐκάμφθη
Ζωὴ πιερίην γῆν ἐπιεσσαμένη.
Ἐν τις ἐμοὶ γ᾽ αὐτῆς χεέτω μέρος οὐ γὰρ ἔοικε,
Θερμὴν βαστάζειν ἀνδρὶ φίλῳ πρόποσιν.
Quam boreas circum latus olim texit Olympi,
E Thraca cursu concitus alipede,
Quæ nudos anxit: sed vita relanguit illi
Pierio simul ac est amicta solo:
Ejus partem aliquis fundat mibi: namque sodali
Haud quaquam potum ferre decet calidum.

Dexicrates:

Εἰ δὲ μεθύω, καὶ χιόνα πίνω.
Quod si ebrius sum, & nivem bibo.

Stratis:

—— οἶνον γὰρ πιεῖν
Οὐκ ἂν εἰσδέξαιτο θερμὸν, ἀλλὰ πολὺ τοὐναντίον
Ψυχόμενον ἐν τῷ φρέατι, χιόνι μεμιγμένον.
—— vinum enim bibere
Calidum nunquam is volet, sed multo magis contra
In puteo refrigeratum, aut dilutum nive.

Machon de Gnathæna ait jussisse puero, ut clam mero nivem immisceret, apud Athenæum lib. XIII.

Τὴν χιόνα δ᾽ εἰς τὸν ἄκρατον ἐνσεῖσαι λάθρα
Τῷ παιδί τ᾽ ἐπέταξεν.
Nivem autem succussam occulto immiscere vino
Puero mandat.

Theocritus Idyll. XI. Cyclops:

Ἐντὶ ψυχρὸν ὕδωρ, τό μοι ἡ πολυδένδρεος Αἴτνα
Λευκᾶς ἐκ χιόνος, πότον ἀμβρόσιον προΐητι.
Est gelida aqua, quam mibi nemorosa Ætna
Candida ex nive, potum divinum demittit.

Extabat autem nix ad bibendi usum venalis. Eutycles:

Πρῶτος μὲν εἶδεν εἰ χιὼν ἔστ᾽ ὤνια,
Πρῶτον δ᾽ ἐκεῖνον χαδόνα δεῖ πάντως φαγεῖν.
Aspexit is venalis an nix sit prius,
Oportet hunc primum favis & vescier.

Galenus *de comp. med. sec. loc.* lib. II. cap. I. *Romæ nivis ubertas, quemadmodum apud nos in Pergamo, & in plurimis Asiæ, Græciæque civitatibus.* Ad nostros devenio. Plinius lib. XIX. cap. IV. *Hi nives, illi glaciem potant, pœnasque montium in voluptatem gulæ vertunt. Servatur algor æstibus, excogitaturque ut alienis mensibus nix algeat.* Secundus vero Plinius lib. I. epist. XV. de Alica cum Mulso, & nive mentionem facit, quæ erat potio parata Septitio suo, quem ad cœnam invitaverat. Et ante Plinios Seneca IV. *Natur. Unguentarios Lacedæmonii Urbe expulere, & propere cedere finibus suis jusserunt, quia oleum disperderent. Quid illi si vidissent reponendæ nivis officinas. Non æstate tantum, sed & media hyeme nivem bibunt. Nec nive contenti, glaciem, velut certior illi ex solido rigor sit, exquirunt. Videbis quosdam graciles, & palliolo, focalique circumdatos, pallentes, & ægros non sorbere solum nivem, sed etiam esse, & frusta ejus in scyphos suos dejicere, ne inter bibendi moram tepescant.* Et *ad Lucillium* epist. LXXVIII.

O infelicem ægrum, quia non vino nivem diluit, quia non rigorem potionis suæ, capaci scypho miscuit, renovat, fracta insuper glacie. Et epist. XCVI. *Quid tu illam æstivam nivem, non putas callum jecinoribus obducere.* Idem libro *de Divina Providentia* cap. III. *Quanto magis huic invidendum est, quam illis, quibus gemma ministratur, quibus exoletus omnia pati doctus, exsectæ virilitatis aut dubiæ, si spensam auro nivem diluit.* Et *de Ira*, lib. II. cap. XXV. *Perpetietur hic famem, & æstivæ expeditionis sitim, qui puero male diluenti nivem irasceretur?* Suetonius in *Nerone* refert gelidam ita in delitiis fuisse, ut nivatis etiam piscinis æstivis temporibus uterentur. Lampridius vero scribit Eliogabalum montem nivium in viridario domus advectis nivibus æstate fecisse.

CAP. XIX.

ARGUMENTUM.

Imperatores frigidum bibebant. Otho, Commodus, Alexander, Gordianus, Maximinus, Julianus, Theophilus, Andronicus, & alii. Ipsæ mulieres refrigeratos nive latices potabant. Aquam nive permixtam sumebant cum in sanitate, tum quibusdam in morbis. In syncope, in veneni acrimonia. Claudius Imp. frigida porrecta convaluit. Usum primus Asclepiades docuit. Per colum, & saccum nivarium vina colata bibebant. Nivata ad lavationem utebantur. Pro stomachi sigillo cum nive frigidam sumebant.

FRigidum bibebant Imperatores. Tacitus de Othone lib. II. *Hist. V sperascente die sitim haustu gelidæ aquæ sedavit.* Vide & Sueton. in *eodem* cap. XI. Dio de Commodo: *Bibebat defessus in medio certamine, capiebatque poculum vini dulcissimi refrigerati.* Lampridius de Alexandro Severo: *Frigida semper usus est, & æstate cum rosa condito.* Superius quoque de eodem ita tradidit: *Unctus lavabatur, ita ut caldariis, vel nunquam, vel raro, piscina semper uteretur, in eaque una hora prope maneret: biberet etiam frigidam Claudiam jejunus ad unum prope sextarium.* Julius Capitolinus in *Gordianis*, de Gordiano Juniore: *Pomorum & olerum avidissimus fuit, in reliquo ciborum genere parcissimus: adeo ut semper pomorum aliquid recentium devoraret: frigidorum percupidus. Nec facile per æstatem nisi frigida, & quam plurimum, bibit. Et erat corporis vasti: quare magis ad frigida urgebatur.* Idem de Maximino: *A frigidis prope semper abstinuit; nisi cum illi potandi necessitas esset.* Ammianus de morte Juliani, lib. XXV. cap. III. *Ipse cum Maximo & Prisco Philosophis super animorum sublimitate perplexius disputans, hiante latius effossi lateris vulnere, & spiritum tumore cohibente venarum, epota gelida aqua, quam petiit, medio noctis horrore vita facilius est absolutus.* Zonaras de Theophilo Imper. Tom. III. *Theophilus ob mœrorem propter captivos non receptos, cum & cibo abstineret, neque ullum potum admitteret, nisi aquam gelidissimam, cujusmodi est nivalis: cujus frequenti usu læsis interioribus in dysenteriam incidit, qua vitam finivit.* Nicephorus lib. IX. *Hist. Rom.* de Seniore Andronico: *Ipse* (Imperator) *allato cibo edit. Erant autem illa omnia testacea, propter jejunium illorum dierum: post quæ cum merum bibendum fuisset, quo vetulus stomachus ad duriorem illum cibum conficiendum firmaretur, ille frigida usus est. Solebat enim cum fervorem aliquem venarum sentiebat, immoderate frigidam bibere, ne ulla venæ sectione esset opus. Tali ergo diæta tum quoque usus, statim fastidio affici, & e stomacho, & corde graviter laborare cœpit.*

A *Cum autem jam spiritus etiam meatus obturari, & coarctari, ac mortem jam sibi instare cerneret*, &c. Xiphilin. in *Severo* de obitu Agricolæ: *Cæcilius Agricola, qui in primis assentatoribus Plautiani habebatur, quique nequitia, ac libidine nemini secundus erat, capite damnatus domum venit,* καὶ οἶνον ἐψυγμένον ἐμπλησθεὶς, *vinique refrigerati plenus, poculum, quod ducentis millibus nummum emptum fuerat, allisit: ipse secta vena super id mortuus est.* Alii quoque non viri tantum, sed & mulieres latices nive refrigeratos, rigentem de nive aquam, ac dilutas vino nives potabant. Galenus *de venæ sect. adv.*

B *Erasistr.* cap. III. *Contingit cum vulgo mulieres aquam frigidissimam ex nive potarent, ut, aut nullo pacto, aut prorsus diminute purgarentur: has tamen medici venæ sectione adeo incolumes conservarunt, ut neque sanguinem spuerent, neque laterali inflammatione, aut pulmonis, aut synanche caperentur.* Theodorus Priscianus, qui tempore Justiniani Imper. floruit, refert antiquos aquam nive permixtam bibisse, l. III. cap. XIII. Aquam ex diluta nive Gellius lib. XIX. cap. V. *Is non aquam multam ex diluta nive bibentes coercebat, severiusque increpabat.* Quam non per sanitatem modo, verum ingruentibus morbis assumebant. Constat enim Aurelianum in syn-

C cope nivis liquorem, Galen. l. VII. *met.* IV. aquam nive refrigeratam in stomachi intemperie, gelidam eodem stomacho æstuante Celsum l. IV. cap. V. Avicennam VI. IV. trac p c. IV. nivis potum ad infrænandam veneni calidissimi acrimoniam, propinasse. Claudius Imperator de Quæstore quodam candidato inter causas suffragationis suæ posuit, quod pater ejus frigidam ægro sibi tempestive dedisset, ut refert Sueton. in *eod.* cap. XL. Frigidæ autem aquæ ægris tempestive dandæ artificio primus Asclepiades hominum mentes in se traxit, ut habet Plinius lib. XXIX. cap. III. Martialis de nivibus, lib. XIV. epigr. CXV.

D *Non potare nivem, sed aquam potare rigentem*
De nive, commenta est ingeniosa sitis.

Idem ibid. epigr. CXVI.

Massiliæ fumos miscere nivalibus undis
Parce puer; constet ne tibi pluris aqua.

Idem *ad suos Ministros*, lib. V. epigr. LXIV.

Sextantes, Calliste, duos infunde Falerni:
Tu super æstivas, Alcime, solve nives.

In Lupum, lib IX. epigr. II.

Incensura nives dominæ Setina liquantur;
Nos bibimus Corsi pulla venena cadi.

Ad Pastorem, ibid. epigr. XXII.

Nec labris nisi magna meis crystalla terantur,
Et faciant nigras nostra Falerna nives.

E Glaciem nive horridiorem vino miscebant. Idem ibid. epigr. XC.

Sic in grammine floreo declinis,
Qua gemmantibus hinc & inde rivis
Curva calculus excitatur unda;
Exclusis procul omnibus molestis,
Pertundas glaciem triente nigro.

In frusta confractum in aquam immittebant. Plautus in *Curcul.* Act. II. Sc. III

PH. *Viden' ut expalluit? datin' isti sellam, ubi assidat, cito,*
F *Et aqualem cum aqua? properatin' ocyus?* CV. *animo male est.*
PH. *Vin' aquam?* CV. *si frustulenta est, da obsecro hercle, obsorbeam.*

Latinus Pacatus in *Panegyrico*, quem Theodosio Augusto dixit: *Nam delicati illi, ac fluentes, ac quales sæpe tulit Resp. p rum se lautos putabant, nisi luxuria vertisset annum, nisi hybernæ poculis rosæ innatassent, nisi æstivam in gemmis capacibus glaciem Falerna fregissent.*

Per colum, & saccum nivarium vina colata bi-

bebant. Lucilius apud Ciceronem *de Fin*, lib. II, *Cui nil dempsit nix, & sacculus abstulerit nil.* Martialis de colo nivario, lib. XIV. epigr. CI.

Setinos, moneo, nostra nive frange trientes:
Pauperiore mero tingere lina potes.

Et *ad Tuccam*, lib. X. epigr. CI.

Candida Setini rumpant crystalla trientes.

Cum glaciem designans, quem Setina vina diluebant, Græcis κρύσταλλος, tum impensæ frigiditatis effectum, quæ vitra frangere solet. De sacco nivario idem Martialis, lib. XIV. epigr. CII.

Attenuare nives norunt & lintea nostra:
Frigidior colo non salit unda tuo.

Et *in Lentinum* lib. XII. epigr. XVII.

Ebria Setina fit sæpe, & sæpe Falerno;
Nec nisi per niveam Cæcuba potat aquam.

Ad Natalem suum, ibid. epigr. LX.

Turbida sollicito transmittere Cæcuba sacco:
Atque inter mensas ire redire suas.

Colum autem nivarium, & saccus nivarius differunt. Hic enim e lino, illud vas lapideum, velut ex pumice erat, in quod immissis prius nivibus vinum superinfundebatur, quod horrido frigoris rigore indutum guttatim deorsum defluebat. Coli nivarii & Paulus J. C. meminit, *l. 21. de aur. & arg. leg.* dicens: *In argento potorio utrum id duntaxat sit, in quo bibi possit, an etiam id quod ad præparationem bibendi comparatum est, veluti colum nivarium, & urçeoli, dubitari potest. Sed propius est, ut hæc quoque insint.* Istud autem vel totum ex argento erat, vel argento potius, ut vero similius est, exornatum.

Demum nivata quoque aqua ad lavationem utebantur. Petronius in *Sat. Tandem ergo discubuimus, pueris Alexandrinis aquam in manus nivatam infundentibus: aliisque insequentibus ad pedes, ac paronychia cum ingenti subtilitate tollentibus.* Non ejus modo frigiditate oblectantes, verum quod hæc etiam magis abstergat, & mundet, *Job. IX. 30. Si lotus fuero, quasi aquis nivis, & fulserint velut mundissimæ manus meæ.*

Postremo pro stomachi sigillo frigidam cum nive sumebant, Constantino teste Pantegni V. parte, his verbis: *Aquam frigidam cum nive si quis post cibum biberit, bonum appetitum facit, stomachum confertat, ut bene digerat, non tamen subito bibenda est, sed paulatim sorbenda.*

CAP. XX.

ARGUMENTUM.

Ætas posterior e glacie pocula invenit, obeliscos, statuas, trophæa. Nivis æstivæ Salomon in Prov. *meminit. Hebræi in æstibus nive pocula refrigerabant, hac a monte Hermon, qui montem nivis sonat, devecta. Hieronymi testimonium. Similiter & Ægyptii Plutarcho teste. Arabes Haly auctore, qua & se se in lustrationibus lavabant. Denique Orientales omnes nives ad miscendum æstate vinum, & ad aerem circa ægros infrigidandum, servabant.*

RESTABANT e solida glacie pocula, quæ posteriorum lascivia invenit, obelisci, statuæ, trophæa, quibus Principum mensæ in ferventissimis æstibus exornantur. Memorat & in æstibus nivem Salomon in *Proverbiis* cap. XXIV. dicens: *Sicut frigus nivis in die messis, ita legatus fidelis ei, qui miserit eum, animam ipsius requiescere facit. Aqua frigida animæ sitienti, & nuntius bonus de terra longinqua.* Constat autem & Hebræos etiam in æstivis caloribus nivem ad refrigeranda pocula administrasse, Hieronymo *de locis Hebraicis* teste, ubi ait: *Montem Hermon perpetuis nivibus rigere solitum, atque inde Tyrum nives comportari ad æstiva pocula temperanda.* Hermon autem Chaldæo Interpr. mons nivis interpretatur. Item & Ægyptios. Plutarchus enim inter delitias recenset sumen, & Italicos fungos, placentam Samiam, nivem in Ægypto. De Arabibus Haly Abbas in *Regali dispositione* ad Arabum Regem de regimine corporum in æstate, scribit tunc polyphera vina plurima nivata aqua temperari debere. *Caveatur victus calidus, & pungens, parvipendatur vinum, nisi quod est album, & tenue, & non vetus. Si autem præter hoc aliud bibat, misceatur aqua multa nivali.* Qua nivali aqua iidem Arabes sese etiam in lustrationibus abluebant, *Job.* IX. uti Græci marina, fluviali Trojani ex amne Testigio. De toto denique Oriente liber *de naturis rerum* sic ait: *In Oriente quidem nives servantur ad miscendum vinum in æstate calida, vel ad aerem infrigidandum circa infirmos, infrigidat enim valde.*

CAP. XXI.

ARGUMENTUM.

Antiqui Christiani frigidæ potionem adhibuerunt. Matthæi locus elucidatus. Algidus Septentrio nivem æstate non horruit. Nive liquata aqua Græcis, & Latinis respuitur, Arabibus probatur. Ea tamen commendatur, quæ de foris fit. Nimis frigida, noxia, ejus nocumenta. Gelu non minus, ac æstus exurit.

VETERES vero Christianos in conviviis frigidæ quoque potionem adhibere consuevisse clare ostendit Gregor. Nazianz. orat. III. *adversus Julianum*, Λέγονταί τοι τῶν ἁλόντων τινὲς ἐξ ἀγνοίας, ἐπειδὰν τοῦτο ἔπαθον, καὶ ἀνεχώρησαν οἴκαδε, τοῖς συσσίτοις κοινωνεῖν τραπέζης, εἶτα τοῦ πότου προελθόντος εἰς τὴν συνήθη ψυχροποσίαν, ὡς οὐδενὸς ὄντος αὐτοῖς δεινοῦ τῇ ψυχροφόρῳ κύλικι, Χριστὸν ἐπαιτεῖν μετὰ τῆς σφραγῖδος ἄνω βλέψαντες. *Ferunt quosdam eorum, qui per ignorationem capti, ac circumventi fuerant, postquam contracta hac calamitate, domum se recepissent, una cum contubernalibus suis ad mensam accubuisse. Deinde cum convivium ad consuetam frigidæ potationem processisset, non secus ac si nihil gravius ipsis accidisset, ad frigidæ poculum sublatis in altum oculis Christum cum Crucis signo appellasse.* Ex quo loco Matthæi textus illucescit, cap. X. v. 42. Καὶ ὃς ἐὰν ποτίσῃ ἕνα τῶν μικρῶν τούτων ποτήριον ψυχροῦ μόνον, εἰς ὄνομα μαθητοῦ, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, οὐ μὴ ἀπολέσῃ τὸν μισθὸν αὐτοῦ. *Et quicunque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli; amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* Translatio ex Syriaco: *Et quicunque propinaverit uni ex his parvulis calicem frigidæ tantum in nomine discipuli: amen ego dico vobis, non perdiderit mercedem suam.* Ψυχροῦ autem, id est, *frigidæ* nomine Græci aquam cum per se frigidam, tum arte refrigeratam, & gelidam sumunt. Erat autem tunc & in usu calida. Proinde S. Augustinus frigidam dixisse ait: Ne forte se posset aliquis pauper de lignorum penuria excusare, aut certe dicere se vasculum, ubi aquam calefaceret non habere: idem S. Hieronymus. Algidus Septentrio a glaciei æstate usu non abstinuit, Paulo Jovio, *de Legatione Moschovitarum* teste, his verbis: *Moschovitæ Medonem ac birram per æstatem infrigidare infusa poculis glacie voluptatis gratia solent, nam ingentia glaciei frusta nobilium in cellis subterraneis singulari studio reconduntur.* Ex nive liquata aqua Græcis, & Latinis Scriptoribus abigitur, Arabibus probatur. Et ut ab Hippocrate exordiar, quem Plato summis laudibus effert, quemque Aristoteles maximum Medicorum appellat. Is libro *de aere, & aquis* ait: *Ex gelu & nivibus potus*

tus sunt insaluberrimi, quia exuctum est inde quod tenuissimum est. Ab eo autem idem Aristoteles hoc Problema formavit ex Gellii versione lib. XIX. cap. V. *Cur aquæ ex nive, glacieve liquatæ sint vitiosæ? An quia cum aqua quævis gelu concrescit, pars tenuissima difflatur, & levissima evaporatur, indicium illud est, quod deliquata fit minor, quam ante fuerit, quam concresceret? Cum itaque quod salubrius est defuerit, deterius sit quod relinquitur necesse est.* Vid. & Plin. lib. XXXI. cap. III. Galenus aquas frigidas, & concretas, arteriis, nervis, cerebro, glandulis inimicas esse affirmat. Athenæus: *Qui vitæ longæ, & sanitati tuendæ student nives satis, frugibus, & fluminum incrementis, quibus utilissimas esse compertum est, relinquent.* Macrobius *Saturn.* lib. VII. cap. XII. ipsam aquam nive refrigeratam æque noxiam facit ac illam, quæ ex ipsa nive liquescit: *Jam dudum*, inquit Avienus, *nosse aveo, cur aqua, quæ obsita globis nivium perducitur ad nivalem rigorem; non minus in potu noxia est, quam ex ipsa nive aqua resoluta.* Cordubæ autem Princeps Avicennas lib. II. doct. II. cap. XVI. utramque bonam facit: *Nix*, inquiens, *& aqua glacialis cum munda fuerit, & non commixta alteri rei virtutem habenti malam, sive solvatur, & ex ea fiat aqua, sive cum ea de foris infrigidetur aqua, sive ipsa mittatur in aqua, erit bona.* Quamquam idem I. can. fen. III. doct. II. cap. VII. aquam, quæ circumjecta nive refrigerata fuit, in complexionibus temperatis commendat: *Complexionibus temperatis aqua convenientior est, quæ in frigiditatis fortitudine temperata existit, & cujus infrigidatio cum nive de fori fit, & præcipue si nix mala fuerit.* Nimis frigida noxia sunt: *Frigidum*, inquit Hippocrates sect. V. aph. XVIII. *inimicum ossibus, dentibus, nervis, cerebro, spinali medullæ, calidum vero amicum.* Et ibid aph. XXVI. *Frigida velut nix pectori inimica. Frigidum frequentiori usu convulsiones, tetanos, nigrores, & rigores febriles affert.* Celsus lib. I. cap. III. *A labore sudanti adversissima frigidæ potio. Aqua frigida abunde pota*, Dioscorides lib. VI. c. XXXIII. *aut meracum vinum liberalius potum, præsertim a balneo, aut cursu, aut vehementi exercitatione strangulatus, & dolores infert.* Constantinus vero inquit, *quod quicunque frequenter bibit aquam frigidam, non evadet frigidas ægritudines, saltem in senectute.* Aristoteles lib. *de gener. Animal.* cap. IV. ad finem dicit, *quod aquæ crudæ, & frigidæ, aut sterilitatem, aut partum fœmineum faciunt.* Æsculapius Polemoni articulari morbo laboranti præcepit, ut imposterum a frigido potu penitus abstineret, ut est apud Philostratum. In *Genesi* cap. XXXI. v. 40. legitur, gelu non minus ac æstum exurere: *Æstu urebar & gelu.* Ubi Glossa: *Unus est effectus caloris, & frigoris.* Tertullian. *contra Marcionem*:

Omne, quod est nimium, contra cadit: unum operantur
Et calor, & frigus: sicut hoc, sic illud adurit,
Sic tenebræ visum, sic sol contrarius aufert.

Virgilius *Georg.* I.

Acrior, aut boreæ penetrabile frigus adurat.

Quod etiam existimavit Politicorum Princeps Tacitus in *Annalibus* lib. XIII. cap. XXXV. scribens: *Ambusti multorum artus vi frigoris.* Non quod vere adurat; sed meatus claudit, humidumque vivificum, ac radicale quandoque adeo occludit, ut exsiccari cogatur. Aristoteles lib. IV. *Meteor.* cap. V inquit frigus calefacere, & exurere, non quidem per se, sed ex accidenti, quod postea explicans ait: *Dicitur frigidum urere, & calefacere, non quidem more caloris, sed quod calidum conducatur unum in locum, & adverso teneatur conatu.*

CAP. XXII.

ARGUMENTUM.

Calidum id significat, quod injunctum sibi incommodum habet. Incommoda, quæ calida frequenter administrata invehunt. Caldæ potores Martialis irridet. Calda pallorem facit. Pallidi erant Rhodii calidum potantes, alii colorem habebant ex viridi, & citrino compositum, quod iis tamen non contigit, qui calidam vino miscerent. Calida per insomnium potata morbos indicat. Pauci calidum, plures frigidum bibunt. In calido frigidove potu natura, consuetudo, ætas, aeris temperies considerandæ, nec ab experto recedendum.

CAlidum, quod Græcis θερμὸν est, utrobique id significat, quod injunctum sibi incommodum habet. Aristoph. in *Pluto* Act. II. Sc. IV. ab initio.

Ω θερμὸν ἔργον, κἀνόσιον, καὶ παράνομον.
O calidum facinus, impium, & nefarium.

Papias: *Calix vas a calida potione dictus significat potionem, vel passionem.*

Calida autem frequentiore usu administrata hæc, monente Hippocrate sect. V. aph. XVI. incommoda invehunt, carnis effœminationem, nervorum impotentiam, mentis torporem, profusiones sanguinis, animi deliquia, ad quæ quidem mors. Galenus VIII. met. V. *Dissolvunt tepida robur ventris.* Celsus lib. II cap. XXV. *Aliena stomacho sunt omnia tepida, omnia salsa, omnia jurulenta.* Rasis III. *Almans.* cap. IV. *Aqua calida, si frequenter bibatur, stomachum corrumpit, & debilitat.* Avicenna *de reg. aq. Aul.* l. I. fen. II. tr. II. cap. XVI. *Aqua tepida nauseam facit, & cum frequenter bibitur, infirmat stomachum, sed cum aliquibus diebus bibitur, stomachum lavat, & ventrem resolvit.* Et alibi: *Et cum fuerit calidior aqua, & in jejunio bibita multoties stomachum lavabit & ventrem solvet, eam tamen frequenter bibere est malum, quia stomachi solvit virtutem, quæ vero multum est calefacta, quandoque colicam resolvit.* Aetius de canino appetitu loquens calidum, & tepidum potum appetitum destruere docet serm. IX. cap. XXI. *Potum autem præbebimus ante cibum multum, & acervatim bibendum, calidum sane, aut certe tepidiorem Sorbitiones item appetitum destruentes*, &c Constantinus de aqua calida: *Aqua calida jejunum stomachum lavat, a ciborum fæcibus purgat flegma, & omnem putredinem ventris purgat, & mundificat, ventrem solvit, naturam alleviat, & confortat. Ejus tamen frequens usus nocet. Stomachum enim remollit, digestivam virtutem turbat, & impedit, & sanguinem de naribus manare facit. Vinum si quis biberit aqua calida dilutum, in singultum incidet.* Galenus in VI. aph. XXXIX. Calidæ aquæ potores, quod calda pallere faciat, Martialis irridet lib. XII. ep. LX.

Natali pallere suo, ne calda Sabello
Desit.

Et lib. V. ep. LXXXVI. calida ob morbum fastiditus nivatum Setinum desiderans, canit:

Possideat Libycas messes, Hermumque Tagumque,
Et potat calidam, qui mihi livet aquam.

Erant enim qui calida magis, quam frigida delectabantur, *livet*, id est, invidet vel pallet: Alii legunt, *laudat*, pro ægris enim calda laudabatur. Juvenalis sat. VII.

—— nunc utile multis
Pallere, & vinum toto nescire Decembri.

Pallidi erant Rhodii caldum potantes, qui Cyrænei albi vocati sunt, apud Athenæum lib. VIII. Aqua enim calida debilitat, ac membra infirmat. Aristophanes in *Nubibus*:

Τὰ θερμὰ λουτρὰ δειλὸν ποιεῖ τὸν ἄνδρα.
Calida balnea timidum hominem reddunt.

Iſdem Juvenalis imbelles, hoc eſt, molliter viventes appellat ſat. VIII.

Forſan imbelles Rhodios, unctamque Corinthum,
Deſpicies merito.

Elluchaſem Elimithar Medicus de Baldath Arabs antiquiſſimus in ſanitatis regimine ait calidam aquam bibentes colorem habere compoſitum ex viridi, & citrino, canon. XXVIII. de aquæ delectu his verbis: *Calida ſitim non mitigat, nec a membris recipitur: propter quod non oportet, ut multoties utantur potu: nam aſſumpta multoties complexionem corrumpit, molles inflationes efficiens: cerebrum vaporibus implet, qui fluentes ad ſtomachum mediantibus nervis, laxant eum, propter quod non digerit. Unde plures vidimus de gentibus aquam bibentibus calidam, colorem habentes compoſitum ex viridi, & citrino, & ſplenem, & hepar habentes inflata, & lepram patientes. Nec cadit in nos reprehenſio ſuper eo, quod Chriſtiani utentes ea, non offenduntur ab ea, nec accidunt eis incommoda ſuper dicta: cum ipſi bibant eam vino commixtam, & tunc non operatur in membris, niſi infrigidationem, & humectationem.* Aqua calida, vel per inſomnium potata morbos prænunciat. Artemidorus lib. I. cap. LXVIII. Πίνειν ὕδωρ ψυχρὸν, ἀγαθὸν πᾶσι. θερμὸν δὲ ὕδωρ νόσους ἢ ἀπραξίας σημαίνει τῶν ἔθος ἐχόντων ὑδροποτεῖν. οὐ γὰρ κατὰ φύσιν ἔχει τὸ θερμὸν ὕδωρ. *Aquam bibere frigidam, omnibus bonum eſt, aqua vero calida morbos, & impeditas actiones ſignificat, his qui in conſuetudinem habent aquam potare. Non enim ſecundum naturam habet calida aqua.* Quapropter merito Ariſtoteles ſcripſit valde paucos calidum, plures vero frigidum bibiſſe. Plinius vero nullum animal calidos potus ſequi dixit, l. XXVIII. cap. VII. in fine. Arnaldus in regimen Salernitanum ad illum verſum,

Fortia, formoſa, fragrantia, frigida, friſca.

Vinum, ait, *debet eſſe frigidum, quoad actum: non autem quoad effectum. Vinum autem calefactum cum ſit rarius, & ſubtilius, citius inebriat, nervos debilitat, & corpus lædit, niſi in modica quantitate ſumptum fuerit.* Hæc Arnaldus. Apud nos vero cum aliquem ad bibendum invitamus, dici ſolet; ſi vult ſe refrigerare. Bocaccius num. XCIX. VIII. *Tres illos nobiles viros ad cubicula duxit, quos frigidiſſimis vinis aliquantum refrigerare fecit.* Sitis enim frigida appetit. De calido autem & frigido potu ſalubriter adhibendo hanc Galenus deciſionem promulgavit, lib. I. *ad Glauc.* cap. XIV. *Naturam, conſuetudinem, ætatem, & ambientem aeris temperiem eſſe conſiderandam: quibus perſpectis aut calidus, aut frigidus potus aſſumetur. Nam qui frigidum bibere non conſueverunt, aut eo manifeſte læduntur, quique natura frigidiores ſunt, ac extreme ſenes, & in regione naturaliter frigida degunt, hybernoque tempore a frigido arcendi ſunt. Qui vero aliter habent, potare intrepide poſſunt. Ab experimento tamen nunquam recedendum, & a juvantibus, & lædentibus depromendum judicium eſt.* Ita apud ipſum Galenum lib. *de conſuetud.* cap. I. Ariſtoteles Mytilæneus vir in ſpeculatione Peripatetica primatum tenens, cum in morbum quendam incidiſſet, qui a frigidæ ſane potione juvari poterat, quia tamen talem potum nunquam ingeſſiſſet, Medicis eum bibere conſulentibus repugnavit, manifeſto ſe ſcire affirmans, ſe frigida guſtata ſpaſmo correptum iri. Nam & hoc ipſum aſſerebat ſe vidiſſe in alio, qui ſibi, & corporis habitu, & temperamento erat ſimilis, calidæque potioni erat aſſuetus. Celſus de ventris fluxu loquens ait lib. IV. cap. XIX. *Frigidam aſſidue potionem eſſe debere contra priores auctores Aſclepiades affirmavit, & quidem quam frigidiſſimam: ego experimentis quemque in ſe credere debere exiſtimo calida potius, an frigida utatur.*

CAP. XXIII.

ARGUMENTUM.

Romani calidam, vel æſtivo tempore in delitiis habebant, licet a Medicis tunc ejus uſus, quia materiam ad putreſcendum aptam reddit, vetitus ſit. Gelu, & frigus odores ſopit. Vini natura ad frigus ſtupet, atque ipſum vinum debilius efficitur. Calda vivificat, & de potentia ad actum reducit. Idcirco vino immiſſa univerſam vini potentiam exhibet, dotes ampliat, odorem, & ſaporem auget. Gelida nobiles vini partes confundit, odoremque ac ſaporem imminuit. In Sarnenſi fluvio rubrum vinum ad refrigerandum appoſitum brevi ſpatio ſaporem, & colorem amittit. Malvaticum in Septentrionem evectum in aquam rubeam converſum eſt. Vinum ſub dio ſuper nivem in vaſe locatum in nullius ſaporis gelu mutatum eſt. Spiritus vero in imo detruſus.

CUM vero Romani in ipſa celſiſſimi Imperii gloria calidam, vel æſtivo tempore, quo & nivatos latices bibebant, in delitiis habuerint, a Medicis autem omnibus in *reg. febr. peſtil.* æſtate, & autumno calidæ uſus interdictus ſit, quia omnem materiam ad putreſcendum idoneam reddit; quomodo eam ad voluptatem abſque ſalutis diſpendio adhiberent, perpendere noſtræ terminus orationis exiſtet.

Gelu ac frigus non minus odores, quam ſapores ſopit; odor enim ab exhalatione oritur, quem frigiditas cohibet, quæ ſimiliter guſtum obtundit, ne ſaporem perſentiat; calor contra laxans, ſopita, & obtuſa excitat. Vini natura, ut Plinius ait lib. XIV. cap. XXI. ad frigus ſtupet. Hippocrates lib. *de affect.* debilius effici ſcribit, ut odore, & ſapore quodammodo deſtitutum reſtet: calda autem vivificat, & de potentia ad actum reducit. Proinde vino immiſſa confeſtim univerſam vini præſtantiam exhibet, doteſque ampliat, odoremque, & ſaporem auget, & totam fragrantiam in illius profundo latentem excitat, atque omnes partes ipſius ſpiritales, & gratiores propalat. Gelida lympha nobiles, ac perfectas vini partes confundit, & ſuppeditat, odoremque, & ſaporem, & quicquid pulchri, aut boni habet detrahit. Hinc in Sarnenſi apud Campanos flumine, rubrum vinum ad refrigerandum appoſitum breviſſimi temporis ſpatio ſaporem omnem, ſimulque & colorem amittit. Cujus rei ſimilem eventum de generoſiſſimo vino Malvatico a Mercatoribus ad Septentrionales plagas evectos contigiſſe ait Libavius, ut in aquam rubeam nullius ſaporis fuerit tranſmutatum. Et nos experimento vidimus vinum album, & rubeum, ſub dio ſuper nivem frigidiſſimo nivali tempore in vaſe locatum totaliter in gelu fuiſſe converſum nullius ſaporis, ſpiritum vero in imo detruſum reperimus, qui verior aqua vitæ dicitur, quam vulgaris, & venalis illa per deſtillationem extracta, quæ pariformiter ſub dio, & ſuper nivem eodem tempore poſita nullatenus fuit gelata.

CAP. XXIV.

ARGUMENTUM.

Antiqui ferventis aquæ portiunculam in ſua ſponte, vel nive refrigerato vino in ipſa patera immittebant: Unde obtruſa odoris ſaporiſque qualitas pandebatur. Apuleii, Martialis, Sidonii, Alcimi, Achmetis teſtimonia. Quam tamen non omnes adbibebant, verum petentibus tantum porrigebatur.

FErventis itaque portiunculam aquæ veteres majores noſtri in refrigerati nive laticis, vel ſua ſponte frigidi pateram immittebant, qua ſtatim obtruſa odoris, ſaporiſque qualitas pandebatur,

quemadmodum in plantis etiam, & floribus cernimus, qui rore tacti fortius, & suavius redolent; ros enim subtilis existens odores attenuat, ut ex iisdem plantis, & floribus facilius exhalent. Sic amasiæ favores recolens Apulejus II. *Metam.* calidæ modicum vino instillasse asserit: *Ac me,* inquit, *pressim deosculato, & corollis revincto ac flore prosperso, arripit poculum: ac desuper aqua calida injecta porrigit bibam, idque modicum.* Et VII. *Metam. Et instantia ait, validiore vinum jam immixtum, sed modico tepefactum vapore, sauciis illis, & crapula, vinolentiaque madidis, ipse abstemius non cessat impingere.* Calidæ autem modico poculum percuti solere Martialis *Apop.* epigr. XCII. ostendit hoc disticho;

Nos sumus audaces, plebeja toreumata vitri
Nostra nec ardenti gemma feritur aqua.

Ad delitias enim pro nobilibus ardenti calix feriebatur aqua, guttis aliquot ferventibus instar vulnerantis infixis, glacialibus flammida inspergendo, ut Apollinaris ep. XIII. l. inquit: *Inque crystallis calerent unguenta glacialibus.* Unguenta enim atque odoriferas aquas instillabant. Alcimus Avitus lib. III.

A *Fervebat priscum crystallo algente Falernum:*

Achmes in *Oneirocriticis* cap. CXCVI. Εἰ δὲ ἔπιεν οἶνον συγκεκραμμένον, εὑρήσει θλίψιν εἰς τὸ πλοῦτον αὐτοῦ ἀνάλογον τῆς ζέσεως. *Si vinum mistum biberit, casum in opibus suis adversum experietur, pro modo fervoris.* Juvenalis Sat. X.

— *Et lato Setinum ardebit in auro:*

Non ob splendorem tantum, verum ob geminatam odoris suavitatem: quæ cum in vino, tum in auro e caldæ fervore sentitur: Aurum enim ignibus tactum jucundissimam fragrantiam emittit. Hincque illa servorum sedulitas, atque acerba castigationi, & bene calidam, & celeriter adferrent. B In singula autem pocula deferebatur: Martialis lib. I. epigr. XI.

Cum data sint equiti bis quina nomismata, quare
Bis decies solus, Sextiliane, bibis?
Jam defecisset portantes calda ministros,
Si non potares, Sextiliane, merum.

Non tamen omnes adhibebant. Verum secundum indigentiam poscentibus exhibebatur. Martialis lib. XIV. ep. CIII.

Frigida non desit, non deerit calda petenti;
Sed tu morosa ludere parce siti.

F I N I S.



DE
CONVIVIIS
LIBRI QUATUOR.

AD ILLUSTRISS. ET INTEGERRIMUM DOMINUM.

D. NICOLAUM DE VERDUN,

SENATUS PARISIENSIS PRINCIPEM, EQUITEM TORQUATUM,
ET SANCTIORIS CONSISTORII CONSILIARIUM.

AUCTORE

JULIO CÆSARE BULENGERO,

SOCIETATIS JESU PRESBYTERO.

ILLUSTRISSIMO, AC INTEGERRIMO

DOMINO,

D. NICOLAO VERDUNO,

SENATUS PARISIENSIS

PRINCIPI,

JULIUS CÆSAR BULENGERUS S.



DIU multumque dubitavi, PRÆSES ILLUSTRISSIME, tibine hoc *de Conviviis* libellos inſcriberem, an ſtylum alio verterem. Quid enim minus conſentaneum videtur, quam ut Viro ſupra cæteros ſobrio, & frugi, libri de vino, & epulis, Præſidi Juris dicundi ſcientiſſimo, & in graviſſimis totius Galliæ negotiis decidendis occupatiſſimo, ſcripta de legibus Convivii offerantur. Quum tamen effatum illud Pauli Æmilii fortiſſimi Imperatoris, & Conſulis legum peritiſſimi, veniret in mentem, ejuſdem viri eſſe, aciem adverſus hoſtes, & convivium adverſus amicos inſtruere, mihi veniam datum iri putavi, ſi commentariolos de cibis, & epulis e priſcis auctoribus tibi dicarem, quem veteris memoriæ ſtudioſum ſemper expertus ſum. Julius Cæſar maxime ſiccus, & ſobrius, ſemel, atque iterum epulum publicum, per ſeipſum, non tantum per macellarios diligenter apparavit, ait Suetonius. Auguſtus ſextario vini in diem contentus, & dodecatheon cœnam amicis poſuit, & ſæpe viſcerationem populo dedit. Tibi domi quotidiana menſa frugalis eſt, ſed elegans, & nitida, ad quam non homines dictioſi, & aretalogi, ſed viri divini, & humani Juris prudentes adhibentur. Tu interim de litibus reſcindendis, de jurgiis componendis, de publico otio alendo, de ſalute Regis, de jure ſuo cuique reddendo ſtudioſe agis, & ut Catholicæ fidei ſanctitas ſplendorem ſuum obtineat, rationem inis. Deus qui tibi jam olim hanc mentem injecit, eandem magis in dies, magiſque promoveat, ut benefactis, ac meritis onuſtus, in cœli arce jus a ſummo Judice accipias, quód in regni Galliæ arce tam religioſe reddidiſti. VALE.

AD LECTOREM.

SCripſere multi olim, hodieque non pauci, de Conviviis, *Stuckius libros aliquot eruditos, ſed multa parerga miſcet, Lipſius polite ut omnia, ſed multa levi manu, & curſim, Ciacconius* de Triclinio *belle, ſed pleraque parum explicate. Tot tantiſque Viris ſuccedaneus quatuor tibi libellos, benevole Lector, do, dico, quos ſi triclinio tuo exceperis, ut Jupiter Homericus, eſcæ nidore contenti erunt, tu alios ſucco paſce.*

SYLLABUS
LIBRORUM ET CAPITUM.

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

LIBER SECUNDUS.

Prolusio.

CAPUT PRIMUM.

LIBER TERTIUS.

Prolusio.

CAPUT PRIMUM.

LIBER QUARTUS.

Prolusio.

CAPUT PRIMUM.

JULII CÆSARIS BULENGERI,

SOCIETATIS JESU PRESBYTERI,

DE

CONVIVIIS

LIBER PRIMUS.

CAP. I.

DE NOMINE CONVIVII.



Convivium dicitur a convictu. Cicero *lib. de Senectute*, Majores nostri accubitionem epularem amicorum, quia vitæ conjunctionem haberet, convivium nominarunt melius quam Græci, qui hoc idem compotationem, tum concœnationem, symposium, syndipnon vocitarunt. Idem *l.* IX. epist. XXIV. *ad Famil.* Pertinere ad beate vivendum arbitror, ut cum viris bonis, jucundis, amantibus tui vivas. Nihil est aptius vitæ, nihil ad beate vivendum accommodatius, nec id ad voluptatem refero; sed ad communicationem vitæ, atque victus, remissionemque animorum, quæ maxime efficitur sermone familiari, qui est in conviviis dulcissimus, ut sapientius nostri quam Græci illi συμπόσια, aut συνδειπνα, id est, *compotationes*, aut *concænationes*, nos convivia, quod tum maxime simul vivitur. Latinis item Epulum, visceratio, epulæ, jentaculum, prandium, merenda, cœna, comessatio. Græcis apud Pollucem,
A πότος, συσσιτία, συμποσία, σύνοδος ἡ ἐν οἴνῳ, θίασος, εἰλαπίνη, ἔρανος, ἑστίασις, ἄριστον, δεῖπνον, συνδειπνον, θοίνη, ξενισμὸς, Thucydidi ξένισις, quam vocem duriorem Pollux putat. δοχὴ *Geneseos* cap. XXVI. ὑποδοχὴ, ἑστίαμα, συνουσία Platoni in *Symposio*, εὐωχία ἀπὸ τοῦ εὖ ἔχειν, δαὶς, δαιτὺς, δαίτη, a δαίω, *divido*, quia partes cuique in convivio dividebantur, unde & δαιτυμὼν, δαιτυμονεὺς, *conviva*, δαιτρὸς *scissor*, vel μάγειρος *coquus*, δαιτοπόνος *pistor*, θαλία Polluci, ἀγάπη, apud veteres Christianos, Doribus αἶκλον, συναίκλεια, *convivia*, ἔπαικλα *secundæ mensæ* Athenæo *lib.* IV. & *lib.* XI. cap. XI. dicitur & συμβίωσις Luciano in *vitarum mercatu*, συμβιῶναι δεξιὸς
B καὶ συμπιεῖν ἱκανὸς, *in convictu elegans, & vini potor egregius.* Polemon existimat αἶκλον Laconibus dici *apophoreta*, quæ darentur convivis qui Phiditia egerant. Cæteri Græci αἶκλον *cœnam* vocant. Athenæo ἡβητήρια, κυλικεῖον, κώθων, κληθώριον, *pastus, convictus, sodalitas, conventus, congressus, cœtus*, τῶν θιασιωτῶν οἶκοι, φωλητήρια. *Curias* Romæ Dionysius Halicarn. vocat ἑστιατόρια, *Curiones* ἑστιάτορας, Livius, *Epulones*. *Phiditia* olim dicta ἀνδρεῖα, *virorum convivia*, quod fœminæ illis excluderentur. μάζωνας *convivia parum lauta*. Athen. *lib.* IV. ἐν τοῖς λεγομένοις μάζωσι. τοῦτο γὰρ ἔτι καὶ νῦν ἡ διονυσιακὴ σύνοδος ἔχει τοὔνομα. Nomen Mazonum hodieque cœtus Dionysiacus habet.

CAP. II.

DE TRIBUS CONVIVIORUM GENERIBUS.

VEteres Græci & Romani conveniebant aut ad cœnam rectam, aut ad nuptias, aut ad ἔρανον, seu collectam, & symbolam. Cœnam rectam intelligo eam quam Græci vocant εὐωχίαν, εἰλαπίνην, Latini prandium, aut epulum dapsile, convivium opiparum, sive publicum, sive privatum, visceratiomem. Eustathius *ad lib.* I. *Odyss.* οἱ παλαιοὶ συνῆλθον ἐπ' εὐωχίᾳ, ἤγουν εἰλαπίνῃ, ἐν γάμῳ, καὶ ἐράνῳ. Cœnam rectam Hesiodus vocat πολύξεινον δαῖτα, cœnam hospitibus, aut amicis refertam. Sueton. *l.* II. c. LXXIV. Augustus convivabatur assidue, nec unquam nisi recta, non sine magno ordinum, hominumque delectu. Cœnam rectam sustulit Nero, revocavit Domitianus. Symbolas conferebant Eranistæ, & symbolum, id est, annulum, vel quidvis aliud soliti dare loco arrhæ ei sodalium qui jubebatur cœnam parare. Quare lena conqueritur de filia apud Lucianum in *Dialog. Etær.* quod amanti annulum dederat quem deponeret pro symbola, cum nummis careret. … ἔχοντι συντεθεῖσθαι συμβολὴν, τὸν δακτύλιον δέδωκας. Lysias in orat. *de Aristophanis pecuniis*, ἔλαβε σύμβολον παρὰ βασιλέως φιάλης χρυσῆς, *accepit symbolum a Rege phialæ aureæ*, ubi symbolum pro arrha sumitur. Plautus in *Milite glor.* Ea causa miles hic reliquit symbolum, impressam in cera ex anulo suam imaginem, ut qui huc afferret ejus similem symbolam. Dicitur autem Eranon ἀπὸ τοῦ συνερᾶν, καὶ συμφέρειν ἕκαστον, quod Eranistæ inter se ament, & quisque conferat. Casaubonus συνερᾶν interpretatur *conferre, & conjicere*, quia ἐξερᾶν significat *ejicere*. Epidosima δεῖπνα fiunt cœnæ adjectitiæ ex iis quæ conferunt sodales ultra id quod tenebantur ex pacto, vel ex infelici jactu aleæ. Erat genus Erani cum non pecunias, sed suos quisque cibos in sporta in commune deferret. Dicitur τὸ ἀπὸ σπυρίδος δεῖπνον. Hesychius: ἀπὸ σπυρίδος δειπνεῖν, ἢ δειπνίζειν, τὸ ἀντὶ δείπνου ἀργύριον, ἢ μέρη ἐν σπυρίδι λαβεῖν, ἢ δοῦναι: *Est pro cœna argentum, aut partes in sporta accipere aut dare.* Demosthenes ἔρανον vocat συναγώγιον. & Menander ἐπλήρωσε τὸ συναγώγιον, implevit collectam, & cœtum. Homerus Θ. *Odyss.*

Πάρ δὲ τίθει κανεόν, καλήν τε τράπεζαν.
Apposuit sportulam, seu canistrum, & pulcram mensam.

Ubi Scholiastes: Ad eranon, & cœnas conveniebant Poetæ, sed nihil præter cantum conferebant Unde & dicuntur Poetæ ἄκαπνα θύειν, *sine fumo sacrificare*. Quia sumptu alieno cœnant, apud Athenæum *lib.* I. & opiparæ cœnæ signum est ignis, aut fumus. Scholiastes Aristophanis, τὸ πῦρ εὐωχίας σημεῖον, *ignis cœnæ signum*. Thiasi epulas Deorum, aut epulones ipsos significant, quasi σίασοι. σιοὶ, Doribus θεοί. σεῖος ἀνὴρ θεῖος, *vir divinus*. εἰλαπίνη dicta est a concoquendo cibo. λάπτειν enim τὴν τροφὴν ἐκπέττειν, *cibum concoquere*. Unde εἰλαπάχθαι, & Attice λελαπάχθαι. λάπτειν proprie est sonum edere, quem tuburcinatores edendo faciunt. Euochiam antiqui dici volunt ἀπὸ τῆς ὀχῆς, *ab alimento*. Melius omnino ἀπὸ τοῦ εὖ ἔχειν, quia pauperes, & vincti, & mastigiæ ὀχὴν & alimentum capiunt, quibus negatur εὐωχεῖσθαι. Athen. *l.* VIII. συμβολὴν dixit Terentius in *Phorm.* Act. II. Sc. I.

Tene asymbolum venire unctum, atque lautum e baineis.

Εἰλαπίνη dicitur ex eo, quod bibunt in turmis equitum, πίνουσι ἐν εἴλαις, ut Eustathio, vel ἀπὸ τοῦ λαφύττειν, *sine modo expendere*. θάλεια δαὶς, aut θαλία, *florens convivium*, a θάλλω, *germino*, vel ab

A ἀλίζεσθαι θεοῖς, *convenire in Deorum gratiam*, ut Eustath. ad *l.* IX. *Iliad.* Plutarch. *sympos.* IX. *quæst.* XIV. θαλιάζειν *convenire gratia compotandi hilariter*. περίδειπνα Athenæo cœnæ ferales, *lib.* VIII. ἡβητήρια, gymnasia, aut convivia puberum. Lib. X. cap. VII. φιλοίνια, φιλετικὰ, φιλίνια, aut φιλίτια, convivia ad amicitias augendas. *Lib.* V. cap. I. φρατρικὰ, δημοτικὰ, epulæ tribulium. ἄφιλα, ἄμικτα, epulæ, ad quas incondita multitudo vocatur. ὀργεωνικὰ in mysteriis, convivia, ad quæ θιασῶται vocantur. ἐρανισταὶ συνθιασῶται apud Athenæum *l.* VIII. cap. XII. Hesychio φωλητήρια, ubi thiasotæ conveniunt. Apud Athen. *l.* IV. c. IV. τιτθηνίδια nutrica-
B les epulæ, cum nutrices in templum Dianæ pueros deferunt. τυκτὰ Persarum apud Herodotum *lib.* IX. τέλειαι δαῖτες. Apud Athen. *l.* IV. c. VIII. αἶκλος vesperna Laconum, συναικλίαι, concœnationes, ἀπὸ τοῦ ἱκνεῖσθαι, ut Eustathio. Unde bellaria ἔπαικλα, ἐπιδορπίσματα, ἐπίδειπνα. Apud Athen. *l.* IV. c. IV. cœnæ κοπίδες, a κόπτω, quia capra immolatur. φύσκιλλος, panis in canistro vimineo. δαὶς dicitur a δαίω, *divido*, quia in epulo suæ cuique partes datæ. Homerus δαῖτα ἐΐσην vocat. Proverbium, μερὶς οὐ πνίγει, *Pars non strangulat.* μερὶς, οὐ πνὶξ, modeste edentibus. Apulejus *Miles.* IV. partes surreptas, &
C prægustatas portiones offerebat. Sueton. *de Calig.* cap. VIII. Equiti Romano avidius vescenti partes suas misit. Homerus *Odyss.* VIII. οἱ δ' ἤδη μοίρας τ' ἔνεμον, κερόωντό τ' οἶνον. Olim unus tantum missus fuit, unum ferculum, quod ex æquo in singulos convivas divideretur, postquam plura fercula illata sunt, ea dicta ἐπιφορήματα, ut scribit Dionysius Trypho. Ita *Genes.* XLIII. a Josepho partes fratribus datæ. & I. *Reg.* IX. a Samuele Sauli data pars optima. Cato Uticensis solitus erat de portionibus sortiri, quæcumque contingeret, si sors ipsum destituisset amicis, ut primas tolleret instantibus, parum id ajebat convenire invita Venere. Cœna autem re-
D cta dicitur ἐντελὲς δεῖπνον. Lucianus, καὶ ἅμα ἐκομίζετο τὸ ἐντελὲς ὀνομαζόμενον δεῖπνον, *Simul inferebatur perfectum prandium.* Martial. *l.* II. ep. XXXVII. perstringit convivam furacem:

Quidquid ponitur hinc & inde, verris,
Mammas suminis, imbricemque porci,
Communemque duobus attagenam;
Hæc cum condita sunt madente mappa,
Traduntur puero domum ferenda.

Eustathius, εἰλαπίνη θυσία, καὶ παρασκευὴ λαμπροτέρα παρὰ τὸ κατ' εἴλας πίνειν, *Eilapine sacrificium, &*
E *apparatus luculentior, quod gregatim biberent.* ὁμοῦ εἰλούμενοι πολλοὶ ἔπινον χαίροντος δειπνοκλήτορος, *ubi multi simul congregati bibebant læto convivatore.* γάμος fit ob nuptias. Eranus parcus fuit, & modestus, quia ἐρανισταὶ suum quisque comedebat, & symbolam conferebat. ἔρανος ἡ ἀπὸ κοινῆς συμβολῆς, ἤγουν καταβολῆς, καὶ δαπάνης πολλῶν τινῶν εὐωχία. *Eranus, cum multi in commune conferunt, ut simul epulentur.* Dicitur & prandium ex sportula. Tzetzes ad *lib.* II. *Hesiodi*, καταβόλια ὅταν κοινῶς εἰσφέροντες δαπάνην συμποσιάζουσι, *Catabolia, cum in commune conferentes sumptum epulantur.* Alia sportula fuit, quam instituit Nero rectæ cœnæ lo-
F co, apud Juvenal. sat. III. & Martialem,

Centum miselli jam valete quadrantes
Anteambulonis congiarium lassi.

Laert. in *Diogene cane* ait quemdam fuisse ἐρανάρχην. Cicero *lib.* II. *de Orat.* Symbolam, collectam vocat. Quoniam collectam a convivis exigis. In *Proverb.* cap. XXIII. Noli esse in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt, quia dantes symbolas consumentur. Eustathius, θίασος ἔρανος, παρὰ τὸ … θεῷ. coll… um pran-

dium. Terentius in *Andria* Act. I. Sc. I. *Cœnavit, symbolam dedit.* Plautus: *Paratæ sunt scapulis meis symbolæ.* Idem collativum ventrem vocat. Collectrix apud eundem, quæ religionis causa stipem colligit. Athen. *l.* VIII. ἔρανοι παρὰ τὸ συνερεῖν. εἰσαγωγαὶ ἀπὸ τῶν συμβαλλομένων. συναγώγιμον δεῖπνον ἐκ τῆς συμβολῆς. τὸ ἀπὸ σπυρίδος δεῖπνον ὅταν τις αὐτὸς αὑτῷ σκευάσας δεῖπνον, καὶ συνθεὶς εἰς σπυρίδα παρά τινα δειπνήσειν ἴῃ. Argivi τὴν συμβολὴν τὴν εἰς τὰ συμπόσια καλοῦσι χῶν, τὴν δὲ μερίδα αἶσαν. Terentius in *Eunucho* Act. IV. Sc. I.

Heri aliquot adolescentuli coiimus in Piræo,
In hunc diem, ut de symbolis essemus. Chæream ei rei
Præfecimus, dati annuli, locus, tempus constitutum est.

Quæ supererant, ex erano distribuebant. Æschines *in Ctesiphontem*, ὥσπερ ἐκ τῶν ἐράνων τὰ περιόντα νειμάμενοι ἀπέρχεσθε. Hesychius, εἰλαπίνη, θυσία, ἑορτὴ ἀπὸ τοῦ συνειλεῖσθαι εἰς αὐτὴν πίνοντας. Athen. *l.* VIII. τὰς θυσίας, καὶ τὰς λαμπροτέρας παρασκευὰς vocat εἰλαπίνας. Pollux *l.* I. πανθοινίαι, πανδαισίαι, *prandia*, vel *convivia publica*. Æstivam cœnam post assum vulgo ita interpretantur, ut si quid post assum inferatur, sit alienum, apud Tertullianum *l. de anima*. Putem ego cœnam æstivam levem fuisse, & humidioribus cibis constitisse. Plautus in *Menæchmis*: Æstive admodum viaticati sumus.

CAP. III.

DE JENTACULO, PRANDIO, CŒNA.

QUod hodieque fit, ut homines vulgo ter cibum capiant, mane, sub horam undecimam, & vespere; id jam olim factitatum esse docet Didymus *ad Odyss. l.* II. τρισὶ τροφαῖς οἱ παλαιοὶ ἐχρῶντο, καὶ τὴν μὲν πρώτην ἐκάλουν ἄριστον, ἣν ἐλάμβανον πρωΐας, σχεδὸν ἔτι σκοτίας οὔσης, ἀπὸ τοῦ προσφέρεσθαι ταύτην πρώτην τροφὴν, παρὰ τὸ ἄειρε ὠνομασμένης τῆς λέξεως, τὸ δεύτερον δεῖπνον μεθ' ὃ ἔδει πονεῖν, ὅ ἐστιν ἐνεργεῖν, &c. *Ter cibum Veteres die capiebant. Jentaculum primo sumitur, quod vocatur* ἄριστον, *& sumitur mane, cum adhuc pene tenebræ essent, dictum ab* ἄειρε. *Secundo sumitur prandium*, δεῖπνον, *quia eo sumpto laborandum*, δεῖ πονεῖν, *& ad exercitia militaria redeundum. Tertio* δόρπον, *cœnam Latini vocant, quasi* ἰαύερπον *ab* ἰαύειν, *dormire*, κοιμᾶσθαι, *quando imus dormitum, aut cubitum.* Ariston dici potest, quod eo sumpto ad præclarum aliquod opus procedunt, ait Didymus p. 15. & p. 40. ἄριστον τὸ πρώϊνον ἔμβρωμα jentaculum, matutinus cibus, δόρπον, vespere cœna, seu dorpon, τὸ ἐν τῇ ἑσπέρᾳ. δεῖπνον τὸ πρωϊνὸν, prandium mane ante meridiem. Dorpon παρὰ τὸ δόρυ παύειν, quod hasta quiescat, ἢ παύεσθαι τηνικαῦτα τοὺς πολεμοῦντας τοῦ δόρατος, aut ex eo, quod milites ab hasta tunc ferientur. Postea Ariston fuit, quod nobis hodie prandium est. Polyænus *l.* V. *Stratagem.* Telesinius Siculus, προσέταξε πρὸ ἡμέρας ἀριστήσαντας στρατιώτας ἡσυχάζειν. ἐπεὶ δὲ καιρὸς ἀρίστου παρῆν, καὶ τὸ εἰωθὸς ἐσήμηνεν. Jussit milites ante diem ortum pransos quiescere. Quum autem prandii tempus esset ex more signum dedit, & Athenienses imparatos oppressit. Ita & apud eumdem: Memnon sæpe milites in Parmenionem educens de die, & recedens, tandem cum hostes arma exuisse, & circa prandium occupatos esse sensisset, rursus apparuit, & vicit. Romani in jentaculo panem siccum sumebant, nec bibebant. Vopiscus de Tacito: *Panem nisi siccum nunquam comedit.* Panem gustare, panem comedere est jentare. Glossæ: Jentat βουκίζει, βουκισμὸς jentaculum. Seneca epist. LXXXIII. Non multum mihi ad balneum superest. Panis deinde siccus, & sine mensa prandium, post quod non sunt lavandæ manus. Augustinus: Nos in essedo panem, & palmulas gustavimus. Galenus *l.* II. ὑγιεινῶν. κατὰ τρίτην ὥραν ἤσθιεν ἄρτον μετὰ μέλιτος ἀττικοῦ. *Sub tertiam horam comedebat panem cum melle Attico.* Clemens *l.* II. c. II. *Pædag.* Xerophagiam vocat, cum panis solus sine vino comeditur. Martialis:

Mane veni potius, nam cur te quinta moratur,
Ut jentes, sero, Cæciliane, venis.

Quia venis ad prandium, non ad jentaculum. Festus: *Cœna olim, quod nunc est prandium; vesperna, quæ nunc est cœna.* Plutarch. *sympos.* VIII. Olim homines ἐργάται edebant panem ἐν ἀκράτῳ, mane in mero, καὶ μηδὲν ἄλλο, & nihil aliud, quod dictum Acratisma, & Ariston, & ἐνάλισμα. Homerus:

Ἀρτύνοντας ἄριστον ἅμ' ἠοῖ φαινομένηφι.
Jentaculum instruentes cum auroræ ortu.

Martialis *l.* XIV. epigr. ult.

Surgite, jam vendit, pueri, jentacula pistor.

Festus: Prandicula, jentacula. Scesnas dicebant cœnas, quæ nunc prandia. Pro scesnis vespernas. Scensas pro scesnis, Sabinum vocabulum. Silatum pro jentaculo, quia jejuni vinum sili sumebant. Suetonius in *Vitellio* c. XIII. Epulas trifariam semper, interdum quadrifariam dispertiebat; in jentacula, prandia, cœnas, & comissationes, quæ a comedendo dictæ, fiebant post cœnam. In *Domitiano* c. XXI. Livius *l.* XL. Seneca in *Suasor.* Ad prandium promisissem, ad cœnam renunciassem. Fuit & merenda, de qua Isidorus *l.* XX. *Origin.* c. II. Merenda est cibus, qui declinante die sumitur, quasi post meridiem edenda, & proxima cœnæ, unde & antecœnia a quibusdam vocantur. Alii putant merendam dari solitam iis, qui merebant ære, id est, mercenariis. Calpurnius in *Eclogis*:

Seræ cum venerit hora merendæ.

Dabatur mercenariis a domino, seu conductore, antequam labore mitterentur. Dio *de Vitellio*: οὐχ ὅλης τῆς ἡμέρας οἱ αὐτοὶ εἱστίων αὐτὸν, ἀλλὰ ἄλλοι μὲν ἀκρατίσασθαι παρεῖχον, ἄλλοι δ' ἀριστῆσαι, ἕτεροι τὸ δεῖπνον, ἕτεροι δὲ μετιδόρπιά τινα πλησμονῆς παραμύθια. *Eadem die non iidem Vitellium convivio excipiebant, sed alii jentaculum, alii prandium, quidam cœnam præbebant, nonnulli comissationem post cœnam, quæ repletionem solaretur.* Comissabantur post cœnam, quæ vox non a Græco κωμάζειν, ut voluit Lambinus, sed a comedendo facta. Cui sufficiebat Vitellius vomitandi consuetudine, ut ait Suetonius. *Edunt, ut vomant*, ait Seneca *Consolat. ad Helviam* c. IX. *vomunt, ut edant, ideo in balneum ibant.* Juvenalis Sat. I.

— *Et crudum pavonem in balnea portas.*

Seneca vocat alios jejunos vomitores. Cornelius Celsus, vomere luxuriæ causa damnosum prodit. Sed de comissationibus Livius *libr.* XL. Quin comissatum ad fratrem imus. Item: Convivam me tibi committere ausus non sum, comissatorem te cum armatis recipiam. Quintilianus: Hic est ille in pestilentia comissator. Comessari tamen potest idem significare, quod κωμάζειν, ut de iis accipiatur, qui de nocte per pagos, & vicos lasciviunt, & vagantur. Ita apud Q. Curtium comessabundus dicitur: Comessabundus Alexandri Magni exercitus. Seneca epist. LXXXIV. In comessationibus nostris plus cantorum est, quam in theatris olim spectatorum fuit. Trebellius in *Gallienis* prandium diei vult ab eo, quod milites ad bellum paret. Fulgentius Placiades: Jentaculum dicitur gustatio. Callimachus: Jentaculum proferre Jovi. Dicitur & gustus, edulium, prægustatio, comestio. Apulejus: Edulibus opipare excepta. Isidorus *lib.* XX. cap. II. Est autem cœna vespertinus cibus, quam Antiqui vespernam dicebant. In usu

enim non erant prandia. Salvianus *libr.* I. Romanos veteres semel tantum die, idque sub vesperam comedisse ait: cum viles, ac rusticos cibos ante ipsos, quibus exercebantur, focos sumerent, eosque ipsos non caperent nisi ad vesperam. Vet. Gloss. Merenda δειλή, γεῦμα, δεῖγμα dicitur, seu specimen. Seneca: Dedit nobis gustum, ad quem respondebit. Glossæ: Comissa, συμβολή. Commissatum, εἰς κῶμον. δόρπος ἐσπέρας... δείλινον ἔμβρωμα οὐ μὴν νυκτερινόν. *Dorpus cibus sub vesperam, sed non nocturnus*. Apud Athenæum Aristomenes: ἀκρατισάμενος μικρὸν, *jento parum*. Philemon ait, ὅτι τροφαῖς ἐχρῶντο οἱ παλαιοὶ ἀκρατισμῷ, seu ἀριστισμῷ, usi olim jentaculo, δεύτερον ἀρίστῳ, seu δορπιστῷ, prandio, τρίτον ἑσπερίσματι, tertio vespernæ, τέταρτον δείπνῳ, seu ἐπιδορπίδι, quarto cœna. De esperimate *Odyss.* P. σὺ δ' ἔρχεο δειελιήσας, *Tu vade, cum vespernam, seu merendam ceperis.* λέγεται δὲ δείελον ἐπὶ τὸ μεταξὺ τοῦ τε ἀρίστου καὶ δείπνου. δείελον dicitur, quia inter prandium fit, & cœnam. Eustathius, ἄριστον οἱονεὶ ἀρεως ἱσταμένου, ... *Ariston quasi Marte stante gustus bene habens si mane fit*. Apud Æschylum Palamedes ait,

—— σῖτον δ' εἰδέναι διώρισα,

Ἄριστα, δεῖπνα, δόρπα τ' αἱρεῖσθαι τρίτα.

Definiri tempus capiendo cibo, ut mane jentaculum, meridie prandium, vespere cœna, seu δόρπον sumeretur. Ut cœna dicitur, quia cum pluribus communicaretur, ita δόρπον dici puto non ab ..., ut vult Didymus, quod est *dormire*, sed a δρέπω, carpo, quod carptores carperent, & scinderent luculento apparatu carnes. Apud Lacedæmonios prandium mane sumebant, vespere cœnam. Seneca epist. LXXXIII. Leonidas ad Thermopylas Persis ingruentibus dixit: Commilitones, prandete, tamquam apud inferos cœnaturi. Alacres & ad prandium illi promiserunt, & ad cœnam. Athen. *l.* I. c. IV. ponit primo jentaculum, ἀκρατισμὸν, quod Glossæ vocant γαρισμὸν, a garo, & gustarium βυκισμὸν, a buccea panis sicci sine vino. Secundo ponit δορπιστὸν, prandium. Tertio merendam. Quarto ἐπιδορπίδα, cœnam, aut δόρπον. Apud Suetonium Vitellius c. XXII. addidit ante somnum comissationem de nocte. A jentaculo, quod ἄριστον dictum, Hippocrates edaces vocat ἀριστητάς. Jentaculum ἀπὸ τοῦ ἰέναι: *ab eundo prandiculum*, dictum ait Festus, de quo Homerus *Odyss.* ult.

Τὼ δ' αὖτ' ἐν κλισίῃ Ὀδυσσεὺς καὶ δῖος ὑφορβὸς
Ἐντύνοντ' ἄριστον ἅμ' ἠοῖ, κειαμένω πῦρ.

Ulysses, & divinus subulcus in tabernaculis parârunt sub ortum auroræ jentaculum, accendentes ignem. Antiphanes ἄριστον ἐν ὅσῳ ὁ μάγειρος ποιεῖ συναναρπάσαι πῶς ἔχεις μετ' ἐμοῦ. *Interim dum coquus prandium apparat, potes mecum in jentaculo meracum bibere*. Cantharus Poeta, οὐκοῦν ἀκρατισώμεθ' αὐτοῦ. μηδαμῶς ἐν Ἰσθμῷ γὰρ ἀριστήσομεν. *Igitur ibi jentemus. Neutiquam, quia in Isthmo prandebimus*. Apud Athen. *l.* I. ἀριστίσασθαι, ἀπονηστίσασθαι, *jentare*. ἀπονηστισμὸς est proprie jejunii continuatio, accipitur tamen pro jentaculo. Athen. δειλινῆσαι de quarto cibo, seu comissatione putat accipiendum. Circumferebantur cibi maxime in gustatione, & ab alio ad alium transferebantur, ut quisque caperet quantum vellet. συγγενικὸν ἄριστον, Regis Persarum prandium cognatorum, ad quod vocabantur Regis cognati interdum & alii. Heraclides ... circumferendis, λαμπτὸν σύμμετρος τροφὴν πρὸ τοῦ πίνειν, καὶ μάλιστα τὰς εἰθισμένας προπαρατίθεσθαι περιφοράς. *Capiendus est modicus cibus, antequam bibas, maxime autem id operam dare debes, ut cibi soliti circumferri in jentaculo tibi apponantur*. Gustationem intelligit, quæ constabat oleribus, & cibis salitis, λαχάνοις καὶ ταρίχαις. A σι. Plutarchus vocat λεπτὰ καὶ τομὰ, *tenuia, & sectilia*, quia tenuis alimenti sunt. Epictetus in *Enchiridio*, ἐν συμποσίῳ περιφερόμενόν γέγονέ τι κατὰ σέ, ἐκτείνας τὴν χεῖρα κοσμίως μετάλαβε, παρέρχεται μὴ κάτεχε. *In convivio si aliquid circumfertur tuo loco, extensa modeste manu cape, si præterit, ne retine*. Unde apparet, in jentaculo, prandio, & cœna moris fuisse, ut cibi circumferrentur, quos convivæ sumerent arbitratu suo. In jentaculo proponebatur ut plerumque salsamentum prope maceratum, & rite salitum, ut orexin excitaret, τάριχος τέλειος καὶ μὴ βρομώδης, maxime abyrtaca ex cardamis, quod Persicum genus acrimonia commendatur. B Promulsis est proprie gustatio. Cicero epist. CLXVII. *ad Pætum*: Neque est quod in promulside spei ponas aliquid, quam totam sustuli. Solebam enim antea delectari oleis, & lucanicis tuis. Postea promulsis dicta, tam vas, quam quod vase continetur, contra quam sentit vir eruditus. Prandium Trebellius in *Salonino* putat dictum a parando, & a cinctis initum, quia parati milites ad prælium esse debent. Isidor. *l.* XX. c. II ab apparatu edendi, alii a peredendo, quasi peredium. Nonnulli ab ἐνδίος, id est, *meridianus*, quia meridie sumitur, παρ' ἔνδιον, aut quia prandent, πρὶν ἐνδεεῖς γενέσθαι. Merenda vero, inquit Nonius, quia C post meridiem sumitur. Festus: Merenda prandium, quod medio die capitur. πρόπομα fuit potio ex melle, vinoque confectum longa insolatione, quod inter conditorum genera reponit Aetius in *Tetrabiblo* III. serm. III c. X. & XXX. Id ante prandium, & cœnam sumebatur. Erat promulsis Petronii delicata apud Athenæum *l.* II c. XXVIII. In cibos injiciunt πέπερι, σμύρναν, κύπειρον, μύρον Αἰγύπτιον, *Piper, myrrham, unguentum Ægyptium*. Festus: Silatum olim jentaculum dictum, quia sili herba condiebatur.

D

CAP. IV.

DE JENTACULO.

JEntaculum dicimus vocari ἀκράτισμα, quia mane ἀκράτῳ vino mero panem intingebant, ut Plutarch. *l.* VII. *Sympos.* c. VI. & Athen. *l.* I. c. IV. Theocriti Scholiastes ἀκρατισμὸν πρώϊμον ἔμβρωμα, ἀπονηστισμόν. Theocritus ἀκράτιστον vocat eum qui non jentarat. Latini jentationem vocant prandiculum. Scholiastes Homeri ἄριστον dici vult ab ἦρι, id est, *mane*, quia ἦρ *diluculum* significat, unde aurora E ἠεριγένεια. Eumæus apud Homerum ἅμ' ἠοῖ φαινομένηφι, *cum aurora apparente*. Alii ἄριστον, quia ἀόριστόν τι, hora edendi certa non est. Quidam ἀπὸ τοῦ ἄρεως, quia jentaculo sumpto ad prælium ibant. Nonnulli ἀπὸ τῶν ἀρῶν, quia vota & preces ante cibum faciebant. Alii quia primus mane cibus optimus, ab ἄρω *convento*, ideo dicitur γεῦμα *gustus*. Apulejus *Miles.* I. ad jentaculum ait dari panem cum caseo. Martialis *l.* XIII. epigr. XXX. prandium pro jentaculo posuit, de caseo Lunensi:

Caseus Hetruscæ signatus imagine Lunæ,
Præstabit pueris prandia mille tuis.

F Plutarcho πρόδειπνον merenda quæ apud Athen. ponitur inter ἄριστον & δεῖπνον, *prandium & cœnam*. Plutarch. *sympos.* VIII. c. V. Quidam δεῖπνον esse volunt πρώϊμον ἔμβρωμα, matutinum cibum, seu jentaculum. Xenoph. *l.* V. *Hellenic.* Agesilaum scribit cum festinandum esset semel tantum comedisse, & simul prandium ac cœnam sumpsisse, ἄριστον καὶ δεῖπνον ἅμα ποιεῖσθαι ποιησάμενος. Nonnulli dicunt δεῖπνον μεσημβρινὸν εἶναι βρῶμα, μεθ' ὃ δεῖ πονεῖν ἢ ὑπνεῖν, *deipnon esse meridianum cibum*

post quem aut laborandum est, aut dormiendum. Veteres enim meridiabantur, & diem diffindebant, ut hodieque Itali. Athenæus nocturna δεῖπνα commemorat. δόρπον Xenophon δορπιστὸν vocat, cœnam. Erotianus tempus vespertinum δορπίαν. Sed audiamus Plutarchum de prandio *l.* VIII. c. VI. *Symposiac.* τὸ δὲ ἄριστον ἐκλήθη πράνδιον ἀπὸ τῆς ὥρας, ἔνδιον γὰρ τὸ δειλινὸν, καὶ τὴν μετ' ἄριστον ἀνάπαυσιν ἐνδιάζειν, ἢ πρωϊνήν τινα τυμαίνοντες ἐδωδὴν, ἢ ξοφὴν, ἢ χρῶνται πρὶν ἐνδεεῖς γενέσθαι. *Ariston dictum prandium ab hora meridiana, quia* ἔνδιον *significat meridianum tempus, & meridiari seu per meridiem dormire,* ἐνδιάζειν, *an cibum matutinum voluerunt notare quo uterentur priusquam indigerent.* Plinius *l.* III. ep. v. de Plinio avunculo suo. Dormiebat (post meridianum cibum) minimum, mox quasi alio die studebat in cœnæ tempus. Festus jentaculum & prandium Veteribus idem fuisse ait. Jentaculo nomen factum esse volunt a jejunio, quod jejuni jentaculum sumerent, quod dictum *Silatum*. Festus: Silatum, inquit, antiqui pro eo quod nunc jentaculum dicimus appellabant, quia jejuni vinum sili conditum ante meridiem absorbebant. Festus merendam prandium esse ait, quod medio die daretur. Nonius merendam cibum qui daretur post meridiem. Apud Festum cœna Veteribus prandium fuit, vesperna erat quæ nunc cœna dicitur, quæ paulo fit liberalius in commune cum amicis, quia prandium erat parcum, & solitarium, ut Isidorus *l.* XX. c. II. Comissatio, de qua Suetonius in *Vitellio*, a comedendo dicta, fiebat post cœnam, seu vespernam de nocte. ἐπιδόρπισμα *comissatio.* ὄψον quia sero sumitur. ὀψὲ *tarde.*

CAP. V.

DE PRANDIO ROMANO.

SErvius *ad l.* IV. *Æneid.* veteribus Romanis in usu prandia fuisse negat, ut & Isidor. *l.* XX. c. II. Cassiodorus *ad Psalm.* XIV. Antiquis mos erat semel cibum sumere. Boethius *l.* II. *de consolat.*

Felix nimium prior ætas contenta fidelibus arvis,
Nec inerti perdita luxu, facili quæ sera solebat
Jejunia solvere glande.

Non dubito Veteres cibum sumpsisse, sive prandium, sive prandiculum vocare libet, priusquam in agros ad opus vel in forum exirent. Cœnabant autem vel hora undecima, vel certe nona, cœnamque in noctem producebant. Valerius *l.* II. c. I. Olim viris prandere, & cœnitare in propatulo verecundiæ non erat. Cic. *l.* III. *in Verrem.* Prandia & cœnas Verris commemorat. Macrob. *l.* II. *Saturn.* c. XIII. imperari cœpit ut patentibus januis pransitaretur & cœnitaretur. Horat. *Serm. l.* II. *sat.* III.

Luscinias soliti impenso prandere coemptas.

Plutarch. *l.* VIII. *Sympos.* c. VI. τὸ μὲν γὰρ δεῖπνόν φασι κοῖναν διὰ τὴν κοινωνίαν καλεῖσθαι. καθ' ἑαυτοὺς γὰρ ἀρίστων ἐπιεικῶς οἱ πάλαι Ῥωμαῖοι, συνδειπνοῦντες τοῖς φίλοις. *Ajunt deipnon, seu vespernam dictam cœnam, quia veteres Romani soli parce prandebant, sed largius cœnabant cum amicis.* Pomponius tamen Sabinus ait Veteribus ignota prandia, ut in *vita Gallieni* proditur. Seneca epist. CXXII. Quotidie sobrius prodis, sic cœnas, tanquam Ephemeridem patri approbaturus. Celsus *l.* I. c. III. Hyeme si prandet aliquis, utilius est exiguum aliquid, & ipsum siccum sine carne, sine potione sumere, æstate vero & potione, & cibo corpus lætius eget, ideo prandere quoque commodum est. δεῖπνον Plutarch. quia διαπαύει τῶν πόνων, *quietem affert a labore.* Alii δεῖπνον δεῖ πονεῖν, *laborandum est*, quidam δεῖ ὑπνεῖν, *oportet dormire*, sed δεῖπνον sumunt pro cœna, & vesperna.

CAP. VI.

DE CONVIVIORUM CAUSA.

VEteres mensam rem esse sacram existimarunt, cui Jupiter hospitalis, & amicus, ξένιος, φίλιος, & Hercules Trapezius, seu mensarius præessent. Homerus mensam γεραρὴν, & αἰδοίαν, *honoratam, & reverendam* vocat, Tacitus *l.* XIII. mensæ sacra. & *l.* XV. si sacra mensæ, diique hospitales cæde violarentur. Athenæus *l.* II. τὸ παλαιὸν οὐκ ἦν ἔθος οὔτ' οἶνον ἐπὶ πλεῖον, οὔτ' ἄλλην ἡδυπάθειαν προσφέρεσθαι μὴ θεῶν ἕνεκα τοῦτο (lego εἰ μὴ) δρῶντες. μετὰ τὸ θύειν μεθύειν. θοίνη quasi θεῶν οἶνος. *Olim moris non fuit neque vinum largius, neque aliam oblectationem proponi, nisi id Deorum causa fieret. Unde* μεθύειν *inebriari post sacrificium. Thœne, quasi vinum Deorum.* Idem *l.* V. πᾶσα συμποσίου συναγωγὴ, apud Veteres causam in Deum referebat, omnis convivii congregatio, παρὰ τοῖς ἀρχαίοις τὴν αἰτίαν εἰς θεὸν ἀνέφερε, & coronis utebantur, quæ cujusque Dei propriæ essent, & hymnis, & canticis, & nullus servus ministrabat, sed juvenes ingenui pocula porrigebant, καὶ στεφάνοις ἐχρῶντο τοῖς οἰκείοις τῶν θεῶν, καὶ ὕμνοις, καὶ ᾠδαῖς, καὶ δοῦλος οὐδεὶς ἦν διακονήσων, ἀλλ' οἱ νέοι τῶν ἐλευθέρων ᾠνοχόουν. Ovidius *l.* V. *Fastor.*

Ante focos olim scamnis considere longis
Mos erat, & mensæ credere adesse Deos.

Apud Pausaniam Asclepiades moderatum convivium Deorum conciliabulum esse ait. Eustathius *Odyss.* I. & IX. In Achaja erat Heros δειπνεὺς, δαίτης Trojæ, δαίτων, & κεράων Spartæ, εἰλαπιναστὴς, καὶ σπλαγχνοτόμος in Cypro. Pindarus, φίλαν τράπεζαν vocat mensam amicam, id est, φιλοποιόν. Seneca epist. XIX. Visceratio sine amico, vita leonis, ac lupi est. Plutarch. IV. *Sympos.* c. I. συμπόσιον, διαγωγὴν εἶναι ἐν οἴνῳ εἰς φιλίαν ὑπὸ χάριτος τελευτῶσαν, *Convivium oblectationem esse in vino, quæ desinit in gratiam, amicitiamque.* Lib. VII. meminit cujusdam Romani, qui cum solus aliquando cœnasset, eo die se non cœnasse, sed edisse tantum dixit, quasi cœna communicationem, & gratulationem dulcem, & suavem semper desideret, ὡς τοῦ δείπνου κοινωνίαν, καὶ φιλοφροσύνην ἐφηδύνουσαν ἀεὶ ποθοῦντος. Lib. II. cap. ult. consuetudinem illam ait partes in convivio cuique tribuendi illiberalem esse, & incivilem, ἀκοινώνητον, καὶ ἀνελεύθερον. Lib. VII. Sublata mensa, πῦρ ἑστιοῦχον, κρατῆρας, ὑποδοχὰς, ξενισμοὺς φιλανθρωπότατα, καὶ πρῶτα κοινωνήματα, *Ignem Vestæ, ac Diis Laribus sacrum, focum, crateras, amicas susceptiones, hospitii jus, humanitatem tolli* ait. Timocles apud Athenæum docet, convivii consuetudinem commodam esse vitæ nutricem, inediæ inimicam, amicitiæ custodem, ἰατρὸν ἐκλύτου βουλιμίας, *famis insatiabilis medicam.* Clemens Alexandrinus *l.* I. *Pædag.* δι' ἀγάπην γίγνεσθαι τὸ δεῖπνον, ἀλλ' οὐκ ἀγάπην εἶναι τὸ δεῖπνον, δεῖγμα δὲ εὐνοίας κοινωνικῆς, καὶ εὐμεταδιδότου. *Convivium fieri ob charitatem, sed tamen convivium non esse charitatem, sed documentum benevolentiæ, quæ se communicat.* Eustath. *ad l.* IX. *Odyss.* τράπεζαν vocat φιλοτήσιον, *mensam amicitiæ indicem.* Aristot *l.* I. *Politicor.* c. III Diversitas alimenti diversos mores facit. Cum igitur animalia quædam sint ζωοφάγα, *carnivora*, alia καρποφάγα, *fructivora*, nonnulla *omnivora*, παμφάγα, hinc fieri, ut alia sint ἀγελαῖα, *catervatim euntia*, quædam σποραδικὰ, *varie sparsa*, leones sunt monophagi, & solitarii. Lycophron apros μονήρεις, & solitarios vocat, qui tamen vulgo sunt ἀγελαῖοι, & catervarii. Veterum Christianor. ἀγάπαι post sanctam synaxim ad amicitiam validæ erant. Athenæus *l.* V.

ſcribit vinum habere ἑλκυστικόν τι πρὸς φιλίαν, *aliquid, quod ad amicitiam alliciat.* Ideoque inſtituta convivia publica, amoris teſtimonio, thiaſos, fratrica, orgeonica, & Carthaginenſium, Italorumque ſyſſitia, Cretenſium andria, Laconum fiditia, ſive filitia, de quibus Ariſtoteles *l.* I. *Politic.* Athenienſium ſinpoſia in Prytaneo Theſmophoriis, Panathenæis, feriæ Latinæ Romæ in monte Albano Romanorum chariſtia, & Germanorum, apud Tacitum *l. de moribus Germanor.* Plato *l.* I. & II. *de Legib.* leges ſympoticas tradit. Periclem monophagum fuiſſe ſcribit Athenæus *l.* I. qui ſemel tantum apud Euryptolemum, idque nuptiarum die comederit. Sanctus item Chryſoſtomus monophagus fuit, quod ei probro datum. Athenæus *l.* I. ſcribit Veteres ſolitos ſolos comedere, μονοφαγεῖν. Plutarchus VIII. *ſympoſ.* Veteres apud ſe ſoli καθ' ἑαυτοὺς pranſitarunt, cum amicis cœnitarunt. Monophagia vitio data. Antiphanes, μονοφαγεῖς ἤδη, καὶ βλάπτεις με. *Solus jam comedis, & me lædis.* Amicipſias, ἔῤῥ' ἐς κόρακας μονοφάγε, καὶ τοιχωρύχε. *Abi Morboniam, monophage, parietum effractor.* Ariſtophanes μονοφαγέστατον vocat hominem profundæ gulæ, qualis fuit Albinus Cæſar. Quidam ſunt ἀλλοτριοφάγοι, φιλόδειπνοι, ξενόδειπνοι, αὐτομόδειπνοι, δειπνομανεῖς, *Cœnarum aſſeclæ, catillones, paraſiti, aut qui ſemper in cauponis agunt, liguritores,* quos Philo ἀοίκους, ἀνεστίους vocat, *domo carentes, & foco.*

CAP. VII.

DE VARIIS CONVIVIIS.

Convivia fuere alia, Regia, dapſilia, quales Pontificum cœnæ, & adjiciales epulæ; alia parca, frugi, philoſophica. Apud Tacitum: Othone aſſumpto, Neronis libertus quidam epulum plebi obtulerat. Apud Suetonium c. XXXVIII. Julius Cæſar adjecit epulum, ac viſcerationem, & poſt Hiſpanienſem victoriam duo prandia. Nam cum prius parce, nec pro liberalitate ſua præbitum judicaret, quinto poſt die aliud largiſſimum præbuit. Lib. III. c. XX. prandium deinde populo mille menſis. Vide Plinium *l.* IX. c. LV. *l.* XIV. c. XV. Plutarch. in *Julio* ſcribit, epulum toti populo viginti duobus millibus tricliniorum datum fuiſſe. Sueton. *l.* II. Auguſtus Cæſar quibuſdam Senatoribus excuſantibus ſe, jus ſpectandi in orcheſtra, & epulandi publice ſervavit. Senatores epulabantur publice Jovis epulo, quam cœnam Seneca vocat Dialem, idque in Capitolio, item cœna triumphali, pontificali, augurali, apud Valerium Maximum *l.* II. c. I. *l.* IV. c. II. apud Gellium *l.* XII. c. VIII. Livium *l.* XXXVIII. In vet. Gloſſ. epulum διανομή, viſceratio, ἀρτόκρεας. Perſius *ſat.* VI.

—— oleum, artocreaſque popello.

Gloſſ. Epulatio εὐφρασία. Apud Suetonium *lib.* II. c. XCVIII. Auguſtus victoribus, & nautis Alexandrinæ navis epulum in conſpectu ſuo præbuit, permiſſa, immo exacta jocandi licentia, diripiendique pomorum, & obſoniorum, rerumque miſſilium. Virgilius VIII. *Æneid.*

—— gramineoque viros locat ipſe ſedili,
Præcipuumque thoro, & villoſi pelle leonis
Accipit Æneam, ſolioque invitat acerno.
Tum lecti juvenes certatim, aræque Sacerdos.
Viſcera toſta ferunt.

Lib. I. *Æneid.*

Dant famuli manibus lymphas, &c.

Livius *l.* XXIII. Ut ſacratis de menſis eſſemus. Lib XXIV. Volones, qui Hannonem vicere, publico convivio excepti ſunt a Beneventanis. Athen. *l.* IV. παρὰ τυῤῥηνοῖς δὶς τῆς ἡμέρας τράπεζαι πολυτελεῖς παρασκευάζονται, ἀνθιναί τε στρωμναὶ, καὶ ἐκπώματα ἀργυρᾶ, παντοδαπὰ, καὶ δούλων πλῆθος εὐπρεπῶν παρέστηκεν ἐσθήσεσι πολυτελέσι κεκοσμημένων, καὶ θεράπαιναι μέχρις ἂν αὐξηθῶσι γυμναὶ διακονοῦνται. *Apud Thyrrhenos bis die menſæ ſumptuoſæ, & lautæ præparantur, & floridi lecti, & pocula argentea omnis generis, & ſervorum multitudo pulcrorum adſtat, veſtibus magnificis, & ancillæ nudæ, donec grandiores ſint, miniſtrant.* Euſtathius: Sympoſia regia τῶν παρ' ὁμήρῳ βασιλέων τῶν ἑλληνικῶν, *Regum Græci ex ritus apud Homerum.* ὅτι ἐκ τῶν δημοσίων ἐγίγνοιτο συσσίτια κρητῶν, καὶ πυθαγορικὰ κατὰ δεκάδας. *Cretenſium ſyſſitia de publico fiebant, & Pythagorica convivia per decadas.* Vide Philonem *de vita Theoretica* p. 614. 615. Convivium Indiæ Regis deſcribit Philoſtratus *l.* II. *de vita Apollonii.* Spartianus *de Severo:* Cum rogatus ad cœnam Imperatoriam palliatus veniſſet, qui togatus venire debuerat, togam præſidiariam ipſius Imperatoris accepit. Sueton. in *Julio* c. XXVI. In funere filiæ ea, quæ ad epulum pertinebant, quamvis macellariis oblocata, etiam domeſticatim apparabat. Vitellii convivia idem c. XIII. Vitellius, & *l.* II. c. LXX. Cœna quoque ejus ſecretior in fabulis fuit, quæ vulgo δωδεκάθεος vocabatur, in qua Deorum, Dearumque habitu diſcubuiſſe convivas, & ipſum pro Apolline ornatum. Lampridius Heliogabali epulas narrat. Creticum convivium Athenæus *l.* IV. Diaconus *l.* XVI. Prandia Imperatoris, quæ ex more fiunt, in decem & novem accubitis ceſſare fecit Juſtinianus, & earum expenſas egenis tribuere. Accubitus, & Accubita ſunt ſigmata. Athenæus *l.* V. deſcribit convivium Antiochi, ubi carnes, coronæ convivis datæ. Vide apud Joſephum convivium Aſſueri *l.* XI. & *l.* XVIII. c. XI. Agrippa dedit epulum Caligulæ, quod Caligula æquare non potuit. Varro *l.* III. *de re ruſtica,* cœnam deſcribit, ubi puer quoties nova fercula adferebat, verſabat rotam, quæ pro menſa erat, cum aqua calida, & frigida, epitoniis verſis ad unumquemque actum, & periagogen, ſic affluat ad convivium. Hæc ab uno puero vertitur, ut omnia una ponantur, & ad bibendum, & ad edendum, & admoveantur ad omnes convivas. Athenæus *l.* I. affert eorum exempla, qui victores populo convivium dederunt. Vide elegantem convivii formam apud eumdem *l.* XI pag. 228. 229. Strabo p. 107. Luſitanorum δεῖπνον περιφόρητον vocat *prandium, quod circumferri poſſit.* De opiparis conviviis alio loco pluribus. Cœna ſplendida dicitur dapalis, dapſilis, dapſatica, opipara, luculenta, lauta, nitida, elegans, pollucibilis, centenaria, recta, uncta, epularis, ganeata, gliſcera, dubia, popularis, ebria, adipalis, regalis, cerealis, nocturna, pontificia, adjicialis, ſaliaris, auguralis, dialis, nuptialis, Medica, Perſica, Sicula, Syracuſana, Sybaritica, Italica, Gallica. Seneca *ad Helviam,* Caligula centies ſeſtertio cœnavit una die. Diodorus Siculus p. 530. Alexander Macedo, antequam in Perſidem moveret, σκηνὴν κατασκευασάμενος ἑκατοντάκλινον πρὸς εὐωχίαν, *Cum exſtruxiſſet tabernaculum, in quo lecti centum ad convivium.* Heſychius, ἀγκυρόβολα φοίνικες τὰ δεῖπνα, ἃ παρασκευάζον τοῖς τελώναις ἐκ τῶν λιμένων. *Ancyrobola Phœnices vocarunt prandia, quæ præparabant Publicanis ex lacubus.* Symmachus *l.* I. *Epiſt.* Quid ſi ego cœnas dapales, & ſaliare convivium, tum viſcerationes, atque epulum poſtulaſſem, tu mihi dediſſes menſas ſecundas, & ſcitamenta exiguæ lancis. Titinnius: Toto fit in foco mihi dapalis cœna. Libro *Eſther* c. I. In convivio Aſſueri κλῖναι χρυσαῖ, καὶ ἀργυραῖ ἐπὶ λιθοστρώτου σμαραγδίνου λίθου. *Lecti aurei, & argentei in pavimento ſtrato lapide ſmaragdino.*

CAP.

CAP. VIII.

DE CONVIVIIS PARCIS.

COEnas frugi, cœnas Deum Horatius vocat, & Dionysius Halicarnasseus lib. I. Martialis lib. XIV. ep. XIII.

Hæc tibi brumali gaudentia frigore rapa
Quæ damus, in cœlo Romulus esse solet.

Seneca in *ludo Claudii*, Rapa cibus Deorum. Secundo, Cœna Saturnia, parabilis, & frugi. Tertio, *δεῖπνον ἑκάτης*, de quo Aristophanes in *Pluto*, ubi Scholiastes κατὰ νουμηνίαν οἱ πλούσιοι ἔπεμπον δεῖπνον ἑσπέρας ὡς θυσίαν τῇ ἑκάτῃ ἐν ταῖς τριόδοις. οἱ δὲ πένητες ἥρπαζον. *Cœna Hecates, quam divites Kalendis cujusque mensis mittebant vespere, tanquam sacrificium Hecatæ ad trivia, ut diriperetur a pauperibus*. Quarto, Cœna Hecales, quæ Theseum excepit, de qua Julianus Augustus *epist. ad Jamblicum*. Quinto, Icci Medici Tarentini, vel luctatoris cœna, ut Ælianus lib. XI. *Variarum* ait. Eustathius, ἴκκον ἀπερίττως δειπνοῦντα. Sexto, Cœna Philosophica, apud Athenæum lib. V. initio. Septimo, Musica cœna, ut Damascius Syrus in *Historia de Philosophis*, τροφὴν μέσην, καὶ μουσικήν. Plutarchus *sympos.* VI. de Timotheo apud Platonem. Plautus in *Mostellaria*, Musice certe agetis ætatem, ita ut vos decet, vino, & victu, piscatu probo, atque electili vitam colitis. Octavo, Cœna Platonica. Nono, Cœna rustica. Horatio lib. II. Sat. V. Decimo, Cœna Laconica. Plutarchus in *Agi*. Undecimo, νηφάλιος θυσία ἄοινος, *canina*. Gellius lib. XIII. cap. ult. Si nihil vini est, fieri Cereri dicitur. Duodecimo, ἄκαπνος θυσία. Lucianus in *Erotes*. Plautus in *Rudente*, Sal cum aceto. Decimotertio, Cœna Cynica Petronio:

Ipsi, qui Cynica traducunt tempora cœna.

CAP. IX.

DE CONVIVIIS OPIPARIS.

MEnsas olim Regum ac Principum regio apparatu exstructas fuisse non dubitabit, qui apud Athenæum Ægyptias mensas Antiochi, & Ptolemæi, apud Macrobium Cleopatræ legerit. Saliares cœnas commendat Horatius, lib. I. ode XXXI.

—— Nunc Saliaribus
Ornare pulvinar Deorum
Tempus erat dapibus, sodales.

De cerealibus cœnis Plautus in *Menæchmis*,

Cereales cœnas dat, ita mensas exstruxit,
Tantas struices concinnat Patinarias.

Capitolinas Martialis deprædicat,

Non Albana mihi sit comessatio tanti,
Nec Capitolinæ, Pontificumque dapes.

Cœnas nuptiales Apulejus *Milesia* VI. Natalitias Plautus in *Persa*. Cicero II. *Philip.* Antonius dat natalitia in hortis. Siculas Horatius lib. III. od. I.

—— Non Siculæ dapes
Dulcem elaborarunt saporem.

Lucullus ex temporali cæna μυριάδες πέντε, *quinque scutatorum* præter propter millia insumpsit, narrante Plutarcho; cum Pompejus & Cicero imparatum, nec opinantem visissent. μυριάδας πέντε δραχμῶν intellige. Tertullian. lib. *de Pallio* ostendit cœnas exstrui solitas murænis, mulis, pavonibus, altilibus, gallinis, phasianis, gallinis Numidicis, linguis pretiosarum avium. Vedius Pollio, servos murænis invadendos objectabat, nova scilicet sævitia delectatus teneræ bestiæ edentulæ, & exunguis, & excornis. De piscibus placuit feras excogere utique statim coquendis, ut in visceribus, earum aliquid de servorum suorum corporibus, & ipse degustaret. Præcidam gulam qua Hortensius orator primus pavum cibi caussa potuit occidere, qua Aufidius lurco primus sagina corpora vitiavit, & coactis alimentis in adulterinum provexit saporem, qua Asinius Celer muli unius obsonium sex millibus HS. detulit, qua Æsopus histrio ex avibus ejusdem pretiositatis canoris, & loquacibus quibusque, sexcentum millium patinam confiscavit, filius ejus margarita vel ipso nomine pretiosa dehausit. Æsopo Tragœdo patina una XV. scutatorum millibus stetit, ut scribit Plinius lib. X. c. LI. Patina sexcentis sestertiis taxata, in qua posuit aves cantu aliquo, aut humano sermone vocales millibus VI. singulas coemptas. Idem lib. IX. cap. XXXV. B de unione illo Cleopatræ centies HS. id est, scutatorum CCL. millibus æstimato. Prior id fecerat Romæ in unionibus magnæ taxationis Clodius Tragœdi Æsopi filius, ut experiretur in gloria palati quid saperent margaritæ. Unionem quem ipse absorbuit decies HS. id est, XXV. scutatorum millibus æstimatum scribit Horatius lib. II. *Satyr.* II.

Filius Æsopi detractam ex aure Metellæ,
Scilicet ut decies solidum absorberet, aceto
Diluit insignem baccam.

Apud Senecam lib. *de consolat. ad Albinam* cap. X. Apicius HS. millies in culinam congessit, id est, ut hodie rationem putamus, duos milliones & D. au- C reos. Singula jentacula aut prandia, aut cœnas aut comessationes quæ Vitellio ab amicis darentur, quadringenis millibus constitisse scribit Suetonius, id est, XII. millibus scutatorum. Apud Plinium lib. XXXV. cap. XII. Patina Vitellii, quæ clypeus Minervæ Poliuchæ dicta, decies HS. fuit, id est, XXV. millibus aureorum nostratium constitit. Ea patina primo fictilis, deinde argentea facta, donec ab Hadriano conflata est. Caligula centies HS. cœnavit uno die, ut Seneca lib. *de consol. ad Albinam* cap. IX. id est, ducentis L. scutatorum millibus. Mulus unus quinque sestertiis a P. Octavio em- D ptus est, apud eundem epist. XCVI. id est, CXXV. aureis nostratibus. Asinius Celer VIII. millibus nummum, id est, CC. scutatis mulum mercatus est apud Plinium lib. IX. cap. XVII. Tres mulos XXX. millibus nummum vænisse, id est, scutatis MCCC. graviter Tiberius conquestus est apud Suetonium. Ætate Lucilii singula ostrea mille nummis empta. Lucillius: His itidem in cœna ostrea mille nummis empta. Persicis pomis singulis triceni nummi pretium fuere, id est, novem denarii apud Plinium lib. XV. cap. XII. Poma Romæ in sacra via auro contra vænibant. Varro vocat poma conditiva lib. I. *de re rust.* cap. LIX. asservabantur in oporothecis ru- E ri vel domi. Antonii expensæ in cœnam solitæ conferri, sola unionis a Cleopatra uxore consumpti, æstimatione superatæ sunt. Nam cum Antonius quicquid mari, aut terra, aut etiam cœlo gigneretur ad satiandam ingluviem suam natum existimans faucibus ac dentibus suis subderet, eaque re captus, de Romano Imperio facere vellet Ægyptium regnum, Cleopatra uxor quæ vinci ab Romanis nec luxuria dignaretur, sponsione provocavit insumere posse in unam cœnam HS. centies. Id Antonio mirum visum. Nec moratus sponsione contendit digna sculna Munatii Planci, qui tam honesti certaminis arbiter electus esset, ait Macro- F bius lib. III. cap. XVII. *Saturn.* Apud Gellium lib. XX. cap. XX. Sculna dicitur quasi seculna, id est, sequester, quod ejus fidem utraque pars quæ sponsiones fecisset sequeretur. Apud Athenæum lib. XIV. Cleopatra in Cicilia obviam facta Antonio regium convivium apparavit, in quo vasa omnia aurea, & gemmata fuerunt singulari artificio elaborata, purpureisque, & auro intextis aulæis tecti parietes, triclinia XII. lectis strata, &c. Quarta die rosas emit talento, & ad profundam altitudinem ster-

ni rosis pavimentum jussit. Ducibus Antonii singulis lectum in quo accubuerant, & pocula ut in mensas divisa fuerant dedit,& auferre domum permisit. Digressuris si qui antecederent dignitate lecticas cum lecticariis servis, plurimis equos argenteis phaleris ornatos, omnibus Æthiopicos pueros qui faces præferrent præbuit. Tertullianus lib. *de Pallio*, mensas, Ciceronianas, & lances pretiosissimas Sullanas notat. Vide Athenæum lib.IV. & V. in convivio Antiochi. Statius lib. IV. *Sylvar.* de cœna Domitiani,

Regia Sidoniæ convivia laudat Elissæ
Qui magnum Æneam Laurentibus intulit arvis,
Alcinoique dapes mansura carmine monstrat,
Æquore qui lento reducem consumpsit Ulyssem.
—— Mediis videor discumbere in astris
Cum Jove, & Iliaca porrectum sumere dextra
Immortale merum.
Hic cum Romuleos Proceres, trabeataque Cæsar
Agmina, mille simul jussit discumbere mensis,
Ipsa sinus accincta Ceres, Bacchusque laborant
Sufficere.

Cibi quidam fuere, quos Imperatores in deliciis habuerunt. Hadrianus inter cibos unice amabat tetrapharmacum, quod erat de phasiano, sumine, perna, & crustulo. In Ælio vero dicitur pentapharmacum, & quinque species nominantur, phasianus, pavo, perna, crustulata, & aprugna. Perna crustulata erat e perna, & crustulo. Apud Plinium, Censoriis legibus interdicta cœnis abdomina, glandia, testiculi, vulvæ, syncipitia verrina. Lib.VIII. cap.II. Apud Capitolinum Heliogabalus cœnas Apicii, & Vitellii vicit. Pisces ex vivariis suis bubus traxit. Dulciarios, & lactarios tales habuit, ut quæcumque coqui de diversis edulibus exhibuissent, vel structores, vel pomarii, illi modo de dulciariis, modo de lactariis exhiberent. De croco sigma stravit. Donavit omne argentum convivis, quod habuit in convivio, & omnem apparatum poculorum. Murænarum lactibus, & luporum in locis mediterraneis rusticos pavit; pisces semper cum marina aqua cum colore suo coctos conditura Veneta comedit. Apud Vopiscum, Carinus centum libras avium, centum piscium, mille diversæ carnis in convivio suo frequenter exhibuit, vini plurimum effudit. Antonius Geta prandia per singulas literas jussit scientibus servis, velut in quo erat anser, aprugna, anas, item pullus, perdix, pavus, porcellus, piscis, perna. Petronius in *Satyrico* Neronis convivium graphice pinxit. Tandem discubuimus, pueris Alexandrinis aquam in manus nivatam infundentibus, aliisque insequentibus ad pedes, ac paronychia cum ingenti subtilitate tollentibus. Allata est tum gustatio valde lauta. In promulsidario asellus erat Corinthius cum bisaccio positus, qui habebat olivas in altera parte albas, in altera nigras. Tegebant asellum duæ lances, & ponticuli etiam ferruminati sustinebant glires melle, & papavere sparsos. Fuerunt & tomacula supra craticulam ferventia argenteam posita, infra craticulam Syriaca pruna, cum granis Punici mali. Gustantibus adhuc nobis repositorium allatum est cum corbe, in qua gallina erat lignea, patentibus in orbem alis, quales esse solent quæ incumbunt ova. Accessere continuo duo servi, & symphonia strepenti scrutari paleam cœperunt, erutaque subinde pavonina ova divisere convivis. Hic nescio quid boni debet esse, persequutus putamen manu pinguissimam ficedulam inveni piperato vitello piperatam. Vide, si tanti est, quæ nos olim de conviviis Imperatorum scripsimus lib.II. *de Imperatore Romano*.

CAP. X.

DE VARIIS CŒNIS.

Recta cœna dicta dapsilis Suetonio in *Augusto* cap.LXX. Convivabatur assidue, nec unquam nisi recta. In *Vespasiano* cap. XIX. Convivabatur assidue, ac sæpius recte, ac dapsile. Seneca epist. CXXIII. Isti, qui recto vivunt. Epist. CXI. Vivere sine recto apparatu. Martialis lib VIII. epigr. L.

Promissa est nobis sportula, recta data est.

Quia olim clientes a patronis recta cœna excipiebantur, quæ fuit dapsilis, & luculenta, postea in locum rectæ cœnæ successit sportula, quum reliquiæ cœnæ sportula in culinam libertis, & servis alendis deferrentur. Denique loco sportulæ clientibus, & libertis dati centum quadrantes. Martialis.

Centum miselli jam valete quadrantes.

Idem lib II. epigr. LXIX. cœnam rectam commemorat. Domitianus sportulas publicas sustulit, revocata cœnarum rectarum consuetudine, ait Suetonius in *Domitiano* cap. VII. Cœnæ Seraphicæ meminit Tertullianus in *Apolog.*cap.XXXIX. Cœna adipalis dicitur Macrobio lib. III. *Saturnal.* cap. XIII. Cœna adventoria, seu adventicia dabatur amicis adventantibus, apud Suetonium in *Vitellio* cap. XIII. eaque fuit adipalis, & laura, de qua Plautus in *Trucul.* act.I.scena II. Cœna adjicialis, Pontificia, auguralis, adipalis eadem fuit apud Varronem lib. III. *de re rustica*, cap. VI. Plinium lib.XXIX.cap.XX.& XLI. Ciceronem lib.VIII.*Epist. ad Famil.* Horatium lib.II. Ode XIV.

Mero Pontificum potiore cœnis.

Cœnæ Apicianæ, Martiali lib. III. epigr. XXIII. Vitellianæ Suetonio. Centenariæ, in quibus centusses, id est, centum asses, expendebantur. Tertullianus in *Apolog.* cap. VI. Cereales cœnæ Plauto in *Menæch* act I scena I. Cœna dubia Terentio in *Phormione*. Ut tu dubites, quid sumas potissimum. Horatius lib.II. sat. II.

—— vides ut pallidus omnis
Cœna desurgat dubia?

Exequialis cœna, feralis, silicernium sine lucernis, δεῖπνον ἐκδημε. Novendialis cœna. Julius Obsequens lib. III. *de Prodigiis*. Cap. Valerio Maximo, & Herennio Coss. in sacro novendiali cœna posita. Cœna popularis Plauto in *Trinummo* act. II scena IV. Polluctum significat cœnam luculentam. Plautus in *Rudente*, sub finem:

Ni daturus nihil sum, neque sit quidquam pollucti domi.

Varro lib.IV. *de ling.Lat.* Pollucere a porriciendo. Cum enim ex mercibus libamenta porrecta sunt Herculi in ara tunc polluctum. Unde pollucibiliter cœnare. Vide Plutarchum *in Romaic.* Problem. XVII. Plinium lib. XXXII. cap. II. Livium lib. V. Macrob. lib. VII. cap. XII. Majores soliti decumam Herculi vovere, nec decem dies intermittere quin pollucerent populum, id est, viritim aliquid populo largirentur. Plautus in *Mostellaria* pollucibiliter dixit. Apud eundem ancilla negat se polluctam pago. In *Rudente*,

Non ego sum pollucta pago.

Catillones dicti qui ad polluctum Herculis ultimi cum venirent Catillos liguriebant, ut ait Macrobius lib.VII. *Saturn.* cap.XVI.

CAP XI.

DE CŒNIS PARCIS.

Cœnæ parcæ terrestres dictæ ex oleribus structæ Plauto in *Captivis*. δεῖπνον ἄναιμον, *sine*

ſanguine, *& carne*. Seneca epiſt.XVIII. Timonias cœnas vocat ἀπύρους, quia nihil igne coctum. Arcadicæ cœnæ apud Athenæum lib.IV.cap.VIII. εὐτελεῖς, *parcæ*; in qua μάζα tantum, & ſuilla. Romæ cœna pura eſt frugalis. Feſtus: In cœnis puris offa penita dicebatur offa porcina cum cauda. Apulejus ſub finem *ſui Aſclepii*, cœnam puram vocat ἀναίμακτον, ex herbis, & pomis. Ita & Philo Judæus lib. *de vita contemplat.* cœnas Judæis ait fuiſſe puras ab animantibus. Tertullianus lib. *in Marcionem* cap IV. Obſervatis cœnas puras, & dies magnos. Lib. *de pœnit.* cap.IX. Paſtum, & potum pura noſſe non ventris, ſed animæ cauſa. Xerophagias intelligit. Clemens lib.v. *Conſtitut.* c.XIX. & XXI. & Auguſtinus *tractatu* LXX. *in Joan.* Panis Judæorum erat azymus, ut ægre concoqueretur in ſtomacho. Caninum prandium Varro in *Menippea*, apud Gellium lib. XIII. cap. ult. ſine vino fuit, a quo abhorrent canes. Paulus Ægineta lib. VI. cap. II. ophthalmiam ait curari cœna canina. Apud Plautum, æſtive viaticari, & levi cibo defungi. Valde æſtive viaticati ſumus. Diphilus: δεῖπνον, ἀλλ᾽ οὐδ᾽ αἷμα ἔχει. Prandium ſine ſanguine. Horatius:

—— *ſine ſanguine cœnæ*.

CAP. XII.

DE MEDIOCRIBUS CONVIVIIS.

MEdiocria Convivia voco, quibus modus, vel lege, vel conſuetudine poſitus eſt. Athenæus lib. IV. negat moris fuiſſe in Græcia, ut convivii ſumptus talentum ſuperaret. Menander rem acu attigit:

Αὐλητρίδας, καὶ μύρον, καὶ ψαλτρίας
Ταύτας, τὸ Θάσιον, ἐγχέλεις, τυρὸν, μέλι,
Μικροῦ τάλαντον γίνεται κατὰ λόγον.
Tibicinas, & unguentum, & pſaltrias
Iſtas, vinum Thaſium, anguillas, caſeum, mel;
Si rationem ponas, talentum, aut paulo minus fiet.

Erant (opinor) olim homines valentiores, qui plurimum biberent, comederent. Hodie minus ad conficiendos cibos eſt virium. Vidi tamen in Italia militem hominem Gallum, qui cum domi viveret, paucis erat contentus, quum alieno ſumptu, perdicem, gallinam, lepuſculum, vitulum comederet, quadraginta vini cyathos ſine noxa biberet, & rebus gerendis ſupereſſet. Urticæ, & ſcandix, ἀκαλύφη, mendicorum erant, ἐλαῖαι oleæ pauperum. Plutarchus *de præceptis ſanit.* μὴ πρὸ φακῆς λοπάδα αὔξων ἀεὶ, μηδὲ πάντως ὑπερβαίνων τὴν καρδαμίδα καὶ ἐλαίαν ἐπὶ τὸ θρίον, καὶ τὸν ἰχθὺν, εἰς στάσιν ἐκ πλησμονῆς τὸ σῶμα καὶ ταραχὰς ἐμβάλλῃς καὶ διαρροίας. *Ne patinam ante lentem ſemper augeas, neve omnino naſturcium, & oleum ſupergreſſus, accedenſque ad Thrium edulium ex lacte, ſemidalide, & adipe ſuillo, in ſeditionem, fluxum, & turbas corpus ex nimia repletione injicias.* Chryſippus, μή ποτ᾽ ἐλαίας ἔσθιε, ἀκαλύφην ἔχων χειμῶνος ὥρᾳ, *Ne unquam olivam per hyemem comede, ſi urticam habes*. Conviviis Græcorum fœminæ ingenuæ ſæpe intererant. Athenæus lib. VIII. Nicocreontis uxor Cypri tyranni Biothea ingreſſa cum ancilla delicata in convivium, μετὰ παιδίσκης ἄβρας εἰσιοῦσα εἰς τὸν πότον. Cornelius tamen Nepos, & Cicero *in Verrem*, more Græco fœminas honeſtas ad epulum virorum veniſſe negant. Exiſtimem eos plus comedere, & minus ex cibo laborare, qui bibendæ aquæ inſuerint. Id hodie experimur in Hiſpanis, Luſitanis, Afris, Numidis, Perſis, & aliis gentibus, apud quas vulgo aquæ potus in uſu. In Germania, Flandria plus vini bibunt, minus cibis ſe onerant. Et revera vinum cibi voluptatem, & orexim imminuit. Senecæ Timonia cœna dicitur ſolitaria. Prandium paſſerinum Pomponio, λιτὸν δίζωον. Simplex cœna militaris. Vide Euſtathium *ad lib.* II. *Iliadis*, p.185. Cœna Horatii mediocerrima fuit, *Satyr.* VI. lib. I.

—— *domum me*
Ad porri, & ciceris refero, laganique catinum.
Cœna miniſtratur pueris tribus, & lapis albus
Pocula cum cyatho duo ſuſtinet. Aſtat echinus
Vilis cum patera guttus, campana ſupellex.

CAP. XII.

DE CONVIVIIS SORDIDIS, AUT LUCULENTIS.

SOrdidum convivium deſcribit Cicero *in Piſonem*, Toreuma nullum (in convivio Piſonis) maximi calices (quod non fuit hominis elegantis, & frugi) exſtructa menſa non conchyliis, aut piſcibus, ſed multa carne ſubrancida. Servi ſordidati miniſtrant, nonnulli etiam ſenes, idem coquus, idem atrienſis, piſtor domi nullus, nulla cella, panis, & vinum a propola, & de cupa. Græci ſtipati quaſi in lectulis. Ubi galli cantum audivit, avum ſuum revixiſſe putat, menſam tolli jubet. Theophraſtus in *charactere impudentis*, μικρολόγος ἀπαρχὴν ἐλάχιστον τῇ Ἀρτέμιδι τῶν συνδειπνούντων. ἀνελεύθερος φίλου ἔρανον συλλέγοντος προσειδόμενος ἀποκάμψας ἐκ τῆς ὁδοῦ οἴκαδε πορεύεσθαι. *Puſillanimis paulum aliquid pro primitiis convivarum dicat Dianæ. Illiberalis amico ſymbolam colligente ad prandium ſubodoratus ex via deflectens domum abit.* Athenæus lib. XII. Syrorum σύνδειπνα, convivia dicuntur γραμματεῖα, publica cœnacula. Ubi Syri accumbebant, & totum diem tibicine canente ad ſtrepitum hirundinis ſtridulæ tranſigebant, κατακλινόμενοι πρὸς χελιδόνος πολυκρότου ψόφον διημερεύειν. Lautum prandium commemorat Cicero v. *Tuſculana*. Dionyſius collocari juſſit hominem in aureo lecto, ſtrato pulcherrimo, textili, magnificis operibus picto, abacoſque complures ornavit argento, auroque cælato, tum ad menſam eximia forma pueros delectos juſſit conſiſtere, eoſque ad nutum illius intuentes diligenter miniſtrare. Aderant unguenta, coronæ, incendebantur odores, menſæ conquiſitiſſimis epulis exſtruebantur, &c. De eodem Horatius *Carm.* lib. III. od. I.

Diſtrictus enſis cui ſuper impia
Cervice pendet, non Siculæ dapes
Dulcem elaborarunt ſaporem.

CAP. XIV.

DE PUERORUM CŒNA.

PUeris fuere jentacula, prandia, merendæ, cœnæ, ſed ut & hodieque puellis noſtris plane æſtivæ, pane ſicco, lautioribus cum butyro, & melle, ſæpe ſine potu. Laconum pueris parca jentacula, niſi forte aliquid e penu ſumma narent, ut corpora levi, & frequenti cibo facilius adoleſcerent. Martialis lib. XIV. epigr. ult.

Surgite, jam vendit pueris jentacula piſtor.

De Chriſto Domino dictum: Butyrum, & mel comedet. Cruſtula pueris data, ut libentius aliquid condiſcerent. Certe mos Laconum, & Romanorum fuit, liberos ſuos etiam pueros menſæ ſocios adhibere, ſed in ſponda, vel in imo ſubſellio, ut exemplo patrum temperantiam diſcerent. Plutarchus in *Romaic.* c.XXXII. οὐκ ἐδείπνουν ἔξω χωρὶς τῶν υἱῶν ἔτι τὴν παιδικὴν ἡλικίαν ἐχόντων. Lycurgus, τοὺς παῖδας τοῖς φειδιτίοις εἰσήγαγε, *induxit pueros in Phiditia.* Quæ cœnæ virorum fuere. Romæ mos habebatur, Principum liberos cum cæteris idem ætatis nobilibus propria, & parciore menſa ſedentes veſci in aſpectu propinquorum, ait Tacitus l.XIII.

Neque Augustus cœnavit cum liberis, nisi in imo lecto assiderent, ait Suetonius l. II. c. XLIV. Claudius adhibebat omni cœnæ liberos suos cum pueris, puellulisque nobilibus, qui more veteri ad fulcra lectorum sedentes vescerentur, narrante Suetonio lib. v. cap. XXXII.

CAP. XV.

DE GRÆCORUM CONVIVIIS.

FEsta olim plura Græcis fuere, in quibus se genialiter exciperent, Phagesia, Phagepolia, quod comederent, & pollucibiliter biberent, ait Athenæus l. VII. Lageniforia dicta est a lagenoforia, in qua singuli quæ intulerint comedunt in accubitis, aut storeis accumbentes ex sua quisque lagena bibebat, *τὰ κομισθέντα ἕκαστοι δειπνοῦσι κατακλιθέντες ἐπὶ στιβάδων, καὶ ἐξ ἰδίας ἕκαστος λαγύνου πίνουσι*. Mutitatio Gellii dicitur *συμπεριφορὰ*, quum per vices se convivio excipiunt, Galli nostri dicunt, *Donner le bouquet*. *συμπεριφέρεσθαι ἀνέσεως ἕνεκεν, καὶ φιλολογίας*. *Mutitare, ut animum remittas, & gratis sermonibus pascas*. Pandæsia, mensa opipara, omne genus cibis referta, vel *ἡ πάσαις αἰσθήσεσιν ἡδονὴν παρέχουσα εὐωχία*. *Cœna, quæ sensibus omnibus voluptatem præbet*. Athenæus l. v. & XII. *φυλετικαὶ* item in Græcis epulæ, per tribus, ut olim *δημοτικὰ δεῖπνα*, *populares epulæ*. Athenis tribuum convivatores alii spontanei, alii sorte capti, *οἱ φυλῶν ἑστιάτορες ἄλλοι ἐθελονταί, ἄλλοι δὲ κληρωτοί*. Olim Romæ dabatur visceratio populo a viris nobilibus in gentilitio funere, vel ab iis, qui Herculi decumas pollucerent, vel ab editoribus ludorum, ut a Julio Cæsare, & a Caligula, vel a victoribus in triumphis, Thiasi & *ὀργεωνικὰ δεῖπνα*, *convivia in orgiis*. Propria erant collegiis ad peculiarem Dei alicujus cultum. Diogenistæ, Antipatri, Panætii dicti, qui stato anni die Diogenis, Antipatri, Panætii memoriam celebrabant. Diem Epicuro sacrum agitabant Icadistæ, non Epicurei. Athenis summus Prytanis cum suis collegis moderata, & urbi salutaria convivia quotidie agitabant, *συνεδειπνοῦσι [illegible] οἱ περὶ πρύτανιν σωφρονικὰ, καὶ σωτήρια τῆς πόλεως συνδεῖπνα*. *Θαλίαι* sunt convivia sacrorum caussa fieri solita. Ion, *θαλίαι ἀνάκτων*, *convivia castorum*.

CAP. XVI.

DE ALIIS GRÆCORUM CONVIVIIS.

ERant pene ubique gentium natalitia convivia, cum infans patri natus esset. Athenis etiam Amphidromia, de quibus Ephippus, Geryon,

—— *ἔπειτα πῶς;*
Οὐ στέφανος, οὐδ' εἷς ἐστι πρόσθε τῶν θυρῶν,
Οὐ κνῖσα, κρούει ῥινὸς ὑπεροχὰς ἄκρας,
Ἀμφιδρομίων ὄντων, ἐν οἷς νομίζεται
Ὀπτᾶν τε τυροῦ χερρονησίτου τόμους,
Ἕψειν τ' ἐλαίῳ ῥάφανον ἠγλαισμένην,
Πνίγειν τε παχέων ἀρνίων στηθύνια,
Τίλλειν τε φάττας, καὶ κίχλας ὁμοῦ σπίνοις,
Κοινῇ τε χναύειν τευθίσιν σηπίδια,
Πλεῖν τε πολλὰς πλεκτάνας ἐπιστρεφῶς,
Πίνειν τε πολλὰς κύλικας εὐζωροτέρας.
—— *Deinde quid hoc rei est?*
Ne una quidem corona est pro foribus,
Non nidor pulsat narium summum verticem,
Cum fiant Amphidromia, in quibus moris
Segmenta casei Chersonitæ torrere,
Et coquere cum oleo raphanum splendentem,
Et pectuscula agnorum pinguium suffocare,
Et vellicare palumbes, turdos, ac spinos,
Et deglutire communiter teuthidas cum sepiis,
Et densare multos cirros conversos,
Et bibere plures calices meraciores.

Etymologicum: Amphidromia festum erat Athenis, quo *ἐγκρύφιον ἄρτον ὀπτωμένου ἐπὶ τῆς ἑστίας ἐπιτρέχουσι. τὸ δὲ αὐτὸ ποιοῦσι καὶ μετὰ παρασκευῆς εἰς τὰ βρέφη, παρὰ τὴν ἑστίαν ἐπιφέροντες*. *Pane Encryphia tosto in foco, per domum discurrunt cum multo apparatu erga infantes, quos circa focum circumferunt*. Vide Hesychium. Jason Pheræus apud Polyænum l. VI. Quum sibi filius natus esset, & nomen indendum puero, Thessalos præcipuæ nobilitatis vocavit, & fratrem convivio præposuit, *παιδὸς γεννηθέντος αὐτῷ μέλλοντι ὄνομα τιθέναι, τοὺς ἀρίστους τῶν Θετταλῶν καλέσας, παρεκάλεσε τὸν ἀδελφὸν προστῆναι τῆς ὑποδοχῆς*. Athenienses Anthesteriis se splendide excipiebant. Anthesterionem vulgo Novembrem mensem esse volunt, *ἀπὸ τῆς στερήσεως ἀνθέων*, Philostratus vernum mensem, quo dolia aperiebantur, dicebaturque *πιθοιγία* undecimo die mensis, ut ait Plutarchus *Sympos.* III. Duodecimo die *χόες* erant, decimotertio Chytri, toto illo triduo pergræcabantur. Plutarchus *Sympos.* IX. scribit Chæronenses vinum novum non degustare solitos, nisi exacta hyeme mense Anthesterione Pythœgiis Dionysii festo, qui & *ἀγαθὸς Δαίμων*, *bonus Dæmon*. Proclus ad Hesiodum l. I. Pythœgiis *οὐτ' οἰκέτην, οὔτε μισθωτὸν εἴργειν τῆς ἀπολαύσεως τοῦ οἴνου θεμιτὸν ἦν, ἀλλὰ θύσαντας πᾶσι μεταδιδόναι τοῦ δώρου τοῦ Διονύσου*, *nefas fuit, servum, aut mercenarium prohibere potu vini, sed re divina facta omnibus Bacchi dona communicabantur*. Pueri trimi floribus coronati ad crateras statuebantur, ait Philostratus in *Aiace Telamonio*. Scholiastes Aristophanis *ad Acharnan.* monet per festum Choum, singulis convivis seorsim appositum choa, unde quisque biberet. Qui mos ortus sit a Pandione, cum Orestem matricidam epulo excepisset, ne contactu ejus macularentur. Vide Athenæum l. x. & XII. & VII. Eo festo præmium positum ei, qui plus aliis bibisset, ait Ælianus l. II. *Var.* c. XLI. Aristophanes *Acharnan.*

Ἀκούετε λεῴ· κατὰ τὰ πάτρια τοὺς χόας
Πίνειν ὑπὸ τῆς σάλπιγγος. ὃς δ' ἂν ἐκπίῃ
Πρώτιστος, ἀσκὸν Κτησιφῶντος λήψεται.
Audite populi, ait præco, more patrio congius
Ebibendus est ad tubæ sonum, quem qui primus
Ebiberit, Ctesiphontis utrem accipiet.

Cui insistens bibit, & corona ex foliis texta coronabitur, ut Scholiastes Aristophanis ibi, & Suidas in *Vocabulario*, *ἐν ταῖς χοαῖς*. Chytris vero ollam ponebant omni seminum genere refertam, qui ex diluvio evasissent, neque ex ea quicquam gustabant, ut Scholiastes Aristophanis ait. Pene ludis omnibus Athenis publice epulabantur, unde prima dies Apaturiorum dicta *δορπία*, & convivalis. Suidas in voce *Apaturia*, *οἱ φράτορες ὀψίας συνελθόντες εὐωχοῦντο*, *Tribules vespere conveniebant ad cœnam*. Sed & tribulibus nuptura epulum dabat. Harpocration, *τὴν γαμηλίαν τοῖς φράτορσι ἐπὶ γάμοις διδομένην*. Hesychius, *γαμηλία φορὰ εἰς γάμον, παρασκευὴ καὶ δεῖπνον ὃ τοῖς φράτορσι ἐποίει ὁ γαμῶν*. Dies, qua id factum, dicta Cureotis, *κουρεῶτις*. Fuit & apud Argivos celebritas, in qua publice epulabantur, Parthenius *Erotico* XIII. *καί τινος ἑορτῆς παρ' Ἀργείοις τελουμένης, ἐν ᾗ δημοσίᾳ πάντες εὐωχοῦνται*. Viri principes natalitiis suis epulum dabant. Plato in *Alcibiade* I scribit, nato filio Regi Persarum, qui hæres regni futurus sit, totam Asiam *θύειν, καὶ ἑορτάζειν*. Julianus in *Misopogone*, *ὁ γενέθλια μέν τις ἑστιῶν, ἱκανῶς παρασκευάζει δεῖπνον, καὶ ἄριστον, ἐπὶ πολυτελοῦς τραπέζης τοὺς φίλους παραλαμβάνων*. *Natalitia quis epulo celebrans abunde præparat jentaculum, & prandium, mensa lauta excipiens amicos*. *γενέσια*,

convivia fiebant in honorem mortui. γενέθλια in A honorem vivi, ut Ammonius lib. *de differ. voc.* Theodoret. lib. VII. θεραπευτ. Cum festis, & celebritatibus δημοθοινίας, & publicas epulas conjungit, de Diis loquens, τούτοις καὶ ἑορτὰς καὶ πανηγύρεις καὶ δημοθοινίας ἐπιτελεῖν. Pausanias in *Messeniacis*. Quum Lacones festum Dioscuris agerent, καὶ ἤδη πρὸς πότον καὶ παιδιὰς τετραμμένων, *& jam ad convivia, & lusum se converterent*. Apud Argivos Hecatombæa Junoni celebrata, quibus ἑκατὸν βοῦς θύονται τῇ θεᾷ, ait Scholiastes Pindari *ad Olymp.* VII. Nunquam ἐπινίκια, & victoriæ celebritatem sine visceratione agitabant. Polyænus lib. V. Carthaginensibus victis θύων ἐπινίκια, τοὺς ὑπόπτους ἐπὶ B τὴν ἑστίαν ἐκάλεσεν. ἣν μὲν δὴ μεγαλοπρεπὴς ἡ τῶν κληθέντων ἑστία. Demosthenes dixit, τὰ ἐπινίκια ἑστιᾶν, *victoriæ convivium celebrare*. Ermæa festa sacra Mercurio, quibus epulis, & libidini operabantur, quod Græcis exprobrat Diogenes Cynicus, ἔν τε γυμνασίοις ὅταν ᾖ τὰ καλούμενα ἕρμαια ἐσθίετε, πίνετε, μεθύετε, συνουσίας περαίνετε. In omnibus pervigiliis comessationes, epulæ, stupra, ut Diogenes Laertius in *Xenocrate*, & passim Comici. Cretæ per Hermæa domini ministrabant servis epulantibus, ut Athenæus lib. XIV. Sacrificia raro, aut nunquam celebrabantur sine epulo, ad quod victima- C rum carnes adhibebantur. Polyænus lib. II. ἔθυσεν εὐαγγέλια, διέπεμψε τοῖς φίλοις τὰς μερίδας ἀπὸ τῶν ἱερείων. *Ob faustum nuncium victimas cecidit, e quibus partes misit ad amicos*. Aristophanes *Equitibus*:

Επὶ συμφοραῖς ἀγαθαῖσιν ἐσηγγελμέναις
Εὐαγγέλια θύειν ἑκατὸν βοῦς τῇ θεῷ.

Centum boves cædere Deæ ob fausta nunciata. Xenophon lib. I. ἀναβ. Agesilaus ἔθυε τὰ εὐαγγέλια, καὶ τοῖς στρατιώταις παρήγγειλε δειπνοποιεῖσθαι. *Sacrificavit ob bonum nuncium, & milites jussit epulari*. Achilles Tatius lib. VI. ἦν δὲ τῆς ἀρτέμιδος ἱερομηνία, καὶ μεθυόντων πάντα μεστά· ὥστε καὶ δι' ὅλης νυκ- D τὸς τὴν ἀγορὰν ἅπασαν κατεῖχε πλῆθος ἀνθρώπων. Erat festum Dianæ Ephesiæ, & ebriis omnia plena. Quare in foro plerique pernoctarunt. Athenis Panathenæis minoribus equestri Lampadario, Gymnico, & Musico certaminibus victores epulum sodalibus suis exhibebant, ut Athenæus lib. IV. Phocus victor erat φιλοπότης, & bibax, Phocion pater ejus εἱστία τοὺς ἑταίρους, λαμπρὰ μὲν ἦν παρασκευή, καὶ τοῖς εἰσιοῦσι προσεφέροντο ποδονιπτῆρες οἴνου δι' ἀρωμάτων. *Epulo socios excipiebat, splendidus erat apparatus, & intrantibus offerebantur pelves vino aromatico plenæ lavandis pedibus*. Ad sa- E cra, quæ tum facta, omnes urbes Atticæ, & coloniæ boves mittebant. Ibi pocula usitata, magna illa, quæ congios binos, aut amplius caperent. Athenæus lib. XI. ἦσαν δὲ καὶ ὀνύχινοι σκύφοι, καὶ σπονδεῖς τούτων μέχρι δικοτύλων, καὶ παναθηναϊκὰ μέγιστα, τὰ μὲν δίχοα, τὰ δὲ καὶ μείζονα. Aristophanes in *Nubibus*:

Ηδη ζωμοῦ Παναθηναίοις ἐμπλησθείς,
Jusculo jam in Panathenæis repletus:

De Thargeliis Parthenius *Erotico* IX. τοῖς Μιλησίοις ἑορτὴ μετὰ τρίτην ἡμέραν Θαργήλια ἐποίει, ἐν ᾗ πολλὸν τε ἄκρατον εἰσφοροῦνται, καὶ τὰ πλεῖστα ἄξια καταναλίσκουσι. *Milesiis celebritas post tertiam diem* F *venit, in qua multo vino madent, & magnos sumptus faciunt*. Thermia festum Ætolorum fuit apud Thermos urbem Ætoliæ, ubi conventus, mercatum, festa, convivia, comitia celebrabant magnifico apparatu. Polybius lib. V. ἕκαστοι πρὸς τὰς ὑποδοχὰς, καὶ εἰς ταῦτα παρασκευὰς τὰ πολυτελέστατα τῶν ἐν τοῖς βίοις ὑπαρχόντων εἰς τοῦτον ἀπετίθεντο τὸν τόπον. Hilariis matris Deum, & ludis Apollinaribus, & Jovis epulo, & Saturnalibus, & hujusmodi festis diebus Alexander Severus genio indulgebat, apud Lampridium. Sed de his talibus plus justo diximus, ad institutum redeamus.

CAP. XVII.

DE LEGIBUS SUMPTUARIIS.

ROmani per initia frugi fuere, & parcimoniæ studiosi, quam legibus sanxerunt. Megalensibus Principes civitatis jurare soliti, cum mutitarent apud Consules, conceptis verbis, non amplius in singulas cœnas sumptus esse facturos, quam centenos, vicenosque æris, præter olus, & far, & vinum, neque vino alienigena, sed patrio usuros, apud Gellium lib. II. cap. XXIV. Prima lex sumptuaria Orchia, secunda Fannia centussis, ut Macrobius lib. I. *Saturnal.* cap. XVII. Tertullianus in *Apologet.* Leges sumptum comprimentes centum æra non amplius in cœnam subscribi jubebant. Ne quid volucrum præter unam gallinam, quæ non esset altilis, apponeretur, ut patentibus januis pransitaretur, & cœnitaretur, neve singulis diebus præterquam Saturnalibus, & Romanis, vel plebeiis ludis plures denis assibus impenderentur. Festus centenarias cœnas vocat. Plinius lib. X. cap. L. Athenæus lib. VI. sub finem. Tertia lex Didia, quarta Licinia, quinta Cornelia, sexta Lepidi, septima Antia. Vide Gellium lib. II. c. XXIV. Plinium lib. XIV. cap. XIV. lib. VIII. cap. XVII. Portunianus leges sumptuarias vocat valvifragas, valvipatas. Cicero lib. VII. *Epist. ad Gallum*: Lex sumptuaria, quæ λιτότητα attulit, mihi fraudi fuit. Nam dum volunt isti lauti terra nata, quæ lege excepta sunt, in honorem adducere, fungos, heluellos, herbas omnes ita condiunt, ut nihil esse possit suavius in cœna augurali. Lib. IX. *ad Familiar.* Domum si habebo, in denos, dies singulos sumptuariæ legis conferam. Valerius Maximus lib. II. cap. I. In publico viri maximi prandere, & cœnare soliti.

CAP. XVIII.

DE CONVIVIO INSTUENDO.

LAtini dixere convivari, convivium instruere, parare, exornare, cœnulas facere, instaurare epulas, prandium accurarier, convivium agitare. Ennius *Satyr.* lib. I. Magno hercle suo malo convivat sine modo. Epulari splendide. Homerus, δαῖτα τίνεσθαι, τεύχεσθαι, δόρπα ποιεῖσθαι, κοσμεῖν, ἐντύνεσθαι. Ut epulum instrueretur, opus erat obsonatoribus, macellariis, coquis, τραπεζοκόμοις, mensæ præfectis, architriclinis, structoribus, scissoribus, & aliis, de quibus infra agemus. Pollux dixit συναγαγεῖν συμπόσιον, *convocare convivium*, συστῆσαι, πληρῶσαι, συγκροτῆσαι, συναθροῖσαι, συγκαλέσαι, ποιεῖν δοχὴν, ἐπιτελεῖν ὑποδοχὴν, ἄριστον ἐπιχωρεύειν, *conflare prandium*, δαῖτα ἐφοπλίζειν. Publicæ epulæ dicuntur viscerationes, ἑστιάσεις, θαλεῖαι, πανδαισία, δημοθοινία, σιτήσεις, συνδεῖπνα, συσσίτια Laconum, φιλίτια, φειδίτια Cretum. Stratocles Atheniensis dedit κρεοδοσίαν, viscerationem, ob faustum nuncium. Romæ cum decumas Herculi Sylla polluceret, dedit viscerationem. Vet. Gloss. Visceratio, ἀρτόκρεας, εὐφρασία. Satyricus:

—— panem, artocreasque popello.

CAP. XIX.

DE CONVIVATORE.

QUalis debeat esse convivator, vide Varronem apud Gellium lib. XIII. cap. XI. Convivator Latinis dicitur dominus convivii, qui amicos, aut hospites convivio excipit. Græcis dicitur ὁ συνιστὰς συμπόσιον, *qui exstruit convivium*, ἑστιάτωρ,

qui dat epulum, *συμποσίȣ ἄρχων, συμποσιάρχης, ἑςιȣ̃χος*, qui domo, & menſa excipit, *οἰκοδέμων* apud Pollucem, vel forte *οἰκονέμων, ὁ τ̃ συνȣσίας ἡγεμὼν*, qui coegit cœtum, convivii dux, & auctor. Convivator ab Horatio lib. II. *Satyr.* VIII. dicitur parochus, & herus:

—— vertere pallor
Tum parochi faciem nil ſic metuentis, ut acres
Potores.
—— Sub hoc herus, hæc gravida, inquit,
Capta eſt.

Dicitur magiſter convivii, ibidem. Alius fuit architriclinus, alius Modimperator, ſeu Rex convivii, ut infra oſtendemus. Alius convivator, & ſympoſiarchus, conditor convivii, inſtructor, qui ſæpe convivis leges dicebat, niſi Modimperator has ſibi partes ſumpſiſſet.

CAP. XX.

DE LEGIBUS, AUT SERMONIBUS CONVIVALIBUS.

PLato l. I. & II. *de Legibus*, ut & Ariſtoteles ſcripſit quaſdam leges convivales. Athenæus l. V. *συμποτικοί τινες νόμοι ἦσαν τȣ̃ ἀριςοτέλȣς.* Modimperator quas vellet leges, in convivio præſcribebat. Horatio *Satyr.* VIII l. II. Sympoſiarchus dicitur magiſter convivii, qui Ciceroni eſt, *orat poſt reditum*, dominus, & conditor convivii, inſtructor, & dominus epuli. *συμποσιαρχία*, magiſterium, Acroni, *ἀρχιποσία, ἑςιάτωρ, ἑςιȣ̃χος*. Athenæo l. X. c. VII. *οἰνόπτης*, magiſtratus Athenis, qui ea inſpiceret, quæ fiebant in conviviis. Idem dicitur *ὀφθαλμὸς, oculus.* Magiſtri convivii eſt præpoſitura, & poteſtas, *ἐπιςασία περὶ τὰ συμπόσια, ἐ διακόσμησις*, ut loquitur Plutarchus in *Ageſilao*. Idem vocat *λόγȣς συμποσιακȣ̀ς, ſermones convivales*, quos Athenæus l. I. *ἐπικυλικείȣς λόγȣς*. Pollux l. VI. c. XVIII. *ζητήματα κυλίκεια*. Theodectes *μνημόνια*, quaſi ſermones memoriæ commendandos. Plutarchus in *Cæſare*, *ἐπὶ κύλικι ζητήσεις, quæſtiones inter vina* Laertius in *Arceſilao*, *ἐπικυλικείας ἐξηγήσεις*. Clemens Alexandrinus l. II. c. I. *Pædagogi*, arguit eos, qui convivia vocant *ἀγάπας. ἀγάπlω τινὲς τολμῶσι καλεῖν δειπνάρια τινα, κνίσσης κ̀ ζωμῶν ἀποπνέοντα*. Idem vocat *δοχὰς, κ̀ ἑςιάσεις*.

CAP. XXI.

DE CONVIVIS.

COnvivæ apud Ariſtotelem in *Legibus*, Charondæ vocantur *ὁμοσίπυοι*. Epimenides Cretenſis vocat *ὁμακάπȣς*, Pythagoras *κοινοβίȣς*. Pollux *ξυμπότας. ὁμοσιπύȣς*, quaſi ex una arca panaria victitantes. *ὁμοσίτȣς, συσσίτȣς, ὁμοτραπέζȣς, συνȣσιαςὰς, θιασιωτὰς, θυσίτας, εἰλαπιναςὰς, ἐρανιςὰς, κλητȣ̀ς, ἐπικλήτȣς, συγκλίτας, παρακλίτας, ἀνακειμένȣς, τραπεζεῖς, συμβιωτὰς, συντρόφȣς, διαιτητὰς, συνεςίȣς, ὁμοδορπίȣς, δαιταλεῖς, θοινήτορας, εὐωχήτας, ὁμοποτῆρας, ὁμοχοίνικας, ὁμοδιαίτȣς, ἐν οἴνῳ ὄντας*, Conviviones, compotores, conſeſſores, epulones, epulares Plauto, epuloni, ſodales, contubernales, ſimpulones, ſimpulatores, concœnæ, *σύνδειπνοι*. Horum alii vocati fuere, alii invocati, muſcæ, umbræ, copriæ, paraſiti. *ἄκλητοι, ἀσύμβολοι. πρακλίτης ὁ τ̃ ἑςιάσεως πρωτοςάτης*, convivarum honoratiſſimus.

CAP. XXII.

DE NUMERO CONVIVARUM.

VArro apud Gellium l. XIII. c. XI. Convivium ex rebus quatuor conſtat. Si belli homunculi collecti ſunt, ſi locus lectus, tempus lectum, apparatus non neglectus, qui ſit *βιωφελής*. Idem apud Macrobium l. I. *Saturnal.* c. VII. Numerus convivarum ne ſit minor, quam Gratiarum; ne major, quam Muſarum. Lib. II. cap. XIII. Lege Orchia præſcriptus numerus convivarum. Suaſit eam legem Cato, ut docet Feſtus in voce *Obſonitavere*. Auſonius in *Ephemeride*:

Quinque advocavi, ſex enim convivium
Cum Rege juſtum, ſi ſuper, convicium.

Capitolinus in *Vero* ſcribit, eum primum fuiſſe, in cujus convivio duodecim accubuerint, cum vetus verbum eſſet: Septem convivium, novem convicium. Apud Suetonium tamen in *Auguſto*, *δωδεκάθεος* cœna fuit in fabulis, in qua duodecim convivæ, duodecim Deorum nomine, & ſpecie. Apud Macrobium in *Pontificiæ cœnæ deſcriptione*, in duobus tricliniis decem tantum convivæ nominantur.

CAP. XXIII.

DE HORA PRANDII.

NOn fuit omnibus olim gentibus eadem hora prandii. Olim Romæ ſero veſpere ab agris redeuntes, cœnam, quod idem prandium fuit, capiebant. Ætate Ciceronis ſub horam nonam, aut decimam: ætate Auſonii ſub horam quintam, ut & nos hodieque Pollux l. VI. c. VII. *τῇ σκιᾷ δὲ ἐτεκμαίροντο τ̃ καιρὸν τ̃ ἐπὶ τὸ δεῖπνον ὁδȣ̃, lὼ κ̀ ςοιχεῖον ἐκάλȣν, κ̀ ἔδει απένδειν, εἰ δεκάπȣν, τὸ ςοιχεῖον εἴη*. *Umbra vero ſignabant tempus ad cœnam eundi quam* ςοιχεῖον *vocabant, & libandum erat, ſi decem pedum eſſet* ςοιχεῖον. Hora jentaculi fuit tertia, aut quarta. Galenus de Telepho Grammatico, *ἐν αἷς δ' ἡμέραις ȣ̓κ ἐλȣ́ετο, περὶ τρίτlω ὥραν ἠλείφετο μετ̀ βραχείας ἀνατρίψεως, εἶτα χόνδρον ἡψημένον ἐν ὕδατι μέλι μιγνὺς ὠμὸν ὅτι κάλλιςον ἤσθιε, κ̀ τȣ̃το ἤρκει μόνον αὐτῷ τlὼ γε πρώτlω· ἀρίςα δὲ κ̀ ȣ̓́τως ἑβδόμης ὥρας ἢ βραχύ τι θᾶττον*. *Quibus diebus non lavabatur, tertia hora ungebatur, & leviter terebatur, tergebaturque, deinde poſtea alicam in aqua coctam crudo melle pulcherrimo admiſto edebat, quod ei tum ſatis erat. Ita & prandebat hora ſeptima, aut aliquanto citius.* Prandium pane ſicco, & ſine menſa, hora nona peragebatur, ait Seneca, largius cœnabant. Recentiores Græci prandium *γεῦμα* vocarunt. Ita enim Nicetas: Euſtathius, *δῆλον δὲ κ̀ ὅτι δεῖπνον μὲν οἱ πολλοὶ τὸ πρώϊνόν φασιν ἔμβρωμα μεθ' ὃ πόνȣ δεῖ. ἄριςον δὲ τὸ κοινῶς λεγόμενον γεῦμα, ȣ̓ παρὰ τ̃ ἄρlω, ἀλλὰ παρὰ τὸ ἀρίςως ἔχειν κατ' ἐξοχlὼ. δόρπον δὲ ȣ̓δεὶς ὃς ἀμφέβαλε μὴ ἀπονενεμᾶσθαι τῇ ἑσπέρᾳ.* *Clarum eſt vulgo deipnon dici matutinum cibum, quo ſumpto ad laborem itur. Ariſton quod vulgo vocatur guſtatio non dicitur a Marte, ſed quod optime habeat per excellentiam. Dorpon nemo dubitat tribui veſperæ.* Deipnon igitur matutinus cibus, guſtatio meridianus, dorpon cœna. Græci hodieque *πρόγευμα* jentaculum vocant, *γεῦμα* meridianum prandium. *διωνηςισμὸς* jentaculum. Heſychius *ἀπονηςίσασθαι ἐπὶ βρῶσιν ἐλθεῖν* jentare. Gloſſæ *ἐνάγισμα*, vel *ἐνάλισμα* jentaculum. *ἐνάγισμα* proprie libamentum Diis Manibus. Igitur jentaculum ſumi ſolitum olim ſub horam tertiam, prandium ſub nonam. Martialis,

Imperat exſtructo frangere nona toros.
Nunciat octavam Phariæ ſua turba juvencæ.
Temperat hæc thermas. Nimios prior hora vapores
Halat.

Octava balneas petebant, nona prandebant. Sene

ca epist. CXXIII. Octavam prohibent. Juvenalis, A

Exul ab octava Marius bibit.

Veteres Romani olim non nisi sub vesperam ab opere rustico redeuntes comederunt. Athenæus lib. IV. scribit Judæos ante ortum stellæ non comedisse. ὥσπερ νηστείαν ἄγοντας καὶ περιμένοντας τὸ ἀνατεῖλον ἄστρον, οὗ φασι μὴ φανέντος οἱ τὴν χρηστὴν ταύτην φιλοσοφίαν ἔχοντες νόμιμον εἶναι μηδενὸς γεύεσθαι. Hieronym. l. II. *in Jovin.* Petrus Apostolus non exspectans stellam more Judaico, sed hora sexta in solarium pransurus ascendit. Stellam Vesperuginem intelligit. Idem l. VII. ait utilius esse noctu cœnare, quam interdiu, quia Lunæ sydus concoctioni aptius sit, quod vim habeat putrefaciendi, κατὰ γὰρ σῆψις ἡ πέψις. B Alia tamen est σῆψις putrefactio, alia coctio, quia putrefactio, & putrefactum περίττωμα τοῦ πεφθέντος, est excrementum cocti, ut Aristot IV. *Meteor.* Gloss. temporius ἐνωρότερον. Athenæus l. IV. Cleomenes Rex Spartæ cum multi legati ad se venirent οὐδέ ποτε ἐνωρίτερον τοῦ κατειθισμένου συνῆγε καιροῦ, id est, μᾶλλον ἐν ὥρᾳ. Theocritus *Idyl.* XXII. δειπνεῦντες ἐν ὥρᾳ, mature, ut Cicero *in Verrem*, mature veniunt, discumbitur. Aristophan. in *Concion.* τοσοῦτον χρῆμα ὄχλου οὕτως ἐν ὥρᾳ ξυνελέγει. Hirtius *de bello Hispan.* ipse de tempore cœnavit. Plautus in *Captivis*, venias tempori. Ausonii C ætate, ut hodieque sub quintam prandebatur. Ausonius in *Ephemeride*,

Sosia prandendum est, quartam jam totus in horam
Sol calet, ad quintam flectitur hora notam.

Item, quod cum per horas quatuor inclinet ad meridiem. Sidonius lib. II. epist. IX. Ecce & ab archimagiro adventans, qui tempus instare curandi corpora moneret, quem quidem nuntium per spatia clepsydræ horarum momenta servantem probabat competenter ingressum quinta digrediens. Festus: Merendam antiqui dicebant pro prandio, quod scilicet medio die caperetur. Isidorus l. XX. c. II. Meridiare. D Græci cum ad prandium invitarent umbræ modum definiebant, cum esset XII. pedum aut XI. aut X. Scholiastes Aristophanis in *Concionantibus*. τὸ παλαιὸν καλοῦντες ἐπὶ δεῖπνον παρεσημαίνοντο τὴν σκιάν, καὶ ἕως οἱ μὲν ἔμενον τοὺς κληθέντας, οἱ δὲ ἀπήεσαν ἐπὶ τὰς ἑστιάσεις. Aristophanes, σοὶ δὲ μελήσει ὅταν ᾖ δεκάπουν στοιχεῖον λιπαρῶς χωρεῖν ἐπὶ δεῖπνον. Pollux, τῇ σκιᾷ δὲ ἐτεκμαίροντο τὸν καιρὸν τὸν ἐπὶ τὸ δεῖπνον ὁδοῦ, ἣν καὶ στοιχεῖον ἐκάλουν. Signabant tempus itineris ad prandium per umbram, quam & elementum vocabant, seu Stœcheon. καὶ ἔδει σπένδειν εἰ δεκάπουν τὸ στοιχεῖον εἴη, *oportuit libare si elementum decem pedum esset*. E Plinius in *Panegyrico Trajani*: *Num ante medium diem distentus solitaria cœna spectator, annotatorque convivis tuis immines?* Domitianus ante meridiem cibis se explebat, ut eos annotaret, quos ad prandium vocarat, cum interim cibis abstinens appositis comedentes spectaret. Procopius II. lib. *de bello Persico*, scribit Persas cibum capere vesperi, Romanos milites circa meridiem. Gellius l. XVII. c. VIII. Athenis vespera tempus est cœnæ. Hesychius δωδεκάδος supple στοιχείου, ἢ σκιᾶς. οὕτω γὰρ συνετίθετο ἐπὶ δεῖπνον ἥξειν ὡς νῦν πρὸς ὥρας φασί. Idem, δεκάπουν στοιχεῖον, οἱ ἐπὶ δεῖπνον κληθέντες τὰς ὥρας οὕτως ἐξελάμβανον πρὸς τὴν σκιὰν ἀναμετροῦντες. F Vide Hesychium. Obtinuit hoc cum sol luceret. Sed si nube conditus lateret, quid facto opus. Qui tempori prandio non aderant dicti κωλυσίδειπνοι, καὶ ζοφοδορπίδαι. Plutarchus l. VIII. *Sympos.* quæst. VII. in eos jacitur hæc parœmia, ὅστις ἐπὶ δεῖπνον ὀψὲ κληθεὶς ἔρχεται ἢ χωλός ἐστι, ἢ οὐ δίδωσι συμβολάς. *Qui vocatus ad convivium tarde venit, aut claudus est, aut non vult dare symbolam.* Quod hora fuit Latinis, hoc in gnomone sciોterico fuit στοιχεῖον, καὶ σημεῖον.

CAP. XXIV.

DE CONVIVIIS TEMPESTIVIS, ET INTEMPESTIVIS.

Convivia alia fuere tempestiva, alia intempestiva, ut Lipsius putat. Tempestiva, quæ ante tempus inciperent, per festos maxime dies, cum plerique summo mane lavarent, & toto die helluarentur, aut etiam cœnam in multam noctem protraherent. Cicero *de Senectute*, Catonem dicentem inducit: *Ego propter sermonis delectationem tempestivis conviviis delector.* Convivium ad multam noctem quam maxime possumus, vario sermone producimus. Idem II. *in Catilinam*, Antelucanas cœnas vocat. Seneca l. II. *de Ira*, Tempestiva filii convivia pater deterior arguit. Suetonius *de Domitiano*: *Lavabat de die, & convivabatur frequenter, ac large, sed non ultra Solis occasum.* Q. Curtius lib. V. De die convivia inire. Salmasius vir doctissimus negat ulla unquam fuisse intempestiva convivia, aut ita dici potuisse. Contra putarim commode dici potuisse intempestiva, quæ de nocte fierent; quemadmodum tempestiva, quæ de die, & ad noctem usque, non ultra, producerentur, quia non suo tempori fierent. Deinde durum est interpolare veteres Auctores, qui intempestiva convivia commemorant. Certe tempestiva dici non potuerunt, quæ post decimam horam, aut undecimam inciperent, & totam noctem ad initium sequentis diei extraherentur. Tardius enim, quam oportuit, non temporius inita erat. Si tempestivum est, quod fit ante legitimum tempus, quod fit post tempus legitimum, intempestivum est. Non nescio Alexandrum Magnum tres totos dies, noctesque pergræcatum esse, apud Plutarchum. Ægyptios totas noctes perpotando traduxisse, qui, ne somnus obreperet, Dacnades aves coronis alligatas sibi admovebant, quæ vellicando, morsicando, canturiendo somnum prohiberent, ait Festus. Q. Curtius l. VI. Convivia intempestiva, & perpotandi, pervigilandique insana libido. Suetonius in *Caligula*: *Senatum, populumque objurgavit edicto, quod Cæsare prœliante, intempestiva convivia, circum, & theatra, & amœnos secessus celebrarent.* Putem tamen eo loco melius legi, tempestiva convivia, quæ de die fierent, ut spectacula, quam intempestiva, quæ de nocte. Certe tempori non fiebant ea, de quibus Propertius:

Sic noctem patera, sic ducam carmine, donec
Injiciat radios in mea vina dies.

Non nescio tamen convivia tempestiva sæpius occurrere apud veteres Auctores, rarenter intempestiva. *Act.* III. *in Verrem* Cicero: *Lollius in illo tempestivo gladiatorum convivio.* Idem *pro Archia*: Quantum alii tribuunt conviviis tempestivis Epist. I. l. IX. *ad Attic.* In tempestivis conviviis probari. Epist. XI. Quasi cœnas quam lautas, & tempestivas. *Pro Muræna*: Tempestivi convivii, amœni loci. Tacitus l. XI. Claudius tempestivis conviviis delinitus. Lib. II. *Histor.* Tempestivis conviviis gaudent. Apulejus II. *Apologet.* Nuptiæne illæ fuerunt, an aliud celebratum officium, an tempestivum convivium. Q. Curtius lib. VIII. Solemni, & tempestivo adhibetur convivio. Tempestiva illa convivia damnabantur. Silius lib. XI.

—— medioque dierum
Regales epulæ, atque ortu convivia Solis
Deprensa.

Horatius *Satyr.* ult. lib. II.

—— de medio potare die.

Intempestiva convivia raro legas, eo tamen significatu, quem posui, Latine dici posse non dubito. Homines negotiosi post decimam sæpe cœnabant. Martialis lib. x epigr. LXX.

Balnea post decimam lasso, centumque petuntur
Quadrantes.

Qui dati clientibus pro cœna recta. Idem lib. VII. epigr. I.

Hunc licet a decima, neque enim satis ante vacabit,
Sollicites, capiet cœnula parva duos.

Apud Ciceronem in *Somnio*, cœna Massinissæ in multam noctem cum Scipione protrahitur. Martialis lib. III. epigr. XXXVI.

Lassus ut in thermas decima, vel serius, hora,
Te sequar Agrippæ, cum laver ipse, Titi.

Servius ad hæc verba lib. IV. *Æneid.*

Atque eadem labente die convivia quærit.

Veteres prandiorum usum ignorasse ait, & ad vesperam cœnasse, sub horam scilicet decimam. Statius:

Ac moriente die rapuit me cœna beati
Vindicis.

Tempestivum convivium ventilat Seneca epist. CXXII. Qui jejuni bibunt, & ad cibum ebrii transeunt, qui nunquam Solem occidentem, aut orientem vident, in ipso balnei limine inter nudos, circa lucem discurrunt pueri, vocantur cellarii, tumultuantur coqui, a balneo exivit, mulsum, & alicam poscit; quod factitarunt & fœminæ. Juvenalis:

—— tandem illa venit rubicundula totum
Oenophorum sitiens.

Quidam ut vomerent saturi, balneas petierunt. Juvenalis:

—— Et crudum pavonem in balnea portas.

Terentius in *Adelphis*, Apparare de die convivium Quintilianus *Declamat.* IX. Tempestiva convivia, & pervigiles ludos, advocata sodalium turba. Locus ubi helluarentur, ἡβητήειον dictus, ab adolescentibus eo confluentibus. Qui ante nonam, aut decimam comederent, dicti frangere diem. Dies solidus, cum ad decimam horam, quod cœnæ tempus fuit, cibo abstinerent. Horatius Ode I. lib. I.

Nec partem solido demere de die.

Catullus:

Vos convivia sumptuosa lauti
De die facitis, mei sodales
Quærunt in triviis vocationes.

Jocus est Papyrii Pæti apud Ciceronem l. IX. *Epist. ad Familiar.* dicentis cœnam se de mane quærere, cum rideret Philosophum rogantem, si quis quid de se quæreret. Per dies festos temporius cibum sumpserunt. Horatius lib. III. Ode XXVIII.

Festo quid potius die
Neptuni faciam? prome reconditum
Lyde strenua Cæcubum
Inclinare meridiem
Sentis.

Hora diei quinta erat convivium tempestivum, quia præmaturum, quod in noctem sæpe protrahebatur. Athenæus lib. XIII. ἐπισυνάπτειν τὸ ἑωτινὸν, *producere cœnam ad diluculum.* Ita Nasidieni cœna tempestiva fuit. Horatius lib. II. sat. VIII.

Ut Nasidieni juvit te cœna beati?
Nam mihi quærenti convivam, dictus here illic
De medio potare die.
In primis Lucanus aper leni fuit austro
Captus, ut ajebat cœnæ pater, acria circum
Rapula, lactucæ, rudices.

Græci pergræcabantur, & totas noctes helluabantur. Pollux l. VI. c. X. τοῖς διαπαννυχίσασι ἆθλα ἦν σησαμοῦς, καὶ πυραμοῦς καὶ πέμματα, καὶ τὸν λύχνον τὸν πιοῖς καιόμενον παννυχον, νύκτας πρὸς ἥλιον παραπέμψαι (ἔλεγον) *Qui noctem pervigilem bibendo duxissent, iis præmia erant, placentæ sesamo sparsæ, & bellaria, dicebant autem lucernam, quæ tota nocte illis alluxisset, noctem transmisisse ad Solem.*

CAP. XXV.

DE VOCATIONIBUS.

Qui ad cœnas ventitabant, alii fuere vocati, alii invocati. Plato in *symposio Agathonis*, scribit multos non vocatos venisse comessatores ad fores, qui aliquo exeunte januis apertis ingressi accumbebant, & immodice ad dextram bibebant. Alii convivæ exibant, alii perseverabant bibentes ad Solem usque ortum. καὶ πίνειν ἐκ φιάλης μεγίστης ἐπιδέξια. Apud Athenæum, ἐλέατροι, δειπνοκλήτορες, vocatores Eleatri vocantur. Qui recusant, dicuntur οὐχ ὑπακούειν. Attici ἐπαινεῖν. Xenophon ἐπαινεῖν τὴν κλῆσιν. οὐ συμπεριφέρομαι. συμπεριφέρομαι consentio, καλῶς ἔχει, vox recusantium Athen. l. XIV. Seneca in *Suasoriis*. Ad prandium promisissem, ad cœnam renunciassem. Renunciare, nuncium remittere, negare, ut Martialis. Clearchus, λάβε ὕδωρ κατὰ χεῖρας· μηδαμῶς, καλῶς ἔχει. *Sume aquam in manus: nequaquam, bene babet.* ἐλέατροι οἱ ἐς τὴν βασιλικὴν καλοῦντες τράπεζαν, παρὰ τὸ ἔλεον. *Quid ad regiam mensam vocant.* a voce ἔλεος, quæ mensa est. Vocatores dicti, quibus a patre cœnæ id muneris datum esset, ut vocarent. Seneca l. I. *de Ira*, Minus honorato loco positus irasci cœpisti convivatori, vocatori, ipsi, qui tibi præponebatur. Demens! quid interest, quam lecti partem premas? Honestiorem te, aut turpiorem potest facere pulvinum? Vocationes appellat Catullus:

Quærunt in triviis vocationes.

Plautus in *Sticho*,

Negare nulli soleo, si quis me vocat.

Græci καλεῖν etiam dicunt. Hesiodus l. II. *Operum,*

Τὸν δὲ μάλιστα καλεῖν ὅστις σέθεν ἐγγύθι ναίει.

Dicti & invitatores, *l. ult. C. de diversis officiis.* Suetonius in *Caligula* cap. XXXIX. Provincialem locupletem ducenta HS. numerasse vocatoribus, ut ad cœnam Caligulæ vocaretur. Martialis:

Jam dicet mihi, vapulet vocator.

Plinius l. XXXV. c. X. Ptolemæo vocatores suos ostendenti. Iidem videntur fuisse nomenclatores. Ammianus Marcellinus l. XIV. Nomenclatores assueti venditare talia, mercede accepta, cœnis quosdam, & prandiis inserunt subdititios. Dicere soliti erant, cum invitarent ex inopinato, *Uni locum video.* Plautus in *Sticho*,

Ædepol, tibi etiam opinor uni locum conspicor,
ubi accubes.

Glossæ, ἐδεάτρος δειπνοκλήτωρ διαφέρει τοῦ ἐδεάτρου τοῦ τραπεζοκόμου. Qui invitat ad cœnam, dicit, δύνασαι καὶ σὺ μεθ' ἡμῶν σήμερον γενέσθαι, ait Laertius in *Aristippo. Potes & tu bodie nobiscum esse.* Aristophanes in *Avibus*, ὅπως παρέσῃ μοι καὶ σὺ, καὶ τὰ παιδία. *Ut mihi ad cœnam præsto sis & tu, & filii.* Pittacus dictus ζοφοδορπίδας, quod ad cœnam vocatus nunquam nisi sero veniret. Observatum, ut convivæ tempori adessent. Theocritus,

Ἠ μετὰ δαῖτα κλητὸς ἐπείγεαι.

Ad cœnam vocatus propera. Ubi Scholiastes: οἱ ἐπὶ εὐωχίαν κεκλημένοι σπεύδουσι. *Qui ad cœnam vocati sunt, properant.* Apud Plutarchum Policharmus dixit populo: οὐδέ ποτε κληθεὶς ἐπὶ δεῖπνον ὕστατος ἀφικόμην. *Nunquam ad convivium vocatus ultimus adfui.* Terentius: *Hodie apud me sis volo.* Juvenalis, *Una simus*, ait. Qui renuunt, dicunt, κάλλιστα, ἐπαινῶ, πάνυ καλῶς. Apud Aristophanem, Benigne respon-

respondent: Gratia est, facio gratiam. Qui autem invocati convivio aderant, dicti sunt umbræ. Horatius *lib.* II. Sat. VIII.

—— Quos Mœcenas adduxerat umbras.

Suidas, ἐπὶ τὴν θοίνην κληθεὶς οἷον ἐφολκίδα ἄκλητον ἐπάγεται ἀσκώνιον παιδίον. *Ad convivium vocatus, quasi socium invocatum inducit Ascanium Pædianum.* ἐκαλοῦντο γὰρ καὶ ἐπικλήτας, οἱονεὶ σκιὰς ἑαυτοῖς παρακαλεῖν τινας. *Licebat enim vocatis aliquos quasi umbras sibi advocare.* Apud Antiphanem parasitus ait: θύρας μοχλεύειν σεισμὸς, εἰσπηδᾶν ἀκρὶς, δειπνεῖν ἄκλητος μυῖα, μὴ 'ξελθεῖν φρέαρ. *Ut moveam quasi vecte fores, sum terræ motus; ut insiliam, locusta; ut cœnem invocatus, sum musca; ut non exeam, puteus.* Plautus in Pœnolo,

A muscis si mihi hospitium quærerem,
(Liberum) huc irem in carcerem recta via.

Clemens *lib.* II. *Pædagogi*, οἱ παράσιτοι μυῖαι. Plautus in *Captivis*,

Juventus ridiculos Plagipatidas abs se absgregat.

Lib. I. *Antholog.*

Ὦ γαστὴρ κυνόμυια, δι' ἣν κόλακες παράσιτοι
Ζωμῷ πωλεῦσι θεσμὸν ἐλευθερίης.

O venter, musca impudens, propter quem adulatores parasiti jusculo vendunt legem libertatis.

CAP. XXVI.

DE LOCO CONVIVII.

Locus ubi convivium agitur Latinis dicitur cœnatio, cœnaculum, triclinium, a numero lectorum qui vulgo adhibebantur, Diæta apud Plinium *l.* II. & V. *Epistol.* Græcis apud Pollucem *lib.* V. cap. I. dicitur Symposion, a bibendo, quia Græci bibaces, unde & Pergræcari, Andron quia fœminæ non ventitabant ad convivia virorum, ut M. Tullius docet libris *in Verrem*. Syssition a convictu, οἶκος τρίκλινος domus tribus lectis excipiendis, πεντάκλινος, δεκάκλινος pro numero lectorum συναγώγιον a conventu convivarum, παστὰς, ἀπὸ τοῦ πάσασθαι quod est *comedere*, quasi comedendi locum dicas

CAP. XXVII.

DE CŒNATIONIBUS, ET TRICLINIIS.

Convivia publica aut privata fuere. Publica Romæ in septis, in Nymphæis, & aliis locis publicis pro frequentia hominum habita sunt. Privata in cœnationibus, & tricliniis. Senec. ep. XCI. Versatilia cœnationum laquearia, ita coagmentata, ut subinde alia facies, atque alia succedat, & toties tecta, quoties fercula mutentur. Sueton. in *Nerone*, Cœnationes laqueatæ, tabulis versatilibus eburneis, ut flores fistulatim, & unguenta desuper spargerentur. Præcipua cœnationum rotunda, quæ perpetuo diebus ac noctibus vice mundi circumagerentur. Senec. ep. XC. scribit olim tecta cœnationi epulum recepturæ parari non solita. De diætis Plinius *l.* II. epist. XVII. Cingitur diætis duabus a tergo quarum fenestris subjacet vestibulum villæ, & hortus. De Triclinio Vitruvius *l.* VI. c. V. Tricliniorum quanta latitudo fuerit, bis tanta longitudo fieri debet. Unde apparet falli Servium *ad lib.* I. *Æneid.* qui negat triclinium pro cœnatione accipi, quum apud Procopium *lib. belli Vandal.* Carthagine triclinium locus fuerit, aut potius cœnatio magnifico opere exstructa ubi reges Vandalorum convivia agitarent. Viri opulenti habuere cœnationes æstivas, & hibernas, triclinia hiberna, verna, æstiva, autumnalia. Cicero *ad Qu. Fratrem lib.* III. ep. I. Cœnationes æstivas, & hibernas commemorat. Plutarch. in *Lu-*

A *cullo*, τρίκλινον χειμερινὸν καὶ θερινόν. Vitruvius *l.* VI. Triclinia ponit æstiva & hiberna. Sidonius,

Mos erat hic dominis hibernum sigma locare.

Pollux vocat οἶκον πεντάκλινον. Consule Vitruvium *l.* VII. c. VI. Athenæus etiam argentea vasa, escaria hiberna, & æstiva laudat, ἀργυρώματα. Servius *ad lib.* I. *Æneid.* vers. 701. negat triclinium esse basilicam ipsam, vel cœnationem: pessime. Quintilianus enim *lib.* XI. Vix eo limen egresso triclinium illud supra convivas corruit. De Scopa loquitur, postea enim subdit, hoc interim spatio conclave illud ubi epularetur Scopas concidisse. Valerius Max. de eodem: *Eo momento temporis triclinium in quo Scopas*
B *epulabatur collapsum est.* Verba Servii sunt: *Antiqui stibadia non habebant, sed stratis tribus lectis epulabantur, unde & triclinium sterni dicitur.* Cicero, sterni triclinia & in foro jubebat. Unde apparet errare eos qui dicunt triclinium esse basilicam ipsam, vel cœnationem. Proprie triclinium de tribus lectis dicitur in privato vel publico. Juvenal. Satyr. II.

Tertia cum vacua cessaret culcita lecto.

Cœnacula dicta sunt a cœnis, partes ædium superiores in quibus plebeii cœnitabant. Juven. Sat. X.

—— lateranorum obsidet ædes
Tota cohors, rarus venit in cœnacula miles.

C Martialis cœnacula sibi attribuit *lib.* I.

At mea Vipsanas spectant cœnacula laurus.

Donatus *ad Terentii Adelphos*, Veteres ganeum meretricum tabernam esse dixerunt ἀπὸ τῆς γᾶς, a terra, quod ipsa sit in terra, non ut cœnaculum superius. Melius ganeum a γάνυμαι oblector, γανὸς voluptas, γανὴ Siculis mulier. Horat. *l.* I. ep. I.

—— Mutat cœnacula, lectos,
Balnea, tonsores.

Varro *lib.* IV. L. L. Ubi cubabant cubiculum, ubi cœnabant cœnaculum vocitabant. Vitruvius *l.* II. cap. VIII. Ad auxilium altitudinis ædificiorum res ipsa coegit devenire. Itaque pilis lapideis, structu-
D ris testaceis, parietibus cœmentitiis, & altitudines exstructæ contignationibus crebris coaxatæ, & cœnaculorum summas utilitates perficiunt, & despectationes. Cœnacula erant pauperiorum, quia per æstatem vento aut æstu, per hyemem frigore infestabantur. Ennius cœnacula maxima cœli dixit apud Tertull. *lib. adversus Valentinianos*, Pergulis superstructis. τρίστεγον dicitur *Actor.* XX. ἔπεσεν ἀπὸ τοῦ τριστέγου, *cecidit e tertio cœnaculo.* Cœnacula pauperum erant & scalis ascendebantur. Martial. *l.* I.

Et scalis habito tribus, sed altis.

E Juvenal. *Satyr.* VII.

Rumpe miser tensum jecur, ut tibi lasso
Figantur virides scalarum gloria palmæ.

Festus: Cœnacula dicuntur ad quæ scalis ascenditur. Cœnationes divitum erant in inferiore ædium parte, quia & hyeme & æstate commodiores. Interdum tamen & in superiori loco divitibus erant. Sidonius carm. XXII.

Alta volubilibus patet hinc cœnatio valvis.

Item,

Undosa inveniunt nantes cœnacula pisces,
F *Comminus erigitur vel prima vel extima turris.*

Cœnaculum illud assitum piscinæ fuit, ideoque in imis ædibus.

CAP. XXVIII.

DE TRICLINIO PHILONIS JUDÆI.

Nulla triclinii descriptio jucundior esse potest, quam illa Philonis *lib. de vita contempl.* ἴσως δ' ἄν τις ἀποδέξαιτο τὴν ἐπιπολάζουσαν νυνὶ πανταχοῦ

τ̃ συμποσίων διάθεσιν, κτ̀ πόθον τ̃ ἰταλικῆς πολυτελείας κ̀ τρυφῆς, ἣν ἐζήλωσαν ἕλληνές τε κ̀ βάρβαροι. pag. 614. typis Adriani Turnebi. Sed fortassis recipiat aliquis, & probet dispositionem epulatum hodie ubique vulgatam, ex studio Italicæ magnificentiæ,& deliciarum, quam imitati sunt Græci,& Barbari, magis ad ostentationem, quam ad convivii usum apparatus facientes. Triclinia, & lectorum spondas περίκλινα facta e testudine, aut ebore, & materia pretiosiori, quorum plurima gemmis ornata, & lapillis, lecti purpurei intexto auro, & florido tincti alii omnis coloris ad oculos capiendos, poculorum copiam expositorum secundum species. Præsto sunt enim scyphi, calices, phialæ, thericlea, toreumata clarorum artificum: ῥυτὰ γὰρ κ̀ φιάλαι, &c. κ̀ τορείαις ἐπισημονικῶν ἀνδρῶν ηκριβωμένα, ministri formosuli astantes, non tam ut ministrent, quam ut oblectent aspicientes. Horum alii pueri vinum affundunt in pocula, grandiores loti, & volsi aquam ferunt, vultus fuco obliti, & picti, coma concinnatula, capillati, aut omnino non tonsi, aut a fronte tantum, ut a summo exæquentur antiæ, aut specie lineæ circularis accurate tonsi, tunicas tenuissimas ἀραχνοϋφεῖς, & candidas præcincti, anteriori parte ad genua demissas, posteriori ad poplites, utrinque mollibus tæniis astricti commissuras tunicæ, propendentibus ad latera finibus, sic ornati astant nutus observantes, quid quisque postulet. Adsunt & alii adolescentes prima lanugine malas vestiti, qui paulo ante turpes amantium deliciæ fuerant, curiose edocti gravioris operæ ministeria, mera ostentatio magnæ opulentiæ, ut convivæ splendore stupefacti facile intelligant,&c. Huc accedunt variæ bellariorum, obsoniorum, condimentorum species elaboratæ a pistoribus,& cupediariis, quorum est cura non tantum gustui satisfacere, sed etiam oculos exhilarare munditiis. Sic fit, ut etiam septem, vel plures mensæ inferantur plenæ omnium, quæ terra, mare, amnes, aerque ferunt, selectis suavissimis carnibus terrestrium aquaticorum,& volucrum, paratura simul, ac conditura variantibus. Ac ne quid præter mittatur Naturæ munerum, tandem apponuntur poma, nucesque dapsiliter, servatis aliis ejusdem generis ad comissationes, quas ineant. Deinde aliæ patinæ efferuntur exinanitæ, & exhaustæ, a convivis voracibus more fulicarum explentibus se in tantum, ut etiam ossa arrodant. Subjicio de aliis tricliniis, & cœnationibus. Cœnationes divitum erant, cœnacula pauperum, ut & grabati, & scimpodia, apud Senec. epist. LXXVIII. & XC Cœnationes in ædium parte inferiore, cœnacula in superiore, quæ divites pauperibus locabant, ut Plutarchus in *Sylla*. Festus: Cœnacula, ad quæ scalis ascenditur. Trebellius in *Gallieno*, Concubinæ in ejus tricliniis sæpe accubuerunt. Triclinium interdum locum significat interdum mensam tribus lectis cinctam. Suetonius in *Julio*, Convivarum assidue per provincias duobus tricliniis; uno, quo sagati, palliatique; altero, quo togati cum illustrioribus provinciarum discumberent. Pollux sub finem *l.* VIII. ἡ θόλος ἐν ᾗ συνδείπνουν ἑκάστης ἡμέρας οἱ πεντήκοντα τ̃ τ̃ πεντακοσίων βουλῆς. Athenis tholus, in quo cœnabant simul quotidie quinquaginta ex consilio quingentorum. Tholum vocat cœnationem fornicatam. Athenæus οἴκους τρικλίνους, ἑπτακλίνους ponit. Phrynicus ἑπτάκλινος ἦν καλὸς οἶκος, εἶτ' ἐννεάκλινος ὡσσί, κ̀ πέντε κλίναι σικελικαί, λέγε ἄλλοτι, σικελικὰ προσκεφάλαια πέντε. Domus septem lectis, aut novem idonea,& quinque lecti Siculi, & pulvini Siculi. Plato Comicus, ἐν κλίναις ἐλεφαντόποσι κ̀ στρώμασι πορφυροβάπτοις, κ̀ φοινικαῖσι σαρδιανικαῖσι κοσμησάμενος κατάκειται. *In lectis eburneo pede,& stragulis purpureis, Sardiniacis ornatus jacet*. Philo *de vita Theoret*. Ἰταλικὴν πολυτέλειαν ἐζήλωσαν ἕλληνές τε κ̀ βάρβαροι, τρίκλινά τε, κ̀ περίκλινα χελώνης, ἢ ἐλέφαντος κατεσκευασμένα. *Italicam magnificentiam imitati Græci, & Barbari, & triclinia ex testudine, aut ebore ornata:* περίκλινα vocat spondas lectorum tricliniarium, aut ornamenta, quibus ambirentur.

CAP. XXIX.
DE LECTIS.

Lecti alii fuere cubiculares, alii lucubratorii, quidam tricliniares, seu discubitorii. Cubiculares alii erant humiles, de quibus Sueton. *l.* II. *de August.* Nec toro quidem cubuisse ajunt, nisi humili. In eos lectos scansione simplici, & scamno ascendebant; alii altiores erant, in quos subselliis conscendere oportebat, in alios gradibus ascendebatur. In lectis erant tori pluma farti, aut paleis. Senecæ culcita humi jacebat, ipse in culcita. Veterum lecti non erant pannis oppansis clausi. Ideo apud Suetonium Augustus, cum meridianum somnum caperet æstate, apertis cubiculi foribus, atque etiam ventilante aliquo cubabat. Lectuli lucubratorii erant breves, in quibus legerent, & commentarentur. Persius:

—— non quidquid denique lectis
Scribitur in citreis.

Ovidius:

Non hæc in nostris, ut quondam, scribimus hortis,
Nec consuete meum lectule corpus habes.

Tricliniares omnes erant pares, humiles, paulo inferiores mensa, quam cingerent, aut assurgerent, & in cubitum convivæ niterentur, cum cibum appeterent. In omnibus fuere pulvilli, & tapetia, seu stromata, & toralia. Horatius *lib.* I. *sat.* IV.

Sæpe tribus lectis videas cœnare quaternos.

De lectis cubicularibus agitur in colloquiis quotidianis, στρῶσον τ̃ κλίνην. ἐστρώσαμεν, ἐξετινάξαμεν, κ̀ προσκεφάλαιον ἐμαλάξαμεν. *Sterne lectum. Stravimus, excussimus, & pulvillum mollivimus.* Storeas, in quibus dormiebant, vocabant χαμεύνας, *humicubationes*, aut *cubas*, τὰς ἐγκοιμητηρίους ψιάθους. Isidorus *l.* XX. c. XI. stoream dici vult, quod sit in terra strata. Optime, a στορέννυμι, *sterno*. Camam brevem esse ait, & circa terram. Græci enim Cami breve dicunt. Pessime. χαμεύνη, & χαμεύνας & Chama dicitur a χάμαι, *humi*, quasi humi cubatio. Olim dormiebant in pellibus, unde vox *dormire* facta, quia δέρμα pellem significat. Epicharmus apud Athen. *l.* VI. ἐπεὶ δ' ἦκον οἴκαδ' εἰς τὰς διφθέρας ἀσώτως εὕδω, *Postquam domum veni, super stratas pelles illæsus dormio*. Spartianus *in Ælio Vero*, meminit lecti cubicularis magnifici operis. Nam lectum eminentibus quatuor anaclinteriis fecerat minuto reticulo undique inclusum. Per hyemem lectos eum putem pannis oppansis inclusisse, si per æstatem reticulo inclusit. Amphicephalus lectus cubicularis fuit, de quo Etymologicum, ἀμφικέφαλος κλίνη; εἶδος παρὰ τὸ ἑκατέρωθεν ἀνάκλισιν ἔχειν, κ̀ προσκεφάλαιον. *Amphicephalus species lecti, qui utrinque habebat pulvillum reclinando capiti.* Pollux *l.* VI. c. I. Anaclinterion, anaclintron, epiclintron, in quo reponerent, & sustentarent caput, clinterion vocari ait. ἐνήλατα sunt spondæ, id est, ut vult Isidorus *l.* XX. c. XI. exterior pars lecti, pluteus interior, prope parietem, eminenti pluteo munitus, sed non tam alto, quam ille, qui ad lecti caput. Artemidorus, τ̃ ἐνηλάτων τὸ μὲν ἔσω ἰδίως τ̃ γυναῖκα, τὸ δ' ἔξω τ̃ ἄνδρα ἐκδέχεται. *Sponda interior fœminam, exterior virum excipit.* Martialis:

Excidunt senem spondæ qui parte jacebat,
Namque puer pluteo vindice tectus erat.

Pluteum vocat spondam interiorem. Ita & Dolabella vocavit Cæsarem spondam interiorem regiæ lecticæ.

CAP. XXX.

DE LECTIS TRICLINIARIBUS, ET ACCUBITIS.

LEctos Apulejus *Milef.* II. vocat ebore nitentes, aureis veſtibus intectos, opipares cibos, amplos calices. Baſilius *orat. ad divit.* ἐλεφαντίνας σιβάδας, *ſtibadia eburnea*, ἐλεφαντίνας δίφρους, *eburneas ſellas.* Varro in *Quinquatribus*, Cum eborato lecto, ac purpurei operis toto cubare videam. Plato Comicus apud Athen. *l.* II. c. VI.

Κατὰ ἐν κλίναις ἐλεφαντόποσι, ϗ ςρώμασι πορφυροβάπτοις
Κἀν φοινικισι σαρδινιακοῖσι κοιμησάμενοι κατάκεινται.

In lectis deinde pedibus eburneis, & ſtragulis purpura tinctis, & chlamydibus Sardiniacis dormituri cubant. Plautus in *Sticho*,

—— lectos eboratos, auratos,
Accubabo regie.

Ipſi lecti funebres eburneis pedibus erant. Propertius *l.* II. eleg. XIII.

Nec mihi tunc fulcro ſternatur lectus eburno,
Nec ſit in Attalico mors mea nixa toro.

Diximus fuiſſe hiberna, & æſtiva triclinia. Sidonius. Carm. XXII.

Mos erat hic dominis hibernum ſigma locare.

In Pandectis *l.* 5. *tit. Commodati*, de triclinio ſternendo: Si me petiſſes, ut triclinium tibi ſternerem, & argentum, ac miniſterium præberem, & fecero. *L.*20. *in Pandect. de opt. legat.* Veſtimenta quæ volet tricliniaria ſumito. Sunt ſtragulæ veſtes, tapetia, toralia. Ornabantur triclinia trophæis gentilitiis. Petronius in *Poſtibus*, Triclinii faſces erant cum ſecuribus fixi, quorum imam partem quaſi embolum navis æneum finiebat. Sed & in tricliniis varia librorum ſupellex erat inſtar bibliothecæ. Seneca *lib. de tranquill.* cap. IX. Pleriſque ignaris etiam ſervilium literarum libri, non ſtudiorum inſtrumenta, ſed cœnationum ornamenta ſunt. Martial. *l.* III. epigr. L.

—— ingens
Inter lactucas, oxygarumque liber.

Legebantur enim ſæpe libri inter cœnandum. Sed de lectis Lucianus in *Aſino*, κλίνη μὲν μεγάλη ἀπὸ χελώνης Ἰνδικῆς. *Lectus erat magnus ex Indica teſtudine.* Philo *de vita contemplat.* τρίκλινα λιθοκόλλητα, *triclinia gemmis compacta*, vel *diſtincta.* Plin. *l* XIII. cap. XVI. Excogitatæ ſunt, & ligni bracteæ; teſtudo in hoc ſecta. Nuperque portentoſis ingeniis principatu Neronis inventum, ut pigmentis perderet ſe, pluriſque veniret imitata lignum. Sic lectis pretia quæruntur, ſic terebinthum vinci jubent, ſic citrum pretioſius fieri, ſic acer deſpici. Modo luria fuerat vero contenta ligno, jam lignum etiam a teſtudine facit. Dio de Seneca, πεντακοσίους τρίποδας κεδρίνου ξύλου ἐλεφαντόποδας ἴσους, ϗ ὁμοίους εἶχε, ϗ ἐπ' αὐτῶν εἱςιᾶτο. *Quingentos lectos e ligno cedrino eburneis pedibus æquales, & ſimiles habebat in quibus epulabatur.* Tripus proprie menſam ſignificat. Interdum lectum. Martial. *l.* XII.

Ibat tripes grabatus, & bipes menſa.

Plinius *l.* XXXIII. cap. XI. Cornelius Nepos tradit, ante Sullæ victoriam duo tantum triclinia Romæ fuiſſe argentea. Triclinia ærata Cajus Manlius Aſia devicta triumpho ſuo primus invexit, *lib.* XXXIV cap. III. Accumbere autem Græcis dicitur κεῖσθαι apud Athenæum *l.* I. apud quem Ulpianus dictus κειτούκειτος, quia nihil appoſitorum comederet, πρὶν εἰπεῖν κεῖται, ἢ οὐ κεῖται. κεῖται παρὰ τῷ δεινὶ, *accumbit apud illum.* Athen. *l.* XIII. oſtendit accubita fuiſſe paulo infra menſam, ita ut aſſurgere cogerentur cum cibos ſumere, aut repetere vellent. ἀνιςάμενοι πολλάκις, εἰς δασύποδα, cum aſſurgerent ſæpe ut ad leporem qui menſæ erat appoſitus manus pervenire poſſet. Plautus in *Milite*, ſed procumbunt, & ſe percellunt dimidiati dum appetunt. Item & ii loqui vellent, ut ab omnibus audirentur, in cubitum ſe attollebant, ſtragula in cumulum aggerebant. Apulejus II. *Mileſia* effultus in cubitum, ſuberectuſque in torum ſic fit in aggeratis in cumulum ſtragulis. Balſamon *ad Can.* LXXIV. *Synod.* VI. ἀκούβιτον λέγε) πᾶν ἐπίθετον ςρωμνῆς κατασκεύασμα, *accubitum eſt omnis lecti apparatus.* Male. Gloſſæ. σίγμα *tabula.* Fuit tabula lunata ſeu lectus ſemicircularis habens duo cornua. Martialis:

Accipe lunata ſcriptum teſtudine ſigma.

Juvencus,

Cornibus in ſummis devitet ponere membra.

CAP. XXXI.

RURSUM DE LECTIS TRICLINIARIBUS.

POllux *l.* VI. c. I. ἐφ' ὧν δ' ἔςι κατακεῖσθαι παλοίης ἂν κλίνας, κλινίδας, κλινίδια, σκίμποδας, ἀσκαύτας, σιβάδας, ἡμικύκλια, κλιντήρια, χαμεύνια, χαμεύνας, voces, lectos, toros, ſcamna, accubita, cubas, ſegeſtria, ſemicirculos, in quibus accumbunt. Clem. Alexandr. *l.* II. c. III κέδρου τε εὐκεάτοιο, ϗ θύου, ϗ ἐβένου, ϗ ἐλέφαντος, κλιναί τε ἀργυρόποδες, ϗ ἐλεφαντοκόλλητοι, ϗ χελώνης πεποικιλμέναι κοῖται, ϗ κλισιάδες, *Lecti ex cedro bene ſciſſa, & thuo arbore odorifera, & ebeno, & ebore, tori pedibus argenteis ebore compacti, & teſtudine diſtincta cubilia, & valvæ.* Pollux κοίτην eſſe vult vas in quo ſtragulæ veſtes ponuntur. Significat lectum, quomodo & hic accipi poteſt ſive cubicularis, ſive tricliniaris ſit. Pollux *l.* I. ἀνάκλινθρον, ἐπίκλινθρον, ἐνήλατον, κλιντήριον, φυλλάδες, πτερίδες, πόλτωια, τύλα, κνέφαλα, προσκεφάλαια, ποτίκρανον, ὑπηρέσιον, ὑπαυχένιον, *pars lecti ad quam pulvinus ſuſtinendo capiti ponitur, ſponda, torus ſpatioſus, cervicalia, pulvinus, pulvinar, pulvillus.* Ἀμφιτάπητες οἱ ἐξ ἑκατέρων δασεῖς, *Amphitapetia utrinque villoſa*, ὑπαγκώνια ςρώματα, *pulvilli ſubalares*, περιςρώματα, ὑποςρώματα, ἐπιβλήματα, *ſtrata, cubitalia, ſtragulæ, toralia, lodices.* Erant ſtragulæ quæ ſubſternerentur, erant quæ circumponerentur, erant & quibus accumbentes operirentur. ἐφεςρίδες, χλαῖναι, ἀμφιεςρίδες, ἐπιβόλαια, δάπιδες, ψιλοδαπίδες, ξυςίδες χρυσόπαςοι, ſagula, tapetia raſa, veſtimenta auro intexta. τὸ δὲ ἀγγεῖον ἐν ᾧ ςρώματα ἐνῆν κοίτην ϗ κοίτην, τὰ δὲ εἰς κοίτην ςρώματα εὐνεῖα λέγουσι. Locus cui ſtrata incumbunt cubile, aut lectus dicitur, quæ autem lectum operiunt ſtragulæ torales, ϗ πτίλοις τὰ κνέφαλα ἐφόπλουν, ϗ πτερωτὰ, ϗ πιλωτὰ προσκεφάλαια ὀνομάζουσι. Et plumis pulvinos refereiebant, & pennata, & conſtricta, ſeu coactilia pulvinaria dixerunt. καυνάκας τινὰς πορφυροῦς ἐπὶ ςρωμάτων. Caunacarum quarumdam purpurearum Menander de ſtratis loquens meminit. Servius *ad* II. *Æneid.* Antiqui ſtibadia non habebant, ſed ſtratis tribus lectis epulabantur, unde & triclinium ſterni dicitur. Virgil. *Æneid.* II.

Inde toro pater Æneas ſic orſus ab alto.

Olim ſedentes cœnitabant, ut Iſidor. *l.* XX. *Orig.* c. XI. Poſtea viri accubuere, mulieribus, & pueris in ſponda ſedentibus, narrante Valer. Max. *l.* II. c. I. & Tacit. *l* XIII. Tandem fœminæ accubuere. Sueton. *l.* IV. Cum omnibus ſororibus ſuis ſtupri conſuetudinem fecit, plenoque convivio ſingulas infra ſe viciſſim collocabat, uxore ſupra cubante. Lecti tricliniares, & diſcubitorii dicti quia cedro, terebintho, citro, ſectis teſtudinum laminis, ebore, argento, auro veſtiti, vel etiam ſolidi, auctore Plinio *l.* XVI. c. XLIII. *l.* IX. cap. XI. Teſtudinum putamina ſecare in laminás, lectoſque, & repoſitoria iis veſtiri Carvilius Pollio

inſtituit. Quo die Lentulus Flamen Martialis inauguratus eſt, triclinia lectis eburneis ſtrata ſunt, ſcribente Macrob. *l.* III. *Saturn.* cap. XIII. Lampridius Heliogabalum ſolidos argento habuiſſe lectos ait: Lectos vero mulierum jampridem toto operiri argento, & triclinia quædam quibus argentum addidiſſe primus traditur Carbilius eques Rom. non ut operiret, aut Deliaca ſpecie faceret, ſed Punicana, teſte Plinio *l.* XXXIII. cap. XI. Dein & aureos fecit, nec multo poſt argentei Deliacos imitati ſunt. Pompejus in tertio triumpho quem de piratis Aſia & Ponto duxit, lectos tricliniares tres ex auro tranſtulit. Idem *l.* XXXVII. c. XI. Lectorum pedes poſuit Virgil. *Æneid.* VI.

—— lucent genialibus altis
Aurea fulcra toris, menſæque ante ora paratæ.

Plinius *l.* XXXIV. c. III. & X. Ligneos, æreos, aureos lectorum pedes fuiſſe oſtendit. Græcis fuere Scimpodia *εὐτελῆ κλινίδια μονόκοιτα*, *Lectuli viles qui unum caperent.* Varro *l.* IV. *ling. Lat.* Nemo facit triclinii lectos niſi pares, & materia, & altitudine & figura. Punicani lecti parvi & humiles Carthagine advecti. Sponda exterior, pluteus interior. Scamna ſunt quæ altioribus lectis apponuntur dicta a ſcandendo.

CAP. XXXII.

DE ACCUBITIONE.

Accubitionis forma non eadem ſemper fuit. Græcis ſuperior locus in lecto fuit honoratiſſimus, medius Regis. Ætate Sidonii honoratiores ſigmatis cornu dextrum obſidebant. Gregorius Turonenſis *l.* I. *de mirac.* c. LXXX. Diſcumbentibus autem ad convivium vir ille cum Presbytero dextræ partis cornu occupat, Catholicum ad ſiniſtrum ſtatuens. Juvencus *l.* III. *de cornu ſigmatis, ſeu lecti lunati:*

Si vos quiſque vocat, cœnæ convivia ponat,
Cornibus in ſummis devitet ponere membra,
Quiſque ſapit. Veniat forſan ſi nobilis alter,
Turpiter eximio cogetur cedere cornu.

Sidonius *l.* I. ep. XI. Primus jacebat cornu ſiniſtro Conſul ordinarius Severianus. Admonui veteres Romanos adſediſſe menſis, non accubuiſſe, ut docet Iſidorus *l.* XX. c. XI. Apud Veteres, inquit, non erat uſus accumbendi, unde & conſidere dicebantur. Poſtea, ut Varro ait, *de vita populi Romani,* viri diſcumbere cœperunt, mulieres ſedere, quia turpis viſus eſt in muliere accubitus. Idem monet Valerius Maximus *l.* II. cap. I. Accubuerunt Romani poſt Antiochum a Lucio Scipione victum, in triclinio ſi tres eſſent lecti, in biclinio ſi duo. Biclinium Plautus commemorat. Sigma Lipſius cum biclinio confundit. Male, quia in ſigmate fuit tantum lectus unus perpetuus, in quo ſex, ſeptem accumberent. Manibus lotis, veſte cœnatoria ſumpta, demptis ſoleis, ne lectum conſpurcarent, accumbebant. Terni, aut in publicis epulis etiam quaterni unum lectum occupabant, interdum duo tantum, nonnunquam unus lectum unum occupabat. Accumbebant reclinata ſupera parte corporis in cubitum ſiniſtrum, infera in longum jacente, ac porrecta, capite leviter porrecto, dorſo a pulvillis modice ſuffulto. Quod ſi plures uno lecto decumberent, primus accumbebat ad caput lecti, cujus pedes porrigebantur pone dorſum ſecundi, ſecundus vero occiput obvertebat ad umbilicum primi, pulvillo interjecto, pedes porrecti erant ad tergum tertii, & ſic deinceps tertius, ſic quartus. Si tres convivæ in uno lecto, medius digniſſimus, proximus honore ſum-

A mus. Si quatuor, Lipſius medium cenſeri putat proximum a ſummo. Si duo tantum unum lectum occupabant, digniſſimus ſummus fuit. Diſcumbentes quamdiu veſcerentur, & potarent, eo corporis ſitu manebant: ubi cibum capere deſierant, tum dorſi ſpinam, quæ antea erat inflexa, & ad epulandum compoſita, repoſuiſſe, & caput in cervical reclinaſſe, nonnunquam ſedentis habitu erexiſſe videntur. Ita Lambinus *ad Satyr.* IV. *l.* II. *Horatii*, quem Lipſius, & Mercurialis ſequuti. Hunc accubitionis ritum ſæpe mutaſſe docebimus. Acro *ad Oden.* XXVII. *l.* I. ait accumbere Deorum eſſe, diſcumbere hominum. Virgil. *l.* I. *Æneid.* B

—— tu das epulis accumbere Divum,
Jam pater Æneas, & jam Trojana juventus
Conveniunt, ſtratoque ſuper diſcumbitur auro.
—— toris juſſi diſcumbere pictis.

Recumbere ferarum eſt, ait Acro. Virgil. *lib.* VIII. *Æneid.*

—— te janitor Orci
Oſſa ſuper recubans antro ſemeſa cruento.

Cicero tamen III. *in Verrem,* negavit moris eſſe Græcorum, ut in convivio virorum accumberent C mulieres. Livius *l.* XXVIII. Eodem etiam lecto Scipio, atque Hasdrubal, quia ita cordi Regi, accubuerunt. Columella *l.* XI. cap. I. Nec niſi ſacris diebus accubans cœnet. Sedulius in *Præfatione:*

Paſchales quicunque dapes conviva requiris,
Dignatus noſtris accubitare toris.

Non modo diſcumbere, accumbere, accubare, accubitare de viris, & fœminis dicitur, verum & recumbere. Plinius *l.* IV. ep. XXII. Cœnabat Nerva cum paucis, atque etiam in ſinu recumbebat. Romæ per initia fœminæ aſſidebant, poſt etiam in ſinu viD rorum accubuerunt. Auctor *de vita excell. Imper.* ſive is Cornelius Nepos, ſive Æmilius Probus, in *Præfatione.* Quem Romanorum pudet uxorem ducere in convivium, aut cujus materfamilias non primum tenet ædium locum, atque in celebritate verſatur? Quod multo fit aliter in Græcia. Nam neque in convivium adhibetur niſi propinquorum, neque ſedet niſi in interiore parte ædium, quæ gynæconitis appellatur; quo nemo accedit, niſi propinqua cognatione conjunctus. Vide Ciceron. I. *in Verrem*, Romæ uxores in ſinu virorum accubuiſſe lippis, & tonſoribus notum eſt. Juven. *Sat.* II.

E *Signatæ tabulæ, dictum feliciter, ingens*
Cœna ſedet, gremio jacuit nova nupta mariti.

Quidam legunt, *Cœna, ſed in gremio.* Nihil movendum. Martialis perſtringit petulantem convivam, *l.* III. epigr. LXXXII.

Cubitiſque trudit hinc & illinc convivas,
Effultus oſtro, ſericiſque pulvillis.

Sed ut redeamus ad accumbendi morem, olim cum tres lecti eſſent, medius lectus digniſſimus. Si tres in eodem lecto accumberent, in medio erat digniſſimus. Si duo tantum lecti, ſuperior erat digniſſiF mus. De medio loco Saluſtius in *bello Jugurth.* Sed Hiempſal dextra Adherbalem adhæſit, medius e tribus ne Jugurtha foret, quod & apud Numidas honori ducitur. Valerius Flaccus *l.* II. *Argonaut.*

In medio Æſonides jam ſe Regina locavit,
Poſt alii proceres.

Lib. IV.

Inſtituere toros, mediiſque tapetibus ipſum
Accipiunt.

In ſigmate dextrum cornu, locus fuit dignior.

CAP. XXXIII.

DE ACCUBITIONE, ET LECTIS.

TRiclinia olim fuere, quibus successere accubita, & stibadia circulari figura, unde sigmata dicta. Isidorus *l.* XX. c. I. Stephadium a stipitibus dictum, quasi stipadium. Sic enim prius cœptum est. Pessime stibadium a στείβω *calco*, *stipo*. Accubitum a cubito vocatum, quasi ad cubitum epularum. Pessime, dicitur enim ab accumbendo.

—— toris jussi discumbere pictis.

ait Virgilius. Olim tres lecti, tria tantum mensæ latera ambibant, per quartum latus, quod erat vacuum, fercula inferebantur. Sic & sigmata semper unum latus vacuum cibis inferendis habuere. Sigma unus perpetuus lectus fuit semirotundus, quod accubitum dicitur. Triclinium omnibus mensis poterat convenire majoribus, & minoribus, quia tribus lectis constabat paribus materia, figura, & altitudine, ut ait Varro *l.* IV. *de Lingua Latina*. Sigma minus non poterat majori mensæ admoveri, nec majus minori quadrare. Itaque secundum mensarum magnitudinem quærebantur stibadia, quæ erant, vel octaclina, vel exaclina, vel enneaclina, id est, quæ octo, vel sex, vel novem capiebant. Sidonius vocat sigma nitentem stibadii circulum, quod nunquam ponitur pro cœnatione, sed pro stibadio tantum semicirculari. Apulejus semirotundum suggestum dixit *Milesia* V. Visoque statim proximo semirotundo suggestu propter instrumentum cœnatorium, ratus refectui suo commodum libens accumbit. Savaro putat sigma fuisse mensam semicircularem. Male. Martial. enim *l.* XIV. epigr. LXXXV.

Accipe lunata scriptum testudine sigma.
Octo capit: veniat quisquis amicus erit.

Non diffiteor tamen quasdam mensas fuisse semicirculares. Ditmarus *l.* IV. *Chronic.* Solus ad mensam quasi semicirculum factam loco cæteris eminentiore sedebat. Sigma vero est accubitum, seu stibadion, & lectus semicircularis. Lampridius in *Heliogabalo: Primus invenit sigma in terra sternere, non in lectulis.* Petrus Ravennas *Serm.* XXIX. *Discumbebat Deus plus in Matthæi mente, quam in sigmate.* Vides accumbi in sigmate. *Serm.* LXXXIII. *Et soli Discipuli, alto sigmate, toro uno, toto otio deliciis secure epulantur.* Sigma est torus unus. *Serm.* XCIII *Dum Pharisæus veste clarus primus in sigmate.* Martialis *l.* X. epigr. XLVIII.

Septem sigma capit: sex sumus; adde lupum.

Lampridius in *Heliogabalo*: *Habuit hanc consuetudinem, ut octo calvos rogaret ad cœnam, octo luscos*, &c. *cum capi non possent omnes uno sigmat, ut de his omnibus risus citaretur.* Omnia semirotunda dici potuere sigmata. Sidonius enim *l.* II. epist. II. Solii sigma vocat, solium cellæ caldariæ, quod idem solii hemicyclium appellat. Apud Zozimum *l.* III. Porticus Constantinopolitana Juliani dicitur sigma, quia semicircularis. In descriptione urbis Constantinopolitanæ, regione tertia, porticus semirotunda ex similitudine fabricæ sigma Græco vocabulo nuncupatur. Proprie tamen sigma esse accubitum ostendit Paulinus *l.* III. *de vita S. Martini:*

Hos inter, qua sigma flectitur orbe,
Presbyter accubuit.

Item, in stibadiis accubuisse Veteres docet Plinius *l.* V. *Epist.* In capite stibadium candido marmore vite protegitur, e stibadio aqua velut expressa cubantium pondere siphunculis effluit. In his talibus stibadiis si sex discumberent, dicebantur exaclina; si septem, eptaclina. Martialis *l.* IX. epigr. LX.

Et testudineum mensus quater exaclinon,
Ingemuit citro non satis esse suo.

A At οἶκος τρίκλινος, vel δεκάκλινος dicitur a numero lectorum, vel sigmatum. Scholiastes Juvenalis: Apud Veteres accubitorum usus non erat, sed in lectulis discumbentes manducabant. Accubita fuere ætate Martialis, ut & sigmata. Non igitur ea primus reperit Heliogabalus, quæ interdum fuisse majoris operæ ostendit Lampridius *de Heliogabalo*: Non cubuit in accubitis facile nisi iis, quæ pilum leporinum haberent, aut plumas perdicum subalares, sæpe culcitas mutans, vilioribus amicis folles pro accubitis sternebat, eosque reflabat prandentibus illis, ita ut plerumque sub mensis invenirentur. Primus invenit sigma in terra sternere, non in
B lectulis, ut a pedibus (utrium) utres per pueros ad reflandum spiritum solverentur. Accubitum igitur erat lectus perpetuus lunatus, septem, aut octo capiens, in quo fuere anaclinteria, id est, lecti partes, in quibus pulvillus sustinendo capiti.

CAP. XXXIV.

DE TRICLINIO.

APud Græcos superior in lecto locus erat honoratior. Plutarchus in *Arato*, Antigonus
C Aratum ἐπάνω κατέκλινεν ἑαυτοῦ, *supra se collocavit*. Idem *symp.* I. c. III. locus Persis μεσαίτατος *medius* Regis est, apud Græcos primus, Romanis ὁ μέσης κλίνης τελευταῖος, ὃν ὑπατικὸν προσαγορεύουσι, *ultimus medii lecti, quem consularem vocant*, ut consul se demittere infra cæteros videretur. Tertii lecti primus locus est ἑστιῶντος, *convivatoris*, sub ipso est uxor, aut filii, supra ipsum in medio lecto consul. Cap. IV. ἡ δευτέρας κλίνης τῇ πρώτῃ συναπτούσης ἡ γωνία διάλειμμα ποιοῦσα τῇ καμπῇ δίδωσι φύλακι σώματος ὑπάτου, καὶ γραμματεῖ προσελθεῖν. *Secundi lecti qui primo junctus angulus intervallo facto dat custodi corporis consulis, & scribæ acces-*
D *sum.* Imo inter alios lectos relinquebatur aliquid spatii ministris, qui dicebantur ad pedes. Martial. *l.* III

At ipse retroflexus ad pedum turbam.

Idem *lib.* VII.

Misto lagenam replet ad pedes vino.

Sidonius *l.* I. retrorsumque conversus tanquam manibus aquam postularet, tantumque remoratus, quantum stibadii circulum celerantia ministeria percurrunt, cubitum toro reddidit. Seneca *l.* III. *de Benefic.* Servus qui cœnanti ad pedes steterat. Sueton. in *Caligula* c. XXXVI. Quosdam summis honoribus functos, &c. cœnanti modo ad pluteum,
E ad pedes stare succinctos passus est. Cicer. *l.* IX. *ad Familiares.* Supra me Atticus, infra Verrius, accubueram medio hora nona. Infra Eutrapelum Cytheris accubuit. Medius locus Romæ honoratissimus. Uxores, aut sponsa, vel amica in sinu viri accumbebant. Zonaras de Heliogabalo, ἐν τοῖς κόλποις αὐτοῦ ὡς ἐρωμένη ἐδείπνησε, *in sinu ejus ut amica cœnavit.* Macrob. *l.* III c. XIII. Duobus tricliniis Pontifices cubuerunt novem, in tertio triclinio virgines Vestales, & Publicia Flaminica, & Sempronia socrus Metelli. Valerius Maxim. Jovis epulo Jupiter in lectulum, Juno & Minerva in sellas ad cœnam invitantur. Sidonius *l.* I. *Epist.*
F Primum jacebat cornu sinistro consul, juxta eum Magnus. Non servatur in accubitis eadem ratio quæ olim in lectis tricliniaribus, ut ex iis quæ supra posuimus recognosces. Is qui primus & ad caput lecti decumbebat summus dicebatur, qui ad pedes imus. Servius ad hæc,

Inde toro pater Æneas sic orsus ab alto,

Locus summus Pontificalis. Medius locus Regis.

—— Aulæis jam se regina superbis
Aurea composuit sponda, mediamque locavit.

Salustius *l.* III. *Histor.* Igitur discubuere, Sertorius

inferior in medio, super eum Tuscus Fabius Hispaniensis, in summo Antonius, & infra scriba Sertorii Versius, & alter scriba Mæcenas in imo. Medius inter Tarquitium, & Ovinum Perperna. Plautus in *Sticho*,

Haud postulo equidem medio in lecto accumbere,
Scis tu me esse imi subsellii virum.

Josephus *l.* XII. cap. IV. Hyrcanus ad mensam Ptolemæi ὑποκατακλίνεται πάντων καταφρονηθεὶς ὡς παῖς ἔτι τὴν ἡλικίαν ὑπὸ τῶν τὰς τόπους κατὰ τὴν ἡλικίαν διανεμόντων. Convivæ σωρεύοντες ὀστᾶ ἔμπροσθεν τοῦ Ὑρκανοῦ ὡς πληρῶσαι τὴν παρακειμένην αὐτῷ τράπεζαν, *infimus omnium accumbere jubetur neglectus ob ætatem puerilem ab iis qui loca ex ætate assignabant. Convivæ cumulantes ossa ante Hyrcanum, ita ut impleverint mensam quæ ei apposita erat.* Igitur sua cuique mensa apposita. Lucianus *de iis qui mercede docent:* ἐς τὴν ἀτιμοτάτην γωνίαν ἐξωσθεὶς κατάκεισαι, *in angulum vilissimum pulsus accumbe.* Moris autem fuit ut cum cœna incaluisset pallio tegerentur. Plutarchus in *Arato*, quem Antiochus supra se accumbere jussit, & post paulo: cum petiisset περιβόλαιον *pallium*, jussit Aratum proxime se accedere, & pueri, cum tapes allatus esset, ambos simul eodem involucro texerunt, καὶ δάπιδος κομισθείσης ἀμφοτέρους ὁμοῦ περιέβαλον οἱ παῖδες. Theophrast. in *Convivio*, κόλαξ ἐρωτᾷ μὴ ῥιγοῖ, καὶ ἐπιβαλέσθαι βούλεται, καὶ ἔτι περιστέλλει αὐτόν. *Adulator rogat an rigeat frigore, & vult amiciri pallio, & eum eodem tegit.* Athen *lib.* I. Tyrrheni cœnant cum uxoribus ἀνακείμενοι ὑπὸ τῷ αὐτῷ ἱματίῳ, *accumbentes sub eodem pallio.* Juniores Romæ invitati ad cœnam quærebant quinam ei convivio interfuturi essent, nec senioris adventum discubitu præcurrerent, sublataque mensa priores consurgere, & abire patiebantur, ait Valerius Max. *lib.* II. cap. I. Amicos in sinu amantis accubuisse indicat Scipio Æmilianus apud Gellium *l.* VII. cap XII. Qui unguentatus adversus speculum ornetur, qui barba volsa, feminibus subvolsis ambulet, qui in conviviis adolescentulus cum amatore, cum chiridota tunica inferius accubuerit. Juvenal.

—— gremio jacuit nova nupta mariti.

Apulejus *Miles.* VI. Maritus Psychen gremio suo complexus. Catullus dixit intus accubare.

Cernis ut intus accubans,
Prætextate, puellula.

Ovidius *lib.* I. *Amorum* eleg. IV. de viro amicæ suæ,

Ne premat ille suis finito tuo colla lacertis,
Mite nec in rigido pectore pone caput.

Apud Ammianum Persæ in conviviis sedebant ensibus cincti, quem veterum Græcorum morem primi Athenienses abjecere. Apud Platonem in *Sympos.* Heroes sedebant. Item Macedones omnes Ipse Alexander XL. duces in sedilibus argenteis sedere jussit, apud Athen. *l.* I. Homerus,

Δαιτυμόνες δ' ἀνὰ δώματα ἀκούονται ἀοιδοῦ
Ἥμενοι ἑξείης.
Convivæ domi audient Poetam canentem,
Ordine sedentes.

Catullus in nuptiis Pelei,

Qui postquam niveos flexerunt sedibus artus.

Plautus in *Sticho*,

Potius in subsellio Cynice accipiemur, quam in lectis.

Nomenclatoris erat cuique suum locum assignare. Athenæus, μετὰ ταῦτα ἀναστάντες ἀνεκλίνθημεν ὡς ἕκαστος ἤθελε οὐ περιμείναντες ὀνομακλήτορα τὸν δείπνων ταξίαρχον, *postea surgentes accubuimus ut quisque voluit, non exspectato nomenclatore cœnarum ordinatore.* E lecto convivæ procumbebant in mensam ut cibum caperent, aut in cubitum se reclinabant. Plautus in *Milite*, *sed procumbunt, & se percellunt dimidiati dum appetunt.* Horatius,

Languidus in cubitum sese conviva reponit.

Dimidiatos Plautus vocat, qui mediam corporis partem e lecto in mensam protraherent. Denique triclinium tres erant lecti divisi qui mensæ appositi quadratam figuram efficiebant, neque enim totum mensæ orbem cingebant ab omni parte, sed ex quatuor mensæ lateribus unum semper vacuum relinquebatur qua cibi inferrentur. (quod & in accubitis tenuit, ubi unus tantum lectus perpetuus fuit.) Qua medii lecti pluteus infimo & summo jungebatur in anguli flexura intervallum relictum erat, ut supra docuimus ex Plutarchi *sympos.* I. cap. III. Apud Lampridium Heliogabalus solido argento factos habuit lectos & tricliniares, & cubiculares, primus omnium privatorum toros aureis toralibus texit. In apparatu lectorum erant ὑποβλήματα, quæ accumbentibus supponerentur, ἐπιβλήματα, quæ toris, vel accumbentibus ipsis injicerentur, περιβλήματα quæ circumponerentur. Torale est περίβλημα, περίκλινον quod circa torum ponebatur. Horatius *Satyr.* IV. *l.* II.

Ten Tyrias dare circum illota toralia vestes.

Pulvillos Lucianus in *Gallo* vocat ὑπαυχένια. Varro *l.* III. *Ling. Lat.* Torale quod ante torum est. Idem tamen *l.* I. *de vita P. R.* apud Nonium, quod frontem lecticæ struebant ex herba torta torum, unde id quod injicitur toral dictum. Lævinus Torrentius vir doctus existimat per toral intelligi stramentum lecto injectum, involutumque, quod in quotidiano usu erat ac manebat, cui solemnioribus conviviis pretiosa illa pro tempore circumdabantur. Ovidius,

—— In medio torus est de mollibus ulvis,
Vestibus hunc velant quas non nisi tempore festo
Sternere consuerant.

Sed Horatius dixit illota toralia dari circum Tyrias vestes, stragulas, unde περίβλημα significari manifestum, & περιπέτασμα. Fortasse & eo περίστρωμα referri potest, quanquam vulgo de stragula veste exaudiuntur. Horatius *Satyr.* III. *l.* I.

—— Cui stragula vestis,
Blattarum ac tinearum epulæ.

Philo Judæus *l. de Josepho*, negat accubitionem epularem cascis illis in usu fuisse, μή πω τῶν ἀνθρώπων ἐν ταῖς συμποτικαῖς συνουσίαις κατακλίσει χρωμένων. Contra Josephus *l.* II. *Origin.* Josephus, inquit, fratres ἐπὶ δεῖπνον παραλαμβάνει, καὶ κατακλίνονται οὕτως ὡς καὶ παρὰ τῷ πατρί. *ad prandium assumit, & ita accumbunt ut soliti erant apud patrem.* Ipsi Esseni vitæ austerioris homines accubuere apud Philonem p. 717. στιβάδες εἰσὶν εὐτελεστέρας ὕλης, ἀφ' ὧν δι' ἁπλῶν πάνυ χαμαίστρωτα παπύρου τῆς ἐγχωρίου μικρὸν ὑπερέχοντα κατὰ τοὺς ἀγκῶνας ἵνα ἐπερείδοιντο. *Stibadia sunt vilioris materiæ, ex quibus simplices valde & humiles culcitas papyro loci illius farciunt paulum eminentes ad cubitos ut fulciantur.* Apulejus *Miles.* II. aggeratis in cumulum stragulis, & effultus in cubitum, suberectusque in torum sic infit. Erigebantur enim cum loqui vellent.

CAP. XXXV.

DE VESTE DISCUBITORIA.

Habuere Veteres discubitorias vestes, molles, & floridas, qualis fuit Trimalcionis apud Petronium: Pallio coccino adrasum incluserat caput, circaque oneratas veste cervices laticlaviam immiserat mappam fimbriis hinc atque illinc pen-

dentibus. Ibidem vocantur vestimenta cubitoria. Martiali cœnatoria.

Pagnorum reus, ebriæque noctis
Cœnatoria mittat advocato.

Item:

Jacet occupato galbanatus in lecto
Suffusus ostro, sericisque pulvillis.

Xiphilinus *de Nerone*, χιτώνιόν τι ἐνδεδυκὼς ἀνθινόν, καὶ σινδόνιον περὶ τὸν αὐχένα ἔχων. *Tunica indutus florida, & sudarium circa collum habens.* Mutuatus est id Dio a Suetonio, cujus hæc verba sunt sub finem *libri* VI. Ut plerumque synthesin indutus ligato circa collum sudario prodierit in publicum sine cinctu, & discalceatus. Synthesis proprie compositionem significat vestium, aut loculamentum, in quo vestes ejusdem coloris, facturæ, materiæ reponebantur. *L.38.D.de auro, & argento mundo*: quam doctissimus Salmasius ita restituit, Quæro, an ex universa veste, an ex synthesi singulas tunicas, & palliolum Sempronia eligere possit. Septem tunicæ subsericæ coloriæ synthesin unam constituebant. Ita Martialis de vasis paribus fictilibus dixit:

Septenaria synthesis Sagunti.

Et quia vestes tantum auratæ, purpureæ, sericæ in synthesi reponebantur, ideo synthesis pro veste pretiosa ponitur. Martialis:

Et micat innumeris arcula synthesibus.

Tertullianus *de Pallio*: Endromidis Solocem aliqua multicia synthesi extrusit. Eædem dicuntur catacleistæ Apulejo: Ornatus nivea, & catacleista veste, & Tertulliano *l. de Pallio*. Martialis *l.* IV. epigr. I. & *l.* V. epigr. CXXI.

Synthesibus dum rara toga est.

Dicuntur & tricliniaria vestimenta, *D. de opt. legat.* Petronius: *Cœnatoria repetimus, & in proximam cellam ducti sumus, in qua tres lecti strati erant.* Soleas demebant, cum accumbere vellent Plautus *Trucul.*

Deme soleas, cedo vinum.

Martialis:

Deposui soleas, offertur protinus ingens
Inter lactucas, oxygarumque liber.

Horatius *l.* II. *Satyr.* de Nasidieno inter vina surgente,

Et soleas poscit.

Plato in *Politico*, Velamenta corporis in duo genera dividit, in σκεπάσματα, seu περιβολὴν, & περικαλύμματα, seu ὑποβολὴν. Hypobolen vocat culcitam, & quidquid insternendi, aut incubandi causa paratur, tapetes, tegetes, storeas, erones. Perібolen, quod injiciendi causa paratur, ut loquitur Ulpianus, ut pallium, lænam. Sardinia nobilis tinctura. βάμμα σαρδινιακόν. Varro: *Cubo in Sardinianis tapetibus.* Plato Comicus, κἆν φοινικίσι σαρδινιακαῖσι κοιμηστόμενοι κατάκεινται. Tapetes avibus intextis, στρουθωτὰ ἑλίγματα, ζωωτὰ, belluata, ἵνα κόσμον ἔχῃ ἡ στρῶσις, καὶ ἀφειαν, ut lectus & eleganter insterneretur, & molliter ἐμπετάσματα πυργωτὰ, vel περιστρώματα, quæ turres pictura, vel textura repræsentant, ζωωτὰ περιστρώματα, belluata. Hæc autem omnia ornamento fuere lectis tricliniaribus, & cubicularibus. στρωματόδεσμος est involucrum ipsum stragulæ vestis. Augustinus *l.* XX. *de Civit. Dei*, Colligatum involucrum. Vestem stragulam pellibus involvebant, & locis constringebant, ut docetur in Pandectis *tit. de supellect. legata*. Appianus *l.* III. *Civil.* Ἀντιον ἡ γυνὴ στρωματοδέσμῳ κατείλησε, καὶ ἐπέθηκε τοῖς μισθοῦ φέρουσι. *Antium mulier involvit involucro, & imposuit bajulis mercenariis.* στρωματεὺς, & στρωματόδεσμος idem, vario colore distinctus fuit: Unde libri varietate sparsi dicuntur στρωματεῖς a Clemente Alexandrino. Piscis στρωματεὺς Athen.

A *l.* VII. qui coloris aurei virgis toto corpore insignitus erat. Idem *l.* I. τὰ ἀπὸ στρωματοδέσμων γράμματα, varietate læta.

CAP. XXXVI.
DE MAPPIS, ET LINTEIS.

AD cœnam quisque mappam suam afferebat. Catullus:

Marrucine Asini manu sinistra
Non belle uteris in joco, atque vino,
Tollis lintea negligentiorum,
Nam sudaria Setaba ex Iberis, &c.

B Mantela linteum est, quo manus extergitur, & mantelum, mantele. Vopiscus in *Aureliano*, Mantelia Cypria. Pollux, λάσια δὲ ἐκάλουν τὰ μαλλοὺς ἔχοντα χειρόμακτρα ὡς ἀπὸ τοῦ δασύτητος. ὥστε οὐδὲν κωλύει τὰς ὀνομαζομένας μαντήλας οὕτω καλεῖν. Virgilius *Æneid.* I.

—— tonsisque ferunt mantilia villis.

Servius: Mantelia, quibus manus terguntur. Dicuntur & mappæ. Glossæ: Mappa χειρόμακτρον. Plinius *l.* VII. c. II. Anthropophagos cutibus capitum cum capillo pro mantelibus ante pectora uti, id est, mappis, & linteis. Sed & linteis mensæ
C tectæ. Martialis *de gausapa, seu manteli*, *l.* XIV. epigr. CXXXVI.

Nobilius villosa tegant tibi lintea citrum.

Quidam palliis ex lana tergebantur. Petronius: Jam Trimalcio unguento perfusus tergebatur, non linteis, sed palliis ex mollissima lana factis. Martialis *de mappa, seu mantili*,

Ad cœnam Hermogenes mappam non attulit unquam,
A cœna semper rettulit Hermogenes.

Item:

Attulerat mappam nemo, dum furta timentur,
Mantele e mensa surripit Hermogenes.

D Item:

Et vani triplices, brevesque mappæ.

Mantele sæpe pro mensæ integumento. Lampridius *de Heliogabalo*: Tot picta mantelia in mensam mittebat. Idem *de Alexandro*; Ita tamen, ut pura mantilia mitterentur, scilicet in mensam. Apud Trebellium: Gallienus mantilibus aureis semper stravit. Isidorus: Mantelia nunc pro operiendis mensis sunt, quæ, ut nomen ipsum indicat, olim tergendis manibus præbebantur. Martialis;

Sed mappa cum jam mille rumpitur furtis.

Lucianus in *Lapithis*, τὴν ὀθόνην περισπᾶν ἐπεχείρει, ἣν ὁ παῖς εἶχε τοῦ Ζηνοθέμιδος μεστὴν οὖσαν παν-
E τοδαπῶν κρεῶν. *Mappam per vim tollere conabatur, quam plenam carnibus omnis generis puer Zenothemidis habebat.* Apud Lampridium, Heliogabalus linteamen lotum nunquam attigit, mendicos dicens, qui linteis lotis uterentur. Sidonius *l.* IX. epigr. XIII. *de ornatu cœnæ*:

Nive pulcriora lina gerat orbis, atque lauris,
Hederisque, pampinisque viridantibus tegatur,
Cytisos, crocos, amellos, casias, ligustra, calthas,
Calathi ferant capaces, redolentibusque sertis
Abacum, thorosque pingant, manus uncta succo amomi
F *Domet hispidos capillos.*

Varro *l.* VIII. *de Lingua Latina*, Quis facit mappas tricliniares inter se non similes? Apud Lampridium, Alexander Severus cocco clavatis mantilibus mensas sternebat, non auratis, ut Heliogabalus, id est, auro clavatis, χρυσασήμοις. Ammianus Marcellinus: Cum ad lautum convivium, & mundum venisset, qualia sunt in Aquitanis plurima, cum vidisset linteorum toralium par, duos clavos ita latissimos, ut sibi cohærerent. Alexander Severus dicebat, si lintea ideo sunt, ut nihil

habeant aſperum, quid opus eſt purpura? Q. Curtius *l.* IX. Centum aurei lecti modicis intervallis poſiti erant. Lectos circumdederant aulæa, purpura, auroque fulgentia. Lib. *Eſther.* c. I. in Convivio Aſſueri *κλίναι χρυσαῖ, καὶ ἀργυραῖ ἐν αὐλῇ κεκοσμημένῃ βυσσίνοις, καὶ καρπασίνοις τεταμένοις. Lecti aurei, & argentei in aula ornata byſſinis, & carbaſinis extenſis.* Themiſtius in *Epitaphio*, *κατακλίνεις δὲ ἐπὶ στιβάδος ἐστρωμένης, τάπησι, καὶ πορφύρᾳ, καὶ τράπεζαν παραθέμενος σικελικήν. Accumbis in ſtibadio tapetibus, & purpura ſtrato, & poſita menſa Sicula.*

CAP. XXXVII.

DE MENSIS.

Menſæ aliæ fuere quadratæ, quædam lunatæ, nonnullæ rotundæ. Varro *l.* IV. *de lingua Latina*, Menſa eſcaria dicitur cibilla a cibis. Ea erat quadrata, ut etiam nunc in caſtris, poſt rotunda facta. De lunatis diximus ſupra ex Ditmaro. Rotundos vocat orbes Martialis *lib.* IX. epigr. LX. Statius *l.* I. *Thebaid.* teretes menſas vocat. Juvenal. *Sat.* XI.

—— magnos niſi ſuſtinet orbes
Grande ebur, & vaſto ſublimis pardus hiatu.

Martialis:

Orbibus in noſtris circulus eſſe poteſt.

Circulum vocat incitegam, in qua vaſa reponerentur, ne menſa inficeretur. Idem meminit aureæ menſæ *l.* III. epigr. XXXI.

Suſtentatque tuas aurea menſa dapes.

Stabant menſæ illæ pedibus argenteis, aut eburneis. Juvenalis *Satyr.* XI.

—— nam pes argenteus illis.

Martialis *l.* IX. epigr. XXII.

Ut Mauri Libycis centum ſtent dentibus orbes.

Petronius:

—— ecce Afris eruta terris
Citrea menſa, greges ſervorum, oſtrumque renidens
Ponitur, ac maculis mutatur vilibus aurum.

Lucanus *l.* X.

Dentibus hic niveis ſectos Atlantide ſylva
Impoſuere orbes.

In colloquiis cottidianis menſas verrunt, deinde bibunt. *δὸς ὕδωρ εἰς χεῖρας, κατάμαξον τὴν τράπεζαν.* Seneca *l.* VII. *de Benefic.* c. IX. Video elaboratam ſcrupuloſa diſtinctione teſtudinem, & fœdiſſimorum, pigerrimorumque animalium teſtas ingentibus pretiis emptas, in quibus ipſa illa, quæ placet varietas ſubditis medicamentis in ſimilitudinem veri coloratur. Video iſtic menſas, & æſtimatum lignum Senatoris cenſu, eo pretioſius, quo illud in plures nodos arboris infelicitas torſit. Tertullian. *l. de Pallio.* M. Tullius quingentis millibus nummum orbem citri emit. Bis tantum Aſinius Gallus numerat. Seneca *l.* III. *de Ira:* Qui menſam niſi crebris diſtinctam notis. Repoſitoria dicuntur ea, in quibus reponebantur menſæ, *τραπεζοφόρα.* Plinius *l.* XXXIII. c. XI. Jam vero & menſas repoſitoriis imponimus, & ad ſuſtinenda obſonia interradimus latera; nec intereſt, quantum lima perdiderit. Repoſitoriis argentum addi ſua memoria cœptum Feneſtella dicit. Sed & teſtudinatum in uſum veniſſe. Ante ſe autem paulo lignea rotunda ſolida, nec multo majora, quam menſas fuiſſe. Se quidem puero quadrata, & compacta, aut acere operta, aut citro cepiſſe, mox additum argentum in angulos lineaſque per commiſſuras. Homerus ſolas menſas quadratas, quas vocat *ξεστὰς* agnoſcit. Latini cibillam, aut cillibam, *κιλλίβαντα.*

Παρὰ δὲ ξεστὴν ἐτάνυσσε τράπεζαν.

Aliæ orbiculatæ, quia mundus orbiculatus, ut Athenæus. *l.* IX. *τὴν τράπεζαν κυκλοειδῆ κατεσκεύαζον οἱ παλαιοὶ πειθόμενοι τὸν κόσμον εἶναι σφαιροειδῆ.* Strabo *l.* XVII. *μονοξύλους τραπέζας ποικίλας καὶ μεγίστας.* Romæ ex uno ligno fieri ait petito e Mauritania. Erant monopodia, menſæ bipedes, & tripedes, ut Plin. *l.* XXXIV. c. III. Martialis *l.* XII.

Ibat tripes grabatus, & bipes menſa.

Horatius *l.* I. *Serm.* Sat. III.

—— modo ſit mihi menſa tripes, &
Concha ſalis puri.

Cratino dicitur *τρισκελής.* Erant & quadripedes, quæ tamen tripodes dicerentur. Unde & *τράπεζα*, quaſi *τετραπεζα.* Epicharmus, *οὐκ ἐστι τρίπους ἀλλ' οἶμαι τετράπους, ἐστι δ' ὄνομα αὐτῇ τρίπους.* Varroni *l.* IV. *de Lingua Latina*, Menſa vinaria cylibantum, altera menſa vinaria lapidea quadrata oblonga, una columella dicta cartibulum. Hæc in ædibus ad compluvium apud multos me puero ponebatur & tina, & cum ea ænea vaſa. Apulejus *Mileſ.* II. abacum pro eſcaria menſa poſuit: Abacum, inquit, ad paſcua jurulenta.

CAP. XXXVIII.

RURSUM DE MENSIS.

Menſæ villaticis, & agricolis fere erant cæſpititiæ. Tibullus *l.* II. eleg. VI.

At ſibi quiſque dapes, & feſtas exſtruet alte
Cæſpitibus menſas, cæſpitibuſque toros.

Valerius Flaccus *l.* I. *Argonaut.*

Viridique torus de fronde, dapeſque.

Tori quidam farciebantur ulvis paluſtribus, ſed ex ulvis menſæ non fiebant, quod voluere quidam. Ovidius *l.* V. *Faſtor.*

Tunc dabat exiguum fluminis unda torum.

Lautiorum fuere menſæ acernæ. Martial. *de menſa acerna.* Lib. XIV. epigr. LXXXVIII.

Non ſum criſpa quidem, nec ſilvæ filia Mauræ,
Sed norunt lautas & mea ligna dapes.

Apud Virgilium *l.* VIII. *Æneid.* Latinus Rex Æneam ſolio invitat acerno. Poſtea luxu cum opibus augente menſæ cedrinæ, citreæ, eburneæ, teſtudineæ, argenteæ, aureæ fuere. Plin. *l.* XIII. c. XV. Confines ei Mauri, quibus plurima arbor cedri, & menſarum inſania. Petronius:

Citrea menſa, greges ſervorum, oſtrumque recludens
Ponitur, ac maculis imitatur vilibus aurum.

Plinius *lib.* XVI. c. XLIII Excogitatæ ſunt & ligni bracteæ, nec ſatis, cœpere tingi animalium cornua, dentes ſecari, lignumque ebore diſtingui, mox operiri. Juvenalis *Satyr.* XI. de teſtudine:

Qualis in Oceani fluctu teſtudo nataret,
Clarum Trojugenis factura, ac nobile fulcrum:
Sed nudo latere, & parvis frons ærea lectis.
Vile coronati caput oſtendebat aſelli,
Ad quod laſcivi ludebant ruris alumni.

Papinianus *l.* 9. *Digeſt. de ſupellectili legata*, Menſas argenteas, vel argento incluſas commemorat, id eſt, laminis argenteis tectas. Martialis *l.* VIII. epigr. XXXIII.

Et crepet in noſtris aurea lamna toris.

Per initia menſæ quadratæ fuere, teſte Plinio *libr.* XXXIII. c. XI. & Varrone *l.* IV. *de lingua Latina*, qui a cibo cibillas vocat. Peſſime quidam illud Virgilii *l.* VII. *Æneid.*

Patulis nec parcere quadris.

de menſis quadratis intelligunt, quod de quadris panum accipiendum, ut & illud Juvenal. *Satyr.* V.

Ut bona ſumma putes aliena vivere quadra.

Ety-

Etymologicum bene, *αἱ τῶν παλαιῶν τράπεζαι τετράγωναι*, *Veterum mensæ quadrangulæ*. Deinde mensæ fuere rotundæ, quædam etiam semicirculares. Dampsterus hæc verba Pollucis l. VI. c. I. *ἀσκαῦται, στιβάδες, ἡμικύκλια, κλιντήρια, χαμεύνια, χαμεύνη*, de mensis semicircularibus accipienda putat, & ex illis verbis probat mensas quasdam fuisse semicirculares. Pessime. Verba enim Pollucis sunt exaudienda de stibadiis, accubitis, & lectis semicircularibus humilibus, quæ dicuntur sigmata. Petrus Ravennas *serm*. XXIX. & LXXXIII. & XCIII. non loquitur de mensa semicirculari, sed de lecto semicirculari, qui dicitur sigma, ut alibi ostendimus. Id evincit S. Paulinus *de vita S. Martini*:

Hos inter medius qua sigma flectitur orbe,
Presbyter accubuit.

Ita & Martialis intelligendus lib. XIV. epigr. LXXXVII.

Accipe lunata scriptum testudine sigma,
Octo capit: veniat quisquis amicus erit.

Triclinium ostendi contra Servium dici cœnationem interdum, & conclave ubi cœnitabant. Curopalates lib. *de officiis Const.* *ἐπεὶ δὲ ὁ βασιλεὺς πεντάκις τοῦ ἔτους τρώγει ἐν τῷ τρικλινίῳ πάντων παρεσταμένων ἀρχόντων.* *Quia autem Imperator quinquies anno comedit in triclinio, astantibus omnibus magistratibus*. Ibidem disertius, *μετὰ τοῦτο τοίνυν ἀνέρχεται ἐπὶ τὸ τρίκλινον τὸ λεγόμενον Θωμαΐτην, πρὸς τὸν αὐγουστεῶνα ἀφορῶντα*. *Postea igitur ascendit triclinium Thomaites, quod ad augustale spectat*. Id triclinium conflagravit sub Irene. Petronius: *Jam ad triclinium veneramus, in cujus parte prima procurator rationes accipiebat*. Sed ad mensas redeamus. Mensas gausape tergebant. Lucillius:

Purpureo tersit tunc latas gausape mensas.

Horatius *Satyr*. ult. lib. II.

—— puer alte cinctus acernam
Gausape purpureo mensam pertersit, & alter
Sublegit, quodcumque jaceret inutile, quodque
Posset cœnantes offendere.

Quum enim antecœnium sublatum esset, mensæ tergebantur gausapa. Veteres foris cœnitasse, nec mensam omnino sustulisse, sed semper aliquid super mensa reliquisse docent Plutarchus in *Quæstion. Rom.* & in *Symposiacis*. & Macrobius, *λείπε τι*.

CAP. XXXIX.

DE MENSIS TRICLINIARIBUS.

Mensæ quædam, ut diximus, fuere orbiculatæ. Dicuntur a metiendo quasi dimensæ, quia justa fuit eis mensura. Dicuntur orbes. Martialis lib. IX. epigr. LX.

Inde satur mensas, & apertos exuit orbes,
Expositumque alte pingue poposcit ebur.

Mensas teretes vocat Statius lib. III. *Thebaid.*

Pars auro tenues, ostroque sonantes
Emunire toros, altosque inferre tapetes,
Pars teretes lævare manu, ac disponere mensas.

Martialis lib. II. epigr. XLIII.

Tu Libycos Indis suspendis dentibus orbes.

Petrus Faber lib. III. *Semest.* cap. XXV. orbes mensarum esse vult projecturas quasdam, sive supercilia, oris, marginibus, ac limbis mensarum, sive pediculorum, cum ipsis, commissuræ, atque juncturæ obtegendæ gratia orbiculatim adhiberi solita, sed quæ sint exemptilia, cum sine ipsis mensæ consistere possint. Eo refert in mensa panum propositionis *κυμάτια στρεπτὰ*, Exodi XXV. *κύκλῳ* quæ S. Hieronymus exponit coronam per circuitum. Malim esse labium mensæ undulatum in ambitum. Idem Faber ad hoc carmen Juvenalis sat. XI.

Qui Lacedæmonium pitysmate lubricat orbem.

Orbem ejusmodi projecturam, & supercilium esse putat, & cum Mureto legit *petteumate*. Male. Omnino Juvenalis eo loci orbem vocat sectile pavimentum marmoreum orbiculatum. Vetus Scholiastes Juvenalis, orbicularem Tænarii marmoris crustam interpretatur. Itaque legendum *Pitysmate* a voce Græca *πιτύζω*, id est, *sputo*, quia cum pitissarent, & gustarent, experirenturque vina, exspuebant deinde in pavimenta sectilia, de quibus Vitruvius l. VII. c. I. Si tesseris structum erit, ut omnes angulos habeant æquales, nullibique a fricatura extantes. Earum enim usum retinebant tum modicæ fortunæ viri, deinde quadris, seu scutulis, adjecere scutulas & orbes, seu specula, & *δελτωτὰ*, id est, *segmenta triquetra*, & favos, id est, sexangula. Apulejus, pavimenta ipsa lapide pretioso cæsim deminuto in varia picturæ genera discriminantur. Cicero *pro domo sua* dixit porticum suam fuisse pavimentatam. Eustathius *Odyss.* l. X. *λιθόστρωτον*, quia *λίθος* de lapide pretioso dicitur. scutulæ illæ & tesseræ dicuntur abaci, ut alibi ostendimus. Athenæus l. V. *ταῦτα δὲ πάντα δάπεδον εἶχεν ἐν ἀβακίσκοις συγκείμενον ἐκ παντοίων λίθων*. *Ista omnia solum habebant in tessellis ex omni genere lapillorum.* Eustathius, *οὐ μόνον ἐπὶ σανίδος ὁ ἄβαξ, ἀβάκιον, ἀλλὰ ἰδοὺ καὶ ἐπὶ λίθων ὁμοιοσχημόνων ξυλίνοις ἄβαξι*. *Abacus non tantum dicitur in tabulatis, sed & in lapidibus sectis forma ligneorum abacorum*. Sed ut ad pitysma redeamus, per pitysma cottabismum intelligit Josephus Scaliger. Athenæus l. XI. *πρὸς δὲ τούτοις οἶκοι κατεσκευάζοντο κυκλοτερεῖς, ἵνα πάντες ἐς τὸ μέσον τοῦ κοττάβου τιθέντος ἐξ ἀποθήματος* (*ἀποστήματος* malim) *ἴσου καὶ τόπων ὁμοίων ἀγωνίζοιντο περὶ νίκης*. *Ad hæc cœnationes instruebantur orbiculatæ, ut omnes cottabo posito in medio ex æquali intervallo, & locis similibus certarent de victoria*. Archedicus in *Thesauro*,

Διαπιτυοῦσι οἶνον δὲ τοῦτον χάμαι.

Exspuent in pavimentum humi vinum hoc. *διαπιτύζειν* *pitissare*. Glossæ ad Terentium, Pitissando, expressis labris exprimendo, dum saporem vini probat. Etymolog. *πιτύζω παρὰ τὸ πτύω, πτυτίζω παραγωγὸν, καὶ ἀποβολῇ τοῦ τ πιτύζω*. Vitruvius lib. VII. cap. IV. Quod poculis & pitysmatis effunditur. Jam vero de mensis bene Plutarchus lib. VII. *Sympos.* *μίμημα τῆς γῆς τὴν τράπεζαν. πρὸς γὰρ τὸ τρέφειν ἡμᾶς καὶ στρογγύλη, καὶ μόνιμός ἐστι, καὶ καλῶς ὑπ' ἐνίων ἑστία καλεῖται*. *Imitamentum terræ mensam esse. Nam præterquam quod nos alit, rotunda est, & firma, bene a quibusdam dicitur Vesta.* Ita & Clemens Alexandr. l. VI. *Stromat.* *γῆς δὲ οἶμαι εἰκόνα ἡ τράπεζα δηλοῖ τέσσαρσι ἐπερειδομένη ποσὶ*, *mensa imaginem exhibet terræ quatuor pedibus insidens*, unde & *τράπεζα* quasi *τετράπεζα*, a quatuor pedibus. Athenæus lib. XI. Veteres persuasi mundum esse orbiculatum ex forma Solis & Lunæ mensam circularem expresserunt, & tripodas diis sacros habentes trochiscos, seu rotundulas, & astra, *τρίποδας τοὺς τοῖς θεοῖς καθαγιζομένους φθόεις κυκλοτερεῖς, καὶ ἀστέρας ἔχοντας*. In verbis Homeri,

Ἐπὶ πρόηλε τράπεζαν,
Καλὴν, κυανόπεζαν, ἐΰξοον,
Composuit mensam
Pulcram, Cyaneis pedibus, bene rasam.

Audio Eustathium, *δηλοῖ δὲ οὐ μόνον τὴν ἀπὸ κυανοῦ ἐχουσαν πόδας, ἀλλὰ καὶ τὴν ἔχουσαν κυανέαν τὴν πέζαν, ὅ ἐστι, τὸν ἔξω κύκλον*, *significat autem non tantum habentem pedes nigros, sed & nigellam oram, seu circulum extrinsecum*. Sed circulus ille extrinsecus orbicularis mensæ limbus, & coronamentum fuit. Fuerunt & mensæ rotundæ non ex pluribus

lignis coagmentatis, & apte vinctis, sed ex uno, & solido circulo, quas *μονοκύκλους* vocant. Pollux l. x *Onomast.* c. XXIII. *ἐν δὲ ταῖς δημιοπράτοις καὶ τράπεζά τις μονόκυκλος πέπραται, καὶ μὴν καὶ τὰ ἐπιτιθέμενα τοῖς τρίποσι, τράπεζαι καλοῦνται, καὶ μαγίδες.* *In publica autem auctione etiam mensa quædam unico circulo constans vendita est: Verumtamen etiam ea quæ tripodibus imponuntur mensæ vocantur, & magides.* Idem *ἐπίθημα τοῦ τρίποδος κύκλον καὶ ὅλμον* vocat, mensam circularem tribus pedibus insidentem, vocat circulum, & olmum. Ita tripodis Delphici operculum cui insidet vates olmon, circulum, mensam circularem vocari ait. Mensa describitur l. IV. *Græcorum Epigramm.* c. XXXII. epigr. X. habens XII. signa, quale est repositorium Petronii,

Ἀργύρεος πόλος οὗτος ὅπη φαέθοντα σελήνη
Δέρκεται, ἀντιτύπων πιμπλαμένη φαέων.
Ἀπλανέες δ' ἑκάτερθε καὶ ἀντιθέοντες ἀλῆται
Ἀνδρομέης γενεῆς πᾶσαν ἄγουσι τύχην.
Argenteum hic cœlum est, ubi Solem Luna
Intuetur plena lumine radiorum Solis oppositi.
Utrinque fixæ stellæ & errones contra currentes
Humani generis omnem fortunam ducunt.

Titulus est *εἰς μινσώριον ἔχον τὰ δώδεκα ζώδια*, *in mensulam habentem* XII. *signa.* E testudinibus mensas & lectos fecere. Martialis l. IX. epigr. LX.

Et testudineum mensus quater hexaclinon,
Ingemuit citro non satis esse suo.

Lucianus in *Asino*, *κλίνη ἦν μεγάλη ἀπὸ χελώνης ἰνδικῆς.* *Lectus magnus e testudine Indica.* Clemens Alexand. *χελώνεις πεποικιλμένας κοίτας.* *Lecto factos e testudinibus.* Philo *de vita contemplat.* *τρίκλινα λιθοκόλλητα,* *triclinia e lapillis coagmentata.* Plinius l. XIII. c. XVI. Excogitatæ sunt & ligni bracteæ, testudo in hoc secta, nuperque portentosis ingeniis principatu Neronis inventum ut pigmentis perderet se, plurisque veniret imitata lignum. Sic lectis pretia quæruntur, sic terebinthum vinci jubent, sic citrum pretiosius fieri, sic acer despici. Lucianus de sellis & accubitis in *Lexiphane*, *κἀπειδὴ καιρὸς ἦν ἐπ' ἀγκῶνος ἐδειπνοῦμεν, ἔκειντο δ' ὀκλαδίαι καὶ ἀσκάνται,* *atque ubi jam tempus erat in cubitos inclinati cœnabamus. Erant autem sellæ & accubita semirotunda.*

CAP. XL.

DE REGE CONVIVII.

REx convivii unus aliquis sorte solitus eligi, aut corona imposita, qui modum bibendi poneret. Horatius *Carm.* lib. II. od. VII.

—— *Quem Venus arbitrum*
Dicet bibendi.

Item *Carm.* lib. I. od. IV.

Nec regna vini sortiere talis.

Lucianus in *Sacerdote*, & *Chrono*: *ἔτι καὶ βασιλέα μόνον ἐφ' ἁπάντων γενέσθαι τῷ ἀστραγάλῳ κρατήσαντα ὡς μήτε ἐπιταχθείης γελοῖα ἐπιτάγματα, καὶ αὐτὸς ἐπιτάττειν ἔχεις.* *Adhuc eum Regem supra omnes esse, qui jactu tali vicisset, ut non tibi aliquid ridiculi imperetur, sed aliis imperes.* *τῷ μὲν αἰσχρόν τι περὶ αὑτοῦ ἀναβοῆσαι, τῷ δὲ γυμνὸν ὀρχήσασθαι, καὶ ἀράμενον τὴν αὐλητρίδα τρὶς τὴν οἰκίαν περιελθεῖν.* *Alteri, ut turpe aliquid de seipso proclamet; alteri, ut nudus saltet, & sumens tibicinam ter domum circumeat.* Immo & sortes jaciebantur de loco, in quo quisque accumberet, & de genere cœnæ pro literarum varietate, quæ cuique obtigissent, Suida auctore. Interdum sine sorte Convivii Rex a convivatore dicebatur. Varro l. XX. *rerum humanar.* In conviviis, qui sunt instituti, potandi Modimperatores magistri. Iidem oxygarum ordinabant. Sidonius Regem convivii vocat ep. XIII. l. II. Idem l. IX. ep. XIII. Dum Rex convivii circa ordinandum moras nectit. Sed ea vox latius patet, quam Modimperatoris. Laertius in *Empedocle* vocat Symposiarchum: *Minister*, inquit, *Senatus fuit Rex convivii a convivatore constitutus, qui accusatus est ab Empedocle tyrannidis, cum eum jussisset bibere, aut ni biberet, vinum in ejus caput effundi.* *ἐγένετο συμποσίαρχος τοῦ κεκληκότος καταστάντος, ὃς ὑπέγραφε τυραννίδος ἀρχήν, κελεύσας ἢ πίνειν, ἢ καταχεῖσθαι τῆς κεφαλῆς.* Interdum ii, quibus corona imposita esset, Reges fiebant. Plutarchus *Sympos.* I. cap. IV. *στεφανηφοροῦντες (ὑποτιθέντες) συμποσιαρχεῖ.* Apud Ciceronem Cato major ait, Magisteria me delectant a majoribus instituta; & is sermo, qui more majorum a summo adhibetur in poculis, & pocula minuta, atque rorantia, hyeme Sol hibernus, aut ignis. Modimperator Romæ lege Posthumia institui solitus. Catullus:

Ingere mi calices amariores,
Ut lex Posthumiæ jubet magistra.

Ausonius in *Ephemeride*, Sex convivium cum Rege justum. Macrobius l. I. *Saturn. cap.* VII. lib. II. c. I. Regem convivii Regem mensæ appellat. Alii fuere apud Platonem Mnamones, qui convivas, ne se nimio vino proluerent, legis symposiæ admonerent. Iidem dicti & *ὀφθαλμοὶ*, *oculi*, quia inspicerent bibentes. *Ecclesiastici* XXXII. Convivii vini fit mentio, sed non aperte convivii Rex commemoratur. LXX. ita vertunt, *ἐν συμποσίῳ οἴνου μὴ ἐλέγξῃς τὸν πλησίον, καὶ μὴ ἐξουδενήσῃς αὐτὸν ἐν εὐφροσύνῃ αὐτοῦ. λόγον ὀνειδισμοῦ μὴ εἴπῃς αὐτῷ, καὶ μὴ αὐτὸν θλίψῃς ἐν ἀπαιτήσει αὐτοῦ. ἡγούμενόν σε κατέστησαν, μὴ ἐπαίρου. γίνου ἐν αὐτοῖς ὡς εἷς ἐξ αὐτῶν.* *In convivio vini ne arguas proximum, & ne eum vilipendas in lætitia, ne probrum ei dixeris, ne eum premas in occursu ejus; in Rectorem te constituerunt, ne extollaris, esto in ipsis ut unus eorum.* Vulgata Versio habet, *Rectorem te posuerunt, noli extolli, esto in illis quasi unus ex ipsis, curam illorum habe, & sic considera, & omni cura tua explicita recumbe, ut læteris propter illos, ut ornamentum gratiæ accipias, & dignationem consequaris corrogationis.* LXX. Interpretes, *ἵνα εὐφρανθῇς δι' αὐτούς, καὶ δι' εὐκοσμίας χάριν λάβῃς στέφανον.* Omnino Rectorem convivii intelligit, cui & in Judæis imposita corona, & corrogatio illa significat *ἔρανον*, ut morem illum constituendi Regis in conviviis latissime pertinuisse intelligas. Themistius *serm.* ult. *τοῦτον βασιλέα οὐχ αἱροῦνται ἄνθρωποι ἐν συμποσίῳ ἐκ μέθης καὶ πλησμονῆς ἀτέχνως, ἐπιδείπνιόν τινα βασιλέα, οὐκ εἰς μακρὸν οἰμωξόμενον μετὰ τὴν κραιπάλην, ὥσπερ ἐν κρονίοις.* *Hunc igitur Regem homines cum in convivio per ebrietatem, & crapulam simpliciter elegissent, Regem quemdam convivii, qui brevi pœnas erat daturus post crapulam, ut in Saturnalibus.* Quia per Saturnalia servi de more convivii Regem unum aliquem ex suis eligebant, qui postea, si quid temere egisset, castigabatur a domino. Cic. *in Verrem*, Iste enim Prætor severus, ac diligens, qui populi Romani legibus nunquam paruisset, illis diligenter legibus, quæ in poculis ponebantur, obtemperabat. Plinius lib. XIV. legem Posthumiam Regis Numæ commemorat, quæ est hæc, *Vino rogum ne respergito.* Quidam verba illa Lampridii de Heliogabalo ad magistrum convivii referunt. Præfectum urbicum sæpe post cœnam ad potandum vocabat, adhibitis Præfectis Prætorio; ita ut si recusarent, magistri eos cogerent. Male. Magistri officiorum intelligendi sunt, quorum mentio fit a Spartiano in *Pescennino.* Neque enim plures magistri convivii in

uno convivio fiebant. Deinde non erat convivium Heliogabali, sed comissatio post cœnam. Tapulla dicitur arbiter, & magister convivii. Festus Tapullam legem convivalem, quia tapulo, seu mensæ præesset. Lucillius;

Tapullam rident legem congerræ opimi.

Vel, ut alii, *conceræ*, alii *congeræ*. Quidam Tapullam legem a Tapulla auctore dictam augurantur. Alii taplum, & tapulum, a tabula. Nam & Glossæ sigma tabulam interpretantur. Cicero l. III. *in Verrem*, Eratque lex lata, ut aut biberent, aut discederent. *Tusculan.* v. *Mihi quidem in vita servanda illa lex, quæ in Græcorum conviviis obtinetur. Aut bibat*, inquit, *aut abeat*. Delendum forte, *inquit*. Bibit Verres Græco more, quem exponit Asconius *ad lib.* III. *in Verrem*, Græco more bibere est cum cyathis mero plenis saltare, & primo Deos, deinde amicos suos nominantes toties merum bibere, quoties Deum, & caros nominatim vocant. Acron *ad Oden* XIX. l. III. *Horatii*. Hoc modo Veteres festivitatem conviviorum celebrare consueverant, ut singulos vini cyathos sub singulorum Deorum, aut carissimorum hominum nomine in poculis apponi juberent. Alia lex poni solita, ut de summo biberent. Plautus in *Asinaria*, Da puere ab summo, id est, ut omnes a summo ad imum, ordine, & tantumdem biberent. Poculum erat siccandum, ne quid in fundo maneret. Petronius, Quod amica se non dimisisset, nisi tribus potionibus e lege siccatis. Juvenalis *Satyr.* v.

Siccabat calicem nasorum quatuor.

Bibebant autem amicorum memores, quibus multos annos precati. Ovidius lib. III. *Fastor.*

Sole tamen, vinoque calent, annosque precantur,
Quo sumunt cyathos, ad numerumque bibunt.
Invenies illic qui Nestoris ebibat annos,
Quæ sit per calices facta Sibylla suos.

Horatius lib. III. Ode XIX.

Da Lunæ propere novæ,
Da noctis mediæ, da puer anguris
Murenæ.

Martialis lib. VIII. epigr. LI.

Det numerum cyathis Instanti littera Rufi.

Horatius lib. IV. Ode V.

Te mensis adhibet Deum,
Te multa prece, te prosequitur mero
Diffuso pateris.

Martialis lib. I. epigr. LXXII.

Nævia sex cyathis, septem Justina bibatur.
Quinque Lycas, Lyde quatuor, Ida tribus.
Omnis ab infuso numeretur amica Falerno.

Sed redeamus ad magistrum bibendi, qui Plauto dicitur Dictator, ἐρανάρχης, στρατηγὸς, συμποσίαρχος. In *Sticho*,

Strategum te facio huic convivio.

Plutarchus in *Catone*, docet sortem jaci solitam, de partibus cœnæ, ἐν δὲ τοῖς δείπνοις ἐκληροῦτο περὶ τῶν μερίδων. εἰ δὲ ἀπολάχοι, πρῶτον αἱρεῖν τῶν φίλων κελευόντων ἔλεγε μὴ καλῶς ἔχειν, ἀκούσης τῆς ἀφροδίτης. *In cœnis sortiebatur de partibus. Quod si ei sors non obtigisset, primum eligere amicis jubentibus, dicebat non bene habere, invito Veneris jactu.* μερίδες, illæ partes, erant ciborum partes, quarum aliæ unctiores, aliæ minus unctæ. Interdum imposita corona Rex creabatur. Plautus *Persa*,

Do hanc tibi florentem florenti, tu hic eris
Dictatrix nobis.

Varro lib. IV. *de lingua Latina*, Præterea in poculis erant pateræ, eo quod pateant latius, ita dictæ. Hisce etiam nunc in publico convivio antiquitatis retinendæ causa, cum magistri fiunt, potio circumfertur, & in sacrificando hoc poculo magistratus dat Deo vinum. Laertius ἐρανάρχην vocat in epulo per symbolas.

CAP. XLI.

DE LAVANDIS MANIBUS.

Moris fuit, ut convivæ, antequam accumberent, lavarent. Ad singulos missus lavabant, & post cœnam. Lotio ante cœnam proprie dicitur ὕδωρ κατὰ χειρός. Athenæus lib. IX. τὸ μὲν πρὸ ἀρίστου, καὶ δείπνου λέγεσθαι κατὰ χειρὸς, τὸ δὲ μετὰ ταῦτα ἀπονίψασθαι. Vide eundem lib. VI. Aristophanes tamen dixit in *Vespis*, ὕδωρ κατὰ χειρὸς μετὰ τραπέζας εἰσφέρειν. Caper Grammaticus, *In manus aquam poscimus*. Scholiastes Aristophanis in *Vespis*. Post cibum sumptum dicunt, ἀπονίψασθαι δίς ὦ παῖ. (lege δεῖ.) Post cœnam lavabant, deinde unguenta exhibebantur, quod Plato vocat παραχέειν λίτρον, τουτέστι μύρον. Athenæus lib. IX. λίτρον Attici, alii νίτρον. Casaubonus legendum putat νίπτρον, vel λουτρὸν, quia νίψασθαι proprie de lotione post epulas. Ante cœnam lavandis manibus potuit nitrum adhiberi, non post cœnam. Immo, ut magdaliæ, ita & nitrum post cœnam. Athenæus lib. IV. cap. I. & Lampridius in *Heliogabalo*, ad singulos missus lavasse ajunt. Unde lautia Festo, magnificentia epularum. Sidonius lib. I. ep. XI. Retrorsumque conversus tamquam manibus aquam poscerem. Paulinus lib. IV. *de S. Martino*, Imperatrix Maximi uxor,

Apponit mensam, sellam locat, ingerit ultro
Lintea siccandis manibus, lymphasque lavandis,
Escas perspicuis properat deferre canistris:
Et quamquam officiis nunquam defessa vacasset,
Supplebat jugem standi virtute laborem.

Eustathius, ἀπομαγδαλιὰ, καὶ ἀπομάγδαλις, ψωμὸς, ᾗ σταῖς διὰ τοῦ μετὰ δεῖπνον ἐξέματτον τὸν τῶν χειρῶν ῥύπον, καὶ ἔῤῥιπτον τοῖς κυσὶ, ὅθεν ἀπὸ μαγδαλιᾶς σιτεῖσθαι λέγονται οἱ ῥυπαρῶς βιοῦντες. Pag. 185. 1887. Græci χέρνιβα, χειρόνιβα, χερνίβια, χειρόνιπτρα vocant. Athen. l. IX. ἐχρῶντο δὲ εἰς τὰς χεῖρας ἀποπλύνοντες αὐτὰς καὶ σμύγματι ἀποῤῥύψεως χάριν, δι' ὧν δὲ ἐσι τὰς χεῖρας κατεχρίοντο τὰς ἀπομαγδαλιὰς τομὰς ἀτιμάσαντες, ἃς οἱ Λακεδαιμόνιοι λέγουσι κυνάδας. *Utebantur autem smygmate manus abluentes, ut sordes purgarent. Rebus odoratis manus inungebant, segmenta magdaliæ negligentes, quas Lacones vocant cynadas, id est, canum offas.* Apud Athenæum λίτρον, seu νίτρον retineam libenter, quia nihil efficacius nitro ad manus, & ipsum corpus purgandum. In Sacris Literis: Si laveris te nitro, & multiplicaveris tibi herbam Borith, *Hieremiæ* cap. II. Athanasius *serm. de virginit.* ὅταν νίψῃς τὸ πρόσωπόν σου, νίψῃ ταῖς δύο χερσὶ, οὐδὲ μὴ ἐκτρίψῃ τὰ μῆλα τῆς ὄψεώς σου, οὐδὲ μὴ βάλῃς πόαν, οὐδὲ νίτρον. *Cum lavabis faciem tuam, lavare duabus manibus, neque triveris malas vultus tui, neque herbam, aut nitrum injeceris.* Athenæus lib. IX. ἀπόνιπτρον τὸ ἀπόνιμμα τῶν χειρῶν, καὶ τῶν ποδῶν, χειρόμακτρον, ὠμόλινον. *Aponiptrum aqua lavandis manibus, & pedibus, mantile, linteum.* Hesychius, μετανιπτρὶς, μετάνιπτρον, ἡ μετὰ τὸ δεῖπνον, ἐπὰν νίψονται, διδομένη κύλιξ. *Metaniptris poculum, quod datur post cœnam, cum laverint.* Archestratus,

Χέρνιβα δ' αἶψα θύραζε φέροι, στεφανώματα δ' εἴσω
Εὐειδὴς ῥαδινῇς χερσὶ λάκαινα κόρη.

Aquam, qua lavarunt manus, ferat foras, & coronamenta intro pulcra lacæna, puella teneris manibus. Homerus *Odyss.* I.

Χέρνιβα δ' ἀμφίπολος προχόῳ ἐπέχευε φέρουσα
Καλῇ χρυσείῃ ὑπὲρ ἀργυρέοιο λέβητος.

Aquam manibus ancilla gutturnio infundebat pulcro, aureo, super lebetem argenteum. Idem *Iliad.*Ω.

A

——— ἡ δὲ παρέστη
Χέρνιβον ἀμφίπολος, πρόχοον δ' ἅμα χερσὶν ἔχουσα.

Χέρνιβον, χερόνιπτρον, λέβης est *pollubrum*, πρόχοος *gutturnium*. χέρνιψ ipsam manuum ablutionem significat, apud Thucydidem l. IV. νίψασθαι in principio cœnæ, ἀπονίψασθαι in fine. Homerus,

Χέρνιβα δ' ἀμφίπολος προχόῳ κατέχευε φέρουσα
Νίψασθαι.

B Lacones, qui apomagdalia usi, seu buccella tergendis manibus, eam domum referebant ob nocturnos in biviis metus, κυνάδα vocantes, & canibus dabant reversi. Homerus eam intellexit, & significavit his versibus:

Ὡς δ' ὅταν ἀμφὶ ἄνακτα κύνες δαίτηθεν ἰόντα
Σαίνωσ' αἰεὶ γάρ τε φέρει μειλίγματα θυμοῦ.

Ut cum canes domino adulantur redeunti e convivio, semper enim fert aliquid, quod deliniat animum. Citat hæc Plutarchus in *Lycurgo*. Eustathius putat magdaliam dictam ἀπὸ τοῦ μάσσειν, & esse zymoma quoddam, in quod abstersis ciborum sordibus pinguioribus, inde canibus pararetur cibus. Nardo pulverem vento impactum laudat Dioscorides ad chironiptron, id est, malluvias, seu manuum ablutionem. Dicitur & aponiptrum, & ἀπόνιμμα. Athenis tamen ἀπονίμματα vocant, cum lavant manus a funere, aut in sceleratorum purgatione. Diximus Veteres usos tergendis manibus smegmate, a σμήχω, *purgo*, quæ Galenus vocat Trachomatica, & ῥύμματα, seu ῥύπτοντα.

DE CONVIVIIS
LIBER SECUNDUS.
PROLUSIO.

C Paulus Æmilius ejusdem Imperatoris esse dicebat, & pulcre instruere aciem adversus inimicos, & convivium adversus amicos, cum id temporis Romæ cœnæ centusses essent. Postea deliciæ Romam influxere, de quibus Lucanus lib. X.

Infudere epulas auro, quod terra, quod aer,
Quod pelagus, Nilusque dedit, quod luxus inani
Ambitione furens toto quæsivit in orbe,
Non mandante fame, multas volucresque, ferasque
Ægypti posuere Deos, manibusque ministrat,
Niliacas crystallus aquas, gemmaque capace
Excepere merum, sed non Mareotidos uvæ
Nobile, sed paucis senium cui contulit annis
Indomitum Meroe cogens spumare Falernum.

Fuit luxus Ægyptius in vitio, moderatio Persica in laude. Xenophon l. V. *Pæd.* ἐπ' οὐδενὶ τῷ βρώματι, οὐδὲ πόματι, πέρσης ἀνὴρ τῶν πεπαιδευμένων οὔτ' ὄμμασιν αὖ ἐκπεπληγμένος καταφανὴς γένοιτο, οὔτ' ἁρπαγῇ, οὔτε νόῳ, μὴ οὐχὶ προνοεῖν ἅπερ ἂν καὶ μὴ ἐν σίτῳ ὤν, καὶ ὥσπερ οἱ ἱππικοὶ διὰ τὸ μὴ ταράσσεσθαι ἐπὶ τῶν ἵππων, δύνανται ἅμα ἱππεύοντες καὶ ὁρᾶν, καὶ ἀκούειν, καὶ λέγειν, τὸ δέον, οὕτω καὶ ἐκεῖνοι ἐν τῷ σίτῳ οἴονται δεῖν φρόνιμοι, φαίδιμοι, καὶ μέτριοι φαίνεσθαι. *In cibo, & potu cujuscumque generis Persa bene institutus, neque oculis externatus videbitur, neque studio rapiendi, neque manu, neque mente ita commotus, ut ea non provideat, quæ citra cibum prospiceret; & ut equites, quia non turbantur in equis, possunt equitantes simul & videre, & audire, & dicere quod convenit: ita & illi inter vina prudentes, elegantes, & moderatos se præbent.* Sidonius epist. II. l. I. In convivio Theodorici, cibi arte, non pretio placent; fercula ratione, non pondere, scyphorum, paterarum raras oblationes, facilius est, ut accuset sitis, quam rea sit ebrietas. Lib. II. epist. VI. Videas ibi elegantiam Græcam, abundantiam Gallicanam, celeritatem Italam, publicam pompam, privatam diligentiam, regiam disciplinam. Plinius de se: Eadem omnibus pono, ad cœnam enim, non ad notam invito. Si gulæ temperas, non est onerosum, quo utaris, communicare cum pluribus; illa ergo reprimenda, illa quasi in ordinem reducenda est, si sumptibus parcas, quibus aliquanto rectius tua continentia, quam aliena contumelia consulas. Ibidem Plinius quemdam incusat, qui sibi, & paucis opima, cæteris vilia, & minuta ponebat, vinum etiam parvulis lagunculis in tria genera descripserat, non ut potestas eligendi, sed ne ejus esset recusandi. Horatius *Satyr.* II. lib. II.

D

— non in caro nidore voluptas
Summa, sed in teipso est. tu pulmentaria quære
Sudando.
Cum labor extuderit fastidia, siccus, inanis,
Sperne cibum vilem.
Jejunus raro stomachus vulgaria temnit.
— Mala copia quando
Ægrum sollicitat stomachum.

E Disruptum ganea stomachum, ait Sidonius, nulla sarcire res melius, quam parcimonia solet: ideo Veterum cibus tenuis, Arcades glande, Argivi pyris, Athenienses ficubus, Tirynthii pyris sylvestribus, quas vocant ἀχράδας, Indi calamis, Carmani dactylis, Sauromatæ milio, Persæ terebintho, & nasturcio victitarunt, Lacones jure illo nigro, maxima hominum pars ἀκροδρύοις, castaneis, & glande, auctore Æliano l. III. *Variæ Histor.* Lycurgus cibum præscripsit Laconibus, ut neque onerarentur, neque inanes mensa excederent. Jus nigrum caput cœnæ esse voluit, non glandia, sumen, aut offam penitam. Helluones postea fuere, qui cibis, iisque ferventibus se onerarent. Ideo Philoxenus manus, & os calidis aquis sæpe lavabat, ut calidos cibos deglutiret. Item Pithyllus Tentes dictus, qui linguæ crustam ceu loricam inducebat, ut cibos quam ferventissima lingua vorar-

F et. Suidas προσελυθρῶν τὴν γλῶτταν, *loricare linguam* dixit, unde & περιγλωττίς. Seneca ep. XCV. Quid illa, & quæ tantum non ab ipso igne in os transferuntur, judicas sine noxa in ipsis visceribus ex-

ſtingui? Ideo foculi reperti. Epiſt. LXXXV. Circa cœnationem ejus tumultus coquorum eſt, ipſos cum obſoniis focos transferentium. Hoc enim jam luxuria commenta eſt, ne quid palato jam calloſo parum ferveat, cœnam culina proſequitur. Plautinus ille liguritor in *Trinummo* dicebat, Act. II. ſc. IV.

Verecundari neminem apud menſam decet.
Nam ibi de divinis, & humanis cernitur.
Cœna hæc annona eſt, ſine ſacris hæreditas,
Edim, atque ambabus malis expletis vorem.

Honeſti convivæ convivatorem nimiæ magnificentiæ vulgo incuſant. Idem in *Milite glorioſo*, Act. III. ſc. I.

Nam ii ſolent, quando accubuere, ubi cœna appoſita eſt, dicere:
Quid opus fuit hoc, hoſpes, ſumptu tanto, noſtra gratia?
Sed iidem homines nunquam dicunt, quanquam appoſitum eſt ampliter,
Jube illud denuo tolli, hanc patinam removere, pernam nihil moror,
Aufer illam offam penitam.
Sed percellunt ſe, & procumbunt, dimidiatim dum appetunt.

Moris autem fuit, ut convivatori accumbenti ab architriclino chartula daretur, in qua quid cibi coquus illaturus eſſet in menſam, ſciretur. Suidas, ἑστιάτορι κατακλιθέντι ἐν τοῖς δείπνοις ἔθος ἦν προδίδοσθαι, γραμματίδιόν τι περιέχον ἀναγραφὴν τῶν παρεσκευασμένων, ἐφ' ᾧ εἰδέναι ὅτι μέλλοι ὄψον φέρειν ὁ μάγειρος. Vide Athenæum ſub finem lib. XIV. Sidonius lib. II. epiſt. IX. Prandebamus breviter copioſe, Senatorium ad morem, quo inſitum, inſtitutumque multas epulas paucis paropſidibus apponi, quamvis convivium per edulia, nunc aſſa, nunc jurulenta varietur.

CAP. I.

DE MENSIS, ET FERCULIS.

De menſis tricliniaribus egimus. Inquiramus jam, an ſua cuique menſa ſit appoſita, cum in ſigmate, aut lectis accumberent. Non videtur id Romæ factum, ubi tribus lectis menſa una cingebatur, vel certe uno ſigmate, qui lectus unus perpetuus fuit, quo quinque, ſex, pluresve caperentur. Scholiaſtes tamen Homeri ad hæc verba lib. I. *Odyſſ.*

Τῷ ξεστὴν παρέτεθη τράπεζα.

Huic appoſita eſt expolita menſa. ἑκάστῳ τῶν δαιτυμόνων κατ' ἄνδρα παρακεῖσθαι τράπεζαν. *Moris fuit, ut cuique convivæ ſua menſa apponeretur.* Item, παρ' ὅλην συνουσίαν παρέκειντο αἱ τράπεζαι πλήρεις. *In omni convivio aſſitæ erant menſæ plenæ.* Sed Heroes Homeri ævo, & paulo ante, aſſidebant menſis, non accumbebant: ideo ſua cuique menſa quadrata potuit apponi. Item, παντὶ παρατίθεται κανέον, καὶ τράπεζα, καὶ δέπας πιεῖν ὅτε θυμὸς ἀνώγει. *Unicuique apponitur caniſter, menſa, & poculum, ut bibat arbitratu ſuo.* Servius lib. I. *Æneid.* Olim ipſas menſas apponebant pro diſcis. Idem ad hæc verba,

—— & menſæ grata ſecundæ.

Duas menſas habebant, unam carnis, aliam pomorum. Idem alteram menſam epularum fuiſſe ait, alteram poculorum. Virgilius loco cit.

Poſtquam prima quies epulis, menſæque remotæ,
Crateras magnos ſtatuunt, & vina coronant.

Ubi Servius Romanorum morem exſequitur, apud quos duæ menſæ erant, una epularum, altera poculorum, quæ antiqui coronabant: Virgilius *Æneid.* III.

—— Magnum cratera corona
Induit,

Idque in ſecundis menſis, ait Servius. Nam primo bibebant minoribus poculis, mox majoribus. Tibullus;

Coronatus ſtabit & ipſe calix.

Quidam per menſas intelligunt fercula, aut lances. Cum menſa exiſſent, famulæ cibum, menſas, pocula tollebant, menſas tergebant. Homerus lib. IV. *Odyſſ.* facit δειπνοῦντας, ὁμιλοῦντας, εἶτα ἀπονιψαμένους ποιεῖ πάλιν δειπνοῦντας. *Prandentes, colloquentes, deinde lavantes, & iterum prandentes.* Virgilius *Æneid.* I.

Poſtquam exempta fames epulis, menſæque remotæ.

Plures ergo menſæ fuere. Sed lib. VII. cum menſas comedi ſſe dicuntur, lances e cruſta panis exaudiendæ ſunt. Ferculum menſæ genus fuit. Menſa cum ferculo conjungitur apud Plinium lib. XXVIII. cap. I. Sternutamento revocari ferculum, menſamve. Saresberienſis lib. VIII. cap. VII. *Polycrat.* ferculum παράθεσιν, menſam unam. Videntur in tricliniis ubi tres lecti etiam plures menſæ fuiſſe. Apud Joſephum lib. XII. cap. IV. Cum Hyrcanus Judæus ad menſam Ptolemæi accumberet, & ut erat adoleſcens pene puer, a deſignatoribus & locariis infra omnes accumbere juſſus eſſet, id eſt, ut interpretor, in imo lecto, & imo loco, cæteri convivæ oſſa jecerunt ante eum, ita ut impleverint menſam quæ ei appoſita erat. Verba Græca alio loco pono. Apud Macrobium & Athenæum quot miſſus inferebantur, tot menſæ mutabantur, & cum cibis, onuſtæ menſæ illatæ, cum iiſdemque denuo ſublatæ. Servius *ad lib.* I. *Æneid.* Apud Romanos etiam cœna edita, ſublatiſque menſis primis ſilentium fieri ſolebat. Fercula vocant ἐπιτραπεζώματα. Sæpe ſeptem aut etiam plures menſæ refertæ omni ciborum genere inferebantur. Philo lib. *de vita contemplat.* ἑπτὰ γοῦν καὶ πλείους εἰσκομίζονται τράπεζαι πλήρεις ἁπάντων ὅσα γῆ τε καὶ θάλαττα καὶ ποταμοὶ καὶ ἀὴρ φέρουσι. *Septem igitur & plures menſæ inferuntur plenæ omnibus quæ terra, mare, fluvii, aer gignunt.* At ſeptem erant convivæ, ergo ſingulis ſua menſa. Partes ciborum ſingulis convivis æquales dabant ii miniſtri qui dicti diribitores. Clemens lib. III. *Pædag.* ὀψοποιῶν, καὶ τραπεζοποιῶν καὶ τῶν ἐντέχνως εἰς μοίρας κατατεμνόντων τὰ κρέα τὸν πολὺν συνωνούμενοι ὄχλον. μεμέρισται δὲ αὐτοῖς ἡ θητεία πολυσχεδῶς. καὶ οἱ μὲν περὶ τὴν γαστριμαργίαν αὐτῶν πονοῦσι, δαιτροί τε καὶ καρυκευταὶ καὶ οἱ τῶν πεμμάτων, καὶ οἱ τῶν μελιπήκτων, καὶ οἱ τῶν ῥοφημάτων συσκευασταί τε καὶ δημιουργοί, &c. οἰνοχόων τε ὅμιλος ἀσκεῖται παρ' αὐτοῖς, καὶ μειρακίων ὡραίων ἀγέλαι καθάπερ θρεμμάτων, παρ' ὧν ἀμέλγονται τὸ κάλλος, &c μυρεψοὺς, μαγειρίστας, πεσσούσας. *Mercai i multitudinem coquorum, ſtructorum, menſis præpoſitorum, ſc ſſorum qui perite in partes ſecent. Dividuntur enim miniſtri multifariam, & alii quidem gulæ eorum ſerviunt, carptores, ciborum conditores, qui bellaria, placentas mellitas & ſorbitiunculas apparent. Pocillatorum turbam exercent, & elegantium forma adoleſcentium greges ut pecudum a quibus pulcritudinem mulgent. Habent unguentarias, ciborum conditrices, panifices.*

CAP. II.

DE PARTIBUS.

Moris olim fuit ut partes convivis ſingulis æquales apponerentur. Interdum tamen ſortes mittebant ut is prior eligeret, cui Venus addixiſſet, unde apud Plutarchum, Cato major cum

ceia æteris jus eligendi daretur, deprecari ſolitus erat, cum diceret, id ſibi integrum non eſſe invita Venere. Athenæus lib. XIV. ſcribit Simonidem, quum ei ut cæteris lepuſculus in menſam non appoſitus eſſet, ſed poſtea Hieron ei dediſſet, ex tempore dixiſſe, οὐ παρατεθέντος αὐτῷ ἐπὶ τὴν τράπεζαν καθάπερ καὶ τοῖς ἄλλοις λαγωοῦ, ἀλλ' ὕστερον μεταδιδόντος τοῦ Ἱέρωνος, ἀπεσχεδίασεν. Monet autem Euſtathius pag. 55. & 1401. *Odyſſ.* δαῖτα ἐίσην dictam ab Homero convivium æquale, quod in conviviis ſingulis portio æqualis daretur, διὰ τὴν ἐπιτηδευομένην ἐν τοῖς συμποσίοις ἰσομοιρίαν. Ait enim Homerus,

Κεκορήμεθα δαιτὸς ἐίσης.

Unde & δαὶς dicta a dividendo. δαίειν *dividere*. Idem docet ἀτασθαλίαν dictam ab ἄτη & θαλίαις, cum injuria fieret in conviviis, & cibi per vim a fortioribus dividerentur. Idem, δαιτρὸς ὁ τὰ κρέα μερίζων τοῖς δαιτυμόσι, ὅθεν δαιτρὸν πίνειν ἢ ἀπομεμερισμένον. *Dætrus qui carnes ex æquo dividebat convivis*. Unde bibere æqualiter vinum diviſum. Zenodotus δαῖτα ἐίσην exponit bonam, ἐΰν. ἐῢς enim & ἐὸς vox antiqua quæ ſignificat *bonum*. Alii ἐίσην ab εἶμι *vado*, quia primi illi homines impetu facto cibum rapiebant, ἀθρόως ἐπ' αὐτὴν ἰόντες βίᾳ ἥρπαζον. Inde ἀτασθαλία dicta, quaſi ἄτη θαλίας apud Athenæum lib. I. Homerus,

Οἱ δ' ἤδη μοίρας ἔνεμον, κερόωντό τ' οἶνον.

Illi partes dividebant, & miſcebant vinum.

De Eumæo,

Καὶ τὰ μὲν ἔπταχα πάντα διεμοιρᾶτο δαΐζων,
Τὴν μὲν ἴαν νύμφῃσι, καὶ Ἑρμῇ Μαιάδος υἷι
Θῆκεν ἐπευξάμενος, τὰς δ' ἄλλας νεῖμεν ἑκάστῳ.

Jamblichus *de vita Pythagoræ*. τὸ ἀρχαῖον βαρβαρικῶς πάντες ἐπὶ ἕνα ἄρτον συνῄεσαν οἱ φίλοι, *olim barbarico more amici omnes ad unum panem concurrebant*, unde Ataſthalia dicta. Eumæus ſcindens appoſita in ſeptem partes diviſit, quarum unam Nymphis, & Mercurio dedit Maja genito, precatus cum voto, alias ſingulis dedit. Plutarc. *Serm. convival.* lib. II. c. X. ἑκάστῳ μερίδος ἀποκληρωμένης, cum unicuique pars ſortito data eſſet, quia jactu talorum partes ſortiebantur. Unde proverbium vetus, μερὶς οὐ πνίγει, *pars non ſtrangulat*. Apulejus *Mileſ.* IV. Partes ſurreptas, & prægustatas portiones offerebat. Apud Sueton. Caligula, Equiti Romano avidius veſcenti partes ſuas miſit. Olim unus tantum miſſus fuit, unum ferculum, quod ex æquo in ſingulos convivas divideretur. Poſtquam plura fercula illata ſunt ea dicta ἐπιφορήματα, ut ſcribit Dionyſius Trypho. Ita *Geneſ.* XLIII. A Joſepho partes fratribus datæ. I. *Reg.* IX. a Samuele Sauli data pars optima. Partes enim digniores dignioribus apponi ſolitas oſtendit Homerus in Achillis prandio, quo Ulyſſem, & Neſtorem excepit. Lautiores autem viri convivis ſuis voce clara poteſtatem facere ſoliti, maxime ſi rectæ cœnæ darentur, ut poſcerent quæ vellent. Petronius, jam Trimalcio eadem omnia luſu intermiſſo popoſcerat, feceratque poteſtatem clara voce ſi quis noſtrum iterum vellet, mulſum ſumere. Singulis convivis quadram panis, & partem ſuam flagitare jus erat, & mappa madente condere. Martialis, lib. VII. ep. XIX.

Nil eſt miſerius, nec guloſius Sanctra,
Rectam vocatus cum cucurrit ad cœnam,
Ter poſcit apri glandulas, quater lumbum,
Nec erubeſcit pejerare de turdo.

Moris item fuit apud Perſas, & Romanos Imper. ut amicis ſuis, aut famulis de cœna ſua mitterent partes, narrante Athenæo lib. IV. Rex Perſarum non modo amicis, ducibus, ſtipatoribus particulas e prandio ſuo mittebat, ſed etiam in menſa ſua ſervorum, canumque prandium conſtitui voluit, ut Xenophon lib. I. & lib. VIII. *Pædiæ*. Sed & ſponſi in Græcia ex nuptiis partes ad abſentes mittebant.

A Ariſtophanes in *Acharnan.* ἔπεμψέ τίς σοι νυμφίος ταυτὶ κρέα ἐκ τῶν γάμων, *Miſit quidam ſponſus ad te carnes ex nuptiis*. Apud Plutarchum in *Arato*, Antigonus Rex Corinthi ſacra faciens miſit Arato μερίδας partes. Dominus autem convivii, & alii convivæ dabant partes ciborum, quos ipſi ſibi ſumebant, quibus volebant. Athenæus lib. I. ἐδωροῦντο δὲ καὶ ἀπὸ τῶν αὑτῶν μοίρας οἷς ἐβούλοντο. Ulyſſes αὐτοῦ ἀποπροταμὼν οὗ αὐτῷ παρέθεντο, ait Homerus, *Ipſe ſcindens ex eo, quod ſibi appoſitum erat*. Lampridius *de Alexandro Severo*, Semper de manu ſua miniſtris & panem, & partes olerum, aut carnis dabat. Particulas carnium vocabant Ideas, παρὰ B τὸ ἰδεῖν. Prima carnium portio dicebatur ἑρμοῦ κλῆρος, *Mercurii ſors*, apud Athenæum. Partem quiſque ſuam vel ſervo donare, vel domum mittere poterat, ut Suetonius in *Galba* cap. II. Martialis lib. III. epigr. XXIII.

Omnia quum retro pueris obſonia tradas,
Cur non menſa tibi ponitur a pedibus?

Igitur accipiebat quiſque partem ſuam, quam domum ad uxorem, aut filios referre poſſet. Petronius in *Satyr. Dum hæc fabula inter amantes luditur, diverſitor cum parte cœnulæ intervenit*. Apud Ariſtænetum lib. I. epiſt. V. mulier fraudulenta ait, ὅμως ἂν ταύτην λάθρα, καὶ βραχέα τῶν ὄψων ἐπιδῷς, C αὐτὸν ἐξαπατήσω. *Si veſtem illam clanculum, & pauculas e convivio partes ad me miſeris, eum decipiam*. Sciſſores, & diribitores ſcindebant carnes, & ſuam cuique partem apponebant. Mercurii ſors, pars illa carnium, quæ prima Mercurio conſecrata ſeponebatur, apud Pollucem lib. VI. cap. IX.

CAP. III.

DE CŒNÆ PARTIBUS.

TRes olim cœnæ partes fuere, promulſis, ſeu D antecœna, & antecœnium, deinde caput cœnæ, quod proprie δεῖπνον dicitur, tum vero bellaria, quæ dicitur ſecunda menſa. Cicero lib. V. *Epiſtolar. ad Familiar.* In lacinia te ſervantem ex menſa ſecunda ſemina. Promulſis proprie dicitur de omnibus cibis ante primum hauſtum, quem ex mulſo ducunt. Melle temperant vinum lenius. Horatius lib. II. ſat. IV.

Aufidius forti miſcebat vina Falerno,
Mendoſe, quoniam vacuis committere venis
Nil niſi dulce juvat.

Oſtendam infra Aufidium in eo non peccaſſe. Dabatur enim mulſum ex vino maxime generoſo, te- E ſte Plinio, quia cum melle facile concorporatur, non item lene. Plinius lib. I. *Epiſtol.* Paratæ erant lactucæ ſingulæ, cochleæ ternæ, ova bina, alica cum mulſo, quod a divitibus tantum dari moris. Martialis:

Nos alicam, mulſum poterit tibi mittere dives.

Horatius lene mulſum requirit *loco cit.*

—— *leni præcordia mulſo*
Prolueris.

De promulſide diximus, de antecœnio dicamus. Apulejus *Mileſ* II. Gladiatoriæ Veneris antecœnia dixit. Saresberienſis lib. VIII. Infamem fecit cœnam, & antecœnium. Portunianus antecœnium, F & paracœnium vocat. Apulejus *Mileſ.* IX. guſtatum. *Nobis*, inquit, *gallina guſtatum comparat*. Apud Athenæum lib. II. πρόπομα non eſt potio, ſed antecœna. ξηροφαγία Tertulliani eſt panis ſiccus ſine potu. Fercula non pertinent ad antecœnium, ut bellaria, ſed ad cœnæ caput, miſſus appellant. Martialis lib. III. epig. L.

Alter perlegitur, dum fercula prima morantur,
Tertius eſt, nec adhuc menſa ſecunda venit.

Video tamen quosdam senis, alios quaternis, aut ternis ferculis cœnam præbuisse. Suetonius: Augustus cœnam trinis ferculis, aut cum abundantissime senis, cœnam præbebat. Fulgentius ferculum interpretatur missum carnium. Eginghartus in *Carolo Magno*: Cœna ejus quotidiana quaternis tantum ferculis præbebatur, præter assam, quam venatores verubus inferre solebant. Petronius in *Satyr.* Postquam ferculum allatum est, quum subito symphonia signum datum, & gustatoria pariter a choro cantante rapiuntur. Verba Horatii lib. II. sat. IV.

—— ille salubres
Æstates peraget, qui nigris prandia moris
Finiet.

de gustatione, seu gustu, & antecœna videntur accipienda, non de mensa pomorum. Interdum in gustatione vinum, & mel separatim apponebant, ut quisque arbitratu suo id temperans, mulsum sibi conficeret. Athenæus scribit moris fuisse, ut domino convivii, simul ac decubuisset, scheda daretur, quæ descripta ordine obsonia omnia haberet, ut jam tum sciri posset quid primum, quid postremum coquus missurus esset. Athenæus lib. II. antecœnium *πρόπομα* vocat, *πρόπομα τὸ πρὸ τοῦ δείπνου περιεφέρετο καθὼς εἰώθει τὸ πρῶτον, ὧν δὲ τῶν ἐν τοῖς προπόμασι παρασκευαζομένων καὶ μαλάχαι.* *Antecœnium circumferebatur ex more, inter ea quæ antecœnii fuerunt, malvæ erant.* Quidquid ante primum mulsi haustum sumitur, vocatur promulsis. Frigidæ mensæ proprie de echinis, ostreis, sphondylis in antecœna, & peloridibus accipiuntur apud Macrobium. Gordianus frigidarum erat percupidus, teste Capitolino: *ἄπυρος τροφὴ ἡ δι᾽ ὀπώρας, καὶ λαχάνων.* Propoma olim potio omnium prima, & ante omnem cibum hausta. Nata vox sub Claudio Cæsare, aut potius mos, ut Plinius lib. XIV. cap. XXII. Athenæus lib. IV. scribit Cleomenem Lacedæmonium vini cyathum ante cœnam cuique porrexisse. Medici hoc significatu *πρόπομα* usurpant. Plutarchus in *Symposiis* tria ponit in cœna *προπόματα*, deinde *λεπτὰ, καὶ τομὰ, καὶ ὀξέα*, echinos scilicet, & cruda olera, tum caput cœnæ. Postea *πρόπομα* pro antecœnio positum est, ut significet *τὰς εἰθισμένας προπαρατίθεσθαι περιφορὰς*, ut loquitur Athenæus lib. III. Macrobius *Saturn.* lib. III. *de cœna Metelli*: Cœna hæc fuit, ante cœnam, echinos, ostreas crudas, quantum vellent, peloridas, spondylos, turdum, asparagos, subtus gallinam altilem, patinam ostrearum, peloridum, balanos nigros, balanos albos, iterum spondylos, glycymeridas, (ostreorum genus est) urticam, ficedulas, lumbos aprugnos, altilia ex farina involuta, murices, & purpuras. Martialis in antecœnio ponit lactucam, pori fila, cordyla, quæ cum rutæ frondibus, ova tegunt, massam Velabrensem, olivas e Piceno. Isidorus lib XVIII. Contra venenum nuces, lupini, citrium, apium prosunt, &c. Unde apud Veteres ante alias cœnas hæc solebant mensis apponere, ostrea, tubera maris, dicta Matroni Parodo, *ὄστρεά τ᾽ ἤνεγκεν Θέτιδος νηρῆιδος ὕδνα.* Asparagos vocarunt omnes cauliculos, qui ex herbis vere pleno efflorescunt, *ἐξανθοῦσι*. Asparagum e brassica vocant *ὅρμενον*, quod erumpat, & germinet. Acrocolia sunt in antecœnio pedes mactatarum victimarum, aut partes extremæ, quibus vescuntur, ut aures, rostra, quæ Galenus vocat *τὰ ἄκρα μόρια τῶν πεζῶν ζώων*, quia carne carent. *ἀκροκώλια, ἐπίθυα*, vel *ἐμπρόσθια*. Plutarchus negat suo ævo œnomeli, vulvam, cerebrum, sicyopeponem, piper, malum Medicum in usu fuisse. *σικυὸς* cucumis dicitur a *σεύεσθαι*, progredi, imitari, & *κίειν*, ire. Eustathius notat debuisse scribi *συκιὸς*, quia in ventrem crescant cucumeres.

Epicharmus *παντοδαπὰ κογχύλια, λεπάδας ἀπέτας* multas, *στραβήλους* (dicuntur & Astrabeli) *κηκιβάλους, τηθυνάκια, ξιφύδρια, & σκιφύδρια*, gladioli, sunt ista omnia *κοχλία*, & conchylia. *μακρογόγγυλοι σωλῆνες*, longi & teretes, *κόγχοι ἀμαθίτιδες ἀδόκιμοι*, conchæ sabulosæ male audiunt. In antecœnio ista fuerunt. Attici dicunt *νάπυ*, alii *σίναπι, καὶ σίνηπι*. *ῥάφανος* apud Atticos brassica fuit antecœnii, & primæ mensæ caput cœnæ aper, mullus. Horatius in convivio Nasidieni ait circa aprum fuisse

—— Acria circum
Rapula, lactucas, radices.

Martialis *de Mullo*,

—— Mullus tibi quatuor emptus
Librarum, cœnæ pompa caputque fuit.

Laconibus jus nigrum caput cœnæ fuit. Cicero *Tuscul.* V. Dionysius negavit se jure illo nigro quod cœnæ caput fuit delectatum. Alexis *βοτρύδιόν τι χορεῖον ἐν ποτηρίῳ ἐπιπαίζεται, κεφαλὴ δὲ δείπνου γίνεται*, *Racemulus quidam in poculo velut in choro ludit, & est cœnæ caput.*

CAP. IV.

DE ANTECŒNIO.

IN Antecœnio *ἀναστομώσεως χάριν* adhibebantur herbæ acres, ut appetitus excitaretur.

Rapula, lactucæ, radices, qualia lassum
Pervellunt stomachum, siser, alec, fæcula Coa.

Ut Horatius lib. II. Satyr. VIII. Siser est *ἄγριον σέλινον*, agreste apium, ut ait Sosipater Charisius lib. I. vel, ut Plinius, genus pastinacæ, quæ mulso in cibis temperata etiam in gratiam vertitur. Fæcula Coa est condimentum e vino Coo. Quum antecœnium sublatum esset mensæ gausape tergebantur, ut Horatius *ibidem*. In antecœnio quoque fuere ova sorbilia, *ἑξεφτὰ*, quæ in aqua calida coquuntur. Sorbilia pene cruda sumebant, quæ Dioscorides vocat *ὠμὰ, ἀκροχλίαρα*, alia fuere *ἡμίτομα*. Martialis.

Secta coronabant rutatos ova lacertos.

Alia erant ova piscium, aut carnium liquamine condita, *ταριχηρὰ, τρομητὰ, τηγανιστὰ, πνικτὰ*, fricta, trementia. Ova longa laudantur. Horatius lib. II. *Satyr.* IV.

Longa quibus facies ovis erit, illa memento
Ut succi melioris, & ut magis alba rotundis
Ponere, namque marem cohibent callosa vitellum.

In Anticœnio mulsum fuisse diximus, quod œnomeli dictum, ex melle Hymettio, & Falerno. Horat. Satyr. II. lib. II.

—— nisi Hymettia mella Falerno
Ne biberis diluta.

Virgilius *Georg.* IV.

Dulcia mella premes, nec tantum dulcia quantum
Et liquida, & durum Bacchi domitura saporem.

In primo missu crambe data. Musurus: *κράμβη, κοράμβη τῷ κόρῳ ἀντιβαίνουσα, ὅθεν ἡ πρώτη ἐν τοῖς συμποσίοις δίδοται.* *Crambe satietatem arcet, quasi corambe dicta, quare prima convivis apponitur.* Plutarchus in *Sympos.* *αἱ γὰρ καλούμεναι ψυχραὶ τράπεζαι πρότερον ἐχίνων, ὀστρέων, ὠμῶν λαχάνων, ὥσπερ ἐλαφρῶν ὁπλιτῶν ἀπ᾽ οὐρᾶς ἐπὶ στόμα μεταχθεῖσαι τὴν πρώτην ἀντὶ ἐσχάτης τάξιν ἔχουσι.* *Quæ enim dicuntur frigidæ mensæ ex ostreis, echinis, oleribus crudis compositæ, quasi levis armaturæ militibus a cauda translatæ ad os primum pro ultimo tenent ordinem.* Ferculum est *παράθεσις*, mensa una. Proprie ferculum est feretrum, id est, vas amplum, & capax, quo in triumphis manubiæ, aut victarum gentium simulacra ferebantur. His similia erant mensarum fercula. Non enim lances mensis impo-

nebant elegantiores, sed machinulis quibusdam venusto artificio elaboratis partim imponebant, partim appendebant. Apud Petronium in promulsidari, id est, gustatoria mensa asellus erat Corinthius cum bisaccio positus, qui habebat olivas in altera parte albas, in altera nigras. Tegebant asellum duæ lances, in quarum marginibus nomen Trimalcionis inscriptum erat, & argenti pondus. Ponticuli etiam ferruminati sustinebant glires, melle, & papavere sparsi. Fuerunt & tomacula ferventia posita supra craticulam argenteam. Infra craticulam Syriaca pruna cum granis Punici mali. Deinde remota gustatoria sequitur ferculum, quod ita exhibetur. Repositorium rotundum duodecim habebat signa in orbem disposita, super quæ proprium, convenientemque materiæ structor imposuerat cibum. Super arietem cicer arietinum. Omnino describit delicias mensæ Neronis, nec enim privata ista mensa fuit, & vulgaris. Idem: *Discubuimus, & gustatione mirifica initiati, vino etiam Falerno inundabamur.* Martialis mensa frugalior, lib. XI. epigr. LIII.

Prima tibi dabitur ventri lactuca movendo
Utilis, & poris fila resecta suis.
Et quæ Picenum senserunt frigus olivæ,
Hæc satis in gustu, cætera nosse cupis?
Mentiar, ut venias: Pisces, conchilia, sumen.

Lactucæ igitur in anticœnio, & mora. Horatius:

— ille salubres
Æstates peraget, qui nigris prandia moris
Finiet.

Principium dicitur promulsis. Varro lib. III. *de re rustica*, Favus venit in altaria, & mel ad principia, & in secundam mensam administratur, ob mulsum, & promulsidem. Genera potionum apud Lampridium in *Heliogabalo*, masticatum, puleiatum, rosaium, *ἀσιχίτης, ῥοδίτης, γληχωνίτης*. Trallianus lib. XI. *τῶ δὲ προπομάτων ἄριστόν ἐστι τὸ κονδίτον, καὶ τὸ ἀπιάτον. Conditum, & Apiatum optimæ potiones in antecœna.* Julius Cæsar domum civilem tribus solemnibus pulmentis, sive ferculis statuit esse contentam, dum tamen bellaria parænetica primis mensis licuerit immiscere, ait Portunianus. Solemnia pulmenta sunt, quæ in omnes transeunt, id est, catholica. Macrobius lib. II. *Saturnal.* cap. VIII. Vina Liberi bellaria vocat. Ferculum erat genus mensæ. Plinius lib. XXVIII. cap. I. Sternutamento revocari ferculum, mensamve, si non postea gustetur aliquid, inter diras habetur. Alius mos sub Sidonio fuit, qui lib. I. *Epistol.* ait, Senatorio convivio insitum est, institutumque multas epulas paucis paropsidibus apponi, quamvis convivium per edulia nunc assa, nunc jurulenta varietur. Vide Plinium lib. X. cap. XX. lib XXVIII. cap. I. Cibus etiam e manu prolapsus reddebatur utique per mensas, vetabantque munditiarum causa id deflare. Oxygarum, & lactucæ ad antecœnam, seu gustationem pertinuere, ut & moretum, *μυσωτόν*, & ovum. Cicero lib. IX. *Epist. ad Famil.* Integram famem ad ovum affero, atque ita ad assum vitulinum perducitur. Item ofella, de qua Martialis lib XIX. epigr. CCXIX.

Parva tibi curva craticula sudet ofella,
Spumeus in longa cuspide fumet aper.

Assum vitulinum, & aper ad caput convivii pertinent. Apicius lib. I. cap. VI. Oxygarum quod sonat garum, sive liquamen acetosum. Vet. Gloss. Oxygarum acetarium, quod in primo missu apponebatur. Sidonius lib. IX. epist. XIII. Dum Rex convivii circa ordinandum oxygarum moras nectit. Martialis lib. III. epigr. L.

Deposui soleas, affertur protinus ingens
Inter lactucas oxygarumque liber.

A Conditum erat potio melle, vel aliis rebus condita. Symphosius in *Ænigmat.* de condito:

Tres olim fuimus qui nomine jungimur uno,
Ex tribus est unus qui commiscentur in uno,
Quisque bonus per se, melior qui continet omnes.

Edesta fagica Poema fuit Ennii. Græci apud Athenæum scripsere *περὶ ἐδεστῶν*. Apulejus in *Apologia*, Ennius edestis, aut fagicis. Vide Philonem *περὶ μέθης* pag. 183. Ad primam mensam apud Nonium pertinent asparagi, menæ, acipenser, mariscæ. Consule Nonium pag. 550. ad caput cœnæ Tuceta, quas Fulgentius escas regias vocat.

Ambrosio redolent tuceta sapore.

B Virgilius VII. *Æneid.*

Instituuntque dapes, & adorea liba per herbam
Subjiciunt epulis.

Ubi Servius liba sunt placentæ de farre, melle, & oleo sacris aptæ. Boethius lib. I. *Scholar.* cap. V. Ne artocopi mucore anxio narium anhelitum infirmet, & vini insipidi acor cordis secreta confundat. Ad caput item cœnæ pertinet apud Apul. *Miles.* VIII. Femur in protrimentis sapidissime decoctum, & cerebrum Jovis, quod Ennius dixit de piscibus. Hesychius, *διὸς ἐγκέφαλος εἰρῆσθαι ἐπὶ τῶν ἄγαν θείων*. Plautus in *Milite glor.* Vino, scitamentis, opiparisque obsoniis. Vide Eustathium

C pag. 1342. 1432. 1791. 1833. & 757. ubi *διὸς ἐγκέφαλον βρῶμα εἶναι λέγει ὅμοιον τῷ διὰ θρίων καὶ ἐγκεφάλων σκευαζομένῳ παρ' Ἀθηναίοις*, *Cerebrum Jovis cibum esse ait apud Athenienses*, similem ei qui ex cerebellis conficitur. *θρῖον* est membrana cerebri, similis folio ficulneo. Est item genus edulii ex lacte, & adipe suillo, & semidalide quod in fici foliis coquebatur. Aristophanes in *Acharn.* *τρίχας σαπρᾶς*. Thrion ex salsamento putrido, vel ex pisce putri. Duobus ferculis olim epulabantur, uno jurulentarum carnium in catinis, altero assarum in lancibus, ut Servius lib. I. *Æneid* ex Catone. Si-

D donius lib. II. epist. Quamvis convivium per edulia nunc jurulenta, nunc assa varietur. Saresberiensis lib. VIII. cap. VII. *Polycrat.* Ferculum *παράθεσιν*, mensam unam. Corippus lib. III. *Justini*,

Aurea purpureis apponunt fercula mensis.

Aliud esse ostendit ferculum a mensa, quia ferculum in mensa apponebatur. Gustus est antecœna ut diximus. Martialis lib. XI. epigr. XXXII.

Gustu protinus has ædes in ipso,
Has prima feret, alterave mensa.

E Isidorus in *Glossis* gustum vocat pransorium, promulsidarium. In gustatione ova posuimus. Horatius lib. I. sat. III.

— si collibuisset ab ovo
Usque ad mala citaret io Bacche.

Item lactucas. Martialis lib. XIII. epigr. XIV.

Claudere quæ cœnas lactuca solebat avorum,
Dic mihi cur nostras inchoat illa dapes?

Catius apud Horatium cœnarum artem editurus primum de ovis loquutus, lib. II. sat. IV.

Longa quibus facies ovis erit.

Varro in *Endymione*, Discumbimus mussati, Dominus mature ovis cœnam committit. Apulejus *Miles.* IX. Ova gustulum vocat. Varro lib. I. *de re*

F *rust.* cap. II. Nam non modo ovum illud sublatum est, quod ludis Circensibus novissimi curriculi finem facit quadrigis, sed ne illud quidem ovum vidimus quod in cereali pompa solet esse primum. Athenæus, *οἱ μὲν τοι ἀρχαῖοι πάντες πρὸ τοῦ δειπνεῖν οὐ παρέφερον οὔτε μήτρας, οὔτε θρίδακας, οὔτε ἄλλο τι τῶν τοιούτων ὥσπερ νῦν*. Olim ante cœnam non vulvas, aut lactucas, aut alia ejusmodi apponebant, quæ nunc solent.

CAP. V.
DE CAPITE CŒNÆ.

IN capite cœnæ summa summarum posita est, quam Macrobius notat lib. III. cap. XVIII. *Satur.* In cœna sumina, synciput aprugnum, patinam piscium, patinam suminis, anates, querquedulas elixas, lepores, altilia assa, amylum, panes Picentes. Pavones primus Q. Hortensius augurali adjiciali cœna dicitur posuisse. Ova eorum denariis væneunt quinis, ipsi facile quinquagenis. Porcum Trojanum mensis inferebant, quem illi ideo sic vocabant, quasi aliis inclusis animalibus gravidum. Lepores saginabant, quum exceptos e leporario quidam in caveis, & loco clauso facerent pingues. Sed & cochleas saginabant. Vide Macrobium lib. III. cap. XV. de Murænis, de Auratis, piscinis refertissimis L. Philippi, & Hortensii. Cato Uticensis pisces de piscina L. Philippi quadraginta millibus vendidit, cum hæres ejus testamento relictus esset. Murænæ a Siculo freto arcessebantur, & anguillæ, quæ utræque πλῶται, flutæ vocantur, quod in summo supernatantes Sole torrefactæ curvare se posse, & in mare mergere desinunt. Cæsar dictator quum triumphales cœnas populo daret, sex millia murænarum a C. Hirrio ad pondus accepit, ait Plinius lib. IX. cap. XVII. & Varro lib. III. *de re rustica*, cap. XVII. Acipenser piscis ætate Scipionis magno in pretio fuit, ætate Trajani nullo, ait Plinius. Sub Alexandro Severo in honore fuit, quippe qui cum intersunt convivio sacro, animadverto hunc piscem a coronatis ministris cum tibicine introferri, ait Sammonicus Serenus. De Mullo, Scaro, Lupo Tiberino consule ibidem Macrobium, maxime eo lupo, qui inter duos pontes captus esset, quem Catillonem vocabant, quasi liguritorem, qui proxime ripas stercus insectaretur. Lucilius:

Hinc pontes Tiberinos duo inter captus catillo.

Avicenna lib. I. *Canonis* scribit Veteres solitos mane tantum carnibus vesci, in cœna solo pane usos. Forte id fecere Arabes, non aliæ gentes. Crambalea dicitur Athenæo tosta caro. Heroes usi carnibus maxime assis, unde & ὀπτανεῖα, interdum elixis apud Athenæum. Varro ait assam primum cœpisse, tum elixam, demum e jure, vel jusculo. Phryges, ac Pontici xylophagiis oblectantur, quia vermes albos, obesosque capite nigro, qui e cariosis promuntur materiis, inter delicias habent. Orienti, & Libyæ grata locusta, ait S. Hieronymus. Aphri lacertos virentes esitant. *Levitici* XI. locusta in mensam admittitur. Sarmatæ, & Vandali vulpes edunt. Romæ sub Imperatoribus quum luxus invaluisset, cibos interdum per singulas literas disponebant, quod apud Spartianum Geta Commodi frater fecit. Juvenalis Satyr. VIII. dixit,

Qui fercula docte disponit.

Ex Satyr. XI.

Interea gustus elementa per omnia quærunt,
Nunquam animo pretiis obstantibus.

Elementa per omnia gustus quæri ait, quia erant cibi in aqua, in aere, & in terra conquisiti. Sæpe e longinquis provinciis petebantur. Suetonius in *Vitellio* cap. XIII. famosissima super cæteras fuit ei cœna data adventitia a fratre, in qua duo millia lectissimorum piscium, septem avium apposita traduntur. Hanc quoque exsuperavit dedicatione patinæ, quam ob immensam magnitudinem clypeum Minervæ αἰγίδα πολιέχε dictitabat. In hac squarorum jecinora, fasianorum, & pavonum cerebella, linguas phœnicopterum, murænarum lactes Carpathio usque, fretoque Hispaniæ per navarchos, ac triremes commiscuit. Apud Suidam Apicius Trajano apud Parthos agenti, multorumque dierum itinere a mari distanti ostrea recentia solerter asservata misit. Claudian. lib. II. *in Eutrop.*

A *—— traduntque palato*
Sidereas Junonis aves, & si qua loquendi
Gnara, coloratis viridis defertur ab Indis,
Quæsitus trans regna cibus, quorumque profundam
Ingluviem, non Ægæus, non alta Propontis,
Non mare longinquis Mæotide piscibus explent;

Petronius:

Ales phasiacis petita Colchis,
Atque Afra volucres placent palato,
Quod non sint faciles. Ultimis ab oris
B *Attractus scaurus, atque arata Syrtis,*
Si quid naufragio dedit, probatur.

Cœnæ reliquiæ a promo condo servabantur, ad quas advolabant copriæ, & parasiti. Plautus in *Persa*,

Nunc huc introibo visum hesternas reliquias, quieverint recte, necne.

Sæpe septem, aut plures mensæ ordine in triclinium inferebantur, omni carnium genere refertæ. Philo *de vita theoretica*, ἑπτὰ γὰρ καὶ πλείους εἰσκομίζονται τράπεζαι πλήρεις ἁπάντων ὅσα γῆ τε καὶ θάλαττα καὶ ποταμοὶ καὶ ἀὴρ φέρουσι, ἔκλογα πάντα καὶ εὔσαρκα, χερσαίων, ἐνύδρων, ἀεροπόρων, ὧν ἑκάστη
C διαλλάσσει καὶ ταῖς παρασκευαῖς καὶ ταῖς παραρτύσεσιν. *Septem, & plures mensæ inferuntur plenæ omnium, quæ aer, terra, mare, fluvii ferunt, omnia eximia adipata terrestrium, piscium, volucrum genera diverso apparatu condita.* De his ordine agamus, & primum quidem de carnibus.

CAP. VI.
DE CARNIBUS, ET DE ATTAGENA.

CIbi trium maxime generum fuere. Nam aut carnes, aut pisces, aut olera in mensam in-
D ferebantur. Carnes autem ex animantibus domesticis, aut sylvaticis, aut ex volucribus, quibus adjungas licet quæ ab animantibus istis petuntur, lac, ova, & cætera id genus. Olera interpretor, quæ terra ex se fundit, triticum, e quo panes, poma, cannas ebosias, & si quid ejusmodi uspiam reperitur. Carnes autem vulgo fuere ex animalibus domesticis. Inter animalia domestica primo loco sunt oves, boves, arietes, hœdi, vituli, verveces, porci, majales, apud aliquas gentes cameli, equi, asini, gallinæ, Numidicæ, pavi. Aves autem aliæ indigenæ, aliæ peregrinæ fuere. Varro in *Satyr.* περὶ ἐδεσμάτων, Pavus e Samo, Phrygia attagena, grues Melicæ, hœdus ex Ambracia. Horatius lib.
E *Epod.* Ode II.

Non Afra avis descendat in ventrem meum,
Non attagen Ionicus
Jucundior.

Afram avem Numidicam vocat. Attagen vulgo dicitur *Francoline*. Plin. lib. X. cap. XLVI. Attagen maxime Ionius celebratur, vocalis alias, captus obtumescens, quondam existimatus inter raras aves. Aristoteles lib. IX. ὁ ἀτταγὴν κονιστικὸς ὄρνις. τῶν γὰρ ὀρνίθων ὅσοι μὲν μὴ πτητικοὶ ἀλλ' ἐπίγειοι, κονιστικοί. *Attagen avis est in pulvere volutabilis. Aves enim omnes, quæ non sunt altivolæ, sed terrestres, sunt in pulvere volutabiles.* Martial. lib. XIII. epigr.
F LXI.

Inter sapores fertur alitum primus
Ionicarum gustus attagenarum.

Gellius lib. VII. cap. XVI. Attagena Phrygia præstantissima. Athen. lib. IX. Est perdice paulo major, cujus dorsum versicoloribus notis distinctum colore fictilium magis subrubescente. Capitur a venatoribus, ob corporis gravitatem, & brevitatem alarum. ὅλος καταγραφος τὰ περὶ τὸ νῶτον, κεραμεῦς τὴν χρόαν, ὑποπυρίζων μᾶλλον. In Polonia frequens.

est. Aristophanes in *Ciconiis*, ἀτταγᾶς ἥδιςον ἕψειν ἐν ἐπινικίοις κρέας. *Attagen suavissima caro, ut coquatur in triumphi epulis*. Apud Pollucem lib. VI. ἔριφος ἐκ Μύλης, hœdus ex Mylo insula commendatur. Apud Senecam epist. CX. Miliarii apri, linguæ phœnicopterorum. Miliarios apros interpretatur Muretus mille librarum. Malim, qui milio pasti sint. Aprum pomis cingebant, ut ostenderent eum pomorum stragem edere solitum. Idem lib. *de Providentia*. Si ingenti pomorum strue cingeret, primæ formæ feras captas multa cæde venantium. In cœna sumina, caput aprugnum edebant, apud Macrob. lib. III. *Saturnal.* cap. XIII. ἥπατα σεσυκασμένα, ἥπατα συῶν σεσυκοτραγηκότων ἢ χηνείων ἡπάτων. Pollux lib VI. Jecur anseris, & medullam anseris ob teneritudinem laudat Catullus. Glandia, glires, cerebella in deliciis fuere. Plin. lib. XXXVI. cap. I. Glandia in cœnis, & glires apponi vetant censoriæ leges. Apud Lampridium, Heliogabalus sexcentorum struthionum capita una cœna multis exhibuit ad edenda cerebella. Apud Pollucem lib. VI. Pernæ coctæ, armi cocti, seu assati, latera, costæ, porci lactantes, hœdi, leporinæ carnes, tibiæ, aut crura suum, turdi, turtures, pavi, attagenæ, aves vitium amantes, fasiani, sumina, abdomen porci, intestina farta, boum, aut suum intestina, pernæ salitæ, crura cum tota tibia, ἤνυστρον, omasum, aut postreticulum, ventriculus conditus, pastilli ex adipe conciso minutim cum sale, & aromatis. Jus nigrum Laconum ex sanguine dicitur æmatia. κωλῆνες ἑφθοὶ, ἀκροκώλια διεφθὰ πλευρία, πλευραὶ, δελφάκια, ἔριφοι, λαγωκρέα, λαγῶα, καὶ σκελίδες, τρυγόνες, ταοὶ, ἀτταγαὶ, ἀμπελιῶνες, ὄρνιθες φασιανικοὶ, ὑπογάστεια, οὖθατα, ἠτριαῖον δέλφακος, φῦσκαι, ἄλλαντες, χόλιξ, χολίκεια ὕεια, κωλῆνες ταριχευμένοι, σκελίδες ὁλόκνημαι, πτέρναι, ἤνυστρον, γαστρίδιον ἡδυσμένον, τάκωνες. ὁ μέλας καλούμενος ζωμὸς, λακωνικὸν ἔδεσμα, λέγεται αἱματία. Carnes sæpe minutatim incidebantur, & insecabantur, a quibus dicta insicia apud Varronem lib. IV. *de Lingua Latina*: Insiciis, & minutalibus ex carne farciebantur anserum, & gallinarum ventriculi. Vetus Poeta de Esiciatis:

Amisit proprias vacuato corpore carnes,
Accepit que novas, dedit, ac tulit, & grave lucrum
Perdendo acquirit, damnum bene crevit in illa.

Isicia τὰ ἐκ τῶν σαρκῶν εἰς λεπτὰ κατανιζόμενα, καὶ μετὰ πεπερίδων συμπλαττόμενα. *Carnes minutatim insectæ, & pipere conditæ*. Item:

Eminet impletus pullorum carnibus anser,
Et varias mensæ torridus ambit opes.
Inguinibus nam portat olus ventrisque soluti
Truditur e medio esiciata nitens.

Græci σιτεύσιμα vocant ventriculos ovium fartos. Palladas:

Ἀλλ' ἐμὸς αἰόλος οὗτος ἔχων ἀνεμώλιον ἦτρον,
Ορ... ἐκπέμπει ... γεμίσας.
Sed meus iste Æolus habens inane intestinum
Avem emittit implens ventis.

Alludit ad Æolum, qui Ulyssi ventos in utrem incluserat. Heliogabalus comedit sæpius ad imitationem Apicii calcanea camelorum, & cristas vivis gallinaceis demptas, linguas pavonum, & lusciniarum; quod qui ederet, ab epilepsia tutus esse diceretur. Exhibuit & palatinis ingentes dapes extis mulorum refertas, & cerebellis phœnicopterum, & perdicum, ovis, & cerebellis turdorum, & capitibus psittacorum, & fasianorum, & pavonum. Idem canes jecinoribus anserum pavit. Exhibuit & sumina aprugna per dies decem, tricena quotidie cum suis bulbis. Bulbæ sunt vulvæ. Versus Mævii apud Macrobium:

Alterius inanem bulbam madidantem dari.

Struthocamelos exhibuit in cœnis aliquoties, ait Lampridius. Apud Pollucem lib. VI. cap. VII. ἡμερα κρέα, σύεια, χοίρεια, ὀρνίθεια, πολυπόδεια, περδίκεια, λαγῶα, σκελίδες, λαγωῶν, τεμμάχη κρεῶν. *Carnes cicures suillæ, porcinæ, altiles, polypodum, perdicum, pulpamenta leporum, carnium frusta*. Herodianus lib. IV. αἱ κάμηλοι μάλιςα ἔχουσιν ἁπαλὰ τὰ πέλματα. *Cameli habent calcanea tenerrima, quæ comedit Heliogabalus, & Arabes*. Athenæo lib. VIII. γαςρίον ὠνθυλευμένον, *ventriculus fartus*. Hippocrates lib. περὶ παθῶν, κρέα σκύλακος ἑφθὰ, *carnes catulorum coctas* certis morbis præscribit. Romani, & Græci estravere catulinam. E Bœotia petebantur anates, palumbes, trochili. Aristophanes in *Pace*, κἀκ Βοιωτῶν γε φέροντας ἰδεῖν χῆνας, νήττας, τροχίλους. Idem in *Acharnan.* a Bœotis afferre se ait anates, gracculos, attagenas, Phalaridas, trochilos, colymbos, νήττας, κολοιοὺς, ἀτταγᾶς, φαλαρίδας, τροχίλους, κολύμβους. Adipem anseris salitum adamarunt, gallinas, vitulos, χηνὸς ἁλιςὰ, λίπη, ὄρνια, καὶ μοσχεῖα. Hippocrates opponit τὰ γαλαθηνὰ κρέα τοῖς ἰσχυροτέροις, καὶ τελείοις, *lacteas carnes robustioribus cibis, & perfectis*. Idem junctim nominat νέφρον, *renes*, καὶ ψοιὰ, *& lumbos*, νεφρομήτρας, νεφρομήτρας ψοὰς, quæ dicuntur παρὰ τὸ ψᾶν, διὰ τὸ ῥαδίως ἀποψᾶσθαι, *quia facile radantur*. οὖθαρ τῶν προβάτων, *utar mamma ovium*. τῶν ζώων τὸ κατὰ τοὺς μαςοὺς, *edules mammæ, sumen*. ὑπήτριον, ὑπογάςριον, de bipedibus, quadripedibus, atque adeo de piscibus. Leporinæ carnes Hippocrati λαγῶα κρέα, λάγεια. Quidam lepores hirundinis vocantur, quia hirundinis sunt colore sursum nigri, deorsum albi. χελιδόνιαι λαγωοί, οἱ ἄνω μέλανες, τὰ δὲ κάτω ὑπόλευκοι. Athenæus lib. IX. Industriam coqui quibusdam laudat, qui porcellum in mensam intulit, ab altera parte ὀπταλέον, & κραμβαλέον, assatum, & probe tostum, ab altera parte jurulentum, & elixum, ὡς ἂν ἐξ ὕδατος ἑψημένον πανερῶς. Aliud in illo porcello miraculum fuit, quod erat ἄσφακτος, nullo vestigio vulneris tamen erat exenteratus, & fartus. Si olla, in qua torrendo carnes corruptæ fuerint, immittatur bene calida in pelvim aceto frigido plenam, carnes retorridæ nimia coctura corriguntur, ait Athenæus, qui carnes roris instar teneras vocat κρεάδια δροσώδη τὴν χρόαν. Jecur anseris fartilibus in magnam amplitudinem crescit, exemptum quoque lacte, & mulso augetur. Apud eumdem, δωρεῖον ἐπάγω χῆνα τῷ φυσήματι, *Doricum tumore anserem infero*. Aquila item expressa coqui arte, quæ album anserem ferret, ἀετὸς ἀργὸν χῆνα φέρων. Dicebantur τευτασίαι, τευτάζειν. τευτάζει νεοττὸν ἁπλῶς καὶ τόνδε, apparat pullum hunc simpliciter. Carnes, quæ fervendo in cacabo coctæ sunt, dicuntur κρέα ἀναβραςὰ, ψεςὰ, ἑψημένα. Scholiasti Aristophanis in *Acharnan.* ἀναβράττετε, ὀξοπτᾶτε, ςρέφετε, ἀφέλκετε τὰ λαγῶα. *Fervefacite, assate, vertite, abstrabite leporinas carnes*. Comedebant & coleos, quos renes vocarunt, Latini polimenta, Græci ὄρχεις, νεφροὺς, παραςάτας, hodieque Italis cibus gratissimus. Condimentum quoddam fuit e pingui, & aceto, quod dictum oxyliparon. Attagen, de quo supra egimus, vulgo dicitur ἀτταγὴν, Atticis ἀτταγᾶς, Latinis attagena, & attagen. Hieronymus epist. *ad Asellam*: *Tu attagenes ructas, & de comeso accipensere gloriaris*.

CAP. VII.

DE PAVO, ET ALIIS AVIBUS.

Horatius Satyr. II. lib. II. Pavi saporem præferri gallinæ putat:

Vix tamen eripiam posito pavone, velis quin
Hoc potius, quam gallina tergere palatum,

Corruptus vanis rerum, quia væneat auro
Rara avis.

Tamen utriusque idem sapor:

Carne tamen quamvis distat nihil hæc magis illa.

Idem paulo infra:

—— at simul assis
Miscueris elixa simul conchylia turdis:
Dulcia se in bilem vertent.

De lusciniis Satyr. III. ejusdem libri:

Quinti progenies Arri par nobile fratrum
Luscinias soliti impenso prandere coemptas.

Et Satyr. ult.

—— deinde sequuti
Mazonomo pueri magno discerpta ferentes
Membra gruis sparsi sale multo, non sine farre,
Pinguibus & ficis pastum jecur anseris albi,
Et leporum avulsos, ut multo suavius, armos,
Quam si cum lumbis qui edit, tum pectore adusto
Vidimus & merulas poni, & sine clune palumbes.

Mazonomus est lanx prægrandis.

CAP. VIII.

DE FICEDULA.

FIcedulæ pipere aspergebantur. Martialis lib. XIII. epigr. V.

Cerea quæ patulo lucet ficedula lumbo,
Quum tibi forte datur, si sapis, adde piper.

Ceream vocat ob pinguitudinem toto corpore flavescentem. Petron. Hic nescio quid boni debet esse, persequutus putamen manu, pinguissimam ficedulam inveni piperato vitello piperatam. Martialis ibid. epigr. XLIX.

Quum me ficus alat, quum pascar dulcibus uvis,
Cur potius nomen non dedit uva mihi?

συκαλὶς apud Varronem *de L. L.* Ficuum esu pinguis fit. Athenæus lib. II. Gellius lib. XV. cap. VIII. Suetonius item ait a Tiberio Cæsare Asellio Sabino HS. ducenta donata, quod in dialogo quodam instituerit certamen inter boletos, ficedulas, ostreas, & turdos.

CAP. IX.

DE TURDO, ET ANATE.

TUrdi quasi tardi, quod sero ad calida se referunt apud Isidorum, Aristoteli τειχάδες. Aristophanis Scholiastes turdum cæteris avibus sapidiorem putat. Horatius lib. I. ep. XV.

Nil melius turdo.

Martialis lib. XIII. epigr. XCII.

Inter aves turdus si quis me judice certet,
Inter quadrupedes gloria prima lepus.

Idem lib. III. epigr. XLVII.

Illic coronam pinguibus gravem turdis.

Lib. XIII epigr. LI.

At mihi de turdis facta corona placet.

Avicenna autem alas, ventrem, & hepar in anate commendat, νῆσσα νῆττα κατοικίδιος, anas domesticus nihili est, fluviaticus laudatur. Martialis ibid. epigr. LII.

Tota quidem ponatur anas, sed pectore tantum,
Et cervice sapit, cætera redde coquo.

Vide Athenæum lib. IX.

CAP. X.

DE TURTURE, ET COLUMBA.

ISidorus lib. XII. cap. VII. Turtur pudica avis gemitum pro cantu edit. Virg. *Eclog.* I.

Nec gemere aeria cessabit turtur ab ulmo.

τρύζει τρυγών. Martialis lib. XIII. epigr. LIII.

Dum pinguis mihi turtur erit, lactuca valebis.

A Hyeme implumis in cava arbore latet, Autumno pinguis est. Martialis lib. III. epigr. LVIII.

Sed tendit avidis rete subdolum turdis.
Gemit hinc palumbus, inde cereus turtur.

Id est, pinguis. Ovidius in *Philom.*

Et castus turtur, atque columba gemunt.

Columba τρήρων πέλεια, πελειάς, περιστερά. Ovidius,

Aspicis ut veniant ad candida tecta columbæ,
Accipiat nullas sordida turris aves.

Isidorus lib. XII. columbas dici vult, quod earum colla ad singulas conversiones colores mutent. Veneri sacræ sunt. Martialis loco proxime citato:

B *Sonantque turres plausibus columbarum.*

Paphias columbas Martialis lib. VII. epigr. XXVIII. vocat. Lib. XIII. epigr. LXVI.

Ne violes teneras præduro dente columbas.

Lampridius pullos columbæ vocat pipiones, περιστεριδεῖς, eos maxime qui palmulis pedum sunt pennatis. Columbinus Martiali dicitur.

CAP. XI.

DE PERDICE, ET GALLINA.

C PErdicem unam Aristippus L. drachmis emit. Martialis lib. XIII. epigr. LXV.

Ponitur Ausoniis avis hæc rarissima mensis:
Hanc in lautorum mandere sæpe soles.

Athenæus lib. XIV. Plin. lib. X. cap. XXXIII. De gallina altili Columella. Qui volunt non solum opimas, sed teneras aves efficere, tribus aquæ partibus unam bonam vini miscent, madefactoque triticeo pane obesant avem. Quæ prima Luna saginari cœpta, vigesima pergliscit. Plinius lib. X. cap. L. Gallinas saginare omnium primi cœpere Deliaci. Martialis lib. cit. epigr. LXII.

Pascitur & dulci facilis gallina farina,
D *Pascitur & tenebris: ingeniosa gula est.*

Varro lib. III. cap. IX. *de re rustica*; Gallinas villaticas includunt in locum tepidum, angustum, & tenebrosum, quod motus earum, & lux pinguedini inimica. Columella: Locus sit calidus, & minimi luminis, ut saginentur.

CAP. XII.

DE GALBULA, CATTA ET PAVO.

GAlbula, seu Galgala, Græcis dicta ἴκτερος. Quidam Charadrium esse volunt, aut συκοφάγον, ficedulæ non absimilem. Vide Oppianum, &
E Epiphan. cap. XXXIII. *de Animalib.* & Ælianum. est ὀλόλυγος. Plin. lib. XXX. cap. II. Icterum, & galgulum vocat. Martialis ibid epigr. LXVIII.

Galbula decipitur calamis, & retibus ales,
Turget adhuc viridi cum rudis uva mero.

Catta Pannonica quæ sit ignoratur, de qua Martialis ibid. epigr. LXIX.

Pannonicas nobis nunquam dedit Umbria cattas.

De pavone alibi diximus. Macrob. lib. III. *Saturn.* Ecce non admiranda solum, sed & pudenda, ut ova pavonum quinis denariis væneant. S. Augustinus lib. *de Civit. Dei*, scribit ejus carnem per totum annum a putredine & carie illæsam servari.
F ταὼς Græcis. Martialis ibid. epigr. LXX.

Miraris quoties gemmantes explicat alas,
Et potes hanc sævo reddere dure coquo.

Juvenalis sat. I.

—— & crudum pavonem in balnea portas.

Apud Martialem l. XIII. epigr. LXXVII. & LXXVIII. Cygnus, & Porphyrio, inter cibos numerantur. Porphyrio in Narbonensi provincia frequens, rostro & cruribus purpura sparsis, cæruleus toto corpore color.

A CAP. XIII.

DE PHŒNICOPTERO.

PHœnicopterus Soli sacer alis puniceis, ciconia paulo major, sed ei forma non absimilis, si colorem, & rostrum extimum excipias, palustris Nili accola, ut prodit Kiranides cap. VII. de quo Martialis lib. XIII. epigr. LXXI.

Dat mihi penna rubens nomen, sed lingua gulosis
Nostra sapit.

Idem lib. III. epigr. LVIII.

B *Nomenque debet, quoa rubentibus pennis.*

Suetonius in *Caligula*, Phœnicopterus avis circa lacus, & paludes victitat, colore decora purpureo. Juvenalis phœnicopterum ingentem vocat. Heliogabalus linguas phœnicopterorum expetiit.

CAP. XIV.

DE PHASIANO, ET NUMIDICIS.

MArtialis lib. XIII. epigr. LXXII.

Argiva primum sum transportata carina,
Ante mihi notum nil, nisi Phasis, erat.

C Eustathius Agatharcides de Phasi fluvio, πλῆθος δ᾽ ὀρνίθων τῶν καλουμένων φασιανῶν φοιτᾷ τροφῆς χάριν πρὸς ἐμβολὰς τῶν στομάτων. Petronius: Jam Phasidos unda orbata est avibus. Apud Lampridium, Heliogabalus una die nonnisi de phasianis edit. De phasiano alibi egimus. Petronius:

Ales phasiacis petita Colchis,
Atque Afræ volucres.

Statius lib. IV.

Si Libycæ nobis volucres, & Phasides essent.

Gallinæ autem Afræ, seu Numidicæ dicuntur Meleagrides Varroni. Horatius *Epod.* od. II.

Non Afra avis, aut attagen Ionicus.

D Statius lib. I. *syl. ult.*

Inter quæ subito cadunt volatu
Immensæ volucrum per astra nubes,
Quas Nilus sacer, horridusque Phasis,
Quas udo Numidæ legunt sub antro.

Martial. lib. III. epigr. LVIII. de gallinis Numidicis:

Argutus anser, gemmeique pavones,
Nomenque debet, quæ rubentibus pennis,
Et picta perdix, Numidicæque guttatæ,
Et impiorum phasiana Colchorum.

Afræ guttatæ dicuntur maculosæ, & guttis distinctæ.

E CAP. XV.

DE ANSERE.

ANserem laudat Catullus saporis suavitate, meo animo injuria. Totum illud anserinum genus præ ficedula, perdice, attagene insipidum est. Catullus:

Cinæde Thalle mollior cuniculi capillo,
Vel anseris medullula, vel imula oricella.

alii, *hinnula*. Petronio dicitur albus anser, & pictis anas pennis. In *Catalectis*: Quidam, mollior

F anseris medulla.

CAP. XVI.

DE RUSTICA PERDICE.

EA vocatur Græcis σκολόπαξ, quia rostrum habet oblongum instar pali. Nemesius:

Præda est facilis, & amœna scolopax,
Corpore non avibus Paphiis majore videbis.

CAP. XVII.

DE HOEDO, ET PORCELLO.

AVibus subjiciam hœdulum, de quo Martialis lib. XIII. epigr. XXXIX.

Lascivum pecus, & viridi non utile Baccho,
Dat pœnas, nocuit jam tener ille Deo.

Quia capri dens viti nocet. Ovid. lib. I. *Fast.*

Rode caper vitem.

De Porcello Martialis ibid. epigr. XLI.

Lacte mero pastum, pigræ mihi matris alumnum
Ponat, & Ætolo de sue dives edat.

CAP. XVIII.

DE GLIRE.

GLires comedebantur, ut Apicius lib. VIII. cap. IX. Petronius, Ponticuli etiam ferruminati sustinebant glires melle, & papavere sparsos. Plin. lib. VIII. cap. LII. Sicut glires quos censoriæ leges, princepsque M. Scaurus in consulatu non alio modo cœnis ademere, quam conchylia. Martialis ibid. epigr. LIX.

Tota mihi dormitur hyems, & pinguior illo
Tempore sum, quo me nil nisi somnus alit.

CAP. XIX.

DE JECORE ANSERIS.

PLinius: In omni jecinorum genere præstat anserinum, tanquam tenerius, humidius, & suavius. Fartilibus in magnam amplitudinem crescit. Horatius lib. II. sat. ult.

Pinguibus & ficis pastum jecur anseris albi.

Juvenalis Satyr. V.

Anseris ante ipsum magni jecur anseribus par.

Inventum M. Apicii, ficu carica saginatis, ac satietate necatis repente mulso dato. Exemptum jecur lacte mulso augetur, ait Plinius.

CAP. XX.

DE APRO, ET LEPORE.

APri alii aliis esui commodiores. Horatius Satyr. IV. lib. II.

Umber, & iligna nutritus glande, rotundas
Curvat aper lances carnem vitantis inertem,
Nam Laurens malus est, ulvis, & arundine pinguis,
Vinea summittit capreas non semper edules,
Fœcundi leporis sapiens sectabitur armos.

Virgilius lib. II. *Georg.* scribit uros, & capreas viti noxias esse,

Cui super indignas hyemes, solemque potentem
Sylvestres uri assidue, capreæque sequaces
Illudunt.

Hillis, & intestinis tenuissimis fartis Veteres usi πρὸς ἀναστόμωσιν. Ibidem Horatius:

—— Perna magis, ac magis hillis
Flagitat immorsus refici.

Immorsus, id est, jejunus apud Isidorum in *Glossis*. Idem Satyr. II. lib. II.

Rancidum aprum antiqui laudabant.

CAP. XXI.

DE LALISIONE.

LEpores Martialis cæteris herbaticis animalibus anteponit, Damas prædam esse canibus, & hominibus dolet. Oryx ἀγελόθυμος Oppiano unicornis, & bisulcus raro in mensam venit. Cervus est frequentior, Lalisio pullus est onagri. Vox est Pu-

nica l. VIII. cap. XLIV. Onagri in Phrygia, & Lycaonia præcipui. Pullis eorum ceu præstantibus sapore Africa gloriatur, quos Lalisiones appellant. Martialis lib. XIII. ep. XCVII.

Dum tener est onager, solaque Lalisio matre
Pascitur, hoc infans, sed breve nomen habet.

CAP. XXII.

DE CAPREA, DORCADE, ET HINNULO, VEL HINNULEO.

Martialis ibid epigr. XCIX.

Pendentem summa capream de rupe videbis:
Casuram speres, decipit illa canes.

αἴγαργος, δορκάς. Horat. lib. III. od. XV.

Lasciva similem ludere caprea.

Lib. I. od. XXXIII.

—— Sed prius Appulis
Jungentur capreæ lupis.

Martialis aliam capream a Dorcade facit lib. XIII. quia Dorcas magis accedit ad naturam cervi, dicta quia est oculatissima a δέρκομαι. Vetus verbum, μὴ πρὸς λέοντα δορκὰς ἅψωμαι μάχης. Hinnuleus & hinnulus est fœtus capreolorum, caprearum, damarum. Horatius lib. I. od. XXIII.

Vitas hinnuleo meo similis Chloe,

Omnes isti cibi sapidi.

CAP. XXIII.

DE LUCANICA.

Lucanica pertinet ad cibos qui e carnibus fiunt. Apicius, ut Lucanicæ fiant intestinum perquam tenuatim productum nucleis farcies, ad fumum suspendes. Ita, Lucanica fit ex liquamine, intestino, & albumine porri concisi. Apud Varron. lib. *de Ling. Lat.* Lucanicæ fiunt ex arvina, pipere cymino concisis carnibus porci, in Lucanis reperta. Arnob. lib. II. Castellamenta Lucanica, suminatam cum his carnem, & glaciali conditione tuceta. Martial. lib. XIII. epigr. XXXV.

Filia Picenæ venio Lucanica porcæ,
Pultibus hinc niveis grata corona datur.

Male nonnulli faciunt eadem Isicia Lucanicis. Item, Copadia, pulpus apud Apicium, Circellum rotundum, gustum versatile, gustum de oleribus. Botellum ex ovi vitellis, coctis nucleis farcies, ad fumum suspendes ait Apicius, qui & Duracina tubera, & patellam Lucretianam ponit. E mensa quæ superfuerant in canistris asservabantur, ut alibi ostendimus. Horatius lib. II. Satyr. VI.

—— cum ponit uterque
In locuplete domo vestigia, rubro ubi cocco
Tincta super lectos canderet vestis eburnos:
Multaque de magna superessent fercula cœna,
Quæ procul exstructis inerant hesterna canistris.
Ergo ubi purpurea porrectum in veste locavit
Agrestem.

Gallina ut subito tenera & sapida fieret, viva in vinum aqua mistum mersabatur. Horatius lib. II. Satyr. IV.

Si vespertinus subito te oppresserit hospes
Ne gallina malum responset dura palato,
Doctus eris vivam misto mersare Falerno,
Hoc teneram faciet.

CAP. XXIV.

DE CARNIBUS ELIXIS ET COCTIS.

Athenæus carnes elixas vocat ἐξ ὑδάτων κρέα, ἑφθὰ ἐκ ζωμοῦ, quæ minus alunt, quam carnes assæ. Apud Sueton in *Claudio*, Popinæ, in quibus cocta vendebantur, dicuntur Alexandrinis ἑφθοπώλια, Atticis μαγειρεῖα, καὶ ἀλλαντοπωλεῖα. Ventres sanguine, & pingui fartos Tertullianus vocat botulos cruore distentos, κοιλίας ἀδενατώδεις Aristophanes in *Equitibus*. Homerus *Od.* VI.

Γαστέρες αἱ δ' αἰγῶν κέατ' ἐν πυρί, τὰς δ' ἐπὶ δόρπῳ
Κατθέμεθα, κνίσης τε καὶ αἵματος ἐμπλήσαντες.

Ventres caprarum jacebant in igne, quas posuimus in cœna, nidore, & sanguine repertas. δέλφακος ὀπωρινῆς ἠτριαῖα partes intestinorum suis autumnalis adipatæ commendantur. Aristophanes in *Thesmophor.* οὐ δὴ χαδόνες, οὐδ' ἠτριαῖον δέλφακος. *Non sunt favi, neque intestinum suis.* Ejectitiam vulvam porcariæ anteponit Plinius, ἐκβολάς, ejectitia vulva Athenæo, ἐκτομίς excisa. ἥπατα τηγανιστὰ fricta in sartagine jecinora, lib. III. Athen. Hippocrates, ἧπαρ βοὸς ἐν σποδιῇ ὀπτόν, *jecur bovis in cinere tostum.* ζωμὸν vocant jusculum, in quo carnes coxerant. Apud Galenum lib. *de puero epileptico*, σάρκες ἁπλῶς ἠρτυμέναι δι' ὕδατος ἀνηθον ἔχοντος, ἡδύσμα, καὶ πράσον ἔλαιόν τε καὶ ἅλας. σάρκες ἄνευ κνίσης ὀπτημέναι ἐν κλιβάνῳ. *Carnes simpliciter paratæ in aqua cum anetho, condimento, porro, sale, carnes sine nidore, & pingui in clibano tostæ.* Plutarchus in *Sympos.* τροφὴν ἄκνισον victum simplicem vocat. ἡδυσματολῆρα ὄψαρια, opsonia cum nugis condimenti, Athenæus. Philo in *Allegoriis*, ἐκκτρώματα γίνεται ὀψαρτύτων, λιχνῶν περιεργία, ut ejectitia vulva, aut fœtus suis ex utero exculcarentur. δαιτρὸς apud Athenæum lib. V. acceptos a coquo cibos mensis inferebat, proma conda sublatas de mensa reliquias in penum condebat, & promebat, quoties opus esset. Lucianus in *Lexiphane* ait gallos, qui canere desiissent, comedi, καὶ ὄρνις σὺ ὄψοφος, καὶ ἀλεκτρύων ἤδη ἀπῳδός. καὶ οἶν δὲ ὅλον ἰπνοκαῆ εἴχομεν, καὶ βοὸς λειπογνώμονος κωλῆν. *Ovem totam in furno assatam, bovisque jam ævo confecti pernam anteriorem.* μύμα, & ματτύη apud Athenæum lib. XIV. obsonii genus exquisiti ex cruore, & carne cum aliis condimentis. Cibos, quibus vescimur, vocant τὰ περιφερόμενα, esum προσφοράν, edere προσφέρεσθαι. Cibos Hippocrates vocat προσάρματα. Extantes e corporis trunco partes dicuntur κῶλα, sed in mactatis victimis, κωλῆνες, κωλεοί, κωλεαὶ sunt integra membra. Hesychius, κωλῆνες sunt ἀκροκώλια, id est, extremæ partes τῶν κώλων, at κωλῆν est integrum membrum, crus, femur, pedes. Athenæus lib. IV. παρατεθέντων κωλήνων, τὸ μηρίον ὁ κράτιστος ἔλαμβανε. Cum colenes appositi essent, seu integra membra, fortissimus, & optimus femur accepit. Sal divitum mensis inferebatur, non merus, & simplex, sed cum thymo contusus, & suave olens. Athenæus, ἅλας ἡδυσμένας ὁρῶ ἐν ἄλλαις παροψίσι. *Video salem odoribus conditum in aliis lancibus.* Aristophanes in *Acharnan.* ἅλας θυμίτας vocat conditos. Scholiastes, ἅλες θυμιτίδαι ὑπὸ θύμου τετριμμένοι, *sales Thymitidæ thymo conditi*, ἅλες ἀνήδυντοι, *sales insulsi.* Hippocrates, ἀκροκώλια ἑφθὰ ταχερά, *membra cocta tenera.* Pherecrates, δίεφθα ἀκροκώλια, *extremæ partes coctæ.* Athenæus opponit τὰ ταχερῶς ἑψημένα τοῖς κραμβαλέοις, *quæ teneriter cocta sunt, torridis, & assis*, jurulenta assis. κωλῆνες ταχεροί, *saliti, delicati.* Itali dicunt, *morvidi.* ἁλιστοί. ταρίχη ἁλιστὰ κρέα, *salsamenta, carnes salitæ.* πῖποι, pipiones sunt pulli avium volare incipientes. ἀμνή, *agnus anniculus.* Paropsis interdum dicitur vile obsonium, seu maza, apud Athenæum. Avium cerebella fibris ademptis per collum transmissa in pretio fuere, ἐγκεφάλους ὀρνίθων, καὶ χοίρων σφόδρα ἐξινιδέντας ἥδιον. ἐξινοῦν, ἐξινᾶν. est vacnare. Interdum cum ipsis ollis, in quibus coctæ erant, lentes circumferebantur,

ὀρνίθων τε ὀπτῶν, φακῶν τε, καὶ πίσων αὐταῖς χύτραις. Et assæ gallinæ circumlatæ Faba, & pisum coctionis causa seritur. Fit enim ex istis jus densum pultaceum, quod Gallice dicitur *une purée de pois*. πίσον ἑψήσεως ἕνεκα σπείρεται, ἔτνηρὸν γὰρ ἐκ τούτων ἕψημα γίνεται· ἔτνος pultem vocant. Quæ de mensa caderent inter epulandum, mortuis consecrabant, ideo Stenebœa apud Euripidem, Bellerophontis audita morte, quidquid sub mensa caderet, illi dicavit:

Ἐπειδὴ νομίζοι τὸν Βελλεροφόντην τεθνάναι
Πεσὸν δὲ μιν λέληθεν οὐδὲν ἐκ χερός.
Ἀλλὰ εὐθὺς αὐδᾷ τῷ κορινθίῳ ξένῳ.
Nihil, quod de manu cadat, eam latet.
Sed statim id dicat hospiti Corinthio.

Ferinas carnes vocant ἀγριμαῖα, l. XII. Athenæus, πολλὰ μὲν τῶν ἀγριμαίων ἐγκεῖται. Cibi mensis impositi dicuntur interdum ἐπιζαπεζώματα. Cibi omnes præter panem vocantur τὰ προσφάγια. In Atheniensium mutationibus ciborum περιφορὰν fuisse diximus, cum circumferrentur cibi, ut quisque caperet quantum vellet. Apud Thessalos singulis convivis singulæ patinæ probe instructæ apponuntur. Alexis, ἀλλὰ δὴ καθ' ἕνα ἕκαστον αὐτοῖς παρατεθέντα μεγαλείως, οὐκ ἀττικηρῶς, οὐδ' ἀπηκριβωμένως. *Sed omnia sane singulis apposita magnifice.* μεγαλείως malim, non Attico, & parco more, neque nimis astricto. κόλον. Veteres dixere alimentum, unde δ' ἀκόλως. Athen. lib. VII. ὄψον ἐστὶ πᾶν τὸ πυρὶ κατασκευαζόμενον εἰς ἐδωδήν, ab ἕψω, quasi ἐφθὸν, elixum, vel ab ὀπτῶ, quasi tostum. Alii ὄψον ab ὀψὲ, id est, sero. οὐχ ἕωθεν, ἀλλ' ὀψὲ τοιαύτας τροφὰς προσφέροιντο, quia non mane, sed vesperi cibos comedebant, vel quia usus obsoniorum sero introductus est, cum primi homines herbis victitarent. Reliquias qui e mensa tollebant, dicebantur ἐκφατνιζόμενοι σωρευμάτων. ἕκαστος ἀπεφέρε [illegible], cum reliquiæ ciborum congregatæ de mensa tollerentur, quisque auferebat carnes membris integris constantes. ἐκφατνίσματα ἄρτων. panis frustula inter analecta mensarum converri solita. Lex Fannia carnis salitæ quindecim talenta in annum expendere permiserat, κρέως καπνιστοῦ δεκάπεντε τάλαντα δαπανᾶν εἰς τὸν ἐνιαυτὸν ἐπεχώρει, carnis fumo duratæ. Talentum unum centum viginti libras Romanas continet. Salitæ carnes τεταριχευμένα κρέα ἅλιστα· ὄψον, & προσόψημά ἐστι προσφάγιον, quidquid ad panem adhibetur, Latini pulmentum, pulmentarium, obsonium vocant. Hesychius, κῶλα, πόδες, σκέλη, ὀστᾶ, μέλη, κερκίδες, κωλαβοῖλαι, ταῦροι, κωλεά, μέρος κρέατος, τινὲς σκέλος ὑὸς ὀπίσθιον. κωλῆν, κωλέον. κωλίαν ἰγνύαν, τὴν γαστροκνημίαν, τὴν κνήμην. Apud Cerretanos Hispaniæ pernæ egregiæ componuntur τῶν κανταβρικῶν ἐνάμιλλοι προσόδους οὐ μικρὰν τοῖς ἀνθρώποις παρέχουσαι. Cantabricis dubiam palmam facientes, unde magnos reditus reficiunt, ut Strabo lib. III. apud Athenæum lib. III. Antiphanes ait, ἀκροκώλιον ὕειον ἀφροδίτῃ γελοῖον ἀγνοεῖς. Argivi Veneri sues immolant, festum dicitur ὑστήρια. σῦν vocant quasi θῦν a θύω, quod a sue pecoris immolandi initium sumptum. ἀχέδαρος ὁ συάγρος, aper. Ovidius lib. I. *Fastor.*

Prima Ceres avidæ gavisa est sanguine porcæ.

Galenus porci carnem cæteris anteponit, quia humanæ similior. Chalcidensis hospes Tito Quintio ferinæ carnis omne genus apposuit in solstitio. Miranti dixit: Atqui hospes omnes istius modi dapes ex sue domestico fuerunt. Tum Quintius: Talis est Ædepol Antiochi exercitus, cataphracti alii, alii velites, alii hastati, aut legionarii, phalange compositi, verum omnes Syri sunt. Perna, glans, sumen, callus, penita offula ex porco. Ægyptii, & Flamen Dialis porcum non tangunt. In Creta sacra sus, quia Jovi prima mammam præbuit, & grunnitu vagitum ejus occultavit. Ægyptius, qui tetigit suem, immundus habetur, donec vivo fluvio laverit, quia bruta, libidinosa, amica luto. Diogenes ajebat athletas ictus non sentire, quia suillas carnes ederent. Prægnans terræ sus mactatur, quæ propria ei est hostia, ait Macrob. lib. I. cap. XII. *Saturnal.* Juvenalis Saty. II.

Atque bonam teneræ placant abdomine porcæ,
Et magno cratere Deam.

Porci laribus immolantur. Propertius lib. IV.

Parva saginati lustrabunt compita porci.

Horatius sat. III. lib. II.

—— *immolet æquis*
Hic porcum Laribus.

Romani cæso porco fœdera feriebant. Virgilius *Æneid.* VIII

—— *& cæsa jungebant fœdera porca.*

Ideo porcus in Romanorum vexillis pacis argumento, aut quia nunquam in pascendo retrocedit, sed pergit ultra. Porcus sacer Cereri. ἐν τοῖς μυστηρίοις τῆς δήμητρος χοῖρος θύεται, ait Scholiastes Aristophanes in *Acharnan.* φωνὰν χοιρίων μυστηρικῶν vocem porcorum, qui in mysteriis immolantur. Juvenalis sat. XI.

Moris erat quondam festis servare diebus
Sicci terga suis, rara pendentia crate,
Et natalitium cognatis ponere lardum.

τεμάχη, σκελίδες, τόμοι, πλευρίδες. *Pernæ, segmenta, latera suum, succidiæ, petasones.* Plinius lib. VIII. cap LI. Fico carica necantur sues satie, repente mulso dato, neque alio ex animali numerosior materia ganeæ, quinquaginta prope sapores, cum cæteris singuli. Censores interdixere sumina, glandia, abdomina, testiculos, vulvas, aprugnos, callos. Publius Mimus sumen primus vocavit. Aper in tres partes dividitur, media in cœnam dicitur lumbus aprugnus. Olim dimidiatus aper in cœnam fuit. Primus Rullus solidum aprum posuit; primus lumbos aprugnos dixit, & solidum aprum Ciceroni dedit. Porci non lactentes dicuntur nefrendes, quia fabam frendere non possint. Varro lib. II. *de re rustica*, cap IV. Scropha cum esset quæstor Licinio Nervæ, & hostes impressionem fecissent in castra, cohortatus milites, ut caperent arma, atque exirent contra, dixit, celeriter se illos ut scrofa porcos disjecturum; id quod fecit, & scrofæ cognomen invenit. Patres nostri dixere ignavum, & sumptuosum esse, qui succidiam in carnario suspenderit, potius ab laniario, quam ex fundo domestico. E porcis succidias Galli optimas, & maximas facere consueverunt. Quotannis e Gallia apportantur Romam pernæ tomacinæ, tæniacæ, petasones. Missa offula cum duabus costis, quæ penderet. Decimo a partu die porci dicuntur sacres, id est, puri, & ad sacrificia idonei. Majales verres, qui anniculi, vel semestres. Porci, qui depulsi sunt a lacte, dicuntur Delici. Castrati magis crescunt. Porci variis morbis infestantur. Apud Suidam, τρία πάθη τῶν ὑῶν, βράγχη, μέρος τι τοῦ σώματος, κραῦρα, [illegible] κεφαλῆς πόνῳ, σημειοῦται δὲ τοῦτο τῷ καταβεβλῆσθαι τὰ ὦτα, καὶ καμφθῆναι τὸ σῶμα, [illegible] ῥάπτοντος. κραῦραν οἱ νομεῖς ἐγχυματίζουσι. τῆς δὲ βράγχης περίπτωμα ἐστι τὰ στόματα [illegible]. *Odyss.* lib. V. ἔδουσαι βάλανον μενοεικέα, καὶ μέλαν ὕδωρ πίνουσαι, τά θ' ὕεσσι τρέφει τεθαλυῖαν ἀλοιφήν. Varro lib. IV. *de lingua Latina*, Suillam primo assam, dedinde elixam, tum e jure. Succidia a suibus concidendis. Nam id pecus primum occidere cœperunt domini, & ut servaretur, salire. Offula in sue offa minima. Insicia ab eo, quod insecta caro. Festus depubem porcum vocat, qui prohibitus sit

pubes fieri. Diffulcus, cum in cervice setas dividit. Eustathius, τῶν συῶν τὰ μὲν τέλεια, καὶ ἔνορχα κάπροι, τὰ δὲ πίονα σίαλοι, τὰ δὲ θήλεα σύες, τὰ δὲ νέα δέλφακες, τὰ δὲ ἁπαλὰ, καὶ νεογνὰ χοῖροι. Hesychius, ὗς ὑπὸ ῥοπάλων δραμεῖται, παροιμία, ἐπὶ τῶν ἑαυτοῖς, εἰς ὄλεθρον βαλλόντων. Vet. Gloss. perniones χέμετλα, lege, τεμάχια, vel τεμάχη. Divina tomacula porci candiduli, Juvenalis *Satyr.* x. Festus, Porca biseta, cujus a cervice setæ bifariam dividuntur, cum jam incipit major esse sex mensium. Vet. Gloss. Bisenus χοῖρος, ἑξαμηνιαῖος, lege, bisetus. Herodotus lib. II. Porci in Ægypto μιαροί. ἤν τις ψαύσῃ αὐτῶν παριὼν ὑὸς αὐτοῖσι τοῖς ἱματίοισι ἀπιὼν ἔβαψε ἑαυτὸν βὰς εἰς τὸν ποταμόν. Omnes fugiunt subulcos, συβώτας. Varro lib. VII. Volutares sues colluviares, volutares homines in tenebris, ac suilla, vivunt. Athenæus *lib.* IX. πεταλίδων συῶν. Vide Clementem Alexandrinum lib. VII. *Stromat.* Apud Athenæum, σπλάγχνα ὤπτηται, χαῦνον ἥρπασται, κρέας ἐξ ἅλμης. *Viscera tosta sunt, fungosum sublatum est, caro ex salsamento de sue.* Phasianus Solis vaporibus coquebatur. Hieronymus epist. *ad Oceanum*, Non ut Phasidas aves lentis vaporibus coquat, qui ad ossa perveniant, & superficiem carnis non dissolvant, artifici temperamento. Cerebella erant in deliciis. Apicius *de pultibus Julianis*. Alicam purgatam in fundis, cum ferverit oleum, immittis cerebella duo cocta selibram pulpæ. In Prytaneo alebantur bene de Republica meriti pane, carne, tomaculis. Aristophanes in *Pluto*, πρυτανείου σίτησις ἄρτος, κρέας, καὶ τέμαχος. *Frustum lardi, aut piscis, quia frequens lardi usus fuit.* Varro lib. IV. *de lingua Latina*. In sue offa minima· ὀπτανδύσεις assaturæ porci, τεμάχη, πῦοι, σκελίδες, πλευρίδες. Plutarchus lib. II. *de sarcofag.* εἰς σφαγὴν ὑῶν ὠθοῦντες ὀβελοὺς διαπύρους, ἵνα τῇ βαφῇ τοῦ σιδήρου, περισβεννύμενον αἷμα, καὶ διαχεόμενον, τὴν σάρκα θρύψῃ, καὶ μαλάξῃ. οἱ δ' ἔτασι συῶν ἐπιτόκων ἐναλλόμενοι, καὶ λακτίζοντες, ἵνα αἷμα, καὶ γάλα, καὶ λύθρον ἐμβρύων ὁμοῦ συμφθαρέντων ἐν ὠδῖσι ἀναδεύσαντες φάγωσι τοῦ ζώου τὸ μάλιστα φλεγμαῖνον, ἄλλοι γεράνων ὄμματα, καὶ κύκνων ἀπορράψαντες. *In cædem suum ignea verucula impellentes, ut ferri tinctura sanguis exstinctus, & diffusus carnem molliat, & sapidiorem efficiat. Illi autem in ubera suum fœtarum insilientes, & pedibus calcantes, ut sanguinem, & lac, & tabum embryonum simul corruptorum in partu subigentes comedant, id quod in animali maxime tumet, & exæstuat. Alii oculos gruum, & olorum corradentes*, forte ἀπορράξαντες, vel ἐπιρράψαντες. Isicia Græci vocant ἴσικα, ἰσίκια, ut σάλσικα, σαλσίκια. Varro lib. IV. *de lingua Latina*. Ab insecando insecta minutim caro, qua avium, vel piscium ventriculi farti. Vulvæ in pretio erant. Juvenalis *Satyr.* XI.

Qui meminit calidæ, sapiat quid vulva culinæ.

Tertullianus lib. *de Pallio*, cap. VIII. Pavum cibi causa primus Hortensius Orator occidit. De sumine Martialis lib. XIII. epigr. XLIV.

Esse putes nondum sumen: sic ubere largo
Effluit, & vivo lacte papilla tumet.

Lucianus in *Lexiphane*, παρεσκεύαστο δὲ δίχηλα ὕεια, καὶ σκελίδες καὶ ἠτριαῖα, καὶ τοκάδος ὑὸς τὸ ἐμβρυοδόχον ἔντερον, καὶ λοβὸς ἐκ ταγήνου, καὶ μυττωτὸς, καὶ ἀβυρτάκη, καὶ τοιαῦταί τινες καρυκεῖαι, καὶ θρυμματίδες, καὶ θρῖα, καὶ μελιτοῦτται. *Apparata erant bifida suilla, & laterum pulpamenta, & suminis quædam, & suis nuper enixæ intestinum. Illud, quod fœtum recipit, & hepar e sartagine, & alliatum, seu moretum, & edulium e nasturtio, & similia quædam condimenta opipara, & placentæ, & frictillæ ficulnis foliis involutæ, & ex melle dulciaria.* Apicii pullum Numidam laceratum, vardanum, Frontonianum, pullus tractogalates (id est, cum tracta, seu placenta ex lacte) vulvæ steriles, callum, libelli, forte lumbelli, coticulæ, ungellæ, sumen ficatum, ofellæ, assaturæ, lumbuli, renes, perna, copadia, pulpæ. Lucanica fit ex liquamine, intestino, & albumine porri concisi. Isicia de pavo primum locum habent, secundum de fasianis, tertium de cuniculis, pulpa concisa. Botellum ex ovi vitellis coctis, nucleis pineis concisis. Ut Lucanicæ fiant, intestinum perquam tenuatim productum nucleis farcies, ad fumum suspendes. Coactus, & coctus cibus idem est Festo. Livius lib. IV. Nihil præter arma, & quod coacti ad manum fuit cibi militi ferre licuit. Virgilius in *Moreto*:

—— liquidoque coacto.

Catulina Carthaginenses vesci soliti. Justinus lib. XIX. Canina carne vesci Carthaginenses a Dario prohibiti. Homerus omnibus ὀπτὰ κρέα apponit, tostas carnes non elixas, οὐ μελίτηκτα, κανδύλην. Achilles νῶτα βοὸς, *terga bovis*. Philochorus scribit Ἀθήνησι ἀπείκτου ἀρνὸς μηδένα γεύεσθαι, ἐπιλιπούσης ποτὲ τῆς τῶν ζώων τούτων γενέσεως, *neminem gustare agnum qui non tonsus, aut vulsus fuerit, cum aliquando defecissent*. Priamus filios suos vocat, ἀρνῶν, ἠδ' ἐρίφων ἐπιδημίους ἁρπακτῆρας. Apud Tertullianum *de Pallio* cap. VIII. Æsopus histrio ex omnibus canoris avibus patinam confiscavit. Apud Isidorum lib. XX. cap. I. & II. Pulpa caro est sine sanguine, dicta quia palpitet, resilit enim sæpe. Hanc plærique viscum vocant, quia glutinosa sit. Colustrum lac novum. Arnobius lib. II. Suminatam carnem, & glaciali conditione tuceta dixit, quæ hodie in Italia frequentia sunt. Idem aves ita torreri ait, ut e pinguedine fluente botulos faciant. Verba ejus sunt, ut in coquendis alitibus pinguitudinem nossent retinere labantem, ut spirulas, & botulos facerent, isicia. Lucianus de iis qui docent ἐπὶ μισθῷ, non tibi proponentur ὄρνις παχεῖα, ἀλλὰ νεοττὸς ἡμίτομος, *gallina crassa & pinguis, sed pullus dimidiatus*. Peregrinas aves in amoribus fuisse diximus. Mamertinus in *Panegyr. Juliani*, quum quæsitissimæ dapes non gustu, sed difficultatibus æstimarentur, miracula avium longinqui, maris pisces, alieni temporis poma, æstivæ nives, hibernæ rosæ. Philo in *Mechanicis*, κρέα κρεμαστὰ ἐν οἰνηρᾷ τρυγίᾳ οὐδεν ἀρτύσεως, οὐδ' ἁλὸς προσδέονται. *Carnes suspensæ in fæce vini non egent sale, aut alio condimento*. Athenæus lib. XIV. ὄρνιθες σιτιστοὶ, δελφάκια, πεταζῶνες, καὶ πέρναι. *Aves altiles, porcelli, petazones, pernæ.* Catulos lactantes Romani adeo puros existimabant ad cibum, ait Plinius lib. XXIX cap. IV ut etiam placandis numinibus hostiarum vice uterentur. Veteres neque ranis, neque cerebris animantium usi, apud Plutarch. VIII. *Sympos. Problem.* IX. Grues tanti fecere, ut ex Melo insula Romam deportarentur. Lib. *de carnis usu* scribit oves Melicas vocari Medicas. τοὺς ἐν Μήλῳ ἐρίφους vocat Clemens Alexand. lib. II. *Pædag.* cap. I. Hœdos Melicos. Catuli ferarum vocantur ὀυβρίκια. Plutarchus *Sympos.* II. cap. X. τὰς δὲ ὀμβρικὰς ἐκείνας δαῖτας οὐ χρὴ μεταφέρειν. *Istas cœnas e catulis ferarum non oportet transferre*. Servius ad hæc lib. I. *Æneid.* Verubusque trementia figunt, negat Heroicis temporibus moris fuisse ut carne vescerentur elixa. Convivium Aureliani fuit de assaturis, quæ raro fuere sine jure apud Vopiscum. Tuceta apud Gallos Cisalpinos bubula dicitur condimentis quibusdam crassis oblita, & macerata, ait Persii vet. Scholiastes, & ideo toto anno durat. Solet etiam porcina eodem jure condita servari, aut assaturarum jura. Glossæ, Tucca, κατάχυμα ζωμοῦ. ζωμὸς de assis, ζέμα de elixis. βλύσιον τὸ ζέμα ἀπὸ

τὸ βλύζειν. νομὰς est gallina Numidica, λαγῷον, frustum leporinum quod singulis convivis apponi solitum. In cœna Carani σύαγροι σιγυνίαις ἀργυραῖς διαπεπερονημένοι περιεφέροντο ἑκάστῳ, apri venabulis argenteis confixi circumferebantur singulis convivis, qui CXX. erant, ut quisque quantum vellet caperet. σιγυνία & σιβύναι sunt venabula, apud Athen. lib. IV. apud eundem lib. VII. Hercules fuit amans bubulæ. Eidem πατανίων σωρεύματα sunt patinarum struices Plauto. Hesychio ῥωβαλεύματα ἢ νωγαλίσματα τὰ κατὰ λεπτὸν ἐδέσματα, edulia concisa; vulgo, *hachis*. Apud Clementem lib. II. *Pædag.* Virile magis esse dicitur assa carne vesci, quam elixa. κἂν δέῃ κρέως ὀπτοῦ μᾶλλον, ἢ ἑφθοῦ μεταδοτέον. Lactentes porcelli Athenæo lib. IV. dicuntur ὀρθαγορίσκοι οἱ γαλαθηνοὶ χοῖροι. Hesych ὀρθαγορικὸς χοιρίδιον μικρόν. βορταγορίσκια χοίρεια κρέα, βορτάκεοι Laconibus μικροὶ χοῖροι. Theophrastus prodit Thyn. Regem Paphlagoniæ ἑκατὸν πάντα παρατίθεσθαι δειπνοῦντα ἐπὶ τὴν τράπεζαν, cœnantem omnia centena apposuisse, centum apros, centum boves, &c. ὀπτάνιον opus culinarium, ἐπιτραπεζώματα βρώματα ἐπιτιθέμενα τραπέζῃ. Athen. sub finem lib. IV. Cibi qui inferuntur in mensam. Cibi autem qui e mensa sublati in penu asservantur dicuntur præsentes. Eustathius, παρέοντα βρώματα λέγει τὰ ἐν τῷ ταμείῳ ἀποκείμενα, ἤτοι ἕωλα· τὰ γὰρ πρόσφατα ὁ δαιτρὸς παρατίθησι. Recentia enim coquus apponit. Raro Veteres vitulorum carnibus usi. Hieronymus *contra Jovianum* lib. II. *de lege Valentis Augusti*, Ne quis vitulorum carnibus vesceretur. De bove item aratore vetitum. ἱερεῖα autem dicta non tantum sacrificia, sed carnes victimæ quibus vescebantur. Juvenalis,

Acciaente nova si quam dabat hostia carne.

Xenophon in *ascensu Cyri*, ἐνταῦθα πάντα ἐπιτήδεια ὅσα ἐστὶν ἀγαθὰ ἱερεῖα, σῖτον. Ibi omnia esui bona, victimæ, triticum. lib. V. ἱερεῖα ἐπώλουν ἡμῖν, καὶ ἄλλα ὧν εἶχον, id est, *carnes vendebant nobis, & alia quæ habuerunt*, quia olim impius habitus qui ἄθυτα comederet. Apud Homerum Scholiastes, οὐχ ἱερήιον, οὐδὲ βοείην, interpretatur θρέμμα, & quicquid usui esse παρὰ ἵεσθαι τὰ ἔρια, id est, *mittere lanam*. Ionibus προσαιρέεσθαι, *comedere*, apud Hippocratem προσάρματα cibi. Athenæus lib. VIII. ἄρνα συμπηκτὸν ἐνθυλευμένον, *agnum confervefactum, vel coctum conditum*. Hesychius ἔνθον condimenti genus esse vult. συμπήσσω, *cogo coalescere facio*. κίχλαι ἐλαιοφιλοφάγοι, *turdi olivis avide vescentur*. Sturnos olim non esitarunt quia putarunt esse ὀρνίθια ἄγρια, *aviculas agrestes*. Antiphanes tamen ψᾶρας ἐν τοῖς βρώμασι καταλέγει, *sturnos in cibis numerat*. συκαλὶς *ficedula*. Vocatur a quibusdam ἐλαιὸς, ait Alexander Aphrodis. ab aliis πιρίας, eadem ficedula quum vigent ficus, ὅταν ἀκμάζει σῦκα. Veteres Cerebella non gustarunt, quod omnes prope sensus insint in cerebro, ait Athenæus. Sophocles cerebrum λευκὸν μύελον, *albam medullam*. Galenus μύελον ἐγκεφαλίτην, vocat. Proverbium de homine nequam apud Eustath. ὡς οὐδ' αὖ ἐγκεφάλων γ' ἔδων λίποι, *qui cerebrum comedens nihil relinquat*. Falsum est Veteres non nominasse cerebrum, Homerus & Euripides nominant.

CAP. XXV.

DE PISCIBUS ESCULENTIS.

DE carnibus esculentis egimus, & multa omisimus, ne copia nos perderet, ut ciborum copia sæpe convivis exitio est. De piscibus esculentis jam agamus. Græcis pene omnibus pisces in deliciis fuere, opinor quia magna Græciæ pars maritima est. Rhodii certe homines elegantes, & lautos eos esse existimarunt, qui piscibus vescerentur, alios omnes insulsos, & comedones, apud Ælianum lib. I. *Var.* c. XXVIII. Scarus, lagois piscis, ostrea, sapore inter alia commendantur. Horat. Sat. II. l. II.

Non in caro nidore voluptas summa,
Pinguem vitiis, albumque, nec ostrea,
Nec scarus, aut poterit peregrina juvare lagois.

Lepusculus est marinus. Apud Varronem in *Satyra de cibis* laudatur pelamis Chalcedonia, muræna Tartessia, aselli Pessinuntii, ostrea Tarentina, pectunculus Chius, ellops Rhodius scari Cilices, nuces Thasiæ, palma Ægyptia, glans Iberica. Acipenserem γαλεὸν, aut ἔλοπα esse ajunt, quidam silurum, omnino est οἰνίσκος Dorionis apud Athen. seu galaxias Galeni l. V. *de alimentis*, Gallice *Etourgeon*. Sturio apud Pollucem lib. VI. commendatur. μύραινα ἐκ πορθμοῦ, μύραινα ταρτησία, θύννος τύριος, κεστρεὺς ἐκ σκιάθου, κόγχαι πελωριναί, τεῦτλον ἐξ ἄσκρης, μύραινα ἐκ λιπάρας. *Muræna ex freto, muræna Tartesia, thynnus Tyrius, mugil ex Sciatho, conchæ Pelori, muræna ex Lipara, beta ex Ascra.* Seneca epist. XCV. Quid tu illa ostrea inertissimam carnem, cœno saginatam? &c. quid illud sociorum garum, pretiosam malorum piscium saniem? Memini fuisse quondam Æsopi nobilem patinam, in quam quidquid apud lautos solet diem ducere properans in damnum suum popina congesserat, veneriæ, spondylique & ostrea eatenus circumcisa qua eduntur, intervenientibus distinguebantur echinis, torti, distracti sine ossibus mulli constraverant. Testas excerpere, atque ossa & dentium opera coquum fungi. Vide Plinium lib. X. cap. LI. Ut aprum pomis, sic squillas cingebant asparagis. Juvenalis sat. V.

Quæ fertur domino squilla, & quibus undique cincta
Asparagis.

Macrobius lib. III. cap. XIII. *Saturnal.* Ante cœnam echinos, ostreas. Pollux lib. VI. *de piscibus salitis*, ταρίχη ποντικὰ, φρύγια, αἰγύπτια, σαρδῷα, γαδειρικὰ, ὡραῖα τεμάχη σκόμβρων, κεστρέων, κύβων, θυννίδων, ἰχθῦς ἐκ ταγήνου, ἰχθῦς ἐξ ἅλμης. Salsamenta Pontica, Phrygia, Ægyptiaca, Sardonia, Gadica. Salsamenta æstiva, scombrorum, mugilum, cuborum, thynnidum. Thynni, coliæ, saperdæ Lesbiæ, mylli. Piscis ex sartagine, piscis ex salo, οὕτω γὰρ ἐκάλουν τὸν τῶν ἰχθύων ζωμόν. sic enim piscium jus vocarunt. τῶν κεστρέων τὰς νήστεις ἐπῄνουν. Mugiles jejunos laudabant. Vide cap. IX. sectione II. & III. Heliogabalus primus fecit de piscibus isicia, apud Lampridium. Sybariticam mensam semper exhibuit ex oleo, & garo, quam quo anno Sybaritæ reppererunt, perierunt. Barbas sane mullorum tantas jubebat exhiberi, ut pro nasturtiis, apiastris, & faselaribus, & fœno Græco exhiberet plenis fabatariis, & discis. Faselares sunt faselli qui sumebantur cum garo & aceto apud Galen. *de virtut. aliment.* Fabatarium est vas in quo fabatum, id est, granum fabæ reponitur. Idem pisces semper quasi in marina aqua cum colore suo coctos conditura Veneta (id est, colore maris) comedit. De muræna Sicula Martialis lib. XIII. epigr. LXX.

Quæ natat in Siculo grandis muræna profundo,
Non potest exustam mergere Sole cutim.

ἐνθυλευμένη τευθίς apud Athen. lib. I. farta, σακτή. ἐνθυλεύειν indere fartum. Apud Hesych. ἐνθυλευμένον ἄρτυμα, τὸ διεστραγγισμένον, *condimentum fartum*, alii legunt διεσταγμένον, a στάζω *stillo*, quasi olei guttis irroratum. Tithæ conchulæ apud Pollucem lib. VI. ostrea, purpuræ, coryphes, carabus, astacus, χῆμαι, hiatulæ, conchæ, κτένες pectines, loligines, flagella polypodum, sepiæ, sepidaria, echini marini, μήτραι, bulbæ, τύμμαχοι, salsamenta piscium.

Athenæus lib. VII. *τρίγλαι αἱ τὸ γένειον ἔχουσαι ἡδίονές εἰσι μᾶλλον τῶν ἄλλων*, *mulli barbati gratiores, & suaviores imberbibus sunt*. Lupos interpontanos Lucilliur vocat catillones,

Hic pontes Tiberinos inter captus catillo.

ποταμία μύραινα ἀπύρηνος, fluviatilis muræna exossis dicitur lampetra, seu mustela exormistos, quia fundum maris deserit, ut in summum enatet. Seneca lib. III. *Natur. Qu.* cap. XVIII. Nihil est mulo moriente formosius. In garo pisces natant. Da mihi vas vitreum in quo piscis exultet, ubi trepidet. Sub mensa erant plærumque piscinæ. Apud Catonem lib. I. *de re rust.* cap. LVIII. Pulmentum fit rusticis ex halece, vel olea caduca, & aceto. Apud Lampridium Heliogabalus cœnàs Apicii, & Vitelli vicit, pisces ex vivariis suis bubus traxit, nunquam minus centum millibus HS. cœnavit. *ὑραῖον* & *ὡραῖον* genus salsamenti apud Athenæum lib. III. lib. I. *τὸ ἐν τοῖς ἑψητοῖς ὡραῖον*, cum in paropside pisciculis minutis plena inferretur oræum salsamentum. Lucianus in *Lexiphane*, *τῶν δὲ ὑποβρυχίων τὰ σελάχια πολλὰ καὶ ὅσα ὀστράκινα τὸ δέρμα καὶ τεμάχη ποντικὰ τῶν ἐκ σαργανῆς, καὶ κωπαΐδες*, *ex natatilibus autem & marinis cartilaginea multa, & quæcumque ostreaceis teguntur, & offæ Ponticæ ex iis quæ nassis excipiuntur, & anguillæ copædes*. *καὶ ἰχθὺς ἦν παράσιτος*. *ἠλακατῆνες* sunt similes colo qua mulieres nent. *ταριχηρὰ*, & salsamenta pene omnia fiebant e piscibus, pretiosissima e scombris quos macarellos vulgo vocant. Tria autem liquaminum genera fuere, primum quod e scombro garum indigetant, alterum ex thynno pisce muriam vocant: tertium quod ex quovis minuto pisce halece deterrimum, ut vult Isidorus, quod alec dicitur. Horatius lib. II. Sat. IV.

Ego fæcem primus, & alec inveni.

Plautus in *Aulular.*

Qui mihi olera cruda, & alec danunt.

Muria optima fiebat ex thunno Antipolitano. Antipolis urbs provinciæ Narbonensis, unde thunni laudatissimi, ut Plinius lib. III. cap. IX. & lib. XXXI. cap. IX. & Gellius. De muria Columella lib. XII. cap. VII. & XXV. Deinde salsugo pisc'um. Piscis enim in liquamine, seu salsamento soluti humorem liquant, quem salsugineum, seu muriam appellant. Oxygarum ex garo & aceto fit. Martialis lib. III. epigr. L.

Inter lactucas, oxygarumque liber.

Ovi recentis vitellum imbuebant liquore scombri piscis, qui in aqua sulphureum induit colorem, extra communem ait Plinius lib. XXXI. cap. VIII. Nec liquor ullus pene præter unguenta major in pretio esse cœpit. Scombrum Latini lacertum vocant, Gallice *maquereau*. Major scombrus Græcis dicitur *σκομβρὶς*, minor cotias qui ætate tantum differt a priore. Martialis lib. XIII. epigr. XL.

Candida si croceos circumfluit unda vitellos
Hesperius scombri temperet ova liquor.

Id est, si vitellus ovi est cum suo albumine lacteo, & recenti, eum temperato garo e scombro Hispano. Apud Plinium scombros Mauritania, Bætica, & Carteia capit, lib. XXXI. cap. VII. Garum plærique ex garo pisce fieri volunt. De garo sociorum, vide Colum. lib. XII. cap. ult. & de Hydrogaro. Martialis lib. VI. ep. XCIII.

Amphora corrupto nec vitiata garo.

Lib. XIII. epigr. CII.

Exspirantis adhuc scombri de sanguine primo
Accipe fastosum munera prima garum.

Sociorum garum intelligit, quod *ταριχηρὸν* vocat Comicus. Manilius lib. V.

Hinc sanies pretiosa fluit, floremque cruoris
Evomit, & misto gustum sale temperat oris.

De œnogaro. Martialis lib. VII. ep. XXIV.

Sed coquus ingentem piperis consumet acervum,
Addet & arcano mixta Falerna mero.

Horatius Satyr. IV. lib. II.

—— Ego fæcem primus & alec (ait Catius.)
Primus & invenior piper album cum sale nigro
Incretum puris circumposuisse catillis.

Seneca garum pretiosam saniem præcordia rodentem vocat. Plinius lib. XXXI. cap. VII. Muria aqua est sale mista. Columella lib. XII. cap. VII. & XXV. Pisces in liquamine soluti muriam liquant. Martialis lib. XIII. epigr. CIII.

Antipolitani, fateor, sum filia thunni;
Essem si scombri, non tibi missa forem.

Halec est infra muriam ex halece pisce. Horatius Satyr. IV. lib. II. Jus simplex esse ait e solo olivo, duplex ex oleo & muria.

—— simplex e dulci constat olivo,
Quod pingui miscere mero, muriaque decebit,
Non alia quam quæ Byzantia putruit orca.
Hoc ubi confusum sectis inferbuit herbis,
Corycioque croco sparsum stetit, insuper addes
Pressa Venafranæ quod bacca remisit olivæ.

CAP. XXVI.

DE MULLO.

Fenestrella mullos a colore mulleorum calceorum dici vult apud Plin. lib. IX. c. XVII. Rubro colore est, sed moriens varios induit colores, ait Seneca. Mullus VIII. librarum in mari rubro captus lib. IX. cap. XVIII. Mullus unicus 80. millibus nummum ab Asinio Celere emptus. Alius apud Senecam X. millibus nummum, id est, ducenis quinquagenis Philippeis. Dicitur *ρίγλη*, quod ter in anno pariat. Dioscorides lib. II. c. XXIV. *τρίγλη συνεχῶς ἐσθιομένη ἀμβλυωπίας κατασκευαστική*, *mullus assidue comestus bebetat oculorum aciem*. De eo Martialis lib. XIII. epig. LXXIX.

Spirat in advecto, sed jam piger, æquore mullus
Languescit, vivum da mare, fortis erit.

Vide Macrobium lib. VII. cap. XI.

CAP. XXVII.

DE RHOMBO, ET SCARO.

Rhombus vulgo *turbot*, piscis lautus & latus. Juvenalis sat. IV.

Incidit Hadriaci spatium admirabile Rhombi.

Martialis lib. XIII. epigr. LXXXI.

Quamvis lata gerat patella Rhombum,
Rhombus latior est tamen patella.

Horatius Satyr. II. lib. II.

—— grandes Rhombi, patinæque
Grande ferunt una cum damno dedecus.

Scari autem dicuntur a *σκαίρειν*, vel *ἀσπαίρειν*, quod nassa inclusi caudæ ictibus crebris laxent fores, atque ita retrorsum erumpant. Plinius lib. XXXII. cap. ult. Scarus qui hodie principalis est. Petronius,

Ingeniosa gula est Siculo scarus æquore mersus
Ad mensam vivus perducitur.

Vide Macrobium lib. II. *Saturn.* Martialis lib. XIII. ep. LXXXIV.

Hic scarus æquoreis qui venit obesus ab undis
Visceribus bonus est, cætera ovile sapit.

CAP. XXVIII.

DE CORACINO.

Coracinus, Ausonio corvus, Alexandriæ inter cibos est princeps, in Græcia vilis. Amphis,

Ὅστις κορακῖνον ἐσθίει θαλάττιον
Γλαύκου παρόντος, οὗτος οὐκ ἔχει φρένας.

Martialis lib. XIII. epigr. LXXXV.

Princeps Niliacis raperis, Coracine, macellis,
Pelleæ prior est gloria nulla gulæ.

CAP. XXIX.

DE ACIPENSERE.

DIcitur & Acipensis, vulgo *Estourgeon*, sturio, vel ellops, quem primus Gallonius Romanus præco intulit mensis. Lucilius,

O Publi Gurges Galloni es homo miser, inquit,
Cœnasti in vita nunquam bene, cum omnia in ista
Consumis squilla, atque acipensere cum in decumano.

Horatius Satyr. II. lib. II.

——— *haud ita pridem*
Galloni præconis erat acipensere mensa
Infamis.

Apud Athenæum lib. VII. Archestratus acipenserem putat esse γαλεὸν Rhodium, qui Romæ cum tibiis & coronis ad cœnas cum pompa circumfertur, μετ' αὐλῶν καὶ στεφάνων εἰς τὰ δεῖπνα περιφερομένῳ ἐστεφανωμένων δὲ καὶ τῶν φερόντων. Gellius lib. VII. cap. VI. ἔλλοπα ῥόδιον inter cibos lautos & opiparos numerat. Cicero *de Fato in Fragmentis*: Pontius Scipioni plures invitanti, acipenser iste paucorum est hominum. Macrobius lib. II. *Saturnal.* cap. XII. Ovidius in *Halieut.*

Tuque peregrinis acipenser nobilis undis.

Oppianus vocat eum γαλεὸν γλαῦκον. Martialis lib. XIII. epigr. XCI.

Ad Palatinas acipensem mittite mensas.

Macrobius lib. III. *Saturn.* cap. XVI. Acipenser a coronatis ministris cum tibicine in mensam inferebatur.

CAP. XXX.

DE LUPO, MURÆNA, ET ALIIS.

DE lupo interpontano diximus alibi. Edimus turdum pinguem, bonumque piscem lupum germanum qui inter duos pontes captus fuit, ait Macrobius lib. III. *Sat.* cap XVI. Horatius Sat. ult lib. II.

Affertur squillas inter muræna natantes
In patina porrecta. Sub hoc herus, hæc gravida, inquit,
Capta est, deterior post partum carne futura.
His mistum jus est oleo quod prima Venafri
Pressit cella, garo de succis piscis Iberi.

Scombrum intelligit, ut Strabo lib III. *Geograph.* Unde garum optimum. De Venafra Martialis lib. XIII. epigr. CI.

Hoc tibi Campani sudavit bacca Venafri.

Horatius ibidem:

——— *illutos Curtillus echinos,*
Ut melius muria, quam testa marina remittit.

Curtillus malebat echinos integros non liquefactos, quam muriam ex iis factam. Mulli interdum trilibres reperti, rari qui tres libras superarent. Horatius Sat. II. lib. II.

——— *trilibrem*
Mullum in singula quem minuas pulmenta.

Pisces saxatiles, & interpontanos in deliciis fuisse ostendimus. Item oratas, & murænas a quibus Romani nobiles nomina mutuati. Macrob. lib. III. c XVI. *Sat.* Lupus inter duos pontes captus, acipenser, naulus qui duas libras excedat. Cassiodorus lib XII. *Epist.* Exormiston inter pisces regium genus, compar murænis, colore ditans, naribus setosis, colostrea delicatudine præditum. Ennius de lithostreis, & muribus marinis,

Mures sunt Æni, ast aspra ostrea plurima Abydi.

Lampridius in *Heliogabalo* lithostrea vocat locustas, cammaros, ὀστρακοδέρμους, λιθορρίνους. Empedocles apud Plutarchum:

A *Τοῦτο μὲν ἐν κόγχαισι θαλασσονόμοις, βαρυνώτοις,*
Ναὶ μὴν κηρύκων τε λιθορρίνων, χελωνῶν τε.

Hoc quidem videre est in conchis marinis gravi dorso, & cerycibus saxeo cortice, ac testudinibus. Scarus cerebrum Jovis dictum. Ennius:

Scarum æterii cerebrum Jovis pene supremum.

Vet. Gloss. κήρυκες buccini, aurata χρυσόφρυς, capito κέφαλος, dentex συνόδους, rubellius φάγρος, locusta κάραβος, turdus κίχλα, tructa τρώκτης, sardina θρίσσα, silurus glanis, sulmo ἀτταχεὺς, catelli γαλεοὶ, corvus κορακῖνος, oclata μελάνουρος, mel marinum ἀφύαι apuæ, ὀπτανδόσεις assaturæ. Festus, Muriatica video in vasis stanneis, bonum
B naritam, & cammarum, & tagenia. Muriatica ταριχηρὰ salsamenta Plautus *Pœnolo*, quasi salsa muriatica. Halex, τάριχος, muriatica Plin. l. XXXVIII. cap. VIII. Esicia, insicia ex Varrone diximus esse insectam minutim carnem, qua avium, vel piscium ventriculi farti. Apicius lib. *de re culin.* Isiciorum varia sunt genera. Marina fiunt de scylla, seu cammaris, & astacis, de loligine, de sepia, locusta, pectine, ostreo. Alibi isicia e piscibus, cammaris, pipere. Initium mensæ apud Græcos bulbus, finis thynnus. Athenæus lib I.

Ἄρξομαι δ' ἐκ βολβοῖο, τελευτήσω δὲ ἐπὶ θύννον.

Philoxeno helluoni parva τρίγλη apposita, magna
C Dionysio. Apud Tertullianum lib. *de Pallio*, cap. VIII. Asinius Celer muli unius obsonium sex millibus HS. detulit. Filius Æsopi margarita dehausit. Clemens Alex. lib. II. *Pæd.* cap. I. Pisces gulæ commodos numerat. τὰς ἐν πορθμῷ τῷ σικελικῷ σμυραίνας, τὰς ἐγχέλεις τὰς μαιανδρείους, τοὺς ἐν μήλῳ ἐρίφους, τὰς ἐν σκιάθῳ κεστρέας, τὰς πελωρίδας κόγχας, καὶ τὰ ὄστρεα τὰ ἀβυδηνά, καὶ τὰς ἐν λιπάρᾳ μαινίδας, τὴν γογγύλην τὴν μαντινικὴν, τὰ παρὰ τοῖς ἀσκραίοις τεῦτλα, κτένας μεθυμναίους καὶ ψήττας ἀττικὰς, καὶ τὰς δαφνείους κίχλας, χελιδονίους τε ἰσχάδας, ὄρνεις τοὺς ἀπὸ φάσιδος, ἀτταγᾶς αἰγυπτίας,
D μήδον ταῶνα, *murænas quæ sunt in freto Siculo, Mæandri anguillas, & qui in Melo sunt hœdos, & qui in Sciatho mugiles, Pelori conchas, & Abydena ostrea, mænas quæ sunt in Lipara, bolum Mantinicum, betas quæ sunt apud Ascræos, pectines Methymnæos, lingulacas Atticas, turdos Daphnios, caricas Chelidonias, phasidas aves, attagenas Ægyptias, Medicum pavonem.* Hæc condimentis immutantes ii qui sunt gulæ dediti obsoniis inhiant, quæcumque tellus, & profunda Ponti, immensaque alit altitudo aeris. Plæraque ex Pollucis lib. VI. cap. IX. mutuatus est Clemens. Aspera ostrea quæ vocat Ennius Lampridium ostendi vocari λιθόστρεα,
E ὀστρακόδερμα, λιθόδερμα, λιθόρρινα. Ausonius,

Quæ testis concreta suis seu saxa cohærent.

Neptunus interdum pro piscibus ponitur. Nævius,

Coquus dedit Neptunum, Venerem, Cererem.

Id est, pisces, poma, panes. Græci ὄψον vulgo de piscibus accipiunt, imo & κρεοπωλεῖον de loco ubi pisces væneunt. Ita in colloquio quotidiano prandium instructuri erunt, εἰς κρεοπωλεῖον ubi emunt pisces decem denariis. Καὶ σκιφίας, χρόμιος τε ἐν τῷ ἦρι κάττον ἀνάνιον, ἰχθύων πάντων ἄριστος, ἀνθίας τε χείματι, *Sciphias, & chromicas veris tempore si audiendus est Ananius poeta Epicharmo vetustior, omnium piscium sunt optimi, anthias autem*
F *hyeme.* Anonymus, ὄψων ἄριστον καρὶς ἐκ συκίας φύλλων, καὶ ἀμία ἐν συκέας φύλλοις, καὶ ὀριγάνῳ οὐ μάλα πολλῷ, *piscium optima squilla ex fici foliis, & amia in fici foliis, & origano mediocri.* Qui piscibus invigilant dicuntur ab Athenæo, οἱ τὰς κητείας παρεδρεύοντες ἄνδρες, homines qui in cetariis degunt. Pisces autem alii sunt ὀστρακόδερμοι conchæ, μαλακόστρακοι carabi, cancri. μαλακοὶ ὅσων ἡ σὰρξ ἁπαλὴ, καὶ χαυνὸς, *molles quorum caro mollis & laxa*, ut polypi, & sepiæ, alii ζωοτοκοῦσι, ὡς

πάντα τὰ σελάχη, τὰ γαλεώδη, οἱ κωνίσκοι, *vivi pariunt, ut omnia cartilaginosa, mustelæ, canes*. A Sunt & λεπιδωτοὶ, φολιδωτοὶ squamosi, πελάγιοι marini, αἰγιαλώδεις littorales. βύθιοι qui profundo merguntur, πετρώδεις saxatiles, ἀγελαῖοι gregales, σποραδικοὶ singulares, cete. Vide S.Basilium lib. VII. *Exaem.* Piscium alii limo aluntur, alii alga, & fucis, quidam herbis quæ in aqua nascuntur, quidam se invicem vorant. ἡ τῶν βραγχίων αὐτοῖς διαστολὴ, καὶ ἐπίπτυξις δεχομένη τὸ ὕδωρ, καὶ διεῖσα ταύτην τὴν ἀναπνοὴν κέκτηται, *branchiarum explicatio & compressio aquam accipiens, & transmittens hanc respirationem habet*. Nullus piscis ex parte dentes habet, sed omnes densos habent acutorum dentium ordines, ne diu mandendo alimentum auferatur aquæ impetu. B Boa piscis boatum edit, cæteri ferme pisces silent. Apud Pausaniam, Paciliæ pisces in fluvio Arcadiæ vocem turdi imitantur. Piscis maris imperium portendunt. Delphis cum Athenienses aquam e puteo hausissent, in qua repertus piscis, respondit aruspex eos maris dominos fore. Polypus oleæ ramo capitur, orchestris saltatione & cantu. Omnes bisces plani dicuntur sacri, quia mare in quo reperiuntur beluosum non est, ut anthias, chrysophrys, ellops, pompilus, delphinus. Piscatores naves coronabant si eos C cepissent. Plato in *Phædone* ait mare nihil gignere Jove dignum · οὐδὲν θάλασσα γίγνει διὸς ἄξιον. Contra Rhodii pisces in deliciis habebant si convivia obirent. Æthiopes qui piscibus victitant brevis sunt vitæ, ait Diodorus. Nugæ. Chartusiani piscibus victitant, & diu vivunt. Ægyptii abstinent piscibus, & piscem pingunt ut prophanum signent. Inepte, quum Nilum colant piscosum. Pisces saxatiles fuere in deliciis. Persæ Arimani pisces dicant, qui malus Deus, volatilia & altilia Oromasdi, qui bonus Deus. Apud Ælianum lacerta, chromis, aper, pisces grunniunt. Chalcis sibilat. Cocys mulum imitatus. Assyrii piscibus abstinent, D & colunt pro aqua pisces, pro aere columbam. Ægyptii oxyrinchum piscem pro Deo colunt. Ascalone Derceto colitur, quæ a fronte mulier est, ab umbilico piscis. ὀψοφάγοι olim dicti qui pisces ederent, lauti habebantur, quia pisces erant in deliciis, sordidi qui boum & ovium carnibus. Juvenalis sat. IV.

Atque ita defecit nostrum mare dum gula sævit.
Quidquid conspicuum, pulchrumque ex æquore toto
Res fisci est, ubicumque natat.

Apud Homerum piscibus Heroes non usi, nisi animantia terrestria deficerent. E Cato dixisse fertur, quomodo salva esse civitas potest, in qua pluris est piscis, quam bos. In honorem Dianæ Phaselitidis pisces argenteos deferri in templa moris fuit. Plinius lib. IX. cap. VII. Pisces carent pulmonibus, sed viscera trahunt aerem, qui aquis inclusus est, ut in terræ cavis, quia pisces æstate oscitant, anhelant, dormiunt, at sine respiratione somno locus non est. Audiunt, odorantur, quod sine aere non procedit. Branchiis passis attrahunt aerem, & ejiciunt cum aqua, quod Aristoteles negat, quia pulmone carent, & aqua eos per branchias refrigerat. Manilius lib. IV. Venerem in piscem se mutasse ait, F cum gigantes Diis bellum indixere.

Scilicet in piscem sese Cytherea novavit,
Cum Babylonicas submersa profugit ad undas,
Inseruitque suos squamosis piscibus ignes.

Inde fieri ait, ut qui nascuntur sub signo piscium sint libidinosi. Stephanus scribit quandam Naidem in Norosa insula maris Erythræi eos mutasse in pisces cum quibus concubuerat. Ovid. lib. IV. *Metam.*

Nais an ut cantu, nimiumque potentibus herbis
Verterat in tacitos juvenilia corpora pisces

Donec idem passa est.

Murenæ in piscinis Crassi & Luculli ad crepitum digitorum ventitabant. Apud Plautum in *Rudente* instrumenta piscatoria hæc numerantur act. II. sc. I.

Hice hami, atque hæ arundines sunt nobis quæstu, & cultu,
Cottidie ex urbe ad mare huc prodimus pabulatum,
Pro exercitu gymnastico, & palæstrico hoc habemus,
Echinos, lepadas, ostreas, balanos captamus.

Idem *ibid.* act. II. sc. II.

Salvete fures maritimi, conchitæ, atque hamiotæ,
Famelica hominum natio.

Sed de piscibus qui vulgo in cœna adhiberentur pluribus supra egimus. Coqui piscibus gratiam ex colore quærebant. Athenæus lib. VII. οἷον παρατέθεικα, οὐ πεφαρμακευμένον, οὐδ' ἄνωθεν ἐξηνθισμένον, *qualem apposui non fucatum aut colore sursum efflorescentem*. Coquus ait τριμμάτιον τούτοις ἀκέραιον ἀνθινὸν, *colorem illis floridum terendo aspersi*, κατέπνιξα ἐν ἅλμῃ τοῦτον διανθεστέρᾳ, *exstinxi eum in muria florida*. Apud Hippocratem coloris genus est in conditura piscium ὁ καρυκοειδὴς, id est, ὕφαιμος. Galenus lib. *de tuenda sanit.* Saxatiles, inquit, pisces in albo jure dabis, sine garo, & sine supervacua conditura, quam καρυκείαν vocant. Glauci caput expetitum inter pisces fuit. Antiphanes, ἀποσταίην ἂν ὧν προείλόμην, ἢν Καλλιμέδων γλαύκου πρόοιτο ἂν κρανίον, *discedam ab instituto si Callimedon glauci abjiciat cranium*. ἔγχελυς marina anguilla dicitur Epicharmo παντάνεψις, quod in patella coquebatur. Archestratus anguillam solam carere ossibus, & spinis ait, ἔγχελυς ἡ φύσει ἐστὶν ἀπύρηνος μόνος ἰχθύς. Antacæum tamen spinis & aristis carere, & ἀνάκανθον εἶναι volunt. Antacæus item Ponticus ἀπύρηνος. Anguillas betæ foliis involutas comedebant. Aristophanes in *Acharn.* ἐγχέλεις ἐντευτλανοῦν. Celtis ῥίνα ἰχθυόεν εἶδος. Celtis est cælum seu scalpellum γλυφίον. Conchulas striatas, & echinorum caliculos aperiunt delicati, & pisces disquamari, & exdorsari volunt. Seleucus Solensis solum piscium scarum [illegible] ποτὲ ἁλῶναι, *quare nec de nocte capi*. Gellius lib. VII. cap. XVI. scaros Cilices optimos esse ait. Apud Aristot. lib. II. *hist. anim.* cap. XIII. Pisces omnes sunt καρχαρόδοντες, *dentibus serratis*, excepto scaro, cujus lingua spinosa, & aspera, palato sic adhærescit, ut non appareat. Pisces quosdam esse fossiles docent Aristot. lib. *de mirabil. audit.* Strabo lib. IV. & XII. Athenæus lib. VIII. Athenæus ex piscibus vocales esse, φθέγγεσθαι, solos scarum, & fluviatilem χοῖρον porcum asseverat. Forum piscatorium Athenis dictum ἰχθύες, ἀγορὰ ἰχθυόπωλις, καὶ ὀψόπωλις. Piscium fluviaticorum optimi sunt qui sequuntur pronum fluvii impetum, aut in rapidissimis fluviis natant, οἱ ἐν τοῖς ὀξυτάτοις τῶν ποταμῶν ὄντες, οἵ τ' ἐπὶ ῥοῦν ἰόντες. Græci veteres ὄψον de piscibus non dixerunt nisi adderent θαλάττιον. Hippocrates omnes pisces etiam fluviatiles vocat θαλάσσια. l. I. *de morb. mulie.* χρήσθω ὄψοισι θαλασσίοισι. Lib. *de morb. sacro*, ἀπέχεσθαι θαλασσίων τρίγλης, ἐγχέλυος. Anguilla etsi mare subit tamen fluvialis est. Pisciculum Glossæ vocant ψαρίον. Hesychius τραχήλους τὰς πορφύρας καλεῖ, purpuras vocat trachelos seu cervices. Asperæ conchæ Macedonibus dictæ κώρυκοι. L. III. Athenæus, μύες musculi ex genere concharum squillam resipientes mali succi, saporis ingrati, σκινώδεις, κακόχυλοι, πρὸς τὴν γεῦσιν ἀπειθεῖς, elixæ per se cervices purpurarum juvant stomachum, ἑψόμενοι τὸ καθ' ἑαυτοὺς οἱ τράχηλοι τῶν πορφυρῶν εὐθετοῦσι πρὸς τὰς τῶν στομάχων διαθέσεις. Nonnulli vertebras conchyliorum τοὺς σπονδύλους, trachelos purpurarum esse

volunt. Ostreum quod ὠτάριον Græci vocant, Æoles aurem Veneris vocarunt. Petronius, mox cibis validioribus pastus, id est, bulbis, cochlearumque sine jure cervicibus. Urtica marina dicitur ἀκαλύφη, quasi ἁπαλὴ vel ἀκαλὴ τῇ ἁφῇ, ἀκαλὸς enim mollis & tener, unde ἀκαλαρείτης Homero leniter fluens. Apud Athenæum Thynnorum ad Pachynum captorum τὰ ἠτεαῖα *intestina*, Pollux vocat ἠτρίδια τεμάχη. ἦτρον καὶ ὑπογάστριον *ventriculus*. πλεκτὴ πολύποδος est πλεκτάνη, *cirrus polypodis*, lib. i Lib iv. Athenæus, ἤσθιον δὲ τέττιγας καὶ κερκώπας ἐπὶ ἀναστομώσεως χάριν, *locustas loquaces, & mutas comedebant, ut provocarent appetitum*. τέττιγες ὀπτοὶ Anaxandridæ laudantur. Cleomenes ep. *ad Alexand.* Salsamenta vocat χεύνια ταριχηρὰ ῥυπία, quisquilias salsas ciborum. De conchyliis Horatius lib. ii. Satyr. viii.

Nos inquam cœnamus aves, conchylia, pisces,
Longe dissimilem noto celantia succum.
—— quum passeris atque
Ingustata mihi porrexerat ilia rhombi.

Passer est piscis planus rhombo similis.

C A P. XXXI.

DE OSTREIS.

Isidorus ostrea neutro genere dici vult ab ὀστράκῳ, ostreas carnes ostreorum. Nonius testam non distinguit a carnibus, & ostream ac ostreum pro eodem ponit. Macrobius lib. ii. *Satur.* cap. xi. Hic est Sergius Aurata, qui primus balneas pensiles, primus ostrearia in Bajano locavit, primus omnium saporem ostreis Bajanis adjudicavit. Martialis lib. xiii. epigr. LXXXII.

Ebria Bajano veni modo concha Lucrino:
Nobile nunc sitio luxuriosa garum.

Petronius:

— atque Lucrinis
Eruta litoribus condunt conchylia cœnas
Ut renovent per damna famem.

C A P. XXXII.

DE ESQUILLA.

Cicero lib. ii. *De Natura Deor.* Pinna duabus grandibus patula conchis, cum parva squilla (quam pinnoterem, pinnophylaca, cancrum vocat Plinius lib. ix. cap. XLII.) quasi societatem coit comparandi cibi. Itaque cum pisciculi parvi in concham hiantem intraverint, tum admonita a squilla pinna morsu comprimit conchas, cibumque cum socio partitur, ut Plinius. In Liri fluvio squilletum esse ait Cicero *pro lege Agraria*. Martialis ibid. epigr. LXXXIII.

Cæruleus nos Liris amat, quem sylva Maricæ
Protegit, hinc squillæ maxima turba sumus.

E Liri squillæ influunt in mare. Athenæus lib. iii.

C A P. XXXIII.

DE ECHINO.

Dioscorides lib. ii. cap. i. ἐχῖνος θαλάττιος εὐστόμαχος, εὐκοίλιος οὐρητικός. *Echinus marinus stomacho, ventrique utilis, urinam ciet.* Spinis consitus est. Horatius lib. *Epod.* od. v.

Spinis horret echinus ut marinus asperis.

Martialis ibid epigr. LXXXVI.

Ille licet digitos testudine pungat acuta,
Cortice deposito mollis echinus erit.

Aristoteles quod cibo idoneum est ova esse magna, & esculenta in majore corpore, & minore. Isidorus lib. xii. cap. viii. caro ejus mollis, & minio similis.

C A P. XXXIV.

DE MURICE.

Murex concha est latior purpura, simplice concha, utroque latere sese colligit, rostro pedali, quinque digitos crasso, navium secundo vento volantium cursum sistit, ut & remeligo piscis. De Periandro res nota. Oppianus lib. i. *Halieut.* Laudantur murices Bajani. Horatius Sat. iv. lib. ii. Murice Bajano melior. Martialis ibid. epigr. LXXXVII.

Sanguine de nostro tinctas ingrate lacernas
Induis, & non hoc est satis, esca sumus.

C A P. XXXV.

DE GOBIO.

Galenus lib. iii. *de aliment. facult.* Gobius κώβιος (κῶθος, κώθων) littoralis piscis est ex eorum numero qui parvi perpetuo manent, præstantissimus ad voluptatem, coctionem, ac distributionem, & succi bonitatem, si in arenosis littoribus, aut inter saxa vivit. Nam qui in fluminum ostiis, aut stagnis marinis versatur, esui non est commodus Male putat Oppianus eum esse virulentum. Martialis ibid. epigr. LXXXVIII.

In Venetis sint lauta licet convivia terris,
Principium cœnæ gobius esse solet.

C A P. XXXI.

DE LUPO.

Lupus Tiberinus inter duos pontes in deliciis fuit, ut Macrobius lib. ii. Sat. Horatius lib. ii. Sat. ii.

Unde datum sentis lupus hic Tiberinus, an alto
Captus hiet pontes inter jactatus, an amnis
Ostia sub Thusci.

Græcis dicitur λάβραξ, Latinis lucius, catillo, Gallice *Brochet*. Martialis ibid. epigr. LXXXIX.

Laneus Euganei lupus excipit ora Timavi,
Æquoreo dulces cum sale pastus aquas.

C A P. XXXVIII.

DE AURATA.

Χρυσόφρυς dicitur, quia in capite auri colorem refert. πωλίσκος. Oppianus,

Ἀγλαΐη χρυσόφρυς ἐπώνυμος.

Ovidius,

Auri chrysophrys inviolata decus.

Martialis ibid. epigr. XC.

Non omnis laudem pretiumque Aurata meretur,
Sed cui solus erit concha Lucrina cibus.

Consule Aristotelem lib. viii. *de histor. anim.* Macrobium lib. ii. *Sat.* cap. xi.

C A P. XXXVIII.

DE CONCHIS, ET OSTREIS.

Mytilus & conchæ molliunt alvum. Horatius Sat. iv. lib ii.

—— si dura morabitur alvus
Mytilus & viles pellent obstantia conchæ,
Et lapathi brevis herba, sed albo non sine Coo
Lubrica nascentes implent conchylia Lunæ,
Sed non omne mare est generosæ fertile testæ,
Murice Bajano melior Lucrina peloris,
Ostrea Circeis, Miseno oriuntur echini,
Pectinibus patulis jactat se molle Tarentum.

Mutilus Athenæo lib. iii. dicitur tellina. Martialis lib. iii. epigr. LX.

Ostrea tu sumis stagno saturata Lucrino:
Sumitur inciso mytilus ore mihi.

Mytili sunt myes Aristoteli lib. IV. *de animalibus*, a quibus distinguit tellinas. Peloris ostrei genus chama majus, ideo πελωρὶς dicitur quasi portentosa. Athenæus lib. III. *πελωρίδες ὠνομάσθησαν παρὰ τὸ πελώριον. μείζων γάρ ἐστι χήμη, καὶ παρηλλαγμένη ἡ πελωρίς. τῶν κτενῶν ἁπαλώτεροι μέν εἰσιν οἱ λευκοὶ, ἄβρωμοι δὲ καὶ εὐκοίλιοι*, albi pectines teneriores sunt, salsuginem non olent, & facile digeruntur. Patuli cur dicantur indicat Aristot. lib. IV. *de animal. τῶν διθύρων τὰ μέν ἐστιν ἀνάπτυχα οἷον οἱ κτένες καὶ οἱ μύες, eorum quæ duabus testis continentur alia sunt patula ut pectines, & musculi*. Alii autem pisces ponebantur assi, id est, sine ullo jure. Nonius, assum ut in obsoniis, sine pigmento saporis alieni, alii conditi, id est, cum suo jure. Horatius *ibidem*.

Nec satis est cara pisces avertere mensa,

id est, auferre de mensa ubi exponuntur pisces venales.

Ignarum quibus est jus aptius, & quibus assis,
Languidus in cubitum jam se conviva reponet.

Idem potorem lassum squillarum esu recreandum putat:

Tostis marcentem squillis recreabis, & Afra
Potorem cochlea.

Squillæ καρίδες Aristoteli qui omnia cochlearum genera vocat στρομβώδη. Juvenalis Sat. VII. de caussidicis:

Quod vocis pretium? siccus petasunculus, & vas
Pelamidum, aut veteres Maurorum epimenia
bulbi.

CAP. XXXIX.

DE SECUNDIS MENSIS, SEU BELLARIIS.

INter bellaria, lauri folia comedebant, ne vinum redolerent. Athenæus lib. IV. *ἔθος ἦν τοῖς πάλαι φύλλα δάφνης τραγηματίζεσθαι*. Martialis lib. V. epig. IV.

Fœtere multo Myrtale solet mero,
Sed fallat ut nos, folia devorat lauri.

Forte quia, ut est lib. XI. *Geopon. δάφνη ὑγιείας ἐργαστική, laurus facit sanitatem*. Poma item in bellariis fuere, & pruna, mala citrea in antecœna, aut certe ante secundas mensas. Laconibus *ὀξύμηλα* ditur *κοκκύμηλα* pruna *μάδελα*, quasi *μαλόδρυα*, pruna. Plutarchus malum citrium suo sæculo vix edi solitum ait, sub Athenæo frequentissimum fuit. Plinius de malo Assyria, pomum ipsum alias non manditur. Virgilius tamen *Georg.* II.

—— & olentia Medi
Ora fovent illo, & senibus medicantur anhelis.

Medicam arborem appellat. Secunda mensa dicitur mensa pomorum, & mala. Sub mensæ exitum largius bibebant. Martialis de secundis mensis lib. V. *epigr.* LXXIX.

Mensæ munera si voles secundæ,
Marcentes tibi porrigentur uvæ,
Et nomen pyra quæ ferunt Syrorum.

Polentæ item caseatæ inter bellaria fuere. Apulejus, offulam grandiorem in convivas contruncare gestio. Martialis lib. XIV. epigr. CCXXII. de pistore dulciario:

Mille tibi dulces operum manus ista figuras
Exstruit, huic uni parca laborat apis.

Varro apud Gellium lib. XIII. c. XI. Bellaria ea maxime sunt mellita, quæ mellita non sunt, *πέμμασι* enim cum *πέψει*, bellariis cum coctione societas est infida. Clemens l. I. *Stromat. ἄρτος ἀναγκαῖος πρὸς τὸ ζῆν, ἀλλ' οὐ τὰ προσοψήματα, καὶ τραγήματα. Panis ad vitam necessarius non tragemata, quæ dicta τρωγάλια δείπνου δὲ λήγοντος γλυκὺ τρωγάλιον, cœna desinente dulcia sunt bellaria*. Eustathius, *ἐπιδορπίδες, τραγήματα, ὡραῖα*, cupediæ, res bellissimæ Plauto. Apulej. *Milef.* X. sapidissima intrimenta. *Milef.* XI. Intritum melle confectum. Gloss. *πηγανίτης* lucunculus. Ibidem, Crustula, lucunculos, hamos, lacertulos, & complura scitamenta mellita. Scriblitarius, dulciarius, pistor. Afranius, Pistori nubat, cur non scriblitario, ut mittat fratris filio lucunculos. Plautus in *Pœnolo*, Laterculos, sesamum. Eustathius, *ἀνάδειπνα λέγονται ἑσπερινὰ ἐδέσματα τραγηματώδη μετὰ κρέα καὶ ἰχθῦς παρατιθέμενα*. Vide Macrobium lib. III. *Saturnal.* cap XVIII. Athenæum lib II. Anadipna vespertini cibi sunt bellissimi post carnes & pisces appositi. Dulcia sunt genera pistorii operis a sapore dicta, quia melle adspergebantur. Vide Isidor. lib. XX. *Origin.* Apulejus *Milef.* IV. Dulciolis ventrem saginare. Gloss. *γλυκεροπράτης*, dulciarius, *πλακουντάριος*. Eustathius, *ἐπίκλια, ἐπαικνια*, (forte *ἐπαίκλια*,) *ἐπιφυράματα, τὰ μετὰ τὸ δεῖπνον βρώματα*. Statius lib. I. *Sylv.* ult.

Jam bellaria adorea pluebant
Quidquid nobile Ponticis nucetis,
Fœcundis cadit aut jugis Idumes,
Quod ramis pia germinat Damascus,
Et quas præcoquit Ebosia cannas,
Molles caioli, lagunculique,
Et massis Amerina non perustis,
Et mustaceus, & latente palma,
Prægnantes cariotides cadebant.

Lucunculi a voce λευκὸς, quod essent albi, vel potius a voce γλυκὺς, quia dulces. Nuces in secundis mensis positæ. Horatius Sat. II. lib. II.

—— Tum pensilis uva secundas
Ornabat mensas, & nux cum duplice ficu.

Secundæ mensæ non semper dabantur. Athenæus lib XIV. *αἱ δεύτεραι καλούμεναι τράπεζαι πολλάκις ἡμῖν διδόμεναι οὐ μόνον ἐν ταῖς κρονίων ἡμέραις, secundæ mensæ quæ sæpe nobis dantur, non tantum per Saturnalia, sed & aliis diebus*. Bellaria dicuntur *ἐπιδορπίσματα, ἐπιφορήματα, ἐπιτραπεζώματα, τρωγάλια, ἐπιδορπισμὸς*, quia ut obsonia adjiciuntur pani, sic bellaria obsoniis. *δείπνου δὲ λήγοντος γλυκὺ τρωγάλιον, cœna cum finitur, gratæ sunt cupediæ. τραγηματισμός* Plato Comicus *ἀπλάκουντος. ἀλιβάνωτος*, ut *ἄσπλαγχνος*, cœna sine placentis. *σάμιοι πλακοῦντες*, Samiæ, & Pariæ placentæ optimæ. Parium urbs Ponti, & *πάριον*. Pherecrates *λιπαρὰ ἐπιπαστὰ*, aut *παστὰ* vocat, *ἔτνος ἀλφίτοις μεμιγμένον, pultem farina hordeacea mixtam. ἄμης, & κάνδος πολύτυρος, placentæ caseatæ* Athenæus *κάνδος, τυρὸς πλακουντώδης, caseus in placentam inditus cum oleo, διὰ τυροῦ καὶ ἐλαίου σκευαζόμενος ἀμητίσκος*, placentula Caseus dicitur & *τρυφαλὶς τυροῦ σικελὴ* & *σικελική*. Euripides,

Τυρὸς ὀπίας ἐστὶ, καὶ διὸς γάλα.
Est caseus coactus succo fici, & Jovis lac.

Cerasa inter bellaria numerantur, quæ Lucullus Romam primus intulit ab oppido Cerasunte, a quo S. Hieronymus, & apud Athenæum lib. II. Laurentius, cerasa nomen reperisse volunt. Imo Cerasuns oppidum a cerasis dictum, ut Myricuns oppidum a myricis. Mora item ex rubis inter bellaria

ſunt, τὰ τ̃ βάτε μόρα, ut Euſtathius. Galenus de A
batinis loquens, χρὴ καλῶς ἐκπλύνειν πρὶν ἐπιχειρεῖν προσφέρεσθαι τ̃ καρπὸν τῦτον, ὅπερ ἐχ ἥκιστα κ' ἀπὶ τῶν συκαμίνων ποιητέον. Lavantur antequam menſæ inferuntur. Ovidius, μῶρα βατώδη, vocat,

Et in duris hærentia mora rubetis.

βάτινα, τ̃ βάτων καρπὸν Galenus lib. VI. *de locis*. ἄβρωμα, & βάτια Heſychio συκάμινα. Demetrius Ixion, mora quaſi αἱμόῤῥοα, συκάμινα, σύκον ἀμείνω. Carya item ſecundæ menſæ ſunt, qua voce acrodrya omne genus ſignificantur. Proprie κάρυα, B
nuces juglandes. Herodianus, ἀμυγδαλὴ παρὰ τὸ ἐν τῇ καλύφῃ τῇ μετὰ τὸ ἔξω χλωρὸν πολλὰς ἀμυχὰς ἔχειν, quia in tegmine quod extimo viridi proximum eſt, multas ſcarificationes habeat inſtrumentum quo nuces franguntur μυκηρόβατον, Heſychio μυκηρόβας, καρυοκατάκτης. Heſychius λόπιμα κάστανα in bellariis, & κάρυς quæ eſt βλάστησις, pilulæ forma in robore, abiete, carice; & φηγοὶ quæ ſunt eſculi glandes. Caſtaneæ dicuntur ἄμοτα Athenæo, μοτὰ Dioſcoridi. δρυπεπεῖς ἐλαῖαι, non δρυπετεῖς, drupæ aliæ θλασταὶ ἐλαῖαι, Polluci l. VI. c. IX. φαύλη ἐλαία ἡ μικρόκαρπος. Oleæ στεμφυλίδες C
nigræ, vel ἀπύρηνοι. Inter tragemata πυὸς coloſtrum, ἔτνος, γογγυλίδες, ῥάφανοι, δρυπεπεῖς, ἐλατῆρες, χόνδρος, πυροὶ, μέλι. ὀστρακίδες, ſunt κώνων πυρῆνες, ſtrobilorum nuclei, ὀστρακίδες teſtulæ, πιτυΐδες, nuclei. ἀκρόδρυα ἀπύρηνα; baltheus in opere dulciario dicitur κρηπίς. Proclus ἄλιμον ἦν ἐξ ἀσφοδέλε, κ̀ μαλάχης, ὅπερ αὐτὸν ἄλιμον, κ̀ ἄδιψον ἐποίει. Alimon famem, & ſitim arcet. μύκητες fungi, βολῖται Galeno ἀβλαβέστατοι, deinde Amanitæ. Nicander ſcribit, ſi arboris fici truncum tegas lætamine, & aqua riges, fungos naſci innoxios, σωλῆνας ὁπότε στελέχος βαθὺ κόπρῳ, κ' ἀκρύψοις ὑδάτεσσι τ' ἀενάοισι ποτίζοις, φύονται πύθμεσι ἀκήριοι. Fungi qui cocti appoſiti duriores ſunt, D
noxii ſunt, οἱ μετὰ τὸ ἑψηθῆναι κ̀ πεθῆναι πιεζόμενοι ὕδνα γεγενῆ, κ̀ πέζιες, κ̀ μύκητες ῥίζαν ἐκ ἔχεσι, tubera terra nata radice carent.

CAP. XL.

DE OLEA.

MAcrobius lib. III. *Saturn.* cap. ult. ſupra ſexdecim olearum genera numerat. Virgilius lib. II. *Georg.*

Nec pingues unam in faciem naſcuntur olivæ E
Orchades, & radiis, & amara pauſia bacca.

Columella lib. V. cap. VIII. genera decem ponit, ut & Iſidorus lib. XVII. cap. VII. Cato cap. VI. *R. R.* ponit octo. Orchades ſeu orchites dictæ ab ὄρχις, quia rotundæ ut teſticuli. Varro lib. IV. *de ling Lat.* Olea grandis orchitis, quod ea antiquitus orchemora. Gloſſ. orchæ ἐλαῖαι ἐπιμήκεις, oblongæ oleæ. Vide Plinium l. XV. c. III. Nicander in Alexiph. eam adhibet adverſus venena. Radii oleæ ſunt oblongæ ἀκτινοειδεῖς inſtar radii. Cato c. VI. *R. R.* oleam conditivam, radium majorem, ſalentinam. F
Radius minor dicitur radiolus Columellæ lib. XII. cap. XLVII. Orchiten, & radiolum, vel regiam. Iſidorus Radiolæ pro eo quod oblongæ ſunt in modum radiorum. Pauſia vero dicitur a paviendo, quia tunditur exprimendo oleo ut Cato, quando viridis eſt. Alii dictam volunt a pauſa, & παύομαι, quia non legi ſoleat niſi præ maturitate nigricans, ut deſinat niger ille color augeri. Columella acerbam pauſiam menſe Septembri, vel Octobri, dum adhuc vindemia eſt contunde. Olivæ Ægyptiæ laudatiſſimæ. Theophraſt. *de cauſis plant.* lib. VI. cap. XII. ἐν Αἰγύπτῳ δὲ τὸ μὲν τῶν Αἰγυπτίων καλυμένων ἐλαιῶν γένος, τῶν πολυσάρκων τε κ̀ μεγάλων, ἀνέλαιόν ἐστι. *Olivæ Ægyptiæ nihil reddunt olei cum ſint alii majores ex quibus plurimum olei exprimitur.* Varro l. XI. *Rerum humanarum* commendat Caſſinas oleum, frumentum Campanum, Falernum vinum, Tuſculanam ficum, mel Tarentinum, piſcem Tiberis. De olearum, ficuum, uvarum generibus vide Macrob. l. III. *Saturnal.* cap. ultimo.

CAP. XLI.

RURSUM DE OLEA.

OLeæ principem locum inter ea quæ terra fundit tenent, quæ in menſis regum frequentes. Horatius Sat. II. lib. II.

—— Necdum omnis abacta
Pauperies epulis regum, nam vilibus ovis,
Nigriſque eſt oleis hodie locus.

Pollux l. VI. δρυπεπεῖς ἐλαῖαι, ἁλμάδες, νυκτρίδες· τὰς δὲ κοτινάδας ἐλαίας τραμβήλυς ὠνόμασε Φερεκράτης. *Drupæ olivæ, ſeu rapæ conditæ, & nyctrides, (* malim, *ectridas) quæ natant in ſale & aceto.* Oleas oleaſtris inſitas Trambelos nominavit Pherecrates, quæ φαυλίαι & malæ dicuntur. ἃς δὲ οἱ νῦν θλαστὰ ταύτας πυρῆνας οἱ κωμικοί. *Oleas quas nunc confuſas, comici pyrenas dixere.* φαυλίας commemorat Lucianus in *Lexiphane* ἄλλος ἦσθιε φαυλίας. Sed de oleis vide Theophraſtum, Dioſcoridem, Plinium, Horatium, & alios.

CAP. XLIII.

DE FICU.

ATticæ ficus bello Perſico cauſam dedere, quæ tam gratæ palato fuerunt, ut eas Darius cum guſtaſſet bellum Athenienſibus inferre decreverit, ut regionem tam ſuavis cibi feracem ſibi acquireret. Apud Dioſcoridem lib. I. Ficubus ſiccis vis eſt excalefaciendi, alendi, ſed ſitim magis ſtimulant, alvo ſunt utiles, gutturi, arteriæ, renibus, veſicæ, & iis quos longa valetudo decoloravit, anhelatoribus, epilepticis, hydropicis opportunæ. σῦκα ξηρὰ τρόφιμα, θερμαντικὰ, διψιτικώτερα, εὐκοίλια· βρόγχῳ δὲ κ̀ ἀρτηρίᾳ, κ̀ κύστει, κ̀ νεφροῖς εὔθετα, κ̀ τοῖς ἐκ μακρονοσίας κακοχροῦσι, κ̀ ἀσθματικοῖς, κ̀ ἐπιληπτικοῖς, κ̀ ὑδρωπικοῖς. Laudantur a Juliano Deſertore in *epiſt. ad Serapion.* τῶν ἐπιχωρίων ἰσχάδων τὰς μακροκέντρες; ἀξιοσοφανεῖ δοκεῖ εἶναι πλὴν μέλιτος τῶν ἄλλων γλυκύτερον τὰς ἰσχάδας. Ariſtophanes putat ex indigenis ficubus eaſque dicuntur macrocentæ vel macrocentræ longiore forte pediculo rebus omnibus melle excepto aliquid dulcius eſſe. Herodotus ut oſtendat veram ſolitudinem, dicere contentus eſt apud quos neque ficus ſunt, neque bonum aliud, quaſi nullus uſpiam ficu fructus melior ſit. Homerus ſoli ficui dulcis cognomentum adſtruit, cum mel χλωρὸν, & vernum vocet. Hippocrates mel dulce ſenſui, ſed omnino digeſtione, amarum eſſe ait, ficum autem non ſapore tantum dulcem, ſed digeſtu meliorem. Ficus eſt medicamentum omnis cibi noxii, ut ait Ariſtoteles: ideo in conviviorum bellariis apponi, ut emendet vitium ſi quod eſt ab aliis cibis. Quare ficus ſacra Diis, quæ aris imponitur in omni ſacrificio, melior omni thure ad ſuffitum, ut Hierophantæ ajunt. Græcorum epiſtolæ Damaſcenas ficus præter cæteras laudant, quæ nuſquam alibi proveniunt, & a mercatoribus per to-

tum orbem differuntur, quæ ἑκάςῃ τῶν ϖρέμνων ἐπιμήκεσι τοῖς κέντροις οἱονεὶ καλύκων δίκην ἀπήρτηνται, quæ stimulis vel pediculis longis cujusque caudicis suspensæ sunt instar calycum. Vide Plinium l. xv. c. xviii. & Theophrastum *de plantis*. Coctana ficus Tyriorum Athenæo l. ix. κόττανας ὑμεῖς καὶ λεπίδιον τὰ πάτεια μου νόμιμα βρώματα. Plinius lib. xiii. cap. v. Syria, in ficorum genere caricæ, & minores ejus generis quæ cottana vocantur.

CAP. XLIII.

DE ALIIS CIBIS HORTENSIBUS.

Multi alii fructus hortenses fuere. Aristophanes in *Acharnens.* ait apud Bœotos nasci bonum origanum, pulegium, storeas, ellychnia, φέρω ὅσ' ἐςὶ ἀν ἀγαθὰ Βοιωτοῖς ἁπλῶς, ὀρίγανον, γλαχώ, ψιάθυς, θρυαλλίδας, νάσσας, κολοιὰς. Varro in *Satyra de eduliis*. Nuces Thassias, palmas Ægyptias, glandem Ibericam laudat. Heliogabalus exhibuit pisum cum aureis (nummis exaudi) lentem cum cerauniis, fabam cum electris, & orizam cum albis (id est, margaritis) exhibens albas præterea in vicem piperis piscibus, & tuberibus conspersit. Miscuit gemmas pomis ac floribus. Hydrogarum Romanorum ducum primus publice exhibuit, quum antea militaris mensa esset apud Lampridium.

CAP. XLIV.

DE LACTUCA.

Nicander lactucam βρένθιν vocat, quæ dicitur Hesychio βρενθὶς θριδακίνη κυπρίοις. Eubulus lactucam νεκύων βρῶμα, qua vel ætate Augusti multos ideo abstinuisse scribit Plinius. πετρακίνη Hesychio est sylvestris lactuca. Dicitur & lactuca Eunuchus & Astytis ob vim ψυτικὴν refrigerantem. In Adonidis festis horti ferebantur in testaceis vasis e lactucis, quia Venus mortuum Adonin in lactucis collocavit. Hesychius, ἐν τοῖς Ἀδωνίοις εἴδωλα ἐξάγυσι, καὶ κήπυς ἐπ' ὀςράκων, καὶ παντοδαπὴν ὀπώραν, οἷον ἐκ μαράθρων, καὶ θριδάκων παρασκευάζυσι αὐτῷ τὺς κήπυς· ἐν γὰρ ἐν θριδακίναις αὐτὸν κατακλινθῆναι ὑπ' ἀφροδίτης φασί. *In Adonis simulacra efferunt, & hortos in testis, & poma omne genus, veluti ex fœniculo, & lactucis parant ei hortos. Eum enim a Venere ajunt in lactucis collocatum*. Athenæus lib. v. Callimachus ait, Venerem Adonim in lactucis occultasse, ὅτι κρύψειεν. Eubulus, μὴ παρατίθει μοι θριδακίνας, ὦ γύναι, ἐπὶ τὴν τράπεζαν, ἢ σεαυτὴν αἰτιῶ, ἐν τῷ λαχάνῳ τούτῳ γὰρ, ὡς ὁ λόγος, ποτὲ τὸν ἄδωνιν ἀποθανόντα προὔθηκε κύπρις. *Ne mihi appone lactucas in mensa, o mulier, aut te incusabo, quia in olere hoc, ut fama est, olim collocavit Venus Adonim mortuum.* Erant & lactucæ Cappadocæ, Plinius l. xix. c. vii. item, lactucæ sessiles, & vulgares, de quibus Martialis lib. iii. epigr. xlvii. & lib. xiii. epigr. xiv.

Claudere quæ cœnas lactuca solebat avorum,
Dic mihi, cur nostras incboat illa dapes?

Ad lactucam occisus Adonis, quæ ideo ab Eubulo vocatur mortuorum cibus. Ad lactucam pertinent cichorea. Horatius *Carm.* lib. i. od. xxxi.

Me cichorea, levesque malvæ.

CAP. XLV.

DE CAULE, FUNGIS, ET MORIS.

Horatius Satyr. iv. lib. ii.

Caule suburbano, qui siccis crevit in agris
Dulcior. Irriguo nihil est elutius horto.

Idem de fungis ibidem:

A *— Pratensibus optima fungis*
Natura est: aliis male creditur. Ille salubres
Æstates peraget qui nigris prandia moris
Finiet, ante gravem quam legerit arbore solem.

Ode ii. *Epod.*

— Lecta de pinguissimis
Oliva ramis arborum,
Aut herba lapathi prata amantis, & gravi
Malvæ salubres corpori.

Lapathum rumicem Latini vocant. Lucillius: *o lapathe, ut jactere necesse est, cognitum cui sis.* Varro, hanc eandem voluptatem tacitulus taxim consequi lapathio, & ptisana possim. Horatius B Sat. iv lib. ii.

— si dura morabitur alvus,
Mitulus, & viles pellent obstantia conchæ,
Et lapathi brevis herba, sed albo non sine Coo.

Lapathus a λαπάζειν exinanire. Rumicem minorem ὀξυλάπαθον vocant.

CAP. XLVI.

DE FICU.

Ficus adeo suavis est ut pro quavis re dulci sumatur. Ita Theocritus,

C Καὶ ἀπ' αἰγίλω ἰσχάδα τρώγοις.

Ex Ægilo quæ una fuit ex tribubus Atticis ficum comedas. Hipponax ficus auro anteponit,

Εἴ τις κατείρξει χρυσὸν ἐν δόμοις πολλὸν
Καὶ σῦκα βαιὰ, καὶ δύο ἢ τρεῖς ἀνθρώπυς,
Γνώσῃ ὅσῳ τὰ σῦκα τὰ χρυσᾶ κρείσσω.
Si quis aurum domi multum concluserit,
Et paucas ficus, & duos aut tres servos,
Cognoscet quanto ficus auro meliores sint.

Unde & φιλόσυκοι dicti homines pacis amantes. Apud Pausaniam Ceres Phytalo quia hospitalis erat primam ficum dedit.

D Ἔνθα δ' ἄναξ ἥρως φύταλός ποτε δέξατο σεμνὴν
Δήμητραν, ὅτε πρῶτον ὀπώρας καρπὸν ἔφηνεν,
Ἣν ἱερὰν συκὴν θνητῶν γένος ἐξονομάζει,
Ἐξ ὗ δὴ τιμὰς φυτάλυ γένος ἔσχεν ἀγήρως.

Plutarchus *de cupidit. divitiar.* prodit moris olim fuisse per Dionysia ut ferrent duntaxat vas vini, flagellum vitis, hircum, cofinum ficuum, denique phallum ut ostenderent ficus a Baccho repertas quod Lacones existimarunt. Ficus Callistrutia sapore præstantissima. Atheneus, καλλιςρύθιον σῦκον ὑπερέχον πάντων. Idem Plinius ait ficus cerina a cereo colore, κήρινον σῦκον. Ficus Liviana Pompejana, Livia Plinio, siccata sole in anuum usum. E Caricæ, ficus passæ, ἰσχάδες. Ficus matura χελύτρον Athenæo, præcox πρόδρομον σῦκον. Ficus duricoria Macrobio, id est, serotina.

CAP. XLVII.

DE CHIA FICU, ET CARICIS.

Caricæ Ægilides laudatæ. Caricæ Tithrasiæ a Tithrante pago tribus Ægeidis. Procnides caricæ Hesychio. Martialis lib. xiii. epigr. xxiii.

Chia seni similis Baccho, quem Setia misit,
Ipsa merum secum portat, & ipsa salem.

F Per setiam, setinum agrum Campaniæ intelligit. De coctanis caricis, seu cotonis, cottanis, coctonis lib. vii. epigr. lii.

Parvaque cum canis venerunt coctana prunis.

Et lib. xiii. epigr. xxviii.

Hæc tibi quæ torta venerunt condita meta,
Si majora forent coctana, ficus erant.

Metam vocat vas turbinatum. Plinius lib. iii. cap. v. Syria in ficorum genere habet caricas minores ejus generis quæ cotona vocant, a Cotone urbe.

CAP. XLVIII.

DE BOMBYLEUMATE.

BOmbyleumata Hesychio dicuntur τὰ μαγειρικὰ ἀρτύματα, *curiosius præparata*, τὰ μαγειρικὰ ἀρτύματα περιττῶς κατεσκευασμένα. βομβυλεύειν συν τῷ ὄνθῳ ἀρτύειν condire ontho. Hesychius ὄνθον condimenti genus esse vult. Athen. l. II. νάρκην ὠνθυλευμένην, *conditam ontho*. Lib. VIII. ἄρνα σύμπηκτον ὠνθυλευμένον, *agnum confixum conditum*.

CAP. XLIX.

DE COLOSTRO, ET CASEO.

COlostrum, Colostra est prima a partu spongiosa densitas lactis, Plinio l. XXVIII. c. IX. Colostrati infantes a colostro. Palladius in *Novemb.* Colostra lac cujus spissior natura agnis ni auferatur nocebit. Aristoteli dicitur τροφαλίς, quia maxime alit. Jupiter lacte capræ nutritus. Martialis lib. XIII. epigr. XXXVIII.

Surripuit pastor quæ nondum stantibus hœdis,
De primo matrum lacte colostra damus.

Caseum Lunensem, Vestinum, Velabrensem, seu fumosum, Trebulanum laudat. Ibidem epigr. XXXIII.

Trebula nos genuit, commendat gratia duplex,
Sive levi flamma, sive domamur aqua.

Et epigr. XXX.

Caseus Hetruscæ signatus imagine Lunæ.

CAP. L.

DE CASEIS.

CAsei quia ex lacte animalium fiunt in carnibus reponentur. Heliogabalus dulciarios, & lactarios tales habuit, ut quæcunque coqui de diversis exhibuissent, vel structores, vel pomarii, illi modo de dulciis, modo de lactariis exhiberent apud Lampridium. Casei fuere secundæ mensæ. Pollux lib. VI. τυροῦ τροφαλίς, *casei, colostra,* τυρὸς χλωρὸς, *caseus recens*, τὸν δὲ ξηρὸν ἰσχνὸν ἔλεγον, *siccum autem macrum* vocarunt. ὁ γὰρ ὀξυρίας τυρὸς σικελικὸς τὸ ἔδεσμα, caseus acris, vel acetosus oxyrias, qui sitim acuit, Siculus cibus est. Eustathio ὀπίας τυρὸς δριμὺς διὰ τοῦ συκῆς πηγνύμενος. *Opias caseus acris coagulatus succo fici.* Athenæus l. XIV. τυρὸς τρομίλικος σικελικός. *Tromilius caseus Siculus.* Velabrensis Romæ. Martialis l. XI. epigr. LIII.

Et Velabrensi massa recocta foco.

In macello Romæ multæ fuere caseariæ tabernæ Plinius lib XI. cap. XLII. Apud Pollucem lib. VI. c. X. laudatur in primis caseus Cythnius, & Siculus, τυροπῶλαι qui caseos vendunt l. VI. cap. XXXIII. Antiphani τυρὸς χλωρὸς caseus recens dicitur, ξηρὸς siccus, ξυστὸς rasilis, πηκτὸς recentissimus, κοπτὸς, τμητὸς, sectilis.

CAP. LI.

DE CONDITO, AMULO, ET ALIIS.

UT conditum fiat mel cum vino coquitur, piper, dactylorum ossa torrida. Rosatum fit e melle, vino, & foliis rosæ ad bibendum. Ita fit & vinum violaceum. Folia citri viridia in sportella palmea in dolium musti missa pro rosato sunt, apud Apicium. Carenum est genus liquoris Apicio Careni calyx. Amulum infusum, vel orizæ succum, ἄμυλον. Ut Apothermum fiat alicam elixam amygdalis depilatis, & lotis ex creta argentaria passo asperges, ait Apicius.

CAP. LII.

DE ALICA.

ALica præstantissimum est triticum, cujus granum tunditur in pila lignea ut ex ea fiat potio. Plinius lib. XXII. cap. XXV. negat eam fuisse ætate Pompeii, esse quidem eximie utilem sive elixa detur ex aqua mulsa, sive in sorbitiones decocta, sive in pultem. Fit ex zea vel speta. Plinius l. XVIII. c. XI. Ptisanæ quæ ex hordeo fit laudes omnes in alicam transeunt, quæ tamen pauperiorum fuit. Martialis lib. XIII. epigr. VI.

Nos alicam, mulsum poterit tibi mittere dives.

CAP. LIII.

DE PLACENTIS, ET ALICA.

MUlieres ut plurimum liba & placentas fingebant. Theocritus,

Εἴδατα δ᾽ ὅσσα γυναῖκες ἐπὶ πλαθάνῳ πονέονται
Ἄνθεα μίσγοισαι λευκῷ παντοῖ᾽ ἅμ᾽ ἀλεύρῳ
Ὅσσα τ᾽ ἀπὸ γλυκερῶ μέλιτος, τά τ᾽ ἐν ὑγρῷ ἐλαίῳ
Πάντ᾽ αὐτῷ πετεηνὰ τὰ θ᾽ ἑρπετὰ, τῷ δὲ πάρεστι.

Hesychius ἀλετρίαι τὰ εἰς θυσίας πόπανα ἀλῶσι, Virgines liba ad sacrificia molunt. Cibi quos mulieres in plathane vare panifico faciunt flores miscentes omnes cum farina alba, & quæ ex dulci melle & in humido oleo omnia volatilia & serpentia ipsi adsunt. Athenæus sub finem lib. III. πλακοῦς ἐκ γάλακτος, ἰτρίων τε, καὶ μέλιτος, ὃν ῥωμαῖοι λίβον καλοῦσι, *Placenta ex lacte, & sesamo, quam Romani libum vocant.* Schol. Aristoph. ἴτριον, πεμμάτιον λεπτὸν διὰ σησάμου καὶ μέλιτος γενόμενον. μελίπηκτα placentæ mellitæ. Apud Gellium Varro, bellaria ea maxime sunt mellita quæ mellita non sunt. πέμματα, τραγήματα ὡραῖα, cupediæ res bellissimæ, vina Liberii, bellaria. χόνδρος, Alica. Nicander Colophonius,

Χόνδρα μὲν ἐκτρίψειας, ὑποστρώσας δ᾽ ἐνὶ κοίλοις
Ἄγγεσιν, λῷδει δὲ μιγῆ ἅμα φύρσον ἐλαίῳ,
Ζωμὸν δὲ βρομέοντα καταντλάς πῶμα
Ἀμφιβαλὼν, φωκτὸν γὰρ ἀνοιδαίνει βαρὺ κρῖμνον,
Ἠρέμα δ᾽ ἐγχλιαρὸν κοίλοις ἐνδαίνυσο μύστροις.

Chondrum tritum in vase cavo sternito, admixtoque oleo fragrante pinsito, addito jusculo quod fervens ac fremens hauseris, tum operculo imposito assum exhalare ne permitte, suffoca, sic hordeum ne transpiret excoctum vehementer intumescit, sensim vero tepidum mystris tu cavis in cibo sumito, Apicius, Alica quomodo fiat, fabatiæ virides, & concisæ, &c. Festus, alicam ab alendo dictam ait: proprie est farris genus, tritico simile, succum certiorem habens, sive in aqua coquatur cum mulso, aut vino, sive cum oleo, saleque frixum sumatur, ut Galenus l. I. *de aliment.* & Plin. lib. XXVIII. c. VII. Tandem alica dicta confectio ex zea, seu hordeo. Plinius lib. XVIII. cap. XI. & Palladius l. VI. Ad Alicam referri possunt apud Theophrastum, juscula spissiora, sorbilia, ῥοφήματα σωματωδέστερα παχύτερα, lib *de igne*, Et apud Hippocratem, ῥοφήματα διδόναι πτισάνην, ἢ κέγχρον, ἢ ἄλητον, ἢ χόνδρον, *sorbitiunculas dare ptisanam, aut kenchron panico semen simile, aut farinam, aut alicam.* Pultes quædam niveæ Martiali lib. III.

Pultibus hinc niveis grata corona datur

Item lib. V. epigr. LXXIX.

Et pultem niveam premens botellus.

Puls candida facta ex tritico.

CAP.

CAP. LIV.

DE PLACENTIS.

INter bellaria non poſtremum locum obtinent opera dulciaria, placentæ, liba, ſcriblitæ. Quare Sami vicus fuit in quo mulierculæ eſſent liborum,& operis dulciarii artifices,de quibus Athenæus l. XII. ἡ σαμίων λαῦρα στενή τις ἦν ἄμφοδος γυναικῶν δημιουργῶν, καὶ τῶν πρὸς ἀπόλαυσιν, καὶ ἀκρασίαν πάντων βρωμάτων, ὧν ὁ πολυκράτης ἐνέπλησε τὴν ἑλλάδα. *Vicus Sami anguſtus, quaſi angiportus, in quo mulierculæ dulciorum panifices, & omnium cupediarum, quæ intemperantiæ ſerviunt, quibus Polycrates Samius Græciam replevit*. Alexandriæ item fuit λαῦρα εὐδαιμόνων, ἐν ᾗ πάντα τὰ πρὸς τρυφὴν ἐπωλεῖτο, *vicus beatorum, in quo omnia quæ ad delitias faciunt, vendebantur*, ut Romæ Thuſcus vicus, ubi fiebant tracta farinacea ſolo impoſita, ſeſamo ſparſa,quorum pars ima dicitur ſolum. Unde tracta fingere, & depſere. Strues dictæ cum tracta porrecta in ſolo ſternerentur. Scribilita, quod ſit ſcripta ſignis. Globuli, globi, lagana, lucunculi, tractæ in panificio erant paſtilli in longum porrecti, & producti, offæ paſtilli in rotundum glomerati. Clibanus dicitur teſtum, baltheus, & baltheum quo cingitur tracta. Sphærita placenta globos habens, qui in ſolo placentæ componuntur. Savillum libum a ſuavitate, Muſtaceus cum farina muſto ſubigitur ſubditis lauri foliis. Panificium Græci vocant ἀρτοποιϊὸν, ἀρτοκόπικον, aut potius officium ubi fiunt panes, nam proprie ἀρτοποιΐα eſt panificium apud Xenoph. ἀπὸ δὲ ἀρτοποιΐας κυρεβὸς τὴν οἰκίαν πᾶσαν διατρέφει ἀρτοκόπος, ἀρτοκοπεῖν, ἀρτοποιεῖν. *Cyribus e panificio totam domum alit. Piſtoris eſt panes pinſere*, ταραντῖνος, ἀπικιδιάνος, περλυκίδιος, *Tarantinus, Apicianus, Perlucidius*, Plikius, oruzites, muſtacia ſeſamata ex Chryſippo Thyaneo,ſunt genera liborum. Item, Craſtianum Siculum, non Craſianum, ut vulgo legitur. Craſtus eſt oppidum Siciliæ. Cruſtum Julianum, Cruſtarii, cruſtularii. Cruſtum Canopicum. ἀγλαὰ, ἠγλαισμένα, uncta pingui edulia, perlucida. Cappadocium libi genus. Plicium ab implicita figura. γουτζᾶτον, gutzatum aſperſum mellis guttis. Tutulatum, Cruſtum purum, purium vocat Athenæus. Paulianus, ſubitillum ex alica, ſavillum ex farina. Spira fit immixto caſeo. Cato cap. LXXVII. Luculli, lucunteres ab albo λευκῷ. Circus, circulus, cruſtoplacenta, κρουστοπλακοῦς, Catillus ornatus, id eſt, πίναξ. Oſtracites in figlino teſtu coquitur. Irneus Catonis in irneum fictilem indi ſolitus, quæ demittebatur in ollam æneam aqua calida plenam, & ad ignem coquebatur. Attacitæ ſunt Attanitæ. Cato cap. LXXV. Libum hoc modo facito.Caſei pondo duo in mortario bene diſterat. Ubi bene diſtriverit, farinæ ſiligineæ libram, aut ſi voles tenerius eſſe, ſelibram ſiliginis ſolum eodem indito, permiſcetoque cum caſeo bene, ovum unum addito, & una bene permiſceto, inde panem facito, folia ſubdito, in foco calido ſub teſta coquito leniter. Cap. LXXVII. Spiram ſic facito, in ſolo tracta cum melle oblinito bene, inde tanquam tractes facito, ita imponito in ſolo, dein plicis completo bene arcte coquito. Cap. LXXVI. Placentam ſic facito, farinæ ſiligineæ libras duas, unde ſolum facias in tracta farinæ libras IV. & alicæ I. libras duas: alicam in aquam infundito, ubi bene mollis erit, in mortarium purum indito, ſiccato que bene, dein manibus depſito, ubi bene ſubactum erit, farinæ libras IV. paulatim addito, id utrumque tracta facito, in qualo ubi areſcant, componito, ubi arebunt, componito puriter, tum facies in ſingula tracta. Conſule Catonem ut piſtor, fictorque dulcia-

A rius evadas. Te docebit ille inſigniter. τυροκόσκινος placenta fuit ex caſeo per cribum ſuccreto, alius eſt τυρόκνηστος. ὑποτυρίδες placentæ ſunt ex lacte, melle, farina. γαστρὶς eſt placenta. Heſych. γαστρίον, πέμματι σησαμῶδες, eſt placenta ſeſamo ſparſa. Pancarpium Alexandrinis placenta quæ fit ex itriis contritis cum melle coctis, quæ ubi coxiſſent ad inſtar globulorum fingebant,& tenui biblo adſtringebant. ἴτρια δέ ἐστι ταῦτα συντεθρυμμένα, ἃ μετὰ μέλιτος ἑψόμενα, καὶ μετὰ τὴν ἕψησιν σφαιροειδῆ συντεθέντα περιδεῖται βύβλῳ λεπτῇ, ἕνεκα τοῦ συμμένειν. Itrium eſt libi genus. ἐπηνέχθη πλακοῦς ἐκ γάλακτος, ἴτριόν τε ἐκ μέλιτος. Alcman παρέξει πυάνιόν τε, πόλτον, χίδρον τε

B λευκὸν, κηρίαν τ' ὀπώραν. Puls πολτὸς ex fabacea farina, Pyanion eſt πανσπερμία ἐν γλυκεῖ ἑψημένα, omne genus ſeminum in muſto, aut dulci coctum. Cato c. LXXIX. Globulos ſic facito, caſeum cum alica ad eundem modum miſceto, inde quantos voles facere,facito,in ahenum caldum unguen indito,ſingulos aut binos coquito, verſatoque crebro duabus rudibus,coctos eximito; eos melle unguito, papavere infriato,ita ponito. Enchytum ut globulos facit, in unguem caldum fundit, hoc in reſtim quaſi ſpiram facit,id duabus rudibus verſat,perfrigitque,unguit,colorat, mediocriter cum melle, aut mulſo apponit. Ames placenta ἀπὸ τοῦ ἐξαμᾶσθαι αὐτὸν σπουδῇ

C ὑφ' ἡδονῆς, ὡς μέλιτι καταρδόμενον. Vide Catonem c. LXXXVII. de Amylo. Iones ἄμυλα, alii ἄμπα, quod multa in unum conjiciant ab ἅμα. Suid. διακόνιον οἱ μὲν ἀπὸ τοῦ πλακοῦντος κρηπῖδα, *Diaconium alii placentæ ſolum eſſe volunt*; alii ζωμὸν ποιὸν, quoddam juſculum,quidam mazam,aut ἄλλα τὰ κυκλότερα πέμματα, liba quædam orbiculata in ereſione quam Apollini faciunt. Baſtynias placenta barbarica,vel ut alii legunt Baſunias. Pſammitum, ψεστὸν, libum eſt. στρεπτὸν, καὶ νεήλατα placentæ, item Deudalides, Attanites, ἄτταρα, τήγανα, ſartagines, κρῖον, id eſt, κρεόδοτον, placenta carnibus farta. γλυκινάς placenta, empepta triticeus panis cavus, æqualis ſolo,

D vel baſibus quibus imponuntur placentæ ex tritico factæ. ἐμπέπτης πυρινός· ἄρτος κοῖλος σύμμετρος ταῖς κρηπῖσιν, ἐν αἷς ἐντίθενται τὰ διὰ τοῦ πυροῦ σκευαζόμενα πλακούντια. Heſych. ἐμπέλανα, πόπανα ἔμπιπα, vel potius ἔμπεπτα πλάγια τὰ πύρινα εἰς ἃ ἐντίθενται τὰ διὰ τυροῦ, ῥόδιοι, Empepta obliqua triticea in quæ Rhodii imponunt quæ ex caſeo fiant. Heſych. ἐγκρίδες πέμμα ἐλαίῳ ἑψόμενοι, καὶ μελιτώμενον, *Encrides bellaria oleo cocta, & melle imbuta*, quidam Amanitas vocant. Idem, ἔγχελυς γλυκὰς ἐξ ἐλαίου ὑδαρίς. ἐπικύκλιος, *ſporta*, vel *circulus*. γῦρος, γῶρος, πλακοῦς, *gaufre*, κυριβάνες, κριβάνες, πλακοῦντες μα-

E στοειδεῖς, *placentæ mammoſæ*, κριμνίτης *placenta*. Hippocrates l. IV. *Epidem.* ἐσχαροπέπτους, vel potius ἐσχαροπέπτους κρίμνους. Heſych. κριμνῆστις πλακοῦντος εἶδος, κριμνὸς ἡ κριθὴ,hordeum. Idem κρίθη πυρόν. χαρίσιον πέμμα. ἐπίδαιτρον, quod omnium poſtremum dividitur in conviviis. ναστος, ἄρτος πλακουντώδης,& ναστὸς Heſychio,σακτὸς Polluci.ψώθια placentæ,ἄμορα,ſimilago cum melle cocta,ἀμοργῖται placentæ.Amorgites placenta χόριον,ex melle & lacte.Pæſa, vel paſſa librum. Paſſanus qui panem facit, aut vendit, καλλαβοΐδης σημῶδης. Echinus placenta inſularis. κοτυλίσκος *placenta*.Chœnix tres cotylas

F continet. Ex tertia parte chœnicis fiunt χοιρίναι ἐκ πεφρυγμένων πυρῶν. Vide c. XI. Pollucis lib. VI. de panum & placentarum generibus. Piget enim hic verba ejus, licet pulcra, eruditaque, exſcribere. χιδρὸν λευκὸν vocant ἑφθοὺς πυρούς, cocta tritici grana, frictave. χιδρὰ ἐρεικτὰ hæc grana prius frangunt, quam torreant. χιδρὰ ἐρεικτὰ ἐκ κριθῆς νέας γινόμενα, ſunt πυροὶ νεογενεῖς. Panis,polenta, puls, ſæpe accipiuntur pro eodem, quanquam aliquid eſt diſcriminis. Galenus ſcribit Cyprios alphitis, id eſt, farina e toſtis hordei granis pro pane uti Græ-

ci per ἄλφιτα polentam intelligunt, ut Galenus περὶ τροφῶν δυνάμ. *Levit.* II. ἐὰν δὲ προσφέρῃς θυσίαν πρωτογεννημάτων τῷ κυρίῳ νέα πεφρυγμένα χίδρα ἐρεικτά. *Si obtuleris Deo munus primitiarum frugum tuarum Domino de spicis adhuc virentibus, torrebis igni, & confringes in morem farris.* μελικηρίδες, μελικήρες, *placentæ mellitæ*. Hesych. μελικαρ.ς, σκεύασμά τι βρωτὸν διὰ τυροῦ. Amyli placentæ, ἢ ζωμοὶ πλακουντώδεις, ὃν νῦν ἀμύλατον φασι. Plato Comicus, πλακοῦς ἐνόρχης, ἄμυλος ἐγκύμων, κίχλαι, placenta coleata, amylus prægnans & fartus, turdi. Copte opus pistrinarium. Ova inter bellaria sæpe numerantur. Ephippus, puramus, ames, ovum: de Pistaciis Nicander seu de fistaciis, πίστακι ἀκρεμόνεσσιν ἀμυγδαλόεσσιν ὅμοια. σίδας τὰς ῥοίας vocant, mala punica Bœotii. Empedocles,

Οὕνεκεν ὀψίγονοί τε σίδαι, καὶ ὑπέρφλοια μῆλα.

Sida oppidum Bœotiæ Sidis, nomen dedit. Athen. l. XIV. Pamulæ Nicolai, panes Nicolai fuere. Palladius in vita Abbatis Apollo, panes Nicolaos maximos. Mazæ ad hominum usus, Anthema, Thridacine, physte, vinosæ, ephieros, dandalis, lolodiaconium, tripta, anemone, cardame. Bereces mazæ sunt, seu molæ ex cribratis farinis subactæ, dandalides ex tostis hordeis, procona, & proconia ex intosti hordei farinis. Placentarum species sunt ama, amula, enthrya, strepta, neilata, pthis, phtidia libatoria, thrymantides, crepis ex farina & melle, cui uvæ, aut ficus tostæ inerant, quibus exesis crepida ipsam avium ζωμῷ jusculo intritam comedebant. Placentæ philoxeniæ Leucadii Philoxeni inventum, placentæ Samiæ. Conus erat ex uvis & amygdalis, quæ contrita simul & commista assabantur. Escarites Rhodia inter panem, & placentam media Tageniæ Polluci sunt encrides, quas apponunt stridentes & tepidas ut mel superfundant. Tageniæ sartagini infusæ caseus, oleum, mel, & sesama infundebantur. Quædam dicta πλινία placentis apponi solita, radiis textoriis similia coloris albi. Præter placentas erant myrrhides, caricæ, mespila μέσπιλα ἃ καὶ ὀα καλεῖται, ait Pollux. Alexis, ἰσχάδες τὸ παράσημον τῶν Ἀθηναίων, καὶ θυμοῦ δέσμαι τινες, caricæ insigne Atheniensium, & fasciculi thymi, Phœnicides, bellaria vocat προπύλαια, quia in propylæis templorum vænibant. Euripides τυρὸς ὀπίας ἐστὶ, καὶ διός γάλα. ἀποτράγημα λείψανόν ἐστι τῶν τραγημάτων, καὶ τρωξίμων. κόκκοι ῥόας acini mali granati Aristophanes, ὀξογλυκεῖαν τ' ἄρα κοκκιεῖς ῥοάν. Mali granati grana decerpis. Amygdalæ, nuces persicæ quæ nunc regiæ, κάρυα περσικά. Caricæ chelidoniæ Atticæ, quas & chelidones, Pollux, ἰσχάδας προκνίδας, malim προκνίδας. caricæ oxali. Vide Polluc. l. VI. c. XI. σταφυλαί, ἐλαιοσάμμαξις, φοινικοβάλανος, κρητική, μελινέως, μεθυσέως, χαιρεέως. Item ἄπιοι, μῆλα, ὄχναι, ἰσχάδες, ἀσταφίδες, pyra, mala, pyra sylvestria, uvæ passæ erant, inter bellaria.

CAP. LV.

DE PANIBUS, PULTE, ALICA.

POllux lib. XVI. cap. VII. E rebus terra natis fiunt ἄρτοι, ἄλφιτα, μάζα, σιτία, *panes, farinæ, massa, frumenta*. Frequentior apud Romanos panis usus, quam pultis erat, ideoque in sacrificiis mola ex farre & sale constat, auctore Valer. Max. l. II. c. V. Romani tamen pultifagi. Juvenal. Sat. XIV.

A scrobe, vel sulco redeuntibus, altera cœna
Amplior, & grandes fumabant pultibus ollæ.

Puls hordeacea in lacte dicitur lactea Hesych. γαλαξία πόλτος κρίθινος ἐν γάλακτι. Apicius de pultibus Julianis, Alicam purgatam infundis, cum ferverit oleum immittis cerebella duo cocta, selibram pulpæ. Panes ferebant in reticulis, quos Aristoph. vocat γυργάθους, Theophrastus, ἐρμαθούς. Panis κλιβανίτης εὔπεπτος, ἰπνίτης, seu καμινίτης δύσπεπτος, in clibano coctus facile concoquitur ac digeritur, in furno coctus ægre. Athenis panis ἀγοραῖος laudatus, Rhodi panis ἐσχαρίτης, qui dulcibus, ac mollitie mirifice temperatus est, fuit μεθόριος ἄρτος, καὶ πλακοῦντος Polluci intermedius inter panem & placentam. Sub finem mensæ panem hunc ex passo edunt. λαβόντα θερμοὺς, ἐσχαρίτας ἀνελίττοντα βάπτειν ἐς γλυκύν. Sumens calidos panes in foco coctos evolvens tingit in passum. Pollux lib. VII. cap. X. οἱ δὲ δίπυροι ἄρτοι τινές εἰσι τρυφῶντες, *Panes bis ignem passi*, vulgo nautici dicti, laganum, apanthracis, placentæ. Athen. l. III. consulendus de tota ratione panum. κόλλαβος placenta quadrata parvula ἐκ μεγάλων κολοβουμένη, ex magnis deminuta & mutilata. Placenta omnis si est πλακοῦς εἰς πλάτος ἐκτείνεται, placenta in latitudinem extenditur. Quidam Collabos panes esse ajunt similes citharæ verticellis. Apud Athenæum βολβοφάκη, πολφοφάκη Polluci, Italis *vermicelli*, πολφοὶ μηρύματα ἐκ σταιτὸς farinæ subactæ, cum adipe, massa in fila deducta, & producta. Placentas mulieres vulgo fingebant. Hesychio γυνὴ δημιουργὸς ἡ ἐν τοῖς γάμοις πέμματα πέσσει. γυν. δημ. τὰ πέμματα ποιοῦσαι. Athen. τὰς δὲ τὰ πέμματα, προσέτι τὰς πλακοῦντας ποιούσας δημιουργούς. γυναῖκες ἀλετρίδες, ποπανοποιοὶ, μιμούμεναι τὰς φύσεις, mulieres molitrices quæ placentas faciunt, quæ naturas imitantur, τὰς πλαττούσας ὅσα τοῖς θεοῖς ἀνιᾶσι ζῶα, καὶ φυτά, ait Proclus *ad lib.* V. *Platon. de Rep.* quæ fingunt animalia, & plantas Diis sacras.

CAP. LVI.

DE FABA, ET LEGUMINIBUS.

COnchis faba est cum suo folliculo, aut cortice elixa, aut edulium e faba confectum, ut differat a faba fresa, quæ sine cortice coquitur. Martialis lib. XIII. epigr. VII.

Si spumet rubra conchis tibi pallida testa,
Lautorum cœnis sæpe negare potes.

Dicitur & concha. Scribonius, ex fabæ quasi concha multo cum cumino cocta. Juvenalis Sat. III.

Cujus conche tumes.

Martialis lib. V. ep. XL.

Iro pauperior forem, Carine,
Si concham toties meam comesses.

Dioscorides l. II. c. XII. κύαμος ἑλληνικὸς πνευματώδης, δυσπεπτος. Faba Græca inflat, ægre digeritur, κύαμος αἰγύπτιος ἢ ποντικὸς, ἔχει φύλλον μέγα, ὡς πέτασον, καυλὸν δὲ πηχυαῖον, περὶ δακτυλον τὸ πάχος. Faba Ægyptia, seu Pontica folium habet petasi instar magnum, caulem cubitalem. ἐρέβινθος ὁ ἥμερος εὐκοίλιος, οὐρητικός. Cicer sativum alvo idoneum, urinam ciet. Cicer elixum vel frictum plebeculæ in deliciis fuit. Martialis lib. I. epigr. XLII.

—— quod otiosæ,
Vendit qui madidum cicer coronæ.

Horatius *de Arte Poet.*

Nec si quis fricti ciceris probat, & nucis emptor.

Plautus in *Bacchidib.*

Tam frictum ego illum reddam, quam frictum est cicer.

In spectaculis cicer frictum per cuneos vendebant. Lens carior faba. Martialis l. XIII. ep. IX.

Accipe Niliacam Pelusia munera lentem,
Vilior est alica, carior illa faba.

Pherecrates, μή μοι φακοὺς, μὰ τὸν δία, οὐ γὰρ ἥδομαι, ἣν γὰρ τρώγῃ τις, τὸ στόμα τοῦ ὄζει κακόν. *ne mihi lentem per Jovem, non mihi placent, si quis comederit, os ei putidum.* Pelusiaca lens laudatur. Virgil. *Georg.* I.

Nec Pelusiacæ curam aspernabere lentis.

CAP. LVII.

DE FARRE, ET SIMILA.

FAR significat frumentum adoreum, & farinam ex eo factam, & pultem. Triticum primum locum tenet inter frumenta, ex quo fit pollen volatile, deinde similago, seu similia, σεμίδαλις, σιμαλὶς denique furfures. Martialis lib. XIII. epigr. X.

Non poteris similæ dotes numerare, nec usus,
Pistori toties quum sit & apta coquo.

Pistores Romæ non fuerunt ad Persicum usque bellum annis ab Urbe condita super DLXXX. Ipsi panem faciebant Quirites, mulierumque id opus erat, ait Plinius lib. XVIII. cap. XI. Dioscorides lib. II. cap. VII. πυροὶ πρὸς ὑγιείας χρῆσιν ἄριστοι, οἱ πρόσφατοι καὶ τελείως ἠδρηκότες τῇ χρόᾳ μηλίζουσιν. *Triticum salubre est quod recens & perfecte adultum flavescit.*

CAP. LVIII.

DE HORDEO.

DIoscorides lib. II. κριθὴ ἀρίστη ἡ λευκὴ, καὶ καθαρὰ ἀτροφωτέρα πυρῦ. τὸ δὲ αὐτῆς ἄλφιτον ἡ πτισανὴ τροφιμωτέρα, διὰ τὸν ἐν τῇ ἑψήσει χύλωσιν. Hordeum optimum candidum, purumque minus quam triticum alit. Ptisana ob cremorem in decoctione redditum plus alimenti præbet quam polenta ex hordeo facta. Consule Plinium lib. XVIII. cap. VII. Panem ex hordeo antiquis usitatum vita damnavit, quadrupedumque tradidit refectibus. Ptisanæ inde usus validissimus, saluberrimus tantopere probatur. Hippocrates unum laudibus ejus dicavit volumen. Idem lib. XXII. cap. XXV. Ptisanæ laudes transfert ad alicam. Romani ptisanam ex oriza, non ex hordeo fecerunt, Plinius lib. XVIII. cap. VII.

CAP. LIX.

DE RAPIS, ET CAULIBUS, SEU COLIBUS.

MArtialis lib. XIII. cap. VII.

Hæc tibi brumali gaudentia frigore rapa,
Quæ damus, in cœlo Romulus esse solet.

De Coliculi, ejusdem lib. ep. XVI.

Ne tibi pallentes moveant fastidia caules,
Nitrata viridis brassica fiat aqua.

Caules brassicæ pars est interior. De porro sectivo, ibid. epigr. XVIII.

Fila Tarentini graviter redolentia porri.

De porro capitato, ep. XIX.

Mittit præcipuos nemoralis Aritia porros,
In niveo virides stipite cerne comas.

Asparagus in totum spina est, nullum folium habet. Trium librarum asparagum Ravenna aliquando produxi, ut Plin. l. XIX. cap. VII: Martialis, ubi supra ep. XXI.

Mollis in æquorea quæ crevit spina Ravenna,
Non erat incultis gratior asparagis.

Suidas, ἄπυρος τροφὴ ἡ δι' ὀπώρας καὶ λαχάνων. ὁ δὲ ζώων ἀπύρῳ τροφῇ ἐκέχρητο. *alimentum igne non procuratum poma & olera, quo usus Zeno philosophus Stoicorum parens.* In colloquio quotidiano λαχανοπωλεῖον dicitur ubi olera & herbas emunt, item ὀπώρας *mala*, συκάμινα *mora*, σῦκα *caricas*, *mala persica*, ἄπιος *pyra*, τρικόκκια, *tuberes*. Plato φιλόσυκος, *amans ficuum*, Arcesilaus φιλόβοτρυς *uvarum*, Philippus Macedo φιλόμηλος, *malo-*

A *rum amans*. Ægyptii Papyrophagi. Æschylus, βύβλου δὲ καρπὸς οὐ κρατεῖ στάχυν μέγαν, *fructus bybli non capit magnam spicam*, panem e byblo, seu papyro fecere, imo & potum, ut ex hordeo zythum. τὰς κριθὰς ἐς ποτὸν καταλεαίνοντες (malim καταλέοντες) *bordeum in potionem molentes*, πίνοντας ἐκ κριθῶν μέθυ, *ex hordeo bibentes merum*, βύβλον ἀεὶ ἀλέοντες, *Papyrum semper molentes*, ὀπὸς κατ' ἐξοχὴν, *laser*, ἑψήματα vocant cocta olera, aut legumina absque carne. Clemens lib. II. *Pædag.* βολβοὶ, ἐλαίαι, λαχάνων ἔνια, γάλα, τυρὸς, τὰ θ' ὡραῖα, ἑψήματά τε παντοδαπὰ ζωμῶν ἄνευ. *Bulbum, oleam, quædam olera, lac, caseus,*
B *bellaria, olera cocta sine carne*, κἂν δέῃ κρέως ὀπτοῦ μᾶλλον, ἢ ἑφθοῦ μεταδοτέον. Galenus lib. IV. ὑγιεινῶν, vocat ἕψημα ζωμὸν λευκὸν, jus album. Conchos, Romanis dicitur conchis faba non fresa, sed integra cum folliculo, conchen & concham vocat Martialis lib. VII. epigr. LXXVII.

Quum Saxitani ponatur concha lacerti,
Et bene si cœnas, conchis inuncta tibi.

Conchis cibus pauperum apud Juvenal. Sat. III. & XIV. Apud Athenæum lib. IV. Vel cœna pauperum, vel antecœnium describitur. Alexis, σήσαμα, ἀσταφίδα κεκομμένην, *sesuma, uvam passam contusam, aut concisum*, μάραθον *fœniculum*, *anethum*, νᾶπυ
C *sinapi*, καυλὸν *caulem*, σίλφιον *laserpitium*, *aut caulem laserpitii*, κορίαννον αὖον, *coriandrum siccum*, ῥοῦν semen fruticis coriarii quod cibis aspergitur, cuminum, capparim, origanum, γήτειον, *cepam non capitatam*, σκορόδιον, *allium thymum*, σφακὸν *salviam*, σίραιον *sapam seseli*, πήγανον *rutam*, πράσον *porrum*, θρῖον *ficus folium*, σίραιον *defrutum*, βολβὸν *bulbum*. Galenus φυλλία vocat ἡδύσματα κηπαῖα, *hortenses suavitates*. Hesychio φυλλίας ἐστὶν ὑπότριμμά τι ἐκ λαχάνων σκευαζόμενον, *intritum quoddam ex oleribus factum*. Athen. lib. III. fabæ Ægyptiæ triplicem utilitatem facit,
D prima est floris ad coronamenta, altera ciborium maturo fructu ad epulas, tertia radicis ad edendum ex jusculo: radix vocatur colocasium. Ciborum proprie est faba Ægyptia ex qua pocula faciunt, quæ Horatius ciboria vocat, non planta quæ fert fabam, ἧς ὁ καρπὸς, ait Stephanus, ἥτε ῥίζα πάντως ὀφιώδης ἐστὶν, τῇ ποικιλίᾳ, καὶ ταῖς κεφαλαῖς. κολοκάσιον μέν τοι καλοῦσι τὴν ῥίζαν, τὸ δὲ ὑπερπεφυκὸς ὄψιν ἰδίαν ἔχον, ἐδωδίμους τε τὰς φλέβας παρέχον, cujus plantæ fructus, & radix omnino serpentis instar flexuosa est, varietate & capitibus. Radicem vocant colocasion, quod super enascitur, formam propriam habens, & venas edules præbens, quas
E vocat Theophrastus διαφύσεις, fibras separatas, Martialis fila, cibus gratus est.

Improba cum morsu fila, manuque trahes.

CAP. LX.

DE ACETO.

INter ea quæ terra eduntur numero acetum, quod fit e vite, quodque condimentum suavissimum est. τοῦτο μόνον τῶν ἡδυσμάτων εἶδος καλοῦσιν, Hoc solum condimentum Attici vocant volu-
F ptatem. Hesychius, ἦδος, ἡδονὴ, καὶ ὄφελος, καὶ ὄξος, *Edos, voluptas, utilitas, acetum*. Idem ἆδος Dinolocho ὄξος· ὀξίδες *acetabula*. Pharium acetum Juvenali, Cleonæum Aristophani.

CAP. LXI.

DE ABYRTACA.

ABYrtace genus condimenti e ſucco herbarum virentium. Antiphanes, σησαμῦ, νίτρυ (vel λίτρυ) κυμίνυ, ῥῦ, μέλιτος, ὀριγάνυ βοτανίων, ὄξυς, ἐλαίυ, εἰς ἀβυρτάκην χλόης. *Seſami, nitri, cumini, ſeminis fruticis coriarii, ſeu ſumach, mellis, origani, herbuſcularum, aceti, olei in abyrtacem graminis, aut herbæ*, ἀβυρτάκη ὑπότριμμα βαρβαρικὸν κατασκευαζόμενον διὰ πράσων, καὶ καρδάμων, καὶ ῥοιᾶς κόκκων, δριμὺ δηλονότι. *Abyrtace intritum barbaricum factum ex porris, naſturtio, granis mali granati*, acre ſcilicet. Theopom. ἥξει δ' ἡ μήδων γαῖαν ἐς θα καρδάμων, πλεῖστων ποιεῖται καὶ πράσων ἀβυρτάκη. *Veniet in mediam ubi Abyrtace fit e multis naſturtiis, & porris*. Lucian. in *Lexiphane*, καὶ μυττωτὸς, καὶ ἀβυρτάκη, καὶ τοιαῦται τινὲς καρυκεῖαι, καὶ θρυμματίδες, καὶ θρία, καὶ μελιτοῦται. *Et moretum, ſeu alliatum, & abyrtace, & ſimilia quædam condimenta, & thrimatides, & frictillæ ficulneis foliis involutæ, & ex melle dulciaria.*

CAP. LXII.

RURSUM DE ACETO.

JUvenalis Sat. XIII.

—— *flebile gnati*
Synciput elixi, Pharioque mandentis aceto.

Fuiſſe oportet Ægyptium acetum acerrimum, quo Cleopatra gemmam molis admirabilis liquefecerit Perſius Stoicum acri aceto lotum ait. Martialis lib. XIII. epigr. CXXII.

Amphora Niliaci non ſit tibi vilis aceti,
Eſſet cum vini, vilior illa fuit.

Ariſtophanes Cleonæum ὄξος commemorat. Lib. XXIII. cap. XXI. Plinius. Dioſcorides l. v. cap. XXI. ὄξος ψύχει, καὶ στύφει, εὐστόμαχόν τε ἐστι, καὶ ὀρεκτικόν, *acetum refrigerat & aſtringit, ſtomacho utile eſt, & appetentiam excitat*. Acetum potui fuit *leg. 3. de penu legata*. Militibus erat poſca ex aceto & aqua. Acetum dicitur εἶδος.

CAP. LXIII.

DE ALIIS TERRA NATIS.

APiaſtra, faſelares, fœnum Græcum irritandæ gulæ fuere pro antecœna. Galen. l. II. *de facult. aliment.* προλαμβάνουσι ῥαφανίδας, ἐλαίας τε, καὶ τήλεις ἐκ γάρυ, καὶ μετὰ ταῦτα μαλάχας τε καὶ τεῦτλα, καὶ ἄλλα τοιαῦτα λάχανα μετ' ἐλαίυ, καὶ γάρυ. τῆλις eſt fœnum Græcum. Apiaſtrum μελισσόφυλλον, ſive μελίταινα, uvæ Apamenæ hodie Damaſcenæ dicuntur. Pollux ponit θέρμυς, κοκκύμηλα, lupina, pruna, repoſitorum τῶν ἀποθέτων. συκάμινα, μόρα ἐκ τῆς βάτυ, *mora e ſentibus*, κεράσια, *ceraſa*, χόνδρος *alica*, κῶνοι, *nuclei*, μαλάχη, *malva*, θριδακίνη *lactuca*, κινάρα *cinara, ſeu acanthus*, σίκυος *cucumis*, πέπων *pepo, ſeu ſpermatias*, μῆλα τῶν ὡραίων, *mala bellariorum*, κωδώνια μῆλα, *cotonea*, σῦκα τῶν χλωρῶν, *ficus recentes*. Martialis lib. v. ep. LXXIX.

Non deerunt tibi ſeſſiles propinquæ,
Viles Cappadocæ, graveſque porri,
Diviſis cybium latebit ovis,
Nigra coliculus virens patella,
Et pultem niveam premens botellus,
Et pallens faba cum rubente lardo.

Cappadocæ ſunt lactucæ Plinio lib. XIX. cap. VII. Seſſiles, item lactucæ vulgares epigr. XLVII. lib. III Martialis:

Et utrumque porrum, ſeſſileſque lactucas.

Cybium piſcis eſt lib. XI. epigr. XXXII.

Et caudam cybii, graveſque mænas.

Botellus genus farciminis fuit ſine carnibus apud Apicium. Tertullianus tamen in *Apologet.* botulum vocat ſanguine diſtentum. Addit Martialis lib. v. epigr. LXXIX.

Menſæ munera ſi voles ſecundæ,
Marcentes tibi corrigentur uvæ,
Et nomen pyra quæ fuerunt Syrorum.

Colore nigricanti fuere, ut Plinius lib. XV. cap. XV. Martialis loco cit.

Succurrunt tibi nobiles olivæ,
Piceni modo quas tulere rami,
Et fervens cicer, & tepens lupinus.

De uvis paſſis, ovis ollaribus conſule Columellam l. XII. cap. ult. de porro ſectivo Juvenal. *Sat.* XIV.

Filaque ſectivi numerata includere porri.

Nero frequens in popinis helluabatur, & interim alios quicquam in popina coctum præter olera & fabam elixam vendere vetabat. Martialis lib. v. epigr. LXXI.

In ſellariolis frequens popinis.

Lucianus in *Lexiphane*, ἄλλος ἐθερμοτράγει, ὁ δὲ ἤμει τὴν κύστιν, ὁ δ' ἀραιὰς ποιῶν τὰς ῥαφανίδας ἐμυστίλατο τοῦ ἰχθυηροῦ ζωμοῦ, ὁ δὲ ἐρρόφει τῶν κριθῶν, *alius calida glutiebat, alius inteſtinum jejunum, ſeu bilam ejectabat, alius raphanis in tenues partes conciſis abſorbebat ſalſas, ac piſculentas illas offellas, alius agreſtes olivas edebat*, ἤσθιε φαυλίας, *alius hordeum ſorbebat*. Inter olera numero quod Apicius habet dulcia domeſtica, palmulas, vel dactylos, infartiles, bulbos, fungos fœneos: guſtum de præcoquis, duracina, concicla Apiciana, concicla Commodiana. Cibos tenues, & parabiles ex oleribus deſcribit Tzetzes *in Heſiodum*, σκίλλης τὸν ὄγκον, καὶ μαλάχης τὰς κλάδους τεμὼν ἐν ὅλμῳ συγκεράσας, καὶ μέλι, καὶ σπῶν τι βραχὺ πρὸς τροφὴν τῶν τμημάτων, οὐκ ἂν πτονθῆς τοῦ λιμοῦ τι παράφορον. *Scillas tumorem, & malvæ ramos ſecans in mortario miſcens cum melle, & extrahe aliquid minutum ad victum, nihil tibi a fame erit incommodi ſi diligenter triveris.* Scilla enim poteſt perdere eos qui neſciunt commode ea uti, ſi autem venenum ſquillæ extuderis, miſcens in ollis ſufficienter cum aqua, poſtea ſiccaris ad ſolem, & ſecans tenuia, miſcens ſeſamo, & melle, & lachryma papaveris ex Proclo, bene erit. Moleſtias quaſdam, difficultateſque ciborum, quærere, caricas, piper, nuces, ſimilam, piſtacia, aquam non bibere, nec veſci pane, ſed ſorbitiunculas delicatas, & contrita olera, baccharumque ſuccum non calicem ſorbere, ſtultum eſt, ait Hieronymus. Apicius, Si laſer in dolium vitreum miſeris, & nucleos pineos, ciboſque intuleris, miraberis vim ſaporis. Fiet cocetum κυκεὼν, id eſt, *pharmacum*. Tertullianus *in Valentinianos*, Herculis cocetum. Heſych. φλογίδια, καὶ κεγχρίδες δι' ἐλαίυ σκευαζόμεναι. *Flogidia eſt milium oleo temperatum*. Proprie flogidium eſt fruſtulum carnis aſſæ. ἐπίπαστα τὰ ἐπιπασσόμενα τοῖς ἔτνεσι τὰ ἄλφιτα· ὅπως γὰρ ἥδιον αὐτά. *Farinæ aſperſæ leguminibus*. Euſtathius κάνδαυλος βρῶμα ποιὸν παρὰ λύδοις, *Condaulos cibus quidam apud Lydos a Candaule*. Philo in *Mechanicis*, ut obſidionem toleres, reſervare triticum in manipulis, & cicer, & alia legumina cum equi coacto ſanguine, aut lacte, & ſeſamum, & aracum legumen accenſum, aut mixtum cum olei amurca, ut non putreſcat, & jecinora modo ne ſint ſuum, cum felle ſalita & ſiccata in umbra. Sic enim magis durant, & iſta omnia a coquis accepta in unum locum conferre, cum decreto ne quis ea occultet: ἀποκεῖσθαι τὸν ἐν τοῖς δράγμασι πυρὸν, καὶ ἐρεβίνθους, καὶ θέρμους, καὶ ὀρόβους, καὶ ἱππάκην, καὶ σήσαμον, καὶ ἀράκους πεφωσμένους, ἄλλους ἐν ἀμόργῳ πεφυραμένους. οὕτω γὰρ ἄσηπτον γίνεται, καὶ ἥπατα ἔξω τῶν ὑῶν ἔχοντα τὴν χολὴν ἡλισμένα, καὶ ἐξηρασμένα ἐν σκιᾷ. ἀπαθέ-

ςερα γὰρ ἔτως διαμένει, συνάγειν δὲ ταῦτα δεῖ παρὰ τῶ μαγείρων ψήφισμά τι περιβάλλοντας.

A & thasiæ. Jam vero nux molliuscula est persicum quod cæteris omnibus nucibus mollior sit. Nux Tarentina ita mollis est ut vix attrectata frangatur, denique nux pinea. Vide Macrobium. Ista omnia asservabantur vel in penu, vel in horreis, vel in Apothecis. Quare claudam hunc librum capite de cella & penu, quia alibi egimus de horreis.

CAP. LXIV.

DE MALIS, ET UVIS.

MAla, & uvæ inter bellaria sunt. Vennucula uva in ollis servatur, Albana fumo duratur. Horatius Sat. IV. lib. II.

Picenis cedunt pomis Tiburtia succo.
Nam facie præstant. Vennucula convenit ollis,
Rectius Albanam fumo duraveris uvam.

Uvam Albanam cum malis Catius apud Horatium catinis imponebat. Sat. II. lib. II.

B *—— Tum pensilis uva,*
Et nux ornabat mensas cum duplice ficu.

Ficus duplices majores. Vegetius lib I. *artis veterin.* Ficus duplices viginti, rutæ fasciculum. Ita Virgilius equo duplicem spiram attribuit. Sat. VIII. lib. II.

Post hoc me docuit melimela rubere minorem
Ad lunam delecta.

Melimela sunt mala mellei saporis. De malis & pomis Macrobius lib. III. *Satur.* cap. XIX. Sunt autem genera malorum, Armenium, Cotonium, Citreum, Coccymelium, conditivum, ἐπιμηλὶς, musteum, Mattianum, orbiculatum, ogrannum C præcox, pannuceum, Punicum, Persicum, quirianum, prosivum rubrum, scandrianum sylvestre, struthium, scantianum, Tibur verianum. Citreum Virgilius vocat felix malum,

Felicis mali quo non præstantius ullum.

Homerus citrum arborem θύον vocat. De pyris idem ponit Antianum, Cucurbitinum, Ciritum, Cerviscam, Calculosum, Crustuminum, Decimanum, Græculum, Lollianum, Lanuvinum, Laureum, Laterusianum, Morapium, Milesium, Myrteum, Nævianum orbiculatum, Præcianum, Rubile, Signinum, Tullianum, Titianum, Turrinianum, Timosum, Præcox, Volemius, Mespilium D serum, Sextilianum serum, Tarentinum serum, Valerianum serum. Nux vero juglans, quasi Jovis glans, vel glans juvans, διὸς βάλανος Theophrasto, quæ dicitur & avellana, & Prænestina, & Pontica. Ad agrum Prænestinum quidam dicti Carsitani populi ἀπὸ τῶ καρύων *a nucibus*. At nuces castaneæ dicuntur Heracleoticæ, aliæ sunt Basilicæ juglandes, & Græcæ nuces, quæ & amygdalæ,

CAP LXV.

DE CELLA, ET PENU.

GLossæ, cellarium, penu, κελλάριος, *penuarius*. Promus condus. Isidorus lib. XV. cap. III. Cella dicta quod nos occultet & celet. Donatus ad Terent. *Adelph.* act. IV. sc. II. Cella & cellarium a reponendis celandisque rebus esculentis & poculentis dicitur. Sed & cellæ gladiatorum, servorum, scortorum, sunt angusta cubicula. Cellæ in diversoriis cubicula. Petron. Vos me hercule ne cellæ mercedem daretis fugere nocte in publicum voluistis. *L.* 41. *ff. de legat.* I. Cellaris locus celandis rebus. *L.* 17. *ff. de ædilit. ed Eto.* Fugitivus in cellam se recepit. Cellariensis cellæ præfectus *l. ultim. Cod. Theod. de offic. omn. judic.* Sulpicius Sever. lib II. *Sacræ histor.* cellaria pro annonis publicis posuit. Martialis lib. XI.

Hinc cellarius experitur artes
Ut condat vario vafer sapore
In rutæ folium Capelliana.

Plautus in *Pseudolo*,

Condus promus sum, procurator peni.

Cella erat ut videtur pars prima Triclinii. Petronius, Jam ad triclinium veneramus, in cujus parte prima procurator rationes accipiebat. Promus condus erat procurator peni qui patrifamilias quotidie de nocte totius diei expensas & rationes afferebat. In Glossis Isidori & in veteribus inscriptionibus dicitur Arcarius, dispensator, procurator, Atriensis. Sueton. *de Galba*, dispensatori breviarium rationum adferenti paropsidem leguminis pro sedulitate & diligentia porrexisse. Accipiebant igitur patresfamilias rationes inter cœnandum. Scholiastes Juvenal *ad Sat.* VI. ratiocinium diurnum accipit in transversa charta scriptum. Apulejus *Apolog.* II. neget eam rationibus villicorum, opilionum, & equisonum solertissime subscripsisse. Vide *l.* 40. *ff. de statu liber.* & *l.* 41. *ff. de fideicommiss.*

DE CONVIVIIS LIBER TERTIUS.

PROLUSIO.

UT inter metalla nullum auro nobilius, inter liquores hominis vitæ utiles, nullus vino commodior, inter frutices nullus vite opportunior est. Plato lib. II. *de Legib.* οἶνον φαρμάκον αἰδῦς, καὶ ψυχῆς κτήσεως δεδόσθαι, σώματός τ' ὑγιείας καὶ ἰχύος: *Vinum medicamentum pudoris datum esse, quo animus contineatur, & sanitas corporis, ac robur.* Ideo Homerus οἶνον εὐήνορα, vinum quod viros bonos ac valentes faciat, appellat, *Odyss.* IV. & *Iliad.* XIX. Ulysses ait Achilli,

Ος δέ κ' ἀνὴρ οἴνοιο κορεσσάμενος, καὶ ἐδω-
Ανδράσι δυσμενέεσσι πανημέριος πο-

Θαρσαλέον νύ οἱ ἦτορ ἐνὶ φρεσὶ, ὐδέ τε γυῖα
Πρὶν κάμνει, πρὶν πάντας ἐρωῆσαι πολέμοιο.

Vir autem qui vino, ciboque satur, cum hostibus toto die pugnat, cor ei est audax in pectore, neque membra ante laborant, quam omnes prœlio excedant. Aristophanes in *Equitibus*.

Οἶνον σὺ τολμᾷς εἰς ἐπίνοιαν λοιδορεῖν;
Οἴνου γὰρ εὕροις ἄν τι πρακτικώτερον;
Ορᾷς ὅταν πίνωσιν ἄνθρωποι τότε
Πλουτοῦσι, διαπράττουσι, νικῶσι δίκας,
Εὐδαιμονοῦσι, ὠφελοῦσι τοὺς φίλους.

Audes tu vinum incusare in consilium. An repereris aliquid vino efficacius? Vides homines cum biberint divites esse, res conficere, lites obtinere, felices esse, juvare amicos. Horatius lib. III. Od. XXI.

Narratur & prisci Catonis
Sæpe mero caluisse virtus.
Tu lene tormentum ingenio admoves
Plerumque duro, tu sapientium
Curas, & arcanum jocoso
Consilium retegis Lyæo.
Tu spem reducis mentibus anxiis,
Viresque, & addis cornua pauperi.

Apud Xenophontem in *Symposio* Socrates ait, ὁ οἶνος ἄρδων τὰς ψυχὰς, τὰς μὲν λύπας ὥσπερ ὁ μανδραγόρας τοὺς ἀνθρώπους κοιμίζει, τὰς δὲ φιλοφροσύνας, ὥσπερ ἔλαιον φλόγα ἐγείρει, *Vinum irrigans animos ægritudines sopit, ut mandragoræ succus homines, hilaritatem vero excitat, ut oleum flammam. Tamen ut terra modice rigata germina erigit, nimium imbuta emaciatur, & sterilescit, ita & nimio vino animi offunduntur.* Plato scribit, πίοντα τὸν ἄνθρωπον ἵλεω, ἢ πρότερον γενέσθαι, ἀγαθῶν τε ἐλπίδων, καὶ δυνάμεως πληροῦσθαι, καὶ ἀφοβίας. ὅθεν καὶ λακεδαιμόνιοι ἀκρατοποτοῦντες ὁπλίζονται, καὶ πέρσαι βουλεύονται, *virum bene potum, leniorem, ac tranquilliorem fieri, & bona spe, ac virtute impleri, metumque exuere. Quare & Lacedæmonii cum merum biberint armantur, & Persæ inter vina consultant.* Zeno dicebat, legumina amara cum maduerint dulcescere, ita & morosos cum biberint, quantum satis est, amœniori esse ingenio: nam plus justo poti, res non gerunt, sed vina egerunt. Plato, μεθύων κυβερνήτης ἀνατρέπει πάντα, πλοῖον, ἅρμα, στρατόπεδον, πόλιν. *Ebrius gubernator evertit omnia, navim, currum, exercitum, urbem.* Panyasis moderatum vini usum laudat,

Οὐ γάρ μοι ζώειν γε δοκεῖ βροτὸς, οὐδὲ βιῶναι,
Ανθρώποιο βίον ταλασίφρονος, ὅστις ἀπ' οἴνου
Θυμὸν ἐρητύσας πίνει ποτὸν, ἄλλο χερείων.
Οἶνος γὰρ πυρὶ ἶσον ἐπιχθονίοισιν ὄνειαρ,
Εσθλὸν, ἀλεξίκακον, πάσης συνοπηδὸν ἀοιδῆς,
Οἶνος μὲν θνητοῖσι θεῶν πάρα δῶρον ἄριστον
Πινόμενος κατὰ μέτρον, ὑπὲρ μέτρον δὲ χερείων.

Non enim mihi homo vivere videtur hominis vitam mala tolerantis, qui stolidus, vino abstinens, alia potione utitur. Vinum enim non minus mortalibus utile est, quam ignis, bonum est, mala depellens, cantus comes. Vinum a Diis donum est optimum, moderate sumptum, supra modum deterius est. Aqua temperetur vini ardor. Ausonius:

Infantem Nymphæ Bacchum quo tempore ab igne
Prodiit inventum sub cinere abluerant.
Ex illo Nymphis cum Baccho gratia multa est,
Sejunctus quod sit ignis, & urat adbuc.

Euripides in *Bacchis*,

——— βότρυος ὑγρὸν πῶμα
Εὗρε, ὃ παύει τοὺς ταλαιπώρους βροτοὺς
Λύπης, ὅταν πλησθῶσιν ἀμπέλου ῥοῆς
Ὕπνον τε λήθην τῶν καθ' ἡμέραν κακῶν
Δίδωσιν, οὐδ' ἔστιν ἄλλο φάρμακον πόνων.

A Bacchus *invenit uvæ humidum potum, quod sedat dolores miserorum hominum, cum repleti fuerint vitis liquore, & malorum quotidianorum oblivionem somno* (malim ὕπνῳ τε) *affert, neque aliud est malis remedium.* Postea vocat παυσίλυπον ἄμπελον, *vitem dolorum sedatricem.* De vini variis effectis Isidorus Pelusiota lib. II. epist. CIX. οἶνος τοὺς μὲν εὐμενεῖς ποιεῖ, τοὺς δὲ θυμώδεις, καὶ τοὺς μὲν φιλικοὺς, τοὺς δὲ μαχίμους, καὶ τοὺς ἡμέρους, τοὺς δὲ θηριώδεις. οἶμαι ταῦτα συμβαίνειν ἢ ἀπὸ τῆς τοῦ σώματος διαθέσεως, τῷ ἢ αὔξεσθαι, ἢ μειοῦσθαι ἀπὸ τοῦ οἴνου τὰς αἰτίας τῶν τοιούτων συμπτωμάτων, ἢ ἀπὸ τῶν λανθανόντων τοὺς πολλοὺς τῆς ψυχῆς κινημάτων.
B *Vinum alios facit mites, alios iracundos, alios ad amandum, quosdam ad pugnandum pronos, nonnullos lenes, alios ferinos. Existimo id provenire aut a dispositione corporis, quo vino causæ ejusmodi affectuum augeantur, aut minuantur, aut ab occultis animi motibus.* Quia enim vinum ex humidis solum mores facit, miscetur quodammodo moribus utentium. Ad quemcumque enim animi habitum se applicuerit, ostendit ejusmodi affectus non eos efficiens, cum ante non essent, sed occultos in apertum trahens. Simulatos enim mores detegens, nudat, ac demonstrat, quod latuerat. Unde vulga-
C ris adagio, *in vino veritas.* Vinum aqua miscendum. Diodorus Siculus lib. IV. Inter epulas cum merum affertur dicunt, boni dæmonis, post cœnam cum datur aqua mixtum exclamant, Jovis servatoris. τὸν γὰρ ἄκρατον μανιώδεις ἀποτελεῖς, *merum enim furorem animis injicit.* Veteres uni cyatho vini tres aquæ affundebant.

Τρὶς ὕδατος προχέειν, τὸ δ' ἕτερον ἵεμεν οἴνου.

Vinum autem lætitiam facit. Apud Plutarchum *Sympos.* IV.

Ηδύς τε πίνειν οἶνος ἀφροδίτης γάλα.
Jucundum vinum, & suave potu, lac Veneris.

Varro: Vino nihil jucundius quidquam cluet, hoc
D continet coagulum convivia, hoc hilaritatis dulce seminarium, hoc ægritudinem ad medendam invenerunt.

Ω πᾶσι τοῖς φρονοῦσι προσφιλέστατε
Διόνυσε, καὶ σοφώτατε, ὡς ἡδύς τις εἶ,
Οστις ταπεινὸν, ἐς μέγαν ποιεῖς φρονεῖν,
Μονος τὸν ὀφρῦς αἴροντα συμπείθεις γελᾶν,
Τόν τ' ἀσθενῆ τολμᾶν τι, τὸν δειλὸν θρασύν.

O omnibus sapientibus carissime Dionyse, & sapientissime, quam suavis es, cum humilem spiritus alte tollere jubeas, solus persuades ut severi supercilia tollentes rideant, imbecilli audeant aliquid, timi-
E *di sint audaces.* Sotion scribit, παρὰ κλειτορίοις κρήνην εἶναι, ἧς ὅταν τις τοῦ ὕδατος πίῃ, τοῦ οἴνου τὴν ὀσμὴν οὐ φέρει. *Apud Clitorios fontem esse, cujus aquam qui biberit, vini odorem non ferat.*

Φεῦγε δ' ἐμὴν πηγὴν μισάμπελον ἔνθα Μελάμπους
Λουσάμενος λύσσης Προιτίδας ἀργαλέης
Πάντα καθαρμὸν ἔκοψεν ἀπόκρυφον.

Fuge meum fontem vini ac vitis osorem, ubi Melampus cum lavisset Prœtidas, ac furore difficili solvisset, omnem purgationem abscidit occultam. Gellius lib. XIII. cap. ultim. Varro, novum vinum refrigerare, ait, vetus calefacere, medium
F esse prandium caninum, id est, vinum quod neque novum, neque vetus sit, non esse vinum, quia canes vinum non bibunt. Prandium item caninum dicitur in quo vini nihil est. Plautus in *Trucul.* act. IV. sc. III.

Ignoscas quod vini vitio fecerim.
In mutum culpam confers, quod nequit loqui,
Nam vinum si fabulari posset, se defenderet.
Non vinum hominibus moderari, sed vino homines solent.

Qui quidem probi sunt, verum qui improbus est
Aquam si bibit, sive adeo caret temeto, tamen ab ingenio
Improbus est.

Idem ibidem, act. IV. sc. IV.

Blitea & lutea est mulier, nisi quæ sapit in vino ad rem suam.
Si alia membra vino madeant, cor sit saltem sobrium.

Vinum senibus utile est, pueri, fœminæ, judices, magistri navis eo abstineant. Plato lib. II. *de Leg.* τοὺς παῖδας μέχρι ἐτῶν δέκα καὶ ὀκτὼ τὸ παράπαν οἴνου μὴ γεύεσθαι, ὡς οὐ χρὴ πῦρ ἐπὶ πῦρ ὀχετεύειν εἴς τε τὸ σῶμα, καὶ τὴν ψυχήν, μηδὲ αὖ κυβερνήτας, μηδὲ δικαστὰς ἐνεργοὺς ὄντας οἴνου γεύεσθαι, τὸ παράπαν, οὐδ' ὅς βουλευόμενος εἰς βουλὴν ἀξίαν τινὰ λόγου συνέρχεται. *Pueros ad annum ætatis decimum octavum omnino vinum non gustare, quia non oportet ignem igni addere, animæ & corporis, neque magistros navium, neque judices qui in actu versentur, neque ii qui in consilium majoris alicujus negotii vocantur.* Aristoteles lib. I. œconom. cap. V. scribit Carthaginenses in bello abstinuisse vino, ἀπέχονται οἴνου ἐπὶ στρατιᾶς. Ælianus lib. II. *Variæ Hist.* Lex Massiliæ, & Mileti γυναῖκας μὴ ὁμιλεῖν οἴνῳ, *ne mulieres vinum bibant.* Idem Romæ servatum, ubi juvenes ad annum XXXV. abstinebant vino, μηδὲ τῶν ἐλευθέρων οἱ ἀφ' ἥβης μέχρι πέντε, καὶ τριάκοντα ἐτῶν. Zaleuci lex fuit apud eundem lib. II. cap. XXXVII. εἴ τις Λοκρῶν νοσῶν ἔπιεν οἶνον ἄκρατον μὴ προστάξαντος τοῦ θεραπεύοντος, εἰ καὶ περιεσώθη θάνατος ἦν αὐτῷ ἡ ζημία, *Si quis Locrensium ægrotus bibisset vinum aqua non mistum, non imperante medico, licet convaluisset, ut morte mulctaretur.* Apud eundem lib. III. τάπυροι ἐν οἴνῳ ζῶσι, καὶ οὐ μόνον εἰς πόμα καταχρῶνται αὐτῷ, ἀλλὰ καὶ τὰ χρίσματα. *Tapyri populi vivunt in vino, & non solum eo utuntur ut bibant, verum & ut se lavent, & ungant.* Βυζάντιοι δεινῶς οἰνόφλυγές εἰσι, καὶ ἐν τοῖς καπηλείοις ἐνοικοῦσι, καὶ τῶν γυναικῶν τοῖς ξένοις προσαγωγοί, *Byzantii vini sitientissimi sunt, & in popinis habitant, & hospitibus uxores suas producunt.* Leonidas popinas in mœnibus posuit, ne in obsidione ea desererent. Thraces, Scythæ, Thebani, Argivi πιεῖν οἶνον δεινότατοι, & Illyrii bibacissimi sunt. Adde, si lubet, Flandros, Gallos, Britonas. Homerus *Odyss.* φ.

Οἶνός σε τρώει μελιηδής, ὅς τε καὶ ἄλλους
Βλάπτει, ὅς ἄν μιν χανδὸν ἕλῃ, μηδ' αἴσιμα πίνει,
Οἶνος καὶ κένταυρον ἀγακλυτὸν Εὐρυτίωνα
Ἄασεν ἐν μεγάρῳ μεγαθύμου Πειριθόοιο,
Ἐς Λαπίθας ἐλθόντ', ὁ δ' ἐπεὶ φρένας ἄασεν οἴνῳ
Μαινόμενος κάκ' ἔρεξε δόμον κάτα Πειριθόοιο.

Vinum te lædit dulce, quod & alios lædit, qui modum in bibendo non tenent. Vinum læsit Eurytionem inclytum centaurum in domo magnanimi Pirithoi ad Lapithas profectum, ille postquam vino animum perdidit furens in domo Pirithoi mala fecit. Quid mirum si vinum hominibus immoderate sumptum noceat, cum & bruta levi attactu vini concidant. Ælian. l. II. *Var.* κόρακες οἰνοῦτταν βοτάνην ὅταν φάγωσι, καὶ οἱ κύνες βακχεύονται, πίθηκος δὲ καὶ ἐλέφας, ἐὰν οἴνου πίωσι ὁ μὲν ἐλέφας τῆς ἀλκῆς ἐπιλανθάνεται, ἀλώπηξ τῆς πανουργίας, *Corvi œnuttam berbam ubi comederint, & canes furunt, simius & elephas vino poto, alter roboris, alter solertiæ obliviscitur.* Vinum loquaces facit. Plautus *Cistellaria* act. I. sc. II.

Quia sum onusta nunc mea ex sententia,
Quæque adeo me complevi flore Liberi,
Tacere nequeo misera quod tacito est mihi,

ait lena. Horatius *Carm.* lib. I. od. XVIII.

At ne quis modici transiliat munera Liberi
Centaurea monet cum Lapithis rixa super mero
Debellata, monet Sithoniis non levis Evius
Cum fas atque nefas exiguo fine libidinum
Discernunt avidi. Non ego te candide Bassareu
Invitum quatiam.

Non timere igitur Diogenes Cynicus vinum largius datum cum effudisset dixit, ἐὰν αὐτὸν ἐκπίω, οὐ μόνον αὐτὸς ἀπόλλυται, ἀλλὰ κ' ἀμὲ προσαπόλλυσι, *Si poculum hoc bibero, non solum ipsum perit, sed & me ipsum perdit.* Ovidius lib. IV. *Metamorph.* de Baccho,

Quacunque ingrederis clamor juvenilis, & una
Fœmineæ voces, impulsaque tympana palmis,
Concavaque æra sonant, longoque foramine buxus,
Quem circum tigres, simulacraque inania lyncum,
Pictarumque jacent fera corpora pantherarum.

Voluit hoc involucro significare homines ebrios in feras migrare. Romæ per initia fœminæ abstemiæ. Tertullianus *in Apologet.* Cum mulieres usque adeo vino abstinerent, ut matronam ob resignatos cellæ vinariæ loculos sui inedia necarint. Sub Romulo vero quæ vinum attigerat, impune a Menetio marito trucidata est. Idcirco & oscula propinquis offerre necessitas erat, ut spiritu indicarentur. Vinum corporis vires debilitare ostendit Hector lib. VI. *Iliad.*

Μή μοι οἶνον ἄειρε μελίφρονα πότνια μῆτερ,
Μή μ' ἀπογυιώσεις, μένεος δ' ἀλκῆς τε λάθωμαι.

Ne mihi vinum suave præbe, mater veneranda,
Ne me debilites, & obliviscar roboris ac impetus.

Apud Laertium Anacharsis ait, τὴν ἄμπελον τρεῖς φέρειν βότρυς, τὸν πρῶτον ἡδονῆς, τὸν δεύτερον μέθης, τὸν τρίτον ἀηδίας, *Vitem ferre tres uvas, primam voluptatis, alteram ebrietatis, tertiam fastidii.* Idem dixit mirari se quomodo Græci in principio convivii parvis poculis, in fine magnis se invitent. Rogatus an essent inter Scythas tibiæ, dixit non esse vites, quasi nemo ad tibicinem saltet, nisi ebrius. Modus in omnibus, maxime in vino, optimus. Theognis,

Ἄφρονος ἀνδρὸς ὁμῶς, καὶ σώφρονος οἶνος, ὅταν δὴ
Πίνεθ' ὑπὲρ τὸ μέτρον κοῦφον ἔθηκε νόον.
Ἐν πυρὶ μὲν χρυσόν τε καὶ ἄργυρον ἴδρυες ἄνδρες
Γιγνώσκουσ', ἀνδρὸς δ' οἶνος ἔδειξε νόον.
Καὶ μάλα περ πινυτοῦ.

Vinum, viri prudentis, & imprudentis animum levitate implet, si ultra modum bibatur. In igne aurum & argentum periti viri cognoscunt, vinum autem viri indicat mentem, etiam valde prudentis. De bibacibus Poeta,

Οἳ πίνουσι μόνον βατράχων τρόπον, οὐδὲν ἔδοντες.
Οἶνος καὶ φρονέοντας ἐς ἀφροσύνην ἀναβάλλει.

Qui ranarum instar nihil edentes bibunt.
Vinum ex sapiente facit insipientem.

Habet tamen vinum eam vim, ut ægritudines animi detergat, somnum conciliet, dolores sopiat. Homerus *Odyss.* ξ. ubi Ulysses dicit Eumolpo,

——— οἶνος γὰρ ἀνώγει
Ἠλεός, ὅς τ' ἐφέηκε πολύφρονά περ μάλ' ἀεῖσαι,
Καί θ' ἁπαλὸν γελάσαι, καί τ' ὀρχήσασθαι ἀνῆκεν,
Καί τι ἔπος προέηκεν, ὅπερ τ' ἄρρητον ἄμεινον.

——— *Vinum jubet*
Lene quod sapientem canere compellat,
Et tenerum ridere, & saltare,

Et dicere verbum aliquod utique quod melius non dici esset.

Quomodo vitis alios erigere, aut sustentare posset, quæ egeat erigente, alioqui humi serperet, cum egeat tibicine quo sustineatur. ἄμπελος πῶς ἢ τοίχους συνδήσειεν, ἢ κέραμον ἐνέγκαι, εἴγ᾽ οὐδ᾽ αὐτὴ πρὸς τὸ ἵστασθαι ἀρκεῖ, ἀλλὰ δεῖ πολλῆς ἐπικουρίας. ὥσπερ γὰρ οἱ μεθύοντες ἄλλων ἀνέχονται χερσί, κἂν ἀπολίπωσι οἱ βοηθοῦντες, οἱ δὲ κατέπεσον, οὕτω καὶ ἡ ἄμπελος δεῖται τῶν ὀρθωσόντων, κλίμακάς ὑποκεῖσθαι δεῖ καὶ χάρακας, διὰ γὰρ τοῦ ἑαυτῆς σχήματος δηλοῖ τὴν τοῦ ῥιπτοῦ φύσιν· ἃ γὰρ οἶνος ἐργάζεται τοὺς πίνοντας, ταῦτα αὐτὴ πέπονθεν ὑπὸ τῆς φύσεως. *Vitis quomodo vel parietes colligare, aut tegulam ferre queat, si ipsa per se stare, & erigi non potest, sed multo subsidio eget, ut enim ebrii aliorum manu sustentantur, & si auxilia abscedant ipsi in terram per se defluunt, ita & vitis eget erigentibus. Scalas, & vallos subjicere oportet: forma enim sua ostendit naturam viminis. Quæ enim vitis facit bibonibus, ipsa id ipsum a natura patitur.* Tamen Anacreon de se canebat,

> Ὅταν πίνω τὸν οἶνον εὕδουσι αἱ μέριμναι
> Τί μοι πόνων, τί μοι γόων, τί μοι μεριμνῶν,
> Θανεῖν με δεῖ κἂν μὴ θέλω.
> *Cum vinum bibo dormiunt curæ,*
> *Quo mihi labores? quo gemitus? quo mihi curæ?*
> *Mori me oportet licet nolim.*

Apud Athenæum οἶνος καὶ τοῖσιν ἑλκωθεῖσιν ὠφέλημα ἔχει. Dioscorides, οἱ παλαιοὶ οἶνοι πρὸς τὰ τραύματα καὶ φλεγμονὰς ἐπιτήδειοι σὺν ἐρίοις οἰσυπηροῖς ἐπιτιθέμενοι· καταντλοῦνται ὠφελίμως πρὸς τὰ θηριώδη ἕλκη. *Vina vetera ad vulnera, & inflammationes utilia cum lanis succidis & sordidis imposita. Hauriuntur utiliter adversus ulcera fera.* Unde & Pythia jussit Athenienses τιμᾶν διόνυσον ὑγιάτην, καὶ ἰατρόν. Apud Athenæum lib. II. Medici autem arbitrantur nulla re magis homines viribus, & ipso statu, ac proceritate minui, quam vino. Galli, olim cum zytho, & lacte uterentur valido corpore, & procero erant, Afri quia vino ab ineunte ætate usi, erant pusilli, hodie Afri quia zytho, aqua, lacte utuntur procero statu sunt, Galli quia vino, cottidie aliquid de statura dejiciunt. Vinum enim genitale semen in parentibus adurit, & exsiccat, nervos debilitat, ossa pueris aridiora efficit, quam ut crescant, & augeantur, tum quia austerius est, stomachum dulcium appetentem cum quo diu luctatur debilitat, & vix tandem in stomacho dulce evadit. Omnia enim acria, & austera potius medicamenti, quam alimenti loco habenda sunt. Ideo Romani melle vina emendabant. Horatius lib. II. sat. IV.

> *Aufidius forti miscebat mella Falerno*
> *Mendose, quoniam vacuis committere venis*
> *Nil nisi lene decet, leni præcordia mulso*
> *Prolueris melius.*

Livia Augusta annos LXXXII. quos vixit, vino Pucino tenui, & dulci retulit acceptos; alius apud Augustum mulso.

CAP. I.

DE VINO.

VIno ad excitandas vires si modice sumitur nihil opportunius est, ad furorem, & morbos, si præter modum, nihil potentius. Eratosthenes, οἶνος μὲν πυρὶ ἴσον ἔχει μένος, εὖτ᾽ ἂν ἐς ἄνδρας ἔλθῃ, κυμαίνει δ᾽ οἷα λίβυσσαν ἅλα βορρῆς, ἠὲ νότος, τὰ κεκρυμμένα πάντα φαίνει βυσσόθεν, ἐκ δ᾽ ἀνδρῶν πάντ᾽ ἐτίναξε νόον. *Vinum igni æqualem vim habet, quando in hominem venerit, agitat autem sicuti Boreas mare Libycum, aut notus, omnia occulta ostendit funditus, & hominibus mentem excutit.* Ideo quæ peccantur in vino oblivione sepelienda sunt. Plutarchus, τῷ διονύσῳ νάρθηκα, καὶ λήθην συγκαθιεροῦσι, ὡς μὴ δέον μνημονεύειν τῶν ἐν οἴνῳ πλημμεληθέντων, ἀλλὰ νουθεσίας παιδικῆς δεομένων. *Baccho virgulam, & oblivionem consecrant, quod meminisse eorum non oporteat, quæ in vino peccata sint, sed puerili verbere admonere.* Modus in vino tenendus est. Xenophon in *Symposio*, τὰ ἐν τῇ γῇ φυόμενα, ὅταν μὲν αὐτὰ ὁ θεὸς ἀθρόως ποτίζει, οὐ δύναται ὀρθοῦσθαι, οὐδὲ ταῖς αὔραις διαπνεῖσθαι, ὅταν ὅσῳ δεῖται τοσοῦτον πίνει, καὶ μάλα ὀρθά τε αὔξεται, καὶ θάλλοντα ἀφικνεῖται εἰς τὴν καρπογονίαν. *Quæ in terra nascuntur si nimio imbre potantur erigi, aut aura perflari nequeunt, si quantum satis est bibunt & erecta augentur, & florent, ut fructus edant.* Bacchus dicitur διθύραμβος, ait Phornutus, ὅτι οἶνος ποιεῖ τὸ στόμα δίθυρον, *quia vinum duas fores ori addit.* νυκτέλιος vocatur, quia aperit arcana, μόρυχος, quia μορύξαι, inquinare solet. Aqua autem vini vis compescenda est: ideo Bacchus a Nymphis lotus dicitur. Athenæus in *Fragmentis*, Græci τῷ μετὰ δεῖπνον κεκραμένῳ πρώτῳ προδιδομένῳ ποτηρίῳ Δία σωτῆρα προσλέγουσι, *cum post cœnam primum poculum aqua mixtum datur Jovem servatorem invocant*, quod convivio pluvia ingruente relicto cum rediissent, vinum imbre madidum innoxium experti sunt. Fœminæ vino abstineant. Romæ matrona quod loculos in quibus essent claves vinariæ cellæ resignavisset, a suis mori coacta est. Apud Val. Maximum lib. VI. Egnatius Metellus (aliis dicitur Menetius) uxorem quod vinum bibisset e dolio fuste interfecit, & a Romulo absolutus est. Plutarchus lib. *de Iside*, Sacerdotes Ægyptii vinum non bibunt, quia putant esse αἷμα γιγάντων πολεμησάντων θεοῖς, *Sanguinem gigantum, qui cum diis bellarunt.* Tum quia τὸ μεθύειν ἔκφρονας ποιεῖ, καὶ παραπλῆγας, *Ebrietas furiosos & lymphaticos facit.* Lacones in Ilotis discebant quam turpe sit vino madere, ἐν εἵλωσι μεθύειν καθεμάνθανον ὅσον αἰσχρόν. Vinum autem spiritus inanes addit, & animos præter rationem auget. Ideo Pausanias pag. 102. Lacones Bacchum ψίλαν, id est, *alatum*, vocare ait, quia ψίλα Dores πτερὰ dicunt. ἀνθρώπους δὲ οἶνος ἐπαίρει, καὶ κουφίζει τὴν γνώμην. *Hominibus vinum cornua addit, eos attollit, & animum levem facit.* Sed mediocriter sumptum juvat. Quare qui vini usum damnant, ipsi damnantur. Clemens l. II. cap. II. *Pædag.* Vino abstinent Encratitæ. S. Gregor. Nazianzen. οἶνος πάθους ἔγερσις ἐκλελοιπότος. ὕλη γὰρ εἰσρέουσα ῥώννυσι φλόγα. *Vinum excitatio est perturbationis deficientis. Materia enim influens, roborat flammam.* Zaleuci lex, Æger si vinum biberit sine jussu medici, licet convaluerit moriatur. Carthaginenses magistratus tempore a vino abstinent. Persæ adolescentes etiam natali die vino temperant. Cretenses, Lacedæmonii, Carthaginenses militibus interdicunt vino, ait Xenophon. In India mulier quæ temulentum Regem occidit successori nubit. Romani juvenes ante XXXV. annum vino abstinent, ait Ælianus lib. XIII. cap. XI. *Variæ*. Qui rebus sacris operantur vino abstinere debent. *Levit.* X Dixit Dominus ad Aaron, *Vinum & omne quod inebriare potest non bibes tu, & filii tui, quando intrabitis in tabernaculum testimonii, ne moriamini.* Item *Numer.* VI. *Vir sive mulier, cum votum fecerint ut sanctificarentur, & se voluerint Domino consecrare, a vino & omni eo quod inebriare potest se abstineant.* S. Epiphan. pag. 17. *Panar.* Severus hæreticus vitem ex eo serpente qui Evam deceperat esse natam ajebat. τὸ σκαλιωὸν, ἄμπελός ἐστι ὄφεως δίκην, λευκὴ ἄμπελος ὡς ὄφις, μέλαινα

ὡς

ὡς δράκων. εἶναι δὲ καὶ τὰς ῥάγας τῆς ἀμπέλου ὥσπερ ἰοῦ ῥαθάμιγγας, διὰ τὸ κυκλοειδὲς, τὸν δ' οἶνον θολοῦν τὸν νοῦν τοῦ ἀνθρωπότητος. *Vitis ut ſerpens inæqualis, & tortuoſa eſt, alba ut anguis, nigra ut draco. Acini ſunt quaſi veneni guttæ ob rotundam formam, vinum polluit hominis mentem.* Ideo Severiani abſtemii. Solonis lex apud Laertium, ebrium prætorem morte mulctari jubet. Pittacus temulentos ſi quid deliquiſſent bis mulctavit, & quia plus æquo biberant, & quia deliquerant. Apud S. Chryſoſtomum quemadmodum urbe capta omnia tumultu fremunt, ita & animus, ſi vino captus eſt, omnia tumultu implet. In fidibus eæ magis ſonoræ ſunt, quæ magis raſæ, minus ſonant pinguiores, ita & in hominibus abſtemii magis conſonant, pingues & luxu perditi ſemper diſſident. Sicuti autem febre ſedata, manet imbecillitas, & veſtigia febris, ita & ubi quis crapulam edormiit, capitis vertigo, & cruditas manet. Aſinus & canis nunquam plus juſto bibunt, ne aſino inferior eſto. Miſce aquam vino, quia, ut docet vetus Poeta,

> Αἱ νύμφαι τὸν βάκχον, ὅτ' ἐκ πυρὸς ἥλαθ' ὁ κοῦρος,
> Νίψαν ὑπὲρ τέφρης ἄρτι κυλιόμενον.
> Τοὔνεκα σὺν νύμφαις βρόμιος φίλος, ἢν δὲ νῦν εἴργῃς
> Μίσγεσθαι, δέξῃ πῦρ ἔτι καιόμενον.

Nymphæ Bacchum quando ex igne puer exſiliit laverunt ſuper cinere matris exuſtæ adhuc volutatum. Quare cum Nymphis Bromius gratus eſt, quod ſi eum aqua miſceri prohibeas, accipies ignem adhuc flagrantem. Non ita terræ vexantur nimia aqua, ut corpus nimio vino. Ebrius vivens mortuus eſt, quia domi foriſque inutilis, aſpectu gravis, geſtu ridiculus, dæmon eſt voluntarius, morbus veniam non habens, ait S. Chryſoſtomus *homil.* I. *ad populum Antioch.* Androcydes Alexandro dixit, ut eum ab ebrietate abduceret, vino parcendum, quia ſit ſanguis terræ, γῆς αἷμα εἶναι τὸν οἶνον. inepte. Neque enim vinum terræ ſanguis eſt, ſed ebrii ſæpe terram humano ſanguine imbuunt, quod Alexander ipſe fecit, Clyto amico interempto. Bene igitur Amphictyon, qui ὀρθοῦ διονύσου βωμὸν ἵδρυσε, *recti Dionyſii aram inſtituit*, in templo horarum, & primus aquam vino miſcuit. Pardales Bacchi nutrices vino efferatas fingunt, ut vinum furorem facere oſtendant. Venatores fontem notant unde pardales bibunt & obſtruunt. Vinum infundunt, & pardales ebrias capiunt ac vinculis ligant. Vinum οἶνον dictum volunt, ὅτι τῆς οἰήσεως τὸν νοῦν ἐμπίμπλα, Quia viſis fanaticis animum, & vanis opinionibus implet Apud Platonem primus crater ὑγιείας ſanitatis, ſecundus amoris ἔρωτος, tertius ὕπνου ſomni, quartus ὕβρεως contumeliæ, quintus βοῆς clamoris, ſextus κώμων comeſſationum, ſeptimus ὑπωπίων ictuum & contuſionum, octavus μανίας furoris. Ruminæ θύουσι γάλα, ſacrificant lac Romæ, ait Plutarchus, quia pueri abſtemii eſſe debent. Vinum, & vites auſpicati aliquid habuiſſe putantur. Vinum album Taciti purpureum factum augurio imperii fuit. Maximini filius vites inſtituit quæ uvas purpureas tulere. Aſtyages ex utero filiæ ſomniavit exortam vitem, quæ totam Aſiam inumbraret. Vitis Beliſarii ante Libycam expeditionem vim racemorum immenſam produxit, vinum e prœlo ter exundavit, & toties lacum effecit, ait Procopius. Auguria erant imperii & victoriæ. Cum Pretejanes in Æthiopia rex creatur, vitis ſicca emittit pampinos, & uvas ipſa hyeme. In Arcadia fons eſt μισάμπελος odium vini afferens, velim eum eſſe in Germanis ut vinum oderint! Vinum intus calefacit, foris refrigerat. Primum poculum Gratiis, alterum Veneri, tertium ἄτῃ ſeu noxiæ ſacrum eſſe ajunt. Ageſilaus Rex convivii creatus ait Xenophon, ſi parum vini eſſet omnibus ex æquo admetiebatur. Si multum, quantum quiſque vellet, bibebat. Regius lyricen peccata ſua deflens potum ſuum cinere, & fletu miſcebat. An cinerem illum ex ſarmento eſſe putes, qui ex vino potus morſum canis ſanat, ut Conſtantin. docet in *Geoponic.* Philippus Macedo ſpongia Demoſtheni dictus eſt quia bibax, ut & Bonoſus Imperator Amphora ſuſpenſa. Tiberius Nero, Biberius Caldius Nero vocatus. Dionyſius Tyrannus ebrio maledico pepercit. Miles qui de Pyrrho inclementer dixerat, cauſam rogatus, plura, inquit, in te, & inclementiora dixiſſem, ſi plus vini fuiſſet. Areopagitæ popinones puniebant, idque merito, quia quod temporis reipublicæ impendendum fuit, luxui impenderent. Vinum autem novum refrigerat, vetus calefacit, nigrum virus, album urinam ciet, κιῤῥὸν, gilvum, πέψιν efficit, ut ſcribit Varro. Athenis erant οἰνόπται, ὀφθαλμοὶ, μνήμονες, qui obſervarent quæ inter vina fierent, punirentque. Romæ modimperator, dictator, Rex, qui modum bibendi diceret; de quo Horatius *Carm. lib.* II. od. VII.

> —— *quem Venus arbitrum*
> *Dicet bibendi.*

Idem ibidem *lib.* I. od. IV.

> *Nec regna vini ſortiere talis.*

Catullus,

> *Ut lex Poſthumiæ jubet magiſtræ.*

Olim dictum,

> *Aut bibat, aut abeat.*

In caput Empedoclis, quia bibere detrectabat, vinum fuſum eſt. Ille petulantes reos peregit. Domitius matremfamilias dote multavit, quia plus vini biberat, quam valetudinis cauſa. Quid faceret hodie, ubi fœminæ viros bibendo ſuperant. Cicutam bibebant in compotationibus ut cogerentur vinum largius obducere, aut oleum, ut vomerent. Vinum aliud erat protropum, quod ſponte flueret, aliud tortivum, apud Varronem. Maſſiliæ, Romæ, Mileti fœminæ vino abſtinent, juvenes ad annum uſque triceſimum, ait Ælianus in *Varia.* Elephas, ſimia, pardalis vino feritatem, & calliditatem ponunt. In Arcadia vites quædam reperiuntur, quæ fœminas fœcundas, viros rabioſos faciunt. Mula vino pota non calcitrat. In epulis poculum primum Mercurio, alterum Gratiis, tertium Jovi ſervatori poſitum ajunt Athenæus, & Euſtath. Alii ita definiunt, primum poculum Jovi Olympio, alterum Herculi, tertium Jovi σωτῆρι. In Azania Arcadiæ regione fons eſt, cujus aquam qui guſtaverit, ne vini quidem fert odorem. Clitorius fluvius odium vini parit. Ova noctuæ Baccho exoſa, quia infanti odium vini generant. Vina nova olim non guſtabant niſi hyeme exacta, menſe ἀνθεστηριῶνι, Majo, quem diem vocant ἀγαθοῦ δαίμονος, πιθοίγια, καὶ ηὔχοντο πρὶν ἢ πιεῖν ἀποσπένδοντες, ἀβλαβῆ καὶ σωτήριον αὐτοῖς τε φαρμάκου χρῆσιν γενέσθαι, *Boni dæmonis, & dolia aperta, vovebant priuſquam biberent libantes, ut vinum ipſis eſſet innoxium, ſalutare, loco medicamenti,* ait Plutarchus, quia putarent, πάντων δεινῶν μητρόπολιν εἶναι τὸν οἶνον, *Omnium malorum vinum metropolim eſſe*, apud Athenæum. Ideo apud Philoſtrat. *l.* III. *de Apollon.* τῷ βρέφει πρὶν γεύσασθαι οἴνου, Infanti antequam vinum guſtet, ovum noctuæ comedendum dabant, quia odium vini conciliat. Vetus verbum eſt, οἶνος οὐκ ἔχει πηδάλια. *Vinum gubernaculo caret.* ἀκροπόται, *bibaces* dicti, βατράχῳ οἰνοχοεῖς, *ranæ vinum affundis.* Vites quædam nobiles fuere. Vitis aurea in templo Solomonis, quia Deus populum ſuum vineam Sorec vocat. Vitis aurea Xerxis ſub qua Salaminium prœlium ſpectavit. De nimio vini potu Veteres,

μελέτη μανίας μέθη, meditatio furoris ebrietas. Nihilominus Athenis ἄγαλμα Διονύσου πλησίον Ἀθηνᾶς, quia vino prudentia augetur, simulacrum Dionysii proxime Minervam erat. Contra vetus Epigram.

Παλλάδος εἰμὶ φυτὸν, βρομίου τί μὴ θλίβετε κλῶνες;
Αἴρετε τὰς βότρυας, παρθένος οὐ μεθύω.

Palladis sum arbor, cum me premitis Bromii rami.
Auferte uvas, virgo cum sim, non inebrior.

Athenæus *l.* x. οἶνος γάλα Ἀφροδίτης, *vinum lac Veneris.* Darii sepulcro inscriptum, πολυπότης ὢν οὐκ ἠμεθύσατο. *Bibebat plurimum, & non inebriabatur.* Ad poeticam vinum facere putarunt. Athen. *l.* II Διονύσου τροφοὶ αἱ μοῦσαι. *Musæ Bacchi nutrices,* quia

Ennius ipse pater nunquam nisi potus ad arma
Prosiluit dicenda.

inquit Horatius *l.* I. epist. XIX. Venus Baccho infensa est. Plutarch. *in Romaic.* veneralium ἑορτὴν νήφοντες ἑορτάζουσι, καὶ πολὺν οἶνον ἐκχέουσι ἐκ τοῦ ἱεροῦ τῆς Ἀφροδίτης, *Festum veneralium abstemii celebrant, & multum vinum e templo Veneris effundunt,* quia vinum ad Venerem parum commodum, ut minimum aqua vinum temperetur. Athen. *l.* I. ἢ πέντε πίνειν, ἢ τρία, ἢ μὴ τέτταρα, *aut tribus aquæ partibus duas vini affunde, aut duabus aquæ unam vini, aut tribus aquæ ne unam vini.* Quod docti qui in Prytaneo dominantur faciunt. Vini medium optimum esse existimat Plutarch. *Sympos.* III. c. II. τοῦ μὲν οἴνου τὸ μέσον, τοῦ ἐλαίου τὸ ἐπιπόλῃ, τοῦ μέλιτος τὸ κάτω γίνεται βέλτιον. *Medium vini, summum olei, imum mellis optimum.* Ita tamen ut in vino Herculis Scyphus repudietur. Apud Athen. *l.* XI. Herculeus Scyphus quem in extrema mensa plenum ebibebant, quo epoto mortuus Alexander. Denique Plato audiendus *lib.* II. *de Legib.* τοὺς παῖδας μέχρις ἐτῶν ὀκτὼ, καὶ δέκα τὸ παράπαν οἴνου μὴ γεύεσθαι, διδάσκοντες ὡς οὐ χρὴ πῦρ ἐπὶ πῦρ ὀχετεύειν, εἰς τε τὸ σῶμα, καὶ τὴν ψυχὴν, πρὶν ἐπὶ τοὺς πόνους ἐγχειρεῖν. *Qui monet pueris abstinendum vino ante* XVIII. *annum, quia ignem igni addere nefas, ne omnia conflagrent, priusquam anima & corpus ad labores obduruerint.*

CAP. II.

DE VINO VETERANO.

Vina veterana fuere in pretio. Seneca *l.* IV. *Nat. quæst.* cap. ult. Quoniam non contenti vina fundere veterana, & per sapores ætatesque disponere. Apulejus *Milef.* II. Vinum vocat in ætate pretiosum. Seneca cap XVII. *lib. de vita Beata.* Cur apud te vinum ætate tua vetustius bibitur? *l.* 3. *ff. de legatis* 3. Dari volo lagynos vini vetusti CL. lagunam Veteres, lagœnam, λάγυνον Græci dixere. Vinum vetus amarum. Catullus, *Ingere mi calices amariores,* quia ex Seneca ep. LXIV. In vino nimis veteri ipsa nos amaritudo delectat. Ovidius *lib.* II. *Artis.*

Qui properant nova musta bibant, mihi fundat avitum
Consulibus priscis condita testa merum.

Lib. v. *Fastor.*

Quæque puer primis quondam diffuderit annis
Promit fumoso condita vina cado.

Statius *lib.* IV. *Sylva* VI.

Vinaque perpetuis ævo certantia fastis.

Lucanus *lib.* IV.

Nobilis ignoto diffusus consule Bacchus.

Lib. x.

—— merum non Mareotidos uvæ
Nobile, sed paucis senium cui contulit annis
Indomitum Meroe cogens spumare Falernum.

Vina ut ætatem ferrent in testis picatis, gypsatis asservabantur. Marcellus *de Medicam.* Operculo superposito & clauso, vel gypsato diligenter de argilla. Porphyrio ad *Oden* XXX. *lib.* I.

Græca quod ego ipse testa conditum levi,

dicit hoc vinum per semetipsum inveteratum. Levisse ergo se gypso. Columella *lib.* I. *R. R.* cap. VI. Vinum celerius fumo maturescit; sed, auctore Plinio *l.* XXV. c. I. insaluberrimum est. Statius *lib.* IV. *Sylv.* VIII.

Albanoque cadum sordentem promere fumo.

Plinius *lib.* XIV. c. XIV. Apothecas fuisse & diffundi vina solita anno DCXXXIII. Urbis apparet in consulatu Opimiani vini argumento. Deleo *in Consulatu* c. IV. *Luc.* Opimio consule cum Cajus Gracchus seditionibus plebem agitans interemtus, ea cœli temperies fulsit quam cocturam vocant, solis opere, natali Urbis DCXXXIV. durantque adhuc vina ducentis fere annis jam in speciem redacta mellis asperi. Etenim hæc natura vinis in vetustate est, nec potari per se queunt, si non pervincat aqua, usque in amaritudinem carie indomita. Ante Opimium diffundebantur, si auditur Juvenal. Sat. v.

Ipse capillato diffusum consule potat.

Martial *l.* I. epigr. XXVII.

Testa sedant qui felix siccatur Opimi,
Exerit & nigros Massica cella cados.

Plautus *Pœnolo,* act. IV. sc. II.

Ibi tu videas literatas fictiles epistolas,
Pice signatas: nomina insunt cubitum longis literis.

Petronius: Allatæ sunt amphoræ vitreæ diligenter gypsatæ, quarum in cervicibus Pittacia erant affixa cum hoc titulo, Falernum Opimianum annorum centum. Apothecas vini vocabant horrea. Horatius *lib.* IV. od. XII.

Nardi parvus onyx eliciet cadum,
Qui nunc Sulpitiis accubat horreis.

Vide Columell. *lib.* I. cap. IX. Amphoræ & testæ plerumque Samiæ, aut Cumanæ erant. Horatius *lib.* III. od. XIV.

Spartacum si qua potuit vagantem
Fallere testa.

Aliud autem erat vinum doliare, aliud defusum. Doliare novum in doliis ligneis, defusum ad vetustatem in testas, serias, amphoras, diotas defundebatur, & fumum bibebat. Idem *lib.* III. od. XXI.

O nata mecum consule Manlio,
—— Pia testa.
Quocunque lectum nomine Massicum
Servas,
Descende, Corvino jubente,
Promere languidiora vina.

Descendebant ex cellis superioribus cum fumum bibissent. Testæ pice oblinebantur intus, & ipsum foramen quod unicum in summo fuit pice obstringebatur. Horatius *Carm. lib.* III. od. VIII.

Corticem astrictum pice dimovebit
Amphoræ fumum bibere institutæ.

Terentianus Chremes in seipsum cruciante, omnia relevi dolia. Od. I. *lib.* I. Massicum vinum laudat Horatius:

Est qui nec veteris pocula Massici.

Imo & puteos fodiebant, & quadris lapidibus in imo quasi cortinam rotundam coagmentabant, quo vina defusa conderent, quæ labentibus annis corticem in summo durissimum ut securibus frangi oporteret. Asservabatur ibi vinum incorruptum, & mirificam vim tempore ac senectute contrahebat. Galenus apud Athen. *lib.* I. ἀπὸ πέντε καὶ εἴκοσιν ἐτῶν οἶνον συρρεντῖνον ἄρχεσθαι εἶναι πότιμον, ait *Surrentinum vinum non esse potabile nisi post* XXV. *annos. l.* I. *de Antidotis,* quia ante XX. annum est incoctum & crudum ὡς σχεδὸν πρὸ κ. ἐτῶν ἔτι ἐστὶν ἄπεπτος. Quod vinum ψαφαρὸν, indomitum, intractabile & asperum est, quare a Tiberio generosum acetum, a C. Cæsare nobilis vappa. Aliter dixit Persius sat. III.

Indomitum quod despumare Falernum.

ψαφαρὸν, id est, *friabile*, opponitur γλίσχρῳ, lento & glutinoso. Ita vinum Metaphorice dicitur σκληρὸν, *durum*. Archilochus vocat χαλίκρητον μέθυ, & χάλιν vinum. Hipponax ὀλίγα φρονοῦσιν οἱ χάλιν πεπωκότες, *parum sapiunt qui vinum bibunt*. χαλίκρατον μέθυ Athenienses vocant meracum, temetum ἄκρατον, vino temperatum, οἶνος κεκερασμένος, ἄκρατος in *Apocalypsi* Joannis. Vina fumosa vina fumo excocta & durata. Aristot. *l.* IV. *Meteor.* scribit in Arcadia vinum in utribus fumo ita exsiccari ut bibatur abrasum. Tibullus *l.* II.

Nunc mihi fumosos veteris proferte Falernos
Consulis, & Chio solvite vincla cado.

Cellæ vinariæ, & amphoræ ad hypocausti, seu vaporarii fumum proxime erant. Horatius od. XXVIII. *lib.* III.

—— prome reconditum,
Lyde strenua, Cæcubum.
Parcis deripere horreo
Cessantem Bibuli Consulis amphoram.

Ex Italicis vinis, Falernum a decimo anno potabile est, ait Athen. *lib.* I. usque ad vicesimum annum. Vetustius caput & nervos tentat, κεφαλαλγικὸς καὶ τῶν νεύρων καθάπτεται. Albani vini duo genera, ὁ μὲν γλυκάζων, ὁ δὲ ὀμφακίας. Utraque a XV. anno ἀκμάζουσι. Rheginum vinum Surrentino λιπαρώτερον, pinguius, & generosius. Privernas vinum λεπτομερέστερον Rhegino, ut & Formianum Privernate, λιπαρώτερον. Ibi lege de vino trifolino, setino quod levius est Falerno & minus ferit caput, Tiburtino, Lavicano, Angaurano, Prænestino, Cumano, Albano, Nitano, Vicentino, Cæcubo quod generosum est, & aliis. Horatius *l.* I. od. XX.

Cæcubum, & prælo domitam Caleno
Tu bibes uvam: mea nec Falernæ
Temperant vites, neque Formiani
Pocula colles.
Vile potabis modicis Sabinum
Cantharis: Græca quod ego ipse testa
Conditum levi.

Epist. XII. *lib.* I. Vinum Sabinum modici pretii fuisse ait. Sat. III. *l.* II. Vejentanumque rubellum. Athenæus *lib.* I. εὐγενὴς δὲ καὶ ὁ καίκουβος πληκτικός, εὔτονος ὁ καλῶος κοῦφος τοῦ φαλέρνου εὐστομαχώτερος. Ode XXXI. *l.* I. Horatius:

Premant Calena falce quibus dedit
Fortuna vitem.

Vina vetera percolari solita erant ut defæcarentur, Græci σακκίζειν, σακχελίζειν vocant. Plinius *l.* XIX. c. IV. Inveterari vina saccisque castrari. l. 21. *ff. de auro & arg. legato*, colum vinarium commemoratur. Lucillius apud Cicer. *l.* XII. *de Finib.*

Cui nil dempsit nix, & sacculus abstulerit nil.

Martial. *l.* XII. epigr. LXI.

Turbida sollicito transmittere Cæcuba sacco.

Sacco tamen debilitari & vapescere putabantur. Horatius Sat. IV. *l.* II. de vinis Massicis,

—— at illa
Integrum perdunt lino vitiata saporem.

Poetæ vinum χάλιν vocant quod solvat curas, λυσιμελῆ Bacchum. Apollonius πῖνε χαλίκρατον λαρὸν μέθυ, *bibe meracum dulce temetum*. Athen. *l.* I. τὸν οἶνον παλαιὸν παρέχειν ὕπνους ἀπαράχους, *vinum vetus præbere somnos placidos*. Dioscorides, τὸν νέον οἶνον δυσόνειρον, *vinum novum somnia molesta facere*. Vinum Chalybonium in Syria. οἶνος αὐτίτης Rhodi & in Gallia. Galeno ὁ αὐτοετίτης, hornus, ὁ ἐκ τοῦ ἐνεστῶτος ἔτους, aliis est, ὁ αὐτοῦ γεγενημένος vinum ibi natum, aliis ὁ ἀπαράχυτος, cui nihil aquæ infusum. ἁπαλὸς οἶνος ὑδαρὴς οὐκ οἰνώδης languidum, elumbe. Pollux οἶνος, πόμα, ποτὸν, vinum potus, vinum suave, ἡδὺς ἐπαγωγὸς, γλυκὺς, αὐστηρὸς, austerum, amarum, λειαυστηρὸς amarodulce, μελιηδὴς, mellitum, ἀνθοσμίας odoratum, Thasium, Chium, Aristeum optimum, Aristusium, Mendæum, Mendesium, Ismaricum, Lesbium, πεπάρηθος, Chalybonium, Pellæum, Pramneum, Maroneum, μαρωνείτης. Nondum enim Veteres vinum Italicum noverant accurate, quod nulli alii posthabuissent. Vinum σειραίραιος, Siseræum e musto coctum, ἐκ γλεύκους ἑψημένος, γλυκὺς, dulce. Murinum vinum unguento mixtum, μυρίνης μύρῳ κεκραμένος. Alii volunt esse melicratum seu œnomeli. ἕψημα οἶνος ἑψημένος εἰς γλυκύτητα quod ad dulcedinem coctum, πρόδρομος ὁ πρὶν ἀποθλίβεσθαι ἐκρυεὶς, vinum protropon prodromum non calcatum, quod sponte fluxit. ὁ δὲ φαῦλος οἶνος vinum malum, secundum, δευτερίας, ἐξεστηκὼς vapidum, ὑπόξοπίας subsestum, acetosum ὀξωνὴς, ὀξώδης, δευτερίας tortivum, τρυγηφανίας fæculentum. Sacias, σακτὸς ὁ ἠθηλισμένος, colatum, τρίμμα vinum cum aromatibus. Athenæus *l.* VI. Vinum cui farina admista, ἠλφιτωμένος. Vina Massica cœlo sereno totam noctem exponebantur ne nervis nocerent, quia colo lineo transmissa vires amittunt. Horatius Sat. IV. *l.* II.

Massica si cœlo supponas vina sereno
Nocturna si quid crassi est tenuabitur aura,
Et decedet odor nervis inimicus; at illa
Integrum perdunt lino vitiata saporem.
Surrentina vafer qui miscet fæce Falerna
Vina columbino limum bene colligit ovo.

Aliquid fæcis Falernæ immiscuisti vino Surrentino ut sit generosius, vis id defæcare, injicito columbinum ovum, trahet limum deorsum, & vinum erit generosius. Martial. *l.* XIII. epigr. CX.

Surrentina bibis? nec murrhina picta, nec aurum
Sume: dabunt calices hæc tibi vina suos.

Alii ovorum aliquot gallinarum albumina in dolium mittunt, & baculo movent, vinum defæcatur. Tamen Horatius dixit, ibid.

Quatenus ima petit volvens aliena vitellus.

Vinum autem dicitur παλαιοῦσθαι *inveterari* cum diu asservatur, vocaturque κεχρονικὼς, vel cum vini veteris qualitatem fumo assequutum est. Galenus *l.* I. *de Antidotis*. παλαιοῦσθαι τὸ μεταβάλλειν ἑτοίμως εἰς τὴν τοιαύτην ποιότητα τῶν παλαιουμένων. ὁ περιφερόμενος λόγος. πάντα ἄλλα γηρᾷ τῷ χρόνῳ πλὴν οἴνου, *Omnia alia senescunt tempore, excepto vino.*

CAP. III.

DE MURRHINA POTIONE.

Murrhina genus est potionis quæ Græcis dicitur nectar, ait Festus. Hanc mulieres vocabant murcolam. Quidam murrhatum vinum, quod appellatum volunt ex uvæ genere murrhinæ nomine. Murrhata potione usi antiqui, nunc ædiles per supplicationes diis addunt ad pulvinaria. XII. Tabulis cautum ne murrhata mortuo indatur. Nonius tamen ait Murrhinam fuisse loram seu loream ex Varrone *lib. de vita pop. Rom.* Antiquæ mulieres majores natu bibebant loram aut sapam, aut defrutum, aut passum, quam murrhinam quidam Plautum appellare putant. Sapa dicitur mollaceum. Loram dicebant in vindemia cum expressissent acinis mustum, & folliculos in dolium conjecissent. Plinius *lib.* XIV. c. V. Lora fit maceratis aqua vinaceis. Pollux, ἦν δέ τις καὶ μυρίνης οἶνος μύρῳ κεκραμένος, *erat murines vinum unguento mixtum*. Athenæus *l.* XII. μύρῳ οἶνος μιγεὶς μυρίτης. Hesychius, μυῤῥίνην ᾗ ἐπεχεῖτο μύρον. Theophrastus *lib. de Colorib.* οἱ δὲ μύρα οἴνῳ ἐπιχέοντες. *Alii unguenta vino infundentes*, μύρον ἡδύνει τοὺς οἴνους, *Unguentum vina lenit*. Plinius *l.* XIII. cap. III. Quosdam unguen-

ta in potus addere. Glossæ, *μύρον* unguentum murrha vinum confectum ex baccis myrti, myrtites, myrteum, myrtinum, murtatum. Athenæus *l.* I. cap. XXIX. *μυρτίτης ἢ ὁ μυρρίνης οἶνος*, murrhina. Gloss. *μυῤῥίνη, μυρσίνη*, myrta. Suidas myrta *ὁ καρπὸς τῆς μυῤῥίνης*. Hesychius idem docet. Plinius *l.* XIV. c XIII. & c. XVI. Laudatissima apud priscos erant vina myrtæ odore condita. Plaut. in *Persa*, quamquam & in ea calamum addi jubet. Fabius Dorsenus, mittebam vinum pulchrum murrhinum, panem & polentam, vinum, murrhinam. Plautus *Pseudolo*, Murrhinam, passum, defrutum, mellinam. Aromatites fiebat e myrta, e nardo Celtica, calamo, aspalatho, offis in mustum aut dulce vinum defectis apud Plinium. Cato *lib. de R. R.* cap. CXXIV. Myrtam nigram arefacito in umbra, ubi jam erit passa servato ad vindemiam, in urna musti confundito myrtæ semodium, id oblinito. Ubi desiverit fervere mustum, myrtam eximito. Consule Plin. *lib.* XV. c. XIX. Columellam *l.* IV. c. VIII. *l.* XIII. cap. XXI. Docent Romæ myrrham crevisse, & ad defrutum aliquid myrrhæ additum Hesychius *ποτὸν ἐσκευασμένον* murrhinam. Aristoteles ait unguenta propter myrrham expetita. Plutarchus *de Isidis Theoph. lib. de odorib.* Ægyptium unguentum fieri ait ex cynnamomo & myrrha. Æoles *σμύρναν, μύῤῥαν, μύραν* vocarunt apud Athen. *l.* XII. Quia multa unguenta *διὰ σμύρνης ἐσκευάζετο, καὶ ἥγε στακτὴ καλουμένη* ex sola myrrha stacte. Unde *μεμυρισμένα ἐσμυρισμένα* unguento perfusa. Athæn. in *Fragmentis μυῤῥίζω* a myrrha. Athen. *l.* XV. c. XV. Stacte commoda potui, *ἐπιτήδειος πρὸς πότον*. Dioscorid. *l.* I. cap. LXII. Stacte pinguitudo est recentis myrrhæ ad potum maxime idonea. Psalm. XLIV. *Stacte & myrrha a vestimentis tuis.* Stacte est gutta seu lachryma liquidior & tenuior myrrhæ. Myrrhatum vinum quod Christo Domino datum est amarum fuit, murrha & thure conditum, ut sensum doloris adimeret. Galenus *lib.* I. *Simplic. Medicam.* c. XIX. Murrhina si largius bibatur aut dementat, aut necat. Apulejus *Milesi.* VIII. Multimodis se commulcat ictibus myrrhæ præsumptione munitus. *Miles.* X. Obfirmatur myrrhæ præsumptione nullis verberibus, ac ne ipsi quidem succubuit igni. Hieronymus ad cap. XXVII. *Matth.* Usque hodie Judæi dant Christo vinum murrhatum, ut eum consopiant. Dioscor. *l.* I. cap. XXXVIII. Myrrha facit soporem. Psalm. LIX. *Potasti nos vino κατανύξεως, alti soporis.* Vide doctissimum Gretserum *lib. de Cruce.*

CAP. IV.

DE NOTA VINI.

ASCribebant testis notam & titulum vini. Juvenalis Sat. V.

—— Cujus titulum patriamque senectus
Commendat multa veteris fuligine testæ.

Pittacion vocat Petronius in *Satyr.* Notam Horatius Sat. X. *l.* I.

Ut Chio nota si commista Falerni.

Ode III. *lib.* II.

Interiore nota Falerni
Te reclinatum bearis.

Unde Curius ad Ciceron. *l.* VII. *ad Famil.* Sulpicii successori nos de meliore nota commenda. In *Bruto* de Opimiano & Aniciano, quod sub Opimio & Anicio Coss. lectum est, atqui eæ notæ sunt optimæ. Horatius *l.* I. epist. V.

Vina bibes iterum Tauro diffusa.

Quia vina e doliis in cados & testas diffundebant ad vetustatem. Sat. II. *l.* II.

Et nisi mutatum nescit diffundere vinum.

Proculus *de Tritico, vino & oleo legatis*: Vinum in amphoras & cados hac mente diffundimus, ut in his sit donec usus causa comprobetur. In dolia conjicimus, ut ex his postea vel in amphoras & cados diffundamus, vel sine ipsis doliis veneat. Idem, qui vinum Surrentinum in urnalibus habebat diffusum. Dolia erant lignea, urnæ fictiles, literatæ, ut patria & annus sciretur. De dolio non hauriebant, ut biberent, sed quandam sequebantur ætatem, ait Cicero in *Bruto* Ambrosius bibones sui ævi arguit, *lib. de Elia* cap. XVII. Epulis assistunt pueri coma nitentes, ex gente barbarica ad hos usus electi per singularum distincti ætatum vices, cornu in medio vini plenum non epularis, sed prœliaris instrumentum buccinæ, primo minoribus poculis veluti velitari pugna præluditur, ut tragœdiarum actorum primo sensim vocem excitant, donec vino aperiant iter, ubi res calere cœpit poscunt majoribus poculis, ubi consummatæ fuerunt epulæ putes jam esse surgendum, tunc de integro potum instaurant suum, ac ne immoderatum hoc arbitreris, mensura proponitur, certatur sub judice, sub lege decernitur, agonothetes illic furor est, hic si quis calicem convertat urgetur ad potum.

CAP. V.

DE VARIIS VINI GENERIBUS.

VIrgilius *lib.* II. *Georg.*

Non eadem arboribus pendet vindemia nostris
Quam Methymnæo carpit de palmite Lesbos,
Sunt Thasiæ vites, sunt & Mareotides albæ,
Et passo psythia utilior, tenuisque lageos
Tentatura pedes olim, vincturaque linguam
Purpureæ, Pretiæque, & Rhætica.
Sunt & Amineæ vites firmissima vina
Argitisque minor, tumidis Bumaste racemis,
Et Rhodia.

Apud Athen. *lib.* I. *λεσβίου πόματος οὐκ ἔστιν ἄλλος οἶνος ἥδιον πίνειν. Nullum vinum Lesbio jucundius bibitur.* Ovidius:

Gargara quot messes, quot habet Methymna racemos.

Urbs Lesbi insulæ. Thasus insula maris Ægæi. Antiphanes, *οἶνος τε Θάσιος, καὶ μύρον, καὶ στέμματα.* Mareotides vineæ sunt in Libya Mareotide prope Ægyptum, ut Strabo *lib.* XVIII. Plautus in *Cassina*: Nisi hæc meraclo se uspiam percussit flore Libyco. Athen. *l.* I. De vino Mareotico, *οἶνος κάλλιστος, λευκός τε γὰρ, καὶ ἡδύς, εὔπνους, διαδόσιμος, λεπτός. Vinum pulcherrimum, album, suave, odorum, quod facile in venas d ditur, tenue.* Psythia ad vinum passum utilior est. Petitur a Græcis, ut Columella *l.* III. c. II. Plin. *l.* XIV. c. IX. Psythium, & melampsythium passi genera sunt. Lageos uva Græcanica tenuis & penetrabilis ut vult Servius. Preciæ dicuntur quasi præcoquæ, quia cito maturescunt, ut Columella *l.* III. c. II. Plinius *l.* XIV. c. II. & c. VI. Rheticam in Veronensi agro ponit. Sueton. in *August.* cap. LXXVII. Augustus maxime delectatus est Rhetico. Silius *lib.* VII.

Tmolus & Ambrosiis Arvisia pocula succis,
Ac Methymna ferax lacubus cessere Falernis.

Macrobius *l.* III *Saturn.* Aminei fuerunt ubi nunc Falernum est. Quint. Serenus, succus Amineæ vitis. Ausonius,

Solus qui Chium miscet, & Amineum.

Servius Amineum vinum sine minio & rubore. Galenus *l.* VI. *de locis, σταφυλὰς αὐστηρὰς ἀμιναίας.* Aetius interpretatur Amineas *τὰς στυφούσας* astringentes. Plinius *l.* XIV. cap. II. Principatus datur Aminæis propter firmitatem. Ovidius *de Ponto.*

Africa quot segetes, quot Tmolia terra racemos.

Isidorus *l.* XVII. cap V. Argitis Græcula vitis generis albi. Plinius *l.* XIV. cap. I. Bumasti tument mam.

marum modo. Sunt uvæ ollares de quibus Columella *l.* XII. c. XLIII. Arvisium nectar Virgilio vinum Chium. Plinius *l.* XIV.

Vina novum fundam calathis Arvisia nectar.

Ecloga V. Virgil. Mamertinum vinum in Sicilia dicitur Potalinus. Plin. *l.* XIII. c. VI. Mamertina vina circa Messanam in Sicilia genita. Ex iis Potulana ab auctore dicta. Vinum hoc dulce potu esse, ait Athenæus *l.* I. Chalybonium vinum ἐν δαμάσκῳ τῆς συρίας, ut Strabo, & Hesychius, nascitur in Syria. Male apud Suidam legitur χαλιδώνιος. Alexis θάσια & λέσβια vina vocat οἰνάελα. Eubulus ψύθιον ἄκρατον laudat. Mendæum vinum generosum, cui ἐνυρῶσι dii ipsi ut Nectari. Aristophanes in *Thesmophoriaʃ.* laudat vinum Thasium, μηλοσφαγῶσαι θάσιον οἴνου σαμνίον, οἱ δὲ θασίαν ἀνακυκλῶσι λιπαράμπυκα. Vocant vinum dilutum ἀπαλὸν, ὑδαρὲς, quod non est οἰνῶδες. Vina alba sunt ὀλιγοφόρα, multum aquæ habent a natura. καπνίας vitis genus est, cujus meminit Plinius. Aliud vinum est de quo Horatius *l.* III. od. VIII.

Amphoræ fumum bibere institutæ
Consule Tullo.

χίου κεράμιον Athen. *l.* I. Vas fictile vino Chio plenum. Chium vinum erat generosum, ut & Thasium. Dio Chrysost. τὸν οἰνόφλυγα ἓν θάσιον κατέπλησε. *Vino deditum unus vini Thasii haustus repleverit.* οἶνος μυρτίτης ἢ μυῤῥίνης, cui unguentum infusum, ut Hesychius. Myrtites Myrteum vinum μυρσινίτης. Apud S. Marcum, ὁ ἐσμυρνισμένος οἶνος est murrhatum vinum, non myrteum. Cnidium vinum non tantum e Cnido insula, sed & ex Ægypto dictum. Olympiodor in *l.* I. *Meteor.* Aristot. ἐν αἰγύπτῳ τῇ οὕτω θερμοτάτῃ ψυχρὸς οἶνος ὁ κνίδιος καλούμενος, διὰ τὴν ἀντιπερίστασιν. Maræoticum vinum ἀπὸ τῆς ἐν ἀλεξανδρείᾳ κρήνης μαρείας, καὶ τῆς παρ' αὐτὴν πόλεως ὁμωνύμου, dicitur Alexandriæ a fonte Mariæ & urbe prope hunc fontem sita, vel a Marone, ut Athenæus *l.* I. lego, ἐν ἀλεξανδρείᾳ, ἀπὸ τῆς κρήνης μαρείας. Urbs enim assita fonti Mariæ dicebatur Maria, non Alexandria, aut Alexandria sumitur pro territorio Alexandriæ.

CAP. VI.

DE MULSO.

MUlsum alica pretiosius fuit, maxime si e vino vetere fiat, ut Plin. *l.* XXII. c. XXIV. Pollio plurimis annis nihil præter mulsum edit, aut bibit, & vitam ultra centesimum annum produxit. Mulsum interdum fit ex aqua, & melle, μελίκρατον, *Mellina.* Martialis *l.* IV. epigr. XIII.

Tam bene rara suo miscentur cinnama nardo,
Massica Theseis tam bene vina favis.

Item *l.* XIII. epigr. CVIII.

Attica nectareum turbatis mella Falernum
Misceri debet hoc a Ganymede merum.

Plinius, Semper mulsum ex vetere vino utilissimum, facillimeque cum vino concorporatur, quod in dulci nunquam evenit. Horatius *l.* II. *Sat.* IV.

Aufidius forti miscebat mella Falerno,
Mendose.

Athenæo vinum alterum Falernum dulce est, unde fit mulsum optimum, alterum austerum, de quo Juvenal. *Sat.* XIII.

—— densissima ruga
Cogitur in frontem, velut acri ducta Falerno.

CAP. VII.
DE PASSO.

PAssum dictum quia ex uva passa cogitur Nonio. Passum nominabant si in vindemia uvam diutius coactam legerent, eamque a sole aduri passi essent. Percutitur uva siccior, & decoquitur, inde fit passum. Plin. *l.* XIV. c. I. A patientia nomen acinis dicitur passis. Palladius *Octob.* tit. XIX. Columella *l.* XII. c. XXXIX. Martialis *l.* XIII. ep. CVI.

Gnossia Minoæ genuit vindemia Cretæ
Hoc tibi quod mulsum pauperis esse solet.

Plin. *l.* XIV. c. IX. Passum e Cretico, Cilicium, & Africum. Fieri certum est ex uva, Græci sticham vocant, nos Apianam. fit item scirpulis in vite sole adustis, aut fervente oleo. Vide.

CAP. VIII.

DE MULSO EX DIOSCORIDE.

OΙνομελι διαφέρει τὸ ἐκ τοῦ παλαιοῦ οἴνου καὶ αὐστηροῦ, καὶ μέλιτος καλοῦ γινόμενον. ἧττον γὰρ πνευματοῖ, καὶ ταχέως παρίσταται. *Oenomeli, ex vetere vino & austero excellit, quia minus inflat & celeriter in usum venit.* Aqua mulsa easdem vires obtinet quas mulsum. Ut mulsum ad bonitatem proficeret mittebatur in ollas quæ clusini farris pulte imbutæ essent. Martial. *l.* XIII epigr. VIII.

Imbue plebejas Clusinis pultibus ollas,
Ut satur in vacuis dulcia mella bibas.

CAP. IX.

DE VINO ALBANO.

ATheneus *l.* I. γίνεται δὲ καὶ περὶ τὴν καμπανίας κύμην ἀλβανὸς ποτιμὸς, κοῦφος ἀπὸ ἐτῶν πέντε. Ad Campaniæ Cumam urbem vinum est Albanum potui commodum, & leve ab annis quinque. Plinius *l.* XXIII. c. I. Albana nervis utiliora. Virium plus Surrentino, austeritas Albano. Horatius *l.* II. *Sat.* VIII.

—— procedit fuscus hydaspes
Cæcuba vina ferens, Alcon, Chium maris expers,
Heic herus, Albanum, Mæcenas, sive Falernum
Te magis appositis delectat, habemus utrumque.

Martialis de Albano *l* XIII. epigr. CIX.

Hoc de Cæsareis mitis vindemia cellis
Misit, Iuleo quæ sibi monte placet.

Id est, Albano.

CAP. X.

DE SURRENTINO, FALERNO, ET ALIIS.

SVrrentinum tenue & salubre ait Plin. *l.* XIV. c. VI. Surrentum in Picentibus juxta mare Thyrrenum. Sinvessa Campaniæ maritima urbs, Falernus ager Campaniæ. Massicos montes a Falernis distinguit Plin. *l.* III. c. V. Martialis ibid. epigr. CXI.

De Sinvessanis venerunt Massica prælis.

Setinum vinum in Campania, quo cibos concoqui jubent. Plin. ibidem. Martialis ibid. epigr. CXII.

Pendula Pontinos quæ spectat Setia campos
Exigua vetulos misit ab urbe cados.

Athenæus *l.* I. c. XXIV. ὁ δὲ σετῖνος ἐμφερὴς τῷ φαλέρνῳ, οὐ πληκτικὸς, non ferit caput. Plinius Setino, Pucino, & Statano primas dat. Secundas Falerno, Faustino, Gaurano, seu Massico. Tertias Albano, Surrentino, Fundano, Caleno. Trifolinum Surrentino crassius est. Vide Athenæum *l.* I. Plinium *l.* XIV. c. VI. Martialem *l.* XIII. epigr. CX. CXI. & sequent. & Dioscoridem *l.* V. Anthosmiam Plutarchus *Sympos.* IV. vocat ἡμερίδην qui flores sapit. τὴν δὲ ἀνθοσμίαν ἀπωσάμενοι τουτονὶ καὶ ἡμερίδην ἀχρειότερον πίνομεν ἐκ πίθου κωνώπων χορῷ περιαδόμενον. *Respuimus lene & sapidum, ut ex dolio vinum durum & agreste quod culices circumsonant bibamus.*

CAP. XI.

DE VARIIS VINIS.

VIna generosa πολυφορώτατα vocant, quia plurimum aquæ ferant. Aquæ optimæ τ̃ οἶνον ὀλίγον φέρειν οἷαί εἰσι, *vinum minimum ferre possunt*, id est, minimo vino infuso recipiunt saporem. Quia optima aqua ἀποιότατός ἐστι. Vetera vina utiliter ad vulnera adhibentur, ait Dioscorides. Et ad ulcera crudelia. οἱ παλαιοὶ οἶνοι πρὸς τὰ τραύματα καὶ φλεγμονὰς ἐπιτήδειοι σὺν ἐρίοις οἰσυπηροῖς, cum lanis succidis admota ἐπιτιθέμενοι καταντλοῦνται ὠφελίμως πρὸς τὰ θηριώδη ἕλκη. Ideo Pythia vocat διονύσιον ὑγιατὴν apud Athen. *l.* II. & διονύσιον ἰατρόν. Eodem libro Staphylus ait Melampodem τ̃ τ̃ οἴνου κρᾶσιν πρῶτον εὑρεῖν, *vini temperamentum primum invenisse*. Alii Amphitruonem esse volunt, qui ante Iliaca tempora Athenis regnavit, ut Athenæus, qui Homerum varia vini temperamenta novisse scribit *l.* IV. Laudat Homerus vinum τὸ λεγόμενον ἱκανὴν κρᾶσιν, quod multam aquam ferre potest, ait Athen. *l.* I. Hippocrates vocat, οἰνώδη καὶ πολυφόροι οἶνον, quale est vinum vetus, de quo proverbium apud Galenum, πάντα τ' ἄλλα γηρᾷ τῷ χρόνῳ πλὴν οἴνου, *l.* I. *de Antidotis*, καλοῦσιν οἱ περὶ ταῦτα δεινοὶ παλαιοῦσθαι τὸ μεταβάλλειν ὀπίμως εἰς τὴν τοιαύτην ποιότητα τῶν παλαιουμένων. Qui vini periti sunt vinum ajunt veterascere cum induit saporem vini veteris. Vinum nigrum, ait ibidem Athenæus, multum alit & diu manet in corpore, μένει ἐν ταῖς ἕξεσι τ̃ πινόντων πλεῖστον χρόνον, καὶ πλείονα τῷ σώματι δίδωσι τροφήν. Athen. *l.* I. c. XXIII. Vinum vetus suave, salubre, coquit cibos, facile diditur per venas, & corpus, sanguinem rubrum generat, παλαιὸς οἶνος οὐ πρὸς ἡδονὴν μόνον, ἀλλὰ καὶ πρὸς ὑγίειαν προσηνέστερος. πέσσει γὰρ μᾶλλον τὰ σῖτα, καὶ λεπτομερὴς ὢν εὐανάδοτός ἐστι, δύναμιν δὲ τοῖς σώμασιν ἐμποιεῖ τό αἷμά τε ἐνερευθὲς καὶ εὔπνουν παρασκευάζει, καὶ τὰς ὕπνους ἀταραχεῖς παρέχει. Vinum suavius si aquam maris infuderis. ἡδὺν εἶναι τ̃ οἶνον παρεγχεομένης θαλάσσης. Apud Chios primum fuit vinum nigrum. Oenopion Bacchi filius primus docuit Chios vites instituere. λευκὸς καὶ ἀσθενὴς οἶνος λευκός. ὁ δὲ κιρρὸς πέπτει ῥᾷον ξηραντικώτερος, *vinum gilvum, & citrinum exsiccat non coquit cibos*. Mitylenæi vinum dulce vocant prodromum, alii protropon. In Icario insula est Pramneum, alii οἶνον πρὸς τ̃ προσμονὴν ἐπιτήδειον, omne vinum quod servari potest Pramneum vocitant. ἀνθοσμίας πέπων νεκταροσταγής, uva fragrans ex qua stillet in torculari nectar merum. Hermippus apud Athen. *l.* I. c. XXVII.

—— μαγνήτα δὲ μειλιχόδωρον,
Καὶ θάσιον τῷ δὴ μήλων ἐπιδέδρομεν ὀδμὴ,
Τοῦτον ἐγὼ κρίνω πολὺ πάντων εἶναι ἄριστον
Τῶν ἄλλων οἴνων μετ' ἀμύμονα χῖον ἄλυπον
Ἔστι δέ τις οἶνος ὃν δὴ σαπρίαν καλέουσι
Ὄζει ἴων, ὄζει δὲ ῥόδων, ὄζει δ' ὑακίνθου
Ὀσμὴ θεσπεσία.

Vinum Magnesium mellitum, & Thasium quod olet mala, quod meo animo cæteris antistat excepto Chio innocenti. Est autem quoddam vinum quod sapria, seu putre dicitur, cujus ex ore cum amphora est aperta spirant violæ & rosæ, hiacinthi divinus odor. Carystium vinum in Laconica. Hesychius ῥῖμμα ὁ ἀρωματίζων οἶνος vinum Pollium, aut Pollæum Syracusis. Pollux *l.* VI. c. II. γλυκὺς καὶ πολλαῖος ἐκ συρακουσῶν. Rhodium, & Samagoreum Athenæo *l.* I. ἑρπὶς vinum. Samagoreum, Samagonium, Samagiron Athenis, an quia ex Samo allatum? Athenæi *lib.* X.

CAP. XII.

DE VINI CRASI, SEU TEMPERAMENTO.

NUlla Græcis fuit certa vini κρᾶσις, & aquæ temperamentum, ut neque hodie nobis. Quosdam videas poculum implere aqua, & vini post aliquantum infundere, alios meracum bibere. Apud Aristophanem temperamentum optimum, cum duæ vini partes, aquæ tres. Hippocrates sæpe meminit τ̃ ἴσης ἴσῳ. Hermippus in θεοῖς,

Ἐπειδὰν ὅταν πινώμεθ' ἢ διψώμεθα
Εὐχόμεθ' πρὸς τ̃ θ' ὁ οἶνος ἀκέρας γένε.
Οὐκ ὁ καπηλικ' γω χέρω παίζων ἅμα
Κ' αὖθις γεγένηται τοῦτο πέντε καὶ δύω.

Deinde cum bibimus, aut sitimus, precamur nobis benignum, & bene temperamentum esto, quod de caupona & propola ludens fero, & rursum factum hoc est, quinque & duo. id est, quinque vini, duo aquæ. Anacreon, τὰ μὲν δύ' ἐγχέας ὕδατος, τὰ πέντε δ' οἴνου, κυάθοις ὡς αὖ ὑβριστιῶσαν φρενὰ δώσας βασσαρήσω. *Duas aquæ partes infundens, quinque vini, ut cum luxuriantem animum cyathis rigavero furere incipiam.* Diocles, πῶς δὲ κεκραμένον πίνειν τ̃ οἶνον δεῖ με, τὰ τέτταρα καὶ δύω. *Quomodo temperatum bibam? quatuor aquæ, vini duo.* Hesychius, τὸ πάλαι ἐκίρνατο τρία ὕδατος, τὸ δὲ τέταρτον οἴνου. Multi fuere abstemii, Glauco Atheniensium tyrannus ὑδροπότης, Julius Cæsar quem Cato dixit unum ex omnibus ad evertendam Rempub. sobrium accessisse. Theodorus Larissæus ὑδροπότης. Omnes Iberi aquam bibunt, vide Athenæum *l.* II. c. V.

CAP. XIII.

DE USU AQUÆ CALIDÆ ET GELIDÆ.

VEteres aqua gelida & calida in conviviis usos, & thermopolia habuisse ubi aquam in miliariis vasis excalefacerent vulgo notum est. Vide Lipsium & Mercurialem. Juvenalis Sat. V.

Quando vocatus adest gelidæ calidæque minister.

Martialis *l.* VIII. ep. LXVII.

Caldam poscis aquam, sed nondum frigida venit.

Idem *l.* XIV. ep. CV.

Frigida non desit non deerit calda petenti.

Plautus in *Trinummo*,

—— *Satin' in thermopolio*
Condalium es oblitus, postquam thermopotasti gutturem.

Vino miscebant aquam calidam. Martial. *l.* I. ep. XII.

Jam defecisset portantes calda ministros,
Si non potares, Sextiliane, merum.

Plautus in *Milite*,

—— *absorbui*
Nam nimis calebat, amburebat gutturem.

Philo *de vita Theoretica*, οἶνος ἐν ἐκείναις τ̃ ἡμέραις οὐκ εἰσκομίζεται, ἀλλὰ διαυγέστατον ὕδωρ, ψυχρὸν μὲν τοῖς πολλοῖς, θερμὸν δὲ τ̃ πρεσβυτέρων τοῖς ἁβροδιαίτοις, *Per illos dies vinum non infertur, sed aqua limpidissima multis frigida, senibus delicatis calida.* Unde sequitur calidam fuisse in deliciis. Plin. *l.* XIX. c. IV. Hi nives, illi glaciem potant, pœnasque montium in gulæ voluptatem vertunt, servatur algor æstibus, excogitaturque ut alienis mensibus nix algeat. Itali ut gelu perennet in æstatem, fontis aquam hieme in locum cavum deducunt, ubi glacie concrescat, rumpunt securibus glaciem, eamque in turrim profundam substrata palea stipant, turrim implent, glaciem palea tegunt. Vide Plin. *l.* XXXI. c. III. Pacatus in *Panegyrico Theodos.* Nisi æstivam in gemmis capacibus glaciem Falerna fregissent. Vide Macrob. *libr.* VII. cap. XII. Plin. *libr.* I. ep. XV. Alica cum mulso & nive parata. Gellius *lib.* X. cap. V. Is nos

aquam multam ex diluta nive bibentes coercebat. Omnino aqua nivata, aut soluta glacies in potu noxia est. Vide Senecam epist. LXXVIII. *de Providentia* c. III. *l.* II. *de Ira* c. XXV. Martial. *l.* VI. epig. LXXXVI.

Setinum, dominæque nives, densique trientes.

Idem *l.* XIV. ep. CXVII.

Non potare nivem, sed aquam potare rigentem
De nive, commenta est ingeniosa sitis.

Apud Petronium aquam nivatam pueri Alexandrini in manus infundunt. Seneca *l.* IV. *Quæst. Natur.* c. ult. Invenimus quomodo stiparemus nivem, ut ea æstatem evinceret, & contra anni fervorem defenderetur loci frigore. Nives colabantur sacco nivario. Martialis *l.* XIV. ep. CIV.

Attenuare nives norunt & lintea nostra,
Frigidior colo non salit unda tuo.

CAP. XIV.

DE POTU VETERUM, ET MODO BIBENDI.

VAriis mensuris Veteres potarunt sextante, deunce, triente. Sextante moderati ac sobrii, deunce bibaces. Apud Suetonium Augustus sextante bibit, cumque sexies tantum in conviviis publicis ori admovit. Martial. *l.* XII. epigr. XXVIII.

Sextantem poto, tu potas, Cinna, deuncem,
Et quereris quod non Cinna, bibamus idem.

Idem *de Lusco Phryge l.* VI. epigr. LXXVIII.

Misceri sibi protinus deunces,
Sed crebros jubet.

Deunces fuere bibonum. Triens erat IV. plus minus unciarum aut V. quo usi vulgo viri frugi. Propertius,

Quum fuerit multis exacta trientibus hora.

Persius Sat. III.

Sed tremor inter vina subit calidumque trientem.

Triens sexta pars sextarii. Vulgo sextarium in cœna viri etiam frugi bibebant. Aliis sextarius toto die suffecit. Interdum pluscuIum se invitabat Martialis *l.* XI. epigr. XXXVII.

Quincunces & sex cyathos, bessemque bibamus.

In conviviis publicis initio minutis poculis bibebant, in fine majoribus, ut Alexander Trallianus *l.* I. *Problemat.* Ut sensim stomachus corroboretur vino ferendo. Apulejus IV. *Florido.* Sapientis viri super mensam celebre dictum est, prima, inquit, cratera ad sitim pertinet, secunda ad hilaritatem, tertia ad voluptatem, quarta ad insaniam. Sæpe bibebant Dei alicujus nomine invocato. Pindarus Ode VI. *Isthmion*,

Εἴη δὲ τρίτον σωτῆρι πρασαίνοντας ὀλυμπίῳ.
Contingat tertium Servatori propinantes olympio.

Diis secundis bibere tum dicebant. Virgil. *Georg.* II.

Non ego te mensis & diis accepta secundis
Transierim Rhodia.

Ultimum poculum Mercurio dicatum supra ostendimus. Homerus *l.* VII. *Odyss.*

Σπένδοντας δεπάεσσι εὐσκόπῳ ἀργειφόντῃ,
Ὧι πυμάτῳ σπένδεσκον. vel *οἱ.*

Libantes poculis Mercurio speculatori, cui ultimo libabant. Corippus *l.* III. *Justin.*

Postquam divinæ sumpsere novissima cœnæ
Pocula, & excelsæ siluerunt gaudia mensæ.

In fine convivii discedentes se invicem salutabant, narrante Dione in *Commodo*. Dici solitum *vivas*. *ζήσειας.* Apulejus *Miles.* X. Grandissimum illum calicem uno haustu perhausit, & clamor exsurgit consona voce cunctorum salute me prosequentium, acclamabant enim cum quis vægrande poculum uno haustu siccasset. Hesiodus tres aquæ partes, unam vini affundendam putat,

Τρὶς ὕδατος προχέειν, τὸ δ' ἕτερον ἱέμεν οἴνου.

Horatius *l.* III. od. XXI. Vina diluta languidiora vocat. Festus, vinum spurcum cui aqua admixta, & quod sacris adhiberi non licet. Vinum quando primum aqua mistum sit indicat Athen. *l.* XI. Idem *l.* X. *ἢ πέντε πίνειν, ἢ μὴ τέτταρα, ad duo pocula vini quinque aquæ miscenda*, aut tria pocula aquæ ad unum vini, sed non IV. aquæ pocula ad unum vini. Apud Suidam cum aliquis *ἀμυστὶ* biberet acclamabant, vivas. *τοῦτο δὴ ἐν συμποσίοις εἰωθὸς λέγεσθαι ἐκβοῶσαν. ζήσειας.* Vide Suidam in *προπίνειν. σκυθικὴ πόσις ἀκρατοποσία, ἐπισκυθίσαι* Laconibus. Hesychius, *ἄρα οἴσει τρία ἐπὶ οἴνου ἐλέγετο, ἐπεὶ τὸ πάλαι ἐκίρνατο τρία ὕδατος λαμβάνων, τὸ δὲ τέταρτον οἴνου.* Ebrietatis remedia vocant *μέθης φάρμακα, ἀμεθύστης συνθέσεις.* Cato *de Re Rustica* cap. CLVI. *Si* voles in convivio multum bibere, cœnareque libenter, ante cœnam esto brassicam crudam quantum voles ex aceto. Et item ubi cœnaveris comesto aliqua quinque folia. Reddent te quasi nihil ederis, biberisque. *ἐκποτίζειν* est lente, & cum fastidio bibere quasi pitissando. Hesychius, *τελὰς στησιχόρου, ἔθος ἦν περὶ πότον ᾄδεσθαι, ὡς καὶ τὰ ὁμήρου.* Hic liber modum in conviviis bibendi præscripsit. Ter bibebant ob tres Gratias, aut novies ob Musas. Ausonius,

Ter bibe, vel toties ternos, sic mystica lex est,
Vel tria potanti, vel ter tria multiplicanti.

Ideo modimperator dicitur *μυστοπόλος τελάδος l.* IV. *Anthol.* c. XXXIV. epig. IV. Et *ἀρχιερεὺς τελάδος ibid.* Inscript. vet. *Ἀπολλοδώρου ἱερέως τῶν χαρίτων [illegible] ... αὐλῇ, τῷ αὐτοκράτορι καίσαρι θεῷ σεβαστῷ θεῷ υἱῷ.* Omnino Apollodorus ille non fuit modimperator, sed Sacerdos Gratiarum. Horatius *l.* III. od. XIX.

—— tribus aut novem
Miscentur cyathis pocula commodis.

CAP. XV.

DE VINI HAUSTIBUS, SEU CRATERIBUS.

IN haustibus vini quos Crateras vocant, Veteres non consentiunt. Apud Pollucem primus Crater est Jovis Olympii, secundus est Heroum, tertius *Jovis servatoris perfecti*, *διὸς σωτῆρος τελείου.* Diodorus Sicul. *l.* IV. Inter epulas, inquit, quum merum affertur, dicunt *ἀγαθοῦ δαίμονος*: post cœnam quum datur mixtum aqua *κεκραμένος ὕδατι* exclamant Jovis servatoris, *τὸν γὰρ ἄκρατον μαινώδεις ἀποτελεῖν*, quia meracum in furorem agit. Æschylus,

Λοιβὰς διὸς μὲν πρῶτον ὡραίου γάμου
Ηρας τε, τὴν δεύτεραν τε κρᾶσιν ἥρωσι νέμω.
Εἶτα τρίτην διὸς σωτῆρος εὐκταίαν λίβα.

Libationes primum quidem tempestivis nuptiis Jovis, & Junonis, secundum temperamentum Heroibus tribuo. Tertium votivam libationem Jovis servatoris. Eustathius p. 1471. *ἀγαθὸς δαίμων ἐλέγετο ᾧ μετ' ἄρσιν τραπεζῶν ἔπινον, Bonus dæmon, cui sublatis mensis propinabant.* Unde & dicitur boni dæmonis *ποτήριον poculum.* *τῷ δὲ μετὰ δεῖπνον κράματι Ζεὺς σωτὴρ ἐπιφωνεῖτο, Post cœnam temperamento vel potioni Jupiter servator invocabatur.* Pap. 1816. *ἀγαθοῦ δαίμονος, τουτέστι ἀγαθῆς τύχης, Boni dæmonis, hoc est, bonæ fortunæ.* Igitur non convenit inter Veteres de tertio poculo post cœnam. Quidam enim illud bono dæmoni, alii Jovis servatori, nonnulli Mercurio tribuunt. Pollux *l.* VI. c. XVI. *πρῶτος κρατὴρ διὸς σωτῆρος, ἀγαθοῦ δαίμονος ὁ μετὰ τὰς τραπέζας ἀκράτος. ἑρμῆς ἡ τελευταία πόσις, ὅθεν ὅμηρος, τῷ πυμάτῳ σπένδεσκον. Primus Crater est Jovis servatoris, at vinum merum quod bibitur sublatis mensis dicitur boni Dæmonis, ultima potio dicitur Mercurius.* Quare Homerus dicit, ultimo libabant. Varia au[tem] vini genera fuere. Vinum myrto, myrrha, id

unguento e myrto, myrrha, & aliis rebus mixtum, *μυρτίτης οἶνος*, *μυῤῥίνης*, *μυρσινίτης*, apud Hesychium, Dioscoridem, Athenæum *l.* I. Dioscorides *l.* V. c. XXXIV. De vino Rhœte ex punico malo quæ dicitur *ῥοία*, vulgo legitur *ῥοίτης*, malim *ῥοιήτης*, *ῥοδίτης*, *οἰνανθινος οἶνος*, *σχίνινος*, *τερεμίνθινος*, *φοινικίτης*. Vide condituram ejus ibidem. Hesychius, *τάργανον πόμα ἐκ στεμφύλων. οἶνος τεταργανωμένος*. Vinum aqua mixtum dicitur *πηλὸς*, unde *κάπηλος*. Athenæus *l.* IX. Ne, inquit, ex Oeneo patre Tydei feceris Peleum. Id est, ne vinum a qua misceas. Anthosmias describitur a Xenophane *μείλιχος ἐν κεράμοις ἄνθεος ὀσδόμενος*, *Suavis in fictilibus flores sapit*. Olim aquam cyatho prius infundebant quam vinum adderent. Xenophanes.

Οὐδέκεν ἐν κύλικι πρότερον κεράσειε τις οἶνον
Ἐγχέας, ἀλλ' ὕδωρ καὶ καθύπερθε μέθυ.

Ne quis prius in calicem infundat vinum, sed aquam cui superinfundat vinum. Anacreon, *φέρ' ὕδωρ, φέρ' οἶνον, ὦ παῖ fer aquam, fer vinum puer*. Hesiodus jubet tres partes aquæ, unam vini poni, sed aqua sit limpida ex fonte jugi, & fluente.

Κρήνης τ' ἀενάου, καὶ ἀποῤῥύτου, ἥτ' ἀθόλωτος
Τρεῖς ὕδατος προχέειν, τὸ δὲ τέτρατον ἱέμεν οἴνου.

In Athenæi *Fragmento* Cretibus *ἀναφαία ἡ θερμοπότις*.

CAP. XVI.

DE MODO BIBENDI.

QUod Latini dixerunt a summo, Græci dicunt *κύκλῳ πίνειν*, *in circulum bibere*, quum ordine omnes a summo ad imum bibunt. Eustathius pag. 1525. *κύκλῳ πίνειν*, vide Athenæum *l.* X. *τὰς ἀρύσεις τὰς ἀπνευστὶ πόσεις* interpretatur. Lucianus in *Lexiphane* dixit, *ἐπίνομεν δ' ἀμυστὶ, καὶ ἤδη ἀκροθώρακες ἦμεν, εἶτα ἐχρώμεθα κακχαρίδι*. *Bibimus haustim sine respiratione, & jam sumus semimadidi. Deinde uncti sumus caccharide*. Bacchus dicitur Mitrophorus, ait Diodorus *l.* IV. quia *πρὸς τὰς ἐκ τοῦ πλεονάζοντος οἴνου κεφαλαλγίας τοῖς πίνουσι γινομένας διαδεῖσθαι αὐτὸν μίτρῃ τὴν κεφαλὴν*, *Ad probibendum capitis dolorem ex nimio vino mitra caput religabat, unde natum regum diadema*. Græco more majoribus poculis bibitur, ut Cicero *l.* III. *in Verrem*. Idem *l.* IX. *ad Famil.* Promulsidis meminit. Non eum quem tu es solitus promulside conficere. Polybius pag. 203. scribit eos, qui de die bibunt, ebrios ut plurimum esse, *ὁ δὲ γαίος ἀνεπαύετο μεθύων ὡς εἰκός ἐστι τοὺς ἀφ' ἡμέρας πίνοντας*. Moderati viri tribus potionibus contenti erant. Plinius *l.* XXVIII. c. VI. Democritus scripsit librum quaternos cyathos non esse potandos. Petronius, tribus potionibus ex lege siccatis Synodo Nannetensi can. IV. Tres tantum cyathi potandi. Sueton. de Augusto, Non amplius ter bibere eum solitum super cœnam in castris apud Mutinam Cornelius Nepos tradit. Postea, quoties largissime se invitaret senos sextantes non excessit, aut si excessisset, rejiciebat. Athenæus *l.* V. scribit Amphictyonem ostendisse *κρᾶσιν οἴνου καὶ ὕδατος*, unde posuit *ὀρθοῦ διονύσου ἄγαλμα*, *recti Dionysii simulacrum*. Volunt eum morem forte natum, cum sub dio potantes merum biberent, repente pluvia orta in specum refugerunt, deinde regressi pocula vino & aqua pluvia mixta suaviora experti sunt. Ideo & Bacchum ut natus est a Nymphis lotum vult Callimachus, ut Athenæus in *Fragmentis*.

CAP. XVII.

DE MEDIOCRI POTU

VEteres ter bibisse diximus in cœna. Sextarius vini mensura fuit, quæ sobrio in cœnam sufficeret. Horatius Sat. I. *l.* II.

Panis ematur, olus, vini sextarius.

Vopiscus de Tacito, fuit vita parcissimus, ita ut sextarium vini tota die nunquam potaverit. Sextarius XII. cyathos habuit, id est, senos sextantes. In sextante duo cyathi fuere. Hemina sex cyathi. Pollux *l.* VI. c. II. *ἐπῄνουν οἶνον τὸν τρία φέροντα, τὸ διπλοῦν τοῦ ὕδατος*. *Vinum commendabant, in quo una vini, duæ essent aquæ partes ὅτῳ μὲν ὁ οἶνος ἀρύεται, ἀρυστὴρ, ἀρύστιχος, quo vinum hauritur urceus haustorius, haustrum*, *ἔφηβος, οἰνήρυσις, κοτύλη, λεπαστὴ, οἰνοχόη*, cantharus, *κύαθος. ὅτῳ διηθεῖται*, quo collatur fiscella, *ὑλιστὴρ, καὶ τρύγοιπος* saccus. *σίφων ὅτῳ ἐγχέοντο*.

CAP. XVIII.

DE BIBENDO.

VIta hominis non minus potu quam cibo sustentatur. Sed uterque sit moderatus. Eustathius, *κρᾶσις οἴνου λεγομένη τρία ποιεῖται ἐν οἴνου, καὶ δύο ὕδατος. κρᾶσις πέντε δύο οἴνου καὶ τρία ὕδατος. ἡ δὲ τέσσαρα ἡ καὶ ἴσον λεγομένη, καὶ ὑδαρᾶς*. *Prima mixtio fit ex uno vini duobus aquæ, altera ex duobus vini tribus aquæ, tertia ex duabus vini duabus aquæ*. *πάλαι ἐχρῶντο κέρατι ἀντὶ προχοῦ, ὅθεν κεράσαι*. *Cornu olim usi pro gutto, unde vox κεράσαι*. Herculis Scyphus capacissimus, Q. Curtius *l.* X. Nondum Herculis Scypho epoto Alexander ingemuit quasi telo confixus. Capitolinus in *Gordianis*, Fuit vini cupidior, semper tamen undecunque conditi, nunc rosa, nunc mastiche, nunc absynthio, cæterisque rebus quibus gula maxime delectatur. Apud Lampridium in *Heliogabalo*, Masticatum, pulejatum, rosatum sunt potiones, non ut vult Causaubonus, pocula, & vasa *μαστιχίτης, ῥοδίτης, γληχωνίτης*. Solinus, ex his pocula conficiunt, id est, potiones, *προπόματα*. Trallianus. *l.* XI. *τῶν δὲ προπομάτων ἄριστον ἐστι τὸ κυδώνιτον, καὶ τὸ ἀπιάτον, καὶ τὸ ἀνισάτον, ἢ λιβυστικάτον, ἢ μαστιχάτον, ἢ κιτράτον*. Heliogabalus condito piscinas & folia temperavit, & rosato, atque absynthiato vulgus ad bibendum invitavit. Græci *ἀψινθίτην*. Olim unguenta vino admiscebantur. Ælianus *l.* XII. *Variæ* c XXXI. *μύρῳ οἶνον μιγνῦντες οὕτως ἔπινον*. *οἶνος μυῤῥινίτης* murrhina potio. Hesychius *μυῤῥίνην* vocat vinum cui unguentum infusum. Vinum murrhatum in Judæis myrrha conditum, quod cruciariis doloris sensum adimebat. Conditum pene idem ac mulsum. Cælius Aurelian. *l.* V. c. IV. Tardarum pas. Diocles probat conditum bibendum quod plærique Latini mulsum vocant. Differunt tria hæc, conditum, melilites, & mulsum, seu œnomeli. Vide Aetium *l.* III. & Nicolaum Myreps. Sect. XVII. Vinum vetustate edentulum dixit Plautus in *Pœnolo*. Posidippus meminit vini *μυρτίτου*. Vinum *ὑδαρὲς* est lora, vinum *κεκραμένον* est generosum, sed aqua mixtum. Athenæus *l.* X. *τὸν οἶνον ὑδαρῆ πωλούντων τῶν καπήλων ἐν τῷ στρατοπέδῳ, κεκραμένον ὁ λύσανδρος ἐκέλευσεν αὐτὸν πωλεῖν, ἵν αὐτὸν ἀκρατέστερον ὠνοῖντο*. Vinum cui aliquid *σιτῶδες* admiscetur generosius est, ideo *ἠλφιτωμένος οἶνος*, farina hordeacea vinum aspersum. *πολλοὶ ἀπαλφιτίζοντες τὸν οἶνον ἔπινον*. Quidam farinæ loco vinum vitello ovi aspergebant. *τινὰς τοῖς οἴνοις ἐφιπάττοντας λέκιθον*. *κυκλεῖν θίασον*, est in orbem per singulos convivas poculum ducere. Fœminis Romæ vini potus interdictus,

A dictus, passum bibere. Ut Gell. *l.* x. c. xxiv. Glossæ passum, σαφιδίτης, non σαφυλίτης, sed σαφίτης. Passum fit ἐκ τῆς ἀσαφίδος, ait Athenæus *lib.* x. καὶ ἔστι παραπλήσιος πινόμενος αἰγισθενείῳ γλυκεῖ, καὶ τῷ κρητικῷ, οὗ ἔχει οἴνου κυρίαν ἡ γυνή. Id est, ἐξουσίαν. Mulier Zopyra vocata est οἰνηρὸν ἀγγεῖον. Alii potores dicti Cotylæ, Chonæ, Choes. Ælianus *lib.* III. *Var.* ostendit Veteres non tantum bibisse vinum, sed etiam eo se unxisse. οὐ μόνον εἰς πόμα καταχρῶνται οἴνῳ, ἀλλὰ καὶ χρίσματα ἐστιν αὐτοῖς ὁ οἶνος, ὥσπερ ἄλλοις τὸ ἔλαιον. οἶνος ἀρκεσίγυιος, firmans membra vinum. Isidorus *l.* xx. cap. III. Conditum quod non sit simplex, sed commixtione pigmentorum B compositum. Mulsum melle mixtum. Melicratum potio ex aqua & melle. Male: dicitur enim ea potio mellina, sed melicratum œnomeli, aut ut ipse vocat œnomelum. Hydromelum quod fiat ex aqua & malis Matianis. Hydromeli tamen ex aqua & melle. Luria oxymelum ex aceto & melle. Passum quicquid ex uva passa compressum effluxerit. Quia percutitur uva siccior, & decoquitur. Defrutum quod defrudetur, & quasi fraudem patiatur. Male. Carenum quod fervendo parte careat. Sapa quæ fervendo ad tertiam partem redacta est. Nonius, murrhina potio confecta. Varro *l.* I. *de vita P. R.* Passum nominabant si in vindemia uvam diu- C tius coctam legerent, eamque passi essent in sole aduri. Loram in vindemia dicebant cum expressissent acinis mustum, & folliculos in dolium conjecissent. Passum quidam putant Plautum murrhinam appellare. Defrutum si ex duabus partibus ad tertiam redegerant defervefaciendo. Sapa mustum est ad mediam partem decoctum. V. Gloss. Menaria dicitur γλερίς. Sed ut ex diverticulo in viam redeamus, Athenæus in *Fragmentis*, scribit pluvia orta pocula vino plena derepente aqua mixta gratiora visa sunt, οἱ ἕλληνες τῷ μὲν παρὰ δεῖπνον ἀκράτῳ προσδιδομένῳ τὸν ἀγαθὸν ἐπιφωνοῦσι δαίμονα, τιμῶντες διόνυσον, τῷ δὲ μετὰ δεῖπνον κεκραμένῳ πρώτῳ προσδι- D δομένῳ ποτηρίῳ δία σωτῆρα ἐπιλέγουσι, ὄμβρον ἀρχηγὸν ὑπολαβόντες. Male igitur cum Eustathio Suidas dixit, ἀγαθοῦ δαίμονος πίνουσι μετὰ τὸ δεῖπνον. Imo, διὸς σωτῆρος. Iterum vide Suidam in voce ἄκρατος οἶνος. τρεῖς κρατῆρας ἔστησαν ἐν τῷ δείπνῳ, πρῶτον ἑρμῇ, δεύτερον χαρισίῳ, τρίτον διὶ σωτῆρι. Tres crateras statuebant in cœna, primum Mercurio, alterum Charisio, tertium Jovi servatori. Vide Suidam in voce philothesia. Supra νίπτρον diximus lotionem esse post cœnam, μετάνιπτρον Athenæus *lib.* XII. potionem vini esse ait, quam finita cœna, cum lavassent manus sumebant. τὴν μετὰ τὸ δεῖπνον E ἐπὴν ἀπονίψονται μεταδιδομένην κύλικα. Diphilus, δέξαι τὴν δὲ τὴν μετανιπτρίδα μεστὴν διὸς σωτῆρος ἀγαθοῦ δαίμονος. Apud Laertium miratur Anacharsis Græcos minoribus poculis cœnam incipere, majoribus finire, πῶς οἱ ἕλληνες ἀρχόμενοι μὲν ἐν μικροῖς πίνουσι, πληθύντες δὲ ἐν μεγάλοις. Honoratis viris semper plenum poculum porrigebatur, ait *lib.* v. Athen. aliis ex æquo, τοῖς ἐντιμοτάτοις ἀεὶ πλῆρες παρεῖχον τὸ ποτήριον, τοῖς δ' ἄλλοις ἐξ ἴσου. Agamemnon ait Idomenei, σὸν δὲ πλεῖον δέπας ἕστηκε ὥσπερ ἐμοί. *Poculum tibi ut mibi plenum præbetur.* Suidas, F τὸν πρῶτον κρατῆρα ὀλυμπίων φασὶ, δεύτερον ἡρώων, τρίτον σωτῆρος, ὃ καὶ τέλειον, ἢ τὸ σωτῆρι, καὶ ὀλυμπίῳ, ut Plato in *Symposio.*

CAP. XIX.

DE PRÆBIBENDO.

Moris olim fuit ut bibentes meminissent Deorum, regum, amicorum honoris causa, ut ait Athenæus. ἀντιγόνου τοῦ βασιλέως νίκης καλῶς, *causa victoriæ Antigoni regis bene sit.* sup. ἕνεκα. Item, φέρε τὸν τρίτον φίλας ἀφροδίτας, χαίρετε ἄνδρες συμπόται. *Affer tertium poculum caræ Veneris. Salvete viri convivæ.* Plutarchus in *Demetrio*, ἡδέως ἤκουε τῶν παρὰ πότον ἐπιχύσεις λαμβανόντων, δημητρίου βασιλέως, σελεύκου δ' ἐλεφαντάρχου, *jucunde accipiebat eorum qui in convivio essent, libationes, & vini fusiones acclamantium. Demetrii regis, & Seleuci elephantarchi.* τὸ ἐπιχεόμενον κύαθον ἐν ταῖς συνουσίαις σωτῆρος καλοῦσι, *Libatum fusumque vinum inter epulas servatoris vocant.* Apud Laertium leges Xenocratem χρυσῷ στεφάνῳ τιμηθέντα ἐπ' ἄθλῳ πολυποσίας τοῖς κατὰ χοῦσι παρὰ διονυσίῳ τυράννῳ θεῖναι πρὸς τὸν ἱδρυμένον ἑρμῆν, ἔνθα περ τιθέναι καὶ τοὺς ἀνθίνους εἰώθειν. *Aurea corona honestatum a Dionysio tyranno, quia bibendo vicerat, coronam ad statuam Mercurii suspendisse, unde coronæ e floribus suspendebantur.* Hæc verba solemnia fuerat cum propinarent, προπίνω σοι καλῶς, λαμβάνω ἀπὸ σοῦ ἡδέως, *præbibo tibi pulcre, accipio a te bilariter*, ut est in colloquiis quotidianis. Interdum post cottabismum præbibebant. Cicero I. *Tuscul.* Theramenes cum vinum bibisset, reliquum sic e poculo ejecit ut resonaret, quo sonitu reddito ridens, propino, inquit, hoc pulcro Critiæ. Græci enim in convivio solent nominare cui poculum tradituri sunt. Apud Homerum θεοὶ χρυσέοις δεπάεσσι δειδέχατο ἀλλήλους. *Dii aureis poculis se invicem excipiebant.* ἐδεξιοῦντο τὰς δεξιαῖς προπίνοντες ἑαυτοῖς τῇ δεξιᾷ διδόντες τὸ ποτήριον. *Excipiebant dextra sibi inter se propinantes, & dextera poculum dantes.* Ulpianus *ad Demost. de falsa legat.* ἅπερ φιλεῖ γίγνεσθαι ἐν τοῖς συμποσίοις τὸ δεξιοῦσθαι ἀλλήλους τοῖς ποτηρίοις. *Quod fieri solet in conviviis, ut se poculis excipiant. Sæpe rex ea pocula cum aurea essent dabat bibentibus.* πολλάκις δέ φασι ταῦτα τὰ ποτήρια χαρίζεσθαι τὸν βασιλέα οἷς προπίνοι χρυσᾶ ὄντα καὶ τοῦτο ἦν προπίνειν. προπίνειν proprie est præbibere, & alteri calicem porrigere. προπίνειν φιλοτησίαν, ἀντιπροπίνειν ὅμοια, *l.* XII. Athen. In conviviis acclamabant boni ominis caussa, εὖ δειπνήσειας, *bene cœnes, lib.* IV. ibidem. In Scholio Pindari, ἀγάθωνι δὲ καλῶ κότταβον, supple, ἐπικαλῶ, φημίζω, *Agathoni Cottabum hunc nuncupo*, ἕλκειν, σπᾶν, *bibere, obducere. Lib.* II. Teleclides, μέλιχρον οἶνον ἕλκειν ἐξ ἡδυπνόου λεπάστης. κρατὴρ ἐξερρύβδοιτο, οἴνου πρόποσις χωρεῖ, *Cratera largiter vino impleta est, jam incipiunt convivæ poculis se invitare. Lib.* IV. moris fuit ut in quaque mensa poneretur poculum mixtum aqua, ποτήριον ἐν ἑκάστῃ τραπέζῃ παρατίθεται κρεμάμενον ὑδαρῶς, malo κεκεραμένον. In Cottabo tamen æramentum supinum suspendebatur e lacunari, quasi operculum lychni, quod lucernam fert sibi impositam. τὸ κοτταβεῖον ἐκρέματο ἀπὸ τοῦ ὀρόφου, ὕπτιόν τε, καὶ λείου χαλκοῦ πεποιημένον, ὥσπερ λυχνίου τὸ ἐπίθεμα ὃ τὸν λύχνον ἐπ' αὐτοῦ φέρει, ait Pollux. Athenæo κατακτοὶ κότταβοι. Præmia Cottabo ludentium ova, placentæ, πέμματα tragemata, aut pyramuns, incurvabant digito, & in hoc ludo in obliquum torquebant, quod Antiphanes dixit, αὐλητικῶς καρκινοῦν τοὺς δακτύλους, sicut cancer cum se movet in obliquum. Quod diximus Carorum nomina bibentes appellasse ostendit Poeta *l.* VII. *Antholog.*

Ἐγχει λειροδίκης κύαθους δέκα, τῆς δὲ ποθεινῆς
Εὐφραντῆς ἕνα μοι ἦττο δίδου κύαθον.

Infunde Lirodices decem cyathos, novem Euphrantes amabilis. Theocritus *Idyl.* VI. A

Καὶ πίομαι μαλακῶς μεμνημένος Ἀγιανάκτος.
Bibo molliter memor Agianactos.

Asconius *l.* III. *in Verrem*, Numerum cyathis libabant salutantes primo Deos, deinde amicos suos nominatim. Nam toties merum bibunt, quoties Deos & caros suos nominatim bibunt. Inter bibendum dominam nominare jussi. Horatius *lib.* I. od. XXVII.

—— dicat Opuntiæ
Frater Megillæ quo beatus
Vulnere, qua pereat sagitta.

Plautus in *Sticho* act. V. sc. IV. B

Bene vos, bene nos, bene te, bene me, bene nostram etiam Stephanium.

Theocritus *Idyl.* XIV.

Ἤδη δὲ προϊόντος ἔδοξ' ἐπιχεῖσθαι ἄκρατον
Ὧ τινος ἤθελ' ἕκαστος, ἔδει μόνον ᾧ τινος εἰπεῖν.
Jam procedente cœna, visum infundi merum
Quodcunque quisque vellet, oportuit tantum dicere quod vellet.

Martial. *l.* IX. epigr. XCIV.

Nunc mihi dic quis erit, cui te, Calatisse, Deorum
Sex jubeo cyathos fundere? Cæsar erit.
Sutilis aptetur decies rosa crinibus, ut sit
Qui posuit sacræ nobile gentis opus. C

Id est, Domitianus, qui templo Flavia posuit. Inter pocula igitur amicis, aut regibus bene precabantur. Xiphilinus scribit Commodum in Theatro feras conficientem pulcherrimæ fœminæ manu poculum vini accepisse, & cum biberet cum Senatu populum acclamasse, τὸ ἐν τοῖς συμποσίοις εἰωθὸς λέγεσθαι, ζήσειας. Vide Suidam, ζήσειας ἐν τῷ ἀμυσί. ἐπιδέξια οἰνοχοεῖν, Pindari Scholiastes Ode VI. *Olympion*, scite, commode, alii ordine cum a dextris incipiatur. Sic ἐπιδέξια ἀναβάλλεσθαι, *eleganter amiciri.* ἐπαρίστερα περιβεβλῆσθαι, *sinistre & ineleganter.* D

CAP. XX.

DE COTTABO.

Veteres adeo Cottabi fuere studiosi, ait apud Athenæum Hegesander, ut vasa facerent seu calices ad ludum opportunos qui Cottabides dicti, tum vero ædificium rotundum ut cottabo in medio constituto ex æquis spatiis de victoria cujus præmium Cottabion concertarent. Suidas, ἦν παίγνιον παρ' Ἀθηναίοις πιθάνον. ῥάβδος μακρὰ πεπηγμένη ἐν τῇ γῇ καὶ ἑτέρα ἐπάνω, &c. Lusus talis erat. Defixa erat in terra quædam virga oblonga, & alia supra eam commota ut in statera, habebat autem duas lances suspensas, & duos crateras aquæ sub lancibus, & sub aqua statuam æneam inauratam. Id obtinuit in conviviis, & omnibus ludentibus exsurgebat aliquis phialam habens mero plenam, & a longe stans quod vini ex epota phiala supererat, id totum ad stillam usque unam mittebat in lancem, ut repleta gravis fieret & descendens feriret caput statuæ quæ latebat sub aqua, & sonitum faceret, quique ita jaceret, ut ne gutta quidem una effunderetur, vincebat, & canebat quasi ab amica redamaretur, si aliquid in terram cecidisset aut sonitum non fecisset, vincebatur. Statua sub aqua latens dicta Manes. Tzetzes *Chiliade* VI. cap. LXXXV. In convivio, inquit, erat statera & ollulæ ex utroque latere stateræ sub lancibus. Ollulæ istæ in medio habebant statunculas dictas Manes. Comissatores cum implessent os suum eo vino, quod dicebatur latax, seu latage, humor & fluxus, id injiciebant in unam e lancibus, hoc est, exspuebant & ejaculabantur. Is dictus cottabus. Si igitur ictu vini lanx deorsum vergeret, & sonitum fecisset Manem in caput feriens, lusor vincebat, sin minus risui erat. Paulo aliter Pollux *l.* VI. cap. XIX. κοτταβεῖον ἐκρέματο ἀπὸ τῆς ὀροφῆς ὕπτιον τε καὶ λείᾳ χαλκῷ πεποιημένον, &c. *Cottabium a culmine suspendebatur supinum ex ære lævi factum, ut candelabri operculum quod candelam sustinet.* Erat deinde virga quædam longa, quam cottabicam vocabant, & rotunda pelvis cava, quam & chalceium & scapham vocarunt, poloque horas indicanti erat persimilis. Sed cottabo a culmine suspenso ludentem sonum quendam edere oportebat qui latax dictus. Aristophanes cottabium catacton vocat, ruptilem cottabum assimilans illud tubæ tintinnabulo. Pelvis porro aqua implebatur cui globus innatabat lanx, & Manes statua, tres myrti & tria acetabula, & qui humida manu cottabum contingens aliquod horum adipiscitur laudatur: sed qui plurima eorum quæ innatabant submergit, cottabia pro præmio accipiebat. Pollux latagen esse vult sonum qui editur injecto vino. Tzetzes & Aristophanis Scholiastes guttam vini quod in populo remanet. Callimachus,

Πολλοὶ καὶ φιλέοντες ἀκόντιον ἧκαν ἔραζε,
Οἰνοπόται σικελὰς ἐκ κυλίκων λατάγας.
Multi amantes jaculum emiserunt humi,
Sed meribibones Siculas ex calicibus guttas mittunt.

Athenæus *lib.* XV. Cottabium est lucernula sublimis habens Manetem, ex quo percussam lancem deorsum cadere oportuit. Quod reliquum erat e vino epoto dictum latage, quod manu conversa ex alto jaciebant in cottabium ludentes, ait Athenæus. Hesychius, qui cottabos projiciebant, τὴν δεξιὰν χεῖρα ἠγκύλουν κυκλοῦντες αὐτὴν ὡς ἐνῆν εὐπρεπῶς ἔσατα, *dexteram manum inflectebant sinuantes eam perquam decenter.* Athenæus *l.* XI. Oportebat lævo cubito innixos, & dextra cubitum circulantes κυκλώσαντα molliter ὑγρῶς mittere latagen. Apud Eustathium *lib.* II. *Iliad.* Æschylus vocat cottabos ἀγκυλητοὺς a flexione cubiti. Præmia inferebantur in convivia quæ darentur victoribus & dicerentur Cottabea, erant bellaria, tragemata, placentæ, ova. Cottabi catacti & ruptiles, de quibus supra egimus, sunt lucernæ sursum sublatæ & mox delapsæ. Athenæus *l.* XV. ἔστι δὲ λυχνία ἀναγόμενα πάλιν τε συμπίπτοντα. Vide Aristophanis Scholiasten in *Pace.* Nimius enim in his ludicris sum. Thraces in cornibus præbibebant. Xenophon pag. 315. καὶ κέρας λαβὼν προπίνω σοι ἔφη, *Cornu accepto dixit, Præbibo tibi.* Athenæus *lib.* VI. Lacones non habent προπόσεις, καὶ φιλοτησίας. Lib. XV. Mos erat ut surgentes a cœna cum libassent, quod vini meri supererat, puero qui porrexerat illud darent bibendum. ἔθος ἦν ἀναστᾶσι τοῦ δείπνου καὶ σπείσασι, τὸ λοιπὸν τοῦ ἀκράτου τῷ διδόντι παιδὶ ἐκπιεῖν διδόναι.

CAP. XXI.

RURSUM DE COTTABO.

Cottabus dictus cum bibentes si quid in poculo reliquum erat ita in solum allidere ut sonitum faceret. Hesychius, ἀγκύλη χεὶρ ἀπηγκυλωμένη, καὶ συνεστραμμένη εἰς ἀποκοτταβισμόν, Cottabi lusus ortus est a Siculis, quibus latage dicitur liquor ex potione reliquus. Cottabus item præmium propositum victori in potu. Euripides,

Πυκνοῖς δ' ἔβαλλον βακχίου τοξεύμασι
Κάρα γέροντος, τὸν βαλόντα δὲ στέφειν
Ἐγὼ τετάγμην ἆθλα κοττάβων διδούς.
Crebris ictibus Bacchi, senis impetebant caput, ego eram constitutus, ut ei qui destinatum locum feriebat imponerem coronam dato in præmium cottabo. Elata in summum caput, & inversa manu, quod ex potio-

ne reliquum erat in solum allidebant, ut supra docuit Hesychius. Aristophanis Scholiastes in *Pace*, ῥαβδὸς ἦν μακρὰ πεπηγμένη ἐν τῇ γῇ, καὶ ἑτέρα ἐπάνω αὐτῆς κινουμένης ὡς ἐπὶ ζυγοῦ. Vide locum Scholiastis, & Athenæum *l.* XII. & XV. Valer. Max. *l.* III. c. II. Theramenes, quod supererat illisum humo clarum edere sonum coegit, renidensque Critiæ, inquit, propino. Athenæus *lib.* X. κότταβος τοῖς ἐρωμένοις παίγνιον σικελικόν, *Cottabus amantibus ludicrum est Siculum.* Horatius *l.* II. od. XIV.

Absumet hæres Cæcuba dignior
Servata centum clavibus; & mero
Tinget pavimentum superbo
Pontificum potiore cœnis.

Tingebatur per Cottabismum. Plinius *l.* XXIV. cap. ult. Tricongium ait optima fide bibisse, nihilque ad elidendum in pavimento sonum ex vino reliquisse. Cottabus item vas fuit in quo latagæ ponebantur. Sed & accensos quosdam cottabos nuncupabant, καταχύσεις, id est, *lucernas quæ suspensæ dimittebantur.* Vide Athenæum *l.* X. XI. & XV. Suidam in voce *Cottabus*, & Pollucem *l.* X. Etymologicum, Cottabus, inquit, in medio discumbentium vas erat positum vino plenum, in quo aliud minoris formæ vasculum fluitabat, in quod oportebat ita reliquum potionis injicere, ut deprimeretur, idque erat indicium, vel uxori vel liberis qui injecerat, esse carum.

CAP. XXII.

DE ALIIS POTIONIBUS.

Plinius *l.* XIV. cap. XIII. Lautissima fuisse scribit apud priscos vina murrhæ odore condita, de quibus consule Columell. *l.* XII. cap. XX. Festus, Murrhinam Græci Nectar vocant. Gellius *l.* X. cap. XXIII. Mulieres bibere solitas loram, passum, murrhinam, & quæ id genus epotant potu dulcia. Vinum ὀξεσηκός, vappa, βάμμα ὀξύτης, κακὶς Suidæ. Lucillius,

Qui gallam bibere, ac rugas conducere ventri.

Quia gallæ atramentariæ colorem refert. Vina crucia, sublesta, fugientia Lucillio. οἶνος ἐκφαντίδης, καπνίας. Olim abeuntes cœna non Jovi perfecto, sed Mercurio libabant super linguis, quia & Deorum nuntius est, & somni præses. Athenæus, ἀπὸ τῶν δείπνων ἀναλύοντες ἔσπενδον ἑρμῇ, καὶ οὐχ ὡς ὕστερον τελείῳ διΐ, ἑρμῆς γὰρ ὕπνου προστάτης. σπένδουσι δὲ αὐτῷ καὶ ἐπὶ τῶν γλώσσαις ἐκ τῶν δείπνων ἀπιόντες. Post cœnam philothesia potio fuit pro conservanda amicitia. Hesychius, φιλοτησία πρόποσίς τις μετὰ τὸ δεῖπνον ὑπὲρ φιλίας. Idem ait Veteres ad tres aquæ partes unam vini miscuisse. ἀρύσαι τρία, ἐπεὶ τὸ πάλαι τρία ὕδατος ἐκιρνᾶτο, καὶ τὸ τέταρτον οἴνου. Athen. *l.* I. Ex eo conjicit Ægyptios bibaces fuisse, quod soli hominum ante omnem cibum olera cocta comederent. ὅτι δὲ φίλοινοι αἰγύπτιοι σημεῖον καὶ τὸ παρὰ μόνοις αὐτοῖς ὡς νόμιμον ἐν τοῖς δείπνοις πρὸ πάντων ἐδεσμάτων κράμβας ἐσθίειν ἐφθάς, καὶ μέχρι τοῦ δεῦρο. Timæus tamen scribit Sybaritas antequam bibunt olera comedere. Pitissare est vinum gustare. Terentius *Heaut.* act. III. sc. I. in se ipsum cruciante:

Pitissando modo, vini quid mihi absumpsit.

In Græcia varius bibendi mos, pro civitatum varietate, ait Athen. *l.* I. Chius & Thasius incipiunt a magnis poculis ad dexteram, ἐκ μεγάλων κυλίκων ἐπιδέξια πίνει. Atticus a parvis ad dexteram, ut in veneratione dextrorsum circumaguntur, sic in convivio patera in dextrum circumfertur. Auson.

Ut solitum, quoties dextræ invitatio mensæ
Sollicitat comem leni sermone Lyæum.

Homerus *Iliad.* I.

θεοῖς ἐνδέξια πᾶσιν
Ὠνοχόει γλυκὺ νέκταρ.

Pitissare ὑποβρέχειν, ὑποπίνειν. Subbibere dicebat Nero. βρέχειν bibere. Longus *l.* II. *Pastoralium.* καὶ οἷον δὴ γέροντες ὑποβεβρεγμένοι πρὸς ἀλλήλους πολλὰ ἔλεγον. Thessalus magna pocula propinat ab initio cui vult, ἐκπώματα προπίνει ὅτῳ ἂν βούληται μεγάλα. Lacedæmone quisque quod sibi oppositum est, bibit, τὴν παρ' αὐτῷ ἕκαστος πίνει, supple κύλικα. Acrothoraces apud Lucianum dicuntur qui vino plusculum incaluerunt in *Lexiphane*, ut & Aristoteles in *Problem.* sect. III. q. II. & XVI. Clemens tamen *lib.* II. *Pædag.* cap. II. Acrothoraca dici vult, qui animo & corpore inter vina sibi constat, nec penitus afficitur. ὁ ἔχων τὴν μνήμην καὶ τὸ σῶμα ἀσάλευτον οἴνῳ, καὶ ἀκράδαντον. Vide Pollucem *l.* VI. Initio minutis poculis more Attico bibebant, ubi incaluissent majoribus, quia, ut notat Alexander Aphrodisæus, sensim fuere stomachi, venarumque angustiæ laxandæ, non per initia obruendæ. Virgil. I. *Æneid.*

Postquam prima quies epulis, mensæque remotæ,
Crateras magnos statuunt.

Cicer. *l.* III. *in Verr.* Poscunt majoribus poculis. Facta est invitatio ut Græco more biberetur. *Iliad.* IX.

Μείζονα δὴ κρητῆρα μενοιτίου υἱὲ καθίστα,
Ζωρότερον δὲ κέραιρε.

Fili Menœti majorem craterem appone, & meracius misce. Philo de Methe, καὶ ἄρχονται μὲν ἀπὸ τῶν βραχυτέρων κυάθων, προϊόντι δὲ τοῖς μείζοσι οἰνοχόοις ἐγχεῖν παραγγέλλουσι. *Incipiunt a minutis poculis, longius progressi jubent pocillatores majoribus ministrare.* Alex. Aphrod. *l.* I. ἀρξάμενοι ἐν μικροῖς πίνουσι, πληρωθέντες δὲ ἐν μεγάλοις ποτηρίοις. Hesychius ἀρυστῆρας, ἀρυστίχους, ἀρυσεῖς τὰς ἀπνόους ποτήρας vocat. Apud Athen. *l.* VI. λαγυνοφορία, φαγησία festa, ubi lagœnas siccant. Vina sublecta olim coquebant. Suidas ἄπυρος οἶνος ὁ μὴ ἑφθός, καὶ ὁ ἀναδενδρίτης, quod non coctum est, sed nascitur in assita arbore vinum dicitur apyrum.

Ἡδύς τε πίνειν οἶνος ἀφροδίτης γάλα.

Vinum potui suave, Veneris lac. Varro, vino nihil jucundius quidquam cluet. Hoc continet coagulum convivia, hoc hilaritatis dulce seminarium, hoc ægritudinem ad medendam invenerunt.

Ὦ πᾶσι τοῖς φρονοῦσι προσφιλέστατε
Διόνυσε, καὶ σοφώτατε, ὡς ἡδύς τις εἶ,
Ὅταν ταπεινὸν μέγα φρονεῖν ποιῇς μόνος,
Τὸν τὰς ὀφρῦς αἴροντα συμπεῖθεις γελᾶν,
Τόν τ' ἀσθενῆ τολμᾶν τι, τὸν δειλὸν, θρασύν.

Qui a summo ad imum bibunt dicuntur ἐν κύκλῳ πίνειν, in circulo bibere, apud Athenæum. Plautus in *Persa*,

Age puere a summo septenis cyathis committe nos ludos.

Idem in *Asinaria*,

Da puere a summo age tu interibi ab infimo da suavium.

Cicero *de Senect.* Is sermo qui more majorum a summo adhibetur in poculis. Plautus *in Persa*,

Age circumfer mustum a summo.

Interdum totam noctem inter pocula ducebant, & si quid in calice superfuerat, illud diis Manibus

effundebant. ἑωλοκρασία ἡ χθεσινὴ κρᾶσις, ὅ ἐστι λείψανον χθεσινῆ κρατῆρος ὃ κατέχεον τῶν ἀποκοιμηθέντων οἱ ἐξεπαννυχίσαντες, ait Eustathius.

CAP. XXIII.

DE VOMITIONIBUS INTER VINA.

CUm in vino pervigilarent, & pergræcarentur, eos vino madentes & meiere,& vomere oportuit, cum ut onere levarentur, tum ut ad crapulam recentes ac novi redirent.Certe Vitellius facile omnibus sufficiebat vomitandi consuetudine, ait Suetonius cap. XIII. Dio de eodem, ἀπλήστως ἐμφορήμενος, καὶ συνεχῶς πάντα ἐξεμῶν ὡς μόνῃ τῇ παρόδῳ τῶν σιτίων τρέφεσθαι, *insatiabiliter in cibos effusus, & assidue omnia evomens, ut solo transitu ciborum aleretur.* Cicero *l.* XIII. *Epist. ad Atticum*, ἐμετικὴν agere dixit. Seneca epist. LXXXVIII. Quid liberale habent isti jejuni vomitores, quorum corpora in sagina, animi in macie, & veterno sunt. Epist. CXXII. Isti non videntur tibi contra naturam vivere, qui jejuni bibunt, qui vinum recipiunt inanibus venis, & ad cibum ebrii transeunt. Plinius *lib.* XXIII. Asclepiades damnavit merito & vomitiones tunc supra modum frequentes. Cicero *pro Dejot.* Cum vomere post cœnam velle te dixisses o Cæsar, in balneum te ducere cœperunt. Vomebant enim in balneis saturi. Juvenalis ideo dixit,

—— *Et crudum pavonem in balnea portas.*

Seneca epist. LXXXIII. Quum penes te palma fuerit, & propinationes tuas strati somno, ac vomitantes recusaverint,cum superstes toti convivio fueris,&c & nemo tam vini capax fuerit, vinceris a dolio. Ipsæ fœminæ perpotabant, vomitabant. Epist. XCV. Non minus pervigilant, non minus potant,& oleo, & mero viros provocant, atque invitis ingesta visceribus per os reddunt, & vinum omne vomitu remetiuntur. Plinius *l.* XXVI. cap. III. Asclepiades merito damnavit & vomitiones supra modum frequentes. Juvenal. Sat. VI.

—— *Nam sic tanquam alta in dolia longus*
Deciderit serpens vomit, & bibit.

Martialis *lib.* VII. epigr. LXVI.

Nec cœnat prius, aut recumbit ante
Quam septem vomuit meri deunces.

Lib. VI. ep. LXXXIX.

Ille fide summa testæ data vina remensus
Reddidit œnophori pondera plena sui.

Alii convivæ qui moderatiores videntur, ait Philo *lib. de vita contemplat.* ὥσπερ μανδραγόραν τὸν ἄκρατον πιόντες ὑποβεβλήκασι, καὶ τὸν εὐώνυμον ἀγκῶνα προβαλόντες, καὶ τὸν αὐχένα ἐπάρσιον ἐπιστρέψαντες, ἐνερεύγονται ταῖς κύλιξιν, ὕπνῳ βαθεῖ πιεζόμενοι μηδὲν μήτε ἰδόντες ὡς μίαν μόνην ἔχοντες αἴσθησιν τὴν ἀνδραποδεστάτην γεῦσιν. *Quum vinum ut mandragoram biberint, sub mensa ejiciunt, & lævo cubito protenso, cervice inflexa & contorta in calices exonerato per vomitum vino alto somno consopiuntur, auditu & visu privati, ut qui unicum gustandi sensum qui maxime servilis est habeant.* Vide Celsum cap. III. *lib.* I. cap. XII. *l.* II. Plutarchum *lib. de sanitate tuenda.* Philo *de vita Caii*, θερμολουσίαι τε ἄκαιροι, καὶ ἔμετοι, καὶ εὐθὺς πάλιν οἰνοφλυγίαι *Calidæ lotiones intempestivæ,& vomitiones,& rursum perpotationes.* Seneca *lib. de providentia.* Hi quicquid biberunt vomitu remetiuntur. Vitellio in os pinna indebatur ut vomeret. Pompejus apud Plutarchum cuidam quem ditaverat dixit, *Feci te* ἐκ πεινατικῦ ἐμετικόν, *ex esuriente vomitorem.* Galenus *lib. de usu partium*, laudat eos qui quot mensibus vomitione utuntur. Sed non tantum vomebant, verum & vesicam exonerabant. Athen. *l.* XII. Sibaritæ primi ἐξεῦρον ἀμίδας ἃς εἰσέφερον εἰς τὰ συμπόσια, *invenerunt matulas*

A *quas in convivia ferebant.* Idem *lib.* I. scribit in compotationibus fuisse ἀμίδας, *matulas.* Sophocles in *Achæorum convivio*,

Ἀλλ' ἀμφὶ θυμῷ τὴν κακόσσμον οὐράνην
Ἔρριψεν, οὐδ' ἥμαρτε, περὶ δ' ἐμῷ κάρᾳ
Κατάγνυται τὸ τεῦχος οὐ μύρου πνέον,
Ἐδειματώθην δ' οὐ φίλης ὀσμῆς ὕπο.

Ira fremens graviter olentem ille matulam
Jecit, nec erravit, meum namque ad caput
Vas rumpitur, fragrantis unguenti nihil
Spirans, odoris fœditate inhorrui.

B Hermippus μενδαῖον ᾧ οὐροῦσι καὶ οἱ θεοί. *Vinum Mendæum tandiu bibunt Dii, donec illud meiere cogantur.* Solebant igitur, ait Athenæus, καὶ τὰς ἀμίδας ἀλλήλοις περικαταγνύναι, *matulas ad capita allisas inter se frangere.* Demosthenes ἐνεούρουν τε ἡμῖν, καὶ τὰς ἀμίδας κατερρήγνυον, in ea quæ est adversus Cononem, nos lotio perfundebant,& matulas inter se frangebant. Plautus in *Captivis.* Nisi qui colaphos perpeti potis parasitus, frangique aulas in caput. Unde & parasiti Plauto dicti, *Duricapitones.* Æschylus apud Athenæum *lib.* I. idem dicit quod Sophocles Ibidem dicitur Eupolis primus τὸ τῆς ἀμίδας
C ὄνομα ἡγήσασθαι, nomen matulæ induxisse, scilicet in scenam, quum tamen prius in usu communi esset. Pamphilus Siculus, ἀμίδα δότω τις, ἢ πλακοῦντά τις δότω, *Det aliquis matulam, aut placentam.* Romæ sub mensa videntur habuisse confluvium, in quod urina decideret. Varro apud Nonium. Sed quæ necessitas te jubet aquam effundere domi tuæ? Si vasa habes pertusa plumbum non habes? Ad quam rem nobis est confluvium? ad quam rem urnarium? In pavimento non audes facere lacunam, at humi facis calceos elixos. Antiqui nostri domibus lateritiis paululum modo lapidibus suffundatis ha-
D bitabant, ut humorem effugerent, aut sabulum jaciunt a pariete qui cryptas domi non habent. Apud Herodot. p. 99. In conviviis est ποδανιπτὴρ ἀργυροῦς, ὅπου δαιτυμόνες ἐναποπλύνονται, ἐμοῦσι, ἐνουροῦσι. *Est pelvis argentea in quam convivæ lavant, vomunt, meiunt.* August. *l.* II. *de Civit. Dei.* Extruantur amplissimæ,atque ornatissimæ domus ubi convivia opipara frequententur,ubicumque libuerit & potuerit, diu noctuque bibatur, ludatur, vomatur, diffluatur. Cicero *in Pisonem,* In quo convivio nemo potest dicere, utrum iste plus biberit an vomuerit, an effuderit. Bibitur usque eo dum de solio ministretur. Seneca epist. XCV. Invitis ingesta visceribus per os
E reddunt, & vinum omne vomitu remetiuntur.

CAP. XXIV.

DE CORONIS.

COronæ in conviviis adhibitæ non tantum honoris Deorum aut lætitiæ caussa, sed maxime ut vapores e vino & cibis cerebrum petentes infringerent. Per initia coronæ ex simplici lana fuere, quem οἰὸς ἄωτον vocat Theocritus, ovis florem, tandem ex rosis & aliis floribus qui cerebrum juvarent. Legendus Athenæus in *Fragmentis de coronis.* Plu-
F tarchus I. *Sympos.* ἐπεὶ δ' ἀπηρθήσαν αἱ τράπεζαι, καὶ στεφάνων παρὰ τῆς Μελίσσης διαδοθέντων, ἡμεῖς μὲν ἐσπείσαμεν. *Ubi mensæ sublatæ sunt cum coronæ a Melissa datæ essent, nos quidem libavimus.* Coronabant pocula, non seipsos, nisi privata cœna esset, quia ebriosorum fuit seipsos coronare. Unde & Polemo coronatus cum is Xenocratis auditorium irrupisset, sibi sensim coronam detraxit, eo de modestia loquente. Plautus in *Pseudolo*,

Quid ego video cum corona ebrium Pseudolum tuum.

In *Amphitr.*

Capiam coronam mihi in caput, assimilabo med esse ebrium.

Propertius,

Cum tua præpendent demissæ in pocula sertæ.

Virgilius *Æneid.* I.

—— *& vina coronant.*

—— *pateramque corona*

Induit.

Synesius epist. XXXII. ὁ γὰρ ἰδὼν τὸν πορνοτελῶνα σοβοῦντα διὰ τῆς ἀγορᾶς ἐν στεφάνῳ, καὶ μύρῳ μεθύοντα, καὶ κωμάζοντα. *Is enim videns lenonem magnifice ambulantem in foro cum corona & unguento ebrium & comessantem.* Theocritus,

Στέψον τὸ κελέβαιο φοινικέῳ οἰὸς ἀώτῳ.

Cinge poculum purpureo ovis flore.

Festus, antiquissimum genus fuit coronarum lanearum. Contra Plutarch. *Sympos.* III. c. I. moris fuisse ostendit ut floribus caput redimirent firmando cerebro. διὸ μάλιστα τὰς ἀνθίνας ἐκ τοῦ τραχήλου καθάπτοντες ὑποθυμίδας ἐκάλουν, καὶ τοῖς ἀπὸ τούτων μύροις ἔχριον τὰ στήθη. *Ideo maxime floreas coronas ex collo suspendentes hypothymidas vocabant, quasi pectorales & pectora unguento ex iis ungebant.* Athenæus in *Fragmentis*, οἱ ἀρχαῖοι διὰ τὰς περὶ τὸν οἶνον πόνους κεφαλαλγιῶν, δεσμοὺς εὕρισκον τοὺς τυχόντας τῆς τῶν κροτάφων συνδέσεως ὠφελεῖν δοκούσης, *Veteres ob dolorum capitis ex vino violentiam vincula quibus tempora vincirent invenerunt, utilia rati.* Coronant frontem, στεφανοῦσι τὸ μέτωπον. Anacreon,

Ἐπὶ δ᾽ ὀφρύσι σελίνων στεφανίσκους θέμενοι.

Supra supercilia coronulas apii ponentes.

Veteres Diis coronas convivales consecrarunt apud Athenæum. Dionysius Tyrannus in festo Chωn, auream coronam præmium posuit ei qui primus Choa ebibisset, cumque primus Xenocrates obduxisset, coronam abiens Mercurii statuæ in aula positæ imposuit, τῇ τῶν χοῶν ἑορτῇ τῷ πρώτῳ ἐκπιόντι χόα, ἆθλον ἔθηκε στέφανον χρυσοῦν, καὶ ὅτι πρῶτος ἐξέπιε Ξενοκράτης ὁ φιλόσοφος, καὶ λαβὼν τὸν στέφανον χρυσοῦν, καὶ ἀναλύων τῷ Ἑρμῇ τῷ ἱδρυμένῳ ἐπὶ τῆς αὐλῆς ἐπέθηκεν. Laertius *l.* IV. καὶ χρυσῷ στεφάνῳ τιμηθέντα ἐπ᾽ ἄθλῳ πολυποσίας τοῖς χουσί, festo Choum. Justinus *l.* XVIII. Missi a Senatu in Ægyptum legati cum ingentia sibi a Ptolemæo rege missa munera sprevissent, interjectis diebus ad cœnam invitatis coronæ aureæ missæ sunt, quas illi honoris causa receptas postera die statuis regis imposuerunt. Veteres caput, collum, pectus coronis ornarunt, auribus flores aut solutos aut sertos imposuerunt apud Athenæum *l.* XII. & XV. Cratinus, ἁπαλὸν δὲ σισύμβριον ῥόδον, ἢ κρίνον παρ᾽ οὖς ἐτάκει, *ad aurem tabescebat.* στέφανοι χειστοὶ *coronæ unguento delibutæ.* στεφάνους ἐδρόσιζον τοῖς μύροις, μύρρα ἡ σμύρνα παρ᾽ αἰολεῦσι, ἐπειδὴ τὰ πολλὰ τῶν μύρων διὰ σμύρνης ἐσκευάζετο. Myron unguentum dicitur a myrrha, non a μύρεσθαι. ἥγε στακτὴ καλουμένη διὰ μόνης μύρρας. Theophrastus *de odoribus* ait ex murrha scissa oleum sponte fluere, ἐκ σμύρνης κοπτομένης ἔλαιον ῥεῖ. στακτὴ καλεῖται διὰ τὸ μικρὸν στάζειν, ὃ δὴ μόνον τινές φασιν εἶναι ἁπλοῦν καὶ ἀσύνθετον τῶν μύρων, τὰ δὲ ἄλλα πάντα σύνθετα. Samiaci olei meminit Antiphon apud Athen. *l.* II. fuit & ἀκάνθινον oleum ex spinis in Carmania. ἀκάνθη & ἀκάνθιον peculiare genus spinæ Plinio *l.* XXIV. c. XII. Spinæ plures, alba, regia, acuta, Arabica, Ægyptiaca. Apud Eustathium ex Ctesia rex usus achantino oleo. ἐστεφάνουν δὲ καὶ τὰ στήθη καὶ ἐμύρουν ταῦτα ἐπεὶ αὐτόθι ἡ καρδία, *coronabant pectus & unguento inungebant, quia ibi est cor,* ait Athenæus. Anacreon πλεκτὰς ὑποθυμιάδας περὶ στήθεσι λωτίνας ἔθεντο, *circa pectus loti coronas pectorales posuerunt.* Plutarchus *de Dæmonio Socratis*, στεφάνους δασεῖς ἔχοντες οἱ μὲν ἐλάτης, οἱ δὲ πεύκης, ἔνιοι δὲ χιτώνια τῶν γυναικῶν ἀμπεχόμενοι μεθύοντας ἀπομιμούμενοι κώμῳ χρωμένους μετὰ γυναικῶν. *Coronas densas habentes, alii abietis, alii piceæ, quidam tunica muliebri amicti, ebrios imitati comessatione usos cum mulieribus.* Clemens *lib.* II. *Pædag.* cap. I. οἱ μὲν γὰρ βακχεύοντες οὐδ᾽ ἄνευ στεφάνων ὀργιάζουσι, *Bacchantes non sine coronis sunt.* ἀοχλήτου ἀμεριμνίας στέφανος σύμβολον, *Corona signum est securitatis cura expertis & turba.* Homerus,

Κοῦροι δὲ κρητῆρας ἐπεστέψαντο ποτοῖο.

Suidas, τὸ παλαιὸν τοῖς ὀρχουμένοις περιέκειτο στέφανος καταψύχον τὸ κρανίον ἀπὸ τῆς τοῦ οἴνου θέρμης. *Veteres inter vina capita coronis cingebant refrigerando capiti a vini vaporibus.* Horatius *l.* I. od. ult.

Displicent nexæ Philyra coronæ.

Scholiastes apud Homerum. ἐπιστέφονται ποτοῖο κρατῆρες, ὑπερχειλεῖς ποιοῦνται οἰωνοῦ χάριν, *Coronantur vino pocula boni ominis causa.* Athenæus *l.* V. Veteres coronis usi quæ cuique Deo propriæ erant.

CAP. XXV.

DE LUCERNIS.

Quia de nocte convivia agitabantur, lucernas accendi oportuit. Virgilius *l.* I. *Æneid.*

—— *dependent lychni laquearibus aureis*
Incensi, & noctem flammis funalia vincunt.

Athenæus *l.* X. Tres œnoptæ præbebant cœnantibus lucernas & elychnia. Plutarchus in *Arato*, λαμπάδας, καὶ στεφάνους ὠνοῦντες δοῦλοι αὐτοῦ. *Cum lampades & coronas servi ejus emissent.* Apud Athen. trapezopoius ὁ λύχνους ἑτοιμάσας. Martialis *l.* XIV. epigr. XLI.

Illustrem cum tota meis convivia flammis,
Totque geram myxos, una lucerna vocor.

Qui ibant ad cœnam de nocte passim Vulcanum in cornu rasili gerebant in Græcia, excipito Lacedæmonem, ubi sine lucerna domum a Syssitiis redibant. Athen. *l.* IV. in convivio Carari ἀναπετασθεισῶν δᾷδες ἐφάνησαν λάθρα κατὰ μηχανὰς χαλασθέντων τῶν φραγμάτων, aperta cœnatione lucernæ extiterunt & apparuerunt conversis pluteis qui objecti erant. χαστηρία vertibulæ. Lib. *de mundo* διὰ μιᾶς ὀργάνου χαστηρίας πολλὰς καὶ ποικίλας ἐνεργείας ἀποτελοῦσι. Una organi conversione multa & varia pariter administrant. φράγματα Plato παραφράγματα tabulata. Erotes, Panes Dianæ, Mercurii sunt lucernæ vel candelabra. Vide Plutarchum in *Antonio* de Cleopatræ lucernis in Sicilia. Sic apud Homerum in Phæacibus simulacra juvenum in angulis cœnationum faces tenent.

Χρύσειοι δ᾽ ἄρα κοῦροι εὐδμήτων ἐπὶ βωμῶν
Ἕστασαν αἰθομένας δαΐδας μετὰ χερσὶν ἔχοντες
Φαίνοντες νύκτας κατὰ δώματα δαιτυμόνεσσι.

Lucretius,

—— *aurea sunt juvenum simulacra per ædes*
Lampadas igniferas manibus retinentia dextris
Lumina nocturnis epulis ut suppeditentur.

CAP. XXVI.

DE UNGUENTIS.

Primi Iones unguenta in conviviis, coronas, & secundæ mensæ consuetudinem, si Valerio Max. fides *l.* II. c. VI. usurparunt. Adhibuerunt autem sibi unguenta convivæ, ut cerebrum contra vapores e vino firmarent. Martialis *l.* III. epigr. XII.

Unguentum, fateor, bonum dedisti,
Corneli, mihi: sed nihil scidisti.

Horatius *l.* IV. od. XII.

Nardi parvus onyx eliciet cadum,
Qui nunc Sulpiciis accubat horreis.

Plinius *l.* XIII. c. I. Unguenta scribit a Persis reperta. Plautus.

Non omnes possunt olere unguenta exotica.

Propertius,

Aut quid Orontea crines perfundere myrrha.

Horatius *l.* I. od. V.

Quis multa gracilis te puer in rosa
Perfusus liquidis urget odoribus,

Catullus,

Cubile sertis, & Syrio fragrans olivo.

Spartianus de Ælio Vero, unctus odoribus Persicis. Odorum autem alii erant liquidi quæ unguenta sunt, alii aridi quæ διαπάσματα, & si rotundi sunt, pastilli dicuntur & trochisci. Horatius sat. II. *l.* I.

Pastillos Ruffillus olet;

Lib. II. od. VII.

—— *Coronatus nitentes*
Malobathro Syrio capillos.

Qui ebrii comessabantur unguentati erant. Valerius *l.* VI. c. IX. Cum Polemo convivio non post occasum, sed post ortum surrexisset unguentis delibutus, fertis capite redimito, pellucida veste amictus. Athenæus *l.* IV.

Αὐτὰρ ἐπεὶ δόρποιο μελίφρονος ἐξ ἔρον ἕντο
Χεῖρας νιψαμένοισιν, ἀπ' ὠκεανοῖο ῥοάων
Ὡραῖος παῖς ἦλθε φέρων μύρον ἤελνον ἡδύ (l. ἴρινον)
Ἄλλος δ' αὖ στεφάνους ἐπιδέξια πᾶσιν ἔδωκεν.
Sed postquam cœnæ dulcis exuerunt desiderium,
Cum lavissent manus, ob Oceani fluento
Pulcher puer venit ferens unguentum, quod fit
ex iri herba suavi,
Alius autem coronas ad dexteram omnibus dedit.

Hesychius scribit Exaligyrum vas argenteum esse fialæ simile, in quo unguenta quibus in convivio ungebantur, ἐξάλιγυρον σκεῦος ἀργυροῦν φιάλῃ παραπλήσιον, ἐξ οὗ ἐν τοῖς ξυμποσίοις ἠλείφοντο μῦρον. Coronas & unguenta dare munus erat convivatoris, cætera afferebantur a singulis convivantium in commune. Scholiastes Aristoph. οἱ καλοῦντες ἐπὶ δεῖπνον στεφάνους καὶ μύρα καὶ τραγήματα παρετίθεσαν, οἱ δὲ καλούμενοι ἔφερον ὀψήματα, καὶ κίστην, καὶ χοᾶ. Vocati ad cœnam ferebant obsonia, cistam ὀψοφόρον, seu sportam ferendis obsoniis, & congrum vas vini. μῦρα dicuntur a myrrha, quia ἐκ σμύρνης κοπτομένης ἔλαιον ῥεῖ, ex murrha concisa fluit oleum quod dicitur stacte, quia paulatim fluit. Quod unguentum solum esse simplex & non mixtum existimat Plinius, Myrrha & per se unguentum facit sine oleo stacte duntaxat. Singuli quoque succi nobiles unguenta faciunt. In primis malobathrum, postea iris Illyrica, & Cyzicena amaracus. Quis primus invenerit unguenta non traditur, Iliacis temporibus non erant, nec thure supplicabatur, ait Plinius. Male. Quia Homer. τὴν χρῆσιν οἶδε μύρου. Iris in Elide optima & Cyzici. κάλλος apud Homerum ponitur pro unguento. *Iliad.* III. de Paride,

Κάλλεΐ τε στίλβων, καὶ εἵμασι.

Item Venus,

Κάλλεϊ τὰ πρόσωπα καθαίρει.

Hesychius, κάλλει τῷ μύρῳ τῷ τῆς ἀφροδίτης, unguentum Veneris Homerus callos vocat. Apud Eustathium *Iliad.* II. ψακαστὰ μῦρα, postea dicta sunt liquida. Athen. *l.* IV.

Ὡραῖος παῖς ἦλθε, φέρων μύρον ἴρινον ἡδύ.
Pulcher puer venit, portans unguentum ex iri suave.

Ita lege, non ἠελνὸν ex vernis floribus. Cleopatra cum in Cilicia occurrisset Antonio ταλαντιαίους εἰς ῥόδα μισθοὺς ἔδωκεν. Rosa Veteribus in deliciis fuit, teste Nerone *l.* VI. Suet. c. XXVII. Et Vero Imperat. Venafranum oleum erat pro unguento. Martialis *l.* XIII. epigr. CI.

Hoc tibi Campani sudavit bacca Venafri,
Unguentum, quoties sumis, & istud olet.

Plinius *l.* XV. c. II. Maxime agro Venafrano, ejusque parte quæ Licinianum sudat oleum. Unguenta hanc palmam dedere accommodato ipsis odore. Unguentum foliatum in deliciis fuit. Galenus *l.* XII. θεραπευτ. Spicata & foliata reperta ait ὑπὸ τῆς ἐν ῥώμῃ τρυφῆς. Telini unguenti meminit Isidorus, ex Julio,

Corpusque suavi Telino ungimur.

Apud Xenophontem, Calliæ unguentum inferre volenti ait Socrates, olei quo unguntur adolescentes in gymnasiis odor dulcior quam unguenti. Apud Plin. *l.* IX. c. XXXIII. Delphini unguenti odorem refugiunt. Sed de unguento quod vino admiscetur Juvenalis Sat. VI.

Grandia quæ mediis jam noctibus ostrea mordet,
Quum perfusa mero spument unguenta Falerno.

Unguentis igitur delibuti, crinesque nardo perunċti epulabantur unguento etiam in vinum infuso, ut Athenæus *l.* XIV. c. XV. Clemens *l.* II. *Pædag.* c. VIII. στεφάνων γὰρ ἡμῖν καὶ μύρων χρῆσις οὐκ ἀναγκαία, ἐξωκέλλει γὰρ εἰς ἡδονὰς καὶ ῥαθυμίας μάλιστα γειτνιώσης τῆς νυκτός. *Usus coronarum & unguenti nobis non est necessarius, quia facile deflectit ad voluptates, & otium maxime nocte appetente.* Plutarchus *l.* III. *Sympos.* c. XIII. Delibuto capite erant in conviviis, ut Cicero *pro Roscio Amerino*. Statius,

Nec pingui crinem deducere amomo.

Ovidius,

Spissaque de nitidis tergit amoma comis.

Anacreon, ἐμὲ μᾶλλον ὡς ἔτι ζῶ μύρισον, ῥόδοις δὲ κρᾶτα πύκασον, *Me magis dum vivo unguentis delini, & rosis caput cinge.* Lucanus *l.* X.

Accipiunt sertas nardo florente coronas,
Et nunquam fugiente rosa, multumque madenti
Infudere comæ quod nondum evanuit aura
Cinnamon externa nec perdidit aera terra,
Advectumque recens vicinæ messis amomum.

Plautus in *Curculione*,

Tu mihi stacte, tu cinnamomum, tu rosa,
Tu crocum, & cassia es, tu bdellium.

De Coronis vide Artemidorum *l.* I. c. LXXIX. Ovidius *l.* V. *Fastor.*

Tempora sutilibus pinguntur tecta coronis,
Et latet injecta splendida mensa rosa,
Ebrius incinctis philura conviva capillis.

Lib. IX. *Metam.*

—— *Quam si conviva jaceret*
Inter plena meri redimitus pocula fertis.

Juven. Sat. V.

Quale coronati Thrasea, Helvidiusque bibebant.

CAP. XXVII.

DE CORONIS, ET UNGUENTIS.

CLemens *l.* II. *Pædag.* c. VIII. τοιαύτη δὲ καὶ τῶν στεφάνων ἡ χρῆσις, κωμαστικὴ καὶ πάροινος ἀπέρρει. μή μοι στέφανον ἀμφιθῇς κάρα. ἦρος μὲν γὰρ ὥρα λειμῶσιν ἐνδρόσοις καὶ μαλακοῖς ποικίλοις χλοάζουσιν ἄνθεσι ἐνδιαιτᾶσθαι καλὸν, αὐτοφυεῖ καὶ εἰλικρινεῖ τινι εὐωδίᾳ καθάπερ τὰς μελίττας τρεφομένους. τὸ δὲ πλεκτὸν στέφανον ἐξ ἀκηράτου λειμῶνος κοσμήσαντας οἴκοι περιφέρειν οὐ σωφρόνων. *Talis est usus coronarum, comessabunda & ebria diffluit. Ne mihi capiti coronam impone. Veris enim hora agitare in pratis roscidis mollibus variis pulcrum*

est. ac floribus virentibus, enutritos nativo & syncero ut apes, odore, sed coronam plectilem ex prato fragranti & incorrupto ornantes domi circumferre non est moderati viri. Archestratus apud Athen. *lib.* III.

Αἰεὶ δὲ στεφάνοισι κάρα παρὰ δαῖτα πυκάζου
Παντοδαποῖς, οἷς ἂν γαίας πέδον ὄλβιον ἀνθεῖ,
Καὶ στακτοῖσι μύροις ἀγαθοῖς χαίτην θεράπευε.

Semper coronis caput omnigenis inter epulas redimito, quibus terræ solum fertile abundat, & stillatitiis unguentis bonis capillum procurato. Martialis *l.* XI. epigr. XXVIII.

At mea me libram foliati poscit amica.

Lib. XIV. epigr. CX.

Hæc licet in gemma, quæ servat nomina Cosmi,
Luxuriose bibas, si foliata sitis.

Aristippus dicebat ut equus & canis unguento deteriores non fiunt, ita nec homines: respondet Clemens *l.* II. *Pædag.* cap. VIII. ἀλλ' ἵππῳ μὲν καὶ κυνὶ οὐδεὶς λόγος τῶ μύρου, οἷς δὲ ἡ αἴσθησις λογικωτέρα, τούτοις ἡ ἀπόλαυσις ἐπιψογωτέρα, κορασιώδεις ὀδμὰς ἐπιφερομένοις. *Equo & cani nulla ratio aut sensus unguenti, homines quibus sensus cum ratione conjunctus est, frui deliciis vitio vertendum, & inferre odores puellares,* μύρων ἄπειροι διαφοραὶ, βρένθιον, &c. & ψάγδας αἰγυπτίας. lege ψάγδαι αἰγυπτίαι. Vide Dioscorid. *l.* X. c. V. Plinium *l.* XIII. c. V. Athenæum *lib.* XV. c. XIV. & XV. Simonides apud Clementem, κἀλειφόμην μύροισι καὶ θυμιάμασι, καὶ βάκκαρι. καὶ ἡ νάρδος δοκιμεῖ παρ' αὐτοῖς, καὶ τὸ ἀπὸ τῶν ῥόδων ἄλειμμα, καὶ τὰ ἄλλα ὑγρά τε καὶ ξηρά, καὶ τὰ ἐπίπασα, καὶ τὰ ὑποθυμιώμενα μύρα. *Unctus sum unguentis, suffitibus, & baccari: & Nardus ipsis probatur, & unguentum rosaceum, & alia unguenta humida, sicca, & quæ insperguntur, & quibus suffitus fiunt.* Idem vocat διαπάσματα unguenta & unctiones. Myrrha, stacte, & Casiæ, σμύρνα, a vestimentis tuis. Psalm. Davidis. Seneca in *Thyeste,*

Vernæ capiti fluxere rosæ,
Pingui madidus crinis amomo.

Sidonius,

Indus odorifero crinem madefactus amomo.

Tibullus *l.* II. el. I.

Illius puro distillent tempora nardo.

Propertius *l.* III. el. IX.

Sit mensæ ratio, nosque inter pocula currat,
Et crocino nares murreus ungat onyx.

Qui ad cœnam invitabant, unguentum & coronas mittebant. Seneca *l.* II. *de Ira* c. XXXIII. Ad cœnam invitavit eum eo die, unguentum & coronas misit. Claudianus *de bello Gildon.*

Mixtis redolent unguenta coronis,
Crinitos inter famulos, plebemque canoram
Umbratus dux ipse rosis, & marcidus ibat
Unguentis, crudusque cibo.

Horatius *l.* I. od. V.

Perfusum liquidis urget odoribus.

Lib. III. od. XIV.

I pete unguentum puer & coronas,
Et cadum Marsi memorem duelli.

Lucret. *l.* IV. Pocula crebra, unguenta, coronæ, serta parantur, *l.* 24. *ff. de auro & arg. leg.* Unguentis legatis non tantum ea legata videntur, quibus ungimur voluptatis causa, sed & valetudinis, qualia sunt commagena, glaucina, cristina, rhodina, murrha, colum, nardum purum, hoc quidem etiam quo elegantiores sint, & mundiores unguntur fœminæ. Dioscor. *l.* I. c. LXXXI. Petalium e nardo præstantissimum unguentum, dicitur foliatum. Clemens Alexandrinus *l.* II. *Pædag.* ἡ δὲ ἐπιτήδευσις τῆς εὐωδίας δέλεάρ ἐστι ῥαθυμίας πόρρωθεν εἰς λίχνον ἐπιθυμίαν ἐπισπωμένης, *Studium fragrantissimi odoris est esca ignaviæ quæ a longe nos trahit ad capedias & voluptates.* Ibidem insectatur mulierculas quæ vestes,

A & lectos, & domos suffiunt, & irrigant odoratis liquoribus, ipsas etiam matulas. Ista τὸ ἀνδρωνῖτιν ἐκθηλύνουσι, viros effœminant. Comicus, μύροις ὑπαλείφεται τὰς χεῖρας, ὑγιείας μέρος μέγιστον, ὀδμὰς ἐγκεφάλων χρηστὰς ποιεῖν, καὶ ἡ τῶν ποδῶν διὰ τῶν λιπαρῶν ἀναθερμαινόντων, ἢ ἐμψυχόντων μύρων ἀνάτριψις ὠφελείας οὕνεκεν ἐπιτηδεύεται. *Unguentis manus ungit. Sanitatis pars maxima est, ut cerebri bonos odores faciat. Quin etiam pedum per unctionem eorum quæ calefaciunt, aut refrigerant, exercetur frictio utilitatis gratia,* ut scilicet iis qui sunt repleti in capite, fiat quædam attractio, & diver-
B sio ad corporis partes minus principales διαφέρει μυραλοιφεῖν τῷ μύρῳ χρῆσθαι.

CAP. XXVIII.

RURSUM DE UNGUENTIS.

QUI unguenta improbant, iidem & flores, ac odores a Deo rebus attributos improbent, ac damnent necesse est. Pessime sit iis, ajebat Aristippus, unguenti odore delinitus, quorum intemperantia & abusu factum est, ut res homini
C commodissima damnaretur. Moderata unguenta nervos roborant, cerebrum firmant, caput expurgant, sanguinis ardorem leniunt, & jucundo halitu animum recreant. Quam nobis odor e cloaca, & mephite ingratus est, tam unguenti odor opportunus & utilis est, modo modus hic qui in aliis rebus teneatur. In Arabia Felici tanta odoris, ac tam varia copia est, ut homines in illa titillatione deficiant, nisi cornua boum, & aliorum animantium adurant, ait Strabo. Certe magnus ille Aaron unguentum capiti affundere solitus erat, quod in barbam descenderet. Christo Domino pisticum
D unguentum capiti aspersum est, quod quia non adulteratum erat, sed fideliter ac syncere factum, nomen a fide reperit. Fuit autem unguentum in usu apud Hebr. multis sæculis antequam Græcis innotuisset. Hippocrates certe in eo libro qui *Medicus* inscribitur, laudat medicum qui placere cupiat unguentis odoratis quæ suspicione careant. Adhibeat medicus unguenta non ad luxum, sed quia cum ægrotis sæpe versatur ad valetudinem. Unguentum rebus nauci admiscendum non est. Ideo Aristotel. libro *de sensu, & sensili* probat illud Stratidis in Euripidem, ὅταν φακῆν ἕψηται μὴ ἐπιχεῖν μῦρον, cum lenticula coquitur non infundas un-
E guentum, quod tamen melioribus cibis utiliter admiscetur. Sed unguentum utilius est potionibus, ut *ibidem* docet Aristot. οἱ δὲ νῦν εἰς τὰ πόματα μιγνύντες τὰς τοιαύτας δυνάμεις. *Hodie miscent unguenta potionibus.* Aristoph. Unguenta sæpe ad luxum adhibita ostendit in *Pluto,* ὅτε μύροισι μυρίσαι σακτοῖς ὁπότεν νυμφίων ἀγάγησθον. *In Acharnensibus,* στέφανοι, μύρον, τραγήματα. Apud Athenæum, *l.* XII. Initio Empedocles ait Venerem placari unguentis odoratis. Unguenta si luxi serviunt e medio tollantur. Bene ergo apud Plutarchum in *Laconicis*, Lycurgus expulit urbe unguentum tanquam olei
F perniciem. Seplasiarii Capuæ Hannibalis exercitum effeminarunt. Seneca c. XIII. *l.* IV. *quæst. naturalium.* Unguentarios Lacedæmonii urbe expulerunt, quia oleum disperderent. Athen. *l.* IV. scribit Solonem prohibuisse Athenis unguenta vendi. Ægyptii unguentis ad luxum abusi sunt. Diodorus enim Siculus *l.* II. prodit Myrin regem Æ[illegible] piscium vectigal cujusdam lacus ad Memp[illegible] disse uxori ad unguenta. Sed & Græci ungue[illegible] abusi. Anacreon Hippocrate antiquior frequ[illegible] unguenta commemorat. Apud Athenæum [illegible]

Xenophanes longe antiquior Hippocrate unguenta in conviviis adhibita ostendit. In veteri Instrumento Asa Rex mortuus, in lecto unguentis meretriciis pleno collocatus est. Judith facie unguento delibuta perrexit ad Olofernem. Quare fallitur Plinius *l.* XIII. c.I. Qui unguenta Iliacis temporibus ignota fuisse scribit. Athen. *l.* XV. illud *Iliad.* Ψ. A

—— ῥοδόεντι δὲ χρῖεν ἐλαίῳ

de unguento accipit, ut & Eustathius. Archilochus qui Romuli ætate floruit voce μύρου est usus. Homerus *Iliad.* Ξ. de Junone;

—— ἀλείψατο δὲ λίπ' ἐλαίῳ
Ἀμβροσίῳ, ἑδανῷ, τό οἱ τεθυωμένον ἦεν.

Unxerunt pingui oleo divino suavi quod ei odorem spirabat. Idem *Iliad.* VI. B

Ἐν δ' ὠτειλὰς πλῆσαν ἀλείφατος ἐννεώροιο.
Vulnera Patrocli repleverunt unguento novem annorum.

Didymus *l.* II. *Odyss.* εὐῶδες ἔλαιον, *ἥδιον μῦρον* interpretatur. Plinius *ibidem*, primum quod equidem inveniam castris Darii regis expugnatis in reliquo ejus apparatu Alexander cœpit scrinium unguentorum. Male, cum Herodotus scribat Cambysem Persarum regem misisse ad regem Æthiopiæ alabastrum unguenti. Plinius c. III. *ibidem.* Certum est Antiocho rege, Asiaque devictis, urbis anno 565. Publium Licinium Crassum, Julium Cæsarem Censores edixisse, ne quis unguenta venderet exotica. Hippocrates meminit unguenti Ægyptii albi, item Amaracini, Anthini, Bacharii, Cedrini, Irini, Nardini, rosacei, Susini, Mendesii, Metopii, quia lignum ex quo galbanum nascitur in Ægypto metopium dicitur, ut docet Dioscorides. Galenus Ægyptium album vocari ait Susinum. Plinius *l.*XIII.c.I.Persarum debet esse gentis inventum. Illi madent eo. Cap. III. Ægyptum ait terrarum omnium unguentis accommodatissimam. Pollux *l.* VI. c. XIX. Theophrastus libro *de odoribus.* χρωματίζουσι δὲ ἀμαράκινον, ῥόδινον, μεταλλεῖον, ἀχρωμάτιστα δὲ τῶν μὲν πολυτελῶν αἰγύπτιον. μήλινον, κύπρος. τὰ δὲ εὐτελῆ πάντα. ταῦτα δὲ ἀχρωμάτιστα. διότι τὸ μὲν αἰγύπτιον, καὶ κύπρον λευκὰ εἶναι βούλονται. τὸ δὲ μήλινον ἀπὸ τῶν μήλων χροίαν. τοῖς δὲ εὐτελέσι οὐ λυσιτελεῖ τὸ χρῶμα προστιθέναι. Athenæus *l.* XIII. Athenis vetitum lege Solonis ne quis civis Atticus μυρεψικὰ faceret. Unguentum Telinum, Tertullianus *lib. de Pallio* c. V. Unguentum Metallium. Hesychius μεταλλός τις σικελιώτης ὃς τὸ μεταλλεῖον μύρον κατασκευὴν εὗρεν. Metallus quidam Siculus artificium metallii unguenti reperit. Aristophanes μῦρον εὕρημα μετάλλου. Capillis affundebant unguentum inter vina. Propertius, E

Jam dudum Tyrio madefactus tempora nardo
Debueram sertis implicuisse comas.

Martialis *l.* III. epigr. LXV.

Quod madidis nardo sparsa corona comis.

Barbam ipsam unguento illinebant. Euphemus apud Pollucem *l.* X. λύε μοι τὰ ἀλαβάστρια, καὶ τῇ σπάθῃ ὃ τῆς πώγωνά μου, καὶ τὴν ὑπήνην μύρισον. De unguentis ex Ægypto & Judæa Marcellus Medicus,

Quodque ab Idumæis vectum seplasia vendit,
Et quicquid confert medicis lalagea cataplus.

Seplasia Capuæ vicus ubi unguentarii. Persius sat. VI. F

—— Ceu spirent cinnama surdum,
Ceu ceraso peccent casiæ.

Hesychius ἴσορχον μύρου εἶδος. Juvenalis sat. II. opobalsama commemorat,

—— Hirsuto spirent opobalsama collo
Quæ tibi?

Propertius murrhina,

Aut quid Orontea crines perfundere myrrha.

Nonnus initio *l.* XXXIII. conficiendi unguenti rationem exponit.

Ὄφρα πυριπνείστων παφίων ἐντοσθε λεβήτων
Ἀσσυρίου μίξασα χυτὰς ὠδῖνας ἐλαίου
Ἄνθεσιν ἰνδώοισι μύρον τεύξειεν ἀνάσσῃ.

Ælianus *l.* IX. *Var.* Quosdam luxu perditos fuisse ait, quia μύροις δάπεδον ἐρραίνετο. Unguentarius celeberrimus fuit Cosmus ille apud Martialem *l* III. epigr. LXXXII.

Et Cosmianis ipse fusus ampullis,
Non erubescit murice aureo nobis
Dividere mœchæ pauperis capillare.

Et epigr. LV.

Quod quacunque venis Cosmum migrare putamus,
Et fluere excusso cinnama fusa vitro.

Unguenta Nicerotis laudat idem Poeta *lib.* VI. epigram. LV.

Et nido niger alitis superbæ
Fragras plumbea Nicerotiana.

Idem *l.* X. epigr. XXXVIII.

—— Lucerna
Nimbis ebria Nicerotianis.

Et *l.* XII. ep. LXVI.

Utrumne Cosmi, Nicerotis an libram.

Lib. XI. ep. IX.

Lasso quod externi spirant opobalsama Drauci,
Quod Cosmi redolent alabastra, focique Deorum.

Amomum nigrum erat. Idem *l.* XII. epigr. XVII.

Circumfusa rosis, & nigra recumbit amomo.

Persius sat. II.

Hæc sibi corrupto casiam dissolvit olivo.

Virgilius *Georg.* II.

Nec Casia nitidi corrumpitur usus olivi.

Horatius *l.* II. od. VII.

—— Funde capacibus
Unguenta de conchis.

Lib. IV. od. XII.

Nardi parvus onyx eliciet cadum.
Unge puer malobathro Syrio capillos.

Prudentius,

Ut mitra cæsariem cohibens aurata virilem
Combibat infusum croceo religamine nardum.

Horatius *Epod.* od. XIII.

—— Nunc & Achemænia
Perfundi nardo juvat.

Athenæus *l.* XII. sub finem, Athenis etiam pedes unguento ἀλείφουσι. Heraclitus in *Epist.*

Ἡ πᾶς τῶν ἐλαίων φθορὰς ἐν μύροις.

Juvenalis sat. IV.

Et matutino sudans Crispinus amomo,
Quantum vix redolent duo funera.

Et sat. VI.

—— Mœchis foliata parantur.
Adjunctis unguenta rosis.

Et sat. VIII.

—— Assiduo Syrophœnix udus amomo.

Cosmus & Niceros erat unguentarii. Cosmi ahenum laudat Juvenalis. Nigra unguenta erant. Martialis,

Crine nitens niger unguentis.

Pisticum unguentum sæpe commemorat Anastas. Bibliothecarius in *Pontif. Rom.* Virgines unguentis usæ. Theocritus,

Χεῖρας φοιβήσασα μύροις ἔτι παρθένος.

Manus purgans & tergens unguentis cum esset adhuc virgo. Hesiodus *l.* II.

Οὔπω ἔργα εἰδυῖα πολυχρύσου ἀφροδίτης,
Εὖτε λοεσσαμένη τερένα χρόα, καὶ λίπ' ἐλαίῳ.

Nondum sciens operum Veneris aureæ, quando lota & uncta pingui oleo tenerum corpus, ubi Scholiastes, ἠλείφοντο πρώην αἱ παρθένοι τῷ τοῦ βαλσάμου ἐλαίῳ. Clemens Alexand. *l.* II. *Pædag.* c. VIII. μῦρον βρένθιον a flore μετάλλιον ab auctore, βασίλειον, πλαγ-

γόνιον

γόνιον a Plangone inventore, μῦρον τὸ ἀπὸ κρίνων, τὸ ἀπὸ τῆς κύπρου. Consule Clementem, & Athenæum lib. XII. & XIII. & Pollucem lib. VI. cap. XIX. Plinium lib. XIII. cap. III. Valerius Maxim. scribit Jonas primos induxisse morem unguentorum, & coronarum in conviviis, quare dicti μυροβρόχοι. Romæ unguenta olim in vitio fuere. Cajus Tutius in *orat. de lege Fannia*, Ludunt alea studiose unguentis delibuti. Cicero *post reditum in Senatu* de Pisone, stupri plenus, madente coma, composito capillo. *Pro Sestio* de Gabinio, unguentis delibutus, calamistrata coma. Martialis lib. II. epigr. XXIX.

Cujus olet toto pinguis coma Marcelliano.

A Marcelo pigmentario nobili. Agathias de quodam juvene molli. ἀβροσταγὲς ἔχων ἀεὶ τὸ μέτωπον καὶ τοὺς βοστρύχους. Martialis lib. VIII. epigr. LXXVII.

Si sapis, Assyrio semper tibi crinis amomo
Splendeat, & cingant florea serta caput.

Archestratus in *Gastrinomia*,

Αἰεὶ δὲ στεφάνοισι κάρα παρὰ δαῖτα πυκάζου
Παντοδαποῖς οἷς ἂν γαίας πέδον ὄλβιον ἀνθεῖ,
Καὶ σακτοῖσι μύροις ἀγαθοῖς χαίτην θεράπευε.

Croco imbuebant crines. Propertius,

Terque lavet nostras spissa cilissa comas.

Quod alii de nardo accipiunt. At Hercule jam quidam etiam unguenta in potu addunt. Martialis lib. II. epigr. XII.

Unguentum fateor bonum dedisti,
Corneli, mihi, sed nihil scidisti.

Justinus lib. IX. Non in conviviis risit, non ludos inter epulas adhibuit Ptolemæus parricida, non coronas, aut unguenta sumpsit. Cicero lib. I. *ad Atticum*. Porro unguentum intelligo oleum odoratum, ac velut unguentarium, alioqui plebejum admiscere oleum lenti nihil prodigiosum. Nero unguenta cum floribus spargere solitus. Suetonius in *Nerone*. Cœnationes laqueatæ tabulis eburneis versatilibus, ut flores ex fistulis, & unguenta desuper spargerentur, in *Julio* cap. LIII. Circa victum C. Oppius adeo indifferentem docet, ut quondam ab hospite conditum oleum pro viridi appositum aspernantibus cæteris, solum etiam largius dicat appetisse. Plutarchus vertit μῦρον. Unguento uti pro oleo est hominis simplicis, & ἀπειροκάλου. Horatius de quodam Nævio rustico.

— *Nec sic ut simplex Nævius, unctam*
Convivis præbebit aquam. Vitium hoc quoque magnum.

Plutarchus ait Cæsari appositos asparagos καὶ μῦρον ἀντ' ἐλαίου. Suetonius de Nerone. Indicebat & familiaribus cœnas, quorum uni mellita quadragesies H-S. constitit, alteri pluris aspersio rosacea. Ita omnino legendum, & notat cœnam non dissimilem illi, de qua Plutarchus in *Othone*, λέγεται πολλαχόθεν ἀργυροῦς καὶ χρυσοῦς προβάλλειν ἄφνω σωλῆνας ὥσπερ ὕδωρ τὸ μῦρον ἐκχέοντας, καὶ κατακλύζοντας, *argenteos aureosque tubos multis locis repente emisisse unguentum instar aquæ effundentes, omniaque rigantes*. Pro *mellito* veteres libri habent *mitellita*. Plutarchus lib. III. *Sympos.* τόγε μῦρον τοῦτο τῆς ἀνθίνης ταύτης καὶ μαραινομένης ἐν ταῖς χερσὶ τῶν στεφανηπλόκων ποταπωτέραν ἀναδίδωσιν ὀδωδίαν. Simplex est, & insulsus qui τὸ ἐπὶ φακῇ μῦρον adhibet, cum oleum adhibere debeat. Catullus de unguento optimo,

Nam unguentum dabo quod meæ puellæ
Donarunt Veneres, Cupidinesque,
Quod tu quum olfacies Deos rogabis
Totum ut te faciant Fabulle nasum.

Pollux lib. VI. cap. XIX. ὅτι δὲ καὶ μῦρον ἐν τοῖς συμποσίοις, ἐπιμνηστέον. μῦρον μεγαλήσιον ἀπὸ μεγάλου σικελιώτου, καὶ πλαγγόνιον ἀπὸ πλάγγονος, καὶ βερενίκιον ἐκ λυδίας, νάρδινον, βαβυλωνιακὸν, αἰγύπτιον τὸ μέλαν. σάγδας δὲ αἰγύπτιον ἦν μῦρον. μῦρα δὲ εἴδεσται, καὶ βάκκαριν, καὶ ἀμάρακον, καὶ ἶριν. ἐκ δὲ κύπρου, καὶ κρίνου μῦρον ἀβδελώνυμος ὁ σικυώνιος ἀλεξάνδρῳ ἔπεμψε. σφόδρα δὲ ἦν ἐνδόκιμον τὸ βασίλειον. De unguentis vide Dioscoridem lib. I. cap. LIII. & sequentibus, & Pollucem lib. VI. cap. XIX. & Plinium lib. XIII. cap. I. II. III. IV.

CAP. XXIX.

DE LUDIS INTER EPULAS.

Quia convivia lætitiæ dicantur, ludi, acroamata, tibicines, cantus, & cætera id genus oblectamenta semper apud Veteres conviviis adhibita. Apud Suetonium Augustus ait, inter cœnam lusimus γεροντικῶς talis jactatis. Et cap. LXXII. Si vellent inter se inter cœnam, vel talis, vel par impar ludere. Lusitani saltant ad mensam, ait Strabo. Ælius Verus Imper. apud Capitolinum frequentius pugnas in convivio habuit, post convivium lusum est tesseris usque ad lucem. Suidas, ἔθος τοῖς νέοις δειπνοῦσι, καὶ νυκτερεύουσι κατασχῶν τῶν κοιμωμένων τῶν ἑώλων δείπνων τοὺς ζωμοὺς πρὸς τοιαύτην παιδιὰν κεκραμένους, ὅθεν ἑωλοκρασία τὸ χθιζὸν βρῶμα. *Moris fuit juvenibus cœnantibus, & pernoctantibus colligere, & servare eorum qui dormiunt juscula hesternæ cœnæ mixta simul ad lusum, unde & colocrasia dicitur hesternus cibus*. Vide Tzetzen *Chiliad.* VI. cap. VIII. In conviviis canebant, loca e Poetis proponebant, gryphos afferebant. Theophrastus in *Characteribus*, αὐθάδης οὔτ' ᾆσαι, οὔτε ῥῆσιν εἰπεῖν, οὔτ' ὀρχήσασθαι ἂν ἐθελῆσαι ἐν συμποσίῳ. *Contumax in convivio canere, locum e Poeta proponere, qui canatur assa voce, saltare non vult*. Dixi convivia lætitiæ dicari, quam ut omnes fruerentur τὰ βούγλωσσα καταμιγνύντες εἰς τὸν οἶνον, καὶ τοῖς ἀποβρέγμασι τῶν περιστερεώνων, καὶ ἀδιάντων τὰ ἐδάφη ῥαίνοντες πρὸς εὐθυμίαν, τοῖς ἑστιωμένοις, ex Homero lib. IV. *Odyss.* ait Plutarchus *Sympos.* I. cap. I. Miscentes buglossa, herbas in vinum, & aspergentes pavimentum verbenarum, & adiantorum, ut hilaritatem convivis crearent. Maximus Tyrius *Sermone* XIII. scribit Ænianes in Ponto inter vina ita oblectari, εὐφραίνεσθαι. Duo viri pugnant tertio aliquo canente: unus agricolam agit, & arat; alter latronem armatum, prope agricolam arma sunt, quæ ille arripit incurrente latrone, & fortiter cum eo pugnat, utrinque feriunt, & feriuntur imitati pugnantium vulnera, & casus. In Thracia convivæ inter vina per jocum nectebant nodum e trabe quem supposito scamno collo aptabant, manu falciculam, aut cultellum tenebant, subtrahebatur scamnum, si is qui e trabe pendebat scienter, & propere nodum cultello abscinderet, consulebat vitæ suæ, si esset tardior, & hebetior, sæpe strangulabatur, cæteri mortuum risui habebant.

CAP. XXX.

DE ACROAMATIS.

Conviviis olim adhibebant acroamata, tibicines, tibicinas, citharœdos, psaltrias, miraculorum patratores, qui in enses insilirent, ut apud Platonem, & Xenophontem in *convivio Socratis*. Apud Suetonium c. LXXIV. Augustus aut acroamata, & histriones, aut etiam triviales ex circo ludios, & frequentius Aretalogos adhibebat. Adhibebantur item conviviis fidicines, fidicinæ, saltatrices, crotalistriæ, citharœdi. Ammianus lib. XXX. Quumque apponerentur exquisitæ cupediæ, & ædes pulsu nervorum, & articulato, flatilique sonitu resonarent, jam vino incalescente. Trimalcio hæc acroamata apud Petron. adhibet,

Memphitides puellæ, sacris Deum paratæ, tinctæ colore noctis
Puer manu loquaci, trementibus labellis.

Juvenalis Sat. XI.

Forsitan exspectes ut Gaditana canoro
Incipiat prurire choro.

Macrobius lib. II. *Saturn.* cap. I. Non defuere qui psaltriam intromitti peterent, ut puella ex industria supra naturam mollior, canora dulcedine, & saltationis lubrico exerceat illecebris philosophantes. Ambrosius *de Cain & Abel*, Saltatrices tonsæ, & crispantes comam. Athenæus lib. IV. In convivio Antonii fuisse τὰ ἐξ Ἰταλίας ἀκροάματα, histriones, mimos ex Italia, quos super convivium varia recitaturos, aut cantu, & jocularibus dictis voluptati futuros accersiverat. Quoties nova fercula inferebantur toties hydraulica insonabant instrumenta. Petronius. Processit statim scissor, & ad symphoniam ita gesticulatus laceravit obsonium, ut putares Darium hydraule cantante pugnare. Apud Sidonium Apol. lib. I. ep. II. Dum epularetur Rex Gothorum Theodoricus nulla organa hydraulica ut apud alios reges sonabant. Cicero IV. *Tuscul.* dixit Cato in originibus morem apud Majores hunc fuisse, ut deinceps qui accubarent canerent ad tibias clarorum virorum laudes, ac virtutes. Arnobius lib. IV. Scribuntur Dii vestri in tricliniis cœlestibus, atque in Chalcidicis aureis cœnitare, potare, & ad ultimum fidibus, & vocum modulatione repleri. Seneca lib. *de beata vita*. Vides hos eosdem e lectis suis spectantes popinam suam, aures vocum sono, spectaculis oculos, saporibus palatum suum oblectantes. Livius lib. XXIX. Tunc psaltriæ, sambucistriæque, & convivalia ludionum oblectamenta addita epulis. Ante devictam Asiam veterum Romanorum epulis fides ac tibias adhibere moris, ait Quintilian. lib. I. *Instit.* cap. XIV. Victa Asia psaltrias etiam adhibuerunt. Acroamata sunt proprie symphoniaci pueri apud Macrob. lib II. *Saturnal.* cap. IV. Apud Eginghartum Carolus Magnus inter cœnandum aut aliquod acroama, aut lectorem audiebat. Plutarchus lib. VI. *Sympos.* cap. VII. Platonis Dialogos dramaticos, non diegematicos pueri discebant, & in conviviis apud viros graves exhibebant. Plinius lib. IX. Post cœnam privati etiam comœdiam, aut lyristen inducebant, cum lyristes in cœnam inductus est calceos poscunt, aut non minore cum tædio recubant. Valerius Maxim. lib. II. cap. I. Majores natu in conviviis ad tibiam egregia superiorum opera carmine pangebant, vel ut Cicero ait, præclara virorum fortium facinora ad tibiam cantabant, I. *Tuscul.* Sidonius lib. IX. epist. XIII.

Pede, voce, veste Bacchas,
Thymelen, Palenque doctas
Citharistrias Corinthus, &c.
Bimari remittat urbe
Tepidas ad officinas
Digiti quibus canentes
Pariter sonante lingua
Animata fila pulsu
Satyris amica nudis, &c.

Theodosius tamen prohibuerat psaltrias comissationibus adhiberi, ut scribit Aurel. Victor. Gallienus mensam secundam scurrarum, & mimorum semper habuerat, ait Trebellius. Athenæus lib. IV. Post secundas mensas πόρναι καὶ θαυματοποιοὶ inducti, miraculorum patratores, & scorta. Xenophon in *Symposio*, πρῶτον μὲν ὥσπερ εἰκὸς ἦν ἐπαινοῦντες τὴν κλῆσιν οὐχ ὑπισχνοῦντο συνδειπνήσειν, ὡς δ᾽ ἀφῃρέθησαν αἱ τράπεζαι, καὶ ἐσπείσαντο, καὶ ἐπαιάνισαν, ἔρχεταί τις αὐτοῖς ἐπὶ κῶμον ἔχων τε αὐλητρίδα ἀγαθὴν, καὶ ὀρχηστρίδα τῶν τὰ θαύματα δυναμένων ποιεῖν, ταῦτα δὲ καὶ ἐπιδεικνὺς ὡς ἐν θαύματι ἀργύριον ἐλάμβανεν.

A *Primum quidem, ut par erat, cum laudassent vocationem, non se promiserunt cœnaturos, cum autem mensæ essent sublatæ & libassent, & pæanem cecinissent, quidam venit ad eos comessatum, habens optimam tibicinam, & saltatricem miracula patrantem. Quæ cum ostendisset, argento donata est.* Plato in *Protagora* scribit homines quadrantarios, & de foro ac trivio, quia non possunt honestis & elegantibus sermonibus se oblectare inter epulas, neque cantu ad tibiam fortium virorum laudes canere, in convivia tibicinas advocare, ut aliena voce suam inscitiam sublevent. Ubi autem convivæ belle instituti conveniunt,
B non reperias apud eos tibicinas, psaltrias, saltatrices, quia ipsi voce sua se oblectant, & eleganti consortio mutuaque sermonum vice solantur. ὁμοιότατον τοῖς συμποσίοις τοῖς τῶν φαύλων καὶ ἀγοραίων ἀνθρώπων. καὶ γὰρ οὗτοι διὰ τὸ μὴ δύνασθαι ἀλλήλοις δι᾽ ἑαυτῶν συνεῖναι ἐν τῷ πότῳ, μηδὲ διὰ τῆς ἑαυτῶν φωνῆς καὶ τῶν λόγων τῶν ἑαυτῶν ὑπὸ ἀπαιδευσίας τιμίας ποιοῦσι τὰς αὐλητρίδας πολλοῦ μισθούμενοι ἀλλοτρίαν φωνὴν τῶν αὐλῶν, ὅπου δὲ καλοὶ κἀγαθοὶ συμπόται, καὶ πεπαιδευμένοι οὐκ ἂν ἴδοις οὔτ᾽ αὐλητρίδας, οὔτ᾽ ὀρχηστρίδας, οὐδὲ ψαλτρίας, ἀλλ᾽ αὐτοὺς αὑτοῖς ἱκανοὺς ὄντας συνεῖναι διὰ τῆς αὐτῶν φωνῆς. Plutarchus *Sympos.* VI. c. VI.
C scribit Philosophos αὐλητρίας *tibicinas*, & comœdias in conviviis adhibuisse. Livius lib. XXXIX Antiocho victo primum Romæ psaltriæ, sambucistriæque, & convivalia ludionum oblectamenta epulis addita. Ibi multa verba quibus honor auribus præfandus sit jaciebantur, idcirco virgo de convivio abdicatur, ait Varro, ideo quod majores nostri virginis acerbæ aures Veneris vocabulis imbui noluerunt. Virgilius XI. *Æneid.*

Aut ubi curva choros indixit tibia Bacchi,
Exspectare dapes, & plenæ pocula mensæ,
Hic amor, hoc studium, dum sacra secundus aruspex
D *Nuntiet, ac lucos vocet hostia pinguis in altos.*

κωμασταὶ comessatores, & tibicinæ non vocati, ibant tamen in ædes ubi convivia agitabantur, ut docet Plato in *Convivio*. Quintilianus lib. I. cap. I. Omne convivium pudendis canticis strepit.

CAP. XXXI.

DE SCURRIS.

E SCurræ qui facete dicta jacerent in convivia venire soliti. Gallienus mensam secundam scurrarum, & mimorum semper habuerat, ait Victor. Mulierculæ etiam secum accumbere jubebant homines fastigiato capite, distorto vultu, sicinnis portentis oblectatæ, ait Clemens l. IV. c. IV. *Pædag.* καὶ συνανακλίνονται τοῖς φοξοῖς παίζουσαι, σικίννοις τέρασι γαννύμεναι. Seneca ep. CXXIII. Varus eques Roman. cœnarum bonarum affectator, quas improbitate linguæ merebatur. Juvenalis Sat. IX.

Conviva joco mordente facetus,
Et salibus vehemens.
F *Curtius & natto buccæ.*

Sat. III.

Perpetui comites, notæque per oppida buccæ.

Glos. τρίβαλλοι, scurræ, copriæ, urbani. Buccæ, & buccellarii, qui aliena buccea, hoc est, quadra vivunt. Buccones παράσιτοι, βουκίωνες bucceæ panis βλωμοί. βλωμιαῖοι ἄρτοι Athenæo quadrati. Buccones isti utplurimum erant comedones, glutones: μεσαγοδορποχέστης, ὁ μεσεῖ τος τῶν δόρπου ἀποπατῶν πρὸς τὸ πάλιν ἐμπίπλασθαι. Eustat. qui inter cœnandum exonerat ventrem, ut iterum cibis eum oneret. Sutrius Vetus auctor, summates viri simplones fa-

A ćti sunt, ganei. Simpulum, simpulatores, simplones. φαγένυεις, τρώκτης φάγος, fagones, οἱ πολλὰ ἐσθίοντες, φαγέσαρκος, γεμίας gulosus, γέμισμα, πλήρωμα, cibicida, καταφαγάς, μάκτ, μάρσιπποι, marsupia ciborum, voragines, currunt ad escas scurræ;

Vivite lurcones, comedones, vivite ventres.

Comedones apud Athenæum dicuntur ἐπὶ δεῖπνον ἄμαχοι. Ælianus l. I. *Var.* καὶ πᾶν ὁτιοῦν φαγεῖν ἄμαχοι, invicti comedones, glutones, λάσαυροι, catillones. Athenæus lib. XII. καὶ τὸ παρὰ τοῖς πολλοῖς λασαυροκάκκαβον βρῶμα καλούμενον, cibus lastauro caccabus, quia liguritores os suum inquinabant, ut viderentur caccabi. B κοιλιοδαίμων, cujus Deus venter est, ταγηνοκνισοθήρας πρὸς τὸ φαγεῖν ζῶν, qui venatur nidorem sartaginis, qui vivit ut edat. Palladius in *histor. Laus.* κοιλιόδουλος, ὀλβιογάστωρ, *servus ventris, ventre dives*. Clemens Alexand. καί μοι δοκεῖ ὁ τοιοῦτος ἄνθρωπος οὐδὲν ἄλλο ἢ γνάθος εἶναι, videtur mihi homo iste totus maxilla esse. τηγάνῳ σύντροφοι, qui inter sartagines aluntur. Eubulus τευτλοπανοθρέπτους vocat sordide viventes, πιθογάστρους, qui doliarem ventrem habent, γάστρωνας, πίθους, ἀσκοὺς, *ventres, dolia, utres, vidulos, saccos*, θυλάκους, qui lambunt nidorem, κνισοκόλακας. C Apud Athenæum ὀψοφάγοι piscivori dicuntur. Antagoras Poeta, οὐκ εἴα τὸν παῖδα ἀλεῖψαι τὸν ἰχθὺν, ἀλλὰ λοῦσαι. *Non sinebat servum piscem oleo ungere, sed aqua tantum lavare.* Quidam λοῦσαι ἐλαίῳ, *lavare oleo* intelligunt. Sed quis fando audivit pisces oleo, non aqua lotos? Andocides pictor piscivorus fuit, Philoxenus item Cytherius, & Hyperides orator, qui tantus erat gluto piscium, ut ejus causa larus, gavia, mergus, & aliæ aves piscivoræ fierent Syræ, id est, abstinere piscibus cogerentur, ait ille apud Athenæum, ὥστε λάρους εἶναι σύρους. Diocles item Medicus opsophagus erat, & Bion piscivorus. Hippocrates lib. II. *de ratione victus*. D lib. *de aere & aquis*, edaces vocat ἀριστήτας, qui jentarent. Dapinare autem apud Plautum est præbere cibum. In *Captivis*, æternum tibi dapinabo cibum. Dapatice accipiam te. Daps δάπτω, δαρδάπτω Græcis.

CAP. XXXII.

DE SCOLIO.

SColiorum argumenta fuere vitæ præcepta, quæ non nisi a doctis dari potuere. Plæraque illorum septem Sapientum dicta continent, quæ ᾀδόμενα seu *decantata* olim dicta sunt, quia moris E erat ea cantare in conviviis. Moris item fuit in conviviis ut saltarent & lascivia uterentur inconditis corporis motibus. Græci κολαβρίζειν & σκιρτᾶν dicunt. κολαβρισμὸς genus saltationis lascivæ. κόλαβροι sunt cantilenæ, & cantus.

CAP. XXXIII.

DE SCOLIO, ET CANTU.

MUlta fuere cantica quibus Veteres in conviviis usi. Athenis erat canticum Harmodium appellatum, cujus initium, Amantissime F Harmodi nondum mortuus es. Erat & Melos Admeti, tertium Lamponis. Suidas in voce *Scolion*, ἐν τοῖς τῶν ποτῶν συνόδοις ᾖδον μέλος τι ἁρμόδιον οὗ ἡ ἀρχὴ, φίλτατε ἁρμόδιε οὔτι που τέθνηκας. Plutarchus in *Sympos.* I. τὰ σκόλιά φασι οὐ γένος ᾀσμάτων εἶναι πεποιημένον ἀσαφῶς, ἀλλ' ὅτι πρῶτον μὲν ᾖδον ᾠδὴν τῷ θεῷ κοινῶς ἅπαντες μιᾷ φωνῇ παιανίζοντες, δεύτερον δ' ἑκάστῳ μυρσίνης παραδιδομένης ἣν ἄσαρον. ἐπὶ δὲ τούτῳ λύρας περιφερομένης. *Dicunt scolia non esse genus cantici factum obscure, sed quia primum ca-*

A *nebant canticum Dei in commune omnes una voce Pæanem citantes, alterum canticum canebant myrthea corona unicuique data quam asaron vocabant. Doctus canebat, indoctus cum detrectaret dictum scolion.* Ita & Hesychius, σκολιὰν τὴν παροίνιον ᾠδὴν, οὐ διὰ τὸν τῆς μελοποιίας τρόπον ὅτι σκολιὸς ἦν, ἀλλ' ὅτι οὐχ ἅπαντες ᾖδον αὐτά, ἀλλὰ μόνοι οἱ συνετοί. *Scolium canticum vocant convivale, non propter modum carminis, quia flexuosus esset, sed quia non omnes canebant ejusmodi cantica, sed soli docti.* Aristides in *Eteonem*, καλὸν δὲ τὸν Ἐτεώνα ἐν σκολίοις ὥστε ἁρμόδιον ᾄδειν, *pulcrum Ercona in Scholiis ut Armodium canere*. Clemens lib. II. *Pædag.* cap. IV. B ἕλληνες κατὰ τὰς συμποτικὰς εὐωχίας ἑβραϊκῶν κατ' εἰκόνα ψαλμῶν ᾆσμα τὸ καλούμενον σκόλιον ᾖδον κοινῶς ἁπάντων ἅμα φωνῇ παιανιζόντων, ἔστιν ὅτε δὲ περιλιττόντων καὶ ἐν μέρει τὰς προπόσεις τῆς ᾠδῆς. οἱ δὲ μουσικώτεροι αὐτῶν καὶ πρὸς λύραν ᾖδον. *Græci in conviviis ad morem Psalmorum Hebraicorum canticum Scolion dictum canebant communiter, omnibus simul voce pæanem citantibus, interdum & involventibus propinationes in parte cum cantico. Qui Musicæ scientiores erant canebant etiam ad lyram.* Hesychius, ἔθος ἦν ἐν τοῖς συμποσίοις τὸν μὴ δυνάμενον ᾆσαι δάφνης κλῶνα ἢ μυρρίνης λαβόντα πρὸς αὑτὸν ἀείδειν, C αἶαν παῖ τελαμῶνος, ἤ τι σκόλιον γεγραμμένον εἰς αἴαντα. *Moris fuit in conviviis ut qui canere non posset, lauri ramum aut myrthi capiens apud se caneret, Ajax fili Telamonis, aut aliquod Scolion scriptum in Ajantem.* Idem, Ἁρμοδίου μέλος τὸ ἐπὶ ἁρμοδίῳ ποιηθὲν σκόλιον ὑπὸ καλλιστράτου. *Armodii carmen Scolium factum a Callistrato in Armodium.* Pollux lib. VI. cap. X. ᾄσματα, καὶ σκόλια παροίνια, καὶ μυρρίνην τινὲς ἐπιδέξια περιφέροντες, καὶ ἐκπώματα, καὶ λύραν ᾄδειν ἠξίουν. *Cantica & Scolia inter vina, & myrtheam coronam quidam a dextro latere circumferentes, & pocula & lyram rogabant convivas ut canerent.* Plato in *Protagora*, σὲ ἀκηκοέναι ἐν D τοῖς συμποσίοις ᾀδόντων ἀνθρώπων τοῦτο τὸ σκόλιον, ἐν ᾧ καταριθμοῦνται λέγοντες, ὅτι ὑγιαίνειν μὲν ἄριστόν ἐστι, τὸ δὲ δεύτερον καλὸν γενέσθαι, τρίτον δὲ τὸ πλουτεῖν ἀδόλως. *Te audivisse in conviviis canentes hoc Scolion, optimum esse integra valetudine frui, deinde pulcrum esse, tertio divitem sine fraude.* In *Apophthegmatis regum* Plutarchus, ἐν δὲ συμποσίῳ λύρας συμπεριφερομένης καὶ ᾀδόντων ἐφεξῆς, *in convivio cum lyra circumferretur, & canerent ordine.* Cicero I. *Tuscul.* Solitos esse in epulis canere convivas ad tibicinem de clarorum hominum virtutibus. IV. *Tuscul.* Mos epularum hic fuit, ut deinceps qui accumberet, caneret ad tibiam clarorum E virorum laudes. Hesychius, περιέφερον ἐν τοῖς συμποσίοις ἐπὶ δεξιὰ τὸ πάλαι κιθάραν, εἶτα μυρρίνην πρὸς ἣν ᾖδον. *Circumferebant in conviviis citharam & myrtheam coronam ad dextrum latus ad quam canebant.* Demosthenes *de falsa legat.* honesta mulier refugit accumbere, κατακλίνεσθαι, & canere in convivio, quæ tamen ἡσυχῇ, & tranquille comederat. Hesychius scribit lauri, aut myrthi ramum παρὰ πότον διδόναι συνηθὲς, inter vina dare moris fuit accumbentibus per vices, ὑπὲρ τοῦ ᾆσαι ἀντὶ τοῦ βαρβίτου, ut canerent, dabatur, inquam, ramus ille loco barbiti. Manilius.

Ille dabit cantus inter convivia lætus.

F Seneca c. XI. *de vita beata*. Vides hos e suis lectis spectantes popinam suam, aures vocum sono, spectaculis oculos oblectantes. Sidonius ep. II. lib. I. Intromittuntur inter cœnandum mimici sales, ita ut nullus conviva mordacis linguæ felle feriatur. De convivio Theodorici Macrobius lib. II. *Saturn.* cap. IV. Delectatus inter cœnam pueris symphoniacis. Quintilianus lib. I. cap. X. Inter convivia laudes heroum ac Deorum canebant. Virgil. lib. I. *Æneid.* in epulis Didonis de citharœdo Jopa:

—— cithara crinitus Jopas
Personat aurata docuit quæ maximus Atlas
Hic canit errantem lunam, Solisque labores.

Moris autem fuit in epulis, ut post cœnam circumferretur lyra, quam cum respuisset Themistocles, quia lyra canere nesciret, indoctior habitus est. In Romanorum epulis fides ac tibiæ adhibitæ, teste Cicerone I. & IV. *Tusculana.* Romæ olim convivæ ipsi canebant ad tibias clarorum virorum laudes, sub Imperatoribus etiam sambucistriæ adhibitæ. Ammianus Marcel. lib. XXX. Quumque apponerentur exquisitæ cupediæ, & ædes amplæ nervorum articulato, perflatilique sonitu resultarent. Silius lib. VI. *de Duillio.*

Cui nocturnus honos, funalia clara, sacerque
Post epulas tibicen adest.

Horatius lib. III. od II.

—— tuque testudo
Divitum mensis, & amica templis.

Apud Sueton. lib. VI. cap. XXI. Nero reliquam diei partem per organa hydraulica novi & ignoti generis circumduxit. Apud Petronium hydraulæ in conviviis laudantur. Achilles Statius de Clitophonte & Leucippe, ἐὰν δ' ἀκοῦσαι θέλῃς τοῦ ὕδατος λαλοῦντος μικρὸν ἀνάμεινον ἐκπετάσας τὰ ὦτα. ἐπειδὰν γὰρ (ita lego) ὀλίγος ἄνεμος εἰς τὰς δίνας ἐμπέσῃ, τὸ μὲν ὕδωρ ὡς χορδὴ κρούεται, τὸ δὲ πνεῦμα τοῦ ὕδατος πλῆκτρον γίνεται, τὸ ῥεῦμα δὲ ὡς κιθάρα λαλεῖ. *Si volueris audire aquam loquentem expecta paulum apertis auribus. Quum enim exiguus ventus in vortices aquæ inciderit, aqua ut chorda tinnuit, fluctus ut cithara loquitur.* Apud Virgilium in convivio Didonis, Jopas, apud Homerum in epulo Alcinoi Demodocus canunt. Valerius Flac. l. I. *Argonaut.*

Vinaque, & æquoreos inter cum conjuge cives
Æcides, pulsatque chelyn post pocula Chiron.

Lib. III. *Argonaut.*

— & insignem cithara, cantuque fluenti.
Dorcea, qui dulci festis assistere mensis
Pectine, Bistoniæ magnum post ausus alumnum.

Apud Plutarchum in *Apophthegm.* Philippus Macedo inter cœnandum reprehendit cantorem, cui ille, ne tantum mali tibi o Rex eveniat, ut ista melius me noris. Symphoniaci pueri Romæ erant in deliciis, ut Cicero *pro Milone*, & Act. VI. *in Verrem*, qui symphoniacos sex cuidam amico suo Romam misit muneri, Seneca epist. LXXXIV. In comissationibus nostris plus cantorum est quam in theatris olim spectatorum fuit. Macrobius lib. II. *Sat.* cap. IV. Delectatus erat inter cœnam symphoniacis Toranii Flacci mangonis, atque eos frumento donaverat; quum in alia acromata fuisset liberalis. Gellius lib. I. cap. XI. fistulatores, fidicines, tibicines lascivientium deliciæ conviviorum. Claudianus lib. II. *Stilicon.*

— nullo citharæ convivia cantu,
Non pueri lasciva sonant.

Martialis lib. III. epigr. LXIII.

Cantica qui Nili, qui Gaditana susurrat.

Vide, si tanti est, quæ de hoc genere diximus in *Theatro nostro.*

CAP. XXXIV.

DE LIBATIONE.

VETERES in epulis soliti Diis libare ex patera leviter vini aliquid defundentes vel in mensam, vel in terram. Virgilius lib. VIII. *Æn.*

In mensam læti libant, divosque precantur.

Lib. V.

Hic duo rite mero libans carchesia Baccho
Fundit humi.
— extaque salsos
Porricit in fluctus, & vina liquentia fundit.

Pateram mero implebant, tum Deos affabantur, deinde fundebant aliquid humi, denique bibebant. I. *Æneid.*

Hic regina gravem gemmis auroque poposcit,
Implevitque mero pateram, quam Belus & omnes
A Belo soliti. Tum facta silentia tectis.
Juppiter hospitibus nam te dare jura loquuntur,
&c.
Dixit, & in mensa laticum libavit honores,
Primaque libato summo tenus attigit ore.
Tum Bitiæ dedit increpitans.

Diis μικρὸν κρέας in patella inferebant, de patera vinum fundebant. Ovidius lib. VI. *Fastor.*

Fert missos Vestæ pura patella cibos.

Persius Sat. III.

Cultrixque foci secura patella.

Quia ad focum Dii Lares. Lucianus in *Necricis*, καὶ μὴν σπένδοντες ἐν τοῖς συμποσίοις μεγάλῃ τῇ φωνῇ ἐπηύχοντό μοι τ' ἀγαθά. Et libantes in conviviis magna voce mihi fausta omnia precabantur. Livius lib. XXXIX. In conviviis bene precari, libare diis dapes mos est. Varro in *Manio*, oportet bonum civem legibus parere, Deos colere, in patellam dare μικρὸν κρέας. Athenæus lib. IV. σπένδειν θεοῖς. Unde tibicen utplurimum accinebat libationi. Plutarchus *Sympos.* I. Postquam mensæ sublatæ sunt, & coronæ a Melissa datæ, ἡμεῖς μὲν ἐσπείσαμεν, ἡ δ' αὐλητρὶς ἐπιφθεγξαμένη μικρὰ ταῖς σπονδαῖς, *nos quidem libavimus, tibicina autem pauca admurmurans libationibus.* Libabant enim sub finem convivii, & deinde abibant. σπείσαντες μούσαις, καὶ ποσειδῶνι, καὶ ἀμφιτρίτῃ διαλύομεν συμπόσιον, cum libassemus Musis, Neptuno, & Amphitrite, dissolvimus convivium. Ita & lib. *de Musica*, ταῦτα εἰπὼν ἐπαιώνισε, καὶ σπείσας τῷ κρόνῳ, καὶ τοῖς τούτου παισὶ θεοῖς πᾶσι ἀπέλυσε τοὺς ἑστιωμένους, *Sympos.* VI. τῷ ἑρμῇ πυμάτῳ σπένδοντες ὅτε μέλλοιεν κοίτης, *Mercurio ultimo libantes cum lectum petere volunt, & somnum.* Asconius III. *Verr.* Est Græcis mos συμπιεῖν κυαθιζομένους ut largius bibant, cum merum cyathis libant salutantes primo Deos, deinde amicos suos. Athenæus lib. IV. Arcades μετὰ τὸ δεῖπνον σπονδὰς ἐποιοῦντο, οὐκ ἀπονιψάμενοι τὰς χεῖρας, ἀλλὰ ἀποματτόμενοι τοῖς ψωμοῖς, καὶ τὴν ἀπομαγδαλιὰν ἕκαστος ἀπέφερε, τοῦτο ποιοῦντες ἕνεκα τῶν ἐν ταῖς ἀμφόδοις γινομένων φόβων, ἀπὸ δὲ τῶν σπονδῶν παιὰν ᾄδεται, *post cœnam libabant non aqua lavantes manus, sed ad frusta panis detergentes, & apomagdaliam quisque domum deferebat ob terricula quæ occurrunt in triviis, & angiportibus, post libationem pæan canitur.* Apud Heliodorum Ægyptius Diis indigetibus mera aqua libabat, ἐπέχεε τῆς φιάλης ἄκρατον ὕδωρ, καὶ σπένδομεν ἔλεγε θεοῖς ἐγχωρίοις, & libamus, inquit, Diis indigetibus. Arnobius risui habet istas libationes l. VII. Pulmentorum, inquit, varietatibus afficiuntur Dii cœlites, ut fieri mos est post cœnarum diutinas saginas, frustilla hæc parvula pro suavibus malleolis sumunt. Heliod. lib. V. *Æthiop.* sub finem. νῦν δὲ ὥρα γε διαλύειν τὸ συμπόσιον, μνήμη τοῦ δαιμονίου γινέσθω. ἐκ τούτου περιήγοντο μὲν αἱ σπονδαί, ἐλύετο δὲ συμπόσιον. *Nunc dimittendi convivii est tempus, meminerimus Dei. Deinde libationes circumlatæ sunt, & solutum epulum.* Athenæus l. XV. perstringit fœdam quorundam adulationem, qui singulos cyathos singulis Diis libantes in conviviis, in honorem Regis duos cyathos effunderent. καὶ τοῦ γλυκυτάτου βασιλέως διμοιρίαν, *duplam portionem dulcissimi regis.* Epichysis item lusus fuit, quum ebrii convivæ sibi cyathos in caput mutuo infunderent. ἦσαν δὲ αἱ τῶν ἀκρατῶν ἐπιχύσεις ait Theophr. Priscis nulla ἐπίχυσις fuit nisi cum Diis libarent, vel cottabo luderent. Soliti erant & amantes in honorem eorum quos

amarent effundere vinum, ἐπιχεῖσθαι. Athen. ἦσαν δὲ τ̃ ἐρώντων ἐπιχύσεις. Thraces κατὰ τῶν ἱματίων καταχεόμενοι, καλὸν καὶ εὔδαιμον ἐπιτήδευμα ἐπιτηδεύειν νενομίκασι, *in vestes accumbentium vinum effundentes putabant se pulcrum aliquod facinus facere*. Homerus apud Athenæum l. v. facit homines Deos colentes parte victus sui, id est, eorum quæ comedunt, ἀπὸ τ̃ δαιτὸς, sive τ̃ τῶν δείπνων ἀπαρχαῖς, *primitiis cœnarum*. Libabant & super linguis quas Mercurio adoleverant e cœna abeuntes, σπένδουσι καὶ ἐπὶ τ̃ γλώσσαις ἐκ τῶν δείπνων ἀπιόντες. Homerus,

Γλώσσας δ' ἐν πυρὶ βάλλον, ἀνιστάμενοι δ' ἐπέλειβον.

Linguas in ignem jecerunt, & surgentes e mensa libarunt semper linguis. quia ἐπιλείβειν est libare super linguis. Item libabant in mensa vinum, nominato Demetrio, ἐπιχεομένης δημητρίου, ait Athen. Quod Plutarchus dixit, ἐπιχύσεις λαμβανόντων δημητρίου, *Epicheses nomine Demetrii consecratas capientium*, id est, effusiones vini, & libationes. Homerus,

Οὐδ' εἶχον μέθυ λεῖψαι ἐπ' αἰθομένοις ἱεροῖσι.

Non habebant vinum quod libarent super ardentia sacrificia. Moris enim fuit ut vinum aut oleum in ardentia sacrificia effunderent. Virgilius,

Pingue superque oleum fundens ardentibus extis.

Homerus,

Στήσαντο κρητῆρας ἐπιστεφέας οἴνοιο,
Λεῖβον δ' ἀθανάτοισι θεοῖς.
Statuerunt crateras vino coronatos,
Et libarunt Diis immortalibus.

CAP. XXXV.

DE GRIPHIS.

PRoponebantur ænigmata, & griphi in conviviis ludicri & literati, quos qui solvisset carnibus exquisitis donabatur, qui non solvisset poculum aquæ salsæ bibere jubebatur. Pollux l. vi. cap. xix. γρῖφος αἴνιγμα παιδιὰν ἔχον, καὶ σπουδὴν. ὁ μὲν λύσας γέρας εἶχε κρεῶν τινα περιφορὰν, ὁ δ' ἀδυνατήσας, ἅλμης ποτήριον ἐκπιεῖν. Nomen griphi factum a griphis piscatoriis, ἁλιευτικοῖς. Post epulas alii cecinere ad lyram, alii ῥῆσιν εἶπον, elegans aliquod Veterum dictum, quidam griphos proposuere & sirpos. Cleobulina, ænigmata proponere solita erat apud Athen. γρῖφος πρόβλημά ἐστι παιστικὸν προστακτικὸν τοῦ διὰ ζητήσεως εὑρεῖν τῇ διανοίᾳ τὸ προβληθὲν τιμῆς, ἢ ἐπιζημίου χάριν εἰρημένον. *Griphus est convivalium quæstionum species propria, ænigmati simillima, rem quam significat ambagibus de industria tegens*. Athenæus l. x. γρῖφος λέγεται ὁ δύσκολος καὶ συμπεπλεγμένος λόγος ὁ ἔχων πάθος ἐν ἑαυτῷ μὴ φαινόμενον. Est sermo, & problema. Pollux ζητήματα συμποτικὰ ἢ κυλίκεια tribuit in ænigma & griphum. Ænigma lusum παιδιὰν habuit, γρῖφος & lusum & studium, σπουδὴν ob res graves & serias. Athenæus griphorum ζήτησιν non alienam esse ait a philosophia. Idem lib. ult. Muria infundebatur in eorum poculum qui præstare non potuerunt quod jussi erant. Antiphanes,

Ἅλμης ἔχρῆν τι περιφέρειν ποτήριον,

Hesychius iis qui solvissent griphum scribit merum dari solitum, aliis aquæ cedunt. Eustathius *ad* xxiv. *Odysseæ*, γρῖφος δύσκολον ζήτημα, ὃ ἐν συμποσίοις ἔλεγέ τις προκειμένης φιάλης οἴνου γεμούσης καὶ ὁ ἐπιλυσάμενος τὸ ἀπορηθὲν ἐξέπινεν, *Griphus difficilis quæstio fuit quam proponebat aliquis poculo pleno vini proposito, quod ebibebat qui quæstionem solverat*, &c. Vide griphorum exempla apud Athenæum lib. x.

CAP. XXXVI.

DE CONSULTATIONE IN COENA.

INter vina Græci & Persæ de rebus gravioris negotii consultabant. Homerus,

—— δαίνυ δαῖτα γέρουσι.
Πολλῶν δ' ἀγρομένων, τῷ πείσεαι ὅς κεν ἀρίστην
Βουλὴν βουλεύσῃ.

Da epulum senioribus. Parebis illi ex multis congregatis, qui melius consilium suggesserit. Persæ inter vina de rebus magnis consultabant, quia cum vino animi incaluissent generosius consilium se capturos putabant. Sed jejuni mane, quod in vino deliberatum erat, maturius expendebant, ait Xenophon, Plutarchus vi. *Sympos*. Apud Cretas erant Andria, apud Lacones Pheiditia, in quibus quæ secreto haberi volebant, de iis consultabant, & Aristocraticam rationem obtinebant, ut Athenis Prytaneum, & Thesmothesium. παρὰ κρησὶν ἀνδρεῖα καλούμενα, παρὰ λάκωσι φειδίτια, βουλευτηρίων ἀπορρήτων, & συνεδρίων ἀριστοκρατικὴν τάξιν εἶχεν, ὡς ἀθήνησι πρυτανεῖον καὶ θεσμοθέσιον.


CAP. XXXVII.

DE MILITARI CONVIVIO.

ROmæ moris fuit ut tempore cœnæ ad tabernaculum Imperatoris omnes tubicines, & cornicines tuba canerent, & buccina. Polybius l. vi. ἔστι δὲ ἔθος ῥωμαίοις κατὰ τ̃ τοῦ δείπνου καιρὸν τοὺς βυκανιστὰς & σαλπικτὰς πάντας σημαίνειν. Plutarchus συμπόσια στρατιωτικὰ καὶ παρεμβολικά. Plato lib. iii. *de Rep*. Homerus ἐπὶ στρατιᾶς ἐν τ̃ τῶν ἡρώων ἑστιάσεσι οὔτε ἰχθύσι αὐτοὺς ἑστιᾷ, καὶ ταῦτα ἐπὶ θαλάττῃ ἐν ἑλλησπόντῳ ὄντας, οὐθ' ἑφθοῖς κρέασιν, ἀλλὰ μόνον ὀπτοῖς. Militaria convivia vocat & castrensia. Homerus in epulis Heroum neque piscibus eos uti ait, neque carnibus elixis, sed assis licet essent in mari Hellespontiaco. Jam subjiciam pauca de obsonatoribus, cocis, & aliis cœnarum administris, tum de vasis culinariis, & poculis, & argento escario & potorio. Olim finito convivio acclamatum, ἰὴ παιὼν aut παιάν, cujus rei causam explicat Athenæus lib. xv Heraclides Ponticus ait Apollinem super libatione ter dixisse, ἰὴ παιών.

DE CONVIVIIS LIBER QUARTUS.

PROLUSIO.



BRIETAS apud eos frequentior est quorum regio vini ferax non est, ob injuriam aeris, & vix frigoris. Ubi vini copia est raro videas homines alicujus dignationis ebrios. Scythæ vino parum assueti ob intemperiem cœli, & asperitatem soli, bibacissimi erant. Itaque cum Cyrus in Scythiam irrupisset, Thamyris reginæ Scytharum filius adolescens, veluti ad epulas, non ad prœlium venisset, omissis hostibus, insueto barbaros vino se onerare patitur, quod eo fini Cyrus in via exposuerat, priusque Scythæ ebrietate, quam bello vincuntur, apud Justinum lib. I. Cur autem vigor corporis & animi langueat ebriis, exponit Lucretius lib. III.

Denique cur hominem quum vini vis penetravit
Acris, & in venas discessit diditus ardor,
Consequitur gravitas membrorum, præpediuntur
Crura vacillanti, tardescit lingua, madet mens,
Nant oculi, clamor, singultus, jurgia gliscunt.

Quia cerebrum vaporibus vini offunditur, & spiritus quatiuntur. Plærique viri fortes meri bibones fuere, Hercules, Darius, Alexander, Philippus pater ejus, Xenagoras Rhodius apud Ælianum l. XII. *Variar.* ἀμφορεὺς dictus, amphora, Diotimus Atheniensis χώνη, infundibulum. Bene Seneca epist. LXXXIII. Quum propinationes tuas strati somno, ac vomitantes recusaverint, quum nemo tam vini capax fuerit, vinceris a dolio. Vinolentiam crudelitas sequitur. Violatur enim, exasperaturque sanitas mentis. Ut difficiles faciunt oculos diuturni morbi etiam ad minimam radiorum Solis offensionem, ita ebrietates continuæ efferant animos. Nam cum sæpe apud se non sint, consuetudine insaniæ durata vitia vino concepta etiam sine illo valent. Tentantur pedes, lingua non constat. Si quid ab ebrio peccatum est, bis puniri debet. Aristoteles II. *Politic.* cap. ult. Pittaci lex, τὰς μεθύοντας ἄν τι ποιήσωσι, πλείω ζημίαν ἀποτίνειν τῶν νηφόντων. διὰ γὰρ τὸ πλείους ὑβρίζειν μεθύοντας, ἢ νήφοντας, οὐ πρὸς τὴν συγγνώμην ἀπέβλεψεν, ὅτι δεῖ μεθύουσιν ἔχειν μᾶλλον, ἀλλὰ πρὸς τὸ συμφέρον. *Ut ebrii si quid peccaverint, ampliorem mulctam solvant, quam sobrii. Quia enim plures injuriosi sunt ebrii quam sobrii, non respexit ad veniam, quasi danda sit ebriis, sed ad utile.* P. tamen Mimus dixit,

Absentem lædit, cum ebrio qui litigat.

Dicebat Xenophon in *Oecumenico*, δούλους οἴνου ἀκρατεῖς, οὐκ ἂν δύναιο ἐπιμελεῖς ποιῆσαι. τὸ γὰρ μεθύειν λήθην ἐμποιεῖ πάντων τῶν πράττειν δεομένων. *Servos vini intemperantes, non possis industrios, & sedulos efficere. Ebrietas enim oblivionem affert eorum quæ fieri oportet.* Pythagoras, μέθη μανίας μελέτη, *Ebrietas furoris meditatio est.* Arcesilaum qui nimio vini haustu sibi mortis causam attulerat Laertius eleganti epigrammate perstringit,

Ἀρκεσίλαε τί μοί τι πόσιν ἄκρητον ἀφειδῶς
Ἔσπασας, ὥστε φρενῶν ἐκτὸς ὀλέσθαι ἑῶν.

B Οἰκτείρω δ' οὐ τόσσον ἐπεὶ θάνες, ἀλλ' ὅτι Μούσας
Ὕβρισας οὐ μετρίῃ χρησάμενος κύλικι.

Arcesilae cur tam largiter merum hausisti, ut mentis expers perieris, non tantum me tuæ mortis miseret, quam quod Musis injuriam fecisti potu immoderato. Apud Ælian. l. III. *Variæ*, Alexander πολυπότης πολυποσίας ἀγῶνας, *certamina plus bibituris posuit.* Quum perpotasset apud Perdiccam, altero die crapulam edormivit. Item apud Eumæum cum pergræcatus esset. Juvenalis Sat. VI.

—— *Quid enim Venus ebria curat?*
Inguinis, & capitis quæ sint discrimina nescit.
Grandia quæ mediis jam noctibus ostrea mordet,
Quum perfusa mero spument unguenta Falerno,
C *Quum bibitur concha, quum jam vertigine tectum*
Ambulat, & geminis exsurgit mensa lucernis.

Theocritus,

Εὔκτος ὁ τῶ βατράχω, παῖδες, βίος, οὐ μελεδαίνει
Τὸν τὸ πιεῖν ἐγχεῦντα, πάρεστι γὰρ ἄφθονον αὐτῷ.

Optabilis est ranæ vita, non sollicita est de eo qui bibere infundat, large adest ei quod bibat. Plato ebriis suadebat ut se in speculo spectarent, fore enim ut tali deformitate absistant, συνεβούλευε κατοπτρίζεσθαι, ἀποστήσεσθαι γὰρ τῆς τοιαύτης ἀσχημοσύνης. Seneca epist. XCIII. Non est animus in sua potestate ebrietate devinctus. Ut musto dolia ipsa rumpuntur, & omne quod in imo jacet in summam partem vis caloris ejectat, sic vino exæstuante quicquid in imo jacet abditum effertur, & prodit in
D medium. Onerati mero ut non continent cibum vino redundante, ita ne secretum quidem. Omne vitium ebrietas, & intendit, & detegit, obstantem malis conatibus verecundiam removet, non facit ebrietas vitia, sed prodit, quicquid mali latebat emergit. Adjice vertiginem capitis, tecta ipsa mobilia velut aliquo turbine circumagente totam domum, stomachi tormenta, quum effervescit merum. Laertius scribit legem Solonis fuisse τῷ ἄρχοντι ἂν μεθύων ληφθῇ θάνατον εἶναι τὴν ζημίαν, *Prætorem qui ebrius deprehensus sit morte mulctandum.* Plautus in *Curculione*, Nomen est lenæ multibiba, atque merobiba, quasi tu lagenam dicas, ubi vinum so-
E let Chium esse. Lena ait, flos veteris vini meis naribus objectus est. Ejus amor cupidam huc me per tenebras prolicit. Salve anime mi liberi lepos ut veteris vetusti cupida sum. Nam omnium odor unguentum præ tuo nausea est. Tu mihi stacte, tu cinnamum, tu rosa, tu crocum, & casia es, tu bdellium. Vide ut ingurgitat impura in se merum avariter plenis faucibus. Ennius in *Athamante*,

His erat in ore Bromius, his Bacchus pater,
Illis Lyæus vitis inventor sacræ,
Tum pariter, euan, eubœ, eubœ, prius,
Ignotus juvenum cœtus alterna vice
Inibat alacris Bacchico insultans modo.

Horatius lib. *Carm.* od. XXVII.

Natis in usum lætitiæ scyphis
Pugnare Thracum est: tollite barbarum
Morem, verendumque Bacchum
Sanguineis prohibete rixis.

Denique Isidorus l. VII. ep. CCCCXII. ὁ φίλοινος ὅσῳ ἂν πλείως ἐκπίῃ κύλικας, τοσούτῳ πλειόνων ὀρέγεται, ὅτε ἐρασιχρήματος ὅσῳ περ ἂν πλείω συνάγῃ, τοσούτῳ μᾶλλον ἀνάπτει τῆς ἐπιθυμίας τὴν κάμινον, *Merobibi quo plures calices obduxerint, eo plures ducere cupiunt, & avarus quo plura congesserit, eo amplius fornacem cupiditatis accendit,* A

Hoc dispar, vinum quod qui bibit, amphora plena est.

At sitiens auri quo plus bibit, hoc magis ardet.

Seneca l. IV. *quæstion. Natural.* eos insectatur qui bibunt nivem ut vini ardorem vel restinguant, vel accendant. S. Hieronymus epist. X. Parcus venter, & semper esuriens triduanis præfertur jejuniis. B Multo melius cottidie parum, quam raro satis sumere. Pluvia illa optima est, quæ sensim descendit in terram. Subitus, & nimius imber in præceps, arva subvertit. Non Æthnæi ignes, non Vulcania tellus, non Vesuvius, & Olympus tantis ardoribus æstuant, ut juveniles medullæ vino plenæ, & dapibus inflammatæ. Nihil adolescentibus utilius quam esus olerum. Legumina quia inflant castitati adversantur. *Esai.* c. V. *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum & miscendam ebrietatem.* Quia ex vino luxuria, inquit Paulus. Epicharmus, ἐκ πόσιος κῶμος, ἐξ κ. θυασία, ἐκ θύας, δίκη, ἐκ δίκης καταδίκη, ἐκ δὲ κατ. πέδαι τε καὶ σφάκελος, καὶ ζημία, καὶ πανίασις. Plato, πρῶτος κρατὴρ ὑγείας, δεύτερος ἔρωτος, τρίτος ὕπνου, τέταρτος ὕβρεως, πέμπτος βοῆς, ἕκτος κώμων, ἕβδομος ὑπωπίων, ὄγδοος μανίας. C Addo ἔνατον νόσου, ἢ θανάτου. Ex vini potu comessatio, ex comessatione furor mentis, ex furore judicium (dixerim, ex furore inexpiabile scelus, ex scelere judicium) ex judicio condemnatio, ex condemnatione compedes, ex compedibus putredo ossium, sideratio, mulcta, mors, aut repentina turbatio. Plato, primum poculum est sanitatis, alterum amoris, tertium somni, quartum injuriæ, quintum clamoris, sextum comessationis, septimum verberum, & cicatricum, octavum furoris, D nonum morbi, aut mortis.

CAP. I.

DE OBSONATORE.

AD convivia multi ministri operam suam contulere, in primis obsonator, de quo Martialis lib. XIV. epigr. CCXVII.

Dic quotus es, quanti cupitis cœnare, nec unum Addideris verbum, cœna parata tibi est.

Obsonatores dicti macellarii. Sueton. lib. I. Julius Cæs. ea quæ ad epulum pertinebant macellariis oblocaverat. de Vespasiano c. XIX. Recte & dapsile convivabatur, ut macellarios adjuvaret. Græci ἀγοραστὴν vocant. Athenæus l. IV. ἀγοραστὴς ὁ τὰ ὄψα ὠνέμενος. Aristophanes ὀψώνην indigetat eum qui præstinat, & emit opsonia. Alius est ὀψοποιός, obsonia faciens. Plato in *Gorgia*, θεαρίων ὁ ἀρτοποιός, καὶ μίθαικος ὁ τὴν ὀψοποιΐαν συγγεγραφὼς τὴν σικελικὴν, καὶ σάραμβος ὁ κάπηλος, ὁ μὲν ἄρτους θαυμαστοὺς παρεσκεύασεν, ὁ δὲ ὄψον, ὁ δὲ οἶνον. *Thearion panifex, & Mithæcus qui culinariam Siculicam scripsit, & Sarambus caupo, primus panes mirabiles præparabat, alter obsonia, tertius vinum.* Plautus in *Milite*, vel primarium parasitum, atque obsonatorem optimum. Procopius l. III. *Persic.* Optionem vocat obsonatorem, forte quia optabat, & eligebat obsonia. Ἰωάννην παρέδωκεν, ὅς οἱ ἐπεμελεῖτο τῆς περὶ τὴν οἰκίαν δαπάνης, ὀπτίωνα τοῦτον καλοῦσι ῥωμαῖοι. *Joannem tradidit cui cura sumtuum domesticorum.* Clemens l. I. *Pædag.* Obsonatores vocat τοὺς πολυπραγμονοῦντας τὰς ἐν πορθμῷ σικελικῷ σμυραίνας, *qui curiose inquirunt murænas freti Siculi,* E F *aut certe eorum dominos.* Parasitorum erat obsonare, Plautus in *Milite*, ipsi obsonant quæ parasitorum ante erat provincia. τέχνη ὀψωνητικὴ *ars obsonatrix.* Fuit propria obsonatorum qui si emerent carius, dicti δυσωνεῖν, ὅτι τὸ πωλούμενον δυσωνοῦνται, ait Athen. l. VII. Apud quem Antiphanes, σὺ δὲ ἀγοράσεις ἡμῖν λαβὼν τοδ᾽ ἀργύριον, *Tu nobis emes hoc argento.* Itaque qui mullum unum, VI. pluribusve H-S. præstinabant, prius obsonatori pecuniam numerabant, qui ὀψινοπώλῃ daret. Glossæ tamen ὀψινοπώλην vocant macellarium, quum vulgo macellarius dicatur obsonator. Sanctus Ambrosius lib. *de Elia, & jejunio*, c. VIII. Obsonator est qui antequam luceat fores pulsat alienas, & tanquam bellum aliquod immineat excitat dormientes. Turbatum vides, anhelantem advertis, interrogas quæ causa sit perturbationis, Poscit, inquit, Dominus meus ubi vinum melius veneat, quærit ubi durior vulva curetur, ubi jecur mollius, ubi phasianus pinguior, ubi piscis recentior. Ad obsonatorem pertinent cuppedinarii dicti a foro cuppedinis apud Terentium in *Eunucho*, Ubi cuppediæ venibant, cetarii, ταριχοπῶλαι, salsamentarii, qui Athenis vilissimi, quia salsamenta servorum cibus, coqui fartores piscatores, aucupes, panifices, dulciarii, lactarii, fictores, structores, carptores, chironomontes, scissores, quia obsonator hæc omnia prospiciebat Domini voluntate, ἀλλαντοπῶλαι, fartores viles, piscatores ἐπακτρεῖς. δημιουργὸς seu fictor dicitur, qui πέμματα, seu bellaria struit.

CAP. II.

DE COCIS.

COquus præerat ὀψαρτυτικῇ, seu conditurae obsoniorum. Dicitur μάγειρος. δελφοὶ μάγειροι, καὶ καρυκοποιοὶ conditurae ciborum præpositi. Glossæ, ἐλέατρος μάγειρος, ἐλεὸς τράπεζα μαγειρικὴ, *Eleatrus, coquus, elea mensa culinaria.* Juvenalis. Sat. IX.

—— Archimagiros ponit.

Sarambus & Thearion coqui Dionysii tyranni, ut Tzetzes *Chiliade* X. Dædalus & Thymbron nobiles coqui, de quibus Athenæus lib. IX. & XIV. ὀψοποιὸς ὀψαρτύτης. Juvenalis Sat. IV.

—— Multa videmus

Quæ miser & frugi non fecit Apicius.

Vetus Scholiast. Apicius, *Auctor præcipiendarum cœnarum qui scripsit de jusculis.* Coquus ματτυάζει, ait Eustathius, τουτέστι σκευάζει ματτύην, πᾶν πολυτελὲς ἔδεσμα, dicitur ἀπὸ τοῦ μάττειν ἢ μασᾶσθαι. *Mattyazei, hoc est, præparat omnem cibum dapsatilem, luculentum, & opiparum esui aptum.* Mithæcus fuit insignis coquus, de quo Maximus Tyr. *Serm.* XXXIV. παρὰ μιθαίκου ὄψον, a Mithæco obsonium, a Sarambo vinum, a Cono ἑταίρας, a Melesio cantum, ᾠδήν. Eustathius proprie ὄψα vult esse τοῦ σίτου ἡδύσματα, quia sero deliciæ in usum venerunt, παρὰ τὸ ὀψέ ποτε εἰς χρῆσιν ἐλθεῖν τοῖς ἀνθρώποις τὰ τοιαῦτα ἐπὶ τρυφῇ. ὀψάρια proprie pisces. Idem, ἐλέατρος ὁ μάγειρος παρὰ τὸ ἔλεον ὃ δηλοῖ τὴν μαγειρικὴν τράπεζαν. *Id in primis agebat coquus ut nosset gustum convivarum.* Posidippus, καὶ τὰ στόματα γίνωσκε τῶν κεκλημένων, *noris ora, & gustum eorum qui vocati sunt.* Diphilus, τὸ τῶν ἐδομένων τὰ στόματα προειδέναι. *Ante nosse palatum convivarum.* Martialis lib. XIV. epigr. CCXX.

Non satis est ars sola coquo, servire palato,

Atque coquus Domini debet habere gulam.

Ausonius in *Ephemeride* coquum alloquitur:

An vegeto madeant condita obsonia gustus

Fallere namque solent, experiendo proba.

Concute ferventes palmis volventibus ollas
Tinge celer digitos jure calente tuos,
Vibranti lambat quos humida lingua recursu.

Seneca *ad Helviam*, Apitius ſcientiam popinæ profeſſus diſciplina ſua ſæculum infecit, qui ingens Capitolii vectigal ſingulis comiſſationibus hauſiſſet. Livius l. XXXIX. Antiocho victo tum coquus viliſſimum antiquis mancipium, & æſtimatione, & uſu in pretio eſſe, & quod miniſterium fuerat, ars haberi cœpta. Conducebantur coqui de foro apud Plautum, in *Aulularia*. In colloquio quotidiano ut inſtruatur ἄριστον, *prandium*, eunt ad κρεοπωλεῖον, emunt carnes, aut piſces decem denariis, ad λαχανοπωλεῖον emunt olera, poma, ficus, mala Perſica, pyra, tubera, λάχανα, ὀπώρας, συκάμινα, σῦκα, μῆλα περσικά, ἀπίους, τρικόκκια. Athenæus l. VII. nomina refert coquorum excellentium, coqui diſcebant duos annos habentes cincticulum, ἔμαθεν ἐν ἔτεσι δυοῖν ἔχων περίζωμα. Idem l. XIV. μαίσων, ἢ τέττιξ, coquus, κῆρυξ coquus, τὸν μὲν πολιτικὸν μάγειρον μαίσωνα, τὸν δ' ἐκτόπιον τέττιγα, Mæſon coquus urbicus, tettix externus. Feſtus, Mæſon perſona comica aut coci, aut nautæ. Heſychius μαίσωνες οἱ κορυφαῖοι τῶν μαγείρων, ἢ οἱ τεχνῖται, *Muſones principes coquorum*. Alibi, Athenis tettiges hoſpites coquorum ſervi, τέττιγες οἱ τῶν μαγείρων ὑπηρέται ξένοι, οἱ δὲ ἐντόπιοι, μαίσονες, *indigenæ Mæſones*. Veteres Coci rituum ſacrificandi & πάσης θυτικῆς notitiam habuere. Olympias in epiſtola ad Alexandrum, προτρεπομένου γὰρ μάγειρον αὐτῷ πρίασθαι θυσιῶν ἔμπειρον, ἡ μήτηρ φησὶ, πελίγναν τὸν μάγειρον λάβε παρὰ τῆς μητρός. οὗτος γὰρ οἶδε τὰ ἱερά σου τὰ πατρῷα, ὃν τρόπον θύεται. Nam cum Alexander hortatus eam eſſet ut ad ſe mitteret coquum ſacrificiorum peritum, mater ait, accipe coquum Pelignam a matre tua. Ille enim ſcit quomodo ſacrificia tua patria immolentur. Plinius l. XVIII. Romani veteres coquos non habebant in ſervitiis, e macello conducebant. Seneca epiſt. XII. Quam celebres culinæ ſunt, quanto circo nepotum focos juventus premit. Dio *de Apitio*, ἰδὼν ὅτι διακοσίας καὶ πεντήκοντα αὐτῷ μυριάδες ἔτι περιεῖεν, ἑαυτὸν λιμῷ διέφθειρε, *Videns ducentas quinquaginta ſibi drachmarum myriades ſupereſſe tantum, ſeipſum fame confecit*. Iſidorus l. XX. c. II. & XXX. Apitius primus coquinæ apparatum inſtituit. Vide apud Athenæum ſub finem l. XIV. laudationem coquorum. Seneca ep. XV. præfectos popinæ, culinariæ artis magiſtros vocat. Venantius, de coquo,

De flammis ardente manu qui diripit eſcas,
Corde niger, fumo ſparſus, fuligine tinctus.
Et cujus facies cacabus alter adeſt.
Cui ſua ferruginum pinxerunt arma colorem.
Frixuræ, cucuma, ſtapha, patella, tripes.

Coqui furaces erant. Si quid gravius deliquerant in puteum, id eſt, in locum ſubterraneum mittebantur. Plautus in *Aulularia*, comprehendite, vincite, verberate, in puteum condite. Niſi unum hoc faciam, ut in puteo cœnam coquat. Idem in *Caſina*. Vide fur ut ſentes ſub ſignis ducas, quia ſentes retinent, ac configunt aculeis veſtimenta. Vide apud Euſtathium p. 872. nomina vaſorum quibus coqui uſi. Delii coquis ſuis nomina indiderunt a miniſterio. Magaſides coqui quod in ſacris epulis totos dies mazas ſubigerent, τὰς μάζας ἐν ταῖς θοίναις τρίβοντες. Putem dictos Mazidas, non magazidas, ſicut Gongyli dicti qui γογγύλας μεμαγμένας γυναιξὶ τρίβοντες παρεῖχον, qui, *Gongylas ſubactas fœminis terentes præbebant*. Coqui ἀρτυσιλάοι, ἀρτυσιτράγοι qui populo cibos condirent. Coquus σαλάκων nequam, & furax, κοπίδων ἐπώνυμος, truncator & ſciſſor. Quo ſeverius lex ſumptuaria exerceretur, inſtitutum eſt Athenis, ut coqui omnes ſua nomina ad magiſtratus deferrent, quo haberent Gynæconomi ei curæ præfecti, quos poſſent percontari de numero convivarum, & cæteris quæ contra legem fierent. Menander, πυθόμενος πάντας τοὺς ἐν τοῖς νόμοις διακονοῦντας μαγείρους ἀπογεγράφθαι παρὰ τοῖς γυναικονόμοις. Apud Athenæum l. XII. Sybaritica lex defert privilegia coquis, qui novum aliquod condimentum, aut cibi genus repererint, Verba legis hæc ſunt, εἴ τις τῶν ὀψοποιῶν, ἢ μαγείρων, ἴδιον εὕροι βρῶμα, καὶ περιττὸν, τὴν ἐξουσίαν μὴ εἶναι χρήσασθαι τοῦτο ἕτερον πρὸ ἐνιαυτοῦ, ἀλλ' αὐτῷ τῷ εὑρόντι. *Si quis eorum qui condiunt cibos, aut coquorum, cibum invenerit peculiarem ab aliis non repertum, non liceat alteri ante annum quam ipſi repertori hoc invento uti*. Apud Hippolochum culina, vel certe caminus dicitur οὐρανὸς ὀπτανιάων, cœlum, ſeu convexum eorum quæ aſſantur. Ariſtophani culina vocatur in *Veſpis* κάπνη *caminus*, unde & inſtrumentum tubulatum coquorum vocatur καπνοδόχη, *fumarium*, *caminus*. Appianus l. IV. *Civilium* καπνώδεις ὑπωροφίας vocat fumaria fornicata. Hippolochi verſus accipe,

Οἷς ἐπιτέτραπται μέγας οὐρανὸς ὀπτανιάων,
Ἠ μὲν ἐπισπεῦσαι δείπνου χρόνον, ἠδ' ἀναμεῖναι.
Quibus commiſſum eſt magnum cœlum aſſaturarum,
Aut coquinarum, ut aut tempus cœnæ accelerent, aut remorentur.

Artemidorus l. III. oſtendit coquum, ſeu μάγειρον interdum ſignificare lanium. μάγειρος ὁ ἐν ἀγορᾷ, ὁ τὰ κρέα κατακόπτων, καὶ πιπράσκων τῷ δήμῳ. *Coquus qui eſt in foro, qui carnes diſcindit, & vendit populo*. Lanius, macellarius. In pergulis enim proſtabant, aut in foro lanii & coqui.

CAP. III.

DE CARPTORIBUS, ET SCISSORIBUS.

JOannes Saresberienſis, vel ut alii, Saliſberienſis, lib. I. c. IV. de ſciſſoribus loquens, ad hoc carnificium eorum artem exigit, & ſuum habet opificem. Ita lego, τραπεζονόμος Jubæ in ſimilitudinibus, menſarum eſt ornator, & ſtructor. Apud Petronium qui obſonium carpit carptor vocatur. Itaque quotieſcunque dicit, *Carpe*, eodem verbo & vocat, & imperat. Scholiaſtes Juvenalis Sat. IX. *Carptores inſertores qui illata carpunt*. Seneca lib. *de vita Beata* c. XVII. Carptorem ſcindendi obſonii magiſtrum vocat. Pollux τομεῖς. Juvenalis Sat. IX.

—— *Archimagiri,*
Carptores.

Homerus *Odyſſ.* O.

Πὰρ δὲ Βοηθοΐδης κρέα δαίετο, καὶ νέμε μοίρας.

Boethoides dabat partes. Seneca epiſt. XLVII. Alius pretioſas aves ſcindit, pectus & clunes certis ductibus, circumferens eruditam manum in fruſta excutit. Juvenalis chironomonta vocat,

—— *& chironomonta volanti*
Cultello.

Apulejus *Mileſ.* II. diribitores appellat. Diribitores pluſculi ſplendide amicti. Homerus l. IV. *Odyſſ.* δαιτρὸν,

Δαιτρὸς δὲ κρειῶν πίνακας παρέθηκεν ἀείρας
Παντοίων.
Sciſſor lances tollens appoſuit carnibus omnigenis refertas.

Juvenalis Sat. V.

— *nec minimo ſane diſcrimine refert*
Quo geſtu lepores, & quo gallina ſecetur.

Lucia-

Lucianus in *Chrono* διανέμοντα divisorem indigetat. οἰκέτην εἰσκομισθέντος συός, διανέμοντα τῷ μὲν δεσπότῃ, παρατιθέναι τὸ ἥμισυ μὸν ὅλον σὺν τῇ κεφαλῇ, τοῖς δὲ ἄλλοις ὀστᾶ φέρειν· συγκεκαλυμμένα, *famulum apro illato in mensam diribentem, Domino quidem apponere dimidiatum aprum cum capite, aliis autem afferre ossa tecta*. Plutarchus II. *Sympos.* Olim in sacrificiis δαῖτας fuisse ait a dividendo dictas epulas, ἑκάστῳ μερίδος ἀποκληρωμένης, cum cuique sorte sua pars daretur. Seneca. Jucundus est in luxu epularum describendo, quam diligenter exoletorum suorum tunicas succingant, quam suspensi sint, quomodo aper a coquo exeat, quanta celeritate glabri signo dato ad ministeria discurrant, quanta arte scindantur aves in frusta non enormia, quam curiose infelices pueri sputa detergant ebriorum. Sidonius l. IV. *Epist.* Byzantinos chironomontas, Apicios epulones commemorat, quia Byzantini cœnarum artifices, & asseclæ. Morem Thracum in carnibus scindendis attingit Xenophon p. 315. Typis Henrici Stephani, Thessalorum Homerus in cœna qua Achilles Ulyssem & Nestorem excipit. Apud Martialem structor pro carptore ponitur, lib. X. epigr. XLVIII.

Et quæ non egeant ferro structoris ofellæ.

Lucillius cibicidam nuncupat. Seneca scindendi obsonii magistrum. Quare est ars apud te ministrare, nec temere, & ut libet collocatur argentum, sed perite struitur, & est aliquis scindendi obsonii magister. Plinius, postea culinarum artes invenerunt, ut clunes pectentur, ut dividantur in tergora, ut a pede uno dilatata repositoria occupent. Petronius, carpe, inquit, processit statim scissor, & ad symphoniam ita gesticulatus laceravit obsonium, ut putares Darium hydraule cantante pugnare. Lacerare obsonium est carpere. Lege XII. *Tabular.* Mulieres genas ne carpunto. Mulier faciem ne carpito in luctu. Lib. IX. *Iliad.* Automedon tenet carnes quæ secandæ sunt, secat ipse Achilles,

Τῷ δ' ἔχεν αὐτομέδων, τάμνεν δ' ἄρα δῖος ἀχιλλεύς.

Sed secat ut verubus figantur, quod est coqui munus. Patroclus panem accipiens in mensa distribuit in canistris, carnem distribuit Achilles.

Πάτροκλος μὲν σῖτον ἑλὼν ἐπένειμε τραπέζῃ
Καλοῖς ἐν κανέοισιν. ἀτὰρ κρέα νεῖμεν ἀχιλλεύς.

Eustathius *ad lib.* λ. δαιτρεύειν τὸ διαμοιρᾶσθαι· δαιτρὸς ὁ τὰ κρέα μερίζων τοῖς δαινυμένοις. δαιτρὸν πίνειν, ἤγουν μεμερισμένως. παρὰ τὸ δαίζειν. *Dætrebein est dividere partes. dætrus qui dividit partes cœnantibus. Dætron bibere id quod ex æquo divisum est.* Vide p. 470. *Iliad.*

CAP. IV.

DE STRUCTORE, ET ARCHITRICLINO.

Structor appellatur qui struices patinarias in mensa locat. ὁ ἐπὶ τῆς τραπέζης, architriclinus. Pollux l. V. τραπεζοποιὸς ὁ φροντίζων τῆς ὑπηρεσίας ἁπάσης, *mensæ magister, cui cura est totius ministerii*, τραπεζοκόμος, ornans & exstruens mensam. Juvenalis Sat. V. structorem vocat:

Structorem interea ne qua indignatio subsit
Saltantem videas, & chironomonta volanti
Cultello.

Idem Sat. XI.

Sed nec structor erit cui credere debeat omnis
Pergula.

Structores enim in vulgaribus conviviis de pergula petebantur, apud viros principes erant e famulitio, & ministerio domestico, ut videre est in veter. Inscription. Eupolidi structor dicitur τραπεζάρχος. Hesychio μαχένες οἰκοδόμοι δείπνου, structores convivii. Apud Athen. τραπεζοποιὸς ὁ πλύνων σκεύη, λύχνους ἑτοιμάσας, qui vasa lavat, lucernas apparat. Apud alios trapezopœus est mensarum curator, structor, ὁ τραπεζῶν ἐπιμελητής. Eustathio, ἐδέατρος ὁ βασιλικὸς προγεύστης, καὶ ὁ ἐπιστάτης τῆς ὅλης διακονίας, καὶ παρασκευῆς τῆς τραπέζης παρὰ τὸ ἔδειν. *Edeatros regius prægustator, & præpositus universo ministerio, & præparationi mensæ ab edendo.* ἦν δὲ ἐπιφανὴς καὶ ἔντιμος ἡ χρεία, quod officium honoratum, & splendidum. Structores a quibusdam vocantur infertores, παραθέται, infertitia εἰσκομίσματα. Vide Suidam in *voce* δαιτρός. Romæ Castrenses erant in ministerio mensæ imperatoriæ. In veteri lapide unus ex libertis mensæ Augusti præfectus, dicitur tricliniarcha. Item, tricliniarcha præpositus a fiblis, præpositus a crystallinis. Castrensis præerat pincernis, sellariis, lampadariis, mensæ ministris in *Notitia Imperii.* Vitichindus, mensæ ministratorem vocat dapiferum. Codinus, & Zonaras præpositum mensæ, τὸν ἐπὶ τραπέζης. Theodoretus l. IV. *Hist. Eccl.* τὸν τῶν βασιλικῶν φροντιζόμενον δείπνων. *Eum qui procuret cœnas Imperatoris.* Gregoras l. VIII. τὸν δομέστικον τῆς τραπέζης βασιλικῆς, *domesticum, seu præpositum mensæ regiæ.*

CAP. V.

DE PRÆGUSTATORE.

Quia vita regum subditis, non solum ipsis regibus curæ esse debet, moris fuit ut prægustatores ab omni antiquitate essent, qui regios cibos, & potus explorarent. Aristophanes vocat eos προθέτας, *prætentatores*. Xenophon in *Hierone*, προγεύστας *prægustatores*. Romæ certe primus Augustus, deinde Tiberius prægustatores adhibuerunt. Vet. Inscriptio: TIBERIUS CLAUDIUS FLAMMA CLAUSUS TIBERII AUGUSTI PRÆGUSTATOR. Q. Curtius l. X. Philippus & Cottas potum regis prægustare soliti. Tacitus l. XII. *Annal.* Inferre epulas, & explorare gustu solitus. Lib. XIII. Quia cibos, potusque delectus ex ministris explorabat. Vet. Inscr. GENIO CÆLIUS HERODINUS PRÆGUSTATOR D. AUGUSTI Alia: VOTUM SYLVANO SOLVIT LIBENS MERITO T. F. DIADUMENUS LURNESIANUS PRÆGUSTATOR AUGUSTI. Sueton. in *Claudio* c. XLIV. *Per Halonem salonem prægustatorem.* Arnobius l. IV. Lateranus Deus focorum prægustatoris fungitur officio. Xenophon. l. I. *Pædiæ*, οἱ τῶν βασιλέων οἰνοχόοι ἐπειδὰν ἐνδιδῶσι τὴν φιάλην ἀρύσαντες ἀπ' αὐτῆς τῷ κυάθῳ εἰς τὴν ἀριστερὰν χεῖρα ἐγχεάμενοι καταῤῥοφοῦσι. *Pocillatores regum postquam dederint phialam principi haurientes cyatho ex ea in manum dexteram effusa sorbent.* Festus edeatræ qui præsunt epulis regiis. Apud Eustathium *Iliad.* p. Qui sine modo obsonantur. Nereidas ipsas obsonari dicuntur, τὰς ἀσυμμέτρως ὀψωνοῦντας, ὀψωνεῖν τὰς νηρηΐδας λέγουσι.

CAP. VI.

DE POCILLATORE, ET ALIIS MINISTRIS.

Pocillatores, pincernæ, ministri a poculis, œnochoi dicti qui vinum convivis aquam mistum præberent, qui sub heroibus fuere. Homerus *Odyss.* o.

Ὠνοχόει δ' υἱὸς μενελάου κυδαλίμοιο.

Filius Menelai vina porrigebat.

Ingenui enim & nobiles adolescentes in Græcia & in Judæis ministrabant, ut Philo lib. *de vita Theoret.* Apud Eustathium in Hismenia, & Hysmine, Sosthenes pater imperat filiæ suæ Hysminæ virgini, ut vinum fundat, illa tuniculam succinxit, nudavit manus usque ad cubitum, ligans linteum quo ulnæ & manus prius tegebantur funiculo tenui circa collum, & assidens columbæ lavabat manus, ore volucris ministerium ejus adjuvante,

ὑσμίνη παρθενίῳ τῇ θυγατρὶ σωθείσης οἰνοχοεῖν ἐγκελεύεται, ἡ δὲ ἀνεζώσατο τὸν χιτῶνα, ἐγύμνωσε τὼ χεῖρε μέχρις ἀγκῶνος, τὸ περὶ ταύτας ὀθόνῃ μυρίνθῳ λεπτῇ περὶ τὸ τράχηλον ἀναδήσασα, καὶ περικαθίσασα τῇ περιστερᾷ τὰς χεῖρας ἐνίπτεν, τοῦ στόματος τοῦ πτύου καθυπουργοῦντος τῷ λειτουργήματι. Seneca epist.CXX. Si pertinere ad te judices quam crinitus puer poculum tibi ministret. Lucianus in *Asino*, καὶ παῖδες ἡμῖν παρειστήκεσαν καλοὶ οἰνοχόοι, *& pueri astiterunt nobis pulcri pocillatores*. Juvenalis sat. IX.

——— puerum te,
Et pulcrum, & dignum cyatho.

Hesychius, οἰνοῦσα ἡ διακονοῦσα τοῖς συμποσίοις, οἰνοχόος ὁ πιγκέρνης, *œnusa quæ ministrat conviviis, œnochous pincerna*. Idem, ταῦροι οἱ παρ' Ἐφεσίοις οἰνοχόοι, *Tauri Ephesiis pincernæ*. Athenæus, Veteres τοὺς πρὸς τὰ ὑπηρεσίαις ταύταις κήρυκας ἐκάλουν, *eos, qui pincernarum ministeria obirent cerycas seu præcones vocabant*. Olim κήρυκες οἱ διάκονοι οἱ τὰς ὑπηρετικὰς ἐπιτελοῦντες πράξεις, *omnes ministri dicti præcones*. Heben finxerunt Diis vina fundere, ἴσως διὰ τὸ ἡβητήρια καλεῖσθαι τὰ συμπόσια. Forte quia locus ubi convivia agitabant diceretur Hebetyrion. Hesych. ἑστιατήρια καταλύσεις esse velut triclinia ubi epulabantur dicta hebeteria, quasi puberum & ephebororum loca. Apulejus *Milef.* II. Diribitores plusculi splendide amicti, puellæ scitulæ ministrantes, pueri calamistrati pulchre indusiati, gemmas formatas in pocula vini offerentes. Apud Q. Calabrum puellæ quatuor erant Achilli quæ ministrarent.

Καί ῥ' ἡ μὲν δόρποιο πέλεν ταμίη καὶ ἐδωδῆς,
Ἡ δ' ἄρα δαινυμένοισι παρῳνοχόει μέθυ λαρόν,
Ἄλλη δ' αὖ μετὰ δόρπον ὕδωρ ἐπέχευε χέρεσσι,
Ἡ δ' ἑτέρη ἀπὸ δόρπου αἰεὶ φορέεσκε τραπέζας.
Una erat cœnæ proma conda, ciborumque,
Altera cœnantibus vinum dulce porrigebat,
Tertia post cœnam aquam manibus dabat,
Quarta cœna transacta mensam tollebat.

Callisthenes nondum vulgatus pincernam vocat ἐπικέρνην a κίρναμαι, *misceo*. Manasses, ὁ ἐπὶ τῆς κέρνης. Georgius Logotheta in *Chronico*, ὁ ἐπὶ τοῦ κεράσματος. Sueton. in *Julio* c.XLIX. Cæsarem ad cyathum & vinum Nicomedi stetisse. Vet. Inscript. A CALICULIS, PINCERNARUM MAGISTER, A POCULIS, A POTIONE. Homerus *Odyss.* I.IX.

——— μέθυ δ' ἐκ κρητῆρος ἀφύσσων
Οἰνοχόος φορέῃσι, καὶ ἐγχείῃ δεπάεσσι.
——— Vinum ex cratere hauriens
Pocillator ferat, infundatque in calyces.

Xenophon l.I. *Pæd.* οἱ δὲ τῶν βασιλέων οἰνοχόοι κομψῶς τε οἰνοχοοῦσι, καὶ καθαρίως ἐγχέουσι, καὶ διδόασι τοῖς τρισὶ δακτύλοις ὀχοῦντες τὴν φιάλην, καὶ προσφέρουσι ὡς ἂν ἐνδοῖεν τὸ ἔκπωμα εὐληπτότατον τῷ μέλλοντι πίνειν. *Regum pincernæ vinum affundunt eleganter, & scite, & tribus digitis ferentes fialam offerunt quæ facile capiatur a bibituro*. Nicetas lib. I. *Andronici*, ὁ ἐπὶ τοῦ κεράσματος. Lib. I. *Alexii* κυλικιφόρος. Vet. Inscript. AD POCULA. Qui potionibus præest. Valerius Max. l. VI. c. V. Per filium suum qui potionibus Pyrrhi præerat. Homerus pincernas vocat ceryces, seu præcones,

——— φέρε δὲ κρητῆρα φαεινὸν
Κῆρυξ Ἰδαῖος.

Ferebat calicem splendidum præco. Item, κήρυκες ἀγαυοὶ, κρητῆρι δ' οἶνον μίσγον, *præcones clari miscebant vinum in poculo*. *Genes.* XI. ἀρχιοινοχόος τοῦ φαραὼ, *magister pincernarum Pharaonis*. Hellespontii ἐπεγχύτην vocant pocillatorem. Hesychius pro-

A logum esse ait qui circumponitur procedentibus ad ministerium prandii. πρόλογος ὁ περιτιθέμενος τοῖς προελθοῦσιν ἐπὶ δεῖπνον. *In virorum frugi conviviis ministri erant mundo cultu sine mollitie, aut luxu*. Juvenalis sat. X.

Idem habitus cunctis, tonsi, rectique capilli,
Atque hodie tantum propter convivia pexi.

CAP. VII.

DE PUERIS, ET PUELLIS MINISTRANTIBUS.

B Pueri scituli & puellæ conviviis ministrabant. De pueris Philo *de vita Theoret.* διακονικὰ ἀνδράποδα εὐμορφότατα καὶ περικαλλέστατα τύπων οἱ μὲν παῖδες ἔτι ὄντες οἰνοχοοῦσιν, ὑδροφοροῦσι δὲ βούπαιδες λελουμένοι, καὶ λελειασμένοι, τά τε πρόσωπα ἐντρίβονται, καὶ ὑπογράφονται, καὶ τὰς τῆς κεφαλῆς τρίχας εὖ πως διαπλέκονται, σφηκούμενοι, βαθυχαῖται γάρ εἰσι. *Ministri ex mancipiis formosissimi, quorum alii pueri vinum fundunt, ætate provectiores ferunt aquam, læves, facie fucata & picta, capillo belle plexo, & devincto, quia sunt capillati*. Juvenalis sat. V.

——— nescit tot millibus emptus
Pauperibus miscere puer.

C Miscebant vino aquam. Martialis,

Quando vocatus adest caldæ, gelidæque minister.

In conviviis regalibus unicuique convivæ assistebat puer qui vinum funderet. Plutarchus *Sympos.* VI. c. VII. ἐν τοῖς ἡγεμονικοῖς δείπνοις ἑκάστῳ παρέστηκε τῶν κατακειμένων οἰνοχόος. In Græcia moris fuit, ut & Romæ, per dies festos, ut ingenui adolescentes in conviviis vina funderent, εὐγενεῖς μειρακίσκους οἰνοχοεῖν. ait Athenæus l. X. In Græcia item vulgo in conviviis κόρη κορινθία, ἢ παῖς ἰωνικὸς ἐδιακόνει, narrante Themistio in *Epitaphio*. Seneca ep. XLVII.

D Quum ad cœnandum discumbimus, alius (e famulis) sputa detergit, alius reliqias temulentorum subditus colligit, alius pretiosas aves scindit, pectus, & clunes certis ductibus circumferens eruditam manum in frusta excutit, alius vini minister in muliebrem modum ornatus cum ætate luctatur, alius cui convivarum censura permissa est perstat infelix, & exspectat, quos adulatio, & intemperantia aut gulæ, aut linguæ revocet in crastinum. Adjice obsonatores. Apulejus *Milef.* II. Puellæ scitulæ ministrantes pueri calamistrati. Seneca epist. CX. Hinc puerorum perspicuos cultu atque forma greges, hinc fœminarum. Lucianus, παῖδας δὲ αὐτῶν τοὺς ὡραίους, καὶ κόμητας, οὓς ὑακίνθους, ἢ ἀχιλλέας,

E ἢ ναρκίσσους ὀνομάζουσι μεταξὺ ὀρέγοντάς σφισι τὸ ἔκπωμα. *Pueros ipsorum formosulos, comatulos, quos hyacinthos, aut Achilleas, aut Narcissos nominant interim porrigentes pocula illis*. Ambrosius *de Abel & Cain.* Saltatrices tonsæ, & crispantes comam epulantium. Olim ministri Imperatorum auro amicti. Nemo tamen ministrorum Alexandri Imp. auratam vestem ne in publico quidem convivio habuit apud Lamprid. Ministri linteo erant succincti. Caligula senatores togatos cœnanti, modo ad pluteum, modo ad pedes stare succinctos linteo passus est, apud Sueton. l. IV. c. XXVI. Discurrebant signo dato ad ministeria. Seneca lib. *de Brevit. Vitæ*.

F Quanta celeritate signo dato glabri ad ministeria decurrant. Epist. XV. Transeo pistorum turbam, transeo ministrorum, per quos signo dato ad inferendam cœnam discurritur. Apud Homerum puellæ ministrabant. Homerus l. IV. *Odyss.*

Σῖτον δ' αἰδοίη ταμίη παρέθηκε φέρουσα
Εἴδατα πόλλ' ἐπιθεῖσα.
——— παρὰ δέ σφισι τίθει χρύσεια κύπελλα
Χέρνιβα δ' ἀμφίπολος προχόῳ ἐπέχευε φέρουσα
Καλῇ, χρυσείῃ, ὑπὲρ ἀργυρέοιο λέβητος.

Proma conda modesta cibum apposuit varia fercula ferens. Scissor apposuit lances carnium variarum, &c. *Apposuit illis varia pocula, ancilla autem manibus lavandis fudit aquam ex infundibulo, seu gatto aureo, supposita pelve argentea.* Notat Pollux servos licet sint ætatis provectioris vocari pueros. καλῦνται παῖδες οἱ δῦλοι, κἂν ὦσι πρεσβύτεροι. Petronius pueros Alexandrinos dicaces ætate illa tenera ministerio adhibet. Pueris Alexandrinis aquam in manus nivatam fundentibus. Apulejus *de Deo Socratis*, familias calamistratas vocat. Horatius *Sat.* VIII. *lib.* II.

—— ut omnes
Præcincti pueri recte, comptique ministrent.

Seneca *epist.* XI. Puerorum perspicuo cultu atque forma greges. Cicero lib. II. *de Finibus*, Adsunt etiam formosi pueri qui ministrent. Puerorum turbam, quia sub pædagogo erant, pædagogium nuncupat Seneca *lib. de Beata Vita*. Quare pædagogium pretiosa veste succingitur. Idem *epist.* XCVI. Aderit ministrorum turba linteis succincta, per quos signo dato ad inferendam cœnam haud obstrepenter discurritur. Idem l. I. c. I. *de Tranquill.* Auro culta mancipia. Ammianus l. XXVI. Tunica auro distincta ut regius minister. Qui parum scite aut strenue ministrabant, aquam bibere cogebantur. Lucianus in *Sacerdote*, *& Crono*, καὶ διακονουμένων τοὺς μὲν ἄλλους εἰς τὸ ὕδωρ ἐμπεσεῖν. τοῦτο γὰρ τὸ ἐπιτίμιον τῆς ἀδεξίου διακονίας. *Ministrorum alios in aquam incidere. Hæc enim multa mali ministerii.*

CAP. VIII.
DE ALIIS CONVIVII CURATORIBUS.

Erant alii plærique conviviorum curatores, Opsonomus, de quo Athen. l. VI. ἔθος ἦν ὀψονόμους αἱρεῖσθαι ὑπὸ τῆς βουλῆς δύο ἢ τρεῖς. *Moris fuit Athenis ut obsoniorum divisores a Senatu quasi quidam ædiles eligerentur duo aut tres.* Apud eundem lib. X. Oenoptæ magistratus fuit ea observans quæ fierent in conviviis, an omnes convivæ ex æquo biberent, ἀρχὴ ἐφορῶσα τὰ ἐν τοῖς δείπνοις, ἢ κατ' ἴσον πίνουσι οἱ συνόντες, εὐτελὴς ἀρχὴ, magistratus fuit humilis. τρεῖς οἰνόπται παρεῖχον τοῖς δειπνοῦσι λύχνους, καὶ θρυαλλίδας. *Tres œnoptæ præbebant lucernas & ellychnia cœnantibus*, dicuntur ὀφθαλμοί, *oculi*. Opsonomi erant ædiles qui piscium venditioni curabant, ne cujusquam ingluvie excandefieret forum piscatorium.

CAP. IX.
DE VASIS CULINARIIS.

Egimus de mensæ structoribus & ministris. Jam de vasis quibus convivia præparantur videamus. Vasa alia fuere, culinaria, escaria, potoria, quædam panaria. Vasa culinaria μαγειρεῖον Polluci l. V. ὀπτανεῖον *tostorium.* Clibanus, vel locus ubi carnes assantur, ab ὀπτάω *asso*, unde & ὀπταλέος *assatus* Eustathio. χύτραι ἀρτυμάτων καὶ ἡδυσμάτων, *ollæ conditurarum*. Homerus.

Κοσμοῦντες χύτρας ἀρτύμασι παντοδαποῖσι.
Ornantes ollas conditurɪs omnis generis.

Ἡδυσμάτων ἀγγεῖα *vasa confectionum & saporum*, κυψέλη ἵνα τὰ ὄψα, κίστη ὀψοφόρος, *cista obsoniis recondendis, aut inferendis*. Hesychius, ἐπίξεινον ξύλον ἐφ' οὗ τὰ κρέα τιθέντες ἔκοπτον, οἷον κρεόκοπτον ξύλον *lignum epixenum in quo carnes scindunt lanii*. Vet. Gloss. κρεάγρα *excipulum*, uncus carnibus extrahendis. Et Pollux l. VI. c. XIII. χύτρας *ollas*, λοπάδας, *patinas*, μολιβδοδέτους ἐσχάρας *foculos plumbo vinctos*, ἰχθυοσκαφίδας, *cultros piscatorios*, ὀβελοὺς βουπόρους *verua, verucula*, τάγηνον *sartago*, κρεάγρα ἣν καὶ ἁρπάγην ἐκάλουν, καὶ λύκον, καὶ ἐξαυστῆρα, *fuscina quam & harpagem vocant, & lupulum, & extractorem*, καὶ τὸ ἐξελεῖν τὸ ἐξαῦσαι, *eximere, extrahere*, τορύνην ἣν καὶ εὐέργην ὠνόμαζον, καὶ ἐοργην, καὶ ἐοργῆσαι τὸ τορυνῆσαι, trua quæ confutatur olla fervens & cochlear. Etymolog. τορύνη κινητήριον τῆς χύτρας, τορύνη ἐντοδόκος, legulæ fabæ elixæ. Eustathius *ad* λ. *Iliad.* κνῆστις καὶ τυρόκνηστις μαγειρικὸν σκεῦος ἦν, radula qua coqui caseum radunt. ἡ θυεία, *mortarium*. Aristophanes in *Nubibus*, ἐν θυείᾳ στρογγύλῃ γ' ἀνεμάττετο *in rotunda pila pinsebat*, κοπίδες, *cultri*, κύβηλις *securis*, κυλίχνη *catinus*, κακκάβη, κάκκαβος *caccabus*, σίττυβος λοπὰς *olla*. Vetus, ἐμοὶ δὲ τοὔνομα οὐ διαφέρει εἴτε κακκάβον ὀνομάζουσί τινες, εἴτε σίττυβον. *Nihil mea interesse caccabus vocetur an sittabon* ξυνῆλη. Doriçe *rastellum* radendo caseo, aut μαχαίριον, *gladiolus*. Pollux l. VI. c. XIII. ζωμήρυσις *vas despumatorium*, ἐπήρυσις *cochlear*, ἐντήρυσις *legula*, λέβητες *lebetes*, χαλκεῖα *vasa ænea*, κρίβανοι *clibani*, βαῦνοι *furni* ἶπνοι, πυραῦνοι ignifera sunt vasa quibus carbones ardentes ferunt, caminus, ahenum, ἐσχαρίδες *foculi*, ἰπνολεβήτιον ahenum aquæ calefaciendæ, θερμαντὴρ vas ad excalefaciendum χυτρόγαυλον, *lebes*, ἠθμὸς *colum*, vel *cribrum*, δορίδες αἷς ἔδερον, *gladii quibus excoriabant*. Vide Pollucem *ibid.* Plinius l. XXXIII. c. XI. Vasa coquinaria Romæ jam inde a Calvo oratore ex argento fuisse ait Ulpianus l. 19. *de auro & argento legato*. Catabos argenteos, miliarium argenteum & sartaginem argenteam fuisse ait, quæ sunt instrumenti cocinatorii, non escarii. Apud Lampridium Heliogabalus primus autepsas argenteas habuit, & cacabos, αὐτέψης per se coquit carnes subjecto igne, πανθέψης est sartago. Arnobius l. II. craticularum meminit Glossæ, matulata ἀρύταινα *haustra*, λεκάνη *lancta pelvis*. Miliarium vas longum & angustum milii forma calefaciendæ aquæ, ut Columel. l. IX. Gloss. trulla lignea ζωμήρυσις hauriendo jusculo. Ausonius in *Ephemer.*

Concute ferventes palmis volventibus ollas.

Suidæ κρέμαθρα sublime instrumentum est, in quo ponebant obsonia quæ abundabant, aut superabant, μετέωρόν τι σκεύασμα ἐν ᾧ ἐτίθεσαν τὰ περισσεύοντα ὄψα, vel cophinus. Creagra tridens uncinus, I. *Reg.* c. I. κρεάγραν τριόδοντα καθῆκεν εἰς τὸν λέβητα, *uncum tridentem misit in lebetem*. Vide Athenæum l. VI. de vasis aureis, & argenteis. De Zomerysi seu trullæ hauriendo jusculo, in epigrammate. Philippus.

Ζωμήρυσίν τε τὴν λίπους ἀφρηλόγον.
Trullam quæ spumam pinguitudinis legit.

τυρόκνηστις παιδικὴ, quia libenter radulam tractant pueri. σκαφίδες *alveoli*, non pelves. Antiphanes, καὶ δημιουργοὶ μέλιτος αἰτοῦσαι σκαφὰς dulciorum opifices alveos mellis petentes τὰν κρεοδόκον σκαφίδα, quia in alveolis carnes coquendas lavant. ἀσώτιον *est ganea*, στελεὸς *vas ligneum manubrii forma*, δορίδες κοπίδες *cultelli mucronati*. βάτανος, βατάνειον, πατάνειον *patina*. Eubulus, τρύβλια δὲ, καὶ βατάνεια, καὶ κακκάβια, καὶ λοπάδια, καὶ πατάνεια, *trullam, patinas, caccabos, ollas.* Suidas, ὀξυβάφιον *acetabulum*, πινάκιον *tabella*, κήθιον *culeus*. Hesychius, πέλεκυς ᾧ τὰς βοῦς καταβάλλουσι κυβηλίς. Cybelis securis qua boves sternunt & dejiciunt. Inter coquinaria vasa fuit foculus, qui in mensam cum obsoniis inferebatur ne quid intepesceret. Aristophan. *Acharnanensibus*, δμῶες ἐξενέγκατε τὴν ἐσχάραν μοι δεῦρο, καὶ τὴν ῥιπίδα, flabellum. Ubi Scholiastes notat ἐσχάραν, vulgo dici ἄρυλαν. Hesychius πυρφόρον σκεῦος interpretatur. Clemens Alexandr. ἐσχαρίδας ἀνθράκων, prunarum foculos vocat. Coquinariæ autem tres Apicii fuere studiosi. Primus is qui vixit anno Urbis DCXLIX. centum annis ante Tiberium cum Rutilio Rufo. Alter sub Tiberio vixit, ut Seneca lib. *de Consolat. ad Albinam*, Dio lib. LVII. Tertius vixit sub Trajano, ut Athenæus lib. I. Quartum addo quem post ætatem Commodi vixisse oportet, cum concyclorum Commodianorum

in libris suis de arte culinaria meminerit, ut alibi ostendo. Cultrorum mensalium Veteres non meminere, quia scissores carnes scindebant, & carpebant. Athenæus tamen l. IV. Gallos ait μαχαίρια vaginis ensium inclusisse, quibus uterentur in mensa. κελτοὶ ἐὰν ᾖ τι δυσαπόσπαστον, μαχαιρίῳ μικρῷ παρατέμνοντες, Posidonius, μαχαίριον ὃ τοῖς κολεοῖς ἐν ἰδίᾳ θήκῃ παράκειται. Homerus,

> Ατρείδης δὲ ἐρυσσάμενος χείρεσσι μάχαιραν
> Η οἱ πὰρ ξίφεος μέγα κουλεὸν αἰὲν ἄωρτο
> Αρνῶν ἐκ κεφαλέων τάμνε τρίχας.

Plutarchus tamen scribit in *Artaxerxe* Parisatim in cœna cultro usum, cujus pars altera veneno imbuta, ut veneno mulierculam inficeret. Quod & fecit.

C A P. X.

DE VASIS ESCARIIS.

SEnatores Romæ argenteis lancibus usi cum in publico vescerentur. Tertullianus in *Apologet.* c. VI. Et in lances. Parum enim est si Senatorum argentaria metalla producta. Vide eundem l. *de Pallio* c. IV. Plinium l. XXXIII. c. XV. Salvianus l. I. Leges sanxerunt ne argenti in convivio plus pondo centum inferrent ex S. C. Cajo Fannio & M. Valerio Messala Coss. facto. Valerius l. II. c. IV. Gellius l. IV. c. VIII. Fabius censor Rufinum Senatu movit, quod X. pondo argenti factitarat. Lances Syllæ centenariæ I. centenarii ponderis. Tertullianus *supra*. Quingenaria promulsis Drusillani, id est, lanx ad promulsidem quingentorum pondo. Ulpianus l. 19. *de auro & arg. legato*, non lancem promulsidis, sed vas sustinens lancem illam intelligi. Vide Vopiscum in *Probo*. Varro, vasa immensa escaria ubi pultem, aut jurulenti quod ponebant. Paraspides, paropsides, artophora Eucherius ad Salonium, paropsis acetabulum majus, suffusorium Catinus, *l. 19. ff. de auro & arg. leg.* argenteas parapsides. Apud Athenæum l. IV singulæ lances singulis convivis apponuntur. Lib. VI. μέχρι τῶν μακεδονικῶν χρόνων κεραμέοις σκεύεσιν οἱ δειπνοῦντες διηκονοῦντο, Cleopatra τοὔνομα οὐ δυναμένη ἀλλάξαι, ἀργυροῦν καὶ χρυσοῦν ἀπεκάλει κέραμον, usque ad Macedonica tempora vasis fictilibus in conviviis Cleopatra cum nomen mutare non posset, aureum & argenteum ceramon vocavit. Aristophanes tamen in *Pluto* ἀργυροῦς πίνακας dixit, *lances argenteas*, Plinius l. XXXIII. c. XI. Privati Romæ mensas argenteas habuere Syllæ ævo lances e centenis libris argenti, quas tum super quingentas fuisse constat. Plautus in *Amphitruone*;

> *Lances detergam omnes, omnesque trullas hauriam.*

Lampridius in *Heliogab.* Vasa centenaria argentea sculpta, & nonnulla schematibus libidinosissimis inquinata. Arnobius l. II. Lanciculas. S. Chrysost. *de fic u*, σάμιον χρυσοῦν ἔχοντα ἔνδοθεν λίθους τιμίους. *Lancem auream inclusam gemmis pretiosis*. κρεῖον est vas κρεωδόχον carnibus asservandis apud Athenæum. Pausanias putat canistrum esse vel lancem in qua concidatur caro. Omnino Creon est coquinarium instrumentum sicut & crateuta. Nam sunt eo nomine obeli, vel lapides aut ferreum fulcrum cui incumbat veru, ait Pausanias, aut veruum manubrium. Timon apud Athenæum lib X.

> Ἐκ δὲ ῥυτὰ ῥίπτασκε, ἀπλήστοιους τ' ἀρυστάνας.
> *Disjecit rhyta & haustra nunquam vino satiata.*

Athenæus l. XI Rhyton ait vocatum primo κέρας, & factum a Ptolemæo Philadelpho primo omnium quod ferret imaginem Arsinoes. Id sinistra manu gestant omnibus temporariis fructibus plenum opificibus id ostendentibus, ita ut ejusmodi cornu copiosius & felicius sit cornu Amaltheæ. Dicitur ἀπὸ τῆς ῥύσεως a *fluxu*. Nam & *rusis* Athenæo est aurea phiala, & ῥέοντα sunt quædam pocula. Astydamas:

> Ῥέοντα ὧν τὰ μὲν δέκα ἀργυρᾶ,
> Ην δύο δὲ χρυσᾶ.
> *Rheonta* XII. *quorum* X. *argentea*,
> *Duo vero aurea*.

Rhyton a Theophrasto tribuitur solis Heroibus. Dorotheus Sidonius ait, Rhyta cornibus similia perforata, e quibus tubuli modo liquorem angustius reddentibus ima parte bibebant. Vide Athenæum l. XI. Sartagines dictæ τάγανα & τήγανα. l. VI. Phrynicus, πηδῶσι δ' ἰχθῦς ἐν μέσοισι τηγάνοις. *Saltant pisces in mediis sartaginibus.* κεραμεᾶ σκεύη fuere fictilia vasa usque ad Alexandri Magni ætatem. Postea successere ἀργυρώματα. κέραμος ἀργυροῦς, χρυσοῦς, fictile argenteum & aureum vocat Cleopatra. δεῖπνα ῥωμαϊκὰ κατεσκευασμένα κεράμῳ. *Prandia Romana*, ait Ptolemæus, *præparata fictili*, παντὶ χορηγούμενα ἀργυρῷ. *a Massinissa omnibus convivis utenda data argentea.* Vide Athenæum l. VI Discos, lances, missoria, repositoria, gabatas habuerunt. Missus mensæ fercula. Ennodius epist. XVIII. In missorio quod habet loricatum juvenem. Idem de missorio ubi imago ipsius est,

> *Divitibus pretium est Ennodi forma metallis.*

Isidorus l. XX. Missorium a mensa dictum. Glossæ ejusdem lancibus missoriis. Veteres Gloss. Discum missorium, forte quod missus & fercula exciperet. μινσώριον recentioribus Græcis est mensa. *Antholog.* l. IV. μινσώριον ἐν ᾧ τὰ δώδεκα ζώδια, ἕτερον ἔχον ἀφροδίτην, καὶ ἔρωτα, Eustathius orbiculum vocat. Gregorius Turon. l. VII. c. V. *Franc. hist.* De aureo Chilperici missorio. Æmonius l. III. & IV. De duobus missoriis argenteis. In repositorio Petronii XII. signa Zodiaci sunt pro scutulis, & lancibus. Ennodius epist. XXII. De compostile habente septem gavatas. Compostile dicitur a compositis in eo lancibus. Isidorus l. XX. Gabatam quasi cavatam. Gabata Martiali, Isidoro, & aliis gravata. Gloss. Paropsis gavata, Beatinus. Repositorium est cui gravior cœna, gustatorium cui gustatio imposita. Anaglypticum argentum de lancibus dixit Sidonius lib IX. epist. X.

> *Geruli caput plicantes*
> *Anaglyptico metallo*
> *Epulas superbiores*
> *Humeris ferant onustis.*

Idem l. I. Non ibi impolitam congeriem liventis argenti mensis cedentibus suspiriosus minister imponit. Vasa abaci paria semper erant. Cicero, jubeo promi, utrosque binos habebam. Scyphorum paria complura. Plinius ex actis triumphi Pompejani, vasa ex auro & gemmis abacorum, paria novem. Juvenalis, abacum vocat Lacedæmonium orbem, Sat. XI.

> *Qui Lacedæmonium pitysmate lubricat orbem.*

Aut certe pavimentum sectile orbiculatum. Horatius lib. I. Sat VI

> —— *& lapis albus*
> *Pocula cum cyathis duo sustinet.*

Prostabant pocula in Delphicis exposita, & ibi pitissabant, abacumque, & pavimentum effusionibus, rejectionibusque lubricabant. πυτίζειν, πίτυσμα. Etymologia. πιτύζω παρὰ τὸ πτύω, πτυτίζω ἀφοαγαγε, ... ἀποβολὴ τοῦ πιτύζω Hesychio πυτισμὸς αἵματος, sanguinis cum impetu effusio. Delphicæ mensæ orbiculata fuere, ut tripodes Delphici. Mensæ repositoriis insidebant. Erant & repositoria reponendis cibis. Plinius lib XVIII. cap. XXXV. Nec non cibis, mensisque nostris vasa quibus esculentum additur, sudorem repositoriis relinquentia diras tempestates prænuntiant. Plutarchus in *Alexan-*

dro, μυόλκια, ϗ κρουνὰς, ϗ πυέλυς, ϗ ἀλαβάςρυς πάντα χρυσῷ ἠσκημένα περιττῶς, *Crateras, lances, urnas, pelves, alabaſtros, omnia ex auro egregie laborata*. Lampridius in *Heliogab.* Vaſa argentea centenaria ex centum libris argenti. Clemens lib.II. *Pædag.*c.III. κλιντῆρες ἀργυροῖ, λεκάναι, ὀξύβαφα, τρυβλία, *argentea ſedilia, ollæ, acetabula, catini*. Patina fictilis apud Athenæum lib.II. τροχήλατος κόρη, a rota figulina. Antiphanes cacabum vocat θρέμμα καρύςυ γηγενή, filium natum e terra Caryſtia. κύτος ςερνοσώματον eſt patinæ cavum, quod totum corpus Polypi caperet. Apud Athenæum lib. III. Pompejanus miliarium vas calefaciendæ aquæ Romæ, vocat ἰπνολέβητα, Gloſſæ θερμηρὸν, ſubintellige ἄγγος. Lucianus in *Lexiphane* ἰπνολέβης ὑπερπαφλάζων. Quæ vox damnatur a Luciano, & Athenæo. μαζόνομοι, quævis lances rotundæ, & ligneæ, in quibus maza, quæ pauperibus pro pane fuit poni ſolita. Heſychius, μαζόνομον τ̃ κύκλον, ἢ τ̃ ξύλινον πίνακα. Varro *de re Ruſtica*, ut alios turdos videret in Ma zonomo poſitos coctos. Heſychius, μαζοφορὸς ὅμοιον κανῷ. λοπὰς eſt patina, μὴ πρὸ φακῆς λοπάδα αὔξης, ἐν τρυβλίῳ, oleæ, ἐν λοπάδι ἰχθῦς. Athenæus lib. VI. Philoxenus, παρακειμένων ἐλάων, ϗ μετὰ μικρὸν προσενεχθείσης λοπάδος ἰχθύων πατάξαι τὸ τρυβλίον. Philoxenus cum appoſitæ eſſent oleæ, & poſt paulo poſita eſſet patina piſcium, percu tiens manu catinum carmen Homeri citavit, ubi vox ἐλαᾶν, ſignificat agitare currum, innuens oleas, ἐλαίας, exagitandas & ejiciendas, aut flagellandas. Plutarchus in Flaminii triumpho numerat vaſa eſcaria Perſei, item Antigonidas, Seleucidas, Thericleas Crateras: argentum potorium & eſcarium Philo *de Legatione* vocat προβόσκημα δι' ἐκπωμάτων. Ita Heſychius, κελέβη ποτηρίυ εἶδος θερμηρῦ. Lucianus in *Lexiphane* damnat & vocem ἰπνολέβητος, ὁ μὲν τοι ἰπνολέβης ὑπερπαφλάζων εἰς κεφαλὴν ἡμῖν ἐπέτρεπε ἄνθρακας. Heſychius, παράψιδες ἢ παρόψιδες τὰ μεγάλα τρυβλία, *majuſculæ lances*. Petronius, lances in quarum margine nomen Trimalcionis inſcriptum. Athenæus, γραμματικὰ ποτήρια. Plautus in *Rudente*.

Nam hæc literata eſt, cantat cuja ſit.

Gloſſ. Matellata ςαμνίον. De fictilibus Tibull.l.II.

At tibi læta trabant Samiæ convivia teſtæ,
Fictaque Cumana lubrica terra rota.

Capedines vocant, capedunculas. Euſtathius κάνεα κύλικια σκεῦη, quæ in menſam ponuntur vaſa lignea. De ſalino Horatius lib.II.od.XVI.

—— *cui paternum*
Splendet in menſa tenui ſalinum.

Statius lib.I. *Sylvarum*, cœlitibus,

Ceſpes, & exiguo placuerunt farra ſalino.

Perſius Sat. III.

Eſt tibi far modicum, purum & ſine labe ſalinum.

Juvenalis ſat. XII.

Adde & baſcaudas, & mille eſcaria.

Baſcauda & cacabus. Vaſa quibus calices lavantur. Lances Chryſendetæ, auro incluſæ. Plinius lib. XXXIII. cap.I. Vaſa Furniana, Clodiana, anaglypta, inaſperata, id eſt, cælata, & ſignis aſpera.

CAP. XI.

DE POCULIS.

Veteres pocula ex auro & argento, chryſendeta, murrhina, cryſtallina in deliciis habuere, allaſſontes, calices vitreos. Vopiſcus in *Aureliano*, Calices tibi allaſſontes verſicolores tranſmiſit, quia vitrum vario colore inficiebatur, nec enim alia materia ſequacior, aut picturæ accommodatior. Strabo lib.XVI. ἤκυσα δ' ἐν τῇ ἀλεξανA δρείᾳ παρὰ τ̃ ὑαλυργῶν εἶναί τινα κατ' αἴγυπτον ὑαλῖτιν γῆν, ἧς χωρὶς ὐχ οἷόν τε τὰς πολυχρόυς, ϗ πολυτελεῖς κατασκευὰς ἀποτελεσθῆναι. *Audivi Alexandriæ a vitri opificibus eſſe in Ægypto quandam terram ad vitra opportunam, ſine qua procedere non poteſt verſicolor illa, & pretioſa vitri præparatio*. Sed & Romæ multa reperiri ajunt & ad colores, & ad facilitatem præparationis, ϗ πρὸς τὰς χρόας, ϗ πρὸ τ̃ ῥᾳςώνην τ̃ κατασκευῆς, καθάπερ ἐπὶ τ̃ κρυςαλλοφανῶν, ut in iis quæ cryſtalla eſſe videntur. Martialis lib. XIV. epigr. XCIV.

—— *Aſſe duos calices emit.*
Non ſumus audacis plebeia toreumata vitri.

Plinius de vitro, aliud flatu figuratur, aliud torno B teritur, aliud argenti modo cælatur. Sidone quondam iis officinis nobili, calices diatreti, cælati, ſculpti. Idem *ibid.* epig.CXV.

—— *quibus addere plura*
Dum cupit, o quoties perdidit auctor opus!

Item lib.XII. epigr. LXXI.

O quantum diatreta valent, & quinque comati.

Unde diatretarii opifices. In lege Aquilia, Si calicem diatretum faciendum dediſti, ſi quidem imperitia fregit damni injuria tenetur. Si vero non imperitia fregit, ſed rimas habebat vitioſas, poteſt C eſſe excuſatus. Diatretum non fiebat torno, ſed ſculpebatur. διατρῆσαι perforare, ſculpere, cavatores gemmarum, cavitarii. Gloſſæ, καβιδάριος cabidarius. Palladius, ἐν δὲ ἐν νεότητι αὐτῦ λιθυργὸς ὃν λέγυσι καβιδάριον, *erat in juventute ſua lapillorum & gemmarum artifex quem vocant cavidarium.* Gloſſæ Baſilicon σαρδαράριοι *cavitarii*. Quia, ut Plinius ſcribit, omnia hæc genera ſcalpturæ pertinaciter reſiſtunt, partemque ceræ in ſigno tenent, e diverſo ſarda ad hæc utiliſſima. Expetuntur Sardæ a ſcalptoribus, ferroque includuntur nullam non duritiam ex facili cavantes. Noſtri hodie fragmenta adamantis ferro includunt, quibus D omnia cavantur. Pocula Thericlea laudatiſſima. Philo *de vita contemplat.* ἐκπώματα θηρίκλεια τορείαις ἠκριβωμένα, *pocula Thericlea torno elaborata*. Pollux lib.VI.cap.XVI. οἰνοχόοι τὰ ἐκπώματα ἐκπλυνόντων, ἀπονιπτόντων, κλυζόντων, ϗ τὰς φιάλας ἐπὶ τ̃ δακτύλων ἄκρων ἐχέτωσαν προσφέροντες τοῖς συμπόταις εὐλαβῶς. *Pocillatores pocula lavent, tergant, & fialas ſummis digitis teneant porrigentes caute convivis*. Quæri poteſt quæ ſint apud Philonem, *de vita contemplat.* ἐκπώματα ῥυτὰ, fluentia interpretor. Tamaſius, aureus crater fuit, quem Helena in mare Coum conjecit, ne cauſa jurgiorum eſſet, apud Lycophronem. Apulejus, nec He- E lena craterem, nec Circe poculum. Euſtathius, τ̃ μὲν ἐν κύπρῳ τεμένει τίμασον ἀξιῦσιν οἱ παλαιοὶ λέγεσθαι, ἀφ' ἧς ϗ ὁ ταμάσιος κρατήρ. *Temeſe Cypri olim dicta Tamaſus, unde Tamaſius crater*. Laertius in *Thalete* ſcribit ἡφαιςότευκτον αὐτὸν ϗ δοθῆναι πέλοπι, hunc Craterem a Vulcano factum, & datum Pelopi. De murrhinis vaſis quæ a Pompejo primo omnium Romam illata ſunt, vide Plinium lib. XXXVII. cap. XXXII. Martialis de poculis Ægyptiis lib.XI. epigr. XII.

Tolle puer calices, tepidique toreumata Nili.

De Surrentinis Idem lib.XIV. epigr. CII.

F —— *Surrentinæ leve toreuma rotæ.*

Et epigr. XCIV.

Non ſumus audacis plebeia toreumata vitri,
Noſtra nec ardenti gemma feritur aqua.

Baſcauda, & cacabus vaſa quibus calices lavantur. Juvenalis Sat. XII.

Adde & baſcaudas, & mille eſcaria.

Martialis lib.IV. epigr. LXXXVI.

Nos bibimus vitro, tu myrrha, Pontice, quare?
Prodat perſpicuus ne duo vina calix.
Murrhina ſignavit, ſepoſuitque decem.

Item lib.x. ep. XLIX.

Cum potes amethystinos trientes,
Et nigro madras Opimiano.
Quisquam plumbea vina vult in auro.

Et epigr. LXXX.

Plorat Eros quoties maculosæ pocula myrrhæ
Inspicit, aut pueros, nobiliusque citrum.

Vide Isidorum lib. xx. cap. IV. & V. & Suetonium lib. II. qui murrhinum poculum Equitis commemorat, quod pretiosius fuit, quia in labro mordicus ab equite erosum. Callisthenes in *Vita Alexandri* meminit capsæ poculis asservandis aureæ, quæ decem & sex cubitos alta erat, gradus octo habebat, ποτηριοθήκη χρυσῆ ἑξ καὶ δέκα πήχεις ἔχουσα, καὶ ἀναβαθμοὺς ὀκτώ. Cymbium a cymba navigiolo, vel a cymba capite dictum. Cymbium prominens instar capitis, fundo carens, & auribus. Martianus, Cupella pocula in interiora vergentia. Amphicupella duos fundos habent. Phialæ lyciurgæ inauratæ a Lycone opifice. Ecpetalopoteria lata, Solis poculum, Herculis poculum, Eustathius pag. 907. 158. 1776. κύμβιον παρὰ τῆς κύμβης πλοίου, ἢ κεφαλῆς· κυφὸν κύμβιον ἔκπωμα κεφαλοειδὲς πυθμένα μὴ ἔχον, μηδ' ὦτα. κύπελλα ποτήρια ἐπὶ τὰ ἔσω κύπτοντα. ἀμφικύπελλα δύο πυθμένας ἔχοντα. Seneca lib. VI. *de Benef.* cap. IX. Cum capacibus gemmis inter se propinarent. Iuvenalis sat. VI.

Cum bibitur concha.

Virgilius II. *Georgic.*

Ut gemma bibat, & Sarrano dormiat ostro.

Athenæus lib. XI. ῥοδιακαὶ χυτρίδες, ollulæ Rhodiacæ. Fictilia pocula cum aromatibus terra macerata & subacta coquuntur, κεράμεα ἐκπώματα μετὰ τῶν ἀρωμάτων συμφυραθείσης τῆς γῆς ὀπτᾶται. Ciboria exple, inquit Horatius. Strabo lib. XV. In Ægypto faba κύαμος, unde ciborium. Lucillius.

Urceus, aut longa geminus mistarcius ansa.

Afranius, Aquam e sino haurire, qui lavaret manus. δῖνος sinum. Manilius,

Sinum fundentis aquari.

Virgil *sinum lactis*. Venantius lib. II. *de Vita S. Martini*,

Lucida perspicuis certantia vina lapillis,
Vix discernendis crystallina pocula potis.

Vide Athen. lib. XI. Embla, gemma, lapis, toreuma. Forte embola, quasi inclusa, injecta. Venantius,

Hinc mentita bibunt patera fucante Falerna,
Hic abacum picto bombycina flore decorant
Arte laborata, vel qualis pensat arachne,
Serica purpureis sternuntur vellera velis,
Julia blatta thoris, aurumque.

Plinius lib. XXXIII. cap. I. Vasa Furniana, Clodiana, anaglypta, excisa. Athenæus lib. XI. Poculum Nestoris clavis aureis confixum, ἥλοισι πεπαρμένον ἔχον τέσσαρα ὦτα, habens IV. aures, ut apud Martialem Nasiterna seu poculum nasorum IV. id est, ansarum.

Tu Beneventani sutoris nomen habentem.
Siccabis calicem nasorum quatuor, ac jam
Quassatum, ac rupto poscentem sulphura vitro.

Herculi Tyrio crateram cum XXX. pateris dicavit Alexander, aut Qu. Curtius lib. IV. Harpocration, κύμβιον εἶδός τι ἐκπώματος ἐπιμήκεος, καὶ στενοῦ, καὶ τῷ σχήματι παρομοίῳ τῷ πλοίῳ, ὃ καλεῖται κύμβη. Cymbium poculum longum, angustum, cymbæ simile. De Lagœna Symphosius in *Ænigm.*

Mater erat tellus, genitor fuit ipse Prometheus,
Auriculæque regunt redimitæ ventre cavato.

Ex cado impletur hirnea. Plautus in *Amphit.*

Cadus erat vini, inde implevi hirneam.

Hirnea ἀπὸ τοῦ ὀρνέου, quod avis figura sit. Cato cap. LXXXI. Indito in hirneam fictilem. Myobarbum est muris forma. Barbos vasis genus. Arnob. lib. VII. Scyphos, brias, pateras, sympuviumque depromite. Lib. II. Craticulas, trullas, securiculas, pollubrum, siliquastrum. Glossæ, Loculamenta διαφράγματα, ψυκτὴρ καὶ ψυκτήριον, ποτήριον. βομβύλιος ποτηρίου γένος καὶ μικρὸν ποτὸν στάζοντος. Columella lib. IX. Palladius lib. I. Varro, Dolia, & apothecas tricliniares, Melicas, calenas, obbas, cumanos calices. Paulinus lib. IX.

Sustentant vitreas crystalla capacia lymphas,
Cumque ipsa & concha species videatur, & undæ,
Nec cohibere putes susceptum claustra liquorem,
Pocula funduntur gemmis.

Varro lib. I. *de re rust.* Trullum, scutriscum, matellionem, nasiternam. Cap. X. & XI. Pelvis, pollubrum, trullum, guttum, aquivinale, χέρνιβον. Trebellius, scyphos gemmatos, discum corymbiatum, lancem argenteam, pampinatam, patinam argenteam hederatam, urceos duos argenteos auro inclusos. Gloss. gillo βαυκάλιον. Matta ψίαθος, scutra λέβης, urceolus στάμνος. Martialis lib. VIII. epigr. VI.

Archetipis vetuli nihil est odosius Eucti,
Ficta Saguntino cymbia malo luto.
Laomedonteæ fuerant hæc pocula mensæ.

Apulejus *Milesf.* II. Hic vitrum fabre sigillatum, ibi crystallum impunctum, succinum mire cavatum in lapides ut bibat. Martialis lib. XII.

Cum tibi Niliacus portet crystalla cataplus,
Accipe de circo pocula Flaminio.
Nullum sollicitant hæc, Flacce, toreumata furem.

Ovidius lib. VIII. *Metam.*

—— fabricataque fago
Pocula, quæ cava sunt flaventibus illita ceris.

Virgilius Eccl. III.

—— pocula ponam
Fagina, cælatum divini opus Alcimedontis.
Lenta quibus torno facili superaddita vitis
Diffusos hedera vestit pallente corymbos.

Cælata vasa dicuntur amcæsa Festo. Juvenalis Sat. V. de poculis gemmeis.

—— ipse capaces
Heliadum crustas, & inæquales beryllos.

De aureis gemmatis,

—— tibi non committitur aurum,
Vel si quando datur custos affixus ibidem
Qui numeret gemmas.
Nam Verro, ut multi, gemmas ad pocula transfert
A digitis.

Animalia in poculis exsculpta erant. Juvenalis.

—— & stantem extra pocula caprum.

Ovidius,

Altius extantem signis cratera.

Martialis,

Stat caper in phiala Thebani vellere Phryxi
Custos.

Horatius de trulla fictili Campana,

—— festis potare diebus
Campana solitus trulla.

De vasis vide Nonium, qui ponit cymbia, urnarium pollubrum, sympuvium. Varro lib. IV. *de ling. Lat.* Pateræ quod pateant. Hisce enim etiam nunc quam magistri fiunt in publico convivio antiquitatis referendæ causa potio circumfertur, & in sacrificando Deis, hoc poculo magistratus dat Deo vinum. Sinum vas est vinarium grandius. Lepesta nunc in diebus sacris vasa vinaria in mensa Deorum. Idem lib I. *de vita Pop. R.* Lepostæ fictiles, aut æneæ Sabinorum fanis. Apud Festum incitega machinula in qua constituebatur in convivio vini amphora, de qua subinde vina deferrentur, circulum vocat Martialis,

Orbibus in nostris circulus esse potest.

Id est, in nostris mensis rotundis potest esse incitega. Nisi per circulum malis intelligere eum quem

vas vinarium in imo rotundum vino, sensim fluente in mensa orbiculari designat. Repositorium vocat Plin. l.xxviii.c.i. Recedente aliquo ab epulis, simul verri solum, aut bibente conviva mensam vel repositorium tolli inauspicatissimum judicatur. Interdum convivarum pedes pelvibus vino plenis lavabantur. Athenæus lib.iv. Phoco filio Phocionis victore, τοῖς εἰσιοῦσι προσεφέροντο ποδονιπτῆρες οἴνου δι' ἀρωμάτων. *Afferebantur pollubra pedibus lavandis vino plena cum aromatis.* Philippus legatis Athen. in quadam cœna bibens argentea & aurea pocula dedit, auctore Demosthene in *orat. de legat. corrupta*. ταῦτα φιλοτησίας προπινόντων εἰσί, ait Ulpianus. In convivio Assueri fuere pocula aurea, & argentea, καὶ ἀνθράκιον κυλίκιον προκείμενον ἀπὸ ταλάντων τρισμυρίων, *e carbunculo parvus calyx, cujus pretium* xxx. *millia talentorum*, id est, ut hodie putamus, xxii. milliones aureorum nostratium, in *lib. Esther*. Tzetzes apud Hesiodum Oenochoe bicus est, aut poculum. Crater autem est ut lebes qui ponebatur in epulis publicis, & festivitatibus, non ut bicus, & aructer in privato convivio. οἰνοχόη, βῖκος, ἢ ποτήριον· ὁ δὲ κρατὴρ ὡς λέβης ἐστί, ὃς ἐτίθετο πρὶν ἐν συσσιτίοις καὶ ἑορταῖς οὐκ ὡς βῖκος, ἢ ἀρυκτὴρ, ἐν ἰδιωτικῷ ἐνδιαίματι cælata & crystallina vasa ventilat. Seneca epist.xxiii. Olim Romæ virorum principum vasa fictilia, idem epist. LV. Tuberonis ligneos lectulos, quum in publicum sternerentur, hœdinæque pro stragulis pelles, & ante ipsius Jovis cellam, proposita convivis vasa fictilia, quid aliud est quam in Capitolio paupertatem consecrare. Festo frivola sunt vasa fictilia quassa. Juvenalis Sat.iii.

Jam poscit aquam, jam frivola transfert
Ucalegon.

Sat.v.

Et, ne te teneam, Romanorum omnia regum
Frivola.

Pollux lib. xx. cap. ix. ὀξυβάφια κεράμια vocat acetabula fictilia Tertul. in *Apolog.* cap. xxv. Vasa Samia. Cicero *parad.*i. Dapedines, ac fictiles urnas. Plin. lib. xxxv. cap. xii. Fictilia simpuvia. Alii simpula. Vet.Scholiast.Juven. *ad Sat.*vi. Simpuvium vas sacrificiis aptum, in quo Pontifices solebant lavare. Simpuvium item quia omnes Sacerdotes simul bibebant, inde simpuviatrix illa dicitur quæ porrigit poculum istud. Glos.Isidori, Candes vasa fictilia. Propertius lib.iv. el. i.

Fictilia antiquus primum sibi fecit agrestis
Pocula de facili composuitque luto.

Martialis lib. xiv. epigr. xcviii.

Aretina nimis ne spernas vasa monemus,
Lautus erat Thuscis Porsena fictilibus.

Ausonius *epigr.* viii.

Fama est fictilibus cœnasse Agathoclea regem,
Atque abacum Samio sæpe onerasse luto.

Erant & fictilia Saguntina. Juvenalis Sat.v.

Pugna Saguntina fervet commissa lagœna.

CAP. XII.

RURSUM DE POCULIS.

Pocula per initia fuere fictilia, fagina, cornea, unde Græcis κεράσασθαι ἀπὸ τῶν κεράτων, *a cornibus*. Erant cornua quæ venenum respuerent vel proderent, ait Ælianus. Ovid.lib.v.*Fast.*

Terra rubens crater, pocula fagus erat.

Tibullus lib.i.

Divitis hoc vitium est auri, nec bella fuerunt
Faginus adstabat cum scyphus ante dapes.

L. 30. *ff. de legatis* 3. Pocula oleagina. Plinius lib. xvi.cap.xxxv. Pocula hederacea quæ transmittant vina, remanente aqua, si mixta vino fuerit. Græci κισσύβιον vocant. Euripides in *Andromeda*.

Ο μὲν γάλακτος κίσσινον φέρων σκύφον.

Alter hederaceum scyphum lacte plenum ferens. Frustra οἶνον reponunt pro ὁ μέν. Isidorus lib. xx. cap.v. Calices, & calathi, & scalæ poculorum genera lignea, quia Græci κᾶλα *lignum* vocant. Homerus, κάγκανα κᾶλα, *ligna sicca*. Paulus Diaconus lib.i. *Longob.* cap. xxvii. Scalam poculi genus Latinis patera. Athenæus lib. xi. Olim pocula e cornu boum. Ambrof. lib. *de Elia* cap. xvii. Per cornu fluentia in fauces hominum vina. Crateres a cornibus, & κεράννυμι *misceo in cornu*. Athenæus lib.xi. ῥυτὰ dici air. Xenophon lib.vi. *Expedit.* κεράτινα ποτήρια, *pocula e cornibus*. Lib. vii. Thraces κέρατα οἴνου προὔπινον, *cornua vini præbibebant*. Pindarus ἀργύρεα κέρατα *cornua argentea*, pro poculis. Æschylus in *Perrbœbis* ἀργυρήλατα κέρατα, *pocula argentea*. Sophocles in *Pandora* χρύσεον κέρας, *aurum poculum*. Apud Ctesiam Indi κατασκευάζουσι ἐκπώματα, faciunt pocula ex cornibus asinorum sylvestrium. Nonnus lib. xii. Baccho tribuit cornu incurvum ex cornu bovis,

Δέπας ἀγκύλον εἶχε βοὸς κέρας.

Fuerunt & vitrea. Apulejus *Milef.* ii. Ampli calices variæ quidem gratiæ, sed pretiositatis unius, hic vitrum fabre sigillatum, ibi crystallum impunctum, argentum alibi clarum, & aurum fulgurans, & succinum mire cavatum in lapides ut bibas. Aristophanes vocat ὑάλινα ἐκπώματα. Petronius apud Saresberienf. lib.iv. *Polycrat.* cap. v. refert fabrum fuisse qui vitrea vasa faceret tenacitatis tantæ, ut non magis quam aurea, aut argentea frangerentur. Cum ergo phialam hujusmodi de vitro purissimo & solo, ut putabat, dignam Cæsare fabricasset, cum munere suo Cæsarem adiens admissus est. Laudata est species muneris, commendata manus artificis, acceptata est devotio donantis: faber vero ut admirationem intuentium verteret in stuporem, & sibi plenius conciliaret gratiam Imperatoris, petitam de manu Cæsaris phialam recepit, eamque validius projecit in pavimentum toto impetu, ut nec solidissima, & constantissima æris materia maneret illæsa. Cæsar autem ad hæc non magis obstupuit, quam expavit: at ille de terra sustulit phialam, quæ quidem non erat fracta, sed collisa, ac si æris substantia vitri speciem induisset, deinde martiolum (vox bona & Latina est) de sinu proferens vitrum correxit aptissime, & tanquam collisum vas æneum crebris ictibus reparavit. Quo facto se cœlum Jovis tenere arbitratus est, eo quod familiaritatem Cæsaris, & admirationem omnium se promeruisse credebat. Sed secus accidit. Quæsivit enim Cæsar an alius sciret hanc conditurам vitrorum, quod cum negaret eum decollari præcepit, dicens, quia si hoc artificium innotesceret, aurum & argentum vilescerent quasi lutum. Paulo aliter de Tiberio Plinius lib. xxxvi. cap. xxvi. Xiphilinus in *Tiberio* scribit eum qui maximam porticum Romæ ἐπροκλινῆ in alteram partem inclinatam erexerat, vitrum id inviolabile fecisse, καὶ τοῦτῳ ποτήριόν τι ὑάλουν καταβαλόντος οἱ ἐπίτηδες, καὶ θλασθέν πως ἢ συντριβὲν τῇ τε χερσὶ διατρίψαντος, καὶ ἀθραυστον παραχρῆμα ἀποφήναντος, καὶ ἀπέκτεινεν αὐτόν. Quum enim supplex esset apud Tiberium, & de industria vitreum poculum cadere humi passus esset, & collisum contritumque manibus tractavisset, & in integrum restituisset, a Tiberio necatus est. Fuerunt igitur pocula e vitro, e crystallo. Sidonius lib. ii. epist. xiii. Inque crystallis calerent unguenta glacialibus. Crystallum autem aliud est nativum quod in jugis Apennini sæpe reperitur, & magni pretii est, si magnum & amplum, aliud factitium est minimi pretii. Plinius tamen *præfatione* lib.xxxiii.

Myrrhina & cryſtallina ex eadem terra effodi ait. A Seneca lib. III. *de Ira* cap. XL. Fregerat unus ex ſervis ejus cryſtallinum, rapi eum Vedius juſſit, nec vulgari periturum morte. Plinius lib. XXXVII. cap. II. Cryſtallum frigore concreſcere, glaciemque eſſe cenſet, ut & Ariſtoteles apud Gellium lib. XIX. cap. V. Seneca lib. III. *Natur. Quæſt.* cap. XXV. Statius lib. I. *Sylv.* II.

Raraque longævis nivibus cryſtalla gelari.

Negat Solinus cap. XX. aitque pretioſiſſimum cryſtallum eſſe Scythicum. Omnino cryſtallum nix eſt frigore concreta. De murrhinis vide Plinium lib. XXXVII. cap. II. Senecam epiſt. CXIX. & CXXIII & lib. VII. *de Benefic.* cap. IX. Martial. lib. XIII. B epigr. CX. Myrrhina picta vocat. Calenti vino conveniunt, auctore Martiali lib. XIV. epig. CXIII.

Si calidum potas ardenti myrrha Falerno
Convenit.

CAP. XIII.

DE MYRRHINIS.

VAſa murrhina, *μύῤῥινα*, *μόῤῥινα* vocat Arrianus lib. III. *Epiſt.* cap. IX. Pauſanias in *Arcad.* *μόῤῥα*, *μόῤῥαν*, & *μύῤῥαν*. Statius lib. C

— pocula magno
Prima duci, myrrhaſque graves.

Martialis lib. IV. epig. LXXXVI.

Nos bibimus vitro, tu myrrha.

Lucanus lib. IV.

Non auro, myrrhaque bibunt.

Martialis lib. XIV. epigr. CXIII.

Si calidum potas ardenti myrrha Falerno
Convenit.

Plinius lib. XXXVII. putat humorem ſub terra calore denſari qui in lapidem concretus eruatur, & in vaſa cæletur. Arrianus in *Periplo* *μυῤῥίνην* vel *μοῤῥίνην* vocat *λιθίαν*, *lapidem murrhinum*. Seneca lib. VII. *de Benef.* cap. IX. Murrhina pocula D capaces gemmas, *ff. de auro & arg. leg. l.* 19. Caſſius ait murrhina vaſa in gemmis non eſſe quæ ſint perlucidæ. Sidonius *carm.* XI.

Poſtes Chryſolithi fulvus diſtinxerat ardor,
Murrhina ſardonyches.

Scaliger *Exercit.* XCII. *in Cardanum* murrhina putat eſſe Porcellanas. Male. Plinius lib. XXXVII. cap. II. In Carmania reperiuntur circumagentibus ſe maculis in pulverem. Propertius fictilia eſſe vult. lib. IV eleg. VI.

Murrheaque in Parthis pocula cocta focis.

Arrianus in *Periplo* ſcribit murrhina vaſa Dioſpoli E fieri. Propertius focos vocat ignes quibus murrhina in viſceribus terræ Solis radio coquuntur, ut aliqui cenſent. Putem Propertium famam ſequutum & vulgi errorem. Porcellanæ aliæ nativæ ſunt, aliæ in Balearibus arte fiunt. Plinius lib. XXXVI. cap. XXVI. prodit obſidianum factum arte album, & murrhinum. Pauſanias in *Arcadicis*, *ςυγὸς ὕδατι καὶ κρύςαλλος, καὶ μόῤῥια, καὶ ὅσα λίθου ποιούμενα, καὶ τῶν σκευῶν τὰ κεράμεα ῥήγνυται*. *Aqua Stygis fontis in Arcadia, cryſtallum, vaſa murrhina, lapidea, fictilia rumpuntur.* Potuiſſe murrhi- F na quædam arte fieri non dubito, quum apud Theophraſtum libro *de Lapidibus*, Cinnabari aliud ſit nativum, aliud factitium, quum apud Senecam epiſt. XCI. calculus decoquatur in ſmaragdum, neque ulla fraus lucroſior quam in fictitiis gemmis, ait Plinius lib. XXXVII. cap. XII. Apud Arrianum in *Periplo* *λιθία ὑαλίνη, μοῤῥίνη* lapis eſt. Dioſpolis, inquit, olim Thebæ Ægyptiæ dictæ, *ὅπου ἀλαβαςρίτης, λιθίαι διαφανεῖς ὑαλαῖ μυῤῥίναι ὀνυχῖναι*. Plinius lib. XXXV. cap. XII. Eo pervenit luxuria ut etiam fictilia pluris conſtent quam murrhina. Lib. XXXVII. cap. II. Cryſtallina & murrhina vaſa auctoritatem habent frigidi potus. Murrhino LXXX. ſeſtertiis empto capaci ad ſextarios tres calice. Petronius trullam murrhinam CCC. H-S. emptam fregit. Nero CCC. H-S. capedinem unam murrhinam paravit. Plin. lib. XXXIII. in *præf.* Pompejus in ſuo triumpho Jovi Capitol. ex ſpoliis ſex murrhina pocula dicavit. Sueton. cap. LXXII. Auguſtus nihil ſibi retinuit præter calicem murrhinum.

CAP. XIV.

DE ALIIS POCULORUM GENERIBUS.

POculis murrhinis & cryſtallinis ipſa fragilitas fecit pretium, ait Seneca lib. VII. *de Benefic.* cap. IX. Murrhina non dicuntur quod ex concretis myrrhæ arboris lachrymis fiant. *l. ſupellect. ff. de ſupellectili legata.* Sed a murrha lapide, ut vult Arrianus. Fuerunt & pocula electrina. Trebellius *de Quieto tyranno*, Electridem pateram quæ in medio vultum Alexandri haberet, & in circuitu omnem hiſtoriam contineret, ſignis brevibus & minutulis Pontifici propinavit. Lamprid. in *Alexandro*, Helenæ dicitur Minervæ Lindiæ calicem ex electro conſecraſſe. Juvenalis Sat. V.

— ipſe capaces
Heliadum cruſtas, & inæquales beryllo
Virro tenet phialas: tibi non committitur aurum.

Sammoniacus cap. LXXII.

Produnt electri rorantia pocula viros.

Succinum ſeu electrum non ex populi, & Heliadum lachrymis concreſcit, maxime odoratum illud quod ſemini balænarum adſcribitur. Servius VIII *Æneid.* Tria ſunt electri genera, unum in arboribus quod ſuccinum dicitur, aliud quod naturaliter invenitur, tertium quod fit de tribus partibus auri, & una argenti. Tertul. *in Hermogen.* cap. XXV. Electrum licet ex auro & argento fœderatum, nec argentum tamen nec aurum appellabo, ſed electrum. Electrum a ſole dici volunt qui *ἀλέκτωρ*. Electrides inſulæ ubi fuerint neſcitur. Vulgo eas in mari Adriatico ponunt. Theophraſtus in Liguria effodi ait. Reperitur ad Oceani littus in Gallia & Scotia. Quidam concreti maris purgamentum eſſe volunt, in Germanis in inſula Abulo, in Ægypto natum dicitur Sacal, in Syria *ἅρπαξ*, quia paleas trahit. Theophraſtus putat Oceano æſtuante id ad Pyrenæos montes ejici. Multi tradunt ad mare Atlanticum eſſe lacum Cephiſida, qui ſole fervefactus e l mo det. Alii in Sicyone Africæ lacu naſci volunt. Quidam ex horto Heſperidum propter Syrtim majorem in ſtagnum cadere volunt. Omnino gignitur in inſulis Oceani ad Septemtrionem, & a Germanis dicitur gleſſus, unde inſula gleſſaria, quæ & Auſtraria. Naſcitur defluente medulla ex arboribus pinei generis quaſi gummi e ceraſis, denſatur in mari, & cum intumeſcens æſtus ex inſulis rapuit, in littora expellitur ita volubile ut pendere videatur, & per vadum deferri. Conſule Plinium lib. XXXIII. c. IV. Omni auro ineſt argentum, ubicumque quinta argenti portio eſt electrum vocatur. Fit & cura electrum argento addito. Tertull. *in Praxeam* c. XXVII. Ut electrum ex auro & argento, & incipit nec aurum eſſe dum alterum altero mutatur, & tertium quid efficitur, ita lego. Ambroſ. *in hexaem.* lib. II. c. XV. Electrum lachryma virgulti eſt, quando folia & minutiſſimæ ſurculorum portiones, aut exigua quædam animantium genera in electro ſæpe reperiantur, quæ videtur, quum adhuc gutta eſſet mollior recepiſſe, & ſolida retinuiſſe. Argentea pocula & hodie ſunt,

& jam

& jam olim fuerunt. Athenæus *lib.* XI. Magnum poculum vocat argenteum puteum. Juvenalis Satyr. I.

> *Argentum vetus, & ſtantem extra pocula caprum.*

Cælabantur argentea pocula quod emblematum opus vocat Juvenalis Scholiaſtes *ad Sat.* v. *L.* 13. *ff. de condict. furt.* In condictione poculorum etiam cælaturæ æſtimatio fiet. Plinius *lib.* XXXIII. cap. XII. Mirum in auro cælando inclaruiſſe neminem, argento multos, maxime tamen laudatus eſt Mentor. Fuere & aurea pocula. Cicero IV. *in Verr.* Non pauca etiam pocula ex auro, quæ ut mos eſt regibus, & maxime in Syria, gemmis erant diſtincta clariſſimis. Aurum cælari ſolitum oſtendit Virgilius,

> *—— cælataque in auro*
> *Fortia facta patrum.*

Iſidorus *lib.* XX. cap. IV. Cælata vaſa argentea vel aurea ſunt, quæ ſignis eminentioribus intus extrave expreſſa. Statius *lib.* I. *Thebaid.*

> *—— ſignis perfectam, auroque nitentem*
> *Jaſides pateram*, &c.
> *—— tenet hæc operum cælata figuras*
> *Aureus anguicomam præſecto Gorgona collo*
> *Ales habet.*

Erant igitur pocula aurea cælata, chryſendeta, λιθοκόλλητα, gemmata. S. Cyprianus *lib.* II. ep. II. Gemma bibere. Apulejus *Mileſ.* II. Gemmas formatas in pocula. Plin. *lib.* XXXIII. Turba gemmarum potamus, & ſmaragdis teximus calices, ac temulentiæ cauſa tenere Indiam juvat, & aurum jam acceſſio eſt. *L.* 19. *ff. de auro & arg. leg.* Gemmas incluſas auro, argentoque. Erant enim incluſores qui includerent gemmas, & excluderent, erant cavatores, cavitarii, cavitores qui cavarent gemmas & cælarent. Juv. Sat. X.

> *—— cum pocula ſumes*
> *Gemmata, & lato ſetinum ardebit in auro.*

Martialis *lib.* II. epigr. XLIII.

> *Innumeri tibi flava tegunt chryſendeta mulli.*

Apud Paulum Diaconum *lib.* I. *de geſtis Longob.* Alboinus Cunimundi patris Roſimundæ calvam argento in poculum adornavit. Herod. *l.* IV. τῇ κεφαλῇ περιχρυσώσας χρᾶται ποτηρίῳ. Scytha capite hoſtis, id eſt, calvaria inaurata utitur pro poculo. Vide Plin. *lib.* VII. c. II. Ammian. Marcel. *l.* XXVII. Silius *lib.* XIII.

> *At Celtæ vacui capitis circumdare gaudent*
> *Oſſa, nefas, auro & menſis ea pocula ſervant.*

In abaco reponi pocula diximus. Juvenal. Sat. VI.

> *—— urceoli ſex*
> *Ornamentum abaci, nec non & parvulus infra*
> *Cantharus.*

Livius *lib.* XXIX. ab exercitu Aſiatico abacos Romam ait advectos.

CAP. XV.

DE VARIA POCULORUM FORMA.

Omnia pene Veterum pocula fuere rotunda, humilia, patula: unde & pateræ dictæ. Neſtoreum duobus fundis. Martial. *l.* VIII. epigr. VI.

> *Hi duo longævo cenſentur Neſtore fundi,*
> *Pollice de Pylio trita columba nitet.*

Homerus *Iliad.* λ. vocat δέπας περικαλλὲς χρυσείοις ἥλοισι πεπαρμένον οὔατα δ' αὐτοῦ τέσσαρ' ἔσαν, δοιαὶ δὲ πελειάδες, &c. δύω δ' ὑπὸ πυθμένες ἦσαν, *poculum pulcrum, aureis clavis confixum, aures quatuor erant, duæ circum columbæ, duo fundi.* Alia erant clemmateres dicti Gallis Cybeles uſui, parva, cava, ſine fundo & auribus. Vide Athenæum *lib.* XI. Dicuntur & tympana. Plinius *lib.* XXXIII. cap. XI. Tympana, ſtateras, lances, & magidas vocat quæ poſtrema vaſa eſcaria. Erant pocula anſata, alia ſine anſis. Macrob. *lib.* V. *Sat.* cap. XXI. Patera planum ac patens eſt, carcheſium procerum, & circa mediam partem compreſſum, anſatum mediocriter anſis a ſummo ad infimum pertinentibus. Cicero IV. *in Verr.* Erat vas vinarium ex una gemma prægrandi, trulla excavata, manubrio aureo. Plin. *lib.* XXXVI. c. XXVI. Calices pterotos vocat alatos, quia anſæ utrinque protenſæ ſpeciem alarum referunt. Trulla ſeu truella Acroni *ad Horat. lib.* II. *Sat.* III. Deformis calix & ruſticanus trullas æneas & ligneas torcularibus adhibet. Cato cap. X. *Rei Ruſticæ*, & cap. XIII. Trulla item vas exonerandæ alvo. Martial. *lib.* IX. epigr. XCVII.

> *Clinicus Herodes trullam ſubduxerat ægro:*
> *Deprenſus dixit, ſtulte, quid ergo bibis?*

Pro vaſe potorio poſuit Horat. *lib.* II. Sat. III.

> *Qui Vejentanum feſtis potare diebus*
> *Campana ſolitus trulla.*

Athenæus *lib.* XI. ῥύσιν vocat auream phialam. Ælian. *lib.* I. *Var.* cap. XXXII. χρυσῆν φιάλην. Varro *lib.* I. *de vita pop. R.* Item erant vaſa vinaria aquilinæ pateræ, gutti, ſextarii. Herculanei ſcyphi ab Hercule reperti, uti cantharus a Libero patre. Macrob. *lib.* V. *Saturn.* cap. II. Apud Q. Curtium *lib.* X. Alexander nondum epoto Herculis Scypho. Porphyrio *ad lib.* II. *Horat. Od.* VII. Ciborium eſt poculi genus in modum foliorum colocaſiorum factum. Aryſanæ, aryſteres, aryſtichi ſunt cyathi, ab ἀρύω *haurio*. Dioſcorides ἀκόπτιον vas pice non oblitum ἀπιπίαστωτον quod diffluat. οἰνήρυσις fuit trulla vinaria Athen. *lib.* IV. Livius Andronicus de Carcheſiis.

> *Florem antlabant Liberi ex Carcheſiis.*

CAP. XVI.

DE VASIS VINI, ET ALIIS.

Vaſa vini varia fuere, plura Græcis quam Latinis, certe plura nomina. Latini enim tantum habuere calices, pocula, carcheſia, capedines, crateras, urceos, gutturnia, & cætera talia. Græcis fuere apud Pollucem *lib.* VI. λάγυνος, πιθάκνη, ἀσκός, κρατήρ, προχοΐδιον, κάδος, πιθίσκος, κεράμιον, *lagena, doliolum, uter, cratera, gutturnium, cadus, poculum fictile, aut vas*

fictile. ἀμφορεὺς, ἀμφορίσκος, *amphora*, σαμνίον, *guttum*, *seria*, ἀγγεῖον οἰνοφόρον, ὑελῶν *vas vitreum*, πίθος, *dolium*, πιθάκνη, *doliolum*, ὕρχαι οἴνου, κεράμιον προσεοικὸς τῷ βίκῳ, *urceus fictilis similis bico urnæ, vel poculo.* ὗρχαι *vasa fictilia.* Clemens *lib.* II. *Pædag.* cap. III. ἐκπώματα ἀργυρίου καὶ χρυσίου λιθοκόλλητα, *pocula argenti & auri lapillis distincta.* Thericlei calices, & Antigonides, Canthari, λαβρώνιοι (Athenæo *lib.* XI. λαβρωνία poculum Persicum latum ἀπὸ τῆς λαβρότητος ab impetu) λεπασταὶ, λεπαστίδες, pocula, ψυκτῆρες calices qui uno haustu siccabantur, οἰνοχόαι, τορευτῶν ἐφ' ὑελῷ κενοδοξία, *vanitas toreumatum vitreorum.* Philostratus in *Antipatro*, meminit Panii crateris. Apothecæ οἰνῶνες, πυθῶνες Polluci. Apud Athen. *lib.* II. ὄλπις trulla vinaria. Hesychio κελέβη ποτηρίου εἶδος θερμηροῦ, *Celebe poculum in quo calidum bibitur.* κώθων, poculum Laconum. κώθων στρεψαύχην flexo collo ὄλπις οἰνοχόη, olpis trulla, unde vas in poculum defunditur. De Plemochoe *lib.* II. Athen. πλημοχόη σκεῦος κεραμοῦν βεμβικῶδες ἑδραῖον ἡσυχῆ, Plemochoe vas fictile lusorio puerorum turbini simile, ima sede leniter modiceque stabili fundatum, Cotyliscum vocant. Ollam, pultis vas capacissimum fuisse vult Nonius. Matellam vas aquarium interpretatur. Pelvim finum aquarium. Fideliam vas Samium ad usus plurimos. Plautus *Aulularia*,

Mulsi congialem, plenam faciam tibi fideliam.

Cupas, tinas vino capiendo. Cadi, vasa quibus vina conduntur. Polubrum, χέρνιβα, trulleum. Livius, argenteo polubro, & aureo gutto. Fabius pictor, aquam manibus, pedibusque dato, polubrum sinistra manu teneto, dextera vasum cum aqua: simpuvium vas ligneum quo Dii ipsi vinitantur, ait Varro, id est, gustant vinum, pitissant. Obba poculi genus ligneum, vel ex sparto. Batiola aureum vas. Varro *de vita P. Rom.* Item erant vasa vinaria, sini, cymbia, aquilinæ pateræ, gutti, sextarii, simpuvium. Virgil. *Æneid.* V.

Cymbiaque argento perfecta atque aspera signis.

Varro *lib.* I. *R. R.* Sæpe ubi conditum vinum novum orcæ in Hispania fervore musti ruptæ. Naliterna vas aquatile, catinos aquæ Varro dixit. Carchesia pocula. Virgil. *lib.* I. *Æn.*

Hic duo rite mero libans carchesia Baccho.

Hirnea, vel cirnea vas vinarium. Mistarius vas quo miscemus. Trulleus quo manus perluuntur. Armillum urceolus vinarius. Sinum, & galeola vasa sinuosa. Varro *lib.* III. *de Vita pop. Rom.* Lepistæ etiam nunc Sabinorum fanis pauperioribus plerisque, aut fictiles sunt, aut æneæ. Nævius, crateris sumere aquam ex ponte. Craterra dicitur situla. Alexis ἐν ἀργυρῷ ποτηρίῳ πετάχνῳ τινί. Petachnum argenteum poculum. Varro, dolia, atque apothecas tricliniares, calenas, obbas, & Cumanos calices. Sessilis obba Poetæ. Varro *ling. Lat. lib.* IV. Præterea in poculis erant pateræ, eo quod pateant latius. Lucianus in *Lexiphane*, βομβυλιὸς, καὶ δειροκύπελλον, καὶ γηγενῆ πολλὰ οἷα θηρικλῆς ὤπτα, εὐρυχάδη τε, καὶ ἄλλα εὔστομα, τὰ μὲν φωκαῆθεν, τὰ δὲ κνιδόθεν, πάντα μέν τοι ἀνεμόφορητα, καὶ ὑμενόστρακα. κύμβια δὲ ἦν καὶ φιαλίδες, καὶ ποτήρια γραμματικὰ, literata & inscripta; ὥστε μεστὸν ἦν τὸ κυλίκιον, *armarium plenum erat.* Vide Clementem *lib.* II. *Pædag.* cap. III. Et nota Thericleos calices, fuisse fictiles, ut & Antigonidas. Lucianus in *Lexiphane*, ποτήρια δὲ ἔκειτο παντοῖα ἐπὶ τῆς δελφινίδος τραπέζης, ὁ κρυψιμέτωπος, καὶ τρυήλης μεντουργὴς εὐλαβὴ ἔχων τὸν κέρκον. *Pocula omnigena erant in Delphica mensa*, &c. Philo *de vita contemplat.* ait Thericleos calices torno elaboratos. Unde putes non fictilia, sed e metallo, aut ligno fuisse. Martialis tamen fictilia etiam torno accurari ostendit, cum ait,

Et Surrentinæ leve toreuma rotæ.

Imo & vitra ipsa quæ vocat toreumata.

CAP. XVII.

DE POCULIS GRÆCANICIS.

QUemadmodum Romani a Græcis & Asiaticis orti, ita & mores eorum, & leges, & vestes, & supellex domestica est ab iisdem petita. Romani habuere cupas, Græci κύπελλα ἀπὸ τῆς κυφότητος, quia excavata, vel ἀπὸ τοῦ κόπτω, quia excisa. Lycophron dixit κύφελλα. κῦφος, vas concavum exsculptum, quod dicitur *navicula*, κύπελλον poculum, παρὰ τὸ κυφὸν, τὸ βαθὺ, profundum παρὰ τὸ κύπτω *inflecto*, unde κεκυφότα κέρατα, *inflexa.* λαβρώνιοι πλατὺ ἔκπωμα, τραγέλαφος, poculum forma hirci, & cervi. λοιβὶς, λοιβάδιον, σπονδεῖον, patera qua diis libatur, μέλη fœminino genere, & ᾠδὸς pocula, quæ antequam siccarent, canebant. μετανιπτρὶς poculum postquam laverant. μαστὸς, poculum tumens mamillæ more, Hesychio. ματταλίδας, ματταλίδας μαύνης, pocula. νεστορὶς, poculum quatuor auribus, aut ansis a Nestore Homerico. σκύφος ἔχον τὰ ὦτα, Scyphus auritus, ansatus. Omnia olim pocula rotunda erant, ut formam Solis exprimerent. Athenæus, οἱ παλαιοὶ λαμβάνοντες ἐκ τοῦ τε ἡλίου, καὶ τοῦ τῆς σελήνης σχήματος ἐναργεῖς φαντασίας, καὶ τὰ περὶ τὴν ἀνθρώπινον τροφὴν ἀφομοιοῦν εἶναι δίκαιον ἐνόμιζον, *Veteres Solis & Lunæ formam ac figuram admirati, par esse putarunt, ut ea quæ ad hominum victum cultumque facerent, illorum clarissimæ speciei quantum fieri posset assimilarent.* Hesychius, πελίκα εἶδος ποτηρίου διὰ τὸ πεπελεκύσθαι, vel πελίχα, vel πελύκα, poculum ligneum ascia, & securi expolitum. Poll. *lib.* X. c. XIX. πελίχας, ἢ κύλικας, ἢ προχοάς. Ion. ἐκ ζαθέων πιθακνῶν ἀφύσσοντες ὄλπαις οἶνον, *ex pulcris seriis, aut doliolis haurientes guttis vinum.* ὄλπη Cypriis ampulla, Thessalis guttum. Athenæus *lib.* XII. τὴν δὲ ὄλπην κλείταρχος κορινθίους μέν φησι, καὶ βυζαντίους, καὶ κυπρίους λήκυθον ἀποδιδόναι, θεσσαλοὺς δὲ τὴν πρόχοον. πέταχνον ποτήριον ἐκπέταλον, dicitur, & πέδαχνα, unde πεδαχνοῦσθαι, τρυφᾶν, est deliciari. πέλλη, πελλὶς mulctra. Hipponax, ἐκ δὲ τῆς πέλλης ἔπινον ἄλλοτ' αὐτὸς, ἄλλοτ' ἀρυταίνῃ προὔπινεν. Item, ἐκ πελλίδος πίνοντες, οὐ γὰρ ἦν αὐτοῖς κύλιξ. Prusias poculum erectum, προυσίας ποτήριον ἔξορθον. ῥέοντα ποτήρια dicuntur ῥυτά. Astydamas, ῥέοντα ἀργυρᾶ vocat. ῥυσὶς φιάλη χρυσῆ. ῥοσιὰς καὶ ῥοδιακὸν ἔκπωμα. ῥυτὸν Ægyptiis est βῆσα, vel βῆσσα, vel βήσας, ποτήριον πλατύτερον ἐκ τῶν κάτω μερῶν, ἐστενωμένον ἄνωθεν. Rhyton, seu bessa poculum latius ab imo, angustum sursum. σκάλλιον, σκάλλον poculi genus, σκάλλειν, σκάπτειν, *fodere*, σκαφὶς, σκαφίον, σκύφος. Stesichorus, σκύφειον λαβὼν δέπας. ἡ λάγυνος τὸ λαγυνίον, lagœna. ὑστιακὸν, vel ut Hesychius legit, ὑστιακὸς poculi genus. βαλανωτὴ φιάλη ἧς τῷ πυθμένι χρυσοῖ ἐπέκειντο ἀστράγαλοι, glandulata phiala, cujus fundo tali aurei subjecti, quasi quædam glandes. καρυωταὶ φιάλαι χρυσαῖ, nucamenti instar. Æolibus Aracis est fiala. ἀπύρωτος phiala Homero ψυχρήλατος, quæ malleo ducta in aquam frigidam mersa est, vel quæ omnino ignem experta non est. Phtois

latæ phialæ umbilicatæ, φθοὶς πλατεῖαι φιάλαι ὀμφαλωτοί. Philotesia poculum ad amicitiam jungendam, aut significandam, φιλοτησία. Chonni poculum æreum tornatum simile Thericleo, χόννοι ποτήριον χάλκεον ὅμοιον θηρικλείῳ. Chalcidica, pocula, a loco dicta. χυβὶς & χυβίδιον βαθὺ, poculum chytris. ψυγεὺς, ψυκτὴρ, ψυκτηρίας, ψυκτήριον, ψυκτηρίδιον, poculum, aut pelvis vino refrigerando. In epist. Alexandri Magni in fragmentis Athenæi, βατιακαὶ ἀργυραῖ τρεῖς κατάχρυσοι, κόνδυα ἀργυρᾶ πολλὰ, τούτων ἐπίχρυσα λγ. τισιγύτης ἀργυροῦς εἷς, *Tisigetes scyphus Persicus argenteus*, μύστροι ἀργυροῖ κατάχρυσοι λβ. *Calices argentei inaurati*, alii mystrum genus mensuræ esse volunt. λαχανοθήκη ἀργυρᾶ μία, οἰνοφόρον ἀργυροῦν βαρβαρικὸν ποικίλον ἕν, ποτήρια μικρὰ ῥυτὰ, καὶ βατία, καὶ λικυργοὶ ἐπίχρυσοι, καὶ θυμιατήρια, καὶ τρυβλία. Baucolis, aut περιάκυκλος Alexandriæ poculum quatuor circulis argenteis, aut aureis circumdatum. βομβυλιὸς Thericleum Rhodiacum ex quo minutatim stillant, ἐκ βομβυλιοῦ κατὰ μικρὸν στάζοντες. Bromiades pocula majoribus scyphis similia. Grammaticum, seu literatum poculum γράμματα ἔχον ἐγγεγραμμένα ἔκπωμα. Amaltheæ cornu & ἐνιαυτὸς, annus, sunt pocula. γυάλης convexum poculum, γύαλαι κρατήρων, convexa poculorum & cava. δακτυλωτὸν ἔκπωμα τὸ ἄμφωτον ποτήριον εἰς ὃ οἷόν τε τοὺς δακτύλους διείρειν ἑκατέρωθεν, digitatum poculum in quod inserere utrinque digitos possis, ut Athenæus *lib.* XI. Ion, ἔκπωμα ἄχραντον πυρὶ, *igne non contactum.* Homerus ἀμφίθετον φιάλην ἀπύρωτον, æneum vas patens lebeti simile suscipiendæ aquæ frigidæ. Pollux *lib.* VI. cap. XVI. ὑδροποτίδες, dicuntur ῥόδα, ῥυτὰ, δινοί. κύμβη, κύμβιον, ἀκάθιος, σκαφὶς, κάνθαρος. ἠθάνιον proprie colum significat, est vas mensæ. Thericles fuit Corinthius κεραμεὺς. Thericlea olim fictilia, κάδος, ὁλκεῖα, κρουνεῖα, κρουνίαι, καδίσκοι, ποτήρια, κάνθαρος πλοίου ὄνομα, ποτήριον. γύλιον pera qua poculum, allia, cæpe ferebantur a milite. Apud Pollucem, ἀγκύλη, λεπαστὴ, ἡμίτομα, χαλκόστομα, ἀντιγονίδες, σελευκίδες, ῥοδιακά. Homero χρύσεον ἄμφωτον. τὸ δὲ μόνωτον κοτυλίσκος ὠνομάζετο. κόνδυ καππαδοκικὸν, Besiacum Persicum. Cothonis utraque latera, quemadmodum & ollæ, ambones vocantur. φιάλαι λυκουργεῖς δικέραι, ῥυτὸν δίκρουνον, *phiale lycurgicæ bicornes, rhytum bifidum.* Hedera cyssibium ambit κίσσος, unde & nomen. ἄλεισον ἐκ τοῦ ἄλις πιεῖν. ἄμυστις poculi genus. Asaminthus Homero poculum. Cratinus ἐξ ἀσαμίνθου κυλικος λείβων χρυσίς, ἀργυρίς, *fialæ aureæ argenteæ.* μεσόμφαλοι phialæ medio umbilicatæ, balaniomphali, chrysomphali. Bombylius angustus, βομβῶν ἐν τῇ πόσει, strepitum edit cum bibitur. Cotylus Bacchicum poculum. Pollux ψυκτῆρα dinum esse vult, in quo esset ἄκρατος, merum, ψυκτὴρ ideo dicitur ἀκρατοφόρος, caret fundo, sed habet astragalos, & talos. Aristophani γυάλιον poculum. Nicon in *Citharœdo*, μαίνην δὲ λάβε κεραμεοῦν ἀδρὸν χωροῦντα κοτύλας πέντε, *Manem poculum fictile cape plenum quinque cotylarum capacem.* Olcæum est in quo pocula abluunt. Herodotus scribit Æginetas bibere *ex ollis patriis*, ἐκ χυτρίων ἐπιχωρίων. Pollux *de Metanipride*, ἣν δὲ ὑγιείας ἱερὰ ὥσπερ καὶ διὸς σωτῆρος κρατὴρ ἱερὸς ἦν. Erat autem & poculum quem sumebatur sublatis mensis post lotionem manuum, sacrum sanitati, ut & Jovis servatoris poculum Jovi sacrum erat. Ita interpretor, & nihil movendum esse puto. καρχήσιον ποτήριόν ἐστιν ἐπίμηκες συνηγμένον εἰς μέσον ἐπιεικῶς ὦτα ἔχον μέχρι τοῦ πυθμένος καθήκοντα, ait Athenæus; *Carchesion poculum est oblongum, adductum moderate in medium, aures, seu ansas habens quæ ad fundum usque perveniunt.* Macrobius, poculum est procerum, & circa medium partem compressum, mediocriter ansatum, ansis a summo ad infimum pertinentibus. Hesych. κάλπις εἶδος ποτηρίου, καλπίον, κέρας, poculum. Theodoridas Syracusanus, ἐξ ἀργυρέων κεράτων πίνοντες ποτήριον περισκελὲς, quod binis pedibus quasi cruribus insistit, aut intortum, & varum. κέρνος fictile vas multos cotyliscos continens, quos festo quodam die fructibus omne genus implebant, & cernophori ad sacra ferebant. Sic vannus quæ πομπεύεσθαι solita παγκαρπίαν continebat. κισσύβιον describit Serenus Sammonicus.

Mollibus ex hederæ tornantur pocula lignis.

Pollux, quia hederæ ramis vestirentur. Ciboria pocula ex Ægyptiæ fabæ ciboriis. Hesychius, κιβώριον αἰγύπτιον ὄνομα ἐπὶ ποτηρίου· κώνιος poculum fastigiatum. Dixias poculum a Dixo auctore. κότυλος, κοτύλη τὰ μόνωτα ποτήρια, κοτυλίσκος· ἡμίνα ἥμισυ τοῦ ἴνος. Æschylus posuit κύμβαλα ἀντὶ κοτύλης. κότταβις, κοττάβια pocula. κρατάνιον τὸ νῦν καλούμενον κρουνεῖον ἔκπωμα· χύτρος ἀργυροῦς· κύαθις κοτυλῶδες ἀγγεῖον. Argis calices erant fastigiati in summo & circa labra; cum fere omnia pocula plus ab ea parte pateant, φόξαι ἦσαν τὸ χεῖλος, αὕτη δὲ φοξυχειλος, ἡ εἰς ὀξὺ ἀνηγμένη, οἷοι εἰσιν οἱ ἄμβικες καλούμενοι, vulgo alambici, ἄμβικες· κυλιχνίδες, κυλίσκαι, κυλίχναι, caliculi, minuti calices. Cornelius Celsus, Caliculis utuntur pro cucurbitulis, si copia earum non est. Moris fuit in divitum conviviis ut cum cratera poculorum ingens theca, seu κυλικεῖον apponeretur in mensa quadam propria, & ad eum usum parata. Lucianus in *Lexiph.* ποτήρια δ' ἔκειτο παντοῖα ἐπὶ τῆς δελφινίδος τραπέζης, κύμβια δὲ ἦν, καὶ φιαλίδες, καὶ ποτήρια γραμματικά, ὥστε μεστὸν ἦν τὸ κυλικεῖον. Heroes apud Athenæum *lib.* XI. usi poculis capacissimis quæ ῥυτὰ dicta, magnum poculum vocant φρέαρ ἀργυροῦν, *puteum argenteum.* Stesichorus ait Solem poculo trajicere oceanum, quo Hercules trajecit ad boves Geryonis. Erant ἐκπώματα λιθοκόλλητα, τορευτά· ἀγκύλη poculum fuit πρὸς δὲ τὴν κοττάβων παιδιάν, ἣ ὠνομάσθη, ἀπὸ τοῦ χειρὸς σχηματισμοῦ ὃν ποιούμενοι εὐρύθμως ἐρρίπτουν εἰς τὸ κοττάβειον· αἰακὶς poculum ab Æaco. ἄωτον Cypriis ἔκπωμα ὡς οὐκ ἔχον ἀρόκλον phiala, ἄμφωτις ξύλινον ποτήριον, quo usos agrestes Philetas scribit pro mulctra, unde & bibebant. ἀμυστίδες pocula ἀφ' ὧν ἐστι πιεῖν ἀμάρως· ἄμυστις πόσις ἦν ἐστιν ἀπνευστὶ πίνειν μὴ μύσαντα. ἀρύβαλλος ποτήριον κάτωθεν εὐρύτερον, ἄνω δὲ συνηγμένον. βατιάκιον, τρίστις nomina poculorum. Batiace Persica phiala. Scaphia Plauto vasa potoria. Athenæus *lib.* IV. ἐπὶ τε τῷ τρίποδι χαλκοῦς ἐπέκειτο, ὁ κάδος, καὶ σκαφίον ἀργυροῦν δύο κοτύλας χωροῦν. Plutarchus in *Tripode* ait fuisse phialas argenteas duas δικοτύλους. χρυσώματα vasa potoria apud Athenæum *lib.* V. κυλικεῖον, & κυλίκιον theca poculorum ἐγγυθήκη dicitur incitega, repositorium, ἄγγος χωρητικὸν σκευῶν. Glossæ, engetheca (non enceteria) machina lignea, qua amphora sustinetur. *ff. de legatis* 3. *l.* 100. engethecæ dicuntur βάσεις, his verbis, cui Corinthia vasa legata essent, & βάσεις quoque eorum vasorum collocandorum causa paratæ. Græci ἀργυροῦν vel χρυσοῦν κόσμον, *aurea vasa & argentea* vocant, potius quam ἀργύρωμα, & χρύσωμα. Galenus de Hippocr. scitis. τὰ παιδία τῇ παραθέσει τῶν χειλέων ἔκ τε τῶν τιτθῶν ἕλκει τὸ γάλα, κἀκ τῶν βομβυλιῶν τὸ περιεχόμενον ἐν αὐτοῖς ὑγρὸν Bombylium dicitur, & baucalium angusto collo & prælongo ad sugendum. κύαθος est trulla qua vinum de cratera hauriebant, sed accipitur pro uno haustu. χοῦς ἀγγεῖον συμποτικὸν, Atticis dicitur χοεὺς, ait Eustathius, Congius: lege Athenæum, *l.* XI. Pollucem, Eustathium. χώδη, κύλιξ μ[illegible]. Hesychius, χαιδὸν

πολιῶ. Adhuc egi de vaſis & poculis, liceat mihi de panificio, & panibus & placentis pauca ſubjicere.

CAP. XVIII.

DE PANIBUS, ET PLACENTIS.

Athenis puer ſpinis coronatus, panes in caniſtello ferens per vicos canere ſolitus, ἔφυγον κακὸν, εὗρον ἄμεινον, *fugi malum, inveni, quod melius erat*, ut ſignificaret bene actum eſſe cum hominibus, qui triticeo pane reperto glandes, & poma ſylveſtris reliquerant. Nulla gens hodie eſt, quæ aliquod genus panis ex frugibus, milio, radicibus non ſibi ſubigat, coquat, & ad victum paret. Romani certe farre, tritico, hordeo uſi, ut panes facerent. Panes in quadras ſecabant, quadras in bucceas, unde buccellatus panis, nauticus, qui ξηρὸς ἄρτος dicitur. Vet. Gloſſæ βυκίζειν de jentaculo, βυκισμὸς ἀκράτισμα jentaculum, γεῦμα. Apulejus *Mileſ.* I. offulam grandiorem in convivas contruncare geſtio, offulam pro genere quodam panis poſuit. Pro eodem fuere polentæ caſeatæ. Quadram Heſychius vocat βλῆθραν, ἄρτον ἐντεθρυμμένον, placentas μάζας. Pollux *l.* VI. c. XI. ἱεραὶ ἀμφιφῶντες, ὀβελίαι, panes quos obelia fori ferunt in Dionyſii ſacris. εἰρημένης δὲ ὀβελῶν· πέμμα κέρατα ἔχει πεπηγμένα, πέλανοι. Statius *lib.* I. *Sylvar.*

> *Molles Caioli, lucunculique,*
> *Et maſſis Amerina non peruſtis,*
> *Et muſtaceus, & latente palma*
> *Prægnantes cariotides cadebant.*

Plato *l.* II. *de Legib.* ἐκ τῶν κριθῶν ἄλφιτα σκευαζόμενοι, ἐκ δὲ τῶν πυρῶν ἄλευρα, τὰ μὲν πέψαντες, τὰ δὲ μάξαντες μάζας γενναίας ποιοῦσι, *ex hordeo alphita parantes, ex tritico ſimilaginem, alia coquentes, alia pinſentes, mazas generoſas faciunt.* Vide apud Suidam ἀναστάτους, πλακοῦντας, χαριστίους, ἀρεστῆρα, πόπανον. Iucunculus, πηγανίτης, ſubitillus, εὔθυπτος. Feſtus, paſtillum libi genus. Strues ſuperjecta panicula in tranſverſum continetur. Varro, libum teſtuatinum in teſta coctum. Circuli, mixta farina caſeo & aqua. Lixulæ, ſemilixulæ globuli in oleo cocti. Tracta ficta farinacea ſolo impoſita, ſeſamo ſparſa, quorum pars ima dicitur ſolum. Tracta finges, & depſes. Strues cum tracta porrecta in ſolo ſternuntur. Scriblita, quod ſit ſcripta lignis. Lagana, in panificio tractæ, paſtilli in longum porrecti, & producti, offæ, paſtilli in rotundum glomerati. Clibanus eſt teſtum, aut furnum. Balrheum, quo cingitur tracta. Sphærita, placenta globos habens, qui in ſolo placentæ componuntur. Savillum libum a ſuavitate. Muſtaceus, quia muſto ſubigitur farina ſubditis lauri foliis. Cruſtulum a cruſta pultis. Placenta quod edebant cum pulte murtatum, quia murta loco piperis. Fundulum libi genus. Feſtus, punicum libi genus cæteris ſuavius. Subucula libi genus ex alica, oleo, & melle. Apulejus *l.* X. lacertali opera dulciaria. Firmicus *lib.* VIII. piſtores dulciarios conditores. Lachmas λάχμας panis genus apud Syros, Athenæus *l.* III. c. XXVIII. Tertull. *l.* III. *in Marcion* placentas & Samias. Athenæus *lib.* XIV. placentas Samias in deliciis fuiſſe ait, a Samio opifice. Vide Varr. *l.* IV. *de Ling. Lat.* & Catonem c. LXXVI. *de re ruſt.* Apud Feſtum Sucamanalia, tauri verbanæ, ficta farinacea ſunt. Libum, μύστρον. Euripid. in *Helena*, ἔμπυροι ὀρθοστάται, placentæ Diis ſacræ. Feſtus, glomus in ſacris cruſtulum oleo coctum cybii figura. Vide Euſtathium p. 1165. 1753. 1445 1635. Suidam in verbo ἄμαξις, πυραμοῦς, φθοΐς, Harpocrationem in verbo πέλανοι. Didymus, πέλανος τὸ τῆς πάλης πέμμα, ἢ ὃ ἀπὸ τοῦ πεπλαθιῶθαι. Polybius, ποπανὰ ὀμφαλωτὰ ἐπὶ τὰς θυσίας ἐπιτιθέμενα. Ælianus *l.* III. *Variæ*, πλακοῦς τὸ πέμμα ἐκ μέλιτος, καὶ τυροῦ, καὶ ἄλλων τινῶν κατεσκευάσται. Heſychius, γαλαξιὰς πόλτος ἐστι κριθινὸς ἐν γάλακτι. Cato c. LXXIV. *de re ruſtic.* Panem depſiticum ſic facito. Farinam in mortarium indito, aquæ paulatim addito, ſubigitoque pulcre, ubi bene ſubegeris, defingito, coquitoque ſub teſta. Juvenal. *Sat.* XIV.

> *Mucida cærulei panis conſumere fruſta.*

Martialis *l.* XIII. ep. XLVII.

> *Picentina Ceres niveo ſic nectare creſcit,*
> *Ut levis accepta ſpongia turget aqua.*

Vopiſcus in *Aureliano* coronas fecit de panibus, qui nunc *Siliginei* dicuntur. Panarium ubi panis aſſervatur. Varro pandam Deam eſſe Cererem ſcribit, in cujus aſylum qui confugerent panis eis daretur. Juvenal. *Sat.* V. de quadra panis.

> *Ut bona ſumma putes aliena vivere quadra,*
> —— *Et ſordes farris mordere canini.*
> —— *Solidæ jam mucida fruſta farinæ.*

Lib. VI. *Anthol.* καὶ ξύφος ἄρτον αὖον ἐπικρεμάσας. Plautus in *Caſina*, panem rubidum vocat ſecundum, lapidoſum, ingratum, non triticeum, atque ibi torreto me pro pane rubido. Horatius *l.* I. epiſt. XVII.

> *Et mihi dividuo findetur munere quadra.*

Heſiodus.

> Ἄρτον δειπνήσας τετράτρυφον, ὀκτάβλωμον.

Lib. VI. *Faſtorum* Ovidius,

> *Sola prius furnis torrebant farra coloni,*
> *Suppoſitum cineri panem focus ipſe parabat,*
> *Strataque erat tepido tegula quaſſa ſolo.*
> *Ecce coronatis dependet panis aſellis.*

Homerus in *Batrachomyomachia*,

> Ἄρτος τεισκοπανιστος ἀπ' εὐκύκλου κανέοιο,
> Οὐδὲ πλακοῦς τανύπεπλος.

Caſſiodorus *libr.* VI. *Var.* Pan primus conſperſas fruges coxiſſe perhibetur. Horatius a ſervis panes reticulo portari ait, *Satyr.* I. *l.* I.

> —— *ut ſi*
> *Reticulum panis venales inter onuſto*
> *Forte vehas humero.*

Encruphias ſeu latitans panis ampullis ſeu bullis turgidus. Lucianus in *Necricis*, ὥσπερ ἐγκρυφίας ἄρτος φλυκταίναις ἐξῳδηκώς. Euſtathius,

> Ἀλειφατίτης ἄρτος πιμελῇ συμπεφυρμένος.

Theocritus in *Hercule*,

> —— ἄρτος
> Ἀπεικὸς ἀσφαλέως, καὶ φυτοσκάφον ἄνδρα κορέσαι.

Pulmentarium fit rusticis ex olea caduca, vel ex halece, & aceto, ut Cato c. LVIII. *de re rustic.* μυκτωρὶς paupercula pulmentaria ut Lucillius. Juvenalis *Satyr.* XIV. Pultifagos per initia Romanos fuisse ostendit.

> *A scrobe vel sulco redeuntibus altera cœna*
> *Amplior, & grandes fumabant pultibus ollæ.*

Satyr. XVI.

> *Saxum, quod mea cum vetulo coluit puls annua libo.*

Terminum intelligit. Persius *Sat.* VI.

> *Fœnisecæ crasso vitiarunt unguine pultes.*

Carthaginenses item pultifagi. Plautus in *Pœnolo*, Carchedonius pultifagonides. Sueton. *l.* II. Secundarium panem appetebat Augustus. Varro *l.* IV. *de ling. Lat.* Puls, quod ita sonet cum aqua ferventi insipitur. Aliud est pulmentum cum insecta carne aut pisce. Horatius *Sat.* II. *lib.* II. Trilibrem mulum in singula quem minuas pulmenta necesse est. Persius *Sat.* III.

> *Uncta cadunt laxis tunc pulmentaria labris.*

Pollux *l.* VI. πυρίτας, διπύρους ἄρτους οἱ ξυφῶντες. Aristophan. in *Equitibus*, Placentas ἐπίπαστα vocat, quia ἔθος ἦν ἐπιπάσσειν πλακοῦσί τινα καρυκεύματα ἁλμυρά. Pollux *l.* I. κεγχρεΐδίας ἄρτος κεγχρειὰς, ὀβελιὰς, ὀβελίτης, πυριάτης, πυριεφθός. Tzetzes *Chiliade* VII. c. CXLV. ὀβελίαν ἄρτον τὸν ῥυπαρὸν, καὶ διπλῆ τάχα καὶ πιτυρίαν furfuraceum panem, ostrearium, clibanicum: vide Plinium *l.* XVIII. c. XI. Orus in *Hieroglyph.* τῶν ἀρτοκόπων κρίσις ἐν τοῖς μυσὶ γίνεται. πολλῶν γὰρ, καὶ διαφόρων ἄρτων κειμένων ὁ μῦς τὸν καθαρώτατον αὐτῶν ἐκλεξάμενος ἐσθίει. *Lege* XII. *Tabularum*, Ni suo vivit, qui im vinctum habet, libram farris in diem dato, id est, pultis. Plinius c. VIII. *l.* XVIII. Pulte, non pane vixisse longo tempore Romanos manifestum est. Valer. Maximus *l.* II. c. V. Livius *l.* III. c. VI. Puls cibus militis coctus. Plautus in *Patruo*, Pultifagi barbari, id est, Romani. Ammian. *l.* XXV. Sed sub columellis tabernaculi parcius cœnaturo, pultis portio parabatur exigua. Puls erat farina cocta cum sale, interdum & lacte, ut Galenus cap. VI. *de attenuante diæta*. Hesychius ὀβελίας ἄρτος ὁ ἐπὶ ὀβελίσκου ὀπτώμενος. Vide Socratem *l.* IV. *Eccles. hist.* Clement. lib. II. *Pæd.* c. I. ubi μελίπηκτα, & ἐπιδορπίσματα commemorat. Eustath. ἄρτοι ἀπὸ τοῦ αἱρεῖσθαι. ἄρτοι quasi ἄρτιοι διὰ τὸ σχήματος ἄρτιον, καὶ τέλειον. βλῶμος, ψωμίον ἄρτου κόμμα ἁδρομερές. Hesychius, ἀτταράγους, τὰς ἐπὶ τῶν ἄρτων φλυκταίνας. Eustathius, ἔγκαφος, ψῶμος. κιλίκιοι ἄρτοι μεγάλοι, μὴ καθαροὶ, ἀλλὰ φαιοὶ τὴν χροάν. ἄρτος κλιβανίτης. Strabo Ægyptii τὸν μὲν πηλὸν ταῖς χερσὶ, τὸ δὲ στέαρ τὸ εἰς τὴν ἀρτοποιΐαν τοῖς ποσὶ φύρουσι. Epicharmus apud Athenæum lib. III. hæc genera panum enumerat, κριβανίτην, ὅμορον, σαιτίτην, ἐγκρίδας ἀλειφατίτην, ἡμιάρτιον ὅμορον vocant similaginem cum melle & sesamo coctam, unde ὁμορίται panes apud Hesychium. σαιτίτης Hesychio, στεατίτης, placentæ genus in qua στέαρ sevum, & pinguitudo. Eidem ἡμιάρτιον εἶδος ἄρτου ἡμικυκλῶδες. Epicharmus ἄρτον πλακίτην commemorat, & τοῖς παιδίοισι νεκλῆ recentem. Eustathius δοκοῦσιν οἱ κίλικες οὐκ ἀγαθοῖς ἄρτοις χρῆσθαι. οἱ κιλίκιοι ἄρτοι οἱ αὐτοὶ τοῖς κολλάβοις. Collices Thessalici panes omnium optimi. Athenæus *l.* IV. meminit panis Cappadocii, quem *Lachman* Syri vocant. Boletinus, Bolites, Bolias, μάζης εἶδος ait Hesychius. Vide Athenæum *l.* III. ubi multa Casaubonus erudite, & Pollucem *l.* VI. c. XI. Lampridius *Heliogabalo*, dulciarios, & lactarios commemorat. Celsus lactaria omnia. Lampridius, alia de pomis, alia de dulciis, alia de opere lactario. Glossæ, *dulcium*, πλακοῦντα, πλακουντάριοι, *dulciarii*, γλυκαντῆρες, *lucunteres*. Festus, lucunter genus operis pistorii. γλυκόεις, γλυκοῦς, lucuns, lucunculus, non a λευκός, sed a γλυκόεις. Cæterum ὑδραλέται, aquariæ rotæ repertæ sub Cicerone ad molendum, ut docet Epigramma Antipatri Thessalonicensis, qui Ciceroni æqualis fuit.

> Ἴσχετε χεῖρα μυλαῖον ἀλετρίδες, εὕδετε μακρά.

Panes vænales reticulo ferri soliti. Græci γυργάθους vocant. Hippolochus, πλεκτὰ ἐλεφάντινα, *panaria eborea*, imo & argentea. Virgis enim subtilibus eburneis, ceu vimine utebantur in contexendis panariis istis. Quare & Hippolochus dixit, κελεύει ἀρτοφόρα διὰ ἱμάντων ἐλεφαντίνων πεπλεγμένα δοθῆναι, *jubet dari panaria plexa ex loris eboreis.* Pollux *lib.* V. κλίβανος σκεῦός τι σιδηροῦν ἐφ' ᾧ τοὺς ἄρτους ὀπτῶσι, πῦρ ὑποκαύσαντες καὶ πυρακτώσαντες. *Clibanus vas ferreum in quo torrent panes, & coquunt ignem subjicientes.* Galenus *de Antidotis*, εὔζυμος καὶ καλῶς ὀπτημένος ὁ ἄρτος ἔσται κλιβανίτης, καὶ οὐκ ἰπνίτης. ἶπνος κάμινός ἐστι. *Clibanites panis bene fermentatus, & coctus erit, non ipnites in furno coctus, ipnus est furnum.* Athenæus panem caminetem in furno coctum δύσπεπτον vix digeri posse ait. Pistores cacabo usi sunt, unde panes cacabacei apud Zenonem Veronensem serm. VI. *ad Neophytos*, qui saporem malum ex aqua in cacabo calefacta retinerent. Ulpianus *l.* 19. *tit. de auro & argento mundo, in Pand.* Cacabos argenteos commemorat vetus Poeta,

> *Nos facimus populos studiose coptoplacentas,*
> *Nos adipata damus, nos grata canopica vobis,*
> *Crustulanos Jano, sponsæ mustacea mitto.*

Hesychius, ἀχαιΐνη ἄρτος τις. Vide Aristot. sect. XXI. *Problemat.* c. XII. IX. XV. XIX. *S.* Paulin. *ad Severum.* Facilem nos victum cibo simplici capere, coctis in gutta olei, & aquæ copia pultibus docuit. Non siligine nobis pultes, sed farina confecit, aut milio, aut fabam intrivit panicio, quo citius Senatorium poneremus fastidium. Vide. Lucillius.

> *Quæ gallam bibere, ac rugas conducere ventris,*
> *Farre aceroso, oleo decumano.*

Festus, fieri prodit pultem e milio & melle. Africia pultis nomen Arnobio *l.* VII. Constantinus in *Geoponicis*, ὁ κλιβανίτης ἄρτος ἰσχνῶς πεπλασμένος, καὶ ἐν ἡλίῳ ξηρανθεὶς χρησιμώτερος πρὸς ὑγείαν. ὁ γὰρ ἐν φούρνοις ὀπτώμενος βαρυτέραν τὴν πέψιν ποιεῖ. Suidas, αὖνος αἰγύπτιος ἐς τὴν τῶν ἄρτων ὄπτησιν ἐπενόησε τὸν κρίβανον. δίπυρος ἄρτος Romæ dicitur paxamas. Paxamium in historia Patrum, panis bis coctus. Hesychius, ὁμορίτης ἄρτος ἐκ πυροῦ διηρημένου γεγονώς, φυσακτὴρ ἄρτος ποιὸς ποπανώδης. γύργαθος σκεῦος πλεκτὸν, ἐν ᾧ βάλλουσι τὸν ἄρτον οἱ ἀρτοκόποι. γορίτας αὐτοπύρους ἄρτους. Panarius ἀρτοπώλης, in *vet. Gloss.* Vide Athenæum *l.* III. βλωμύλιοι ἄρτοι ἔχοντες ἐντομὰς κοδράτους ῥωμαῖοι λέγουσι. Hesych. πλάτανον, κύκλον ἐφ' οὗ πλάττουσιν ἄρτους. Athenæus *l.* III. πανὸς ἄρτος, panus τολύπη, glomus, placentæ, τολύπαι. Pollux *l.* VI. Clemens Alexandr. *Protrept.* Hesych. σατίας ἄρτου εἶδος: aut σαιτίας, a pingui vel adipe admixto. τηγανίτης ἄρτος ἐπὶ τηγάνου γεγονώς,

καὶ μετὰ τυροῦ ὀπτώμενος. ἡμίαρτον εἶδος ἄρτου ἡμικυκλώδες. ἀποπυρίας ἄρτος ἐπ' ἀνθράκων ὁ πυρώμενος. ἀπίακος ἄρτος ὁ μεμφίτικος. Plutarchus *de Curiositate*, ὡς σιτανεῖον ἄρτον ἀμύλια ἐχθὲς ἐξέπτυσαν, τήμερον αὐτόπυρον ἐπ' ἐλαίαις, ἢ καρδαμίδι σιτεῖται. Artemidorus *l.* I. c. XCI. ἄρτοι ῥυπαροὶ πενήτων, πλουσίων παντελῶς καθαροί. ἄρτοι κρίθινοι, Hesychius, κολλῖς τις ἄρτος ἐν αἰγύπτῳ ὑπὸ ῥιζῶν ἐξ ὀλύρας. ψώθια τὰ τοῦ ἄρτου ἀποθρύμματα, καὶ τὰ ὑπὸ κάτω τοῦ ἄρτου. Gregorius *lib.* I. *Dialog.* cap. x. Monachi signabant panem signo crucis, sicut in hac provincia crudi panes ligno signari solent, ut per quadras A quatuor partiti videantur. Puls fit ex hordeo fabis, tritico, & aqua. Romæ diu nulli pistores fuere. Nicander apud Ætolos panes sunt θεαγόνας dicti, a Deo geniti. Cereri Phigalenses nullum animal, sed fruges immolant. Ceres spicis coronata. Apud Pausaniam Regina Macedoniæ viro suo dixit, panes quos Perdiccæ famulo coqueret in furno crescere. Rex Perdiccam ditione sua exire jussit. Psammiticus apud Herod. Nutrici cui lingua excisa erat in sylva pueros alendos dedit, post septem annos Rex in sylvam venit, ubi pueri obvii clamarunt Beccus, quæ vox in Asia panem significat.

F I N I S.



ERRICI PUTEANI

SUGAMBRI,

AUDITORIS LIPSIANI,

RELIQUIÆ

CONVIVII PRISCI;

TUM RITUS ALII, ET CENSURÆ,

AD EXCELLENTISSIMUM PRINCIPEM

IGNICUM VELASCIUM

HARI COMITEM.

JUSTI LIPSII

DE

ERRICO PUTEANO

ELOGIUM.

MORIBUS ANTIQUIS ſtat res Romana viriſque.

ABEUNTEM TE A NOBIS,
ERRICE PUTEANE,
ELOGIO PROSEQUOR LIBENS MERITO,
INGENIO, DOCTRINA, MODESTIA
CARUM NOBIS FUISSE:
HIS DOTIBUS INTER PRIMOS TUI
ORDINIS FUISSE.
DEUS HÆC SERVET, AUGEAT,
DET ITER FELICITER EXSEQUI,
IN QUO AFFECTUS AURA TE COMITAMUR,
VADE, VIDE, REDI.
VOTUM CONCEPI ET POSUI
J. LIPSIUS
S. F.
LOVANII KAL. AUGUST. ∞. IↃ. XCVII.

EXCELLENTISSIMO PRINCIPI

IGNICO VELASCIO

HARI COMITI

ERR. PUTEANUS SUGAMBER

DEDICO CONSECROQUE.



Ibrum, quem de ritibus convivialibus Romanorum invisis aliis aut neglectis in peregrinatione hac mea perscripsi, tibi dare dedicare visum, excellentissime Princeps, Patris tui fortissimi Herois, tua, sed & mea caussa. Patris quidem, cui obstrictissimus ego ob beneficia non meo aliquo merito, sed favore suo & benignitate mihi exhibita? obstrictissimus, ob honorem mihi ab eo habitum, cui etiam notum esse solummodo (usurpabo Appuleii illud ad Æmilianum suum) summus honor est. Quis enim, & quantus ille Vir? cujus mascula Virtus, elegans Doctrina, rara Fortitudo, similiaque tot lumina dotium irradiant pariter & illustrant Cantabriæ, atque adeo Hispaniæ universum solum: cujus mitis austeritas, prompta humanitas, blandusque vigor animi, ceu gemmæ quædam eminent & exornant purissimum tot Virtutum aurum. Frustra prosequor & cumulo ejus laudes, quæ ab omnibus passim, publice & privatim decantantur, conscribuntur. Nam publicitus omnes sibi devinctos habet, privatim singulos: & Reip. caussa omnes referre gratiam, sua privata singuli volunt magis, quam valent; conantur magis, quam possunt. cupiunt tamen optantque, ob personam quæ contulit; ob meritum quod contulit. De merito hoc tantum dico: Ille Mediolanum multis magnisque malis afflictum adveniens, rerum omnium abundantiam, tranquillitatem, securitatem secum adduxit; Justitiam firmavit; Fidem stabilivit. Ad summam, ille Remp. hanc constituit: liberalitate sua multis commodavit, exemplo omnibus, non præfuit modo, sed profuit. &, ut alienis relictis, ad me ipsum veniam. Vix pedem intuleram, aut posueram in hac urbe, ecce, avide me accersivit, humaniter excepit, liberaliter detinuit, honoris mei gratia; Clariss. Lipsii, a quo veneram; & bonarum Litterarum, quas, sicuti impense & sedulo tractat, si quis ullus Principum Europæ, publice promotum ire opera mea voluit & excultum. O ardorem tanto Principe dignissimum bonas artes propagandi! Studium laudatissimum Remp. juvandi pariter & ornandi! imprimis (quod Prudentes intelligunt) ipsam, quam per tot jam annos Mediolanum cum bono suo habet, florentissimam tot disciplinarum Scholam. cui velut Seminarium quoddam ingeniorum constituendum censuit; ut surculi illi tenelli mi-

tiori humanarum Litterarum ſolo inſerti ſuccum ſuum traherent & vires, ac deinde ad vireta ſublimiorum ſcientiarum utiliter transferrentur: ne pulcherrimus ſcilicet ille flos ætatis ſine fructu, ſolſtitialis herbæ inſtar, quæ paulisper eſt, & repente exoritur, repentino occidit, conſumeretur & periret. Promovere itaque Litteras, juvare Rempublicam, ornare iſtam Scholam voluit opera mea. Haut arroganter id ego mihi tribuo: vovere tamen, atque adeo ſpondere nunc auſim Collegas iſtiuſmodi nactus, quos ſatius nominare tantum, quam laudare minus, Gasparum Pinellum, Sacrum Myſtam, atque Theologum, Gulielmum Huysmannum Jc.tum, & publicum LL. alibi olim Profeſſorem. quibus non voluntas modo, ſed & facultas munus hoc laudabiliter obeundi: quibus pro beneficio erit, ad obſequium ſui Principis eſſe, ad profectum juventutis. Caussa ſecunda in te ipſo fuit, excellentiſſime Princeps, qui eaſdem illas paternas virtutes præclariſſimas ita effingis ac repræſentas, ut profecto admirabilior eſſet in te, quam in Patre parta laus, niſi eam ille talem dediſſet. Tu conſiliorum ejus, factorumque gnarus & particeps, ſæpe director ac judex. Itaque quod bene publice fit, ejus tibi partem laudis tribuo: quod utiliter conſtituitur, ejus tibi partem laudis tribuo: quod mihi etiam continuo exhibetur, ejus tibi partem laudis tribuo. Nam favore id quidem Patris fit, ſed deſiderio tuo: voluntate Patris, rogatu tuo: juſſu Patris, inſtinctu tuo. Sane, ille per te diſpoſuit, tu per illum impetraſti: & neſcio priuſne impetraveris tu, vel ille diſpoſuerit; ita mens & voluntas utriuſque congruit: ita mores animumque ejus tu poſſides, ut cum vita ipſa omnia tibi dediſſe, nihil ipſe amiſiſſe videatur. Geminos olim audire memini ita, non ſimiles dicam, ſed pene eoſdem natos, qui pariter ſemper, neſcio qua occulta Naturæ vi, famerent, ſitirent, moverentur, riderent, flerent: id de vobis, optimi Principes, ſed in magis ſeriis arduiſque dixerim. Maximum, & rariſſimum in omni ſemper ævo fuit, Virum Virtute nobilem & factis ſimilem ſibi filium produxiſſe. Deficiunt enim plerique; immo ignaviæ ſuæ tenebris ſæpe obſtruunt lumini paterno. Non diffundam me per exempla, nota noſtri & antiquorum ævi. Scilicet ut vitam ſtaturamque a parentibus trahimus, ſed humore vitali paulatim deficiente, minorem: ita iſti tales animi pulcherrimas dotes non derivant in ſe omnes; immo non derivant, ſuapte, non parentum culpa. Tu vero, Princeps, exprimis quod paternum eſt, ſuperas quod proprium eſt, lucemque novam addis luci jam lucenti. Ut ignis paulatim ſerpit, & graſſatur magis pabulo abunde injecto: ſic ſplendor ille veſtri nominis per te, poſteroſque tuos æternum creſcet, quos Deus tibi dabit. Dabit inquam, ſic vota publice privatimque ſuſcipimus;

——— *tibi parvulus aula*
Æneas ludat;

ut exemplum inter mortales maneat virtutis immortale. Venio ad tertiam cauſſam, quæ me ipſum tangit meumque librum, quibus Patrono aliquo opus & Defenſore ad ſecuritatem. Nam nunc invidia & calumnia

passim succreverunt uberrime, & hominum male feriatorum, carptorum, Zoilorum plus est fere,

Quam olim muscarum est, cum caletur maxime,

Traducitur quicquid scribitur, ridetur quicquid editur, decerpitur, atque etiam evellitur quicquid prænuncia alicujus famæ folia emiserit. Ita accidisse plerisque ante me video: cur me ponam extra sortem & legem communem? & mihi accidet, nisi tu Princeps, avertas omen, & contundas auctoritate tua hanc audaciam, immo licentiam maledicendi. Tantum ut velis rogo, nam posse satis scio. Te reverentur omnes aut verentur: nec incilare quisquam audebit probris, quod tu probas: damnare quod tu patrocinio tuo dignas. Iterum ergo rogo obtestorque, ut tantum velis: & donum hoc exiguum suspendi patiaris ad Benignitatis tuæ aram. Vive, & vale, excellentissime Princeps. Mediolani, ∞. Iↄ. xciix. Kalend. Apr.



AD LECTOREM.



Icuti ille, qui

Superbos aditus Regum,
Durasque fores expers somni
Colit,

cum discrimine quemque solitus intromittere & selectu: ita ipse ego in hoc Libri mei limine ceu hostiarius adsto, & tutelam januæ gerens, notos amicosque introduco ad cœnandum. Tu quisquis es, & introire huc postulas,

Dic quotus es, quanti cupias cœnare, nec ullum
Addideris verbum, cœna parata tibi est.

Immo ne mentiar, Reliquiæ tantum paratæ, quas tempore lecto, secundum Varronis præscriptum, loco lecto, si electus tu adveneris, apponam haut neglectas. Nam ut opiparas, & in Apolline Luculliano instructas dapes expectes, nihil est. Reliquiæ, ut dixi, tantum paratæ: veteres illæ quidem; sed quæ sine situ permanent, & bene ætatem ferunt: nisi forte ut tempore flaccescunt omnia, vim suavitatemque aliquantulum mutaverint antiquam: sed istic manum ego leviter adhibui, & critico aliquo condimento restitui amissum aut fugientem alibi saporem. Præterea ad ornatum quod attinet, non citream aut eburneam mensam, non crystallinâ aut cælata aurea argenteave vasa invenias; sed supellectilem curtam honestamque. Quid rem involvo? sine magno verborum ambitu & ornatu, ritus doctrinamque veterem eruo; disputo, non dissero; doceo, non dico. Et ne longas rationes nectam. Volui ita, & debui. Volui; quia genere hoc scribendi uterque ille Princeps delectatur, cui ut obsequar magis est, quam indocto vulgo sciolorum. Debui; quia isthoc exemplo Veteres Novique viam hanc calcarunt: ut quæ lecta collectaque sunt, proprio, sed tenui verborum glutine jungantur, non inducantur. Optime Seneca lib. xii. *Epist. Quicquid lectione collectum est, stylus redigat in corpus: apes (ut ajunt) debemus imitari, quæ vagantur, & flores ad mel faciendum idoneos carpunt. Deinde quidquid attulere disponunt ac per favos digerunt: & (ut Virgilius noster ait)*

——— liquentia mella
Stipant, & dulci distendunt nectare cellas.

Hoc Lector me fecisse cogita: & Reliquias istas liberaliter gusta; immo expecta paullulum dum turbam advenientem arceam Vitilitigatorum. Sed sermo mutandus mihi, ut intelligar.

IN

IN

VITILITIGATORES

CATONIANOS,

Quos (ut Plinius ait) Cato eleganter ex *vitiis* & *litigatoribus* compoſuit.

PRÆFATIO.



UI ſe amœnis Muſarum ſtudiis devoverunt, quique Philologiæ ſacra ſerio & præter conſuetudinem vulgi colunt, in duo fere genera diviſi ſunt: unum eorum eſt, qui ingenii & induſtriæ ſuæ conamine ad abſolutam Doctrinæ perfectionem devenerunt; quorum ſumma ſemper (quod dolendum eſt) fuit paucitas: alterum eorum, qui laudem aliquam adſecuti abdita illa ſcientiarum, rituumque veterum nondum penetrarunt, quorum major quidem numerus, ſed pro præſtantia, dignitate & neceſſitate litterarum nimium quoque rarus. Multi equidem priuſquam guſtum aliquem ſuorum ſtudiorum fructumque percipiant, mora deterriti; plures pernitioſiſſimis calumniantium telis petiti in medio itinere ſubſiſtunt, aut greſſum referunt. Nam ſicuti omni ſemper ævo fuerunt, qui roderent alienam famam, & extinctum vellent nomen litterarum: ita nunc quoque nonnulli inveniuntur qui quod ipſi aſſequi non poſſunt, in aliis invident, & obtrectatione alienæ ſcientiæ nomen aucupantur: qui eo dementiæ ſimul & arrogantiæ prorumpunt, ut ſi binas voces aut formulas male vinctas effutire, aut tardo ſtylo effodere incipiant, Cenſuram rei Litterariæ ſine ſuffragio gerant. In qua duorum alterum perpetuo faciunt, ut aut carpantur, aut carpant. Non æqualiter tamen & pari menſura dant convitia, & accipiunt; indigne enim dant, digne vero accipiunt: & ut ſemper improbitas virtutem ſuperare conatur, læduntur minus, quam lædunt. Hoſce homines cognoſcendos tibi, qui litteras tractas, eſſe cenſeo, ut caveas; cavendos tamen, ne offendas. Ut cognoſcas, orationem aliquam recita, poema conſcribe, librum ede; ipſi ſe ſponte prodent & aperient. Quid enim? audis tu iſtos pallidos hoc verbum carpentes? hunc ordinem traducentes? hanc formulam damnantes? univerſum denique ſcriptum infamantes? Illi ſunt quos quæris: immo qui te quærunt: illi, calumniantur & rident quicquid audiunt aut legunt. Quos ego etiam dum conſidero curioſius, timeo (ſi quid conjectura conſequi, aut ex iis quæ acciderunt alias quæque accidunt iiſdem in ſtudiis occupatis, & per litterarum hanc ſemitam ad honeſtam laudem properantibus, judicare poſſum) timeo, inquam, ne ſimilis me improbitas excipiat, atque exagitet. Ante oculos jam mihi verſari videntur triſti vultu, nubila fronte ſeveriſſimi Ariſtarchi: ignem ferrumque parare, ad ſpem meæ famæ, quam ſine ambitione percipio convellendam; ad laborum ſegetem, quam poſt aliquot annorum moleſtias ſumptuſque haud modice factos colligere cœpi, incidendam. Utinam vanus augur ſim, & tam æquos mihi Criticos iſtos ſentiam, quam ego me in illos eſſe, fuiſſe, futurumque ſerio & ex animo teſtor. Sed ita eſt: quos ſemel admiratio ſui invaſit, & ad humanæ Concordiæ exitium nata Philautia, non facile mutantur. Colligunt invidiæ ſuæ venenum, ut in me quoque evomant. Quid igitur? num cœptis deſiſtam, & vaniſſimo timori cedam? immo progrediar, & antidotum capiam, ut impune venenum paratum excipiam. Duæ præcipuæ calumniæ erunt: in Materiam libri, & Stylum: prior in materiem, prima, quia de CONVIVIO *ſcripſi. Expecto quam mox diem dicant, & intemperantiæ notam novi Magiſtri inurant. At vero hoc objicere volunt: quod alii complures prudentiſſimi & eruditiſſimi viri hanc viam ante me ingreſſi ſunt & peragrarunt: ac* DE CONVIVIO *ſcripſerunt. Itane plures? Fortaſſis viatico opus erit ad numerum indagandum? Et nomina tantum indicentur. Quid eſt? Num Nomenclator adhibendus eſt qui ſuggerat? Vobis forte, qui cum cæteros univerſos noſcere & cenſere poſſe videmini, præter vos ipſos neminem, immo ne vos ipſos quidem noſcatis. Sed ita comparatum eſt, ut ii qui minus ſciant, ſemper ſibi plus tribuant: & quemadmodum inanes ac ſine medulla ventoſas nuces in ſummo humore videmus conſiſtere: ita tales tumore quodam inflatos, & inani quadam confidentia farctos, ubique cum impudentia ſe oſtentare.* DE CONVIVIO *ſcripſerunt nonnulli: ſed ita ſcripſerunt, ut poſt uberem meſſem, quam collegerunt, ſpicas aliquot reliquerint mihi, aliiſque tollendas. Videlicet non eſt unius hominis, aut ingenii vidiſſe omnia, & nulla in parte animi aciem inflexiſſe: noſtræ quoque, & poſterorum diligentiæ aliquid relictum eſt. Et ſane, quia illi multa data opera tranſiliunt, aut negotiis diſtracti neceſſario prætereunt: gratiam induſtriæ eorum debemus, quod præcipua tradiderint; ignoſcere occupationibus, quod quædam omiſerint. Ego vero velim ipſum libri mei titulum Vitilitigatores iſti inſpiciant, priuſquam examinent; legant, priuſquam reprehendant. Non enim* CONVIVIUM, *ne falſo accuſent, ſed* RELIQUIAS CONVIVII *ſcripſi: eaſque (dicam quod ſentio) non ita curioſe collegiſſe me adfirmo, quin, ſi quis volet, etiam poſt me Reliquias Reliquiarum invenire poſſit: ſi quis, inquam, volet, vireſque habeat, quibus poſſit. Nam in hiſce ſtudiis majus quiddam poſitum eſt quam vulgo ſuſpicantur. Alius alio plura, omnia invenire nemo poteſt. Optimi quique ſcriptores ſedulo legendi & relegendi ſunt, probe intelligendi, ſerio conferendi, fideliter emendandi, ut hac ratione (cum Plinio dicam) novitatem vetuſtis demus, novis auctoritatem, obſoletis nitorem, obſcuris lucem, faſtiditis gratiam, dubiis fidem. Longe profecto aliud eſt, minoribuſque difficultatibus implexum, poema exſtruere, aut ſenſum teneriorem verborum ambitu intexere, aut controverſiam ſententiolis vibrantibus pictam recitare. Nam hæc omnia quivis de plebe litteratorum judicio mediocri, exiguo labore abſolvere: prius nemo, niſi ingenti flumine litterarum inundatus, vel aggredi feliciter, vel ex voto finire po-*

terit. Circumfer mentem paullulum, eosque omnes considera, qui hoc munus laudabiliter exsecuti sunt, Philologiæ peritissimos viros; & facile erit, ut spretis novis illis Patribus, in sententiam meam pedibus eas. Reperias non ignotos aliquos & proletarios homines, sed Lipsios, Scaligeros, Turnebos, similiaque tot lumina Doctrinæ: quæ non admirari solum aut venerari; verum etiam imitari nobis contigit. Venio ad alteram calumniam, quæ in Stylum erit. Bone Deus! non enim possum quin exclamem, quid potissimum reprehendent? Arctum constrictumque nimis judicabunt, ac novitium quendam præter sermonis prisci leges & normam. Vellem parcius. Novitium ego hoc scribendi genus libens concedo, si Novitii illi omnes barbarique censendi sunt, quicunque præter Ciceronem olim scripserunt. At huc me redigent, terminisque solummodo Tullianæ phrasis includent. Quid dicam? quod Familiaris quidam meus similiter lacessitus: Amare me ac venerari, addam etiam usurpare ter sam illam nativamque Ciceronianæ formulam dictionis: agnoscere Tullium Principem Latinæ linguæ, & a cujus auctoritate provocatio non cadit: sed non esse solum. Quid enim? si quid scitum, si quid nervosum reliqui illi rei litterariæ Senatores, Plautus, Salustius, Tacitus, Plinius, Seneca, pluresque noti publice, atque adeo ignoti habeant, negligam aut condemnabo? Quemadmodum in pictura non unus color, sed diversi lineamenta distinguunt, corpora exprimunt, res omnes accuratius repræsentant: ita in inscriptione varietas illa ornamentorum non a solo Cicerone est; sed hinc inde petita format & constituit universum Dictionis corpus. Præterea scio ego, aliud esse Orationem, aliud Dialogum, aut Epistolam scribere. Illud quoque scio, laudatissimum esse, posse quo ratione, re, & loco quodlibet pari conatu, similique effectu edere. Hoc qui præstant, eos uti par est, colo venerorque, & æternum venerabor: eos qui non possunt, uti a convitiis abstineant, etiam atque etiam rogo.

IN CARPUM.

Ipse suæ Dominus partitur fercula mensæ;
Non est quod carpas, Carpe, facesse, tace.



ERRICI PUTEANI

SUGAMBRI,

RELIQUIÆ

CONVIVII PRISCI.



JUSTI LIPSII Litteratorum optimi clariſſimique (cujus a manu & inſtitutione me profectum æternum merito lætabor) aureis monitis munitus, litteris quoque privatis publicisque inſtructus, in Italiam abii, firmandæ Doctrinæ, hauriendæ Prudentiæ, luſtrandæ Antiquitatis:

Jam nunc ardentes Autumnus fregerat umbras,
Atque Hiemem tepidis ſpectabat Phœbus habenis,

cum me in viam darem. *Poſtquam ardua montium, & lubrica vallium, & roſcida ceſpitum, & globoſa camporum emerſi,* (Apulejus *lib.* I. *De Aſ. aur.*) Deo duce *μεγάλαν πολέων μητρόπολιν* Mediolanum tandem perveni. Ubi inter pauculos notos JACOBUM CALDERONUM repperi, virum variæ reconditæque ſcientiæ, promptæ humanitatis; a quo multa (laudem ei hanc debeo) hauſi non publici ſaporis. Ille cum ſermonem injeciſſet de ingenio & opulentia civium, ſtructuris publicis, Primoribus urbis, mentio JOH. BAPTISTÆ SACCI fuit: ad cujus ego nomen ſubſiliens, Magnum virum, inquam, & doctum nominas: & quem conventum quam citiſſime cuperem. Sed tune eum noſti? Annuit, & ſimul puerum commonuit, qui commonſtraret ædes. Abii itaque, & eum ipſum, quem quærebam (Sol a meridie jam vertebat) in atrio indutum pallio repperi, ceu paratum prodeundi. Salutavi, ac litteras Lipſianas tradidi; quas ille, mox agnita manu, lætus arripuit, atque pellegit. Tum me complexus perhumaniter, Satin' Salve Puteane, inquit. Ex animi mei ſententia, inquam: utinam ſic ille, cujus hortatu venio: nec magis a ſtudiis is fractus & annis, quam ego ab aſpero hoc itinere meo, prolixo, periculoſo. Vivo equidem; Sed abſque bono meo Genio fuiſſet vixiſſem, & rebus dixiſſem humanis valere & plaudere, amicis vero meis dolere & plangere. Valeo etiam; ſed ea paſſus, quæ nemo olim Cynicus patientiam profeſſus. Suſcipiens ſermonem meum Saccus, Uti in Sole, ait, umbram neceſſario trahimus: ita periculum in via. Dolor, ægritudo, metus, ſollicitudo, cura a pedibus ubique ſunt, gravia illa quidem & moleſta, ſed quæ juvent ac dirigant ſæpe viantem. In ludis equus citius certiuſque metam attingit, ſi ſtimulo adactus, & freno conſtrictus; quam ſi liber vago quodam diſcurſu & ſaltu utatur: ita homo periculo & anguſtiis cinctus, dum timet itineris mala, eadem vitat; dum cavet, ſuperat: & hæc ipſa ex voto ſuperata poſtmodum lætus lubenſque cogitationibus ſuis revolvit: ludit & lætatur tranſactis curis. Ita hominum mores ſunt, ſentire incommoda moleſtiaſque horrent; ſenſiſſe vero delectantur. Præteritorum enim malorum recordatio, dulcedinem quandam animo adfert & voluptatem. Quam multi ſubeunt pericula, ut ſubiiſſe glorientur? Qui poſt longa carceris cruciamenta libertatem recuperat & lucem, non tam quod captus haut ſiet gaudio diffunditur, quam quod fuerit: ſic tu Puteane debes lætari, non quod huc veneris, ſed quod per iſta pericula. Et ſimul avertens ſermonem, cœpit de LIPSIO, de valetudine ejus & ſtatu, demum de Belgicæ noſtræ turbis inquirere: cui ego examuſſim omnia narro Delectatus ille meis verbis, Quam vellem, inquit, diei hoc reliquum tibi dare, ni negotium eſſet: ſed noctem, ſis, ſuccidaneam ſumemus & tempus cœnæ, quo ſermones hos tuos remetieris otioſe. Si libet, inquam,

Non modio, neque trimodio, verum ipſo horreo. ut ait Plautus. Atque cum iſtac ſponſione, vale dicto, receſſi. Ergo horis aliquot ſpaciatus, ſicuti vadatus eram, redeo; & cum Sacco differentes in horto, qui ædibus continuus eſt, reperio LUDOVICUM SEPTALIUM, & HERCULEM CIMILOCTUM (ſine ambitione dicam) Duumviros raræ elegantiæ, priſcæ doctrinæ, veræ virtutis: quibuscum mihi (poſt ſalutem ultro citroque acceptam) amica & varia fabulatio, donec Saccus manum nobis injiciens, Filum hoc ſermonis in ſtellam craſtinam, inquit, ut initium eſt, trahatur & nectatur, niſi abrumpam: & ſimul nos ducens, vadimonio epulari ſiſtit. Sed ecce dum intramus, video in limine titulum quadrata littera ſcriptum.

ΑΜΟΥΣΟΣ ΟΥΔΕΙΣ ΕΙΣΙΤΩ.

Cum legiſſem ſubſtiti, & referre cœpi greſſum. Sed Cimiloctus pallio me retinens, Quo, Puteane, inquit, fugis? canem vivum times, aut depicti nomen? Ego admirans, Quem canem? quod nomen? inquio; & circumferens oculos, video propter oſtium canem ingentem cathena vinctum in pariete pictum, cum inſcriptione:

CAVE, CAVE CANEM.

In mentem jam venerat moris antiqui, & converſus ad Cimiloctum: ecce quam propere, & ex formula canem hunc caveo, dum minime caveo: ſimulque intendens ad ſcripturam alteram digitum, Hic me titulus, aio, arcuit ab ingreſſu. Cimiloctus vix riſum diſſimulans, Itane, reſpondit, tu Muſicum te hic neges? vide ne nimis aperte & contra teſtimonium Lipſianum. Sed ne altercando faciamus moram, ſi moribus muſicus fueris & vita, ego tibi ſpondeo & reſpondeo, non te Saccus exceptum furcillabit: & cum dicto manu me prenſum introduxit. Dum, neſcio quid, Triumviri mei inter ſe muſſitarent, hiante & curioſo oculo cœnaculum pererrans in tabulam æneam incidi exaratam. Acceſſi, & in hæc verba legi:

B. F.

COENIPETA *quisquis es, audi & obaudi.*
CERES *in hoc Cœnaculo sic* EDICO.
PRANSURUS *ante* X. *ne venito,*
Post XI. *ne maneto:*
COENATURUS *ante* XVI. *ne venito.*
Post XVII. *ne maneto.*
PRANDI *heic tempus* UNIUS *horæ,*
Et COENÆ UNIUS.
Si quis prævorterit, SCILICET, *mensa vaciva:*
Si quis remanserit, ILICET, *mensa sublata.*
FAMILIARIUM *tamen si quis adsit, etiam altera hora indulgetur;*
Sed MUSICÆ, *aut* SERMONI; *non* COENÆ.
MUSICA *facilis esto, non rogata.*
Sed & SERMO *talis, non tetricus, morosus, aut rixosus.*
SATURIO *ne accesseris:*
ESURIO *ne recesseris;*
Sed EPULIS *liberum tibi fruendi jus esto,*
Sine TUBURCINATIONE:
At LIBERO PATRE *cum cavitione.*
TREIS CRATERAS *haurias:*
Primam SITIS *caussa,*
Secundam, SIS, HILARITATIS,
Tertiam, SODES, VOLUPTATIS.
Primam MUSIS,
Secundam studiorum Præsidi APOLLINI,
Tertiam SOMNO;
Sed omnes pro Optimi PRINCIPIS SALUTE LIBATO.
CERI MANI *memor,*
ANGERONÆ *Deæ memor,*
LAUTUS ESTO.

Dum hæc cum admiratione legerem, Septalius quoque accesserat, quem ego leviter compellans, Quid ais? inquio, humanissime Septali. Jamne Saccus noster consenuit, qui Cynicam nobis hic componit cœnam? Ecce ad modum omnia certum redacta & mensuram, nec licebit nisi præfinito quicquam aggredi. Ille ad aurem meam cum risu inclinatus, Familiares sumus, inquit, Exleges erimus. Immo, inquam ego, sicuti cuidam Augustus fuit, qui (verba Macrobii sunt *lib.* II. cap. IV.) *post epulum inops, ac sine ullo apparatu discedens, valedicenti hoc tantum insusurravit: Non putabam me tibi tam familiarem.* Septalius velut corrigens, Mitte, inquit, sermonem istum; nacti Dominum sumus comem, lepidum, liberalem, Si unquam nacti: qui Senis Plautini sententiam non frustra usurpet, *Mil. Glor.* act. III. sc. I.

—— in mala uxore atque inimico siquid sumas, sumptus est,
In bono hospite atque amico quæstus est, quod sumitur.

Non fefellimus Saccum, qui cum Cimilocto se nobis jungens, & velut increpans, Quid carpitis, inquit, aut ridetis? Sumptuariam hanc meam legem? Quamobrem? Quia de Convivio? Domesticæ olim, publicæque fuere. Sic Agellius *lib.* II. cap. XXIII. *Parsimonia apud veteres Romanos, & victus atque cœnarum tenuitas, non domestica solum observatione ac disciplina; sed publica quoque animadversione, Legumque complurium sanctionibus custodita est.* Quas ordine & distincte (ac post eum Longævus ille *Saturnaliorum* Scriptor) enumerat. Inter reliquias Æmiliam quoque Legem, *qua lege* (inquit) *non sumptus cœnarum, sed ciborum genus,* A *& modus præfinitus est.* Respondi ego: Sed enim sine consensu nostro hæc tua lex lata, quorum in arbitrio est, eam probare, vel antiquare: immo quibus potestas etiam perrogandi. Nam antiquis hoc solenne, ut talis sortirentur, quis Dominus convivii esset, Magister, Rex, sive Modimperator; ac leges decumbentibus scriberet. Saccus severiori vultu, Ego antiquum hunc morem antiquo. Jus mihi sit in mea domo. Qui ludos olim dabant, eis præsidebant: sic ego, qui hanc cœnam. Et quid opus involvere, aut excusare? Uti in Rep. Romana Cæsar: sic in cœnaculo hoc meo perpetuam dictaturam sumpsi, ut solus & ex arbitrio imperitem, B qui facio sumptum. Septalius nos respexit, & frustra refragamur, inquit, ad Principem hunc omnis potestas ivit condendarum LL. Quas quia justas juste tulit, nostrum est, nolle repugnare. Immo, inquam, quia præter usum vulgi, verborum tenebris involutas tulit, explicet, ut jure pareamus. Dum annueret Saccus, horologii domestici pondera decimamsextam trahebant, & intrans Saccicipor, Accensi vice horam clamitavit. Tum Saccus: TEMPUS EST, NE PERDAMUS NOCTEM. De legibus dein videbo.

C *Dant manibus famuli Lymphas,*

Numen invocamus, & adsidemus. Sed Saccus Salutem mihi denuo precatus, ita infit: Cœna adventitia excipiendus hic mihi Puteane, tui, & Clarissimi LIPSI caussa, nec aliud in laudem tuam dico: excipiendus, inquam; non illa Pontificiali, aut Saliari, aut Adjiciali, nec cujus ordinem (veteri illo & ridiculo more, quo Dominus ex scheda ordine fercula mittenda recitabat) opus sit explicare: sed nec Cynica, aspera, aut terrestri; verum sobria & honesta, in qua hilaritas adsit, mollities absit.

D Bone Deus! quis luxus, addo, quis fastus passim in conviviis hominum etiam tenuioris rei & fortunæ? Plerique haut aliter, quam ad pastum nati, & ad Cereris usumque vitis hauserint vitam, ita toti in ferculis, in poculis: ita fœdissimis, quas gula artifex & pruriens libido suggerunt, voluptatibus se miseri mancipant: ita quisque

———— mensas exstruit,
Tantas struices concinnat patinarias,
Standum est in lecto, siquid de summo petat.

E ut inquit Plautus in *Menæchmis*, act. I. sc. I. Cum Apulejo loquar, *l.* IV. *de As. aur. Estur, potatur, pulmentis acervatim, poculis agminatim, paribus aggeratim ingestis*, non in usum, sed abusum. Quam multa videas ambitiose quæsita? prodige profusa? opipare parata? ut revera dubites voluptatis, an ambitionis caussa convivia instituantur. Homo, quo te agis? aut viam non vides, qua ad virtutem itur; aut virtutem refugis calcare. Priscos illos Romanos mihi vide & imitare, quam continentes, quam sobrii, quam sancti? Valer. Max. id diserte scribit *l.* II. c. V. *Fuit etiam illa simplicitas antiquorum in cibo capiendo humanitatis simul & continentiæ certissimus index. Nam maximis viris prandere & cœnare in* F *propatulo, verecundiæ non erat: nec sane ullas epulas habebant, quas populi oculis subjicere erubescerent. Erant adeo continentiæ attenti, ut frequentior apud eos pultis usus, quam panis esset.* Immo posteriori ævo, luxuria jam pullulante, imperatum (quo ad pristinam Temperantiam rediretur) patentibus januis cœnæ prandiaque fierent. Macrobius *lib.* III. cap. IX. *Et imperari cœpit, ut patentibus januis pransitaretur & cœnitaretur: sic oculis civium testibus factis luxuriæ modus fieret.* Isidor. *l.* XX. c. II.

Cœna vocatur a communione veſcentium. κοινὸν quippe Græci commune dicunt: unde & communicantes, quod communiter, id eſt, pariter conveniant. Apud Veteres enim ſolitum erat, in propatulo veſci, & communiter epulari, ne ſingularitas luxuriam gigneret. De Ægyptiis ſimile refert Pomponius Mela, *l.*I. neſcio an in eundem finem: *Cibos palam & extra ſua tecta capiunt: obſcœna intimis ædium reddunt.* Hodie in lætitia publica ſic quandoque ſolet, ut qui ejuſdem curiæ, epulum inſtruant, congeſtis cibis ſub Dio ſimul commeent & comedant. Finem Saccus fecerat, & Guſtatione initiamur. Mihi Lex cœnæ inhærebat: itaque converſus ad Latorem, Exleges nos habes, inquam, an explicabis leges? Ille in memoriam rediens, Immo potius, inquit, explicabo. Sed ne a cibis vos interim arceam, vacivas tantum ædes aurium volo. Deinde tabellam ſumpſit, atque ita exorſus eſt.

B. F.) Id eſt, bonum factum, Græcis ΚΑΛΟΣ ΕΧΕΙ. Formula apud antiquos in libellis, legibus, ſeu edictis. Exemplum videas in *Prologo Pœnuli* Plautini;

Bonum factu 'ſt, edicta ut ſervetis mea.

Ibidem:

Hæc imperata quæ ſunt pro imperio biſtrico,
Bonum hercule factum pro ſe quiſque ut meminerit.

In Suetonii *Julio* c. LXXX. *Peregrinis in Senatum allectis libellus propoſitus eſt: Bonum factum, ne quis Senatori novo curiam monſtrare velit.* In ejuſdem *Vitellio* c. XIV. *Exacerbatus quod poſt edictum ſuum, quo jubebat intra Kal. Octob. urbe Italiaque Mathematici excederent, ſtatim libellus propoſitus eſt. Et Chaldæos dicere, Bonum factum, ne Vitellius Germanicus intra eundem Kalendarum diem uſpiam eſſet.* Ita enim in hiſce omnibus locis legendum, etſi quidam libri habeant, *bene factum.* Tertulliani auctoritatem non poſſum quin adjiciam Lib. *de Pudicitia: O edictum, cui adſcribi debeat, Bonum factum.*

CŒNIPETA QUISQUIS ES) Compoſitum apud Nonium a cœna & petendo: ſic apud Ciceronem *agripetas* non uno in loco lego: apud Appulejum, *lucripetas*, alibi *heredipetas*.

PRANSURUS ANTE X.) Tempus Prandii & Cœnæ definio: quod ut manifeſtum & clarum faciam, de Horis paucula interjungo. Septalio & Cimilocto idipſum non recuſantibus; me vero etiam ambiente, Horas inquit, ab Horo, qui Sol Ægyptiis eſt, dictas ductaſque Macrobius vult *lib.* I. *Satur.* c. XXI. *Apud eoſdem* (Ægyptios) *Apollo, qui eſt Sol, Horus vocatur, ex quo & horæ viginti quatuor, quibus dies noxque conficitur, nomen acceperunt.* Atque ſicuti iſtæ Diei: ita aliæ Anni Horæ vocantur, de quibus idem Macrobius & ibidem: *Et quatuor tempora, quibus annus orbis impletur, horæ vocantur.* Cenſorinus quoque *l. de Die Natali* c. VII. *Sunt qui tradant, hunc trimeſtrem Horum inſtituiſſe; eoque Ver, Æſtatem, Autumnum, Hiemem* Ὥρους, *& annum dici, & Græcos annales* Ὥρους, *eorum Scriptores* Ὡρογράφους. Sic itaque quatuor illas partes anni Horas Latine nuncupabimus. Horas diei (de Civili ago) ſicuti & ipſum diem varie Antiqui inchoabant. Eſt autem Dies Civilis, revolutio Æquinoctialis, addita illa parte, quam Sol interim ſuo motu Orientem verſus tranſit. Cum vero Æquinoctialem Meridianus & Horizon in quatuor æquales partes dividant; in illam ſcilicet, quæ inter Ortum & Meridiem eſt; quæ inter Meridiem & Occaſum; quæ inter Occaſum & Mediam noctem; demum quæ inter iſtam & Ortum: fa-

A ctum eſt ut a quatuor illis partibus Diem, & Horas Diei promiſcue olim numerarent. Babylonii ſiquidem a Solis ortu in alterum ortum. Umbri a Meridie in Meridiem. Athenienſes (quod Italia univerſa hodie retinet) ab occaſu Solis in occaſum. Romani a media nocte in mediam noctem. Ita Cenſorinus tradit *l. de die Nat.* c. X. Plin. *Natur. Hiſt. l.* II. c. LXVII. Agellius ex Varrone *Noct. Att. l.* III. c. II. & ex illo Macrobius iiſdem pæne verbis, *Satur. l.* I. c. III. quæ, ut maculas quaſdam eluam, breviter recenſebo. Agellius ait: *Athenienſes autem aliter obſervare, idem Varro in eodem libro ſcripſit: eoſque a Sole occaſo ad Solem iterum occidentem, omne id me-* B *dium tempus unum diem eſſe dicere. Babylonios porro aliter. A Sole enim exorto ad exortum ejuſdem incipientem, totum id ſpatium unius diei nomine appellare. Multos vero in terra Umbria unum & eundem diem eſſe dicere a meridie ad inſequentem meridiem; quod quidem, inquit, minus abſurdum eſt.* Legendum ex Macrobio: *Quod quidem, inquit, nimis abſurdum eſt.* Et rationem cur abſurdum ſit, adducit. Proſequitur deinde, *Populum autem Romanum, ita uti Varro dixit, dies ſingulos annumerare a media nocte uſque ad mediam proximam, multis argumentis oſtenditur.* Inter reliqua: *Nam* C *Magiſtratus quando una die eis auſpicandum eſt, & id ſuper quo auſpicaverunt agendum, poſt mediam noctem auſpicantur, & poſt exortum Solem agunt, auſpicati eſſe & egiſſe ex eodem die dicuntur.* Manca & mutila hæc lectio, quam reſtituo legendo: *& id ſuper q. a. a. cum poſt mediam noctem*, inſerendo particulam *cum*. Præterea quod hic: *& poſt exortum Solem agunt*, id in pleriſque veteribus libris legitur: *& poſt meridiem Sole magno*: ex quibus Amor & Delicium generis humani LIPSIUS emendat: *& poſt meridiem Solem agunt.* Ego uti vulgatam lectionem iſtam falſam; ita hanc acutiſſimam ſane cenſeo: utramque tamen (liceat dicere) præ- D ter Agellii mentem. Quid igitur? Ego a te doctiſſime Criticorum diſſentiam? a judicio tuo recedam? Abſit: quin Agellium ipſum potius perperam ſcripſiſſe judicem, quam te perperam emendaſſe. Ipſiſſimam tu Auctoris ſententiam acutiſſime reſtituiſti, eandem ego ad limam & lineam certam redigam, cum torno & cothurno iterum comparabo. Sive itaque *poſt exortum Solem*, ſive *poſt meridiem Solem* Agellius ſcripſerit, nequaquam Diem Romanos a media nocte in mediam noctem numeraſſe (quod conatur) indicat aut probat. Date paulliſper aures animumque in ditionem meam, a me ſtabitis & ſentietis. Agellius ex ſpatio, quod inter auſpican- E di, agendique tempus arbitrario conſtituit, probat Romanos a media nocte in mediam, diem numeraſſe: ex eo videlicet, quod idipſum ſpatium uno eodemque die contineretur. Tempus itaque auſpicandi, exempli cauſſa, poſt mediam noctem eſſe vult; agendi, inquiritur, ubinam locandum ſit. Si, *poſt exortum* legam, licebit eadem ratione inferre Romanos, vel cum Umbris a meridie in meridiem, vel cum Athenienſibus ab occaſu in occaſum diem numeraſſe, qui utrique eodem die tempus de media nocte ultra diluculum protenſum concludebant. Si vero: *poſt meridiem Solem*, com- F mittitur idem propemodum error. Athenienſes enim etiam Tempus de media nocte, ultra meridiem ductum uno die numerabant, ſicuti ex definitionibus traditis clariſſime patet, & nunc quoque hac figura oculis ſubjicio. Et ſimul in averſa tabulæ parte hoc Schema traxit.



Quadruplicem hunc Diem, ſicuti Ægyptii picturæ compendiaria olim Annum, per angues in circulum flexos exprimo, quorum initium in capite, & a capite, finis in cauda. Linea A, auſpicandi; lineæ B C D, agendi tempus notant; ſed B poſt exortum Solem, C poſt meridiem, D poſt occaſum. Intervallum A B, quod eſt ſpatium inter auſpicandi tempus, & agendi *poſt exortum Solem*, non in ſupremo ſolum angue, ſed nec in ſecundo, nec tertio finditur aut dividitur conjunctione capitis & caudæ: id eſt, novo die. Intervallum A B C, quod eſt ſpatium inter auſpicandi tempus, & agendi *poſt meridiem Solem*, tam item in ſecundo quam primo interruptum eſt. Intervallum vero A B C D, quod eſt ſpatium inter auſpicandi tempus, & agendi *poſt occaſum Solem*, in ſupremo tantum conſpicitur indiviſum. Itaque ut Agellii tenebroſis Noctibus lumen aliquod adferam hoc noctis, audacter emendem & reſcribam: *cum poſt mediam noctem auſpicantur & poſt occaſum Solem agunt, auſpicati eſſe, & egiſſe ex eodem die dicuntur*. Nam hac ratione ſpatium inter tempus de media nocte, & primam facem ſequentis, concludi uno die nequit, niſi is a media nocte in alteram mediam numeretur. Emendationem noſtram ipſe Auctor paullo poſt confirmat, cum dicit: *Præterea Tribuni plebis, quos nullum diem abeſſe Roma licet* (Leg. cum Macrobio. *quos nullum integrum diem*) *cum poſt mediam noctem proficiſcuntur, & poſt primam facem ante mediam noctem ſequentem revertuntur, non dicuntur abfuiſſe unum diem.* Spatium ecce ſumit a media nocte ultra Solem occaſum protenſum. Sed ut ad caput meæ legis redeam, Scitote me horas iſtas, X. XI. XVI. XVII. numeraſſe ad ritum hunc Romanum. Tempus vero hoc prandii cœnæque in quibuſdam Europæ partibus ita obſervatur, vitandi Jentaculi & Merendæ. Veteres ne Prandio quidem (aut leviter admodum) diem dividebant aut findebant, ſed totum prope negotiis publicis tribuebant, ſoliti hora Nona largius cœnare. Id ex Martiali conſtat *l.* IV. epigr. VIII.

Imperat exſtructos frangere Nona thoros.

Ex Cicerone item *ad Pætum l.* IX. *Accubueram hora Nona cum ad te harum exemplum in codicillis exaravi.* In aliis libris: *cum id litterarum exemplum in codicillis exaravi*. Hanc horam reſpexiſſe quoque cenſendus Paraſitus ille Plautinus apud *Noctium Atticarum* Scriptorem *l.* III. c. III.

A *Ut illum dii perdant, primus qui horas repperit,*
Quique adeo primus ſtatuit hic ſolarium,
Qui mihi comminuit miſero articulatim diem.
Nam me puero uterus hic erat ſolarium,
Multo omnium iſtorum optumum & veriſſimum,
Ubi iſte monebat eſſe, niſi cum nihil erat.
Nunc etiam quod eſt non eſtur, niſi Soli lubet.
Atque adeo jam oppletum 'ſt oppidum ſolariis,
Major pars populi aridi reptant fame.

Memini Suidam Annonam, quod diſtribueretur ipſis olim Nonis, a Nonis derivare: quid ſi nos ab hora iſta Nona, tanquam ad Nonam, id eſt, cœnam, paratam? Vide num Iſidorus mihi ſerviat *l.*
B XX. c. II. *Annona, tractum eſt a tempore, quo Romani veteres ad cibos advocabantur.* Certe vos Belgæ (mihi arridens) qui *Noen*, & *Noenmael*, Tempus prandii & prandium vocatis, hinc vocatis. Ego acclamans, Hem, inquio, vere tu hoc, & acute. Sed tamen ſiſtendus mihi Sacce, priuſquam progrederis. Ais, hora Nona ſolitos Romanos cœnare: eoſdem a media nocte ad mediam noctem numerare horas. Quid igitur? ante meridiem cœnabant? Expecto quam mox dicas, eos interdiu cubaſſe, noctu vigilaſſe. Saccus ſuſcipiens: Et tu mihi inſtruendus Puteane, licet properem. Repeto Romanos a media nocte ad mediam numeraſſe ho-
C ras, hora Nona cœnaſſe; & tamen de meridie cœnaſſe.

—— *Iſti quidem hercle orationi Oedipo*, inquam,
Opus conjectore eſt, qui Sphyngi interpres fuit,
ut cum Plauto loquar *Pœnulo*, act.I.ſc. III. At ego, reſpondit Saccus, tam clarum tibi faciam, quam Sol meridies eſt quando lucet. Romani diem in Naturalem, & Civilem dividebant. *Naturalis dies* (verba Cenſorini ſunt *l. de Die Nat.* c. X.) *eſt tempus ab exoriente Sole ad Solis occaſum. Cujus contrarium eſt tempus, Nox, ab occaſu Solis ad ortum. Civilis autem dies vocatur tempus quod fit uno cœli cir-*
D *cuitu, quo verus dies & nox continetur: ut cum dicimus, aliquem dies triginta tantum vixiſſe: relinquitur enim etiam noctes intelligere.* Emenda, *intelligi.* Diem Civilem in Sacris, Auſpiciiſque uſurpabant; Naturalem in reliquis actionibus negotiiſque domeſticis ac forenſibus: Civilem Sacerdotes, Naturalem vulgus. Plin. a me ſtat & fidem facit *l.* II. *Nat. Hiſt.* c.LXVII. *Ipſum diem alii aliter obſervavere.* Et poſt pauca: *Vulgus omne a luce ad tenebras. Sacerdotes Romani, & qui diem definivere Civilem, item Ægyptii, & Hipparchus a media nocte in mediam.* Dies Civilis, uti dixi, in XXIV. horas dividebatur. Naturalis in XII. Cenſorino adfirmante: *In horas*
E *XII. diviſum eſſe diem, noctemque in totidem, vulgo notum eſt.* Iſtas Diei Naturalis horas Martialis ex parte enumerat, *l.* IV. epigr. VIII.

Prima ſalutantes, atque Altera continet hora.
Exercet raucos Tertia Cauſidicos.
In Quinctam varios extendit Roma labores.
Sexta quies laſſis: Septima finis erit.
Sufficit in Nonam nitidis Octava palæſtris.
Imperat exſtructos frangere Nona thoros.

Cœnabant itaque hora Nona, ſed diei, ne erres, Naturalis: id eſt, tempore pomeridiano Illa hora, quæ ab Aſtrologis die Lunæ, Saturno tribuitur; Martis,
F Soli; Mercurii, Lunæ; Jovis, Marti; Veneris, Mercurio; Saturni, Jovi; Solis, Mercurio: uti ex horis Planetarum conſtat. Video quid reprehendatis: receſſiſſe me a ritu & inſtituto Romano: neglecto die Naturali, horas diei Civilis Edicto inſeruiſſe. De induſtria feci. Nam cum diei Naturalis horæ ob inæqualitatem dierum, quam obliqua Signiferi poſitio efficit, diverſis anni temporibus augeantur vel minuantur; & Lege horæ certæ ſtatæque exprimendæ eſſent, illas diei Civilis uſurpavi. Deterſerat mihi hoc lumine omnem erroris, aut igno-

rantiæ nebulam Saccus: nec diutius ille moratus, ad reliqua Legis capita perrexit.

PRANDI HEIC TEMPUS UNIUS HORÆ.

ET COENÆ UNIUS.) Multæ, variæque de cœnis & ſumptibus apud Romanos leges latæ, ſed nulla, quod ſciam, quæ cœnandi ſpatium definiret. Lex *Orchia* Convivas intra certum numerum coercebat. *Fannia* Sumptibus modum fecit: ita ut Romanis plebeiiſque ludis, item Saturnalibus, in ſingulos dies centenos æris: id eſt, noſtræ monetæ (ut jam quidem pretium eſt) decem Julios Italicos, ſeu totidem Belgicos Regales inſumere liceret; decem vero aliis, in ſingulis menſibus, diebus, tricenos: id eſt, tres Julios, ſeu Regales. Cæteris denique omnibus diebus denos æris: id eſt, Regalem unum. *Didia* lex non Romanos tantum, ſed cæteros Italiæ quoque populos, nec eos tantum, qui majori ſumptu prandia cœnaſque feciſſent, verum etiam qui vocati eſſent, atque omnino interfuiſſent, Legis Fanniæ pœnis voluit teneri. *Licinia*, ſicuti Fannia, certis diebus centenos æris indulſit; Nuptiis vero ducenos: id eſt, viginti Regales, cæteriſque diebus tricenos: id eſt, ſicuti dixi, tres Regales. Lex *Cornelia*, Kalendis, Idibus, Nonis; diebus item ludorum, & feriis quibuſdam ſolennibus H-S. tricenos conceſſit: eſſer Seſtertios tricenos: id eſt, ſeptuagenos æris: noſtræ monetæ ſeptem Julios, ſeu Regales. Nam Seſtertius, pars eſt Regalis quarta. Diebus reliquis omnibus H-S. ternos tantum: id eſt, ſeptem Solidos noſtros cum ſemiſſe, ſeu quatuor Stuferos Belgicos minus Quadrante. *Æmilia* lex Ciborum genus & modum præfinivit. *Antia*, Magiſtratum ad certas tantum perſonas itare permiſit. Denique Lex *Julia* lata eſt, *qua* (Agellii verba *l.* II. c. XXIV. uſurpabo ut emendem) *profeſtis quidem diebus ducenti* (ſunt L. Julii) *finiuntur, Kalendis, Idibus, Nonis, & aliis quibuſdam Feſtivis trecenti* (LXXV. Julii) *nuptiis autem & repotiis* H-S. *millies eſſe. Etiam dicit Capito Attejus edictum, divine Auguſti, an Tiberii Cæſaris non ſatis commemini, quo Edicto per dierum varias ſolennitates, a* CCC. H-S. *aduſque duo millia ſumptus cœnarum propagatus eſt* (id eſt, a LXXV. Juliis ad ID.) *ut his ſaltem finibus luxuriæ effervеſcentis æſtus coerceretur*. Mendum in verbis illis etiamnum hæret: *nuptiis autem & repotiis* H-S. *millies eſſe*. Millies enim non ſeſtertios. ſed ſeſtertia denotat, quorum ſignificatio nimis larga & grandis, quam ut ad Temperantiæ illos fines circumſcribendos. Audacter itaque me auctore reſcribe, H-S. *mille*: ſunt CCL. Julii noſtri: ut indulgentiæ quoſdam velut gradus videas ad majorem & majorem luxum. Deinde Sententiam interpunge & diſtingue in hunc modum: *nuptiis autem & repotiis H-S. mille. Eſſe etiam dicit Capito Atteius edictum*, &c. Atque hæ quidem olim de cœnis latæ ad populum leges: de quibus cum Tertulliano *Apolog.* c. VI. merito querar: *Quonam illæ leges abierunt ſumptum & ambitionem comprimentes? quæ centum æra non amplius in cœnam ſubſcribi jubebant, nec amplius quam unam inferri gallinam, & eam non ſaginatam: quæ patricium, quod decem pondo argenti habuiſſet, pro magno titulo ambitionis Senatu ſummovebant*. Intermiſſis pauculis: *Video enim & centenarias cœnas a centenis jam ſeſtertiis dicendas: & in lances, parum eſt, ſi Senatorum, & non libertinorum vel adhuc flagra rumpentium argentaria metalla producta.* Fuerunt & viguerunt tamen olim illæ leges: ſed nulla, quæ ſpatium cœnandi definiret. An quia hic non peccabatur? Hoc ipſum igitur feci: nec ſolummodo qui, & quanti; ſed etiam quamdiu apud me pranſitaretur, & cœnitaretur, præſcripſi: ſcilicet UNICAM tantum horam. Grunniant gulones, gumiæ noſtri, quique ætatem inter fercula conterunt; non audio: magis Principes multos viros, qui cœnas ſuas ultra horam vix unquam protrahunt. Diſcat hoc vulgus, & in exemplum trahat egregium & regium hunc morem. Nam profecto luxui ac intemperantiæ eſt, quicquid ultra eſt. Circumferte paullulum mentis oculos & corruptiſſimos plebis potiſſimum mores miremini atque indignemini. Horæ quotidie plus minus ſex epulis inſumuntur; ſomno decem: & utinam ſemper intra iſtum numerum conſiſtatur. Si bene rationes excuſſeris, horas ſubduxeris, vix per Sextantem vitæ vivitur. Quo migraſtis ſancti & priſci mores? Pergo ad Legis reliqua.

ILICET.) Id eſt, *Ire licet*, quemadmodum *ſcilicet*: *ſcire licet*. Plautus in *Capt.*

Ilicet paraſiticæ arti in maximam malam crucem.

Formula hæc ſolennis olim Conſilii dimittendi. Donatus ad illud Terentii, *Hoc nihil eſt Phædria, Ilicet. Semper ilicet finem rei ſignificat, ut Actum eſt, ilicet, per συνκοπὴν. Sic judices de Conſilio dimittebantur, ſuprema dicta cum præco pronunciaſſet, Ilicet; quod ſignificat ire licet.*

FAMILIARIUM TAMEN SIQUIS ADSIT, ETIAM ALTERA HORA INDULGETUR.) Addo in quem finem: non Comeſſationis, ſed Muſicæ aut Sermonis cauſſa.

SED ET SERMO TALIS, NON TETRICUS, MOROSUS, AUT RIXOSUS.) Agellius *l.* XIII. c. XI. *Sermones igitur id temporis habendos cenſet* (Varro) *non ſuper rebus anxiis aut tortuoſis; ſed jucundos atque invitabiles, & cum quadam illecebra & voluptate utiles, ex quibus ingenium noſtrum venuſtius fiat & amœnius. Quod profecto, inquit, eveniet, ſi de id genus rebus ad communem vitæ uſum pertinentibus confabulemur, de quibus in foro atque in negotiis agendis loqui non eſt otium.* Sermones itaque hilares honeſtique uſurpandi; ſed & fabulæ quæ iſtuc ducant lepore lepido conditæ, non ſupellectile muliebri gravatæ.

SATURIO NE ACCESSERIS.

ESURIO NE RECESSERIS.) Plautus in his vocibus eleganter ludit in *Perſa*:

TOX *O Saturio opportune adveniſti mihi.*
SAT. *Mendacium edepol dicis, atq; haut te decet.*
Nam Eſurio venio, non advenio Saturio.

SINE TUBURCINATIONE.) Verbum non natura, ſed opinione quadam vulgi obſoletum, quod Nonius Marcellus explicat: *Tuburcinari ſignificat raptim comedere. Titinnius in Præl. Tuburcinari ſine me vultis reliquias? Plautus in Perſa: Tuburcinari de ſuo ſiquid eſt domi. Turpilius in Bethontibus: Melixa intus ceſſat, credo hercle belle tuburcinatur.*

AT LIBERO PATRE CUM CAVITIONE.) Ὑπαλλαγὴ rhetorica, qua per Liberum, Liberi leporis, ſeu meri facio poteſtatem. Talis vetus Nævii verſus: *Coquos*, id eſt, coquus, *dedit Neptunum, Venerem, Cererem.* Id eſt, piſces, holera, panem. Multo hercle aptius, quam, uti quidam legunt, *Coquos edit.* Antiquus autem hic ritus de trino hauſtu, non ex nobis hauſtus: & adſtricti olim Lege quadam ad ternas, interdum ad novenas potiones. De ternis Petronius: *Excuſare cœpit moram, quod amica ſe non dimiſiſſet tribus niſi potionibus e Lege ſiccatis.* Auſonius de utriſque in *Griph. ternarii numeri.*

Ter bibe, vel totiens ternos: ſic myſtica lex eſt.

Ter vero bibebant, in honorem Gratiarum: nonies, cum largius ſe invitabant, in Muſarum. Sed ſicuti numerus iſte craterarum pro voluntate & inſtitutione convivantium mutabatur: ita finis & intentio quoque diverſa. Ego ne longum loquar, aut obvia referam, ad Edicti mei verba redeo, quæ Apuleii auxilio & auctoritate ſtabilio atque confirmo. Scribit *lib.* XV. *Florid.* *Sapientis ſuper menſam cele-*

bre dictum est: Prima, inquit, cratera ad sitim pertinet, secunda ad hilaritatem, tertia ad voluptatem, quarta ad insaniam.

A PRO OPTIMI PRINCIPIS SALUTE LIBATO.) Omnino. Ille dignissimus omnium votis precibusque, non dicam ob dignitatem Imperii, in quo a Maximo Rege constitutus est; non ob nobilitatem vetustissimæ stirpis, cujus sempiterna elogia persistent; non ob virtutes animique clarissimas dotes, quas domi militiæque commonstravit (etsi hæc singula, precationes continuas; conjuncta immortalitatem quandam mereantur:) Sed dicam ob beneficia innumera præclarissimaque quibus nos adfecit & urbem nostram. Nemo unquam felicius B præfuit, copiosius profuit. Nemo commune bonum diligentius quæsivit, sollicitius custodivit & tutatus est.

Agnoscamus beneficium, ut accepisse mereamur: referamus, ne ingratis dedisse ipse videatur: pro salute ejus libemus, vota concipiamus, ut per ipsum salvi securique longum maneamus. Augusto olim Senatus inter reliquos honores decrevit, ut pro salute ejus in conviviis vulgo libaretur: id imitari nos volo, sed pio & Christiano quodam ritu.

C CERI MANI MEMOR.) In Saliari carmine est: *Cerus manus*, hoc est, creator bonus. Nam a creo interposita vocali cereo dicitur; a cereo cerus, unde & Cererem non inepte derivem frugum creatricem. Manus, adjectivum; & bonum significat. Festus in litt. M. *Manes Aurelius significare ait bonos: unde Dii manes pro boni dicuntur*. Licet & alibi dicat: *Manes Dii ab Auguribus vocabantur, quod per eos omnia manare credebant*. Nonius Marcellus: *Manum dicitur clarum: unde etiam mane, post tenebras noctis diei pars prima. Inde Matuta quæ Græcis Leucothea. Nam iidem volunt etiam Deos Manes appellari*: id est, *bonos ac prosperos; quod melior mors sapientibus quam vita probetur*. D Cicero *Tusc. l.* I. *Quia Ino Cadmi filia nonne Leucothea nominata a Græcis, Matuta habetur a nostris? Inde immanes non boni ut sæpe*. Macrobius idem confirmat *l.* I. *Saturn.* cap. III. *Mane autem dictum, aut quod ab inferioribus locis: id est, a Manibus exordium lucis emergat, aut (quod verius mihi videtur) ab omine boni nominis. Nam & Lanuvini mane* (Adjective ponit, tertiæ declinationis) *pro bono dicunt, sicut apud nos quoque contrarium est immane; ut, immanis bellua, vel immane facinus, & hoc genus cætera pro non bono*. Ad E verba, hæc pauca sufficiant: ad sententiam tria verba. Dei Opt. Max. Creatoris omnium, Servatoris omnium, Gubernatoris omnium: ad salutem humani generis nati, ad eandem violenter crudeliterque denati memoriam ingero, incontinentiæ peccatique vitandi. Fieri enim non potest ut summi numinis Majestatem, Potentiam, Charitatem homo identidem considerans atque pensiculans in scelus aliquod de industria prolabatur. Sed quemadmodum tenebræ nigræ noctis non ingruunt, nisi prius ab oculis nostris Sol fugerit in adversum orbem: sic prius semper est Dei oblivio, quam labes peccati. Antiqui, uti ex Petronio constat, & Clarissimus Lipsius in *Saturnalibus*, F Nobilissimus Scaliger *ad Ausonium* notarunt, simili quodam ritu ad mollitiem & voluptatem invitabant, qui larvas quasdam in mensam inferre soliti, sic aptas, ut articuli vertebræque quibus commissæ erant, in omnem partem flecterentur, variasque figuras exprimerent; ut hac ratione convivæ brevis vitæ celerisque mutationis commonefacti in solutam hilaritatem irent, omnibusque, dum liceret, delitiis adfluerent. Sicuti impii illi in libro *Sapientiæ* cap. II. *Umbræ transitus est tempus nostrum, & non est reversio finis nostri. Venite ergo & fruamur bonis quæ sunt, & utamur creatura tanquam in juventute celeriter. Vino pretioso & unguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis antequam marcescant: nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo vestrum exsors sit luxuriæ nostræ: ubique relinquamus signa lætitiæ: quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors nostra*. Ubi vero larvæ ejus copia non erat, cranium in mensa apponebant, & manibus versabant; vel e triclinio vel stibadio suspendebant in eundem illum finem. Nos aliter imbuti, ut non ad luxum & voluptatem mortis memoria duci debeamus; sed multo magis absterreri. Lætari tamen in tempore etiam suadeo, nec subtrahere corpori delitias penitus; sed temperare: edere, bibere, ludere; sed intra continentiæ sanctissimæ fines.

ANGERONÆ DEÆ MEMOR.) De silentio quod mensæ debetur, constituitur: ne quæ hic dicuntur aut fiunt promanent palam, & carpantur a vulgo. Nam sicuti Harpocrates Græcis, ita Angerona Romanis silentium digito ad os admoto significat, uti ex Macrobio disco, qui Deum Tutelarem Romanæ urbis inquirens, ait: *Alii enim Jovem crediderunt, alii Lunam: sunt qui Angeronam quæ digito ad os admoto silentium denuntiat*.

LAUTUS ESTO.) Omnino. Si non es, in mores nostros & priscos peccas. Nam in usu lavatio fuit olim, & jam est: etsi diverso atque alio ritu. Nos ante mensam lavamus, sed tantummodo manus: antiqui (ni quidem in balneis fuissent, tunc enim non lavabant) in ipso quoque convivio, atque etiam pedes. Petronius: *Tandem ergo discubuimus pueris Alexandrinis aquam in manus nivatam infundentibus, aliisque insequentibus ad pedes*. Plura, quæ ad lavationem hanc faciunt viri docti eruerunt & notarunt: ego quæ ad universum hoc Edictum, abunde satis: restat, ut pareatis.

Explicata Lege, quædam etiam ruminari cœpimus: inde in alios paullatim sermones dilabi. Interea pueri Cœnam intulerant, in qua Apexabo fuit: intestinum est sanguine farctum, Arnobio innuente *lib.* VII. *Adv. Gentes. Quid*, inquit, *sibi hæc volunt: apexabo, insicia, silicernia, longavo? quæ sunt nomina, & farciminum genera, hirquino alia sanguine, comminutis alia inculcata pulmonibus*. Dictus vero Apexabo, uti ex Varrone colligitur, quod in capite seu summitate apicem habeat. Septalius Dominum adspexit, & quid istud cibi, aut quid nuclei in putamine illo, inquit. Ille ridens, An me captas? ait: similiter tu quidem Pseudolo cuidam, qui cum ad macellum intestinum farctum præstinaturus venisset, ac carius lanio indicaret, ex humeris bulgam detraxit, eamque velut ponderans, Hisce nummis, inquit, qui insunt, auferre licet? Non licet, respondit lanio: nec cognitum mihi, quid tu bulga conclusum geras. Immo nec cognitum mihi, ait ille, quid tu istis intestinis. Septalio & Cimilocto ad fabellam ridentibus, ego Saccum compello, &, quæso te, inquio, num ab ore tuo fugiunt novæ illæ, ut apparent, locutiones: *ex humeris bulgam detrahere, eam ponderare?* An ritum aliquem iis conclusum quoque habes priscum? Habeo vero, inquit; cumque, quia te latere video, expediam, & ob oculos tibi ponam ut cognoscas. Romani olim, appendere seu ponderare pecuniam magis solent, quam numerare: unde *expensa in rationibus, impendia, & dependere* etiam nunc usurpamus. Hinc etiam in veteri formula, *per æs & libram emere*, quia Libripendes scilicet adhibebantur ad pensitandum.

Sed

Sed & ab hac pensitatione manavit *æs grave* dictum: id est, quod pondus justum legitimumque haberet. Liv. l. IV. *Indicibus decem millia æris gravis (quæ tum divitiæ habebantur) data.* Iterum: *Et quia nondum argentum signatum erat æs grave plaustris quidam ad ærarium convehentes speciosam etiam collationem faciebant.* Et sæpius. Inde & stipem dictam ait Varro lib. IV. *de L.L. Nam quod asses libræ pondo erant, qui majorem numerum acceperant, non in arca ponebant, sed in aliqua cella stipabant: id est, componebant, quo minus loci occuparet.* Et plura talia, quæ longum sit complecti. Ab illo vero pondere & gravitate factum, ut æs & crumenam in humeris, non in zona ferrent, quod in Plauto aliquoties legis: & in hac fabella innuere volui. Ego excipiens, Vere ita est, inquam, ut in tabulis Parrhasianis aut subtilioris lineæ pictorum, præter picturæ amœnitatem & elegantiam, historia aliqua refertur præclara, sed a vulgi sensu remota: ita in fabellis tuis præter leporem semper notæ quædam priscæ doctrinæ, non animadversæ multis, quia ignotæ. Saccus nihil tardatus applausu meo, ipse Scissoris vicem subiens, Apexabonem fregit, atque distribuit: videmusque sanguinem farctura nescio qua mistum, & a coctione concretum. Sed Septalius festivissimus homo partem suam rejiciens, Apage, apage, inquit, tam infaustum & nefastum cibum, quo si vesceris, mediusfidius licet ad tibicines mittas. Saccus, mittam, inquit; sed in alium quidem usum, scilicet ut symphonia perstrepente, solennius & more veteri vescaris. Iterum Septalius; Itane nescis Leges divinas & humanas? utræque sanguinem nobis interdicunt. In illis expressa sane prohibitio *Genes.* cap. IX. *Carnem cum sanguine non comedetis.* Iterum *Levitici* cap. XVII. *Homo quicunque de filiis Israel, & de advenis qui peregrinantur apud vos, si venatione atque aucupio ceperit feram vel avem, quibus vesci licitum est, fundat sanguinem ejus, & operiat illum terra. Anima enim omnis carnis in sanguine est. Unde dixi filiis Israel, sanguinem universæ carnis non comedetis, quia anima carnis in sanguine est: & quicunque comederit illum interibit.* Quin & nova Lege idem confirmatum scimus *Act.* c. XV. *Visum est Spiritui Sancto & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria: ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum: & sanguine, & suffocato,* &c. Scriptores item sacri diserte id tradunt & testantur. Tertull. in *Apolog.* c. IX. *Erubescat error vester Christianis, qui ne animalium quidem sanguinem in epulis esculentis habemus: qui propterea quoque suffocatis & morticinis abstinemus, ne quo sanguine contaminemur vel intra viscera sepulto. Denique inter tentamenta Christianorum botulos etiam cruore distentos admovetis, certissimi scilicet illicitum esse penes illos, per quod exorbitare eos vultis.* D. Ambrosius sanctissimus ille Antistes, & Tutelaris hujus ipsius urbis, *in Epist. ad Galat. Hæc tria mandata Sophistæ Græcorum non intelligentes, scientes tamen a sanguine abstinendum.* Minutius Felix in *Octavio. Nobis homicidium nec videre fas, nec audire; tantumque ab humano sanguine cavemus, ut nec edulium pecorum sanguinem* (emendo, *edulem*, pro eo qui manducari potest) *in cibum noverimus.* Nunc vero ut ad Leges humanas veniam, exstat notaque est insignis illa Leonis Imperatoris constitutio, quæ est LVIII. qua multis solennibusque verbis omnis denuo sanguinis esus & usus severissime interdictus. Quid videtur? num firma satis validaque hæc Auctoritatis tela ad eliminandum arcendumque e mensæ sacris Apexabonem? Immo levia & infirma, ait Saccus, quibus ludas magis, quam lædas: quæ rumpantur & recidant ad primum statim contactum oppositæ frameæ Rationis. Quare sic repugno. Lege divina prohibitus Hebræis olim sanguis, sed Hebræis: ob piam ac tum temporis necessariam quandam caussam, scilicet Idololatriæ (in quam ipsi per se multum proni) fugiendæ, dum hoc ritu ab Idolorum cultoribus, qui de sanguine victimarum libabant, dissiderent. Sed inquis, traductum hoc etiam a Præconibus Gratiæ ad Christianos. Traductum fateor, non ut æternum permaneret; sed donec Judæorum qui abstinebant, & Gentilium qui non abstinebant simul habitantium animi conglutinarent, & uterque ille populus (sicuti Christianus ille Sophus D. Auguſt. *contra Faustum* tradit) in unum coalesceret, quod facilius futurum erat, iis rebus sublatis, quæ vehementius eos dissociare atque alienare possent. Nam quod quidam ad homicidium cavendum referunt, pie id quidem, sed non universe vere dictum. Introducta itaque hæc consuetudo, plusculos annos, etiam ultra quam necessum erat obtinuit. Postea vero quam radices Fides egerat, & surculos suos nequicquam toties a Tyrannis antelucatos longe lateque dispersérat, negligi a Latinis primum cœpta: Græci tenaciores permansere ob Apostolicæ sententiæ reverentiam seu auctoritatem. Atque hinc Imperatoria illa Leonis Constitutio edita; sed a posteris mox, atque adeo ipso jure antiquata. Finierat Saccus: sed nos dum tardiores adhuc ad tam profanum olim accedimus cibum, Suadeo, inquit, cœnemus; hoc est jus cœnæ. Dum obsequimur, & pausa sermonum esset, puer, ut videbatur a Septalio instructus librum attulit Senecæ Philosophi *de Constantia Sapientis*, & distinctissime quædam cœpit recitare. Nos mirari & taciti auscultare. Sed Saccus silentium non ferens, jubet ocius librum tolli: ad quod factum Cimiloctus exclamans, Hem, inquit, optimam & jucundissimam cœnæ partem aufers Lectionem, quam antiqui in delitiis habuerunt & usurparunt. Plin. testis lib. I. *Epist. Audisses Comœdum, vel lectorem* (de cœna loquitur) *vel, quæ mea liberalitas, omnes.* Cornelius Nepos in *Vita Attici*: *Neque unquam sine lectione aliqua apud eum cœnatum est, ut non minus animo quam ventre convivæ delectarentur.* Idem Plinius de Plinio Secundo avunculo suo lib. III. *Epist. Mox quasi alio die studebat in cœnæ tempus, super hanc liber legebatur, adnotabatur, & quasi cursim. Memini quendam ex amicis, cum Lector quædam perperam pronuntiasset, revocasse, & repeti coegisse: huic avunculum dixisse, Intellexeras nempe? cum ille adnuisset, Cur ergo revocabas? decem amplius versus hac tua interpellatione perdidimus.* Quin Dominus ipse non nunquam legebat. Martialis innuit l. V. ep. LXXIX.

Parva est cœnula, (quis potest negare?
Sed finges nihil, audiesve fictum,
Et vultu placido tuo recumbes,
Nec crassum Dominus leget volumen.

Saccus suscipiens, Quantum video, inquit, ex compacto agitis. Septalius auctor lectionis, tu defensor ades. Et ne refragari vobis velle videar, permitto primam hanc cœnam non interruptam sermonibus intempestivis habeatis: Lectionem istam mutabo, non tollam; & pro gravi illo severoque scriptore, scriptum lepidum & amœnum substituam; pro spinulis, florida serta; & simul de sinu schedas quasdam extrahens puero tradidit ut recitaret. Mihi illud: *florida serta*, suspicionem fecerat, & scriptura ipsa, cujus non fallebar, plane indicabat esse meos versus. Itaq; rubore perfusus rogare Saccum cœpi ne silentium male collocaret: esse flosculos mali succi & odoris, sterili solo natos, extemporaneo labore congestos: atque adeo vereri me ne in itinere dissoluti sint atq; marcuerint. Interim puer nutu trigemino admonitus, nihilque excusatione mea tardatus, ita exorsus est.

ERRICI PUTEANI
SERTA PHALEUCIA
AD
GUALTERUM OENIUM,
INTER JCTOS RELATUM.

QUæ vox? qui moduli suavioris
Amœnum aera verberant Camœnæ?
Quid turbæ tueor virum venustæ
Grandævum cilio severiore?
Num sancti venerabilis Senatus
Juris advenit, Arbitrique Legum?
Venit. Sed juvenis quis ille, qui illos
Procerus Proceres præit Catones
Ipse plus Cato: moribus vetusteis,
Vultu sidereo, igneis ocellis?
Hem meus Pylades, meusque ocellus,
Cui nunc Justitiæ choro severæ
Interesse datum, datum præesse.
Quin tu jam numeros cita Phaleucos,
Secunda Aonii Thaleia cœtus,
Et gratare novi decus triumphi.
O GUALTERE *trium decus Sororum,*
O GUALTERE *novem decus Sororum,*
Sit felix tibi faustus & beatus
CONSULTI-*titulusque honorque* JURIS;
Quem toro tibi fertili, pudico
Ex virtute sagax calor decora
Ingenl genuit: sit illiusque
Felix perpetuum, beata, vivax
Soror melle suavior gemella
DOCTRINA, *& melior suo gemello,*
Si viri-miseris potens locata est.
Quid auro gravis aula fulgurante
Terra tecta tenacis Euclionis?
Terra: sic labor & severioris
Musæ census, in arce & æde sensus;
Si promas, valet; at recondi? obsit.
Promas, in Patriæ bonum & salutem.
Orbæ funera contueris urbis?
Tu ver'as fac em n beatiorem:
Exlegem populum? liges Lycurgus
Alter, haut Amyclæus, at Sugamber.
Huc te fata vocant, s qui necessum est.
Ito Justitiæ patronus esto,
Et vindex quoque verus ac severus.
Sit priva potiorque amantiorque
Communis populi salus miselli.
Arcta carior esto vita avitus
Et dius Superum piusque cultus.
Sic gratus Patriæ Pater futurus:
Duris præsidium & decus Sugambris:
Virtus sic tua nobilis nitebit
" *Phœbo clarior, & sorore Phœbi;*
Cui nec invidiæ coacta nubes
Summæ nec tenebræ dabunt tenebras.

Ego ex Sacci joculatorio sermone occasionem nactus abrumpendi lectionem, Quid istud? inquam, Scire velim meo an alieno sumptu huc venerim. Illis admirantibus, ut tuis forte parcas, Sacce, inquam, fercula apponis mea nobis convivantibus. Facile liberales in re aliena sumus. Num saturos carmine nos fieri postulas, subducta carne? Domi istunc cibum invenio, ne quæram foris. Tu me si exceptum adventitia vis, de tuo id facito: si de meo, incœnatum remittito domum. Saccus urbanitate hac mea delectatus, silere exemplo puerum jussit: nosque ad vivendum solenniter invitavit. Dum mutuis de Clarissimo viro J. LIPSIO B. R. P. Litterariæ nato, sermonibus fercula apposita interponimus Saccus digitos concrepuit, ad quod signum pueri qui ad vinum & cyathum cantillare cœperunt. Ego

A Saccum appellans, longe, inquam, me ab imaginatione mea rejicis. Nec pueros, sed te ipsum cantaturum, aut quippiam dicturum colligebam, ex more Veterum, qui hujusmodi signis sive crepitibus audientiam dicturi præparabant. In Petronio id lego: *Manibus inter se usque ad articulorum crepitum contritis, Quænam est, inquit, hæc audacia, aut ubi fabulas, & antecessura* (acute viro docto nuperririme emendatum *antecessa*) *latrocinia didicistis?* Et reliqua Quartillæ increpatio. In D. Hieronimo *ad Rusticum: Testudineo Grunnius ad dicendum incedebat gradu, & per intervalla quædam vix verba carpebat: & tamen cum mensa posita, adducto supercilio, contractis naribus, duobus digitulis concrepabat, hoc signo ad audiendam discipulos provocans.* B In Cicerone quoque, aliisque; ne auctoritates frustra conglomerem. Saccus excipiens, Bene tu ista, Puteane, inquit: sed scito idem iisdem, immo & nobis istud signum frequens & in proclivi ad indicandum, vocandum, aut revocandum. Sic apud eundem Petronium: *Cum has miraremur lautitias, Trimalcio lautissimus homo digitos concrepuit, ad quod signum matellam spado ludenti supposuit.* Ubi obiter nota verbum concrepo cum accusandi casu. Item apud Tibullum lib. I. Eleg. II.

Et vocet ad digiti me taciturna sonum.

C Ego reciprocans, Et bene tu ista, Sacce, inquio. Sed licerne quærere? Immo, inquit, vel jubere. De ritu illo canendi. Novusne is, an antiquus? Antiquus, ait Saccus; nec canendi tantum, sed & psallendi. Ejusce rei auctorem tibi dabo Varronem apud Nonium: *In conviviis pueri modeste ut cantarent carmina antiqua, in quibus laudes erant majorum, & assa voce & cum tibicine.* Appuleium lib. V. *De Asino. Post opimas dapes quidam introcessit & cantavit invisus, & alius cithara pulsavit, quæ videbatur nec ipsa. Tunc modulata multitudinis conferta vox aures ejus adfertur, ut quamvis hominum* D *nemo pareret; chorus tamen esse pateret.* Macrob. de Augusto l. II. c X. *Delectatus inter cœnam pueris Symphoniacis.* Observa obiter probam, nec satis notam locutionem, *inter cœnam*, pro inter cœnandum Sic Ciceronem scribere alibi memini: item Agellium lib. III. cap. II. *Sacra sunt Romana partim diurna, partim nocturna; sed ea quæ inter noctem fiunt, diebus adjiciuntur, non noctibus.* Licet doctissimus Lipsius libens legat, *quæ internoctu*, ea forma qua interdiu. Apud eundem Agellium lib. IX. c. IV. *plus cernunt oculi per noctem, quam inter diem*, nunc patiar, nec, ut antea volui, rescribam, *quam interdiu*. Pueri itaque cantabant: im- E mo & puellæ. Agellius id palam facit lib. XIX. c. X. de Juliano Rhetore scribens, qui ab adolescente quodam ad cœnam invitatus; *desideravit exhiberi, quos habere eum adolescentem sciebat, scitissimos utriusque sexus, qui canerent voce, qui psallerent. Ac posteaquam introducti pueri puellæque sunt, jucundum in modum ἀνακρεόντεια pleraque & σάπφικα, & poetarum quoque recentium ἐλεγεῖα quædam ἐρωτικὰ cecinerunt.* Nec ad cantum solummodo, sed ad mensam & ministerium uterque ille sexus. De pueris Cicero meminit II. *de Finib. Adsint etiam formosi pueri, qui ministrent.* Et sæpius scripto- F res: unde discas, cur Horatius de comessatione, aut compotatione loquens, passim puerum compellat: ut lib. I. od. XXXIIX.

Persicos odi, puer, apparatus.

Et alibi frequenter. De Puellis Appulejus l. II. *de Asino, Puellæ scitulæ ministrantes.* Apud Nonium Varro: *Sic in privatis domibus pueri liberi, & pueræ ministrabant.* D. Hieronymus *ad Rusticum: simul inire convivia, ancillas juvenes habere in ministerio.* Verum, ut ad cantum sermonem retraham, non ego obsoletam & intermortuam jam olim consue-

A tudinem e tumulo revoco, ad vitam & lucem reduco: sed viventem etiamnum & vigentem exemplo meliorum tracto, non ad luxum aut mollitiem, quod Amusi increpant, sed frangendis aut seponendis paullulum curis. Hic Musicæ effectus & finis est, quem quia isti ignorant, severa, tristia, morosa convivia habent; pro modulis clamorem, pro concentu, confusas convivantium voces, pro tibiis & instrumentis musicis cyathorum frequentium strepitum. Nam dum symphoniæ delectationem ceu viro indignam spernunt, in turpissimum intemperantiæ vitium indignum homine prolabuntur. Si victus cultusque corporis (uti recte Cicero Romanæ Eloquentiæ pater lib. I. *Offic.*) ad valetudinem referri & vires, non ad voluptatem debeant; B quid præclarius, quid utilius Musica? quæ numerorum dulcedine animos nostros severis curis subtrahit, ut secure epulemur: verborum monitis virtutis temperantiæque admonet, ut licite honesteque reficiamur. Quid ait? satisne firmum hoc tibi, quisquis es, pro cantu videtur, an a te ipso patrocinium adversario petam? Navitæ, si trans mare currunt, Νίγλαρον suum occinunt, & naussæ obliviscens delectaris: messores inter operas Ιȣ́λον suum, & collaudas: pistores ad molam Ιμαῖον suum, & auscultas, atque lucello sæpe provocas ad iterandum. C Nos, si honesto carmine inter epulas fruimur, reprehendes? Alius hic locus est, inquies, & sacratior: nec in vili ac servili pistrino sumus; non inter rurestres ruri in æstu Caniculæ, & calentis Solis; non inter Neptunias udas undas ægri corpore, dubii salutis. Ubi demum? in cœnaculo & penetrali domus tuentes & tangentes mensæ sacrata dona. Homo pepone insulsior: quasi a Victua & Potua (Deæ sunt quæ victui & potui præsunt. Sic Arnobius lib. IV. *adv. Gent. Victua & Potua sanctissimæ victui potuique procurant*) alienæ Musæ. Istæ locum sibi in cœnaculo, conniventibus Laribus, elegere: hæ Musæ, inquam, securæ; D cantumque, quid dico cantum, saltationem quoque adduxere. Quid vultum contrahitis, & abnutatis? ita dico, olim saltatio in conviviis, sed ante civilia bella: sub illis, nefas & inter probra saltare: ita ut orbis jam potiti Romani per divitias in omne scelus iverint, hac una re facti sanctiores. Simius ille Agellii diserte l. III. cap. VII. *Vetustas quidem, inquit, nobis semper, si sapimus, adoranda est: illa quippe secula sunt, quæ hoc imperium vel sanguine, vel sudore pepererunt, quod non nisi virtutum faceret ubertas. Sed quod fatendum est, in illa virtutum abundantia vitiis quoque ætas illa non* E *caruit, e quibus nonnulla nostro seculo morum sobrietate correcta sunt.* Deinde post pauca: *Dic enim Hore, qui antiquitatem nobis objicis, ante cujus triclinium modo saltatricem, vel saltatorem te vidisse meministi? at inter illos saltatio certatim vel ab honestis appetebatur. Ecce enim, ut ab illo ordiar tempore, quod fuit optimis moribus, inter duo bella Punica ingenui, quid dicam ingenui? filii Senatorum in ludum saltatorium commeabant, & illic crotala gestantes saltare discebant.* Idem auctor l. II. cap. I. de Philosophis barbatis, quorum quidem tam severa tristitia, ut ne aures quidem suas in convivio obscœno sermone violari voluerint. *Sub illorum, inquit,* F *supercilio non defuit, qui psaltriam intromitti peteret, ut puella ex industria supra naturam mollior, canora dulcedine, & saltationis lubrico exerceret illecebris philosophantes.* Ubi profecto non capio quid sit illecebris philosophari. Quid si legam: *& saltationis lubricæ illecebris, exerceret philosophantes?* De saltatione illa Martial. l. V. epigr. LXXIX.

Nec de Gadibus improbis puellæ
Vibrabunt sine fine prurientes
Lascivos docili tremore lumbos.
Sed, quod non grave sit, nec infacetum,
Parvi tibia conduli sonabit.
Hæc est cœnula.

Condulus junctura sive nodus articulorum in digitis. Per tibiam itaque parvi conduli, exiguam tibiam Martialis intelligit. In sacra Scriptura ab eodem ritu legimus *Marci* cap. VI. *Herodes in natali suo cœnam fecit principibus & tribunis & primis Galilææ. Cumque introisset filia ipsius Herodiadis, & saltasset; & placuisset Herodi, simulque recumbentibus.* Apud Græcos autem saltare & psallere appendices convivii Homerus facit. Nostri mores nonne ex parte eo redierunt? In plerisque Europæ partibus (o vilem & curiosam voluptatem!) in ædem nobilium, maxime hospitia publica, mimi quidam, seu circulatores utriusque sexus introducuntur, qui flexibus tortuosis, & enerva exossaque saltatione ad numeros modulosque examussim composita prandentes & cænantes oblectant. Nos ipsi saltationem, sed honestiorem quandam colimus, & cum arte tractamus: nec convivia aut epulas ullas celebriores instituimus sine illa. Post dapes, atque inter dapes quisque se componit & accingit ad terripavium, seu terripudium, seu tripudium malis. Interim ad fidicinem aliquis, Age, trahe ad symphoniam chordas;

Lepidam & suavem cantionem aliquam occipito,

ut Plautus *Sticho.* Simulque de turba mulierum aliquam, quam lubentius videt, renuentem verecunde quidem, sed non invitam prensat. Sequitur alius, & alius, & alius; paresque sibi jungunt & in numeros ducunt jam incœptos. Animadvertas compositum variumque quendam tot corporum motum, ceu concordiam & harmoniam quandam mutam: gratam quidem modestamque, nisi si quid muliebris levitas, & liberior lasciviorque syrmate tecta gesticulatio; tum adolescentum ab illo igni concitatus æstus, & adfectata fluctuantium pedum crispitudo pruriendo exorbitet. Dupliciter itaque hic peccatur: sæpe libidine, semper imprudentia. Libidine, dum lubrice & impudice corpus torquetur, aut solius mulieris caussa saltatur. Sic apud Plautum ibidem (ne antiquos insontes hic censeamus) nequissimi servi.

SA. *Ita me Di ament, nunquam enim fiet hodie, hæc quin saltet tamen.*
Age mulsa mea, suavitudo salta, saltabo ego simul.
ST. *Nunquam edepol me istoc vinces, quin ego ibidem pruriam.*

Saltatio profecto perinde est, ut usurpes; si in malum finem, mala est: si corporis aut animi caussa, bona est, & suo tempore instituenda. Sed hic imprudentia peccatur. Nam post dapes, atque inter dapes, uti dixi, quisque se componit & accingit ad saltandum, tucetis farctus, vino gravatus. Scilicet, ut quod olim objectabatur, conveniat: *Nemo sobrius saltat.* Quid agis? stomachum sobrium, te ipsum a saltatione petitum is, distentus, & adhuc intentus cibo? Possis una opera

—— piscari in aere,
Venari autem retejaculo in medio mari.

Nescis tu aulam ad focum appositam fervere non posse, nec edulium concoqui, si crebro & intempestive moveatur? Idipsum de te cense, caussamque mali morbi metue ab hoc motu. Ego suadeam, aut in aliud tempus saltationem rejici, aut certe Musica quadam perstrepentis chori paullulum differri. Cimiloctus sententiam hanc prosequens, Prudentissime id sane suades, inquit; & persuades etiam; si quidem chorus ille tui similis adsit peritissimorum artis. Nam sicuti non omne vinum promiscue, sed forte & generosum inebriat: sic nec quævis Musica, sed quæ concordia sua vincta, lepido carmine articulata, suavibus sonis edita, recreat. Hæc talis sobriis, atque adeo non sobriis, audienda: quæ (notum vulgo) animi motus quomodo sedaverit, corporis morbos quomodo cu-

raverit nostro & veteri illo ævo. Sed ut paullulum me diffundam, sicuti nihil tam honestum sanctumque, quod osores suos non habeat: sic neque Musica immunis. Plerique sunt, qui si Harmoniam aliquam audiunt, continuo, vel aurem immisso digito obstruant, vel contra cum indignatione murmurent atque sibilent, ne concordiam, qua ipsi prorsus carent, cum dolore percipiant. Hosce ego homines (si vere libereque eloquendum) sine humanitate merito censeam, virtutum steriles, vitiis omnibus coopertos. Quid enim? in naturam ipsi suam peccant. Nonne ad Musicam nati sumus; nonne per Musicam concepti & nati? Nonne homo ipse totus (ut cum Appulejo loquar) modulatus & musicus? Inspice & considera utramvis tui partem. Corpus quid aliud nisi membrorum & organorum quædam harmonia? quam si Natura in formatione & ortu neglexerit, vel vis postidea fortuita procurataque violaverit, deformis aut informis es, monstrum es. Ipse rector noster Animus incomptus & incompositus, nisi potentias suas in ordinem cogat & concentum inculpatæ vitæ. Jam vero quomodo per Musicam quoque nati, ex Apulejo doceo lib. *De Philosophia*: *Hæc ipsorum connubiorum quæritur temp stiva conjunctio: cujus futuram stabilem fidem credit, si cum harmonia Musicæ dierum consonent numeri: & qui de talibus nuptiis erunt orti studiis congruentibus imbuentur.* Doceo, inquam; si rescribere forte ausim: *cujus futurum stabilem fœtum credit*; nec ad connubii perpetuitatem, sed ad partum sententiam referam. *Stabilem fœtum* voco vivacem & duraturum, *si videlicet cum harmonia Musicæ dierum consonent numeri*: id est, si cum Diastematibus seu intervallis musicis dierum intervalla consentiant, quibus ex semine sanguis; ex sanguine caro; ex carne totum corpus humanum formatur: ita ut istic sonorum distantiæ concordiam quandam misceant; hic, temporis aut dierum. Censorinus id confirmat, ita scribens l. *de Die Nat.* cap. XI. *Pythagoras autem* (aliorum Philosophorum de his ipsis dierum intervallis sententias recensuerat) *quod erat credibilius, dixit partus esse genera duo, alterum septem mensium, alterum decem: sed priorem aliis dierum numeris conformari, aliis posteriorem. Eos vero numeros, qui in unoquoque partu aliquid adferunt mutationis, dum autem semen in sanguinem, aut sanguis in carnem, aut caro in hominis figuram convertitur, inter se collatos, rationem habere eam, quam voces habent, quæ in Musica Symphonæ vocantur.* Diserte ecce ad partum refert: quod etiam latius diducit & explicat. Ego breviter rem totam ita illustrem, face hac, quam accensum eo ab illo igni. *Harmoniæ Musicæ*) de primis & simplicibus ago) tres: Diatessaron, Diapente, Diapason. Diatessaron, illa est (uti Censorinus ipse definit) *quæ duorum tonorum & semitonii habet Diastema*. Diapente, *quæ trium & semitonii*. Diapason, *cujus Diastema continet harmonias duas priores*. At *Petrus*, ex Pythagoræ sententia, duplex Vel enim editur CCX. die post conceptionem: vel CCLXXIV. Dies prioris ita cum Musica conveniunt: Sex diebus primis humor lacteus est: deinde proximis octo sanguineus: qui octo ad primos sex computati Diatessaron faciunt, primam symphoniam. Nam Pythagoras, chordas ponderibus tendendo deprehendit (utar Censorini verbis (*tunc duas chordas concinere id, quod est Διὰ τεσσάρων, cum earum pondera inter se collata rationem haberent, quam tria ad quatuor: quem, Phthongum Arithmetici, Græci* Ἐπίτριτον *vocant, Latini Supertertium*. Sic in editione Aldina est: alias, *quam, Phthongum Arithmetici, Græci*, &c. Sed utrobique confunditur vera lectio Qui enim consonantiam Diatessaron Arithmetici Phthongum appellant, aliter Græci deinde & Latini; cum illi ipsi Arithmetici Græci vel Latini fuerint; vocabulumque Phthongi origine Græcum, usu Latinum hic usurparint? Distinguam itaque, & interpunctione nova restituam veterem sensum: *quem Phthongum* (Diatessaron) *Arithmetici Græci* Ἐπίτριτον *vocant, Latini Supertertium*. Ad rem. Plane constat octo cum sex collata Diatessaron constituere: quippe cum octonarius senarium, sicut quaternarius ternarium (qui sunt numeri Diatessaron) semel contineat & tertiam ejus partem. Arithmetici clarissime Reductione sua idipsum demonstrant.

$\frac{8}{6}$ *Reductione facta*, $\frac{4}{3}$

Ulterius, Diebus novem sequentibus humor esse definit; Fitque caro: atque hi dies cum iisdem illis sex primi positi, secundam symphoniam constituunt. Nam sicuti tria & duo (qui numeri faciunt Diapente:) ita novem & sex sesquialtera proportione distant. Boetius *de Musica*, cap. XXIV. *Proprie Diapente in sesquialtera, & Diatessaron in sesquitertia proportione consistit*. Error in Censorino lib. *de Die Nat* cap. XI. de Musica: *At eam symphoniam, quæ Diapente dicitur (ubi invenitur ponderum discrimen in* sesquitertia *proportione, quam duo faciunt ad tria collata)* ἡμιόλιον *appellant*. Emendandum, *sesquialtera*. Quid præterea in hoc loco Censorini emendarim, librum inspice, & cognosce. Patet autem reducendo.

$\frac{9}{6}$ *Reductione facta*, $\frac{3}{2}$

Denique duodecim succedentibus diebus corpus universum formatur: qui duodecim cum sex item primis collati, reddunt Diapason, proportione scilicet dupla.

$\frac{12}{6}$ *Reductione facta*, $\frac{2}{1}$

Omnes vero hi dies simul juncti triginta quinque conficiunt.

6. humor lacteus.
8. sanguineus.
9. caro.
12. formatio corporis universi.

35

Maturescit reliquo tempore partus ad diem usque CCX. quo editur. Nam si senarius ille primus, qui non gignendi solum, sed etiam maturescendi fundamentum est, cum triginta quinque multiplicetur, decem & ducenta inveniam.

$$35 \times 6 = 210$$

Alter partus majori numero continetur, ita ut post septem primos dies prima mutatio contingat; atque (compendio dicam) proportione deincipiti, triginta fere diebus infans tandem membretur. Unde in Græcia dies iste quadragesimus notatus, ante quem prægnans in fanum non prodibat. *Hi itaque* XL. *dies* (Censorinus sic scribit) *per septem initiales multiplicati, fiunt dies* CCXXC. *id est, hebdomades* XL.

$$40 \times 7 = 280$$

280 (40
77

Sed quoniam ultimæ illius bebdomadis primo die editur partus, ſex dies decedunt, & CCLXXIV. obſervantur. De utroque partu intelligendus fortaſſis Appulejus: reprehendendus tamen in eo, quod Platoni hanc doctrinam tribuit, quam inter antiquos Pythagoras primus promulgavit. Immo reprehendendus tu forte Cimilocte, ſubjecit Septalius, qui a ſententia ſua Appulejum aliovorſum temere corrigendo trahis. De ſtabilitate connubiorum haut dubie hæc verba ſcripſit. Nam quod ait: *cujus futuram ſtabilem fidem credit, ſi cum barmonia Muſicæ dierum conſonent numeri*, id explicem non emendem: acute tu quidem emendaſti, vere ego, ni fallor, explicabo; & dicam: *ſi cum barmonia Muſicæ dierum conſonent numeri*: id eſt, ſi anni contrahentium matrimonium cum intervallis illis Muſicis, de queis egiſti, reſpondeant. Ariſtoteles ſane huc reſpexit l. VII. *Polit.* dum ſcribit: *Puellas quidem circa ætatem decem & octo annorum nuptui tradere congruit; maſculos autem circiter ætatem annorum ſex & triginta. In hac enim tempore, & vigentibus corporibus conjungentur, ac procedente tempore ſimul deſinent procreare poſſe.* Videlicet quia proportio dupla inter hoſce annos, quæ inter omnes omnium conſenſu perfectiſſima ſemper habita. Ante Ariſtotelem vero Plato l. XI. *Legum*, a quo Appulejus hæc ipſa deſumpſit, legitimum nuptiarum tempus in viris ab anno XXX. ad XXXVI. in puellis a XVI. ad XX. exiſtimavit: nec confuſe tamen, & promiſcue inter hoſce terminos; ſed ut præfiniti contrahentium nuptias anni proportione aliqua Muſica conveniant atque conſonent. Itaque ſi vir uxorem ducere velit, annos ſuos & ſponſæ numeret: item ſi nubere puella velit, annos ſuos & ſponſi numeret: ut primum ætas legitima & præſcripta ſit; deinde ne anni male concordes. Alias, aut uxor non pariat, aut brevis vitæ, aut

—— inſignitos pueros pariat poſtea,
Aut varum, aut valgum, aut compernem, aut petum, aut broncum filium.

ut inquit Plautus *Milite*, Act. III. Sc. I. Et, quod oriri hinc ſolet, ipſum connubium, ſi non divortio dirimatur, certe diſſenſione litigiiſque turbetur: & nova Viriplaca opus ſit ad componendum. De qua Dea Valerius Maximus l. II. c. I. *Quoties vero inter virum & uxorem aliquid jurgii interceſſerat, in Sacellum Deæ Viriplacæ, quod eſt in Palatio, veniebant: & ibi invicem locuti, quæ voluerant, contentione animorum depoſita, concordes revertebantur.* Quæ omnia ut evitentur & ſecundum Philoſophi ſententiam, Appuleji verba, *tempeſtiva conjunctio* ſit, viris hanc tabellam facio, ut ſecundum eam de annis puellæ judicent. Et ſimul pugillares in manus ſumens, numeros annorum ad Harmoniam redegit.

HÆC VIRIS.

ANNI VIRORUM.	DIATESS. A.	DIATESS. M.	DIAPAN A.	DIAPAN M.	DIAPAS. A.	DIAPAS. M.
	Anni & menſes mulierum reſpondentes.					
30	22	6	20		15	
31	23	3	20	8	15	6
32	24		21	4	16	
33	24	9	22		16	6
34	25	6	22		17	
35	26	3	23	4	17	6
36	29	3	24		18	

MULIERIBUS ISTA TABELLA ESTO.

ANNI MULIERUM.	DIATESS. A.	DIATESS. M.	DIAPEN. A.	DIAPEN. M.	DIAPAS. A.	DIAPAS. M.
	Anni & menſes virorum reſpondentes.					
16	21	4	24		32	
17	22	8	25	6	34	
18	24		27		36	
19	25	4	28	6	38	
20	26	8	30		40	

Sic itaque *cum harmonia Muſicæ dierum conſonabunt numeri: & qui de talibus nuptiis erunt orti, ſtudiis congruentibus imbuentur, & optimis diſciplinis communi præceptorum magiſterio docebuntur, non virile tantummodo, verum etiam fœminarum, quas vult Plato omnibus partibus, quæ propriæ virorum putantur conjungendas eſſe; bellicis etiam: quippe, cum utriuſque natura una ſit, eamdem eſſe virtutem.* Ut citavi hæc antea ex Appulejo. In laudem iſta Plato muliebris ſexus: in favorem ejuſdem lubens etiam addo; & labeculam eluo, quæ periodi hujus faciem aliquantum hactenus deformat. Legitur: *non virile tantummodo, verum etiam fœminarum.* Emendo, *non virili tantummodo* auferendi caſu, ſcilicet magiſterio, quo docebuntur, qui de talibus nuptiis erunt orti. Huc enim referendam ſententiam, verba illa indicant: *communi præceptorum magiſterio;* ut non tantum uterque ille ſexus optimas diſciplinas doceatur: verum etiam, ex hoc loco, doceat. Non diſplicuit emendatio. Sed ego etiam urgens, Quæſo, inquio, quoniam operam hanc aggreſſus es, illuſtra quæ in eodem Appuleji loco caliginem mihi objiciunt, & involvunt ſenſum. Quænam illa? ait Septalius. *Quæ proprie virorum putantur,* iniquo. Nonne bellica iſta ſunt; at hæc ipſa mox disjunguntur, aut potius adjunguntur. Sic enim Appulejum citaſti: *Quas vult Plato omnibus partibus, quæ propriæ virorum putantur, conjungendas eſſe; bellicis etiam.* Quæ igitur iſta Virorum propria? Varia, inquit Septalius, ſicuti negotia aut exercitia quoque pacis: propria tamen; ſed ita, ut bellica magis: & ad hæc rarius mulieres admotæ ſint, quam ad iſta. Vario dico, inter quæ Gymnaſtica imprimis Plato l. V. *de Rep.* intellexit, qui ad felicem Reipub. ſtatum facere cenſuit; immo graviter arguit, ſi mulieres tam juvenes quam ſeniores una cum viris nudæ in Palæſtris, atque Gymnaſiis exercerentur. Lubricum hoc quidem, quicquid Plato intenderit, præter rationem & decorem: apud Spartanos tamen olim miro exemplo uſurpatum. Propertius meminit l. III.

Multa tuæ Sparte admiramur jura Palæſtræ,
Sed mage virginei tot bona Gymnaſii,
Quod non infames exercet corpore ludos,
Inter luctantes nuda puella viros,
Cum pila veloces fallit per brachia jactus,
Increpat & verſi clavis adunca trochi,
Pulverulentaque ad extremas ſtat fœmina metas,
Et patitur duro vulnera pancratico,
Nunc ligat ad ceſtum gaudentia brachia loris,
Miſſile nunc diſci pondus in orbe rotat.

Lycurgus etiam, uti apud Plutarchum lego, corpora virginum curſibus, luctationibus, jactibus diſcorum & iaculorum exerceri voluit, ut, quemadmodum in acri terra germen facilius a radice editur: ſic in iſtis cum minori cruciatu partus, dum laboribus

adsuescunt, **induuntque** corpori robur. Sed hæc aliena a moribus sanctissimis Romanorum, apud quos diversa & discreta virorum fæminarumque studia sive munia. Illi rei bellicæ dabant operam & litterariæ; hæ domesticæ: Illi in Gymnasio, hæ domi: lanam exercebant, telam texebant, vestem conficiebant, idque sive ad testificandum diligentiam suam, sive ad exemplum, in ipso atrio domus. Sic me ex Arnobio ornamentum Antiquitatis LIPSIUS docuit: *Matres familiæ vestræ in atriis operantur domorum, industrias testificantes suas.* In atrio itaque: id est, in primore parte ædium. Sic Vitruvius ait: *In urbe atria proxima januis esse debent.* Nam janua proprie primus ædium aditus est, a Jano Bifronte dicta, cui omne principium Antiquitas consecravit. Intra januam ostia cætera, seu valvas habeant sive fores: ante, vestibulum: cujus vocabuli originem Agellius quærit lib XVI. cap. V. Ego a Vesta lubens derivem, Ovidio in *Fastis* ita suggerente:

Hinc quoque vestibulum dici reor, unde precamur,
Quam famur Vestam quæ loca prima tenet.

Sed ne incautus Sermonem hunc lente ducentem & abducentem sequar, subsisto & conquiesco. Saccus interim tabulam annorum Nuptialium acceperat, & numeros persecutus, vereor, inquit, ut isti tui anni locum publice inveniant; immo ut computentur apud probos doctosque. Agnoscis Venerem hujus ævi? hujus Cypri? Nullæ eam leges contineant, nulla vis honesti, nulla ratio ætatis: quin, ruptis sanctissimi Pudoris repagulis, ipsi pueri consurgunt ad Pigiaca sacra: & ad Nuptias properant pæne capillati. Ego interrumpens, Mirum, inquam, quin calvi aut cano capite senes properare debeant; si non debeant capillati. Iterum Saccus: Capillatos Latine impuberes vocavi, sive eos qui ad generationem inepti. Nam pueri olim non radebantur, sed comam alebant signum impubertatis. Id testimoniis paucis, sed probis confirmo. Persii Satyr. III.

—— *quibus indetonsa juventus*
Invigilat siliquis, & grandi pasta polenta.

Ecce indetonsam vocat juventutem, haut dubie impuberes. Petronii: *Videmus senem calvum tunica vestitum russea inter pueros capillatos ludentem pila.* Ejusdem: *Aquam poposcit ad manus, digitosque paullulum aspersos in capite pueri tersit.* Martialis lib. III. epigr. LVIII.

Et pædagogo non jubente, lascivi
Parere gaudent villico capillati.

Ejusdem Poetæ lib. VI. epigr. LII.

Hoc jacet in tumulo raptus puerilibus annis
Pantagathus, domini cura, dolorque sui,
Vix tangente vagos ferro resecare capillos
Doctus, & hirsutas excoluisse genas.

Ubi malim *tondente ferro*, quam *tangente*: multo hercule aptius & significantius. Dicit autem, *hirsutas excoluisse genas*; ut appareat non cum capite simul mox Romanos rasisse genas; sed aluisse lanuginem sive barbam post capillitium jam detonsum: ut non vestium tantum, sed etiam habitu corporis ætas distingueretur; alerentque impuberes comam; puberes, illa dempta, barbam: idque interdum ad quadragesimum usque annum, interdum citra. In Agellio id videre clarissime licet lib. III. cap. IV. cujus ipsissima verba & hoc ipso die in memoriæ meæ horreum recondita promam, ad lucem hujus, alteriusque ritus. *In libris* (ait) *quos de vita P. Scipionis Africani compositos legimus, scriptum esse animadvertimus P. Scipioni Pauli filio, postquam de Pœnis triumphaverat, Censorque fuerat, eidem diem dictum esse ad populum a Clau. Asellio Trib. Pleb. cui equum in censura ade-* A *merat. Eumque cum esset reus, neque barbam desisse radi; neque candida veste uti; neque fuisse cultu solito reorum. Sed cum in eo tempore Scipionem minorem* XL. *annorum fuisse constaret, quod de barba rasa ita scriptum esset, mirabamur. Comperimus autem cæteros quoque in iisdem temporibus nobiles viros, barbam in ejusmodi ætate rasitavisse. Idcirco plerasque imagines veterum, non admodum senum, sed in medio ætatis, ita factas videmus.*

Capillatos itaque recte impuberes dixi, aut proximos pubertati, quibus tu Septali, Nuptiarum istos terminos arctos & in mediam ætatem rejectos frustra præscribas. Ita dico, frustra; cum ad con- B nubium viam brevissimam habeant, tritam, allicientem, & Legibus, atque ipsis etiam *Juris Institutionibus* probatam lib. II. & III. Sed ne longum recitem Leges, in illo Legum tyrocinio legas *D. de Nuptiis*: *Justas autem nuptias inter se cives Romani contrahunt, qui secundum præcepta legum coeunt: masculi quidem puberes, fæminæ autem viripotentes.* Pubertas autem hodie ex annorum spatio: olim ex habitu quoque corporis definiebatur. Anni in masculis a XIV. in fœminis a XII. numerantur: citius in fæminis scilicet, quod in iisdem calor naturalis, qui generationis caussa est, prius C complementum suum habeat, sive effectum: cujus rationem Macrobius inquirens, primo calori muliebri tribuit, lib. VII. cap. VII. *Nec hoc tacebo, quod cum calor semper generationis caussa sit, fæminæ ideo celerius quam pueri fiunt idoneæ ad generandum, quia calent amplius. Nam & secundum jura publica duodecimus annus in fæmina, & quartusdecimus in puero definivit pubertatis ætatem.* Deinde frigiditati earumdem: *Quod cito admoventur* (fæminæ) *generationi, non nimii caloris, sed naturæ infirmioris est: ut exilia poma celerius maturescunt, robusta serius. Sed si vis intelligere in generatione veram rationem caloris: consi-* D *dera viros longe diutius perseverare in generando, quam mulieres in pariendo. Et hæc tibi sit indubitata probatio in utroque sexu vel frigoris vel caloris. Nam vis eadem in frigidiore corpore celerius extinguitur, in calidiore diutius perseverat.* Sed ex habitu quoque corporis definitam olim pubertatem Tribonianus clare *Instit. T. Quibus mod. tut. finitur*: *Pubertatem autem Veteres quidem non solum ex annis, sed etiam ex habitu corporis in masculis æstimari volebant.* Sed cur in masculis? num igitur fæminæ ex habitu corporis non dignoscebantur? imperitiam Triboniani video si ita senserit; immo errorem manifestum, ni sic senserit. E Nam ut distinguat, & habitum corporis in fæminis ad honestam aliquam indagationem, in masculis ad inspectionem nudam & obscœnam habitudinis corporis (sicuti refert *Inst. eod.*) referat, merum figmentum est, contra mores & locutionem priscam. Contra mores, Romanos dico (de Græcis enim ambigo) quos sanctiores fuisse ego scio, quam ut hanc turpitudinem palam exercuerint. Ad oculos castos provoco: quid inspectione ista fædius; quid inverecundius? puer detectus, aut potius exutus inspicitur, judex inspicit, eamque corporis partem, quam natura ipsa tegendam suggerit & velandam. Judex inspicit; sed quid F si lippus, aut oculis æger cernere nequeat? manum demittit in sinum, & pertractans vasculum puerile, judicat de Pubertate? O fœdum figmentum! haut curia, sed fornice: haud judice, sed lenone dignum. Originem ejus, suggerente Rævardo, video. Platonem Tribonianus audierat convenientem ætatem ad nuptias per judicem nudos omnino mares, nudasque pubetenus fæminas inspicientem definire. Hinc cum in JCtorum libris habitum corporis legeret, continuo ad inspe-

ctionem illam Platonis referebat, contra modum etiam loquendi Romanum, qui habitum corporis formam & universi corporis quandam dispositionem vocant. Sueton. in *Julio* c.XLIV. *Talia agentem atque meditantem mors prævenit: de qua priusquam dicam, ea quæ ad formam, & habitum, & cultum, & mores, nec minus quæ ad civilia & bellica ejus studia pertineant, non alienum erit summatim exponere.* Cicero *pro Cœlio*: *Quinctus Metellus, cum floreret integerrima ætate, optimo habitu, maximis viribus, ereptus est civitati.* Petronius: *Consedit puer super lectum & manantes lacrymas pollice expressit. Perturbatus ego habitu fratris, quid accidisset quæsivi.* Appulejus lib I. *de Asino*: *Tu autem*, inquit, *vir, ut habitus & habitudo demonstrant, ornat accedis huic fabulæ.* Paullo aliter Agrætius in *Frag. Habitum de vestitu gestuque corporis dicimus.* Clarissime Servius *ad illa Vergilii lib.* VIII. *Æneid.*

Sola domum & tantas servabat filia sedes,
Jam matura viro, jam plenis nubilis annis.

Non est, inquit, *iteratio, sed secundum jus locutus est, in quo & ex annorum ratione, & ex habitu corporis ætas probatur.* Ecce habitum corporis ad fæminam refert, quæ tamen ipsa a judice (uti mox stabiliam) non conspiciebatur nuda. Etiam ultra arguo? Habitus corporis, ex quo ait Servius utriusque sexus pubertatem definiri (γενικῶς enim loquitur) inhonestam illam inspectionem significat; vel non significat. Si non, convici: si significat, in fæminis quoque admittenda isthæc inhonestas: quod ipse Tribonianus, Imperatoris sui nomine basilice scribens, expressissime negat *Instit. T. Quib. mod. tut. finitur. Nostra autem Majestas dignum esse castitate nostrorum temporum existimans, bene putavit, quod in fæminis etiam antiquis impudicum esse visum est, id est, inspectionem habitudinis corporis, hoc etiam in masculos extendere.* Sane impudicum visum est; nec in fæminis tantum, sed etiam in viris: ut frustra & sine ulla omnino caussa extendatur: cum in utrisque antiquitus non ex annis tantum, sed ex habitu corporis pubertas censebatur, simili, sed honesto quodam ritu; quem respexisse Galenus mihi visus, qui, dum impuberi negat incidendam venam, cognosci pubertatem asserit ex dispositione corporis, duritie carnis, colore, lanugine, voce, similibusque aliquibus propriis, atque communibus signis. Conticuit Saccus, & subjiciens Septalium, Quod tu de tabulis meis, id ego de hoc tuo sermone: probum quidem esse, sed non probandum vulgo; immo nec ipsis Professoribus forte Juris, quibus profanus impiusque, quisquis Institutiones illas sacras manu tangat. Tu videris. Ego, ad meos annos quod attinet, non vereor eos vel publice & in ipsis, ut sic dicam, Rostris asserere momentum maximum ad connubiorum stabilitatem: cautionem tamen addam, ut in priori tabula illi mulierum anni sumantur solummodo, qui nec ultra vigesimum sunt, nec infra decimum sextum: in posteriori, illi similiter virorum respondentes tantum, qui nec infra trigesimum, nec ultra trigesimum sextum. Nam licet omnes harmoniam suam faciant; sunt extra terminos tamen a Platone præscriptos. Quare harmonia Diatessaron nullo modo, Diapente locum vix habet: Diapason non omnino quoque recipitur. Et sane si rationem consonantiarum excusseris, aut temere idipsum improbes aut damnes. Ternæ illæ quidem harmoniæ proportione sua constant; dulcedine tamen inæquali. Perfecta enim Diatessaron; perfectior Diapente; perfectissima sane Diapason comprobatur. Sed satis jam hæc interpo suisse: & præter fructum reliqui sermonis, Lucio veterem orationis suæ formam reddidisse: non ad partum tantum, sed ad nuptias etiam spectare Musicam ostendisse: cujus (ne sermonem sæpius reciprocemus) plenum elogium, præter Platonem, Aristotelem, Plutarchum, Boetium, aliosque; & quantam cum homine conjunctionem habeat, vere graviterque Censorinus perscripsit *De Die Nat.* c. XII. & simul poscens librum, ista legit. *Nec vero incredibile est ad nostros natales Musicam pertinere. hæc enim, sive in voce tantummodo est, ut Socrates ait; sive ut Aristoxenus in voce & corporis motu; sive in his, & præterea in animi motu, certe multum obtinet divinitatis, & animis permovendis plurimum valet. Nam nisi grata esset immortalibus Diis, qui constant ex anima divina, profecto ludi scenici placandorum Deorum caussa instituti non essent: nec tibicen omnibus supplicationibus in sacris ædibus adhiberetur, non cum tibicine triumphus ageretur Marti: non Apollini cithara: non Musis tibiæ, cæteraque id genus essent attributa: non tibicinibus, per quos numina placantur, esset permissum, ut* (legendum ex veteri libro, & ex ipsa syntaxi, *aut*) *ludos publice facere, aut vesci in Capitolio, aut Quinquatribus Minusculis, id est, Idibus Juniis, urbem vestitu quo vellent personatis, temulentisque pervagari.* Intermissa hic lectione Septalius nos respexit; librumque convolvens, nisi quod indice aperturam modicam sustinebat, Licetne interfari? inquit. Nobis annuentibus, Pro *Quinquatribus Minusculis*, quid si *Munusculis* dicam? a muneribus scilicet mittendis: quod factitatum hoc die a Matronis Romanis scimus, Plauto clarissime indicante *Mil. Glor.* Act. III. Sc. II.

Dicat (uxor,) *da mi vir Kallendis meam quod matrem juverit;*
Da qui faciat condiatque, da quod dem Quinquatribus
Præcatrici, Conjectrici, Ariolæ atque Haruspicæ:
Flagitium est si nihil mittetur.

Immo flagitium, non sine risu subjecit Saccus, siquid hic mutatur. *Minusculis* sane in Censorino retinendum, & stabiliendum. Duplices olim Quinquatrus (sive Quinquatria dicas) fuere: Majores & Minusculæ. Utræque post diem v. Eid. unde & vocabuli error sive origo. Istæ Martio: hæ Junio mense celebrabantur. De istis Plautus: de hisce vero Censorinus accipiendus hoc loco. Ex Varrone id confirmo, & fragmento Festi. Varro ait lib.v. *de L. L. Quinquatrus Minusculæ dictæ Juniæ Eidus ab similitudine Majorum, quod tibicines tum feriati per urbem vagantur, & conveniunt in ædem Minervæ.* Festus: *Minusculæ Quinquatrus appellantur Eidus Jun. quod is dies festus est tibicinum, qui colunt Minervam, cujus Deæ proprius festus dies est. Quintrus* (simpliciter de Majoribus dicebantur, atque ita in dicto jam loco usurpavit Plautus) *mense Martio.* Postquam laudatione insecuti sermonem hunc Sacci fuimus, denuo librum explicans reliquum cœpit legere. *Hominum quoque mentes, & ipsæ* (*quamvis Epicuro reclamante*) *divinæ suam naturam per cantus agnoscunt.* Mihi placeat, siquidem oculis aut judicio utor: *Hominum quoque mentes ipsæ divinam suam naturam per cantus agnoscunt.* De hominibus enim sermo, & in iis persistit: *Denique, quo facilius sufferant laborem, vel in navis metu a vectore Symphonia adhibetur: legionibus quoque in acie dimicantibus etiam metus mortis classico depellitur. Quamobrem Pytagoras, ut animum sua semper divinitate imbueret, priusquam se somno daret, & cum esset experrectus, cithara, ut ferunt, cantare consueverat: & Asclepiades Medicus Freneticorum mentes morbo turbatas sæpe per Symphoniam suæ naturæ reddidit. Erophilus autem artis ejusdem professor venarum pulsus rythmis musicis ait moveri. Itaque si in animi & corporis motu est Harmonia, proculdubio a natalibus nostris Musicas non est aliena.* Desierat, cum ego, cupidus semper cognoscendi rerum caussas, ita sciscitabar: Si tanta Musicæ vis & necessitas,

tantaque nobiscum conjunctio & affinitas, cur non dicam quidam de sanæ mentis statu turbati oderunt penitus artem; sed plerique despiciunt & contemnunt ejus usum, ac recreari ipsi malunt, quam recreare. Rationem tam facile tibi pandam, ait Saccus, quam pyrum volpes comest. Difficultas, seu tarditas quædam rei musicæ obstat, remoramque plurimis facit; sicuti apud Agellium Varro universalius etiam censet, lib. XVI. cap. XVIII. *Sed hæc, inquit M. Varro* (ὀπτικὴν & κανονικὴν intelligit) *aut omnino non discimus, aut prius desistimus, quam intelligimus cur discenda sint. Voluptas autem, inquit, talium disciplinarum in post principiis existit, cum perfectæ absolutæque sunt: in principiis vero ipsis ineptæ & insuaves videntur.* Ego etiam, nequid alienum culpem, in eadem quandoque culpa: quam ex parte emendavi provectior; & priusquam ad intima Artis penetrarem, Harmonicæ, sed & Organicæ studium aggressus tractando excolui, Socratis ipsius exemplo, quem (Valerius Maximus ita scribit lib. VIII cap. VII.) *etiam constat ætate provectum fidibus tractandis operam dare cœpisse: satius judicantem, ejus artis usum sero, quam nunquam percipere.* Omnino satius. Uti potiones quædam ad medicinam paratæ, sed ad haustum amaræ & ineptæ nisi temperentur: ita severiores illæ scientiæ ad mores animumque componendum sine admixtione, & immixtione Musicæ harmoniæ, nec aliena sed opera propria vocis aut instrumenti expressæ. Difficultas tamen obstat, ut, quod cum fructu tractemus, molestia nolimus adipisci. Impedimentum sane ridendum: quasi sine molestia quicquam habeatur. *Apes ideo pungunt, quia ubicunque dulce est, ibi & acidum invenies.* Invenies, sed in ipso statim limine & primordio: deinde, fugiet paullatim & evanescet: & de tenebris ibis in mediam & clarissimam lucem. Sed nonne idipsum in Dialectica, Astronomia, Sapientiæ consultissima via? Ad summam; in reliquis omnibus artibus & disciplinis? Si bene calculum ponas ubique Musica est.

Qui e nuce nucleum esse volt frangit nucem,

ait Plautus in *Curcul.* qui scientiæ expectat fructum, experiatur patientiam laboris. Sed quid si tollam hunc scrupum? & a Musica laborem omnem longe removeam? Plane id confido, nova quadam ratione & via. Inter sacros Musarum Mystas hoc HARMONICÆ tyrocinio te referam, si profiteri nomen audeas, unius diei (longum est?) unius horulæ instructione. Sed si profiteri nomen audeas. Quid refugis? Ita hodie obtinuit, ut in limine aut vestibulo Artis quisque nomen, annulumque capiat; & qui Harmonice legit, is habeatur Musicus. Annulum dico capiat, antiquorum more, apud quos Musicorum insigne gemma seu annulus Gemmæ Plinius abunde meminit lib. XVII. cap II. Annuli Suetonius, de Symphoniacis Neronis loquens in *eod. insignes*, inquit, *pinguissima coma, & excellentissimo cultu pueri, nec sine annulo lævis.* quasi dicat ad imitationem aliorum Musicorum & Citharœdorum lævas annulis habuisse exornatas. Quam lectionem Vir doctus in commentariis suis emendare ex V.C. maluit: *excellentissimo cultu pueri, ac sine annulo lævis.* Inepte sane; cum enim honori aut ornamento annuli, qui, sicuti a cultu, ita a carentia annulorum pueri illi laudentur? Ego, si sequenda vetus lectio, leviter mutem: *at sine annulo lævis*, pro *ac sine*, discriminis alicujus caussa, qua a reliquo Musicorum grege secernebantur. Sed vulgata mihi lectio placeat; ut Symphoniacis hisce, & velut tyronibus jus etiam annulorum fuerit, insigne suæ artis. Et tibi, Puteane, faxo nunc idem fit: Si modo ipse voles: nam incitatum volo, & ad Artem properantem suo quasi Marte: invitum aut torpidum longe hinc arceam. Vere ille, quicunque dixit, AMOR DOCET MUSICAM. Ego speciosa hac pollicitatione pellectus, Mi Domine, inquam, fateri cogor: amare atque ardere Musicam cœpi, ita succendit & inflammavit me iste sermo. Polypus, qoicquid tetigerit, tenet: tu, quicquid dixeris, persuades. Sed ne hic quæso subsistas; sed ad rem veni, & instrue: viam aperi qua scientiam hanc persequar, modum compendiumque quo adsequar. Tum Saccus, Itane serio? inquit: at vereor ut subitaneus nimis hic ignis duret, ne post flammam mox deflagret. Radii Solis præmaturi, & ante Solem orti, diu sæpe languent ab interjecta nube: ita impetus & conatus isti calidi frigescunt post intempestivum semper fervorem. Ut suberea tabella in aquam immissa aut protrusa, tamen supernatat: ita ingenium multorum, redit & recolligit sese post primam motionem aut monitionem. Tu modo te sustine & coge per hanc noctem, cras desiderium tuum in hortis, si ita vis, explebo, cum Musis faventibus, & matutina illa Diva. Nunc hoc agamus, & cœnemus; ne hora fugiat nobis incœnatis. Ego subjiciens, An nescis veterem in judiciis morem? siquid præter caussam dicendum, aut legendum, clepsydram sistebant, ne laberetur aqua (Appulejus meminit *Apol.* I. *At tu interea dum legit aquam sustine*:) tu similiter horologii tui pondus per hosce logos. Sacco pertinacius recusante, & in crastinum pensum illud rejiciente, Crastinus, inquio, incertus est: quid enim si illum non habeamus? nonne gravior ob ignorantiam tanti secreti mors futura? Quid si habeamus, sed subito hinc aliquo abeundum mihi? nonne tristior abitus ob ignorantiam tanti secreti? nec itineris meta mihi hæc urbs, sed spatium est: haut in portu hic consisto, sed in medio mari;

Utcunque in alto ventus est, exin velum vortitur.

ut ait Plaut. *Epid.* Saccus erugata fronte, Fixus hic apud nos, Puteane, animus tuus, inquit;

Remigio veloque quantum poteris festina & fuge,
Quam magis te in altum capessis, tam æstus te in portum refert.

ut Idem *Asin.* Deinde sermonem meum aperte carpens, Crastinus, ais, incertus. Omnino: & hoc ipsum certum. sed jubeas tu hoc argumento me in diem vivere, in præsenti simul omnia peragere, nec quicquam destinare secuturæ proxime luci. Ego aliter, & velim tu mecum. Deinde inquis, abeundum forte subito. Quo trahente, aut jubente? Inspicienda tibi penitius & cum otio hæc civitas, in qua multa profecto videbis, quæ notes: notabis, quæ ad usum cum fructu referas. Cognoscendi etiam eruditione nonnulli nobiles, nobilitate illustres hujus urbis viri. Princeps ipse noster Dis, quam hominibus similior JOH. FERN. VELASCIUS *Dux Friæ Castellæ & Legionis Comestabilis* adeundus tibi & salutandus. cujus si humanitatem inspicis, idipsum audeas; si doctrinam, & virtutem, debeas; si prosapiam, famam, & nobilitatem, appetas. Nam humanitas neminem unquam respuit; doctrina & virtus ignotum quemque trahunt; prosapia, fama, & nobilitas exterum quemque alliciunt. Dum, puteane, ut nunc etiam noscas priusquam noscis; immo ut admireris quem jam cognoscis, illa nupera recitetur.

ACCLA-

ACCLAMATIO

SEQUANORUM.

Secutus est Lector, atque recitavit.

PRINCEPS VELASCI, *Deus Opt. Max. te servet:*
IMPERATOR VELASCI, *Deus te conservet.*
Tu Remp. nostram servasti, gratias agimus:
Tu Sequanorum provinciam liberasti, gratias agimus.
Hostes Patriæ eliminasti, Pater Patriæ voceris:
hostes Libertatis evannasti, auctor Libertatis voceris.
PRINCEPS VELASCI, *immortalitatem habeas:*
IMPERATOR VELASCI, *immortalitatem habeas.*
Amicus Regis, Benefactor Provinciæ:
Amicus Regis, Protector Provinciæ:
Amicus Regis, Amicus Provinciæ.
Per te salutem nacti sumus, tibi salus:
per te vitam adepti sumus, tibi vita:
per te omnia habemus, Tu in te omnia, & per te omnia habeas.
Pacem attulisti, Justitiam erexisti, Fidem vindicasti,
Deus te servet, Deus te servet.
Plures victorias in provincia nostra, quam dies numeras.
Quamcunque munitionem cinxisti, obtinuisti:
quodcunque oppidum vidisti, cepisti:
Gallum hostem cunctando fregisti.
" *Bellum, quod aut ab omnibus Imperatoribus uno*
" *anno,*
" *aut omnibus annis ab uno Imperatore*
" *confici posse quisque desperabat,*
" *id tu bellum extrema Hieme apparasti,*
" *ineunte Vere suscepisti,*
" *summa Æstate confecisti.*
Nihil Antiquitas præclarius aggressa, aut laudabilius exsecuta est.
PRINCIPI VELASCIO *quadrijuges & sejuges currus ubique ponantur.*
IMPERATORI VELASCIO *quadrijuges & sejuges currus ubique ponantur.*
Tria capita flammam belli excitarant:
tu unus exiguo tempore, exiguis copiis extinxisti.
tantum tua unius plus Virtus, quam conjuncta scelera potuerunt.
PRINCEPS VELASCI, *felix annes:*
IMPERATOR VELASCI, *diu perennes.*
Celerior Julio, felicior Augusto, melior Trajano.
Præfiscine hoc dicimus, & merito tuo.
Vere dignus & fortis,
bonus Ductor,
bonus Imperator,
exemplum Militiæ,
ornamentum Doctrinæ,
exemplum Antiquitatis.
Tuere nos, tuere Remp.
Bene tibi committimus quos antea servasti.
PRINCEPS VELASCI, *Deus te servet,*
IMPERATOR VELASCI, *Deus te conservet,*
Prudentiæ tuæ, Justitiæ tuæ, Pietati tuæ, Doctrinæ tuæ, Nobilitati tuæ:
sic Deus mala averruncet,
quæ te vivente non timemus,
de quibus te præsente securi sumus.

A Placuit Acclamatio ceu non minus vere, quam eleganter concinnata: quam ego etiam, ut non auribus meis tantum, sed & oculis delitiæ fierent, viderem que Heroem illum quem jam cognoscebam, cognoscerem quem non videbam, in manus sumpsi, & conlidentibus labris regustare cœpi suavissimas illas laudes. Oculos deinde reflectens ad ornamenta dictionis, Gemmulas, inquio, verborum quasdam video, quarum splendor me capit, vim virtutemque ego non capio. Hujuscemodi *præfiscine* est, aliis etiam mihi, sed & clarissimo LIPSIO in divina sua *Constantia* usurpatum, *lib.* II. cap. I. B Saccus explicationem non refugiens, *præfiscine*, inquit, verbum elegans, probum, priscum: verbum multi ponderis, occulti valoris: dictum quasi præter fascinum, aut sine fascino. Usurpare scitissime Antiqui solebant, cum impensius quempiam laudabant. Sic Apulejus de se ipse *lib.* III. *Florid. Gratum esse populo, placere ordini, probari magistratibus & principibus: id, præfiscine dixerim, jam quodammodo mihi obtigit.* A laude enim periculum quoddam fascini. Tertullianus *lib. de Vel. Virg.* sic scribit: *Nam est aliquid etiam apud Ethnicos metuendum, quod fascinum vocant, infeliciorem laudis & gloriæ eventum.* Titinnius: *Paula mea, amabo pol tu ad laudem addito præfiscine, ne puella fascinetur.* C Hinc ex Plinii *Naturalis Historiæ* septimo Agellius refert *lib.* IX. cap. IV. *esse quasdam in terra Africa familias hominum, voce atque lingua effascinantium; qui si impensius forte laudaverint pulcras arbores, segetes lætiores, infantes amœniores, egregios equos, pecudes pastu atque cultu opimas, emoriantur repente hæc omnia, nulli alii caussæ obnoxia.* In Hispania etiam hodie post laudationes similes manum constrictam, inserto inter indicem & medium digitum pollice, protendere solent, atque subjicere, *Higa para vos*, D verba (sicuti & ipse gestus) contemptui, injuriæ & ignominiæ nata: ut scilicet vituperio isthoc, ceu antidoto promptissimo effectum impediant atque averruncent laudis. Ex hoc ritu formulam quandam loquendi obviam, & cui alias Oedipo opus conjectore sit, qui Sphingi interpres fuit, explicem mulierum Mediolanensium, quæ puerorum passim laudes & commendationem hisce verbis prosequuntur: *De salditch, per non fasnart:* id est, Deus servet dictum, aut potius servet oculum tuum, ne te fascinem: haut aliter, quam Antiqui *præfiscine.* Non temere oculum dixi. Nam in dictione *salditch* litteras extraneas, & pravo usu E receptas agnosco; dictumque reor *sal'l't'occh'*, pro *salditch.* Sicuti Hetrusci etiam hodie incorrupte laudati respondent: *Di gratia, non gli date mal d'occhio.* Ego delectatus curioso hoc sermone, Lepide hoc fit, inquam; non ad cœnam modo huc veni, sed ad reliquias variæ doctrinæ, quas vobis ministrantibus colligo, & capio ad animi mei gustum. Modice etiam, inquit Saccus, præut futurum est, si paullulum hic subsistas: sed adeundus, uti monui, ille Princeps noster; ut subsistas. Ille te suscipiet magni LIPSII caussa: nec dimittet subito tua fortassis caussa: tu modo tene F viam rectam, & ama bonam mentem, certus servari ad bonam aliquam Fortunam. Quid enim si hic emergas? si honor aliquis & lucrum tibi veniant in hac urbe? Ego haut cunctanter respondens, Magna ista, quæ auguraris, inquam; sed quæ ex parte tantum probo. Videndi & discendi caussa lætus lubensque hic maneam: & tanti Principis jussu ætatem etiam serviam. Lucrum vero aut honor non me induant errantem aut includant suis vinclis.

Qui quærit alta, is malum videtur quærere.

ut inquit Plautus *Pseud.* Et ſane ad opes quod attinet (verecunde hoc dixerim) bellum hoc diuturnum(quod cum ruina univerſæ Patriæ ſuſtinemus, quodque Sereniſſimi ALBERTI AUSTRII Belgicæ Proregis ductu auſpicioque extinctum nunc tandem iri ſperamus) niſi obſtet,

Virtute Deum, & Majorum noſtrum dives ſim ſatis,

ut idem Plaut.*Capt.* ad bene honeſteque vivendum: inſtructus ſim ſatis, ad ſtudia ex animi mei ſententia proſequendum, & nomen gentile noſtrum conſervandum, quod non a proletariis hominibus, ſed bona, antiqua, nobili ſtirpe ortis trahimus. Sed iſta Doctoris mei exemplo jactare non ſolemus, ne dicere quidem: optare cum Tragico magis, aut vovere:

—— *Me mea tellus*
LARE SECRETO, *tutoque tegat.*

Sapienter id quidem ait Septalius, & exemplo rariſſimo, ut nunc ubique mores ſunt. Nam

—— *multos jam lucrum lutulentos homines reddidit,*

& honor mores hominum moros ac moroſos. Non uſui amplius, ſed ambitioni bona ſunt: nec haberi videntur, ſi non jactantur Quotuſquiſque divitias aut dignitatem ſecutus, & eadem adſecutus, qui non ardore gloriæ incenſus, & privati amore cenſus deprædicaverit bonam ſuam Fortunam? Omnes hic labimur ſtulti, & deflectimus a ſemita modeſtæ Virtutis: quam tu adoleſcens perge premere ſpreto peccantium exemplo, & viam tibi ſterne ad beatiſſimum Tranquillitatis collem. Virtutem ipſam Doctrinamque cole & prode, non Virtutis umbras: ſequentur equidem eæ & adhæreſcent dominæ præeunti fidiſſimæ comites, tibi etiam ſuo domino ſervituræ. Tu tantum firmus & obfirmatus ne eis te dedas, neu adjicias animum ad amorem: quem ſi ſemel conceperis, difficile erit ut extinguas: tranſvorſum repente curris ad Lucri, & Honoripetarum turbam. Ego gratiam Septalio pro adhortatione dicens, Qui monet quaſi adjuvat, inquam: qui memorem monet, ſæpe etiam prodeſt; mihi certe, qui ſermone hoc tuo penitus permotus, ferio & ex animo repeto meas voces:

——— *Me mea tellus*
LARE SECRETO, *tutoque tegat.*

Inter hos ſermones Bellaria illata erant: quæ ne feriata diutius haberentur, Saccus increpans, Satis philoſophatum eſt, inquit: hoc agite, ſumite, ne appoſita fruſtra. Leviter dein mihi quædam delibanti Cimiloctus ait: animadvertiſtin' quomodo nulla mala hic, aut nuces, ſimileſve horti dapes? Ego cum circumtuliſſem oculos, Mirum, hoc, inquam, & præter mores priſcos; immo noſtros Olim in Bellariis Deæ Pomonæ opes. De nucibus Macrobius *lib.* III. cap. XVIII. *Adhuc Furio dicente ſecundæ menſæ illata bellaria novo ſermoni principium dederunt. Symmachus enim duas attrectans manu nuces*, &c De malis vulgarum dictum, *Ab ovo uſque ad malum.* Et Martialis *lib.* X. epigr. XLVIII. ſiquidem per poma lubet intelligere mala:

—— *faturis mitia poma dabo.*

Idem de uvis, pyris, caſtaneiſque, *l.* V. epigr. LXXIX.

Menſæ munera ſi voles ſecundæ,
Marceſcentes tibi porrigentur uvæ,
Et nomen pyra quæ ferunt Syrorum;
Et quas docta Neapolis creavit
Lento caſtaneæ vapore toſtæ.

Et hodie genus id fructuum inter menſæ ſecundæ prima, hoc anni præſertim menſe; niſi ſpretum propterea quod obvium eſt; & Saccum noſtrum, novo atque adeo veteri morbo,

—— *magis illa juvant quæ pluris emuntur.*

Nolim noſtra cauſſa. Nam ad me quod attinet, non pretio, ſed cibo victito; nec ſumptus, ſed cœnæ gratia huc veni. Itaque hortenſis ille apparatus placeat: & magis, quando ſuavius eſtur, quam pluris quando emitur. Placeat, inquam, quando formam lepidam, colorem vivum, ſaporem naturalem ſuum, non fucatum arte, non mora mutatum poſſidet. Atque de hoc tali inſcriptio vetus haut dubie intelligenda, quam in ipſo ſtatim urbis introitu notavi.

POMONAE
SAC.
H. ARAB POMARIA
ISTHAEC AMOENA
HESPERIDVM
DONA BEATA SIBI
HOSPITIBVSQ.
FORE DELITIAS
NVMINI PO.
V. C.

Cimiloctus blando vultu, Non condemno hunc ſermonem, Puteane, inquit: ſed tamen ſcin'quid mihi in mentem venerit? Terpnus Citharœdus olim (Suetonio referente) Neroni poma iſta vocis cauſſa interdixit, ut ad cantum ſcilicet aptaret & emolliret: vereor ne idem nobis hic fiat, & canendum nobis hoc noctis & pſallendum. Nec fefellit illum ſane conjectura: nam mora non ita longa tranſacta, Saccus puerum advocans, teſtudinem popoſcit, quam poſtquam Horatiano illo Sapphico adfatus, *lib.* I. od. XXXII.

O decus Phœbi, & dapibus ſupremi
Grata Teſtudo Jovis, o laborum
Dulce lenimen, mihi cunque ſalve
Rite vocanti.

Poſtquam dico adfatus, tam accurata tamque volubili digitorum dexteritate nervos tetigit; tam ſuavem concentum edidit, intermiſcentibus pueris divinam vocem, ut putares intus canere Sirenum concordiam. Cum deſiiſſet ad Septalium ſe convertit ſtupentem adhuc ut velut captum dulcedine Symphoniæ, &, hoc age, inquit, inſtrumentum ſume, pſalle, cane: ita lex jubet. Ille renuens, Chorum tu hic nunc adornas, ut initium eſt. Apage, diu & ſub Dio ego pſallo: ruri, non in urbe: in patulo, non in patinis: haut muto morem. In agro Muſica plenior, aura quietior; tum ſolitudo, ipſumque illud ſilentium Muſis amicum. In ſolitudine cantillarunt principes olim Muſicæ & coriphæi,

Orpheus in ſylvis, inter Delphinas Arion.

Homines quid memoro? aves ipsæ, quæ naturam non fallunt, hæc secretaria amant. Apulejus *lib.* III. *Florid. Merulæ in remotis tesquis fringultiunt, Luscinia in solitudine Africana canticum adolescentiæ garriunt, Olores apud avios fluvios carmen senectæ meditantur.* Itaque quod apud Suetonium Nero, id ego hic dicam: *Flagitantibusque cunctis cœlestem vocem, respondit quidem in hortis se copiam volentibus facturum.* Saccus non se diutius continuit, &, Itane, inquit, alienum tu hunc locum? an nescis id acriter mihi paullo ante refutatum? Nimirum quia canendum tibi. Instrumentum cape, concentum misce, senties non minus hic in cœna, quam in agri tui cæno vivere Musas & vigere. Sed avicularum illam cohortem mihi objicis fritulantium, & minurientium ruri. Quid tum? Sedes suas istic habent, nos habuimus; sed in cœtus civitatesque coivimus Ratione duce, ut brutorum velut consortio & usu spreto, legibus & jure constringeremur, ad bene beateque vivendum. Tu vero vide quid agas, ex urbe per agros nos dispergis, & reducis ad belluinos mores & libertatem. At enim exemplo principum Musicorum, Orphei & Arionis qui fecerunt: non sequor: quia non sponte illi ad voluptatem, sed necessario ad salutem nisi. *Quippe, si fides fabulis, Orpheus exilio desolatus, Arion navigio præcipitatus. Ille immanium bestiarum delinitor, hic misericordium beluarum oblectator.* Quid longum loquor? recusare tibi, non dicam per legem latam, sed nec per probissimum Veterum morem licet, quem Valer. Maximus diserte exprimit *l.* II. cap. I. *Majores natu*, inquit, *in conviviis ad tibias egregia superiorum opera carmine comprehensa pangebant, quo ad ea imitanda juventutem alacriorem redderent. Quid hoc splendidius? quid etiam utilius certamine? Pubertas canis suum bonorem reddebat, defuncta virium cursu ætas ingredientes actuosam vitam favoris nutrimentis prosequebatur. Quas Athenas, quam scholam, quæ alienigena studia huic domesticæ disciplinæ prætulerim? inde oriuntur Camilli, Scipiones, Fabricii, Marcelli, Fabii: ac ne singula imperii nostri lumina percurrendo sim longior, inde, inquam, Cœli clarissima pars Divi fulserunt Cæsares.* Isidorus *l.* II. *Orig.* cap. XV. *In conviviis vero lyra, vel cithara circumferebatur, & accubantibus singulis ordinabatur conviviale genus canticorum.* Quinctilian. etiam *lib.* I. *Instit. Unde etiam ille mos, ut in conviviis post cœnam circumferretur lyra, cujus cum se imperitum Themistocles confessus esset, ut verbis utar Ciceronis, habitus est indoctior.* Ego subjeci: Et nos igitur cum Themistocle: certe ego, cui rudes ineptique digiti ad discapedinandum. Saccus increpans, Fugis, Pureane, inquit, hanc provinciam; non effugis. Si instrumentorum ignarus, ᾄσεις πρὸς μυῤῥίνην. Consuetudo illa vetus (Plutarchus id scribit *l.* I. *de Conv.*) ut siquis in convivio Musicæ imperitus Lyram recusasset, ei ramus myrteus daretur (seu corolla fuerit) ad quem cantabat. Interea, ne rogata Musica videretur, Septalius instrumentum ultra ceperat, & metodium suum incœperat, elegantissimum suavissimumque. Sequitur Cimiloctus, similemque miscet harmoniam accedentibus delicatissimis puerorum minurientium vocibus. Tandem cum ordo me posceret, exclamans validiore voce Saccus, LAURUM AN LYRAM? inquit. Detrectante me, & excusationem jam parante, Cave sis, inquit, vulgatum & vetus illud: AUT BIBE, AUT ABI, ne commutem paucu lis litteris: AUT CANE, AUT ABI. Fauces exercendæ tibi & aptandæ tantopere Musicam appetenti: frangenda & rumpenda verecundia illa vocis: cantandum & minuriendum in tempore cum libertate. *Ut gladius usu splendescit, situ rubiginat: ita vox in vagina silentii condita, diutino torpore hebetatur.* Dum hæc diceret, peropportunum horæ XVIII. audivi signum, & subito accedens puer de more clamitavit horam. Quid dicam?

Mercurius Jovis qui nuncius perhibetur, nunquam æque patri
Suo nuncium lepidum attulit,

quam iste mihi puer. Plautus *Sticho*. Itaque recordatus Legis, vocisque Sacci invitantis initio ad cœnandum, Ne me urgeas, inquio; aut reddo tibi voces tuas: TEMPUS EST, NE PERDAMUS NOCTEM. Cum applausu atque adeo effectu exceptum responsum hoc meum: jamque remotis sedilibus discessum parabamus & domuitionem. Saccus adcurrens & quemque retrahens postliminio reduxit ad locum, fraudem legi fieri subinde iterans, si sic abiretur. Ego ad limen Cœnaculi jam perveneram, & plane videbar evasisse: sed dum sumendo pallium traherem aliquam moram, interim nescio quis e familiaribus adduxerat ostium, exemeratque raptim clavem. Coactus deinde reverti increpatione quoque a Domino excipior, quasi auctor subiti motus, præter decorem primo surrexissem. Immo vero decore, inquam, & exemplo nostri ævi surrexi ac præcessi hos ætate grandiores. Saccus suscipiens, Bene nostri ævi, ait. Nam Romani aliter, apud quos ætate minores posterius, non adcumbebant tantum, sed etiam surgebant. Valerium Maximum huc cito sic scribentem *l.* II. *c.* I. *Invitati ad cœnam diligenter quærebant, quinam ei convivio essent interfuturi; ne senioris adventum discubitu præcurrerent; sublataque mensa priores consurgere & abire patiebantur.* Atque etiam deducebant domum. Agellius *l.* II. *c.* XV. *A convivio quoque (ut scriptum est in antiquitatibus) seniores a minoribus domum reducebantur.* Dein Septalius caussam meam agens, Saccum rogavit gratiam canendi faceret, & potestatem abeundi: opportunius alias, & in tempore me pensum absoluturum. Et sane, inquit, quousque nos detinebis?

—— jam nox humida cœlo
Præcipitat, suadentque cadentia sidera somnos.

ut inquit Virgilius *lib.* II. *Æneid.* Quod Cicero de sermone *lib.* I. *Offic.* id de Musica dicam: *Animadvertendum est etiam quatenus ea delectationem habeat, & ut incipiendi ratio fuerit, ita sit desinendi modus.* Bene Pindarus *Olymp.* od. XIII.

Ἕπεται δ' ἐν ἑκάστῳ μέτρον. νοῆσαι δὲ, καιρὸς ἄριστος.

Ut vini, sic cantus satias est. Appulejus *l.* II. *Florid. Natura quibusdam avibus brevem & temporarium cantum accommodavit: hirundinibus matutinum, cicadis meridianum, noctuis serum, ululis vespertinum, bubonibus nocturnum, gallis antelucanum:* Sic noster esse debet cum modo & tempore finitus. *Quippe hæc animalia inter se vario tempore & vario modo occinunt & occipiunt carmine, scilicet galli expergifico, bubones gemulo, ululæ querulo, noctuæ intorto, cicadæ obstrepero, hirundines perarguto.* Tu si a prima luce canere occipias, concubium fit noctis priusquam desinas. Saccus ad has voces attonitus, & Septalium respiciens, Tu etiam contra me stas? inquit. Sto equidem, ait ille: sic nos tenes & premis imperio non bono, bene si non tyrannide. Nam apud Horatium alibi istiusmodi censura:

Invitum qui servat idem facit occidenti.

Advorſitores jam cum cereis venerant, qui admonebant noctis. Itaque, Cimilocto nobiſcum ſe quoque jungente, Hæc quidem conſpiratio eſt, inquit Saccus, quæ ne longius ſerpat, aut erumpat in Muſarum malum, miſſionem faciam, imperium abd cabo, & ſimul exclamans, DISCEDITE QUIRITES, inquit, ATQ. ARMA DEPONITE. A Ridentibus nobis ob ignominioſam miſſionem. Immo ſumite, inquit, non deponite: ut tuta vobis in hiſce tenebris domuitio & defenſa contra rapacem aut furacem manum. Placuit conſilium, ſumpſimus, ivimus. Atque ita ad veſtibulum nos uſque Saccus ſecutus, mactos eſſe cœnula juſſit, & amplexu dimiſit.

F I N I S.



ANDREÆ BACCII,

ELPIDIANI,

MEDICI, ATQUE PHILOSOPHI

CIVIS ROMANI,

ET IN ALMÆ URBIS GYMNASIO OLIM PROFESSORIS,

DE

THERMIS VETERUM

LIBER SINGULARIS.

INDEX CAPITUM.

CAPUT PRIMUM.

INDEX CAPITUM.

A N

ANDREÆ BACCII,

ELPIDIANI,

MEDICI, ATQUE PHILOSOPHI CIVIS ROMANI, ET IN ALMÆ URBIS GYMNASIO OLIM PROFESSORIS,

DE

THERMIS VETERUM

LIBER SINGULARIS.

Cap. I.

Thermarum dignitas. Primus lavationum usus. Thermarum prima inventio: Earumdem primum institutum. Apud Persas in usu. In Græcia itidem & Macedonia. Lacones primi inventores. Judæorum & Herodis Balneæ. Ex Medicis Hippocrates primus ejus Artis inventor.



QUanta fuerit Naturæ solertia in cumulandis gratiis aquarum sponte manantium; & quæ differentiæ sint tum simplicis Elementi, tum consequentes ex mixturis, & quis usus earum in balneis; hactenus pro eo ac potuimus explicavimus. Quis enim pro dignitate Naturæ, speciales proprietates cunctarum aquarum sermone consequi audeat? In his autem quæ ad usum dicenda restant, si recte quis Thermarum artificialium magisteria consideret, summum Artis cum Natura certamen videri poterit. Ut nesciam an adeo sciverit Natura elargiri mortalibus tot adjumentorum materiam, totque adeo divinæ dispositionis ostentare miracula in aquis; quanto majora fuerunt emolumenta, ac majora ornamenta, quæ Ars addidit in Thermis suis. Præsertim sub illa Romani Imperii majestate; in quarum monumentis, quæ ex eis partim apparent, & partim leguntur apud varios auctores, non satis constat apud me utra fuerit major, an magnificentia operis ad illorum tempora instituta, an commoditas popularis ad utilitatem lavationum. Principio non est dubium si prima quasi incunabula cæterarum rerum conjectemus, quæ a tenuibus initiis prima habent exordia, quin ipsa vitæ, ac naturæ necessitas coegerit quodam modo ad lavacra homines. Quippe ea necessitas, quæ a primordio rerum monstraverat mortalibus ex agresti vita victum quærere, tecta constituere, ab æstu & frigore se tueri; eadem & sordes abluere, munditiæque cultum monstravit: primo quidem quantum vitæ satisfaceret, donec paulatim aliqua industria adhibita, lassata corpora molli aquarum fotu recreare edocuit.

Unde ex antiquis monumentis, quæ ad notitiam hominum pervenere, omnia hunc morem lavationum commemorant tanquam vetustissimum. In primis vero pater Homerus, cujus scriptis apud Græcos nullum constat testimonium antiquius, sæpe numero λοετρὰ θερμὰ, hoc est, *balnea calida* nominat. Præcipue vero in *Odysseæ* l. VIII. ut fuit omnium ferme rituum memoria dignorum observantissimus, sub persona Ulyssis, inter vitæ atque animi delicias, & citharas, & choreas, & ornatus vestium, adnumerat & Thermas, illis versibus:

Αἰεὶ δ' ἡμῖν δαίς τε φίλη κίθαρίς τε, χοροί τε,
Εἵματά τ' ἐξημοιβὰ λοετρά τε θερμὰ, καὶ εὐναί.

Et item θερμὰ νυμφᾶν λουτρὰ, hoc est, *calida Nympharum balnea* meminit Pindarus in *Olympicis* ode XII. Porro extat apud Pisandrum, Minervam olim fesso Herculi balnea parasse calida. Et item, apud Athenæum recitatur ex antiquis, Vulcanum eidem muneris vice fervida supposuisse. Verum quando id institutum locum aliquem in Repub. habere cœperit, hoc etiam tempus non est adeo compertum, nisi quantum legitur fuisse antiquissimum. Superat vero omnium sæculorum memoriam, quod ex primis Ægyptiorum monumentis tradidit Plato de Atlantica maxima olim insula, nunc Oceano ipso occupata extra columnas: quam Neptuni munere tunc omni deliciarum genere clarissimam, habuisse (ut relatum est) etiam balneas, quæ omni cultu ornatæ essent, & partim quidem sub divo paterent, partim vero sub tecto calentia haberent lavacra hyberno tempore, atque seorsum alia regibus propria extitisse, alia privata viris, alia mulieribus dicata, alia item equis, cæterisque jumentis.

Sed, ut descendamus ad clara magis, & notiora sæcula; Syri, Medi, Persæ, Græci & ultimi Romani hunc morem unus post alterum recepere. Nam, ut divitiæ, artes, deliciæ sequi videntur imperia: ita a Syris primum deliciosissimis populis hunc ritum defluxisse certum est. Summum vero cultum apud Persas obtinuisse, quos considerantes quanta vim habeat animi tranquillitas ad vitam, & populorum securitatem, certa constituisse præmia (tradit Athæneus ex vetustissimis, quos citat auctoribus) his, qui novum aliquod deliciarum genus invexissent: quas non mirum sumptuosissimas invenisse Alexandrum in balneis Darii, ac vehementer eas admiratum meminit Plutarchus.

Quando tamen, & in Græcia, & in Macedonia erant non minus balnea, quibus & ipse Alexander voluptuosissime utebatur, ut Strabo est testis. Thucydides optimæ fidei ex primis scriptoribus Græcis, & ex eo Polybius, & Dio hunc morem tribuit Laconibus, qui ex Asiaticis didicerint nudi, ac oleo

pulvereque conspersi in luctam descendere, ac postea lavari: cum antea ad ludos Olympicos linteo subcincti amictu, ac fibula, descenderent, ac ex eis postea alias nationes id cepisse institutum. Quod non dubie susceperunt & Judæi in Palæstina Syriæ parte, quorum deliciæ commemorantur etiam in Evangelio, balnea, piscinæ, natatoria, conviviarum lotiones, & unguenta, quibus in conviviis uterentur, & ad sepulturam preciosa. Postea ab Herode balneas, ut Augusti gratiam mereretur, magnifice extructas meminit Josephus, ac multas, ad Cæsaream, ad Ascalonem, ad Damascum, ad Tripolim, maximo sumptu, ac omni deliciarum genere ornatissimas. Ex Medicis autem primus ejus artis inventor Hippocrates, balnearum usum curandarum ægritudinum causam, tanquam rei jam in Græcia communiter usitatæ, commemorat, ac damnavit aliqua. Floruit autem multo ante Alexandri monarchiam, natus (ut ratio veteris instituti habeatur) sexcentis post Homerum annis, primo o ctogesimæ Olympiadis (ut Soranus tradidit) circa Peloponnesiacum bellum: quod teste Plinio gestum est a tricentesimo urbis Romæ anno, exactis antea Regibus annos circiter sexaginta, & Artaxerxe Persarum Rege magnam Græciæ partem, & Hellespontum occupante.

Post quæ tempora dum Græcia indies sapientissimorum virorum scriptis veniret illustrior, perpetua habemus de balneis testimonia, Socratis, Platonis, Aristotelis cæterorumque successu temporum authorum, qui & Asiam, (ut diximus) Persiam, non solum Græciam balnearum usum habuisse familiarem testantur. Quod confirmant partim nomina in Thermis Romanis, quæ omnes Græcæ sunt voces, Laconicum, Hypocaustum, Miliarium, & Thermæ ipsæ, ne dicam cætera. Ex quibus constat usum Thermarum post Olympicos ludos, & apud Romanos fuisse posteriorem, ac eas in æmulationem Græcorum constructas testantur Marcus Varro in Libro *de antiquis Nominibus*, & item Victruvius. Verumtamen sub illa Romani Imperii majestate, sicut omnes artes floruere, ac inventa prius ab aliis meliora evasere, unde merito, ROMA QUASI ALTERA MUNDI PARENS dicta est: ita omnium maxime Thermarum instituta incredibiles apud eos, & supra quam exprimi unquam possit, habuere progressus, ea tamen obliterata fere ad hanc ætatem, nec literis mandata, multis forsan e doctis hæc melius scientibus. Quam ob rem nos, volentes ad nostrarum lavationum regulam, antiquum Thermarum usum revocare in lucem; operæ precium est Romanarum instituta prosequi: in quibus quæ prima ipsarum introducendarum ratio fuerit, quis ordo partium, & quis usus, & quæ tandem in eis Medicinæ par extiterit, percurremus.

CAP. II.

Romanorum studia. Lavationum necessitas. Lavationes in Tiberi. Aquarum in urbem Romam perducendarum decretum. Tiberinarum potus dimissus. Piscina publica constituta. Thermæ constructæ: eædem auctæ; & ad exercitia constitutæ. Palæstrarum cum iisdem conjunctio.

Satis quidem constat Romanos illos Quirites, antiquosque Sabinos, assiduis primum venatibus deditos, nec minus agrestibus operibus educatos, non alia fere industria tum amplificandæ Reipublicæ, tum defendendæ quum opus fuit, prævaluisse, quam quod durata jam pacis laboribus corpora, facile quodcumque militiæ onus sustinere didicerant. In quo percelebrem habemus Quintium Cincinnatum, ab aratro ad Dictaturam vocatum, itemque C. Fabritium, & Curium Dentatum, qui rure ac militiæ laudatissimi, satis sunt exemplo nobis, hæc fuisse illius seculi studia. Non pecunia prævalere, non forma, non ambitioso hominum comitatu, non stemmatis dignitate certare; sed totam vim in proprii animi excellentia, viribus corporis, ac exacta cura Reip. collocare. Fervebant honestæ laudis æmulatione ingenia, ut quos arma, & propria virtus ad primos civitatis honores evexerant, omni studio, ac labore æquarent. Quare ubi militiæ in externos cessasset occasio; quasi nativo instinctu dediti ad labores, aut rure se agrestibus exercebant operibus, aut ad disciplinam, ac robur corporis, civilibus, iisque variis exercitamentis utebantur, cursu, disco, saltu, lucta, & pugilatu, natatione, atque armis. Quem morem ante Urbem conditam, veluti hæreditarium apud priscos Latinos, plane illis versibus repræsentavit Virgilius VII. *Æneid.*

> *Ante urbem pueri, & primævo flore juventus*
> *Exercentur equis, domitantque in pulvere currus.*
> *Aut acres tendunt arcus, aut lenta lacertis*
> *Spicula contorquent, cursuque, ictuque lacessunt.*

Ab his ergo exercitiis, ut erant frequentes, harena, pulvereque conspersi, ac sudore profusi, atque oleo; ut seminudi, ac exertis brachiis, cruribusque, vel libero saltem habitu, quo degebant, ut essent ad munia promptiores; necessario lavationes poscebant. Qua de re, dum adhuc novitia urbs in his studiis strenue adolesceret, præclarum habemus Vegetii testimonium lib. I. cap. X. constituisse Patres Campum Martium vicinum Tiberi, in quo juventus post exercitium armorum, sudorem, pulveremque dilueret, ac lassitudinem, cursusque laborem natando deponeret. Qui mos, ut paulatim e re ipsa, & quasi nemine instituente, se in civitatem ingessit, (quæ utplurimum solet esse novorum rituum introductio) ita tandem crescente in dies juventute, armorumque simul ac exercitiorum assiduo studio, viam tam frugi instituto aperuit. Sane incivile videri cœpit, nobilem civitatem in lutulentis fluminis aquis quotidie lavari; ac lavacra idcirco Asiaticorum, & Græcorum more paranda esse, quæ post exercitia non ad munditiam facerent solum, verum etiam recrearent, majusque robur lassatis membris adjungerent. Quod tamen propositum longissime distulere: non quidem inscitia, aut vecordia tam generosæ civitatis, sed propter duas (ut ego reor) potissimas causas: Tum quia primi illi Patres non tam frugi tandem futurum hunc ritum existimavere; quam luxui, ac molliciei fore lenocinium; id quod accidisse, postea declarabitur. Deinde ob aquarum incommoditatem, quarum in colles, ubi tunc habitabant, difficilis erat, & non sine maxima impensa, perductio.

Verum hoc lautitiæ desiderio universim ingruente, auctaque, spatio temporis, spectatæ Urbis in finitimas terras auctoritate; de aquis tandem e vicinis montibus, fluviisque in urbem perducendis, decreto publico S. P. Q. R. statutum est: quæ & potuum simul, & lavationum ritui suppeterent. Quod factum est primum M. Valerio Max. P. Decio Mure Coss. (authore Plinio) circa CCCCXLIIII. ab Urb. condita annum, aqua Appia ex Tusculano perducta, Censore Appio Claudio, curante. A quibus temporibus, Tiberinarum aquarum usus, ad eam usque ætatem tam potu quam lavacro frequentissimus, exolescere paulatim incepit: ac lavationum simul, atque exercitationis gratia (ut tradit Festus Pompejus) piscina publica ad clivum Ca-

pitolinum juxta Tiberim est constituta. Postea Thermæ constructæ. Quæ quoniam frugi in primis, ob eam quam dixi causam, & ad ritum lavationum dumtaxat, constitutæ fuerant, haud magnum habuere progressum. Nisi quum aucta civitate, simul atque crescente in dies in eis juventutis applausu; semper majoris earum capacitatis ratio fuit habenda, & præsertim ubi medicorum consensu in curationem quoque ægritudinum suscipi cœperunt. Verum tamen post initia diu admodum consuetum fuit angustas fieri, ac tenebricosas; non enim calidæ videbantur nisi obscuræ; quemadmodum inscribit Seneca *ad Lucillum*, fuisse balneum Scipionis Aphricani ad Linternum. Causa vero amplificationis Thermarum præcipua fuit Palæstrarum adjunctio. Quippe cum apud Romanos veteres, fere usque ad Augustum, non adeo multa extiterit architecturæ dignitas, nec adeo fuerit consuetudinis Italicæ (ut de suo tempore scripsit Vitruvius, & multo etiam post) cum Palæstris lavationes habere conjunctas; contentus quisque ruralibus exercitationibus, vel Campo ipso Martio, & harena platearum; solas in Thermis obibant lavationes. Quo ritu ad imperium usque principum perseverante (unde plane constare poterit Thermas exercitiorum causa fuisse instructas) ubicumque aliqua fierent publica ædificia, ac populi celebritas, juxta constituebantur & Thermæ. Exemplo primum Agrippæ clarissimo; qui ob celebritatem admirabilis Templi Pantheonl, atque Campi Martii; juxta Thermas suas extruxit. Sic vero postea Neronianas suas juxta Agonalem Circum, ob Ludos, qui ibi fiebant celebres, constituit. Nec secus (auctore Suetonio) Titus Vespasianus dedicato Amphitheatro, Thermas celebriter extrui jussit: nimirum ad Amphitheatri, & exercitiorum, quæ in eo fiebant, commoditatem. Donec tandem illustrata cum Imperii majestate Architecturæ peritia, more Græcorum Palestræ cum Thermis fuere conjunctæ: ubi nimirum generosa juventus, relictis jam ruribus, atque harenis, simul & exercitationes obirent omnis generis, ac lavarentur. Atque hinc non solum opera Thermarum fuerunt elegantius disposita, atque admodum amplificata; sed tantam etiam promeruerunt omnium gratiam, ut tota civitas paulatim hanc susceperit consuetudinem, frequentare singulis diebus Thermas, & tam Senes, quam Consulares, atque amplissimi ordinis viri, nec non artifices, & matronæ. Pro veteri instituto, ac studio virum, pro munditia, & pro sanitate, atque omni cura corporum.

CAP. III.

Thermarum descriptio cur necessaria. In Vitruvio censura; ut & Juniorum, ac Medicorum. Thermæ an publicæ, an privatæ. Ipsarum magnitudinis ratio. Thermæ Xeniæ, & Publicæ. Palatinæ quæ. Balneatores, & balneatorum legatum. Thermarum numerus. Privatæ: Agrippæ: Neronianæ: Alexandrinæ: Agrippinæ: Titi Imp. Trajanæ: Commodianæ, & Severianæ: Antonianæ: Aurelianæ: Philippi: Gordiani: Diocletianæ: Constantinianæ. Balnea Pauli. Olympiadis Lavacrum. Thermæ extra Urbem: Bajanæ: Rusticanæ. Externæ Hebræorum; Hispanorum. Balnea domestica.

HÆc ergo initia, atque hæc incrementa fuerunt Thermarum Romanarum. Primo quidem institutæ ob ritum laudabilem, quem exercitium, & vitæ ratio illorum temporum invexerat. Deinde auctæ ob communem utilitatem, & magnificatæ cum Palæstris. Donec tandem ad summam amplitudinem, ac magnificentiam perductæ fuerunt ob delicias; quemadmodum a nobis ex earum aliqua descriptione monstrabitur. Quamquam

A id quidem, pro rei, atque urbis magnitudine, haud nostro indigeret testimonio, qui Medicinæ dumtaxat in eis instituta profiteremur: nisi minus plene omnes, qui de Architectura conscripserunt, earum majestatem expressissent.

Nam quid de Vitruvii libris eliciemus, nisi nuda quædam lineamenta, atque ea quidem non admodum explicata, paucaque loca balnearum sui temporis, quando perangusta, & blactaria fiebant balnea (ut paulo ante ex Senecæ testimonio diximus) quæ ejus ætate, & postea maxime, locum inter primas ædificiorum urbis magnificentias habuere?

B Minus a Juniorum scriptis, qui mutatis rebus post tot sæcula, ac minus concordibus; qui sparsim de eis meminerunt auctoribus; satis sibi, atque legentibus fecisse rati sunt, si vastam dumtaxat Thermarum dixerint molem, ac Dædalei operis instar admirarentur, cum tamen Romanarum rerum magnitudo cunctarum nationum miracula superaverit, non in Thermis solum.

Minime omnium a Medicis: quos turpe hodie ad rectam lavandi ægros institutionem videri deberet hæc ignorasse; indignissimum vero pro ea, quam profitentur Galeni imitationem, quæ vix ulla esse potest sine horum rituum notitia, in quibus fere tota ejus doctrina versatur.

C Quam ob rem operæ pretium est, ad universam instituti nostri rationem, aliquam Thermarum Urbanarum, partiumque ipsarum censuram facere. Principio Thermas fuisse decreto publico constitutas, (ut est dictum) non est dubitandum. Nam id multæ declarant auctoritates scriptorum, ac marmoreæ tabulæ, in quibus vel Senatusconsulta leguntur, vel leges positæ in Thermis, vel munera. Quæ ex multis postea ritibus declaranda venient, utpote, in aliquo publico gaudio sine mercede præstari solitas, vel oleum gratuito dari. In communi vero luctu publice Thermarum usum interdici solitum. Imo in privatis pœnis exemplo legimus apud D Valerium Max. lib. 1. Titio profecto ob ignominiosam deditionem Calpurnium Cos. convictum hominum, & balnearum usum interdixisse. Verum qui negant Thermas opera fuisse publica meminisse debent magnificos in eis Imperatorum titulos, qui æternitatem nominis sui, tanti operis magnitudine affectasse videntur, ac Romanis suis, vel populo gratuito constitutas indicant.

Quo planum fit etiam, eas fieri opportuisse capacissimas. Non enim in templis tunc consuevit populus congregari, quæ idcirco angusta fiebant, ac suis quisque indigetibus ac penatibus erat conten-E tus, sed in Thermis: quarum hodie amplitudinem, ac celebritatem, hac sancta religione introducta, templa nostra, ac pia Xenodochia imitantur. Quare & Thermæ Xeniæ dictæ, quæ ita apud Græcos cognominari solebant, quasi hospitales, & gratuitæ, quo cognomine Thermarum publicarum utitur M. Tullius *pro Cælio*. Unde perperam in historiis retulit Volaterranus, qui scripta Francisci Patritii imitatus, *Senias* legit pro *Senensibus*, cum nusquam balnea in antiquis legantur sub Senarum memoria.

Inter primas vero ac publicas, credo fuisse Palatinas, atque has Xenias, quarum meminit item Cice-F ro, ubi Sex. Roscius occisus, ad emissaria aquæ Claudiæ, ad eas postea perductæ. Nec minus earum cura erat publici muneris, auctore eodem Seneca, nobilissimos Ædiles ante suam ætatem, qualis, & Cato, & Fabius Max. & alii, populum in Thermis exigendi munditias gratia receptare, ac sua etiam manu temperare solitos. Balneatores tamen in Plauto legimus, & postea in M. Tullio *pro Cælio*, qui ei ministerio aderant. Et Jureconsultus: Instrumento inquit balneatorio legato, balneatores continentur, quoniam sine his balneæ usum suum præbere non

possunt. Producto autem secutis annis instituto ipso ad luxuriam Principum, non solum capacitati tantæ urbis consultum est, sed citra ullam mensuram, aut modum, & (ut Ammianus assimilat) potius provinciarum instar, quam ullius ædificii forma Thermas cœperunt extruere.

Extat inter prima monumenta, M. Agrippam, in Ædilitatis munere, quod post consulatum gessit, gratuita præbuisse balnea CLXX. quæ postea sub Nerone, ut testatur Plinius, ad infinitum auxere numerum. Sextus autem Aurelius Victor in censu partium urbis, Thermas, amplissima opera Imperatoria XII. nominavit. Privatarum vero balnearum, quas ad privatos usus qui laute viverent sibi in propriis domibus compararunt, numerum ex eodem subducimus fere DCCCLX. quas succincte per regiones hic recensebimus.

Primas ergo harum duodecim non est dubitandum, fuisse Agrippæ Thermas, qui, eodem auctore Plinio, imperante Augusto ejus socero, multa & egregia in urbe perfecit opera, ac Thermas suas lithostrato, ac encausto pinxit, & pavimenta ex vitro posuit. Erant autem ultra Campum Martium ad sinistram templi Pantheon, ubi nunc locus vulgo *Ciambella* dicitur, ut quæ in Campo, & in Agonali Circo exercitaretur juventus, hinc Tiberis naturalem aquam, hinc vero calentium in Thermis aquarum haberet commoditatem, ubi lavaretur. In eis vero cum neque capacitati, neque adeo deliciis consultum fuisset, eodem auctore, successit quadragesimo circiter postea anno Nero profusissimus Imperator, qui ad Agonalem ipsum Circum secundas Thermas suo nomine extruxit: Vestigiis etiam num extantibus maximis, ab emporio usque, ac gymnasio publico, ad templum Sancti Augustini. In quibus ut scribit Lampridius, sylvas deputavit: & non solum dulces, sed vel marinas aquas interdum, vel Albulas per Aquæductus Anienis adduci eum fecisse meminit Suetonius. Ponit idem Lampridius Alexandrinas, ab Alexandro Severo extructas in Campo Martio, quas quidam easdem esse Neronianas putant instauratas. Ad hæc P. Victor Hadriani Thermas. Et ex privatis balneis in tota hac regione LXIII. Eodem tempore erexit quoque suas Thermas juxta Esquilias Agrippina Neronis mater, quam tanto imperio fastuosam par erat hac quoque non carere superbia. In Isi & Serapide Moneta Regione, cum Titus Amphitheatrum dedicasset. Thermas juxta celeriter extruxit, Suetonio; quæ tertiæ fuerunt Imperatoriæ, nimirum in Amphitheatri celebritatem & commoda (uti diximus) & idcirco breves. Quartæ juxta has Trajanæ, quas Trajanus ob honorem Suræ, cujus studio ad Imperium pervenerat, erexit, ac Titi Thermis majores, ubi quæ extant mira aquarum receptacula, *Septem Salas* vulgo appellant. Privatæ vero in tota hac Regione Balneæ LXXX. In Regione ad portam Capenam, quintæ in ordine fuerunt Commodianæ, quarum & Alexandrum Severum affectasse nomen videtur: etiamsi inter priores, ac nostros antiquiores, aliqua fit de locis, & temporibus, & cognominum assignatione varietas. In qua præter has, extant alicujus nominis apud authores civium balnea, Torquati, Vettii Bolani, Mamertini, Abascantini, Antiochiani, & privatæ aliæ balneæ LXXXV. Sextæ in Circo Maximo Antoninianæ, quas maximas vere dixeris, Spartiano authore, qui eas meminit ad radices Aventini collis Antoninum Imperatorem cognomento Caracallam inchoasse, perfecisse vero eundem Severum: mira hodie architectura, nec imitabili, cum Palæstris conjuncta. In hac & Varianæ, & Dejanæ posteriores numerantur a P. Victore, nec non Syriacæ aliæ cognominatæ, & Privatæ aliæ LXIIII. Severi quoque nomine fuere in Transtiberina regione Thermæ, eodem Spartiano teste. Nec non Aurelianæ, Vopisco. Balneum item Ampelidis, Balneum Prisciliànæ, & Privatæ aliæ LXXXVI. Inter Esquilias, & Montem Celium, apud Titi, & Trajani Thermas, Philippi Imp. Thermas adscribit Pomponius Lætus. Nec procul Gordianorum Domus, quam describit Jul. Capitolinus admirandam, ducentas columnas uno stylo habentem, & cum Thermis adeo lautis, ut præter urbanas, vix aliæ similes haberentur in toto orbe terrarum. In alta Semita Regione, Viminali colle, Diocletianæ extant Thermæ, quas inceperat quidem Diocletianus Imp. cum ordine exactissimo, atque amplissimo Palæstrarum omnium generum, in quarum opus quadraginta millia Christianorum eum addixisse accepimus. Ob magnitudinem tamen (ut in marmorea tabula legitur) CONSTANTINVS ET MAXIMIANVS OMNI CVLTV PERFECTAS ROMANIS SVIS DEDICAR. Hæ, cum integro ferme ædificio admirandæ permanerent hodie Chartusiensium Monasterio Sacræ PIO IIII. PONT. MAX. sub titulo Sanctæ Mariæ de Angelis magnifice restaurantur: cum disticho ad perpetuam rei memoriam posito in ipsa basilica, quod sic a nobis est restitutum:

Quæ fuerant Thermæ, nunc templum est Virginis, auctor
Est PIUS ipse Pater, cedite Deliciæ.

Ultimæ Cæsarum nomine; Constantinæ leguntur Thermæ in Clivo montis Quirinalis. Quas reparatas, non de integro extructas a Constantino existimo, cum vetusto satis appareant opere, necnon marmoreæ tabulæ testimonio, in qua legitur: HAS CIVILI BELLO DEVASTATAS QVANTVM PVBLICAE PATIEBANTVR ANGVSTIAE PETRONIVS PERPENNA RESTITVIT. Prope has L. quoque Pauli balnea, quæ vulgo balnea Neapoli corrupte dicuntur, & Privatæ in tota hac Regione LXXV. Porro recensetur in Esquiliis regione Olympiadis Lavacrum, ubi summo colliculo sancti Laurentii in Panisperna, Monialium Ecclesia hodie celebratur. Ad clivum collis a Suburra Agrippinæ Neronis, quod diximus balneum, & infra Novati civis aliæ balneæ, ubi S. Pudentianæ est Ecclesia. Et Privatæ aliæ in totum LXXV. Subinde ut de Privatis reliquis breviter agam: erant in quarta regione, ubi & Templum Pacis, Privatæ Balneæ LXXV. cum Daphnidis balneo. In Celimontio XX. In via Lata LXXV. In Foro Romano LXVI. In Piscina Publica XLIV. In Palatio XXVI. Ex his aliquæ apud Martialem nominantur Thermæ, Stephani, Tuccæ, Hetrusci, Grilli, Lupi, Fortunati, Pontii, Severi, Fausti, Peti, Titi, Tigillini, quarum loca non assignantur. Porro extra urbem non minor Thermarum cultus esse debuit, ut ex quarundam præclaris colligimus monumentis. Erant ad Hostiam P. Taciti Thermæ, centum Numicidis columnis exornatæ. Arpini suas instituit Thermas Cicero, scribens ex Asia *ad Q. Fratrem*. Erant in Lucullino, quæ nunc *Frascati* vulgo dicitur, Luculli Thermæ, ubi nos integra vidimus Hypocausti vestigia. Ad Bajas autem Thermæ erant præter urbanas, supra quam quis optare potuisset, voluptuosissimæ, natura ipsa ibi aquas uberrime suppeditante, gelidas, calidas, & plurifariam salubres, quas satis in suis historiis celebravimus.

Quid vero hic cæteras Italiæ prosequar Thermas, cum ea tempestate vulgo villa qualibet divitum suas balneas haberet? quin etiam Rusticanas, in quibus familia (ut inquit Columella, & ex eo Palladius) feriis saltem diebus lavaretur:

neque enim frequentem earum usum robori corporis operariorum convenire.

Similiter hunc morem accepisse reliquas Provincias, quibus Romani imperassent, in transcursu diversarum lectionum observavimus. Præter multas, quas legimus Romanis antiquiores, vel apud Sybaritas in Calabria, Athenæo & Suida testibus, populum olim florentissimum, ac deliciosissimum, & quas primas in Græcia diximus, in Asia, in Sicilia, & apud Persas Darii Thermas ditissimas, & lautissimas. Josephus autem quas meminit Herodis Thermas ad Ascalonem, ad Tripolim, ad Damascum, ad Ptolæmaidam in gratiam Augusti editas superabant tam opere, quam magnitudine omnem externarum magnificentiam. Hispani aqua calida lavari post secundum bellum Punicum a Romanis didicere, antea non consueverant nisi in frigida lavari, author Justinus Historicus. Multæ occurrunt apud auctores Thermarum memoriæ in Germania, in Gallia, in Britannia, ac longe plura ipsarum vestigia visuntur in Italia, in quibus vidi sæpius per inscitiam etiam doctos viros obstupescere, alii Theatra, alii Labyrinthos, alii memorandas moles alicujus sepulchri jactantes. Quarum tamen ritum legimus venisse adeo communem, ut non colonias & municipia solum, sed nemo digne tum Romanam militiam profiteri visus esset, qui non haberet sua balnea, & gymnasia, in quibus commilitones sui exercerentur. Quod de Cleandro Tribuno equitum Commodi Cæs. meminit Herodianus. Comi legitur Cælii Poetæ hoc monumentum in marmore:

L. CAECILIVS TESTAMENTO H-S. XXXX. MVNICIPIBVS SVIS COMENSIBVS LEGAVIT. QVORVM REDDITV QVOTANNIS PER NEPTVNALIA OLEVM IN CAMPO, ET IN THERMIS ET BALNEIS OMNIBVS, QVAE SVNT COMI POPVLO PRAEBERETVR.

Dixit in campo, usu antiquo, ubi ad exercitia usus olei necessarius, & in Thermis, pro unctionibus, a balneis. In domesticis vero usibus balneum erat via in cibum, ut notavit Artemidorus. Cujus rei passim habentur exempla, quum ex itinere, labore, ac exercitio quopiam, balneum primo ingredi consueverint, & postea molli aquarum fotu recreati accumberent.

CAP. IV.

Aquarum copia in Urbe. In eadem Lacus quidam. Fontes. Castella aquarum. Trophæa Marii. Castellarii. Leges in aquis Urbanis. Aquarum ductuum magnitudo. Appia aqua: Aniensis vetus: Martia quæ: Aufeja, & Piconia: Trajana: Tepula: Claudia, quæ & Curtia & Cærulea dicta. Fons Albudinus. Anio novus. Aqua Julia, quæ & Aureliana: Alsietina: Crabra: Sabatina: Lacus Sabatis, hodie amnis Larus. Cimina aqua: Fons Veneris. Aqua Virgo quæ. Quis primus Auctor. Nominis ratio. Fons Dianæ vel Triviæ. Juturna a Nympha sic vocata; hodie S. Maria in via, pro in Trivia. Ipsius origo. Ductus longitudo. Puteus Politianus. Museum Mediceum. Agrippæ artificium. Aquæ Virginis perductio. Ab Adriano Pont. instaurata: an a Nicolao V. dubitatur. Cur Salonia dicta. Herculeus rivus non admittitur. Vera nominis origo. Appiæ aquæ pars. Cruda Martiali dicitur, & qua de causa. Aqua Felix qualis. Ipsius perductio; ut & bonitas & copia. Sixti V. Pont. egregia opera.

Urbs autem Roma, cum præter cæteras gratias, quibus eam Altissimus decoravit, salu- A britate aeris, situ agri ad imperium opportuno, maris, & portuum commoditate aquarum dumtaxat sustineret inopiam, hac in parte venisse in certamen quodammodo cum natura visa est, ut aquarum quoque esset abundantissima. Itaque cum hoc desiderio, crescente in dies instituto Thermarum, & modo alia atque alia adducta aqua; haud multo spatio temporis tantam aquarum obtinuit copiam, ut Augusti ætate, Strabone teste, per urbem, atque cloacas omnes inundare viderentur, & universæ propemodum ædes subterraneos meatus, syphones, ac fistulas undosas haberent. Quo tempore M. Agrippa Augusti ipsius gener, quem com- B plura in urbe fecisse constat opera, cultu, atque ædificio magnifica; aquarum Curator perpetuus, auctore Plinio, aliis corrivatis, atque emendatis, & aliis noviter adductis, septingentos lacus fecit. Præterea fontes CV. Castella CXXX. Lacus intelligo ex Frontino, alveo brevi muro, in quibus aquæ reciperentur, & alia ex alia, ut fiunt apud nos Fontanæ, Lavacra, Fullonum stagna, jumentorum aquagia, & hujusmodi publica commoda. Fontes, qui primas ac synceras ex castello funderent aquas, pauciores idcirco quam lacus. Castella, certa Aquæductuum receptacula, ad Mænia C Vitruvio, & in viarum divortiis, ubi aquarum facienda esset distributio. Quale etiamnum visitur in Esquiliis Castellum aquæ Claudiæ, in divortio ad portam Majorem nunc dictam, & ad portam S. Laurentii, quod postea C. Marii trophæis insignitum, adhuc illius retinet nomen. Porro singulis Castellis aquarum erant propositi sui Castellarii, ut præclaro, quod Romæ legitur, epitaphio constat: D. M. CLEMENTI CAESARVM N. SERVO CASTELLARIO AQVAE CLAVDIAE FECIT CLAVDIA SABATIS ET SIBI ET SVIS. Extat Senatusconsultum apud Jul. Frontinum, D quo aquam non erat permissum nisi ex castello adducere, ne aut rivi, aut fistulæ publicæ lacerarentur. Publicis idcirco Thermis, propria castella videntur fuisse constituta: qualia videmus integra ad Diocletianas Thermas, & ad Trajanas, multiplici opere concameratas. In privatis autem prima Censorum, aut Ædilium erat authoritas, quorum arbitratu per modulos, vel unciæ nomine, certo annuo soluto vectigali concedebatur. Legeque cautum, eodem teste, ne quis privatus aliam duceret, quam quæ ex lacu redundaret, quam caducam vocabant: & hanc ipsam non in alium usum quam balnearum, aut fullonicorum dari esse soli- E tam. Omnem aquam in publicos usus erogari debere. Cæterum quot numero essent hæ aquæ, quo nomine, & quo tempore, & unde adducerentur, breviter percurrendum est. Scribit Procopius Justiniani Cæs. Scriba, Romæ quatuordecim fuisse aquarum ductus, ex cocto latere, ea latitudine, ac profunditate, ut fere equester ipso cum equo per eos posset evadere. Nos Frontinum imitati, qui Nerva imperante præfuit hisce operibus curator perpetuus, & scriptis cuncta fideliter mandavit, octo, aut novem suo emissario perductas dicimus. Quæ fuerunt ex ordine, Appia, Aniensis vetus, F Martia, Tepula, Claudia, Aniensis novus, Julia, Alsietina, & Virgo: etiamsi aliquæ postea duplici, ac pluri nomine, ut usu evenit, fuerint cognominatæ. Nam post Frontini ætatem, non aliam legitur, præter eas fuisse adductam, nisi easdem a diversis Imperatoribus aut instauratas, aut a se ductas ad propria commoda. Mirari vero licet in primis ipsarum ductuum fabricam, dignam plane, cum pro magnitudine operis, tum certe pro publica ipsa utilitate, quæ pluribus mundi spectaculis proponenda esse videatur. Moles ingens, a dimidio fere Ita-

liæ quædam perducta, partim excisis ac perforatis montibus, partim ascendens, partim ab imis vallibus per immensos arcus sublatam, quibusdam locis centum & novem pedes altitudinis mensurantur. Universam vero omnium censuram ita habuit Frontinus. Altissimus Anio est novus, proxima Claudia, tertium locum tenet Julia, quartum Tepula, dehinc Martia, quæ capite etiam Claudiæ libram æquat, deinde Appia, omnibus humilior Alsietina. Prima vero, ut propinquior, & maxime commoda. Appia adducta constat ex Tusculano: Censore (ut supra diximus) Appio Claudio, anno Urbis CCCCXLIIII. quæ per portam Capenam, nunc S. Sebastiani, in octo urbis Regiones, ex viginti castellis distribuebatur. Quadraginta vero annis postea, ex manubiis Pyrrhi Regis Epiri, Spurio Garbilio, L. Papyrio Coss. prima Anienis adducta fuit, ut etiam commoda urbi, & altæ originis supra Tybur. Tertia fuit adducta Aqua Martia, dicente Plinio l.XXXVI. cap. XV. Q. Martius jussus a Senatu Aquarum Appiæ, & Anienis tegula ductus reficere, novam a nomine suo appellatam, cuniculis per montes actis intra præturæ suæ tempus adduxit. Et antea lib. XXXI. cap. III. *Clarissima*, inquit, *aquarum omnium in toto orbe frigoris, salubritatisque palma præconio urbis Martia est, inter reliqua deum munera urbi tributa. Vocabatur hæc quondam Aufeja. Fons autem ipse Piconia. Oritur in ultimis montibus Pelignorum. Transit Marsos & Fucinum Lacum, Romam non dubie petens. Mox specu mersa in Tiburtina se aperit novem millibus passuum fornicibus structis perducta. Primus eam in urbem perducere auspicatus est Ancus Martius, unus ex regibus Postea Q. Martius Rex in prætura, rursusque restituit M. Agrippa.* Hæc Plinius. Hanc demum & Trajanam nuncupatam asserit Frontinus, a Trajano in Aventinum usque, protractam. Quarta fuit Tepula, quam ab agro Luculli, quem in Tusculano ex Varrone legimus Gn. Servilius Cepio, L. Cassius Longinus Coss. in Capitolium perduxere, via Latina dextrorsus, longe XI. millia pass. sub terra prius, deinde arcuato opere. Quinta, ac fausti nominis fuit aqua Claudia, ut in frontispicio legitur portæ Meviæ, quæ porta Major hodie appellatur, claris titulis Cæsarum, Claudii, Vespasiani, Titi, & M. Aurelii: Eam quidem destinaverat prius Caligula, perduxit vero Claudius ab usque XXXVI. lapide, via Tyburtina, e fontibus cæruleo, Curtio, atque Albudino collectam, quibus sæpe nominibus scribitur. Adduxit hic, & alteram Anienem, cui ductui ad differentiam veteris Novus Anio cognomentum fuit inditum, Frontino auctore, qui & ipsum postea restituit. Concipitur autem per agrum Tyburtinum XX. milliario, opere altissimo ad Portam Esquilinam adducto. Aquam vero Juliam admiscuit cum Tepula M. Agrippa, via Latina, quæ ab Aureliano iterum restituta, ejus cognomen assumsit. Alsietinam, quam & Augustam, miratur Frontinus Augustum, providentissimum Principem, perducere curasse nullius gratiæ, imo & parum salubrem, nisi forte cum opus Naumachiæ aggrederetur trans Tiberim. Quidam ob hoc eam inter urbanas aquas non numerant. Reliquæ porro quæ leguntur aquæ urbis, aut variæ dumtaxat ipso nomine sunt, sicut jam plura alicui aquæ adduximus nomina: aut externæ sunt aquæ, non urbanæ. Quomodo quidam Alsietinam, ita vocatam ob ingratum saporem inter urbanas (ut dixi) non adnumerant. Nec Crabram, quæ erat alia aqua, Tusculanis, unde advehebat, relicta. Nec Sabatinam, quam a Lacu Sabatis, qui hodie est amnis Larus, novissimam omnium aquarum brevi modulo restituit Hadrianus I. Pont. Max. quam & Ciminam interim appellari invenio, a Cimino ipso monte in Faliscis, fonte Veneris deducta. Drusa autem, Annia, Trajana, Antoniniana, Severiana, Alexandrina, & id genus aliæ, nomina esse tantum aut instauratorum, aut insignium eorundem constat, haudquaquam diversæ a prædictis aquæ. Quod facit honoris aviditas, ut quisque studeat circa ejusmodi res præclaras, perpetuam sibi famam ac memoriam comparare. Itaque prima Thermarum instituta atque momenta aquarum ductuum habemus.

DE AQUA VIRGINE,

QUAM VOCANT SALONIAM.

De aqua autem Virgine, quoniam sola hæc ad nostram hanc ætatem Romam perducitur, altior aliquanto sermo habendus est. Eam perduxit Agrippa, ut Plinius meminit lib. XXXI. cap. III. & deinde Claud. Cæs. Primum vero auctorem Cajum Cæs. fuisse indicant marmoreæ inscriptiones, quarum una in ejus aquæductu ita legitur: TIT. CLAVDIVS DRVSI FILIVS CAESAR AVG. DVCTVS AQVAE VIRGINIS PER C. CAESAREM DISTVRBATOS, A FVNDAMENTIS NOVOS FECIT, ET RESTITVIT. Virginis porro nomen (ut idem Frontinus scribit) ex intentione fuit huic aquæ inditum: nam quærentibus aquam militibus, puellam virgunculam quasdam venas præmonstrasse, ac illas sequutos ingentem aquæ modum invenisse. Ædicula idcirco Virginis fonti apposita. Quod nomen postea videntur adscivisse Dianæ, ac Triviæ nuncupasse, quasi Dianæ fons diceretur, & aqua Dianæ sacra: quæ Veteribus virgo habita est, & in Triviis, ut triplex habere dicebatur nomen, celebrari solita, nec non a triplici fonte, quibus hæc aqua concipitur. Vel (ut quibusdam placet Antiquariis) Virginis nomen indicasse Juturnam, ac templum similiter Juturnæ sacrum: quam Nympham sic dictam (teste Varrone) quod juvaret, in votis fuisse habitam asserunt infirmis, qui ex ea aqua biberent, sacramque idcirco hanc ædem ei fuisse constitutam, sed postea Religione introducta, in superstitionem præteriti sæculi abolendam, fontem ipsum simul atque puteum qui extat, Divæ Mariæ Virgini fuisse consecratum. Utramlibet quis ejus nominis interpretationem accipiat, verumtamen eo fit magis verisimilis nostra sententia, hunc fontem fuisse Virginem a Dia, & Trivia nuncupatum; quod nomen ipsum ædis S. Maria in via, vulgari (ut videtur) voce mutila dicitur, pro S. Maria in Trivia, ubi multa cum devotione Beatæ Mariæ Virginis etiamnum ea aqua ab infirmis bibitur. De fonte ergo ipso, qui adhuc in Triviæ vico celebris est, non est dubitandum. De origine autem, Plinius aperte dicit concipi via Prænestina. Frontinus autem, Collatina ad milliarium octavum; quæ, ut quidam putant, duorum circiter milliariorum spatio abest a via Prænestina, dicente Plinio: *Marcus Agrippa & Virginem adduxit aquam ab octavi lapidis diverticulo duo millia passuum Prænestina via: juxta est Herculaneus rivus, quem refugiens, Virginis nomen obtinuit.* hactenus Plinius. Habet autem ductus longitudinis a capite ad ipsum Trivii fontem, (ut Frontinus dimensus est) milliariorum XIV. nam ubi specus subit montium, ubi circuit colles, vel valles æquat arcuato opere, multos habet flexus. Progreditur Anienem fluvium, ac intersecta Ty-

burtina via, & exinde Nomentana, & proxime Salaria tandem inter Collatinam Portam, quæ est Salaria, & Pincianam, sub colle Hortulorum, qui est hodie Sanctæ Trinitatis, ad Trivium vicum exilit fonte. Subit eum profundissimo specu, cujus ad summam planitiem altissimus puteus repertus, utrimque vero duæ Tyburtino lapide inventæ sunt ejus aquæ, inscriptiones TIB. CLAVDII nomine. Locum vero cum magnifico, ac conspicuo in totam urbem ædificio ornare jam cœpisset Joannes Politianus S. R. E. Card. hodie amplissimi ejusdem ordinis Ferdinandus Mediceus, perficit, ac tanta addidit ornamenta, lucos, nymphæum, pomeria, amœnissima longe lateque ambulacra, signa, tabulas, innumera pictorum spectacula; taceo ædium sumptuosissimos apparatus, & quæ majora adhuc parantur opera, ac perductiones aquarum in præaltum collem admirandas; ut jam Luculleam, ac lautissimam illam Veterum magnificentiam repræsentare videatur. Et quod ignotum fuit magnis illis Romanorum architectis, eritque omni futuro seculo memorabile Camilli Agrippæ architecti inventum; salientem suapte sponte facit aquam (impulsam tamen in æreum tubum rotis per ipsam aquam volubilibus & machinis) quæ ex imo puteo ad summa viridaria, triginta circiter passus exilit fonte, ac tanta ubertate, ut hortos omniquaque, & ipsam domum reddat aquis irriguam. Cujus tam frugi operæ, primam sane laudem promerentur Sanctissimi D. nostri PIUS IIII. & qui statim ei successit PIUS V. & nunc GREGORIUS XIII. qui aquam Virginem in pristinam antiquorum formam perducere curavere. Quippe lapsu temporum hæc aqua varias subiit mutationes, & quod mirum est, usque a Plinii tempore (ut ipse meminit) simulatque Martia aliquam incurrit penuriam: *Ambitione* (inquit) *ac avaritia in villas, ac suburbana detorquentibus publicam salutem*. Postea grassantibus in Italiam, & in urbem ipsam tot bellis, ac variarum gentium incursionibus: plana in historiis monumenta habentur, quæ refert Platina, Adrianum patria Romanum PONT. MAX. domitis jam afflictisque Longobardis, anno salutis nostræ circiter MCCLXXVI. Virginis aquæ ductum, cum aliis urbis aquæductibus restituisse. Donec iterum non multo post dirutus, pro tanta rerum, ac imperii, quæ successit calamitate, nusquam præterea videtur fuisse restitutus. Nam quod in ipso Trivii fonte legitur, Nicolaum V. anno abhinc CXXX. Virginem fontem restituisse: plane videtur is Pontifex haud ullam partem ductus antiqui hujus aquæ instaurasse; sed confluentes dumtaxat e vicinia venas citra pontem Salarium, pro refugio urbis collegisse, quæ est minima pars. Virgo igitur aqua octavo (ut diximus) milliario concipitur, ubi nunc locus a Salone dicitur: quæcumque fuerit hujus nominis significatio apud vulgus, quod, ut consuevit hujusmodi aquarum conceptacula *salas* dicere, forsan & hoc ob amplitudinem areæ Salonem nuncuparit, dicente præsertim Frontino, hunc locum, unde Virgo aqua concipitur, signino opere communitum, quod nunc quoque visitur aliqua parte. Juxta est rivus Herculaneus, quem tamen non admittit, tum quia locus palustris, humilisque est, ac uligine propterea oblitus, nec aquæ est satis utilis; tum quia satis superque ad eam formam aquæductus Salonia est. Nec eum rivum admisisse Antiquos, satis aperte declarant ea Plinii verba jam allegata. Juxta est Herculaneus rivus, quem refugiens Virginis nomen obtinuit. Nec secus admittenda eorum sententia est, qui ad Salinas vocatas a Frontino aquas pro Salonia acceperint: cum hæ longius influant a Salone, sinistrorsus a via Prænestina, ut idem Frontinus inquit, passuum septingentorum octoginta: quæ vel Appia aqua, vel Appiæ pars per Capenam portam, nunc sancti Sebastiani, ducebatur in urbem. Tota ergo Virgo aqua Salonia est, quæ multis venarum ac rivulorum acquisitionibus usque in viam Salariam aucta, structura (ut a Frontino primum dimensam invenimus) per longitudinem passuum XIV. millium in Trivium redit. Quam PIUS IV. primum destinaverat: PIUS vero V. cum orthodoxam fidem nostram a tot seculi hujus erroribus vindicare studeat, pie tamen & publicæ utilitati consulens, opus tam frugi prosequutus est, aquamque Virginem, adeo tot seculis desideratam, hoc anno MDLXX. decimo septimo Calend. Septembris, cum maximo totius urbis applausu, ac gaudio perduxit in totum. Consultis tamen prius (ut sapientissimum decet Principem) Medicis, a quibus & bonitatem aquæ, & utilitatem, quam præbere posset huic almæ urbi relatam, comprobavit. Qua de re hæc mea est sententia: Sane magnum argumentum bonitatis hujus aquæ hoc esse existimo, quod hæc fuerit in usu, ut nunc quoque est, longissimis seculis, ac primas semper habuerit laudes simul cum aqua Martia inter cæteras urbis aquas, auctore Plinio lib. XXXI. cap. III. *Quantum Virgo tactu* (hoc est, frigore) *tantum præstat Martia haustu: alternante hoc bono, ut quæ tactu sint frigidæ, eas non perinde (laudabiles) & haustu esse*. hæc succincte Plinius. Hanc aquam Martialis cognominat *crudam*, illis versibus, lib. VI. epigr. XLII.

Ritus si placeant tibi Laconum,
Contentus potes arido vapore,
Cruda Virgine, Maritave mergi.

Quo nomine haud quidem cruditatis vitio eam hic Poeta damnare voluit; sed miris extollens laudibus Hetrusci balneum, blanditie præsertim, & varietate influentium, & tepidarum & frigidarum aquarum, hanc specialiter usu balnei comprobat frigore, & pro frigida, metri caussa, dixit crudam. Vel crudam intelligas eum dixisse in comparatione aquæ Martiæ, quæ (ut dictum est) utilior haustu erat, Virgo tactu. In experimentis, tardius hæc coquit legumina, ac cibaria, reliquaque Tiberis aquæ limpidæ, & cisternalis aliquæ, nimirum quia fluviales ejusmodi, in respectu fontium, omni exutæ sunt cruditate, ac pluviales magis aereæ. Cæterum hæc aqua nullis fontium aquis videtur merito postponenda.

DE NOVA AQUA FELICE,

SIXTO V. PONT. MAX.

Post has omnes in urbem deductas aquas, hodie SIXTUS V. PONT. MAX. dum egregios imitatur priscorum Romanorum conatus, *Felicem* suo nomine aquam, a Prænestinis usque collibus perduxit, longo excursu ab urbe XX mill. pass. Quam cum alii aliquam ex antiquis putent aquis, vel Claudiam, qui cum certo spatio conducatur, vel novam perductionem, vel certe Appiam esse, quod ex eodem fere conceptaculo excipiantur: Nos tamen re diligenter perspecta, Appiam quidem hanc a prima origine confirmamus; novam tamen esse perductionem, unde recte novo nomine, ac auctore *Felicem* nuncupandam non dubitamus asserere, duplici ratione. Tum ob altitudinem: ubi enim Appia primum excepta erat humili situ, & secus viam Prænestinam excurreret, (ut Frontinus est testis) hæc perducta altius, ut nostra diligentia, ac relatis accepimus ab ejus operis perfectis, qui hanc perductionem, ac versuras ad regulam & libellum di-

mensi sunt, superat admodum antiquos Appiæ ductus. Tum quia manifeste hæc relicto a capite antiquo Appiæ ductu, ceu depressa nimis, ac semilaceræ structuræ, nunc novo ad sinistram ductu sub Columna Illustrium Columnarum oppido perducta, præalta multis palmis structura, partim rivo subterraneo, partim arcuata substructione, ac redivivis nonnullis Appiæ, & Claudiæ fragmentis subvecta, per portam Sancti Laurentii in altas Esquilias subit, ac in Quirinalem usque collem largis fontibus influit. Quare altitudine, præter unum Anienem, superat cæteros ductus antiquos: bonitate vero aquæ (ut post Antiquorum censuras nostra adhibuimus experimenta) valde salubri: tanta B ubertate, ac commoditate jam in omnes Urbis regiones distribuenda, ut opus egregium in perpetuam omni sæculo laudem ipsi summo auctori commemorandum sit. Quando præsertim tot alia prudentissimus Pont. memoratu dignissima aggressus sit opera, eaque mira duorum annorum celeritate perfecerit. Obeliscum in primis maximum, quod nemo unquam ex aliis Pontiff. quamquam cogitaverint aliqui, ob magnitudinem tamen operis tentare ausus est, nunc ex humili loco Vaticani sublatum, ac ante Aedem Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli constitutum, ceu maximum S. Crucis tabernaculum, & perpetuum religionis ergo extabit C monumentum. Vias præterea undequaque stratas, ac amplissimas, auctum cultum religionis, urbem totamque Italiam pacatam, & ærarium publicum cum his impensis, ultra communem æxtimationem locupletatum. Post, inquam, tot magnifica opera, dandum hoc potissimum harum aquarum commoditati, & copiæ, ut jam directis, complanatisque per urbis colles viis ad primarias ecclesias, ac fontibus passim constitutis, antiqua urbs ubique habitabilis, pristinam formam, majoremque aeris salubritatem tanto Pontifice sit recuperatura: quarum rerum jam plenæ erunt historiæ, ac nos voluimus in hæc nostra monumenta referri, illisque D ornari ad perpetuam memoriam.

CAP. V.

Thermarum Ichnographia, Spatia; Magnitudo. Gymnasia, Scholæ, ac Palæstræ in Thermis. Πένταθλον *& Quinquertium quid. Ludi Olympici. Hinc Olympiades, Lustra Latinis. Usus Thermarum: forma ac partitio.*

Thermas vero per partes literis instaurare, haud quaquam præsentis muneris est. Nec facile esset, pro tantæ molis magnitudine, E non unius structuræ exemplo; nulloque integre scriptore mandata literis, nisi obiter a multis, & controverse. Et quæ obsita adeo vetustissimis jacet ruinis, ut quamquam peritissimi multi, hac ætate, Antiquarii conquisitissime studuerint eas in aliquam lucem revocare: non minor tamen adhuc relicta sit, magnis etiam ingeniis confusio, & quæ sparsim de his leguntur authoritates scriptorum, cum paucis quæ ipsarum apparent reliquiis concordent. In primis describenda esset ἰχνογραφία, basisque tanti ædificii, quam nostri ad verbum *Plantam* recte appellant: at hæc diversissima habetur ab ea quam tradit Vitruvius, nec eadem dispositio in omnibus Thermis. Porro, præter spatia F platearum, ac additos lucos, hortosque immensos, ac lacus, distinguenda essent loca exercitationum a balneis. Ac loca propria cuique exercitii generi assignanda, ubi cominus, ac brevi circo, ubi eminus fierent, sub tecto, in Xistis. Et quæ ratio fuisset exercitiorum in Palæstris, & qualia exercitia. Quis usus præterea tot aliarum partium: & quæ dispositio, Corycæi, Ephebæi, Elæothesii, Conisterii, Exhedrarum, Sphæristerii, Xistorum: Et de balneis, si singulæ Thermæ plura habebant balnea, ut dubium non est, quænam ratio distinctionis, an commoditati, an loco, an ordini, ut cunctis legitur fuisse consultum. An omnibus unum esset commune hypocaustum: & seu unum commune omnibus, seu commune uni partitioni, ut verisimile fit, quo loco maxime commodo. An binæ & ternæ quæ leguntur lavationes, eodem fierent balneo, an diverso. Et si diverso an eadem pluribus serviebat, an singulis nova aqua. Vel quæ ratio tam miri artificii calefaciendi una hora tantam aquæ quantitatem, quæ innumerabili populo sufficeret? Unde & quo certo ductu tantæ aquæ copia? Quæ ratio erat Pensilium Balnearum, quas tanto cum applausu Urbis, & totius Italiæ quosdam introduxisse legitur? Quibus ad id vasibus, aut balneis, aut alveis utebantur? Et si labris lapideis (ut quidam putant) quæ videmus per Urbem maximis: quæ eorum erant in balneis dispositiones, & quo situ ad aquas accipiendas? Et de balneariis rebus, quæ sanis expedirent, & quæ ægris. Quid dicam de lavandi ritu per ordines, per ætates, per leges, per anni tempora, per ipsa exercitia; ac de innumeris denique id genus circumstantiis, quas vel non scriptas ab Antiquariis, vel per conjecturam dumtaxat tentatas a Junioribus, meris potius erroribus obscuratas, quam explicatas invenimus?

Quare nos dum hæc aliqua ex parte revocare in lucem intendimus, & quæ usui maxime Medice opportuna sunt, exponere, nullam fere Juniorum positionem sequemur: sed quantum ex ratione illorum rituum, simul atque locorum ipsorum diligenti consideratione colligere potuimus, percurremus. Spatia in primis Thermarum videmus amplissima: atque adeo ut quasdam undecies millies pedum tota area continere constet, auctore Baptista Alberto in libris *de Architectura*. In Diocletianis, quæ in ipsa area apparent vestigia, præter spatia undique platearum, & præter membra, quæ inferius ac superius variis Thermarum ministeriis serviebant, centum continent partitiones, vario ac nobilissimo ordine. Nec mirum, si consideraretur publici ædificii magnitudo, in quo communis fuerit ratio maxime civitatis ad exercitia corporis, ad balneas, ad disciplinas, ad omnes delicias. In his enim communia erant studia, tam animi, quam corporis. Nec alia erant artium gymnasia, aut scholæ: unde communiter apud auctores gymnasia legimus pro balneis, & quorumcumque exercitiorum locis, ἀπὸ τοῦ γυμνάζειν, hoc est, *ab exercendo*, quæ Latinis apposite *ludi* dicti sunt. Nam auctore Asconio, omnem scholam Romani ludum dixerunt, ubi scilicet omne ludicri genus tam ad animi, quam ad corporis exercitationem fiebat. Quare in Thermis sæpe ludum palæstræ legimus, ludum pilæ, ludum gladiatorium, ludum litterarum, ubi scilicet pueri a suis præceptoribus erudiebantur, & hæc eadem gymnasia. Summæ vero gloriæ in exercitamentis erat Græcis πεντάπλον, quod *quinquertium* Latini vertunt, Festo interprete, a quinque certaminum generibus, lucta, disco, saltu, cursu, & pugilatu, & παγκράτιον, & παγκρατιάσας, qui omnibus vicisset. Ortam vero Antiquis laudabilem consuetudinem constat, a certaminibus, ac ludis Olympicis, qui ab Hercule primum (ut tradunt) constituti inter Elidem, & Pisas tunc nobiles urbes in Achaia, pro gloriæ cupiditate dimanasse videntur tractu temporum ad varias alias nationes. Unde cum singulis quinque annis Olympiades, propterea Lustra Latinis dicta sunt, ad ea certamina concurrissent undique viri fortissimi, præclara legimus edita a Pindaro poemata in gloriam victorum, quos sub octogesima & sexta Olympiade

piade commendare suscepit, non solum Græciæ, Siciliæ, & Italiæ, sed & ex Ægypto permultos, & ex Asia. In his ergo omnibus, quæ erant in Thermis civilia instituta, quis dicendo assequatur singula membra, ac loca, ac ipsarum partium ornamenta, in quibus nihil non decorum, non spectabile, non summæ deliciæ? Nam ratio ac res ipsa ostendit, non solum usui in partibus Thermarum fuisse consultum, verum etiam ut juventus facilius ad ea studia traheretur, & deliciis maxime, & ornamento cunctarum rerum. Propterea Thermæ neque digniora occupabant urbis loca, neque inter viliores fiebant vicos, sed ubi loci capacitas, atque operis majestas requireret. Vitruvii tamen ætate non videtur fuisse consuetudinis Italicæ (ut ipse scribit) magnificare adeo palæstras ac Gymnasia in Thermis: ut quibus satis ad exercitia facerent tum Campus ipse Martius, tum Agonalis, tot Circi, tot plateæ, tot alia exercitationum loca publica, & privata. Sed per angustas fieri, & parvas, quales Agrippæ Thermas meminit Plinius. Postea vero producto imperio urbis ad luxuriam Principum, non modo Græcorum more constitutæ, sed dilatatæ fuere amplius, distinctaque melius loca exercitationum, ac Gymnasia a balneis. Quales Antoninianæ, ac Diocletianæ de majoribus extant, ac melius dispositis: quarum si nunc præsumam describere magnitudinem, non tam describere, quam majorem partem dignitatis earum mihi videbor minuere: sed harum maxime, ad notitiam tanti ritus, sequar vestigia. In his ædificationis erat varia forma, ac varia dispositio partium: sed area amplissima, quæ in quadrum clausa, tribus veluti perpetuis circuitionibus divisa esset. In primo undique ambitu, quæ mœniorum instar totum ædificium claudebant, erant Gymnasia exercitationum, vario ordine; quæ dicemus. In secundo, longe lateque spatia platearum, Xista, ac Platanones, ad exercitia sub divo. In medio, tota ipsa moles Thermarum, quæ sunt membra balnearum. Atria, simul atque Xisti, & Palæstrarum amplissimæ porticus, ubi (auctore Vitruvio) Athletæ per hyberna tempora in tectis stadiis exercerentur, ac transirent statim ad balneas, ut delineata primum ipsarum basi, distincte magis singula explanabimus.

CAP. VI.

Thermarum partes. Posticum. Peristylia; Sphæristeria; Sacella; Gymnasia; Vestibulum; Exhedræ; Hemicycli; Scholæ: Xista, Sylva, & Platanones; Stadium. Natatio: In ea Emissarium aquæ Martiæ; Fontes ac Musea; Porticus; Basilica; Diæta; Atria; Ephebeum; Corticeum, seu Coriceum, & Choriceum; Frigidarium; Sphæristerium; Elæothesium; Conisterium; Propnigæum; Palæstræ interiores; Porticus stadiatæ. Xistus qualis porticus.

IN prima ergo facie, quæ ad meridiem, tertiam fere partem mediam occupabat Theatridium, quæ pars erat principalis, & tamquam caput totius hujus ædificii: unde duplicem, (ut quibusdam videtur) habet usum; alterum extrinsecus, alterum intrinsecus. Ambitum enim exteriorem ponunt fuisse arcuato opere distinctum, & apertum, quo exemplo patet, circumcolumnium post basilicam ecclesiæ Lateranensis. Unde scilicet ingrederentur quasi per Posticum, & sive dextera verterentur, sive sinistra per porticus, aperte venirent in amplissimam plateam, ac exinde quo vellent, sive in palæstras, sive in balneas. In conspectu vero interiori erga plateas, erat Theatri specie distinctum cum sedibus, ut scilicet populus, & maxime nobiles sub umbra meridiei sederet ad ludorum spectacula, qui in

A plateis exercitii causa fierent. Partes vero quæ utrinque a Theatridio plures sunt, aliqui balnea putant. Nam quod rotunda forma est utrinque in versuris unum, pingunt esse calidarium, & consequenter ponunt unum Tepidarium, unum frigidarium, & unum Apodyterium. Nec equidem negaverim debuisse quædam balnea seorsum, & quasi extra palæstras constitui: partim mulieribus, partim artificibus, & his qui venientes a civitate, statim intrarent, & quasi extra conspectum popularem lavarentur, & abirent. Veruntamen hæc non fuisse balnea, haud dubie videtur: nam juxta eam appictionem, nullus hic videtur Hypocausti locus: quod debuit
B esse in medio, & commune utrumque ordini balnearum, teste Vitruvio, at in medio hic est Theatridium maximum. Nec erat consentaneum, ut membra spectaculi essent Stuphæ. Deest & Laconicum, nisi fortasse hæc opinio confundat Laconicum cum calidario. Sat erat & unum Apodyterium commune, utpote unum vestibulum balnearum: hic duo ponuntur. Et præterea Tepidaria duo, cum tamen idem sit Tepidarium, quod Apodyterium. Melius ergo mihi videtur dicendum, hæc fuisse partim ipsius Theatridii membra, & partim loca ad usum Athletarum, id est, eorum, qui exercendi essent co-
C ram Theatridio, utpote Conisteria, Elæothesia, & quædam aperte in plateam, equorum carceres. Duo post hæc Peristylia quadrata oblonga, hinc atque hinc unum a Theatridio, quasi palæstræ breves, vel deambulationes. Ac in versuris utrinque, unum Sphæristerium, quod diximus rotunda forma, cum pluribus (ut scribit Plinius Junior de villa sua) exercitationum generibus. Vel Sacella, ut notatur per ædiculas, æquis undique spatiis statuarum: hæc erat primæ faciei partitio. Porro in altera facie, quæ ab Aquilone eodem commensu huic respondet, videntur fuisse majori ex parte Gymnasia, Philosophis dicata, ac Rhetoribus, reliquisque qui studiis
D literarum dedissent operam. Utpote pars magis remota a strepitu Athletarum; & situ commodissimo, tum propter amœnitatem umbrarum (erant enim in hac platea Platanones, ut dicemus) tum propter grata fontium murmura, in Natationem ipsam cadentium. Quapropter visum est pluribus Antiquariis, in medio hoc spatio a Septentrione fuisse principale vestibulum totius hujus ædificii. Ex quo per medios Platanones patebat aditus ad Natationem, & hinc in porticus, in basilicas, Diætas, & atria, quæ postea dicemus. Primum vero a dextra vestibuli, & a sinistra erant Exhedræ plures clausæ ante pla-
E team, & cum sedibus Hemicycli forma, ut disputantes & tam loquentes, quam audientes sese omnes aspicerent; & aliquæ patentes; ceu scholæ nostræ ad leviora studia. Majorem vero partem exercitationum Gymnasticarum continebant duæ utrinque facies laterales, quæ conformes hinc atque hinc habebant partitiones. Ac fuisse eas ad exercitia dicatas videtur: tum quia plateæ hæ laterales erant liberæ, & amplæ mille circiter pedum spatio. Tum quia membra ipsa partim erant Hemicycli aperti cum sedibus, ac vario ornamento, quod apparet, signorum, ac picturarum: & partim Conisteria, Elæothesia, aliaque membra ad usum Athle-
F tarum opportuna. Totam hanc autem primam circumferentiam circumdabant continuæ porticus, quædam ducentas columnas uno stylo habentes. Subinde erant plateæ, amplæ, & liberæ, ut dixi, tam quæ ante Theatridium, quam utræque laterales. In ea autem, quæ erat ante Natationem, erant Xistum, Platanones, & Stadium, ad exercitationes maxime æstivas idonea. Fiebant enim Xista (auctore Vitruvio) inter duas porticus Sylvæ, quæ erant Platani, virentesque id genus arbores consitæ, aptissimo situ ante Natationem, unde aquarum

caperent refrigeria. Post Xistum autem Stadium, A ita figuratum, inquit Vitruvius, ut possent hominum copiæ sine impedimento, athletarum cursus, variaque alia spectare certamina. Atque hæ omnes erant partitiones quoquo latere, & Gymnasiorum & platearum. Summa vero operis majestas, erat tota moles in medio, quæ communes habebat palæstras cum balneis, ac multimodis earum membris, ac miri artificii. Nam si ædificiorum perfectio proportionibus humani corporis respondere debet, ut Vitruvius tradit, perfectissime respondit in Thermis Diocletianis, ac melius quam constituat ex Græcis Vitruvius. Etenim in his Theatridium, ubi erat vestibulum, tanquam caput. B Apodyterium, pectus: Hypocaustum, stomachus: umbilicus, maxima, ac regalis basilica in medio: venter, Natatio. Membrorum vero utrinque, quæ sunt balnea, atria, palæstræ, porticus, diætæ, basilicæ; æqua ratio, ac mensura est, ut brachiorum, ac femorum: ita ut quæ ex una tradetur parte, eadem ex altera pariter intelligenda sit. Incipiemus autem a Natatione, quæ patentissima pars aspiciebat Aquilonem: & ex ea a latere per basilicas, ac diætas venimus in atria, exinde in palæstras interiores, ac maximam basilicam, & demum ad balnearum membra. Erat, inquam, Natatio in recessu medio ab aquilone, longitudine C ducentorum pedum, latitudine dimidio minus, ponte, ac arcubus bipartita ad interiores aditus, ubi nunc facta est majoris altaris basilica. Habebat autem a castello proximo aquæ Martiæ emissarium, quod per occultos tubos ferebat ad Natationem ipsam aquas. Habebat & superne ad longitudinem fontes varia specie, ac Musea, quæ teste Plinio, ex pumicibus, ac erosis vetustate saxis extructa (ut hodie quoque Romæ sunt in usu) specus imaginem referebant, ac fistulis modo apertis, modo clausis, vario, blandissimoque salientium aquarum lusu, recentes semper aquas in Natationem ipsam fundebant. Miris circum adhibitis ornamentis, quorum D etiamnum apparent ædiculæ signorum, & statuarum, fontiumque vestigia, & columnarum bases. A Natatione plura, ac nobilissima membra: primum ab utroque capite erant amplissimæ porticus conformes, nimirum & ad spectacula Natationum, & ad refrigeria constitutæ. Et aliæ ad altiorem prospectum porticus pensiles, minori stylo. Exeuntibus vero a porticu, tam dextra, quam sinistra, erat primum basilica amœnissima, ubi convenirent omnes, qui vel in palæstras venturi essent, vel in balnea. Id circo satis ampla, quæ ornatu plasticis, ac picturis adhuc nitet antiquissimis. Hinc recta in Diætam, E quæ erat eadem capacitate, sed latior tamen basilica, duplici columnarum stylo tripartita: nam media parte ceu atriolum, erat aditus in atrium maximum, & in palæstris: capita vero hinc atque hinc desinebant in hemicyclis, ubi fortasse Athletarum ferrentur judicia. In Atriis erant Peristilia, hoc est, circumcolumnia, quæ faciebant atrium oblongum trecentis pedibus, latitudine dimidio minus: ubi in porticu orientali parte, hæc membra, situ aliquantisper diverso ab eo, quem assignat Vitruvius. Primo Ephebeum, in medio, hoc autem erat Hæxedra amplissima cum sedibus, quæ tertia item parte longior quam lata, erat ad exercitia juvenum dicata. F Sub dextra Ephebei erat Corticeum, seu Coryceum a Coryco, quod videtur pilæ genus in Gal. 11. *de san. tu.* Seu choriceum dictum, choreis nimirum, ac saltationibus locus proprius. Proxime frigidarium, locus ventis perflatus, fenestris amplis. Ab eoque inter in Sphæristerium oblongum, & simplex, ad pilæ ludum aptissimum. Ad Elæothesium, quæ erat ad unctiones faciendas cella olearia. Sub hoc Conisterium, ubi sicco pulvere, vel harena luctaturi sese conspergerent. Ab eoque iter in Propnigæum, ubi erat in versura porticus Laconicum, quod referemus suo loco postea. A Peristilio autem, atrioque intrantibus ad interiores Palæstras, erant Porticus tres stadiatæ, quas hodie occupat longitudo ecclesiæ. Ex quibus media pars amplissima, centum pedum latitudine, super ingentes columnas, altissima prominet testudine, cæterum ita facta secundum Vitruvium, uti latera, quæ sunt utrinque ad columnas, margines haberent, & quales habet hodie via ab Hadriani mole ad Vaticanum semitas, non minus pedum denum, reliquaque planicies octoginta pedum. Ita qui vestiti ambularent circum in marginibus, non impediebantur a cunctis se exercentibus. Hæc autem Porticus Ξιςὸς apud Græcos vocitatur; in qua Athletæ in tectis stadiis exercentur: quoniam exacte erat in medio, & veluti in corde totius ædificii, ubi maxime convenire solebat nobilitas ad exercitia hyberna, ad ambulationes, & ad spectacula: cæteras merito excedit partes, tum magnitudine, tum regali majestate operis, altissimis superbissimisque prominens columnis, & patentissima undique in peristilia, in balneas, in Hypocaustum, in Natationem, ac superne fenestris illustratur latissimis.

CAP. VII.

Thermarum instituta ac fines. Balnearum & exercitationum mutua beneficia: Galeno qui dicta. Vitæ ratio Romanorum in Thermis. Βαλανεῖα *cur vocitata. Exercitationum loca. Personarum exercitationes; Puerorum; Juvenum. Cæstus. Harpastum. Senum exercitationes. Operarii qui. Campi Martii magnificentia. Mausoleum Augusti. Nostri sæculi vita differens ab Antiquis. Exercitia nostri temporis inertia. Exercitii necessitas ad vitam. Exercitationum differentiæ, genera. Halteres quales essent. Variæ recensentur. Lucta. Ludus parvæ pilæ. Pilarum genus varium. Trigonalis pilæ lusus. Lenes exercitationes, lectio & ambulatio.*

Constat ergo hactenus, balnearum loca in Thermis, atque Exercitationum fuisse conjuncta: idque optima ratione, quoniam utrorumque similiter conjuncta erat utilitas, ac mutua erant invicem beneficia. Nempe Thermarum ratio duos, imo tres habebat fines: primum ad disciplinam juventutis, quæ sic viribus corporis, honestisque vitæ conatibus prævalere assuesceret: deinde ad sanitatem tuendam, qui duo fuerant fines præcipui: & demum ad delicias. In quibus omnibus mutua balnearum, atque Exercitationum erant beneficia. Nam quantum conferebant balnea lassatis exercitatione, ac labore corporibus ad robur virium reparandum, & ad munditiam; tantundem rependebant utilitatis exercitia, sine quibus balnea non possunt esse utilia, maxime sanis. Itaque Galenus in *lib. de tuend. san.* modo balnea Recuratoria virium esse dixit, modo Exercitia Præparatoria ad balneum. Quod frequenter in aliis auctoribus legimus, & succincte colligitur ex Martial. *lib.* VII. epigr. XXXI.

Non pila, non follis, non te Paganica Thermis
Præparat, aut nudi stipitis ictus hebes.
Vara nec injecto ceromate brachia tendis,
Non harpasta manu pulverulenta rapis.

Vidisses igitur tum frequentem civitatem, non secus atque hodie nos solemus sacras Ecclesias festis solemnibus, frequentare Thermas. Alios quidem ad honestos, quos primo instituto proposuimus vitæ conatus. Alios ad sanitatem tuendam. Et alios ad oblectamenta tam animi; quam corporis capienda, pro celebritate illa populi, pro variarum

rerum, ac ludorum spectaculis. Et denique pro amænitate loci deliciosissimi: unde βαλανεῖον idcirco dictum Græca voce existimat D. Aug. in *Confessionib.* quod βάλλει τὰς ἀνίας, id est, *quod anxietates tollat*. Ergo ut pro veteri instituto generosæ civitatis, quam diximus in laboribus natam & eductam, magna erat omnium in Thermis celebritas, ita pro tempore, & pro conditionibus personarum, Exercitationes erant variæ, & in variis locis. Quippe aliæ in Palæstris fiebant, aliæ in Xistis, aliæ in Hederis, sub dio aliæ, in stadio, & platearum libero spatio, aliæ in pluribus fiebant locis. Nec secus quædam erant communes exercitationes pueris, senibus, juvenibus, ut eo carmine notatur a Martiale, *lib.* XIV. epigr. XLVII.

Folle decet pueros ludere, folle senes.

Quædam propriæ. Juniores aut lucta, aut cursu, aut saltu, aut pila ludicrisque id genus exercitiis, cœpissent assuescere in Ephebæis. Quem plane morem repræsentavit Plinius in Bacchidibus, ubi in personam severi senis indicat pueros primis viginti annis cum Pædagogo in Palæstram ante solem exorientem venisse solitos:

Ibi cursu, luctando, hasta, disco, pugilatu, pila,
Saliendo se exercebant; magis quam scorto, aut suaviis.

Fortiori autem juventa iisdem quidem exercebantur, vel acrioribus etiam plerumque ludis, halteribus, harpasto, & aliquando cæstu. Vel armorum variis generibus in Palæstris. Vel in Hippodromis cursu equi, vel agitatu. Athletæ, vel stadium spectante populo decurrissent, vel acri pugilatu dimicassent, cum cæstibus plumbeis, ac baltheis implicatis manibus, quod certaminis genus erat gravissimum, ac a Virgilio pulchre describitur de Daretis, & Entelli certamine. Alii saltu simul exercebantur & halteribus, item plumbeis globulis. Alii in sphæristeriis lusissent pila, vel folle in plateis, vel Harpasto, quæ pila erat maxima. Seniores quidam, quorum erant ad sanitatem præcipua studia, ut recensuit Galenus *de san. tuend.* ambulatione dumtaxat ante balneum contenti erant. Alii clara lectione, vel disputatione in Hemicyclis, vel declamatione oratoria, vel cantu musico. Alii modo uno utebantur, modo alio per occasionem, exercitii genere: idcirco nec mirum septies quosdam aliqua die lavari solitos, quod apud Plinium legitur. Alexander Severus, ut meminit Lampridius, post lectionem operam palæstræ, aut sphæristerio, aut cursui, aut luctaminibus mollioribus dabat, mox veniebat in balneum. Aliis supplebant diurni operis labores, qui ad recreandum lassatum virium robur usuri essent in balneo. Cæterum lenis exercitationis modus erat ambulatio, quam senes, & viri graves, & imbecilles potissimum obibant. Dignior ad laudem, ac disciplinam, erat exercitatio in palæstris, & armis eorum, qui robustis essent viribus. Et quam σκιαμαχίαν, hoc est, *umbratilem pugnam*, ut interpretatur Gellius, Græci appellant, ἀποθεραπευτικήν, ob salubritatem, a Gymnasticis dictam, Galeno teste II. *de san. tu.* Quis mente concipiat præter publicas Thermas & palæstras, privata quoque innumera, & alia publica exercitationum genera? Commemoratione vero dignissimus est (inquit suo tempore ibid. *l.* I.) Campus Martius, cum præter nativam locorum amænitatem, artis quoque, ac solertiæ admiranda admittat ornamenta: curules pariter cursus; pilam, circum, palæstras, & alia continens equestria certamina. Vel sola Mausolei magnificentia (in quo nos hæc scribimus) argumento est in illa Campi

A Martii celebritate fuisse Augusto dicatas, & ad ripam Tiberis, locus tunc habens, amplissimaque ambulacra, aliaque ad id requisita opera admiranda. Innumera idcirco prætereo cum his Lusuum illorum genera, quorum (ut cæterarum rerum vicissitudines sunt) vix nomina ad posteras ætates transiere. Nec nostræ professionis est exercitationum singulos modos, aut genera: quibus illi Veteres uterentur, recensere, quam partem a Hieronymo Mercuriali, Medico atque Philosopho scientissimo elucubratam: propediem in lucem editam videbimus.

Verum ex eorum exercitiorum censu quem fecimus, hanc præcipuam habebimus utilitatem, B considerantes quam longe differat hic præsens nostri sæculi vivendi modus, & maxime Principum, nec opportuno posteros destituemus consilio. Sane ubi illorum temporum vita assiduis dedita erat exercitiis, utpote quæ & sanitatem conservarent, & promptiores redderent vires ad singula, tam animi, quam corporis munera obeunda; e contra hodie in continuo ocio degitur. Et a Principibus maxime, qui ob decorum, ac amplissimi ordinis majestatem, semotam a communi consuetudine degentes vitam; aut curis animi gravibus jugiter tenentur; aut si ad ludicra aliqui transire soleant; ea inertia sunt, C tabellæ, aleæ, vel trochi novus modus huc illuc super mensam agitati: in quo vitæ genere tandem ob desidiam, & anxietatem, totam brevi pervertere temperaturam coguntur. Unde non mirum est, qui præproperam accelerent senectam, incurrantque facile aut in morbos renales, aut in podagram, aut in Hemicraniam, aliosque id genus affectus, medioque veluti in cursu vitæ deficiant. Quapropter generalissimum hoc, ac saluberrimum sibi quisque proponere debet institutum, exercitium necessarium esse ad sustentationem vitæ: in qua re omnes sapientes, variarumque nationum ritus summo consensu conveniunt. Verum quoniam hoc tem- D pore non solum plurima veterum exercitiorum genera non sunt in usu, immo vel ipsorum nomina (ut diximus) sunt obscura, nec adeo illis uti esset possibile, qui nec palæstras habemus, nec Thermas: propterea in gratiam nostrorum Principum, aliquot particularium exercitationum genera proponemus ex Galeno, atque aliis antiquis auctoribus, quarum multas, si non in campis & plateis obire poterunt, licebit saltem & in cameris, & in atriis, ac viridariis suis, servata etiam personæ gravitate, percommode exerceri.

Exercitationum (inquit Galenus II. *de san. tu.*) complures differentiæ inveniuntur. Aliæ robustæ E sunt, & violentæ, sive vehementes; aliæ mediocres, & lenes. Aliæ singulares, aliæ cum alio fiunt. Et aliæ universas simul corporis exercent partes, aliæ unam magis, & aliæ alteram. Vehemens exercitatio dicitur, quæ & robusta, & celeris sit: atque hæc multas habet differentias. Quædam enim fiunt ocyssime agitatis, quædam robore, ac nixu, quædam sine his, quædam cum robore pariter & celeritate, & quædam lente. Fodere robusta est, & singularis exercitatio, remigare, discum mittere, moveri celeriter, saltare; idque sine intermissione maxime. Similiter grave quodvis telum jaculari, & F continuatis jactis onere maximo sublato, & acclivis ambulare. Gravi armatura tectum celeriter agitari. Continuatus diu cursus. Et iter facere. Per funem manibus apprehensum scandere, quomodo in palæstris solitum erat pueros exerceri. Vel e fune, vel pertica manu apprehensa sublimem pendere, ac diu tenere. Manibus in pugnum reductis, iisdemque prolatis, vel in altum sublatis. Halteribus, seu globis plus minus gravibus seorsum positis, utraque se inflectens manu attollere. Horum exemplar adhuc Romæ spectatur in antiquis templis, globi

marmore nigro, ac graviſſimo, vario pondere, ac perforati in medio, ubi valida manu apprehenſi ſublevarentur. Quare hæc robuſtior erit exercitatio, ſi qui ad ſiniſtram manum fuerit, dextra conetur attollere, & ſiniſtra qui ad dexteram. Diuque, ac ſæpius identidem facere. Poteſt & ſolis cruribus erectus, ac uno loco conſiſtens celeriter exerceri, modo retrorſum inſiliens, modo in anteriora viciſſim crurum utrumque referens. Solus ſimiliter exerceri eſt, ſummis pedibus ingredi, tenſaſque in ſublime manus, hanc antrorſum, illam retrorſum celerrime movere. Se humi celeriter circumvolvere, vel ſolum, vel cum aliis. Cum aliis vero & citra robur, & violentiam multæ exercitationes peraguntur. Ut curſus ad metam conſtituram Vel umbratilis armorum meditatio. Summis invicem manibus concertare. Coryco & parva pila ludere. Stare, nec ſinere ſe loco dimoveri; quo exercitii genere Milo Crotoniates celebratur. Vel ſe erectum, & circumactum prope aſtantem mutare. Complecti quempiam manibus, digitiſque pectinatim junctis, iſque divellere ſe adnitens. Medium apprehendere, ac ſublatum ceu magnum onus protendere, & reducere. Lucta utriuſque luctatoris robur exercet. Luctari cum robore eſt, ambobus cruribus alter alterius crus complecti, manibus inter ſeſe collatis, & collo. Manu altera tanquam fune collo alterius injecta, ipſumque retrorſum trahere, ac revellere. Pectoribus ex adverſo innixi, magno ſe conatu invicem retrudere. Ad ſingularem porro attinet electionem, qua parte corporis quis uti velit, aut indigeat exercitatione. Aliæ enim univerſas ſimul exercent corporis partes, quo nomine ludus parvæ pilæ a Galeno præter cætera commendatur: quod ludi genus noſtro potiſſimum tempore in uſu eſt, ac pro varietate, pueris juvenibus, ac etiam ſenibus, & ſpectatæ conditionis viris commodum ſit. Pilarum genus varium, parva, paganica, harpaſtum, colle inflatum vel aliud minori globo, ac durius infarctum lanugine, exercens curſu, calce, vel manu, vel reticulo, ac vario corporis motu, brachia præſertim, crura, renes, caput, oculos. Et locis idoneis in pagis, unde paganica, in plateis, in viis, in atrio, ac Sphæriſterio clauſo ſuper cordam: vel qui trigonalis pilæ luſus dictus eſt Antiquis, jocundus, jactata inceſſante per manus hominum eadem pila, ac ſi in triangulo diſpoſiti, is mittat, alter manu recipiat, ac remittat continenter in tertium, & cui ceciderit pila mulcta eſt: quos alio loco enarrando remittimus. Aliæ exercitationes unam magis, aliæ alteram exercent partem, lumbos, crura, brachia, ſpinam, pulmonem, thoracem. Itatio, curſuſque crurum exercitationes ſunt Acrochoriſmi, hoc eſt, feſtivæ ſaltationes, & Sciamachiæ, crurum, brachiorum, & manuum propriæ. Lumborum autem aſſidue ſe inclinare, aut pondus aliquod a terra tollere, aut aſſidue manibus ſuſtinere. Spinam tranſverſim exercet, attollere (ut dictum eſt) alternatim halteres. Thoracis vero, & pulmonis ſunt propriæ, maxime reſpirationes. Cor. Celſus *lib.* II. cap. VIII. inter exercitationes, imbecilli ſtomacho conferentes, claram commendat lectionem. Maxima vero vox vocis quoque inſtrumenta omnia permovet, dilatatque; naturalem excitat calorem, & quo magis fit aſſidua, eo magis univerſis corporis partibus communicatur, ut in noſtris concionatoribus experimur, & in libro de voce a Galeno eſt proditum. Hoc genere exercitationum per vocem, quæ lenes ſunt, maxime uti poterunt Seniores, & qui ad motum ſunt imbecilles. Ambulatione etiam qui magis validi. Vel equitationes ſufficiantur, geſtationeſque ſeu curru, ſeu pro ægrotantibus in Scimpodio, & Sella portatili. Ultimo Frictiones ſuppleant. His omnibus exercitationum generibus, imo infinitis aliis (ut Galenus inquit cap. XVIII.) docebant Pædotribæ exercendum eſſe: & vel in palæſtris, vel extra, vel in alto pulvere, vel conculcato, & firmo ſolo, & omnino ante balneum. Quibus & nos juxta præſentem vivendi modum, ſive pro præparatione, ſi quis velit ad balneum, ſeu ſine balneo, ut plerique hodie facimus, percommode uti poterimus. Sed de exercitationum emolumentis alio loco occurret dicere: nunc ad deſcribendas balnearum partes in Thermis, ac alia in eis requiſita explicabimus.

CAP. VIII.

Natatio quid. Piſcina & Vivarium qui diſcrepant. Piſcina publica ubi ſita. Piſcinæ quomodo a Græcis dictæ. Neronis ſtagna duo. Navale ſtagnum Naumachia nuncupatum. Naumachiæ uſus. In Circo Naumachia. Gabiuſa aqua, poſtea Mariana dicta. Auguſti Naumachia; Domitiani; Heliogabali.

INter principes autem Thermarum partes, primum de Natatione oportet dicere, quæ ſitu boreali frigidas, ac puras ſtatim a fontibus admittebat aquas. Erat enim Natatio (uti diximus) locus a partibus balnearum ſeparatus: nimirum quia ſingularis ejus erat, ac proprius uſus, non tam quidem ad lavationem, quam ad exercitium. Eſt enim natare laborioſum, quod ita jactatis manibus, ac cruribus, aſſidue univerſæ corporis exercentur partes. Quare recte Ariſtoteles in *Problematibus* natationem, ob laborem, curſui comparat. Et Oribaſius eam inter alia exercitationum genera adnumerat. Antiquiſſimum vero fuiſſe hunc morem, ac proprium Italis meminit Virgilius, dum pulchre facit Turnum jactantem fortia corpora ſuorum Italum, *l.* IX. *Æneid.*

Durum a ſtirpe genus: natos ad flumina primum
Deferimus, ſævoque gelu duramus, & undis.
Venatu invigilant pueri, ſylvaſque fatigant:
Flectere ludus equos, & ſpicula tendere cornu.

Unde & natationis in frigida legitur, fuiſſe primum, ac antiquum in urbe uſum ante balnea: quando ſcilicet conſtitutæ fuerunt exercitationes in Campo Martio, ubi juvenes (teſte Vegetio) pulverem, ſudoremque detergerent, ſimul atque ad obeunda aquarum pericula exercerentur Et Galenus I. *de ſan. tuen.* teſtatur de ſuo tempore, pueros in aquis γυμναςικὰς παιδίας facere conſueviſſe, id eſt, quod prima fiebant in aquis pueritiæ rudimenta. Itaque præter Tiberis commoditatem, propria ad hunc ritum loca conſtituta fuiſſe in urbe diximus, quæ diverſis explicata nominibus invenimus, Natationes, Piſcinas, Stagna, atque etiam Naumachias. Piſcinæ dictæ, quod & piſces haud dubie continerent, non tamen ad uſum piſcium, nam ad hoc propria erant vivaria, ſed ad munditiam ſervandam aquarum, & amœnitatem.

Videtur autem exercitationum hujuſmodi cauſſa, primum conſtituta fuiſſe Piſcina publica dicta ſub clivo Capitolino, ad quam (ut Feſtus Pompejus eſt auctor) & natatum & exercitationis cauſa veniebat populus. Ex ea & piſcinæ aliquando ſunt dictæ particulares natationes, & labra lapidea, qualia Romæ videmus maxima, nec non portatilia, ac lignea ad uſum etiam calidarum aquarum. Quod auctoritate conſtat M. Tullii *ad Q. Fratrem* de ſuis balneis: *Latiorem* (inquit) *piſcinam voluiſſem, ubi jactata brachia non offenderentur.* Has a Galeno, ac aliis Græcis auctoribus, modo κολυμβήθρας, modo βαπτιςήρια dictas legimus. Parva autem Solia, pelveſque πυελὰς; quam differentiam planam faciunt Galeni verba *lib.* VII. *Methodi*, ubi ad ven-

tric ubi siccitatem curandam, quæ Hecticam minetur, natationem in balneo factam consulit ἐν ταῖς κολυμβήθραις, id est, in piscinis natando constitutis, potius quam ἐν τοῖς μικροῖς πυέλοις. Memorantur porro & Neronis stagna, ubi Amphitheatrum a Martiale ponitur in Epigrammate II. *l.* I.

Hic, ubi conspicui venerabilis Amphitheatri
Erigitur moles; stagna Neronis erant,

Quod tamen stagnum non plane constat an ad natationis usum, an pro Naumachia fuerit a Nerone constitutum. Usum tamen utrumque præstare poterat, sicut & de altero ejus nominis meminit Tacitus, clausisse Neronem in valle Vaticani spatium, in quo equos regeret, apudque nemus, quod navali stagno circumposuit, conseviffe. Stagni hujus in Vaticano Naumachiæ nomine meminit Egesippus Græcus auctor, in *D. Petri & Pauli Martyrologiis*. Cæterum Naumachia post natationes, & balneas, altioris fuit instituti quam ad natationem, nec nisi post imperia Principum inventa. Nempe in qua nautici certaminis fieret spectaculum, vel ad disciplinam militarem, quo facilius milites pericula fluminum, vel navalis belli, cum opus fuisset, possent evadere. Sic Polybius refert Romanos primo bello Punico, quod adversus Carthaginenses gesturi erant, milites suos in navali disciplina exercuisse. Et Suetonius Augustum cum esset contra Pompejum iturus, in portu Julio apud Bajas, milites in navali exercitatione tota una hieme detinuisse. Vel erat Naumachiæ usus ad delectationem populi, ut cætera spectacula. Plura enim erant quæ præberent animo delectationem: primo alvei magnitudo, ac Circi cujusdam amplissimi forma, edita ad commoditatem tanti ludi, in conspectu maximæ civitatis. Deinde classis in eam, etiam magnarum navium introductio, & ludus ipse certaminis. Et demum populi celebritas, & vel ipsa aquarum copia, atque amœnitas, maris instar tranquillissimi. Et quæ apertis euripis tantam vim aquarum uno haustu reciperet, laxaretque, finito spectaculo: in quo movet admirationem advenæ Martialis, dum sic adulatur Domitiano, *l.*I. epigr. XXIV.

Si quis ades longis serus spectator ab oris,
Cui lux prima sacri muneris ipsa fuit.
Ne te decipiat ratibus navalis Enyo,
Et par unda fretis; hic modo terra fuit.
Non credis? specles dum laxent æquora Martem;
Parva mora est; dices, hic modo Pontus erat.

Ex qua plane auctoritate colligitur, in Circo tam maris quam terræ celebrari spectacula debuisse: ubi modo terra (inquit) modo pontus erat. Quod Circi Maximi situs confirmat inter Aventinum montem, & Palatinum depressus, in quem Gabiusæ aquæ rivus, quem *Marianam* posteri dixerunt, perpetuo influit. Proprie vero ad usum navalis certaminis, duæ fuerunt certissimæ Naumachiæ. Primæ Augusti trans Tiberim, adducta ob id in eam Alsietina aqua, ut Frontinus meminit, quæ sapore, & crassicie marinam aquam æmulabatur, in qua facilius natatur, ut testis Aristoteles est. Altera vero, & magis celebris, fuit Naumachia, quam Domitiani diximus, sub colle Hortulorum, ad emissarium aquæ Virginis. Auctore Suetonio, qui asserit Domitianum circumstructo juxta Tiberim lacu (inter Campum Martium scilicet & ipsum collem Hortulorum, ubi nunc juxta S. Sylvestri ædem apparent vestigia) navales pugnas in eo pene justarum Classium edidisse. Luxuosissimus Heliogabalus, euripis vino plenis, Naumachiam hanc exhibuisse, tradit Lampridius. Sed nunc ad partes balnearum proprias accedamus.

CAP. IX.

Exercitationum plura loca quam balnearum. Usus balnearum. Apodyterium, seu Tepidarium quid. Hypocaustum. Cryptoporticus variæ. Hypocausti descriptio. In eo Vasaria tria: Μιλιαρία Græcis dicta, & cur. Dracones in vasis. Caldarium vas: Tepidarium: Frigidarium. Mira ars ad imitationem naturæ. Modus distributionis aquarum. Emissarii locus. Rotæ ac tympana aquarum: Earumdem fistulæ, tubi, & epistomia.

Balnearum vero in Thermis non eam videmus copiam, quam de exercitationum locis jam diximus. Ex quo plane videtur, quod multo plures essent qui exercerentur, & qui frequentarent Thermas ad spectacula, quam qui lavarentur. Et eodem tempore magna hominum copia exercebatur, & qui uno, & qui alio exercitii genere. At ad balneas intrantium continua fiebat successio, nam cum priores occupassent loca, reliqui (ut scribit Vitruvius) circumstabant, dum lavarentur. Plerique sani, ac robusti, postquam in exercitiis incaluissent, nullis fere aliis utebantur balneis (ut infra monstrabitur) nisi natatione. Quæ pars idcirco erat amplissima, & exercitationibus tam subdialibus, quam internis commodissima. Vel transissent dumtaxat ad balneas calidas, atque illico egressi insiliebant in frigidam. Summa ergo artificii in balneis hæc fuisse videtur, ut in loco essent quam commodo omnibus sese exercentibus; ac mirandi plane artificii in ministeriis tot aquarum, calidarum simul, & tepidarum, quæ continue ex se funderentur in balneas. Pro commoditate, ac ratione lavationum, erant ut plurimum expositæ ad meridiem, unde solis semper illustrarentur, ac foverentur aspectu. Nam tota ea facies anterior erat distincta in duos ordines balnearum, unus a dextris Hypocausti, & alter a sinistris. Et uterque ordo distribuebatur in quatuor Cameras, conformes utrinque, ac ita collocatas, ut ex una in aliam pateret aditus. In medio quidem Hypocaustum, utrinque vero in versuris Laconicum, deinde consequenter calidarium, frigidarium, & tepidarium, ut plane singula explicabimus. Principio contra Theatridium, quod in prospectu platearum a situ meridionali proposuimus, progressu fere ad mediam plateam, erat ex communi assignatione, Apodyterium, seu Tepidarium. Quem locum laxum, & hilarem describit Plinius ad Apollinarem, hoc est, amœnum, ac mollis teporis, tum solaribus radiis a meridie illustratum; tum proximi Hypocausti vapore laxum: ubi nimirum ingressuri ad balneas exuebant vestes. Quæ quoniam prima occurrit, ac nobilissima Thermarum pars, nobilissimi etiamnum apparet artificii, ac regale potius dixerim tantæ molis vestibulum. Figura octagona, in quadrum oblonga, ac hemicyclis quaque facie distinctum, cum aditis undique intercolumniorum, columnisque supernæ testudinis altissimis, quæ tam auctoris, quam operis summam majestatem vel ipsa appictione ostendunt. Unde melius hanc partem, quam doleo nostris diebus dejectam, anteponendam pro prima porticu Ecclesiæ, a Michaele Angelo Bonaroto desideraverim. Hinc introrsum modicus patet introitus in Hypocaustum; sive (ut melius dicam) super Hypocausti locum, qui rotunda forma, cum opportunis hinc atque hinc membris, nunc primis novæ Ecclesiæ sacellis dicatus est. Tota enim infra moles hujus ædificii, concamerata invenitur, ac distincta ad diversos usus. Aliæ Cryptoporticus erant patentes ad refrigeria in

magnis caloribus. Aliæ calidarum, aliæ frigidarum aquarum ductus, aliæ calorum æstuaria, aliæ grandes cloacæ, unde lavationes exonerarentur, & alia denique Hypocaustum, atque Hypocausti membra: cujus mirificam artem, ac vasa, hodie vel ex hominum mentibus abolitam, delineata prius figura, quam diligenter explicabimus.

MICHAELIS ANGELI

GIDETTI

ROMANI J.C.

CARMEN

DE VASIS MYLIARIIS IN THERMIS

ANDREÆ BACCII.

An nitidas primum Lector mirabere Thermas?
Vel quas delicias, ex his daret inclyta Roma?
Mirare hic potius cogitans Myliaria lymphas
Frigentes, calidas, tepidasque referre perennes?
Hæc si laudaverim, & tantas qui reperit artes;
Laudabo digne: tandem dedit ille caducas:
BACCIUS *at stabiles reddit, ritusque vetustos*
Innovat, ac tantas moles miro ordine pandit.

Erat ergo Hypocaustum fornax inferior, ubi *fornacatores* (ut vocabulo utar Jureconsulti) curam succendendi ignem habebant in Thermis. Erat autem unicum, teste etiam Vitruvio: collocatum tamen in medio, ut communis ejus esset usus utrisque caldariis, ex una parte virilibus, ex altera muliebribus. Idque per opportuna æstuaria, qui erant meatus ab Hypocausto perpetui, unde calores occulti in cameras caldariorum ipsorum penetrabant. Quod tetigit in primo *Sylvarum* Papinius:

—— Ubi languidus ignis inerrat
Ædibus, & tenuem volvunt hypocausta vaporem.

Super Hypocausto tria erant composita vasaria ænea, vel plumbea (ut Palladio placet) ænea tamen patina subjecta. Quorum idem erat nomen cum cameris prædictis, unum Caldarium, alterum Tepidarium, tertium Frigidarium. Græcis hæc Μιλιάρια, Latinis (ut apud Catonem, Senecam, atque Palladium legitur) Myliaria; vel (si mihi liceat etymologiæ præferre claritatem) Myliaria dicta, a magna fortasse capacitate, quasi plus mille librarum aquæ caperent. Quippe id genus vasa, teste Vitruvio, maximi aheni instar, ac testudinata ad circinum, ita erant collocata, ut ex Tepidario in Caldarium quantum aquæ calidæ exisset, influeret de Frigidario in Tepidarium ad eundem modum. Atque hinc planum artificium est, in quo tantopere laboravimus, quomodo ad communem usum tanta aquarum copia ex vasis suppeditaretur in balneas. Quod restituo in lucem ex Seneca, qui dum ad Lucillum mira deliciarum inventa sui temporis detrectat, hoc asserit obiter. Construi solitum in ipsis Myliariis Dracones, quæ erant fistulata vasa tubæ instar ære tenui, per declive myliario circumdata, ut aqua dum ad os draconis conglomerati specie pluries eundem ignem ambiret, per tantum flueret spatii, quantum acquirendo calori satis esset. Quare triplex semper aqua in vasis, ac infinitæ copiæ, calida, tepida, frigida, nam successivas vas ex vase capiebat aquas: primum quidem, quod Caldarium dicebatur, super prima hypocausti stratura collocatum, tanquam omnium vasorum vas, calfactas per draconis involucra fundebat aquas. Secundum super hoc erat Tepidarium, quod a primi vasis vaporibus modice incalescebat. Tertium Frigidarium: utpote quod frigidas statim ab emissario aquas capiebat, & quantum subjecta vasa vacuabantur, tantum hoc novarum aquarum infundebat sine fine. Quod mirum haud dubie artificium didicit ars ab operibus naturæ, quæ sic longissima fecit intestinorum involucra, unde longius alimenta continerentur ad perficiendam eorum digestionem: quod notat mirifice Galenus in v. & vi. *de usu part.* libro, arterias, ac venas, quæ essent emissaria spiritus, & sanguinis, non a vicinis, sed a fonte, ac longissime naturam deduxisse. Ut quæ ad mammillas pertinet, & ad vasa seminaria, quo perfectiorem scilicet longo tractu, & lactis ad eas, & seminis perducerent substantiam.

Ex constructis vero illis vasis, ac Hypocaustis, quomodo usquequaque ad opportunas partes percurrerent, seu perducerentur aquæ & calores; observavimus quidem in Thermis Diocletianis, dum his annis ad ecclesiæ cultum eruerentur, undique sub pavimento etiam platearum extructa fuisse spatia cuniculata, ac suspensa largis tegulis lateritiis, quæ ab Hypocausto deducta videntur, & igni simul vaganti, & influentibus aquis fuisse pervia ad omnes partes. Cæterum emissarii influentis superne aquæ obscura adhuc ratio in Thermis est. Nam videmus quidem ad ipsas propria aquarum castella destinata: quale extat in Diocletianis post palæstras orientali parte. Et in Antonianis a tergo Theatridii ad meridiem. Horum tamen altitudo nullibi excedit planiciem balnearum. Nec ullus est modus, neque artificii ullius vestigium in summis Thermarum testudinibus apparet, unde tam alte deduci potuissent aquæ. Imo fontium structura, qui varia specie, ac modulo fluentes statim ab emissario refunderent aquas in amplissimam natationem, quæ nunc claustro est occupata, a summo usq; fastigio salientes videntur habuisse fistulas. Nisi fortasse dicamus, constructos fuisse a proximis illis castellis infra pavimenta, totius molis canales occultos, quorum aliquæ visæ sunt reliquiæ in eruendis ad novam ecclesiam maceriis; atque exhinc aquas deduci solitas in natationes, in fontes, ac alias piscinas. Hinc, tanquam a communi fonte, per rotas, ac tympana, ac id genus alias machinas aquæ haustorias, quas describit Vitruvius *l.* x. a ministris balneariis, vel etiam jumento alligato, sublevatæ aquæ in supernam ipsi Hypocausto piscinam infundebantur, quæ sponte postea in subjectum Frigidarium caderent, & ex Frigidario rursus in Tepidarium, & consequenter in Caldarium, veluti diximus. Unde plena semper vasa suis aquis, imum calida, medium temperata, supremum frigida, quæ per fistulas æneas hinc atque hinc in quolibet vase compactas, versis ad unumquemque actum epistomiis, fundebantur. Ubi nota harum ductuum in balneas alterum artificium. Erant tubi ænei erecti, tres a dextera, & tres a sinistra myliariis, musicis organis non absimiles. Qui ad firmitatem ac robur faciebant ipsis vasibus: simul atque artificio fere simili, quo nos hodie Romæ nymphæis ac viridariis damus, vel arcemus aquas, habebant fistulas infra parietes occultas, quæ in cameras balnearum, ubi opportunis locis essent epistomia, infundebant aquas. Quod ex eodem Seneca non est dubium, dum minimæ lautitiæ adscribit, quod continue aqua calida ex se funderetur in balneas, ac recens semper, veluti ex calido fonte per cameras transcurrerent. Et ex Galeno jam de camerarum dispositionibus dicemus.

CAP. X.

Balnea virilia & muliebria. In iis Cameræ quaternæ. Λουτρὸν quid. Laconicum Græcis πυελαθνειὸν, ut & ὑποκαυστὸν: Latinis Calidarium, Sudatorium, Sphæristerium. Laconici clypeus; usus; in eodem vaporum qualitas; facultates. Calidum solium. An balneæ uno tenore calidæ. Thermæ aliæ frigidæ, aliæ calidæ. Frigidum solium. Ejusdem usus. Frigidarum prærogativa. Cella olearia, & Tonstrina. Unctiones in Thermis. Olei munus publicum. Balnea conspersa unguentis. Balneum unguenti pretiosi. Olea & unguenta varia pretiosa. Eorum usus in balneis, & conviviis. Smegmata. Diapasmata. Apodyterium quid. Lex in balneis contra fures. Avicennæ balnea; eorum an idem stylus ubique.

ORdines quidem balnearum in Thermis duos diximus, utrinque scilicet ab Hypocausto unum, teste Vitruvio, alterum virilium, alterum muliebrium. Nam ut scribit Gellius *lib.* x. c. III. auctoritate Varronis II. *de Analogia*, Pudor non patiebatur utrumque sexum simul lavari, sed commoditas conjungi desiderabat. Quanquam in his, quæ post Varronis, & post Vitruvii ætatem factæ sunt, hæc distinctio non mihi verisimilis: quando aucto ritu exercitationum, ac lautitia in Thermis, vix publicas potuisse virorum frequentiæ sufficere videtur. Itaque promiscuas potius ex eo tempore fuisse reor, ac honestis mulieribus satis fecisse privatas, vel quas principes matronas constituisse jam scripsimus, Agrippinæ Neronis matris balneas, Olympiadis, atque alias. Cameræ in quoque ordine quaternæ, Laconicum, Calidarium, Frigidarium, & Tepidarium. Vel ternæ ad minus: hoc enim non videtur dubitandum, non fuisse Thermas uno stylo ubique, neque uno ordine partium, & tam in publicis, quam in privatis. Et hinc in auctoribus tanta earum invenitur varietas. Quatenus ponit Celsus *l.* I. c. IV. dum scribit, sub veste primum paululum in Tepidario sudare solitos: tum transire ad Calidarium, ubi sudabatur largius, quod ponit pro Laconico: tumque aut in calidam descendere, aut in tepidam; deinde in frigidam. Easdem ponit Galenus *l.* x. *Methodi*, a Laconico incipiens: Primum enim inquit ingredientes in aere versantur calido: hinc secundo in aquam calidam descendunt, quod proprie λουτρὸν ait appellari. Ab hac mox in tertiam frigidam ibant: & tandem in quarta sudorem detergebant, quod erat Tepidarium, seu Apodyterium Græce dictum, in quo & Celsus dicit, se novissime qui se lavissent abstergere, & ungere consuevisse. Quem plane ordinem & in his Thermis, quarum videmus vestigia, servatum invenimus. Extat Laconicum ad sudationes in quoque primæ faciei angulo unum, idque non adeo magnum, hujus enim partis non erat usus communis, neque adeo necessarius omnibus, ut quibus satis ad sudandum exercitia fecissent. Sed imbecillis proprius, & qui minus validi ad exercitia, sudores hoc loco excitabant: subinde intrabant ad cæteras balneas. Nomen autem deduxit a Laconibus: quos hunc ritum primo instituisse, Plutarch. in *Alcibiadis Lacedæmonii Vita* est testis. Græci aliquando πυελαθνειὸν, & nonnullis ὑποκαυστὸν dictum, ob igneum in eo vaporem: Latinis modo calidarium, modo cella calidaria, Senecæ sudatorium, Laconicum vero communiter omnibus, & Ciceroni quodam loco *ad Atticum*. Suetonius in *Vespasiani Cæs. Vita*, Sphæristerium hanc partem appellat a figuræ rotunditate. Locus quippe concameratus ac rotunda specie, habens, auctore Vitruvio, in hemisphærio lumen, ex eoque clypeum æneum catenis pendens, per cujus reductiones perficeretur sudationum temperatura, vaporibus nimirum sic retentis, vel difflatis. Erat autem hujus instituti ratio, ut scribit Dion in *Annalibus*, ut fuse intrantes in hac parte sudarent, & subinde unctione adhibita, statim descenderent in frigidam. Quod plane clarius ex Galeno fiet postea, ac a Martiali obiter tangitur in Hetrusci Thermis, *ad Oppianum* tribus versibus epigr. XLII. *l.* I.

Ritus si placeant tibi Laconum,
Contentus potes arido vapore,
Cruda Virgine, Martiaque mergi.

Virginem dixit, & Martiam in his balneis Romanas aquas, blandissimi frigoris. Videtur autem Laconici aerem, siccum quidem fuisse, atque igneum, tepidum tamen aquarum vaporem potuisse suscipere. Proinde Celsus in eo assas dixit sudationes *lib.* III. c. XXVII. alibi exsiccari dixit corpora. Seneca exanimari, Galenus & alii Medici interdum elixari, Oribasius plane aerem fervidum dixit, ac præhumidum in Laconico. Quod rationi consonum fit: nam ex æstuariis, partim quidem siccis, ex quibus jam diximus ab Hypocausto occultos penetrare ignes in cameras; partim aqueis per suos tubos ac spiracula, vapores mixti ad hemisphærium Laconici petentes, sub curvatura magni clypei in tenuissimas convertantur aspergines, quæ imbrium modo super capita eorum, qui morabantur in Laconico depluebant. Id ipsum obiter, sed claro exemplo explicat Aristoteles, seu quivis alius author in XI. *de Plantis*. Quemadmodum, inquit, calor in balneis humorem trahit, & vaporem convertit, qui elevatus, ac multiplicatus (nimirum sub clypeo Laconici) in guttas vertitur. Potest autem hæc prima pars suo tenui calore (dicebat Galenus X. *Methodi*) referatis undique meatibus, liquatisque per totum superfluis, sudores, utilesque madores elicere, quæ inæqualia sunt æquare, cutim laxare, & multa quæ sub hac detenta erant, vacuare. Ex Laconico aditus in Calidarium, quod proprie λουτρὸν, hoc est, *lavacrum* dicitur, eodem teste, & calidum solium. Patet autem hæc pars, duplex magnitudine ad cæteras cameras: ut cujus in balneis major erat necessitas, longior in eo fiebat mora, ac usus frequentior, præsertim minus validis ac imbecillis. Ubi meminisse oportet ex Celsi verbis, quæ paulo ante retulimus, vel in calidam fieri descensum, vel in tepidam, & quasi ad utentis arbitrium potuisse temperari. Et Galenus in III. *de San. tuenda* idem videtur asserere, nimirum quod in calido Solio aqua, ex vasis quæ diximus milliariorum calidis, tepidis, ac frigidis, poterat ad usum trifariam comparari, nempe temperatam fieri, tepidam, ac justo calidiorem. Quam tamen varietatem non video potuisse fieri in publicis lavationibus, sed in privatis, vel ad privatos usus. Nam in Thermis parabantur a balneatore aqua ad usum publicum, uno tenore calida. Vel attemperata semel pro multis. Quod declarant auctoritates scriptorum, qui alias Thermas appellant frigidas, alias blandas, alias fervidas: uti frigidas significavit Martialis *l.* II. epigr. LXXVIII.

Æstivo serves ubi piscem tempore, quæris?
In Thermis serva, Ceciliane, tuis.

Idem Neronianas indicat fuisse calidissimas, *lib.* X. epigr. XLVIII.

Temperat hæc Thermas, nimios prior hora vapores
Halat, & immodico sexta Nerone calet.

Meminit Plutarchus in *Symposiis* Græcos primum & item Romanos lenibus, ac tepidis duntaxat usos, quasi pro modestia: Ut Alexander Magnus in balneo febricitans dormierit, & Galatarum mulieres pultem cum pueris suis inter lavandum esi-

A tare consuevisse, postea acerrimas, ac laniantibus similes corpora parari aquas cœpisse. Atque hinc usui erat frigidarium, seu frigidum solium tertio loco, in quo aqua exquisite, ad hunc videlicet usum, inquit Galenus x. *Methodi*, ut quæ fuerant excalefacta, sive in anterioribus Soliis, sive in exercitiis, hic refrigerarentur, ac vires densata cuti firmarentur. Qui enim subdit, hoc modo a calidis lavationibus, sudationibusque Laconicis statim in frigidam non descendissent, paulo post transpirato immoderatius calido innato, totum corpus frigidius evasisse sentiebant. Quod sane frigidæ lavatio fieri prohibebat, totum semel corpus constrin- B gendo, & constipando, non secus atque accidere solet calenti ferro, quod quum in frigidam mittitur, & refrigeratur, & induratur. Atque hujus rei causa potissimum constat inventa fuisse balnea, pro imbecillium videlicet corporum robore: hoc est, ut imbecilla corpora præcalfacerent, itaque ad frigidam Solium præpararent. Adeoque prævaluit semper frigidarum usus, ut vix quidam aliis balneis uterentur. Carmis Massiliensis Medicus, ætate Neronis, scribit Plin. *l.* xxix. c. 1. damnatis prioribus Medicis, ac balneis, frigida lavari hybernis etiam algoribus persuasit. Mersit ægros in lacus. C Videbamus senes consulares in ostentationem usque rigentes. Ex frigido tandem Solio erat exitus in Tepidarium, tepidi scilicet aeris, quod diximus Apodyterium, sive Spoliatorium. Et erat finis in balneo. Ante Tepidarium tamen in Diocletianis commode est (ut videtur) cella olearia, eademque Tonstrinæ fortasse locus, ubi nimirum olea servarentur, atque unguenta, aliique odores ad opportunos usus, & qui vellent, barbæ, & capillorum cultui vacarent. Erat autem hæc pars una de necessariis, ac essentialibus (ut ita loquuntur) in toto ritu Thermarum, quando hic mos erat communissimus, ut quisque lotus, simplicis saltem olei D unctione uteretur, tum ut sudores inhiberet, tum ut se ab extrinsecus ambientis aeris injuria vendicare posset. Hunc enim tenorem in omnibus fere, quæ huc sparsim adductæ sunt, auctoritatibus observabis: primum legitur exercitium, deinde balneum, ubi frictio fiebat, & detersio, mox statim frigidæ lavatio, postea cibus, & potus, ultimo somnus. Proinde recolo me legisse plu ries in Vitis Principum, sicut inter munera publica erat Congiarium, erat Recta, erat Sportula, ita oleum aliquando publice donatum, quo in communi veluti gaudio, quisque frueretur in balneis. Nimirum vel Thermis tum primum dicatis, vel fastu aliquo Prin- E cipis: unctionum vero, quas quisque sibi privatim deferebat ad balneum, luxus legitur inæstimabilis. Qui delicate viverent, vel imbecilles, odoratis unguentis refovebant spiritus. Quosdam legimus jussisse spargi parietes unguento. Ut simul (equidem puto) & lavarentur, projectis in alveos ita imbutos aquis ipsis, & ungerentur, sic penetrante exactius unguento, & odorem, virtutemque suam diutius servante in corpore. Atque ita Cajum Principem solitum lavari, testis est Suetonius. Scribit Lampridius Heliogabalum nunquam in Piscinis lavari solitum, nisi illæ croco, aliisve preciosis unguentis perfusæ fuissent. Vel plane conspersis eo F modo ad luxum parietibus utebantur, ut dum quis se parieti confricaret (quod aliqui facere solebant, ut apud Spartianum in *Hadriano* legimus) sine ministris, ac etiam propriis manibus perungi liceret. Nero autem profusissimus, non solum calidis balneas spargebat odoribus, sed frigidis quoque unguentis lavabatur, scribit Plinius. Recensentur autem hoc in genere unguentorum permulta, quæ (ut Galenus sentit III. *de San.tuen.*) Romanorum lautitia invenisse videtur. Complura tamen eorum nomina invenio apud Græcos auctores antiquiora, Megalium, Mendesium, Metopium, Oenanthinum, Erotinum, Rhodium, Amaracinum, Cyprinum. Quorum Plinius meminit; & alia postea, quæ apud Reges Parthos afferit comparari solita, ut Regale idcirco nuncupatum, Susinum, a patria, & Nardinum, quod & Foliatum dictum fuisse: alterum Spicatum, quod idem Nardi Pistici preciosi legitur in Evangelio. Testatur Dioscorides in oleo Jasmino, hæc preciosa, tam unguenta, quam olea, non in balneis solum usurpari solita, sed apud Persas inter epulandum quoque dari odoris gratia. Quem morem fuse prosequitur Athenæus in libro *Dipnosophistarum* xv. & ante ipsum ex nostris Valerius Max. *l.* II. titulo unguenti, coronarumque in convivio dandarum, secundis mensis: Emanasse id (inquit) a Parthis, quorum deliciarum plenæ sunt historiæ, ad Medos, & Syros, ac diu Spartanos, ac Ionas eo ritu convivari consuevisse. Donabantur autem inter bellaria discutientes tum coronis capiti impositis ex viridantibus herbis, fragantibusque flosculis contextis, Leucoio, Baccare, Helichryso, Hyacintho, Narcisso, Anemone, & coronariis ejusmodi vel pluribus his, vel singulis. Tum unguentis id genus suavissimis, preciosissimisque capite, ac facie præsertim per pueros inunctis: nec solum ad odorem, & gratiam conciliandam dicit Athenæus, verum etiam ut sensus excitarentur suavitate, ac puriores, saniorésque post dapes efficerentur. Coronarum ritum legimus, & apud Romanos inter apophoreta in conviviis: unguentorum vero solum in balneis; quæ primum in alabastris, guttisque aureis, vel etiam corneis pueri anteferebant in balneum, mox ob luxum, quem diximus Principum, in tantam venere copiam, ut usus eorum ad vulgares quoque defluxerit, quod serio arguit Juvenalis *Sat.* VI.

—— *Mœchis foliata parantur.*

Porro ad cutim detergendam erant Strigiles, & Smegmata, quæ Græce dicebant, varia, moris (ut legitur apud Danielem) antiquissimi in balneis. *Adferte ad me*, dixit Susanna puellis, *oleum & Smegmata, ut lavar:* quorum varia erat materia. Alia ex farinis, quæ erant in stuphis familiaria, alia liquida, alia concreta, ac solida ut sapo. Ad sudores autem cohibendos, & conciliandam a balneo gratiam, quædam siccis constabant odoribus, quæ (ut Plinius aliquando meminit) Diapasmata dicebantur, quasi consperforia, Cyprini pulveris instar, quo hodie utitur, odoratissimi: de quo *ad ebriam, putidamque Fescenniam*, alludit Martial. *l.* 1. epigr. LXXXVIII. eo carmine:

Quid? quod olet gravius mixtum diapasmate virus.

Ut redeamus ergo ad cameras, Apodyterium erat principium, & finis in balneo. Principium quidem, nam ibi primum se exuebant, ac vestes deponebant, deputatis ibi capsariis, vel propriis pueris, qui eas servarent. Ad vitanda autem vestium, ac aliorum utensilium furta, lege erat cautum, ut balnearii fures morte mulctarentur. Quæ antiquissima fuit promulgatio, ac singulare de ea extat Problema apud Aristotelem *Sect.* XXIX. *Cur qui ex balneis furatus esset, aut ex palæstra, aut ex foro, aut ex ejusmodi loco publico, gravius puniretur? Vel quia impudentiores* (inquit) *sint, vel nulla diligentia a publicis furibus cavere possumus, & quia gravatur furtum turpi contumelia, ut cogantur domini inde nudi discedere, ac ludibrio fore videntibus.* Idem vero Apodyterium finis erat in balneo: eodem nimirum revertentes, ubi ante balnearum vestimenta consignassent. Idemque ex Galeni verbis plane

plane intelligitur x. *Methodi*: hic enim dum cunctarentur, ac tergerentur, corpus adhuc per sudorem innoxie, ac citra refrigerationem vacuabatur, ac in naturalem redibat mediocritatem. Porro vana quorundam controversia est, ponere Avic. tres casas (ita enim interpretantur) in balneo, easque longe aliter dispositas, quam diximus. Cui enim dubium non fuisse balneas uno stylo ubique, neque uno ordine? Desiisse tamen pariter apud Arabes hunc ritum, testatur Averroes in *Canticis*: ac non mirum imperfectas tum eos habuisse balneas. Neque in antiquissimis exemplis ea distinctio quærenda est: quando Hippocratis ætate non adeo rite balnea parabantur, quod & ipse innuit III. *de ratione victus in morbis acutis*. Neque in privatis multo minus, quas Galenus idcirco aliquando perinde damnat, ac incommodas.

CAP. XI.

Balneæ pensiles. Earum inventor. Pensile quid. Aqua pensilis: fluvius itidem. Vera balnearum pensilium ratio. Suspensa balnea. Lectuli non erant in Thermis. Utensilia in iis: Strigiles; Vasa aurea; Sindones; Labra varia. Vitreæ cameræ, gemmis ac auro stratæ. Asiaticorum Thermæ luxuosissimæ.

PEnsilium vero balnearum celebre dumtaxat nomen pervenit ad nos, fuisse eas inter majora illius sæculi blandimenta: cæterum quænam earum fuerit ratio, non facile ex auctoribus colligitur. Ponit Valerius Max. inter luxuriæ exempla l. IX. Cajum Sergium Oratam Pensilia balnea primum facere instituisse. Idque tradit Plinius l. IX. c. LIV. L. Crassi Oratoris ætate, parum ante Rempub. occupatam. Quem inter alias voluptates, & Ostrearum asserit invenisse vivaria, nec tam gulæ caussa, quam avaritiæ, & qui ita mangonizatas vendebat villas. Eadem testatur Macrobius l. III. *Saturnalium* c. XV. Porro venisse eas in gratiam popularem plane ostendit Plinius l. XXVI. c. III. *Asclepiadis Neronis Medici ætate, urbe*, inquit, *imo vero tota Italia imperatrice, tum primum usu balnearum pensili ad infinitum blandiente*. Extat & Annæi Senecæ censura *ad Lucillum*, de Pensilibus balneis: *quarum*, inquit, *suspensura inventa est, ut ne quid deesset ad lautitiam*. Hæc habentur de inventione, atque deliciis Pensilium, quarum tamen non facile invenire potui rationem. Nam si Pensiles balneas intellexeris sublimes alveos, & quæ super solario locatæ essent, id magnum non est: sicut & Hortos Pensiles videmus, atque horrea: ac majus opus, Thebas Aegyptias pensiles scribit Plinius. Audivi qui ad artificium attribuant Laconico, e cujus suspensura vapores conversos in tenues aspergines, imbrium modo super capita eorum, qui lavabantur, depluere diximus. Vel quemadmodum aqua Pensilis dicitur, & fluvius Pensilis, ita id balneum Pensile fortasse intelligendum, ex quo diximus (auctore Seneca, atque Galeno) calidas perpetuo aquas, vel quales quisque vellet, & tepidas, & frigidas, velut ex calido fonte depluere, ac transcurrere per cameras. Verum nihil illius blandimenti video in his, quam ob rem populus eas cum tanto plausu receperit, & quæ ad inventorem adscribantur voluptuosissimum. Pensiles ergo balneæ haud publici videntur fuisse instituti, sed in privatis extitisse. Ut quæ privatum habuere auctorem, & privatam caussam, nempe inventæ ad delicias. Nec ullum vestigium, nulla de his in Thermis publicis mentio habetur. Earum vero rationem, in qua tantopere hæsitavi, elicio ex eodem Plinio, cui de rerum antiquarum memoria prima laus super cæteros scriptores merito tribuenda est. Pensile enim dicitur suspensum, & mobile: quales ipse meminit l. LIX. c. V. Tiberii Cæsaris hortos Pensiles miræ voluptatis, quos haud quaquam ponit super solario locatos, sed suspensos, & mobiles, *quos* (inquit) *singulis diebus promoverent ad solem rotis olitores*. Quod idem clara in balneis auctoritate exposuit l. XXVI. c. III. Dum Cleophantum Medicum commemorat, auctore M. Varrone, alia quoque blandimenta excogitasse: *Jam*, inquit, *suspendendo lectulos, quorum jactatu aut morbos extenuaret, aut somnos alliceret*. Jam balneas avidissima hominum cupiditate instituendo: easdem scilicet & suspensas, ut dixit lectulos. Quam sententiam confirmant quæ mox paulo subjunxit verba, quæ allegavimus; Anxiam nimis fuisse Asclepiadis, & quorundam eum sequentium curam, tum primum Pensili balnearum usu ad infinitum blandiente. Easdem & balnearum suspensuras dixit Seneca. Et Valerius Max. impensa levibus initiis cœpta, suspensis calidæ aquæ balneis. Unde si jam mente concipias videre hominem in balneo Pensili, vel ægritudine debilem, vel voluptuosæ vitæ, cujus dulci tepore, ac leni jactatu, & næniis, & dulci concentu tibiarum, somno & quieti indulgeretur, jam nihil poteris excogitare suavius. Ex quibus intelligitur, neque lectulorum ritum in publicis extitisse: sed horum quoque, ut Pensilium balnearum, privata ratio esse debuit, maxime ægris. Neque particularium quorundam utensilium, quorum in balneis aliquando mentio fit, quæ pueri suo quisque domino ad balneum anteferebant. Ut de Strigili, quo sudorem detergebant, meminit Persius eo carmine Ironico, sat. V.

I puer, & Strigiles Crispini ad balnea defer.

In ægris tamen pro Strigilibus, qui erant vel ossei, vel ferrei, vel argentei, spongia utebantur, Galeno teste x. *Methodi*. Id genus erat & Guttus, quod Lecythum quoque legitur, in quo servabantur oleum, vel alia unguenta preciosa ad balneum, hydriæ, pelves, alabastri, aliaque id genus vasa, ex auro, argento, ferro, vel interdum lapidibus quibusdam. Refert Clemens Alexandrinus *Pædagogii* libro III. capite V. consuevisse Nobiles anteferre ad balneas vasa innumerabilia, aurea atque argentea, quorum hæc quidem ad lavandum, illa ad vescendum, alia ad propinandum. Quin etiam carbonum craticulas, & cathedras. Sindones tergendo sudori præparatas, maxime ægris, meminit Galenus x. *Methodi*. Et Smegmata varia, quibus videlicet opus esset, vel scabiem, vel alia cutis vitia expurgare, ex Nitro, vel mollibus ex Aphronitro, Gal. vel ex fabarum lomento, vel lupinorum farina, & quod commune evasit detersorium, sapo, Gallorum primum inventum, Plin. de quo & infra de Stuphis dicendum. Cæterum Labra ex Vitruvio, & vestigiis ipsorum alveorum videntur fuisse extructa in cameris signino opere, atque albario: sic enim legitur l. V. c. X. *Labrum sub lumine faciendum videtur, ne stantes circum suis umbris obscurent lucem. Scholas autem Labrorum ita fieri oportet spaciosas, ut cum priores occupaverint loca, circumspectantes reliqui recte stare possint. Alvei autem latitudo inter parietem, & pluteum ne minus sit pedes denos, ut gradus inferior inde auferat, & pulvinus duos pedes*. hactenus Vitruvius. Quare, ut arbitror, labra ista lapidea, quæ multa videmus per urbem maxima, vicenos & amplius pedes longitudine, erant fortasse in privatis balneis. Vel aliqua fortasse in Thermis ad magnificentiam potius operis, ac ornamentum, quam ad usum, & adlata, ut multa alia, ex Ægyptiis operibus, pro spectaculo. Alioqui ad publicum usum non video locum, neque adeo ea labra fuisse videntur capacia populo. Postea vitro quædam extructa fuisse constat. Pavimento-

rum autem, ac Lithostrotorum, quibus alveos, atque ipsas cameras adornabant, luxus erat inæstimabilis. Quod certe inventum Agrippæ teste Plinio lib. XXXVI. c. XXV. *In Thermis*, inquit, *quas Romæ fecit Agrippa, figninum opus encausto pinxit, in reliquis albario adornavit. Non dubie vitreas facturus cameras, si prius id inventum fuisset*. Libro autem XXXIII. cap. XII. visas olim scribit Balineas gemmis, ac argento stratas, ut ne vestigio quidem locus esset. Argento fœminas lavari solitas, argenteis foliis, eandemque materiam & cibis, & probris servisse. Pauper sibi quisque videbatur ac sordibus (scribit Seneca *ad Lucillum*) nisi parietes balnearum magnis, ac preciosis orbibus refulsissent. Alexandrina marmora Numidicis crustis distincta, operosa undique, & picturæ modo variata circumlitio. Vitro conditæ cameræ ac Thasio lapide, quod rarum quondam in templis erat spectaculum. Aquam per argentea effundebant epistomia, & adhuc (inquit) balneas fistulas loquor. Relinquo cum his statuas illic æternitati destinatas, opera tectoria, picturas, specularium lapidum luxus, qui ante cameras præbebant lumina, & columnarum ingentium numerum, aliaque tanti operis ornamenta sine fine. Atque hoc uno tantum Plutarchi exemplo, quo balneas summis semper in deliciis fuisse apud omnes nationes ostenditur, hanc partem concludam. Asiaticos durante suo imperio luxuosissimos fuisse, ac ex eis primum ad Græcos, & exinde ad Romanos hunc morem balnearum emanasse, apud veterum historiarum monumenta clarum est. Cum ergo Alexander Magnus devicto Dario rerum tandem Persiæ, ac imperii ejus potitus esset, balneumque, ut sudorem pugnæ levaret, ingrederetur; aquarum ductus admirans, hydrias, pelves, unguentorum odores, & alabastros, cuncta auro lita, ac miro ornamento instructa; ad socios conversus, & quasi nimium illudens luxum, *Hoccine* (inquit) *imperare erat*.

CAP. XII.

Fines & utilitates principales Thermarum. Earum usus communis. Lavari quadrante *quid Veteribus. Loca in Thermis communia. Tintinnabula. Reges lavisse cum plebe. Verecundia in balneis. Subligaculorum usus. Fibula. Subligar. Balnea promiscua: muliebria. Verecundia inter affines in balneis. Septies quosdam lavari. Hora lavandi. Horologii ritus apud Antiquos. Prandii & cœnæ usus. Thermæ hyemales & æstivæ. Balnearum usus penes anni tempora. Lychni in Thermis.*

A Primis ergo Thermarum ac Palæstrarum institutis, jam partium earum principalium distinctiones, nec non requisita ad earum usum magis necessaria tetigimus. De Ritibus vero in eis, atque ordine se exercentium, ac lavationum, haud mirum est hæc instituta semper majorem habuisse progressum; si consideremus non solum hinc vitæ elegantiam eos servare consuevisse, sanitatem, & robur corporis; sed quod majus est in republica emolumentum, quoniam per hæc oblectamenta, assidua fiebat in Gymnasiis frequentia, ac variis, quas diximus, corporis exercitationibus assuefiebat juventus ad armorum industriam, unde facilius posset militiæ labores, quando hæc erant prima illius sæculi studia, sustinere. Huc accesserat & alia causa, quoniam qui tepidescere quodammodo ab honestis conatibus cœpissent, per has delicias retrahebantur a vitiis animi, sicque ocium, quod est omnium malorum fomes, tollebatur, seditiones arcebantur, & omnes populares corruptelæ. Ex quibus tria inter communes ritus videntur esse manifesta: primum si vetustam illam verecundiam, ac Romanum decus respicias, summam in Thermis honestatem fuisse servatam. Si majestatem populi, omnia in eis fuisse magnifica, & splendida, veluti diximus, & quæ nolentes illicerent, atque etiam traherent. Si denique communem causam; communem ac liberum earum unicuique fuisse usum. Erat autem hæc balnearum conditio communissima, ut singuli balneum ingressuri Quadrantem solverent balneatori. Quod plane aliquæ præclaræ declarant auctoritates: primum M. Tullii *pro Cælio*, ubi quadrandatariam vocat permutationem balneatori fieri solitam. Indicat & Horatius Sat. III. l. I.

Dum tu quadrante lavatum
Rex ibis.

Vituperans eum Principem, qui ut unus de multis quadrante lavaretur. Idem Juven. auctoritate confirmatur in Sat. VI. ubi mulieres quasdam arguit impudentiæ, quæ communiter cum viris auderent, inquit ipse,

Cædere Sylvano porcum, & quadrante lavari.

Pueri tamen ante XIV. annum, nihil solvisse videntur, teste Juven. Sat. II.

Nec pueri credunt, nisi qui nondum ære lavantur.

Quorum tamen privata fieret lavatio, hora extraordinaria quæ erat post decimam, ii pluri precio lavabant, quod indicat Martialis lib. X. epigr. LXX.

Balnea post decimam lasso, centumque petuntur
Quadrantes.

In communi tamen gaudio, erat aliquando hoc munus inter alia Principum, ut gratis lavaretur. Antonini Pii exemplo; quem balneum sine mercede præstitisse, meminit Jul. Capitolinus. Sive ergo pro veteri instituto, sive pro soluta mercede, hoc manifestum est, commune, ac perpetuum fuisse in Thermis indultum, ut locus in balneo, cuicunque tam primati, quam plebejo communis esset, atque indifferens. Ex quo intelligitur Tertulliani similitudo *adversus Marcionem*. Quasi locus in balneis: quia videlicet nec gradus personarum, nec ulli proprius esset locus in balneis, jam gratuito constitutis, & ad usum publicum. Erant autem tintinnabula in Thermis summo quopiam fastigio posita, ære factitio conflata, quorum sonitu populum, sicuti hodie ad sacra, convocari lavandi hora erat solitum. Tintinnabulum inter Xenias exhibuit Martialis, lib. XIV. epigr. CLXIII.

Redde pilam, sonat æs Thermarum: ludere pergis?
Virgine vis sola lotus abire domum.

Nempe indicans elapsa communi hora lavandi, frigescere Thermas, ac sola frigida fore lavandum, & Virgine frigida. Facit ad eandem licentiam Suetonii auctoritas, D. Titum Cæs. admissa plebe nonnunquam in Thermis suis lavisse. Et Ælii Spartiani alia, Hadrianum Cæs. tam probatæ vitæ, publice frequenter se lavare consuevisse cum multis, etiam privatis. Invasisse enim consuetudo videtur, ex assiduis illis exercitiis, unde soluto habitu, ac seminudi plerumque homines degebant, ut non esset verecundia se nudum quisque in balneas exhibere, & etiam in exercitationes. Cujus rei inter alia fidem faciunt statuæ, præsertim virorum, in quibus videtur minuere potuisse corporis gratiam, ac venustatem, si non pudenda etiam simpliciter enudata essent. Nonnulli tamen inter exercitationes, aut succincta fibula prodire solebant, aut subligaculis, quæ & subligaria vocabant. Auctore M. Tullio I. *Offi. Scenicorum mos tantam habet veteris disciplinæ verecundiam, ut in Scena sine subligaculo prodeat nemo*. Idem affirmat quodam loco Clemens Alexandrinus de Athletis: & Martialis lib. VII. epigr. LXXXI.

Dum ludit media populo spectante Palæstra,
Delapsa est misero fibula; verpus erat.

Et lib. III. Chionem notat verecundiæ, quæ muliebria in balneis contecta lavaret, epigr. LXXXVI.

Tecta tamen non hac, qua debes, parte lavaris:
Si pudor est, transfer subligar in faciem.

Cæterum cum hac licentia balnei, videtur diu admodum perdurasse mulierum verecundiam, quæ non promiscue cum viris intrarent in balneas, nisi B per abusum. Hinc tot privatarum balnearum numerus. Et quædam videntur publicæ fuisse muliebres, ut Agrippinæ Augustæ Neronis matris. Olympiadis item balneæ in Suburra. Et quas trans Tiberim, quasi extra conspectum hominum habuisse Ampelidem, & Priscilianam ex P. Victore recensuimus. Conqueritur hac de causa in suis amatoriis Propertius; non eam esse tum Romanis virginibus in balneis libertatem, quibus cum more Spartano publice liceret certare, & lavari, his versibus.

C *Multa tuæ Spartæ miramur jura Palæstræ,*
Sed mage virginei tot bona Gymnasii.
Quod non infames exercet corpore laudes
Inter luctantes nuda puella viros.

Refert Plutarchus inter laudabiles Catonis illius Censorii mores, hoc summæ laudi illi cessisse, quod cum filio nunquam lavisset. Imo Val. Max. scribit de institutis antiquis, nec pater cum filio pubere, nec socer cum genero lavabatur: quia inter ista sancta vincula, non magis quam in aliquo sacrato loco, nudare se nefas esse credebatur. Sed transeamus jam ad eos ritus, qui communi usu retinebantur in Thermis. Per initia instituti hujus, narrat Seneca *ad Lucillum* consuevisse Veteres quotidie brachia, & crura lavare, totos nundinis solum. Cæterum post Magni Pompeii ætatem (cujus memoria notatur præceps bene institutæ Reip. lapsus) totos singulis diebus lavari cœpisse. In universum, quicumque in exercitiis suis, aut laboribus defatigati essent, vix sanam vitam putassent, nisi balneas statim intrarent, ubi sudorem, sordes, pulveremque detergerent, ac in totum se molli aquarum fotu recrearent. Quo plane fit, ut mirum esse non debeat, neque luxui adscribendum, quod quidam septies eadem die tum lavari consueverint, quod Plinius imprimis refert: ac posteri scriptores Commodum Cæs. & Gordianum id asserunt factitasse. Sic enim intellexere quotiescunque exercerentur, lassitudinis ac refrictionis vitare pericula, obstructiones tollere, cutis asperitatem lenire, faciei, manuum, ac universi corporis decorem conciliare. Erant tamen lavandi horæ constitutæ. Scribit Jul. Capitolinus ante Alexandri Severi tempora nunquam Thermas ante auroram apertas fuisse, & semper ante solis occasum claudi consuevisse. Communiter vero lavandi hora erat a meridie ad vesperum, quando (inquit Vitruvius l. v. c. x.) maxime calidæ auræ aspirare incipiunt: cui omnes aliæ auctoritates consentiunt. Hadrianus Cæs. (inquit Ælius Spartianus) ante horam octavam in publico neminem nisi ægrum, lavari passus est: quod erat duas horas post meridiem. Ubi operæ pretium est, horarum apud Antiquos rationem habere, qui diem artificialem quolibet anni tempore distinguebant horis duodecim, & noctem per vigilias. Horæ ergo erant inæquales, majores æstate, quia longiores tunc dies; mi-

A nores hyeme, & proportione cæteris temporibus. Haud tamen intelligendum est eos a prandio usos balneis fuisse. Nam & prandii frequens mentio occurrit apud auctores, ac rationem ejus, & mensæ similiter & cænæ plane explicat Plutarchus *Symposiorum* VII. Ubi quoniam prandium antiquitus vitio vertebatur, vel panem (inquit) ex mero edisse intinctum, ideo vir Romanus impransus, aut jentaculo tantum mane refectus, bonam diei partem impendisset negotiis: mox a meridie, a sexta nimirum ad decimam horam, exercitiis & balneo, a balneo autem, circa vigesimam scilicet & secundam horam, cænabat opipare. Quam diei atque horarum partitionem conquisite apud Martialem comprehensam habemus, lib. IV. epigr. VIII.

Prima salutantes atque altera continet hora;
Exercet raucos tertia caussidicos;
Ad quintam varios extendit Roma labores;
Sexta quies lassis, septima finis erit.
Sufficit in nonam nitidis octava Palæstris,
Imperat extructos frangere nona toros.
Hora libellorum decima est, Eupheme, meorum;
Temperat ambrosias cum tua cura dapes.

Octavam vero diei horam fuisse lavationibus propriam, tum publica, tum privata testantur exempla. M. Tullius scribit *ad Atticum* de Cæsare: *Ambulavit*, inquit, *in littore, post horam octavam in balneum, unctus est, accubuit, edit, bibitque opipare*. Horam & distinctionem temporum aliquam adnotamus ex Galeno v. *de sanitate tuenda*. Antoninus Imperator cognomento Pius, ad curam corporis promptissimus, sub brevibus scilicet diebus, sole Occidente in palæstram ingressus, subinde oleo perunctus lavari erat solitus: in Solstitio autem hora nona, aut ad summum decima. Porro quod legitur apud aliquos auctores, Thermas aliquas D fuisse Hiemales, aliquas Æstivas; hæc non erat communis omnium distinctio, sed quarundam a certo cœli situ dispositio. Quales Hiemales fecisse tradit Vospiscus Aurelianum Cæs. in Transtiberina regione; nimirum quæ ad meridiem expositæ, aperte solis fovebantur aspectu, itaque ad Hiemales exercitationes aptissimæ. Æqua ratione Æstivas in *Gordiano Juniore* meminit Julius Capitolinus, quæ in opaco situ inter montem Cœlium & Esquilias, grata æstate exercitationibus præstabant umbras. Alioqui penes anni tempora, vix ulla erat lavandi distinctio, sed bene personarum. Nam quicumque lavabantur ad exercitium, indifferenter E tam hieme, quam æstate lavissent, quandocunque scilicet exercerentur etiam septies die, ut ait Plinius. Sanitatis vero & mundiciei caussa: quandocunque opus fuisset, vel ad privatam cuique consuetudinem, ut de Telepho Grammatico meminit Galenus v. *de sanitate tuenda*, qui lavari consueverat hieme bis mense, æstate quater, mediis vero temporibus ter. Et de Primigene quodam philosopho, qui qua die non lavisset, febricitabat omnino. Ad delicias autem ac voluptates, vel me tacente, privata quoque ratio esse debuit, & citra ullam aut regulam, aut mensuram. Unde Meri- F dianæ lavationes leguntur, atque etiam antemeridianæ, & vespertinæ. Et Stephani balneæ clara luce celebres Martiali. Nec non pro lavationibus nocturnis, Lychni ænei in Thermis pensiles, Græca forma: monomixi, dimixi, trimixi, polymixi, id est, angulorum & luminum, unius, duorum, trium, plurium: quorum usum, atque genera fuse prosequitur Athenæus lib. XV.

CAP. XIII.

Medicinæ introductio. Summa ratio salubritatis balnearum. Medicinarum acrium usus. Morborum vicissitudines. Decorationis ars in Thermis. Balnearum usus in Medicina. Galeni instituta quoad balnea.

PRo eo igitur vitæ genere impigro ad labores,& pro exquisita corporum cura illius sæculi, in quibus maxime robur virium, ac sanitas conservatur; non aliam legimus fuisse Romæ medicinam sexcentis annis, quam balnea vel empyrica forsan præsidia. Quod ex Plinii verbis elicitur lib. XXIX. c. I. Receptos primum e Græcia Medicos L. Æmilio M. Licinio Coss. A. Urbis DXXXV. Imo dum longius illorum ritus, ac utilitates cum illis institutis recognito: hanc præcipuam invenio in eis adhibitam fuisse medicinæ methodum, ac dignam nobis imitationem. Ut cum potissima hæc esse debeat, ad arcendas a corpore omnes infirmitates intentio, ac cura, ut corpus superfluitatibus vacet, hanc optime assiduus balnearum usus præstaret, quoniam a centro omnes superfluitates traheret ad circumferentiam. Hinc disce modum ad rectam imitationem: nam pro assiduo illo, ac consueto naturæ motu ad superficiem, nulla fiebat in venis, nec in principibus membris humorum aggregatio, sed assidua attractio, ac totius corporis purgatio. Et si verendum esset, ne ex transitu superfluitatum ejusmodi ad cutim, morbi scaterent cutanei, scabies, pruritus, defluxiones, abscessus, podagra; horum omnium in ipsis balneis communis erat curatio. Quapropter cum eo ritu frequenti balnearum, & exercitationum, & tam rure quam militiæ, perrari erant, nisi qui ob cœli inclementiam grassarentur morbi. Nam quæ ex malo vitæ regimine, ac externis caussis contingere potuissent vitia, omnia communi usu lavationum, ac cultu corporum curabantur. Ac Medicina introducta, rarus fuit tamen pharmacorum usus, quæ habentur hodie horrenda, Peplium, Elleborus, Scammonium, Elaterium, Colocynthis, Lathiris, & similia. Nam contra quam quis hodie sua jactet benigniora Antidota, plurimas illi pro ritu illo balnearum, anticipabant, arcebantque ægritudines; nec nisi inveteratis, animæque propemodum intimatis morbis, Deleteria illa sumebant: Unde raro eis contingebat uti. Quæ vulgo hodie grassantur in singulos, scabies, impetigines, lepra, atque alia hujusmodi cutim deturpantia vitia, perrara erant; purgamentis id genus sanguinis, per balneas quotidie dissipatis. Lichen Romæ,& in Italia, non ante Tiberii Cæs principatum visa, per contagium ab alienigenis incultioris vitæ adlata: Pli. Ac Licheni similis Lues Venerea nostri sæculi, fortasse non tam frequenter suum virus ex concubitu propagasset, si prius quam medulis inhæsisset, per balneas, ac exercitia fuisset exturbata. Paucos item ex antiquis podagra laborasse, testis est Plinius: cum tamen multis hodie domestica sit, etiam mulieribus menstruatis, ac lavationibus irritatur. In totum ignoratur hodie a Medicis Decorationis ars, tam ad cultum corporis necessaria, quæ erat tunc ad usum illum Thermarum notissima. Nec fere legimus in antiquis auctoribus Medicis ullum decorationis remedium, quod non inter balneas adhibendum sit, ob id vix intellectum, ne dum ministratum a nostris Medicis. Talia sunt pilis, capillisque custodiendis varia remedia; pariterque visui conservando, odoratui, gustui, dentibus, gingivis, thoraci, & quæ ad gratiam denique faciunt universi corporis. In his & animi quoque passiones alleviabant, tristitiam, odium, mœrorem, cupidineos amorum affectus: ne quid interim dicam de insania emendanda, & de moria reficienda; quæ nihilo secius infra, quum has balneas

A ad nostros usus accommodabimus, fient perspicua. Porro quando ad usum Medicinæ primum venerint balneæ, nec id satis compertum est. Nam earum meminit Hippocrates, utpote salubris, ac usitati suo tempore remedii, III. *de ratione vict. in morb. acutis*. Meminit & Plinius auctoritate M. Varronis l. XXVI. c. III. Cleophantum percelebrem Medicum, inter multa quæ excogitavit ægris blandimenta, balneas quoque instituisse cum avidissima hominum cupiditate. Nec minori postea auctoritate Asclepiades M. Pompeii ætate, ubi multa sagacitate ingenii cum omnem Medicinam abrogasset, reliquit balneas, usu tunc pensili balnearum ad infi-

B nitum blandiente. A quibus temporibus quanquam non pauci intercesserant Medici alicujus nominis, qui modo damnaverint balneas, modo comprobaverint, in universum tamen apud bonos auctores, inter præcipua remedia earum mentio fit. Inter quos Cornelius Celsus Augusti Cæs. ætate, Cleophanti præcipua instituta collegisse videtur, quæ nos quum de Febrium balneis tractabimus, exponemus. Ut eadem quoque secutos apud Galenum legimus, ac auxisse etiam aliqua, Antonium Musam, Andromachum, Archigenem, Rufum, Erasistratum, magnos omnes eorum temporum Medicos. Donec

C tandem Galenus, (quo auctore Medicina ad summam perfectionem perducta est,) balneas non solum ad omnem vitæ cultum confirmavit, verum etiam eas ut saluberrimum, atque unicum in certis febribus remedium celebravit. Quæ quoniam omnia ejus scripta passim declarant, ut opportuno quæque suo loco citabimus; hic satis esse videtur, in universum aliquas ejus utilitatum censuras proponere. Primum x. *Methodi*: *Summa*, inquit, *utilitatum, quas de balneis relaturi sumus, hæc est: Quod ex balneis vacuatur quicquid in corpore vel fuliginosum, vel fumidum fuit: consistunt autem in naturali symmetria tum caro ipsa, tum cutis. Solidarum au-*

D *tem partium ariditas corrigitur,& calor non modo is qui ex lavacro accessit, verum etiam qui prius fuit, ex frigidæ usu removetur. Maximo hujus rei documento est constitutio ejus ex balneo, qui in sole fervente iter fecerit, vel utcunque solidarum partium ariditatem contraxerit. Quippe accedunt ad balneum, ne loqui quidem præ linguæ ac faucium siccitate valentes, totumque corpus stipulæ ritu aridum habentes. At egressi e frigida, illico omnia pro naturæ habitu recipiunt, nec febrili calore vexati, nec siccitate afflicti, prompte loquentes, ac plurima sitis parte levati. An igitur evidentius adhuc balnei vires in sicco & calido corporis affectu videre desideras? Con-*

E *tra qui non laverint, hæc sequi videntur incommoda, aut enim statim febricitabunt, aut multo affecti tædio, & gravato capite perseverabunt. Quin etiam multi juvenes, potissime qui valentibus sunt viribus, & frigido Solio assueti, ubi illico se in aquam frigidam projecerint, juvantur.* Hæc & alia ibi Galenus; qui & in libro *de Marasmo*, hoc habere mirabile testatur balneas, quod caliditates, & frigiditates, & siccitates juvant; quemadmodum & hoc quod non sitientibus sitim accendunt, eandemque sitientibus tollunt. Et in III. lib. *de officina Medici: Fere mortuos*, inquit, *illuc profecto calefaciunt balneæ, etiamsi valde frigefacti fuerint, exustos vero atque incen-*

F *sos non lædunt*. Cæterum inter innumera singularium exempla, ex quinto *de san. tuen.* libro adducemus aliqua. Ex ordine his balneis usus Antiochus Medicus, octoginta annos,& amplius ætatis excessit. Telephus vero Grammaticus provectioris adhuc ætatis, quippe qui centum fere annos vixerit, sensibus illæsis, membris validis, & inculpatæ omnino sanitatis ad extremum usque diem. Lavabatur autem is hieme bis mense, æstate quater, mediis temporibus ter: senectus enim assiduum balnei usum

minus sustinet: quibus vero diebus non lavabatur, circa tertiam horam se perungebat cum exigua frictione, mox mel optimum crudum cum halica esitabat pro jentaculo. Rarum vero exemplum, Primigenes philosophus ex Secta Peripatetica ea ætate celebratissimus, qua die non lavisset, febricitabat omnino. Erat autem is (subdit Galenus) cutis adstrictæ, ac mordacis caliditatis, unde neque prius exercebatur, ut de more consueverat, nec brevem quidem inambulationem in porticu, quæ est ante balneum, inibat: his enim naturis, utpote quæ multa fumida gignant, excrementa, saluberrimum esse balneum censetur.

CAP. XIV.

Balnea publica interdicta. Thermæ voluptuariæ. Specularii lapides in Thermis. Delectus militaris. Thermæ promiscuæ. Corruptela in iis. Leges etiam sancitæ.

THermarum igitur cum universalis fuerit applausus, ac tanta emolumenta: attamen, quæ ferme est rerum omnium mortalium labes, damnatas interdum constat, seu per injuriam, seu per abusum, seu per invidiam etiam Medicis. Parum enim transilivit hic ritus laudabilis, introductis Medicis, quando sub Neronis principatu, Thessalus, qui se Jatronicem appellavit, cœpit multa veteris Medicinæ abrogare. Et in quo apertior cœpit invidia, Carmis eadem fere ætate ex Massilia invasit, qui non solum priores damnavit Medicos, sed & balneas: quorum auctor est Plin. lib. XXIX. c. I. Jure publico nunquam interdictas legitur: nisi (ut usu evenit) in communi luctu, ac magnis Reipublicæ incommodis: quod apud Livium aliquoties accidisse notavimus. Et Suetonius scribit, defuncta Drusilla justicium indictum a Caligula, in quo risisse, lavisse, cænasse cum parentibus, aut conjuge, aut liberis, capitale fuit. Ab Homero primum inter voluptuariæ vitæ delicias balnea commemorata sunt, *Odysseæ* l. VII. Ex Latinis vero gulæ vitio illa primum damnavit M. Varro, Plutarchus item in *Symposiis*, ex eo Columella l. I. quod plerique sui temporis, saturi cibo, potuque distenti, excoquere quotidianam epularum cruditatem in Laconicis consuevissent, exsuctoque sudore sitim quærere, ac ita rursus ad cœnas esculentiores reverti. Quo vitio damnantur præcipue a Satyricis. ut Horatius epist. VII. lib. I.

—— Crudi, tumidique lavamur.

Et Persius, Sat. III.

Turgidus hic epulis, atque albo ventre lavatur.

Juvenalis, *Sat.* I.

Turgidus & crudum pavonem in balnea portas.

Martialis,

In Thermis sumit lactucas, ova, lacertum,
Et cænare foris se legat Aemitius.

Luxum vero qui supra modum creverat, detestatur bonus Seneca *ad Lucillum*. Quippe strata argento balnea, eodemque epistomia, tantum statuarum, tantum columnarum, gemmarumque impensas exprobrans. Et præter hæc, abusum speculariorum lapidum in Thermis detestatus, sua quoque ætate inventum: perlucente nimirum testa ejus lapidis ante balneas, ex cujus perspicuitate, reflexa nudorum qui intus lavabantur corpora, majora & quasi gigantea specie apparebant, nudis puellis, & catamitis procacibus ad hoc irritamentum lasciviæ introductis. quod risit Persius.

Elixasque nates labefactat forcipe adunca.

Hunc morem tacite taxavit Lampridius in *Severo*, qui aliquando luctaminibus mollioribus daret operam. Porro ocii in eis, & molliciei fomenta con-

A questus Seneca: *Quid mihi* (inquit) *cum istis calentibus stagnis? quid cum Sudatoriis, in quibus siccus vapor corpora exhauriens includitur? omnis sudor per laborem exeat*. Plutarchus etiam narrat, hanc fuisse priorum Græcorum censuram, nihil aliud adlaturam aliquando Romanis servitutem, ac molliciem, nisi balnea, atque gymnasia hujusmodi. Utpote quod in his relanguescerent adolescentium animi, effœminarenturque. Cui sententiæ consonat Aphorismus Hippocratis XVI. quintæ Sect. *Calidum*, inquit, *ubi quis sæpius eo utatur, hæc mala affert: carnium effœminationem, nervorum incontinentiam, mentis torporem*. Proinde prisca illa

B Romuli proles, & qui milliares faciebant delectus, rusticam plebem aptiorem armis eo potissimum nomine judicabant, quod balnearium deliciarum ignara esset, ut Columella, & Vegetius, & antea Livius de Ligurum disciplina testantur. Hinc enim puerorum concupiscentias gigni, hinc somno & delicato cibi genere debilitari corpora, degenerareque penitus a majorum fortitudine, delapsis in contrarium caussis, ac primis institutis Thermarum. Græci quoque scriptores Romanis id vitium imputant, qui uxores secum nudas in balneas introducerent, unde minus honeste alios hanc licen-

C tiam sumpsisse. Quando eo usque processisse hominum solutio visa est, ut eas plerique in turpem consuetudinem verterint, omnem promiscue in Thermis voluptatem, ac libidinem explentes, ut jampridem Pontanus satis lepide illas delicias æmulatus videtur; his versibus:

Quid Thermæ, nisi lene, molle, mite?
Hic fas est juveni, hic licet puellæ,
Certatim teneros inire lusus.
Hic & basia, morsiunculasque
Subreptim dare, mutuos favere
Amplexus licet, & jocari,
Hanc legem sibi balneæ edidere, &c.

D Hunc morem promiscue lavandi acriter incessit Cælius Cyprianus, & D. Hieronymus. Ante alios vero nefandam fuisse corruptelam apud Clementem Alexandrinum legimus, qui de moribus Christianis Pædagogis conscripsit libros, sub Severo, ac Antonino Principibus. Eo venere, inquit, intemperantiæ mulieres nostri temporis, ut cænent & sint ebriæ dum lavantur. Viris autem & fæminis communia aperta sunt balnea, ac ex eo exuuntur ad intemperantiam. Itaque ipsæ suis maritis non se exuerint, simulatum pudorem probabiliter præ se ferentes. Licet tamen aliis volentibus, eas quæ domi sunt inclusæ, nudas videre in balneis. Hic

E enim se exuere spectatoribus, tanquam corporum cauponibus, non erubescunt. Quæ autem non usque adeo pudorem exuerint, externos quidem excludunt: una autem cum suis ministris collavantur, servis nudæ exuuntur, & ab eis item nudis fricantur. Et aliæ. Cæterum frequenter legitur huic licentiæ Thermarum fuisse animadversum: ac lata fuit inter prima illa instituta Lex Censoria, ut a promiscuis abstinerent balneis. Nec mulieres commune lavacrum cum viris, libidinis causa intrarent, repudii & dotis amissione periculo. Quod postea in *L. fin. C. de repud.* sancitum fuit, ac fortius subinde in *Authentica de Nuptiis* intimatur.

F Vir qui Thermas mulieribus discretas violenter intrare præsumpsisset, capite puniretur. Spartianus Hadriano Cæs. tribuit, qui lavacra pro sexibus separavit. Jul. vero Capitolinus M. Aurelium Cæs. diu aliquas Thermas clausisse. Heliogabalus cum omni luxus genere esset effæminatissimus multas balneas in amicarum illecebras extruxit, ac paulo postea odio illarum captus, vel ubi semel in singulis se lavisset, dirui jubebat.

CAP. XV.

Thermarum cessatio; & qua de causa. Comparatio, ac cultus in templis. Copia, ac magnificentia Ecclesiarum S. Petri, & Gregoriani Sacelli. Christiana exercitia in templis. Sanitatis studia in sancta Religione.

QUanquam ergo proclives ad nequitiam multi Thermas a primis illis institutis in malam partem contraxerint, vix tamen ullus potuisset abusus ipsarum gratiæ derogare. Nisi quando jam declinante imperii orbis terrarum majestate, desiisse quoque paulatim Thermarum caussam verisimile fit, ac minus balnea frequentari. A labore, inquam, qui, ob honestas quas diximus caussas, lavationum morem invexerat, ad desidiam defluximus, adeoque multo segnius homines in curam corporis, elegantiamque studium posuere, translato in Orientem imperio, sic volente divina providentia. Ex eo enim tempore grassantibus in Italiam tot bellis Wandalorum, Gothorum, Hunnorum, Longobardorum, ut rerum quoque aliarum vicissitudines necessitate quadam sequi videntur imperia; tota paulatim Europa in alios ritus conversa est. Italia vero princeps, non solum tantarum rerum fecit jacturam, verum etiam corrupta cum illorum assidua barbarie, antiquum illum decorem in totum fere dimisit: minus ad præstantiam excitari, non arma exercere, nisi aut civilia, aut servilia interdum, non corporis robore, nec labore cæteros antecellere curans. Quo recte quidem factum est, ut sacrosancta Christiana religio, jam rerum potita, sicut durantes Thermas toleravit; ita collapsas, ad tollendum luxum, qui solus remanserat, reficere neglexerit, posteritate in alia studia jam conversa, ac deliciarum illarum oblita. Donec paulatim deleta illarum superstitionum credulitate, qua diu illaqueata jacuit tota antiquitas; loca Thermarum, ac structura, ad honestiores Christianæ vitæ ritus redacta, ac Thermæ conversæ sunt in templa. De quarum rerum mutatione, non humanum dixerim consilium, non refugium posteritatis, non occasione secutos homines; sed divinum potius contemplamur judicium: quando cessatis jam diu oraculis (quod mirari visus est Plutarchus, & ante ipsum M. Tullius) ac ipsis auctoribus tunc illos mores, ac luxus damnantibus (ut dictum est) irridentibusque vaticinia, auguria, vanasque alias id genus divinationes, quasi ex ore divino vaticinatum, legimus admirabilem vatem:

Magnus ab integro seclorum nascitur ordo.

Divino, inquam, consilio putandum, inter illas superstitiones omnem cessasse Thermarum cultum, & in religionem cessisse, utque videamus omnem illarum magnificentiam jam superatam esse in templis. Quod recte factum est, nec indecora fuit vicissitudo: nedum quia ipsa instituta a deliciis, ac vitiis mutata videamus ad honestiores, ac sanctos mores, sed pro ipsorum etiam templorum magnificentia, atque ornatu operum, in quibus non minora habentur animi, & corporis oblectamenta, ac salubriora exercitia, quam in Thermis illis, & palæstris. Imo cum repleverint jam templa sacra universum terrarum orbem, quæ videmus militantem ubique ecclesiam frequentare, & colere (taceo in reliquis terris amplitudinem, & magnificentiæ exempla innumera, in amplissimo Sancti Petri templo superatum jam esse superbum Pantheon supremo basilicæ culmine) plane si reliqua tanti operis membra censeamus, & cum excellentia columnarum, opera pictorum computemus, plasticæque ornamenta in museis, ac lithostrotis, quæ sacrarium hodie GREGORIANUM, quasi cæleste quoddam Angelorum oraculum odornant, sint imitanda; jam vere fatebimur sumptuosissimum hoc omnium templorum archetypum, non Thermas modo, sed Salomonis etiam templum in omni sua gloria, ac divitiis superatum, ac inter majora quoque mundi miracula fore numerandum. Cum vero prisca illa Thermarum monumenta non tantopere a nobis fuerint indaganda, nisi ad ea cognoscenda, quæ hoc tempore sunt scitu necessaria; cæterum quis palæstras illas, aut exercitamenta in Thermis conferat cum Christianis exercitiis? Erant illa quidem ad militarem disciplinam, & ad liberalium artium cultum, pro illo tempore recta instituta, faciebant ad sanitatis tutelam, & ad munditiam corporis, nec minus per eam celebritatem exercitabantur juventutis ingenia a desidia, atque ocio ad exercitia, & honestiores conatus, sic tum ferentibus illis seculis. At hoc tempus (ut Comici utar verbo) aliam vitam adfert, alios mores postulat. Imo cum satis sufficiat ad vitam consueta obire exercitia, & non minus laudatæ sint in Thermis deambulationes, quarum caussa longissimæ fiunt hodie in templis porticus, atque areæ, jam non ociari in ipsius templis, nec desidiam dixeris, quin potius & commeatus ille popularis, & assiduæ stationes, concursusque ad aras, vigilantia illa, & horariæ preces, & stare, quoddam exercitii genus sunt. Et quid dubium, quod instituta ejusmodi sobrietatis, & continentiæ apud Medicos pluris sunt extimandæ ad sanitatem, ac firmitatem comparandam, quam omnis illa lautitia, vel soluta ad omnem luxum licentia? Declamationes in nostris ecclesiis, & in oratoriis, psalmodiæ, cantus, sonitus tibiarum, & organi, commune jubileum in divinam gloriam, nonne hæc omnia honestissima sunt studia, & longe aliæ animi & corporis deliciæ? ad quas nullam habent præludia illa in Thermis rationem. Per hæc vero quidem non derogatum velim, aut conclusum contra Thermarum mores, immo quoniam rerum Romanarum magnitudinem nulla unquam delebit oblivio, vigebit & in his nostris monumentis aliqua eorum memoria, ac condecens hæc videri poterit vicissitudo, ut tam præclara instituta si non instaurentur, ad sanctos saltem ritus ecclesiæ sint subroganda.

CAP. XVI.

Thermarum instaurandarum rationes. Quæ de artificialibus balneis tractanda sunt. Stuphæ quid. Earum duplex genus. Aliæ privatæ; Aliæ publicæ, vel mercenariæ, quæ damnantur. Novæ qui constituendæ. Præparatio ad stuphas. Mane an vespere lavandum. Stupharum dispositiones: partes, Porticus; Apodyterium; Laconicum; Cornicula; Calidarium; Frigidum solium. Balneum in Calidario. Detersoria in Stuphis. Nitrum, & Aphronitrum: Lomentum ex farina fabacea. Lupinorum farina. Smegma, Sapo.

PER hæc, inquam, communia Thermarum instituta, quæ sat erit ad notitiam tanti ritus nos revocasse in novam lucem; satis quidem persuasos credimus Reges, ac rerum publ. rectores, si quando Thermæ instaurandæ essent, digna optimo Principe fore munia, atque hanc laudabilem habitura rationem. Quoniam non ad lavationum dumtaxat usum erunt comparandæ, sed publica hæc fore gymnasia, ubi hoc maxime tyrocinio allici deberet juventus, ad bonas artes capessendas, ac prima in eis laborum, & militiæ rudimenta experiri. Et quando non aliæ hinc suppeditarentur utilitates, quæ maximi sunt momenti in omni republica, retractio fieret popularis a desidia, atque ocio, cultus in eis haberetur, ac cura corporum. Et tandem pro vitæ ac sanitatis custodia, tanquam

communeAsylum, ac refugium constitutæ essent publicæ commoditati. Porro ad ea, quæ deinceps de lavationibus arte parandis, ad imitationem Thermarum, ad usumque Medicinæ scribenda restant; duplicem hæc instituta habere poterunt utilitatem; una quidem est ad veræ Medicinæ, quam juxta Galenum profitemur, doctrinam assequendam (sunt enim Thermæ quædam Medicinæ pars) quæ in his institutis nata primum, & scripta, & tradita nobis, multam in eis videtur habere necessitatem, & ad intelligentiam, & ad usum: Altera vero utilitas est, ad rei balneariæ complementum: quæ enim præsidia præstare non valent balnea naturalia, utpote calida, & sicca, ac adversa certis morbis curandis, ac maxime febribus; eandem nobis abunde suppeditant in Thermis artificialibus lavationes. Ad quarum exarationem idcirco, penes illa instituta accingimur. Tentaverunt autem nostri Veteres nonnulli antiquatam jam ferme hanc Medicinæ partem litteris instaurare; quod tamen ex rei obscuritate, & quæ in omnium fere scriptorum monumentis diminute ac jejune admodum præstiterunt. Quos inter, minus congrue fecerunt quidam hodie ex Germania scriptores, qui suas Stuphas in locum Thermarum substituere ausi, jam poterunt ex prænarratis a nobis de earum amplitudine agnoscere, quantum aberrent: quippe ut cecinit quondam Poeta ille egregius, apud Ciceronem:

Sic canibus catulos similes,
Sic maximis minima.

Quare in primis quid de Stupha sentiendum sit, nunc breviter incipiam. Utimur quidem in Italia, & frequentius in Germania, duplici Stupharum genere: quod vocabulum a Græca etymologia quidam adposite derivant, quasi *stipa*, quod arctissime hæ concamerationes pro servando calore stipari soleant. Sunt enim aliæ privatæ, ac tepidi aeris, quas ad proprios usus, in hibernis maxime Germani, & ulteriores populi communiter sibi comparant, ac nobili artificio aliquas, ut dicemus. Aliæ publicæ, vel mercenariæ potius, tonstrinæ modo, ubi lavantur, ac sudant, & cornua quædam scabiosis applicantur, ad trahendum e suprema cuti sanguinem. Quarum tamen usus a Medicis non admodum laudatur. Tum quia in his nulla hodie recta ratio habetur, ut quæ ad mercedem dumtaxat apertæ sunt, & promiscuæ omnibus, tam ægris & contagiosis, quam sanis. Tum Stupharum ipsarum vitio, quæ angustæ, & tenebricosæ, carent omni commoditate, & omni delicia, ac noxiæ idcirco multis, ac invisæ potius quam gratæ aut utiles. Quare si ad ordinem, quem dicemus, constituantur, non utiles solum ac gratæ omnibus, verum etiam necessariæ in Republica videri poterunt. In primis constituenda essent loca aliqua ad decorem & cultum civitatis: quæ videlicet non essent communia omnibus, & tam ægris, quam sanis; præsertim hoc tempore, quando morbi grassantur contagiosissimi. Audivimus quædam publica lavationum loca apud Barbantos, aliquandiu fuisse clausa, & refrixisse, quod in promiscuo illuc hominum concursu, vulgo omnes nova lue afficiebantur, quam Gallicam, & alii Hispanicam appellant, alioqui omnibus jam nationibus commune. Et cum in quolibet morbo discrimen contagii sit, majorem in modum grassantis pestilentiæ tempore cavenda sunt. Ingressuri sint utcunque leviter exercitati, qui si in exercitatione sudaverint, haud moram trahant, sed confestim exuti laventur, ac exsiccentur. Ingrediantur autem jejuno stomaco semper, ac ventre vacuo, non aliqua ex parte dolentes, non febricitantes, nec insignem quampiam evacuationem passi, præsertim sanguinis, nec sint aut inedia, aut longis vigiliis extenuati. Nec inter lavandum aut venere, aut cibo, aut potu utendum; in quem errorem nonnullos cum vitæ discrimine incurrisse cognovimus. Mane, an vespere utilius sit; matutinum tempus omnes illas conditiones requisitas comprehendit, quietem corporis, somnum prægressæ noctis, stomachum jejunum, ventrem inanem. Ac utile idcirco est, lavari mane, & ei maxime; qui simpliciter lavari intendit, cavendo aliqua ejus diei aeris incommoda. Alioqui servatis (ut ajunt) servandis, vespertinas lavationes utiliores existimo. Nempe quæ ad instituta illa antiqua Thermarum, & ad munditiam faciunt corporis, & etiam ad sanitatem, multis superfluis, per diurna negotia ad summam cutim excitatis, ac per balneum vacuatis, ac detersis. Simul atque securis nobis ab incommodis aeris, cum subinde domum redeundum sit, ac cessato a balneo motu cænandum, & de more quiescendum.

Stuphas autem laudaverim eas, quæ structuræ vetustæ potius quam novæ sint, & asseribus ubi oportet, contabulatæ. In quas aqua haudquaquam putealis mittatur, quæ cruda esse solet, & dura, & cutim inasperat: sed fontana, quæ perpetuo alicunde ductu recens semper habeatur, & clara. Vasaria erunt aut fictilia, aut ex ære stannato, ac tinæ ligneæ plures opportunis locis dispositæ. Constituantur autem in Stuphis tres ad minus partes distinctæ, quales Romæ in privatis balneis fuisse videtur, Apodyterium, Laconicum, Calidarium. Quarum partium cum diversam esse oporteat temperaturam calorum, infra sit Hypocaustum, ita collocatum, ut communis ejus sit usus tum calefaciendis aquis, tum vaporibus ad opportunas partes diffundendis. In vestibulo deberet esse porticus, ad deambulationes his qui essent ingressuri. Primo autem intrantes in aere versentur temperato, quod (ut Plinius de suis balneis meminit) Apodyterium dicendum erit, seu Tepidarium: in quo vestimenta capsariis consignantur. Si autem duplex magnitudine ad cæteras cameras, sit laxum, & hilare (ut inquit Plinius) signis ornatum, ac jucundis picturis. Et in parte habeat Tonstrinam separatam sub lumine, quæ & sua habeat Elæothesia, sive armaria, aquis nymphis, oleis, ac odoratis unguentis blandissima. Ex Apodyterio sit duplex aditus, unus in Laconicum, ad sudandum; alter in Calidarium, his quibus balneo tantum uti opus est, & non sudare. Laconicum appellavit Cicero in Cumani villa, hanc partem, quam nos proprie Stupham dicimus: partem scilicet concameratam, ac rotunda (ut facile fieri poterit) specie, ac plenam calido vapore, tum a subjecto hypocausto, tum a calidis simul aquis elevato. Hic perfusis, ac detersis affatim parietibus, sudent, quibus sudare erit opus, & cornicula, quibus conveniunt, applicent. Quibus vero hæc, & quantum conveniunt, id non liceat nisi Medico judicare. At cum sint ex Stuphariolis istis, qui pro sua avaritia non curant tot cornicula applicare, ut tot recipiant obolos, donec videant misellos exangues sibi cadere ad pedes: qui, si validi sint, paulo postea recollectis spiritibus, vel ex vomitu, vel per alvum rejectis humiditatibus resipiscunt. Omnino sciant singulum corniculum singulam extrahere unciam sanguinis: audent tamen ad triginta, & amplius applicare, indifferenter. Corniculorum hujusmodi antiquum fuisse usum usque a Galeni tempore legimus XIII. *Methodi*, cucurbitularum vice: claram vero de his mutationem facit Cor. Celsus lib. II. cap. XI. ac duo eo tempore fuisse genera, alia cornea, quæ foramen in parte haberent exiguum, cera ad usum obstructum. Alia ænea, cum lineamento ardenti applicanda. Conveniunt autem duobus hominum generibus: primum qui-

dem scabiosis, & qui id genus cutis infectionibus scatent: in quibus quidem casibus universa prius corporis evacuatio deberet præcedere, nam remedium foret efficacius: alioqui fiet major contractio ad cutim, & patiens minus juvabitur. Conveniunt & his, qui ad conservandam sanitatem, cum non adeo tutum sit venam incidere, quod scilicet una cum sanguine multum vitalis excernitur spiritus, ac vires debilitantur; applicatis quod decet cornículis in partibus ignobilioribus, præsertim ubi majorum venarum concursus, ut in humeris, in coxis, & in cruribus, sanguis quidem malus, & crassus, citra virium resolutionem educitur, ac patiens admodum juvatur. Deinde ex Laconico per hostiolum commune ad Calidarium transeant, in quo nimirum æqualis sit tepor aeris cum Apodyterio, ac nitens temperatarum alveus, ubi laventur, & confestim vel insiliant in Solium frigidum, vel si horreant frigidam, si aqua minus frigida, & veluti insolata, qua perfundantur. Quem frigidæ usum jam ex ante narratis toties a nobis antiquorum ritibus, novisse poterunt, quam sit necessarius. Qui enim hoc modo a sudationibus, atque usu Laconici, statim in frigidam non descendunt, (dicebat Gal. x. *Methodi*) ii paulo post transpirato immoderatius calido innato, totum corpus frigidius evasisse sentient, nec vacant periculo, qui maxime ab extrinseco lædantur aere, poris ita apertis. Quod sane frigidæ illa perfusio fieri prohibebit; nam & cutis per ipsam densabitur, vires firmabuntur, & quæ antea fuerint excalefacta ex Laconico, hic innoxie refrigerabuntur. Quæ tanti momenti utilitates sunt, eodem Galeno teste, ut Laconicum & cætera calidaria sint præparatoria ad frigidam. Unde aut Stupha utendum non est, aut frigida subinde utendum. Porro quibus sudare non expedit, nec ullus usus Laconici, hi tam mane, quam vespere uti poterunt balneo, ita ut ex Apodyterio statim intrent in Calidarium. Ubi qui commodis balnei uti voluerint, vel sic aliquam curare infirmitatem, intrent balneum, cubent, & taceant, laventur & exsiccentur, de more quem postea de privatis Soliis explicabimus. Qui autem ad munditiam tantum intravere, laventur, & tergeantur. Mox in Apodyterium redeant, ubi commode exsiccent madorem, vestirique incipiant, ac ita in pristinum naturæ habitum belle restituti, abeant, caveantque veluti diximus. Atque hic esse debet Stupharum ritus.

DETERSORIA

IN STUPHIS, ET SAPONIS APPARATUS.

Cæterum ad detergendam in balneis cutem, vario Antiqui utebantur detersoriorum genere, quæ Smegmata cum Græcis dixere, communiter vero erant Nitrum, & Aphronitrum ejus spuma tenuior, & quod a mollicie dicebant Aphrolitrum, quasi urna continendum. Vulgare detersorium erat farina fabacea, quod dixere lomentum, & ex lupinorum farina smegma: quibus equidem Galeni, Plinii, & Dioscoridis auctoritate utendum in Stuphis pro hoc nostri sæculi mediocritate consuluerim. Dicebat Gal. I. *de alim. facul.* Cutis sordes fabacea farina manifeste deterget: quam ob rem mangones, ac mulierculæ ea utuntur in balneis, sicut alii Nitro, & alii Aphronitro. Illinunt ea faciem: lentigines enim ac maculas etiam a sole contractas exterit. Cicatrices, inquit Dioscorides, reliquæ carni concolores reddit. Sugillata cohibet. Cutis item, ac ventris corrugationes delere lomentum, quæ est ipsa farina fabacea, testis est Martialis lib. III. qui ludibundus irridet Pollam, epigr. XLII.

Lomento rugas ventris quod condere tentas.

Idque clarius in *Apophoretis*, laudans hoc ritu Stephani balnea, epigr. LX.

Gratum munus erit, scisso nec inutile ventri,
Si clara Stephani balnea luce petas.

Ex lupinis Plin. lib. XXVIII. cap. XXV. lupinorum farina aceto subacta papulas, pruritusque in balneis illita cohibet, & per se siccat ulcera. Ex iisdem decocta lentiginem, & foventium cutim corrigunt: si vero ad mellis crassitudinem decoquantur, succus ille smegma fit. I. detersorium cutis, & quasi sapo: de quo meminit lib. XXV. cap. XII. *Gallorum id inventum rutilandis capillis, ex sævo, ac cinere optimus fagino, & caprino, duobus modis spissus, ac liquidus. Uterque apud Germanos majore in usu viris quam fæminis*: hæc ille. Varios tamen Sapo habet hodie apparatus, & nostra ætate nobiliores, præsertim in Italia, quorum gratiæ jamdudum cesserunt Aphronitra, relicta suis Ægyptiis: & his utitur in balneis pro leni smegmate, cum spongiis, & stamine (ut moris est) & insanis, non relicto fabarum lomento, ubi opus erit.

CAP. XVII.

Cella Caldaria pro Stupha. Hypocaustum quid. Ejus vaporarium; Fenestra; Tubi, & Tubuli; Zetæ. Caminus novum inventum. Vitæ cultus Antiquorum. Jentaculum ex cœna. Ædificatio. Vestitus liber. Lares, foci, & camini Veterum. Stupharum artificia. Aer facile alterabilis. Stuphæ Germanorum. Statuæ æneæ in hypocaustis. Usus, & Nocumenta.

Stuphæ autem domesticæ sunt hodie Germanis in usu frequentissimo, ac aliquibus Italiæ civitatibus in hybernis. Erant & apud nostros Antiquos, sed exquisitæ magis lautitiæ genere. Proprium tamen vocabulum antiquum non habemus, nisi Hypocaustum. Cellas Caldarias, ὑποθήκας θερμάς, in quibus sedentes calefierent, lego primum in Athenæo lib. XII. inventas apud Sybaritas, nationem in Italia ante majestatem Romanorum deliciosissimam. Communiter tamen Græca voce dictum est Hypocaustum. Nam ubi nos Stupham vocamus stipatum conclave, subcensis a tergo, vel sub camino ignibus, concalescens; illi ex communi Hypocausto, singulas, & quas vellent ædium partes calefaciebant. Eo vocabulo utitur in primis M. Tullius *ad Q. Fratrem*. In balneariis Hypocausta in alterum Apodyterii angulum promovi, propterea quod ita erant posita, ut eorum vaporarium, ex quo ignis erumpit, esset sub tectum cubiculi. Vaporarium dixi fenestram, ex qua vapor exhalat in cameras. Hypocausta autem videtur dixisse, non partem aliquam ædium stipatam, sed ipsos intra parietes cuniculos, unde vapor in unam, & in aliam cameram diffunderetur. Cui sententiæ omnes auctoritates consentiunt: ut Papinius Statius in primo *Sylvarum*,

— Ubi languidus ignis inerrat
Ædibus, & tenuem volvunt hypocausta vaporem.

Modum explanat melius Plinius *ad Gallum*, dum scribit: *Applicitum est cubiculo Hypocaustum perexiguum, quod angusta fenestra suppositum calorem (ut ratio exigit) aut affundit, aut retinet.* Structuram vero tanquam nimiæ ejus sæculi deliciæ, ponit Seneca *ad Lucullum*. Impressos parietibus tubos a præfurnio, per quos circumfusus calor, ima simul & summa calfaceret æqualiter. Paulus Jureconsultus Tubulos definit esse, per quos paries calore torretur. *Zetas* vero, & *Zeteculas* vocat idem Plinius *ad Gall.* propria calorum conclavia, ubi lecticuli essent ad delicias, & amores. Lampri-

pridius inquit: *Indicos odores Heliogabalus ad vaporandas Zetas sine carbonibus jubebat incendi.* Vestigium antiquum Tubulorum ejusmodi parietibus impressorum visitur in sacrario S.Helenæ, in Ecclesia S.Crucis in Hierusalem, qui sub opere tectorio quadrata forma, quatuor digitorum latitudine, ac triplici conjuncti ordine, ab imo (ut mihi videtur) hypocausto, calores in supernas ædium partes deferre debebant. Ex quibus hoc haud dubium esse debet, non fuisse tunc usum caminorum nostri temporis: quam partem deleta illa lautitia vivendi, posteritatis refugium puto, ne inventum dicam. Deinde plane intelligitur mirum artificium illius sæculi in fovendis ædibus, ac mira in omni vitæ cultu diversitas a nostris usibus. Foris degebant totam diem in liberalibus exercitiis, jentaculo dumtaxat contenti primo mane, deinde cæna hora decima: habebant palæstras,& balnea publica.Domi calores (ut ratio temporum exigebat) in quaque parte ædium diffusos, qui apertis interdum fenestris, vel clausis, fundi poterant, vel retineri in cameras, in triclinia, in aulas, in Zetas, in musea. Sic eos incorrupta servare solitos ædificia dixerim, signa, picturas, aurata laquearia, aulæa, libros in musæis, vestes & id supellectilium genus.Sic ædium intus structura simplex, parvis fenestris, ut videmus adhuc aliquas, eisque altis, nam ad prospectum erant porticus pensiles; Sic algores vitare, ac libero habitu, vestiri, domi, forisque erat solitum, non istis, inquam, arctis centonibus, nec bracchis ad talum demissis, quod servile erat; sed aut soluto sago, aut simplici tunica præcincta, quam lata subinde toga comprehendebant. Cum nos alioqui ex barbara illa aquilonarium corruptela, onusti vestibus, & quasi compedibus bracchati, ad cineres cubemus totos dies; unde ocio, & strictura vestium torpescimus, fumo oculis lædimur, mente, ac omnibus sensoriis languescimus. Rusticum erat, & non civile, habere lares, foculosque mobiles, ut apud Columellam legitur: Consuescendos esse rusticos circa larem domini, focumque familiarem epulari. Et caminos, quicumque essent, ad parsimoniam: quod raro legitur, ut apud Galenum v. *de San. tuen.* Antiochi Medici domuncula, æstate citra ignem, hieme camino calebat. Eadem fortasse tenuitate contentus dixit Tibullus.

Dum meus exiguo luceat igne focus.

Sidonius tamen in II. *Epistolarum*, qui vixit jam Imperio declinante, Zenonis tempore, stylum nostri temporis caminorum visus est expressisse his verbis. *Hyemale triclinium arcuatili camino sæpe ignis animatus pulla fuligine infecit.* Sed te nunc ad focum minime invito. Cæteræ quæ leguntur auctoritates referuntur ad lautitiam Hypocaustorum, ut cum scribit M.Tullius *ad Trebatium,* qui quartana laborabat, luculento camino utendum esse. Et Horatius *lib.* I. od. IX.

Dissolve frigus, ligna super foco
Large reponens.

Porro nunc ubi pro singulis servitiis multiplicare oportet foculos, ac varios per quasque ædes construere caminos; observavimus in antiquis domibus, & in illis sumptuosis, ex eodem hypocausto, ac eodem igne, plura simul, ac commodiora haberi solita servitia. In inferiori præfurnio, ubi servi tantum degissent, culina erat domestica: superne & ad latera hypocausti, ubi vasa erecta balnearia, erant distributa loca balnearum: per subditos vero pavimento tubos exhalabat clam vapor ignis in omnes domus partes, ut dictum est. Quod artificium animadverti olim ex ruinis in Tusculano Luculli, ubi in fronte, qui nunc respicit Frascati oppidum, situm erat Hypocaustum, rotunda forma, centum pedum ambitu distinctum æquis spatiis per foculos

A arctus, ex quibus tubi occulti & ficti deducebant calorem per tria stadia, sub solo,& sub viridariis, ad capita villæ, ubi ædes omnes & cubicula communem susciperent calorem, apertis, vel stipatis fenestris, quantum vellent. Unum facile discrimen credo equidem potuisse afferre illis temporibus quam diximus continui caloris, & ignis, per quasque ædium partes deductionem, quod crebra, ac tam vasta, ut leguntur, inducebant incendia. Tubuli enim oppleti tractu temporis aliqua fuligine, facile poterant concepisse (ut usuevenit) flammas, ac eas usquequaque perducere ad laquearia, & contignationes. Porro sicut nova, ac diversa ratio camino-

B rum,& ignium nostri temporis est; ita nimium deliciosus huic nostræ moderantiæ esset illorum ductuum usus, quo ima simul & summa calefierent. Nec satis idoneus; qui subjectis præfurniis, nec cuniculatis illis hypocaustis utimur. Quapropter, sicubi nobis Stupharum id genus artificium parandum erit, quod sæpe numero usuevenit hieme, aut his maxime, quibus aliquandiu medicinali cuipiam ministerio inserviendum est;plures sunt modi,& quisque facilis,pro conditione personarum.Manifestum enim plane est, quod nihil facilius ad quamque mutatur alterationem, quam aer. Ergo quocunque ar-

C tificio concalefactus aer careat novi aeris spiraculo, fit Stupha. Cujus summa artificii hæc est; quod aer in Stupha quanto magis expers vaporis in sua puritate servatur, tanto salubrior. De facile parabilibus, in nostris maxime regionibus, est; ut conclave eligatur, quod non sit admodum angustum, sed altum (ut monuit Celsus) lucidum, spatiosumque. In quo picturæ, signa, aulea, vestes, id genus utensilia omnia niteant, ac delectent animum ad quietem. Pateat autem (si fieri poterit) ab austro, unde solis illustretur, ac foveatur aspectu, contraque borealis flatus arceatur. Sint fenestræ volubiles, vel lineis velis, vel quæ perspicua antiquo-

D rum specularia æmulantur, vitratis clausæ, quibus interim adapertis, concluso vapori aliqua expiratio præbeatur. In quo, si calor ad consuetudinem nostram temperandus sit, esto continuo luculentus focus, qui vitato fumo, ac lethali carbonum halitu, odoris interdum lignis splendeat, ex junipero, lauro, cupresso, ac aromatis aliquibus. Stupharum vero ritus apud Germanos varius est. Solent communiter caminum a tergo Stuphæ concameratum habere, unde calor e suppositis ignibus per fictilem testam, aut vitrum penetret, foveatque conclusum aerem. Civilior usus est, vapores longe a camino ex

E oculis lithostrati spiraculis concipere. Vel in medio pavimenti sit ornamentum solidum, sive æneum, sive lapideum, quod per figurata spiracula vapores exhalet. Ad quem modum visuntur hodie in urbe ex marmore aliqua in lunatam faciem, v. pedes circiter latam,aut in aliam consimilem speciem formata, quæ ubi erant pro vaporariis in magnis aulis; nunc contrario in totum ministerio, aquas ex atriis in foricas, ore,oculisq; foratis inducunt. Rarum vero, ac nobile artificium, æneæ statuæ concavæ, aut una plures disponantur in aula, quæ variis gesticulationibus,ore,oculis, naribus, auribus,vel per vestimentorum lacinas, vapores inferne susceptos e pe-

F dibus, aut trunco, aut hasta, aut caduceo, in apertum effundant, nemine, id nisi experto, sentiente. Ad usum: Aer hujusmodi cum multis nominibus utilis sit, omnino ex mediocri tepore non adeo calefacit, parcius exsiccat, ac temperate dissolvit, superfluitates in ambitu corporis dispersas leniter digerit. Pueris, mulieribus, senibus, imbecillis, resolutis, pinguibus, frigidis, humidisque naturis, & passionibus, admodum conferens. Ac maxime quidem conferet, si per id tempus insigni quopiam medicamine utendum sit, ut in balneis privatim fa-

ciendis,& in nova ista ligni Sancti administratione fieri expedit. Cæterum graciles, cholericos, & facilis transportationis homines, strictum pectus habentes, & pulmonarios, & omnino inconsuetos non videtur aer stuphæ ita juvare. Multis alvum, ac urinas adstringit ex accidenti, juncturas laxat, aliis caput replet, oculos hebetat, & auditum. Præsertim vero eos lædere solet, qui e stupha egressi, se statim libero aeri committunt; cum inventi sint, qui propterea in repentinam Apoplexiam, vel in aliquem alium ejus generis morbum inciderint. Propterea consulo, ut paulatim assuescant ad novum aerem, apertis interdum fenestris, interdum stuphæ calore remisso, ac transeant ad cameras minus calidas. Cæterum haudquaquam sanis hunc ritum instituo, ac nostris minime; sed hanc partem volui in tota reparatione Thermarum, tanquam primam constituere, & quasi commune quoddam Tepidarium, in quo subinde ad privatos usus & sudationes, & lavationum reliquos ordines moliremur. Itaque jam de his dicemus.

CAP. XVIII.

Stuphæ siccæ, ac humidæ: Earum utilitates. Morbi Gallici stupha: Suffumigium. Doliaris Vaporarii sudationes. Eædem in furno. Fotus in Semicupio ex scoria ferri.

SUdationes autem in vaporariis, quæ Græcis *πυριατήρια* vocantur, in ægritudinibus dumtaxat persanandis comparari solent. Ubi scilicet ex alto in extimam superficiem obnixe trahere intentio est, calfaciendo, ac impense exsiccando, aperiendo,attenuando, ac per sudores, perque halitum celerrime vacuando: frigidis potissimum, humidisque naturis & passionibus summe utile, & certis aliis casibus, quos dicemus. Expectanda autem est humorum concoctio, nisi materia ipsa, quæ est in caussa, aut in promptu exsilat, aut utique turgeat, sicut in venis, ut plurimum facere cogimur. Tumque surgente jam sole, ac ægro exacte omnibus excrementis e latis meatibus vacuato ac jejuno stomacho, res ita ineatur. Esto in primis hypocaustum concalefactum, vel conclave ipsum bene clausum, & stipatum; claris & odoris ignibus effervescente camino, quemadmodum proposuimus. Cubiculo autem angusto existente, diligenter fumus evitetur, præcipue vero gravis, turbidusque ille carbonum vapor, qui sæpe incautis magnum intulit periculum: Interim vero paratum sit in proximo angulo tuguriolum, lectisterniis nimirum, toralibus circumtentis, quod nudus subintret æger. Ubi sedens in sedecula, mox subditis per ministros claris, rutilisque carbonibus, & conspersis, quæ opus fuerint, pulveribus, sudet ad tolerantiam, adaperta solum a facie interdum cortina, ut aliquem frigidi aeris respiratum accipiat. Vel si minus sicca illi affectui, aut naturæ conveniant, humidi in Sudatorio vapores sunt. Nempe decoctis pro ratione in capaci lebere herbarum fasciculis, vel seminum, & id genus aliis pugillis, eoque bulliente suppolito. Aut lapidibus aliquibus, vel pyrite, vel molari, seorsum fervefactis, in lebetem ipsum injectis, extinctisque ignei vapores excitentur. Materia rerum ejusmodi suppeditanda, varia est, pro varia intentione, sumpta a natura ægrotantis, ab effectu ipso, & a particula laborante. Ad summam Discussorii generis sunto, subtilium, scilicet partium, olida, & anodina, & quasi in articulariis doloribus, in antiquo capitis dolore, diutinisque nervorum, & aliorum membrorum malis sumuntur. Flores Chamæmeli, meliloti, centaurii, stœchadis, rorismarini, comæ absinthii, abrotani, heliochrysii, menthæ, ruthæ, sampsuci, salviæ, origani, calamenti, pulegii, prasii, folia lauri, brassicæ, hederæ, urticæ, stipites cariophyllorum, macis, agalloci, cupressi nuces, & semina ejusmodi, vel omnia, vel aliqua. Permaneat æger, si tolerare poterit, quamdiu totus sudore perfundatur, horæ ad minus dimidium, tumque linteis obvolutus in proximum lectulum ineat, tegatur, tergatur sudore, ut in aliis antea diximus. Sudationibus tam naturalibus, quam arte paratis pluries utitur Celsus, ut *lib.* III. cap. ult. Ad nervorum resolutionem, subjicienda (inquit) pruna lenis, & sulphur, atque ita insuffumigandum, idque aliquamdiu faciendum: utitur & Paulus in Elephantiasi, adhibitis quoque exterioriis, ac balneis naturalibus, & item in frigidis omnibus passionibus, quæ miscellam carnis laxare solent, cruribus inflatis, abdomini tumido, sensum squalidum habentibus ex malo habitu, ac jam factis hydropicis. Ad volvolum item, & cholicum cruciatum, fomentis ad eandem sententiam applicatis, ex furfure, milio,& consimilibus. Ad squammas autem uteri, scabrosasque pustulas pruritum his locis inducentes, tum calida insidere, tum sudare quoque ita expedit. Ad reliquias autem morbi Gallici, hæc vaporaria sunt hodie de extremis: inveterata nimirum affectione, & quæ reliquerit vel capiti, ac juncturis dolores, vel tumores in musculis, qui occalluerint, vel pustulas, vel palati, aut nasi, aut gutturis ulcera. Quibus affatim sudare in vaporario jubere solemus, præmissa tum universi corporis vacuatione,tum præsertim ligni Sancti, aut aliqua hujusmodi generosi medicamenti administratione præcedente. Horum vero affectuum contumacia ut radicitus extirpetur, hic pulvis ex majoribus diaphoreticis in prunas ipsas vaporarii conspergendus est, vel consimilis alius. Stiracis, calamitæ, mirrhæ electæ, olibani, masticis, ladani optimi, ana. drach. II. Macis drach. I. fustium gariophyllorum, nucis muscatæ, cinnamomi, ana drach. III. Corticum nucum pineorum, cort. nuc cupressi, ana. drach. V. Galliæ muscatæ ad odorem semidrachma: fit pulvis; vel Theriaca: excipiuntur pastilli, pro tribus vicibus. Nonnulli Cinnabarim quoque in suffumigio commiscent, quod tota mineræ qualitate hanc ajunt luem destruere, confirmatis interim aliquo mediocri gargarismo dentibus, ac gingivis, e quibus partibus, occulta ejus medicaminis proprietate, cotylas crudi & contumacissimi phlegmatis videbis emanare. Breve & nobile quo utor, Cinnabaris unciæ duæ, Thuris masculi uncia, Galliæ muscatæ drachma: utitor ad dolores artuum, atque capitis contumaces, in tribus vicibus. Cæterum solent aliquando Medici, ut remedium facilius sit, in dolium subditis eodem modo prunis ægros mittere, ac sudationes moliri. Quale ex Aræteo, & Archigene in Diabete passione ministrat Aetius: nimirum ut caput extra dolium promineat, unde frigidum aerem attrahat, reliquum vero corpus omne vaporatione ipsa calefiat. Doliaris vaporarii ad hydropicos extenuandos meminit Gal. in *lib. de util. resp.* a Chrysippo Cnidio laudatum. Hoc vero genus Sudationum in dolio, audio quibusdam Medicis in Germaniæ partibus frequenter usitari, quippe qui in illis hypocaustis totum annum degunt. Sunt qui ægros in furnum mittant, prominente itidem extra præfurnium capite, quibusdam e plebecula idoneum, quibus non sat commode alia remedia suppeditant. Ut idem usurpat Aetius, ad Ranæ rubetæ, inquit, virus, stuporemque excutiendum, similiter dolium, aut furnum

fervefacito, igneque extracto, laterem pro sedili adponito, & ægrum immitti, multumque ac diu sudare jubeto. Nos vero in frequenti usu, simplici tina contenti sumus, quod vulgo nostri veteres videntur Semicupium dixisse. In cujus videlicet margine æger circumpalliatus nudus insideat, suppositaque patina ænea incoctis, vel aliquo ejus generis pulvere prunis consperso. Vel quod paratu facillimum habemus, & utile, laminis ferreis igne candentibus suppositis, ac aceto conspersis ad sudationes: quo remedii genere usum legimus Alexandrum Trallianum *lib.* I. c. XVI. Confert ad resolutionem, ac coxendicum dol. ex molari lap. ignito, ac vino consperso in tina: idem si concitatis motibus æger, exercitetur, inambulet, currat, quotidie lavetur, ut contentus in eo vapor excutiatur: quod & Arcquati squalidum virorem tollendum erit valde utile, inclinato jam affectu. Porro pro sicco vaporario Veteres defrictionibus ex Nitri usti, aut fæcis aridæ, ustæ pulvere utebantur. Hodie communiter exerceri diu, ac multum ægros imperant, gestari, ac Sudationes moliri, alios in balneis & in Stuphis, alios ad Solem. Ita sane duas Thermarum partes in privatis balneis æmulati sumus, Tepidarium scilicet atq; Laconicum. Nunc ad lavationes veniemus.

CAP. XIX.

Balnea privata in canistris. Ligneum solium. Requisita in balneis: Pelvis, seu Concha; Tina; Labrum. Aurea sententia Hippocratis. Sanitatis custodia ab exercitio. Balnei, ac exercitii incommoda a cibo. Tempus balnei: ipsius & exercitii utilitates. Mora in balneis. Frigidæ lotio. Unctionum ratio in balneis. Unctio stomachi ante balneum. Somni a balneo utilitas. Lavationum electio per naturas, & tempora.

QUanquam vero privatas istas lavationes extra balneas præparari debere, nobis intentio est, neutiquam tamen apud Antiquos, qui lautas illas habebant Thermas, id inusitatum fuisse quis existimet. Vel quia non esset alterius balnei commoditas, ut labra, quæ parari in castris consuevisse meminit Gal. v. *de san. tu.* quas proprie balneas videntur dixisse, quasi diminutivo a balneis nomine, ad parva, vel privata balnea, quas sæpe legimus in Plinio, & plane in compendiaria C. Velleii Paterculi historia, qui in castris versatus Tiberii Cæs. laudi tribuit apparatui bellico, in quo & Medici essent, & in hoc solum importatum instrumentum balnei, ut nihil deesset valetudini. Vel balineæ dicuntur, quas hospitalitatis officio tum parari solitum fuisse legimus, ut de Ulysse meminit Homerus, recognito a nutrice ejus dum lavaretur, jam admodum anu. Vel ad privatas commoditates, ut de Augusto testatur Suetonius, qui quum nervis laboraret, quotiescunque marinis aquis, vel Albulis utendum esset, contentus hoc erat, ut insidens ligneo Solio, manus ad pedes alternatim jactaret. Ex quibus intelligitur, quod non est novum, neque difficile hunc morem imitari: nam etsi illis careamus deliciis, satis erit tamen si nostra balnea sine incommodo, quoad ejus fieri poterit, utamur. Danda igitur opera inprimis est, ut pro his quæ instituimus, opportuna sint omnia. Tempus idoneum, cameræ bene stipatæ, ac temperati caloris, lectisternia, ac varia linteamina parata, quæ in his opus sunt: & super hæc diligentia ministrorum, qui requisita tempestive, & quantum fieri poterit commode exequantur. Simul atque concalefactæ aquæ puræ, ac dulces habeantur, quæ trifariam ad minus temperari possint, calidæ, calidiores, & tepidæ ad præscripta Thermarum instituta. Pelvis deinde sive concha lignea ad staturam

A hominis oblonga in cubiculo collocata sit, quam cum Græcis Baptisterium vocat Plinius Junior, ac vulgo parum deflexa voce *Capisterium.* Medici vero non incongrue *Tinam* appellant. Quo plane vasis genere utebantur etiam Veteres in privatis balneis, quod labrum appellabant, & sive ænea fuerint materia, sive lapidea, sive lignea, portatilia aliqua fuisse constat: quod declarat per epistolam Cicero *ad Terentiam uxorem,* cui ex itinere ita mandat: *Labrum si non est in balneo, fac ut sit.* Ad usum autem, quoniam cum hoc ritu universum fere vitæ regimen, ac sanitatis tuendæ studium conjungitur: idcirco revocare hic in memoriam oportet illa quæ ad usum

B lavationum in Stuphis necessaria esse diximus, de præparatione ad balneum, de exercitii modo, de hora & tempore balnei, & quod alvo prius inanita, & ante cibum ineundum est. Qua in parte Galeni præcepta in libris *de san. tuend.* ut in reliquis quoque hujus voluminis institutis, in quoddam veluti compendium redigemus. Harum ergo rerum servandarum ordinem exquisite continet ea aurea Hippocratis sententia in *Epidemiis lib.* VI. LABOR, CIBVS, POTVS, SOMNVS, VENVS, OMNIA MEDIOCRIA. In qua sententia, ut II. *de san. tu.* interpretatur Galenus, & modum ipsum singulorum definivit, addito ad finem epitheto, *mediocria:*

C & tempus, ordinemque signavit, ipsa verborum serie. Quippe sanitatis custodiam a labore auspicandam esse, laboris nimirum communi appellatione, quæ omne genus exercitii comprehendat, & item frictiones, & balnea. Mox cibus sequi debet, & potus, deinde somnus, & reliqua, ut cuique competit. Ad exercitationem vero commodissimum tempus est, eodem auctore, jam peracta externi cibarii duplici concoctione, & ea scilicet quæ in ventre, & ea quæ in vasis sanguinis agitur. Contra autem (VI. *de san. tuen.*) non leve, inquit, incommodum illis accidit, qui a cibo repleti se exercent. Siquidem & ca-

D put impletur vaporibus, & in jecinore aut ponderis sensus, aut distentionis, aut utriusque percipitur. Eademque incommoda eos sequentur, qui balneis a cibo utentur, distentiones hypocondriorum, flatus ventris, capitis gravitas, sensuum & omnium virtutum, præcipue animalium hebetudo. Et periculum subinde ne cibi incocti, ac succi multitudo in omnes animalis partes rapiantur. Propterea diximus, matutinum tempus esse tum exercitationibus, tum balneis idoneum, his præsertim qui mediocriter cænaverint, alvo tunc inanita, ac jejuno stomacho, ut Galenus VI. *de san. tuen.* Exercitationum autem quoniam universa ratio in consuetudine versatur,

E nimirum quæ non excedat cuique consuetum modum; idcirco melius est ad imitationem Galeni, (ut ipse de se narrat eod. *lib.* VI.) qua die quis balneo erit usurus, præsumpto de mane brevi jentaculo ad consueta exire negotia, quæ & ipsa exercitii genus sunt commodissimum. Subinde inclinante jam die, hora videlicet XXI. æstate, vel occidente jam sole per hiemem, balneo utendum: quando & præsumptus cibus jam concoctus esse in ventre possit, & externæ diei digestiones omnino peractæ, & in ventre, & in venis. Præstabit exercitium caloris innati augmentum, II. *de san. tuen.* Quippe cale-

F fiunt corpora nostra & balneis, & thermis naturalibus, & insolatu, & igne, & calidorum medicaminum fotu: cæterum hæc ab extrinseco calefaciunt: exercitium vero innatum excitat calorem, qui est omnium bonorum caussa, & ipsa vita. Balneum recuratoria veluti pars, III. *de san. tuen.* duplex afferet beneficium: nam & excrementa quæque a toto corporis ambitu deterget, expurgabitque, & ipsum corpus a lassitudinis periculo tutum reddet. Sedeat autem in balneo, ac lavetur, tergeaturque quantum cuique opus fuerit, horæ spa-

tium, vel ad minus dimidium: longe enim alia ratio est, ejus qui ad munditiam lavatur, & ejus qui aliqua morbi occasione diu in balneo teneri debet. Quam ob rem generalem hic lavationum rationem habebimus, post hæc quid valeant in sanis, & demum in morbis curandis, explicabitur. Omnino exiturus a balneo, sive sanus sit, sive æger, nisi alterius Solii frigidi copia sit, in quod totus confestim insiliat, multa certe aspersione aquæ frigidæ perfundatur. Cujus sane partis in balneo prima esse debet intentio, nam (ut ex Galeno, ac diutissimo Veterum usu probavimus) ex hac quæ fuerant excalfacta, innoxie refrigerantur, ac vires densata cuti firmantur, & sine frigida nihil juvantur. Vel tepidiuscula aspersione utatur, ac madore deterso, oleo leniter perungatur. Detersionis vero per oleum singularis hæc utilitas est IV. *de san. tuen.* quod oleum cum mediocri frictione, & quæ tensa sunt remittit, & quæ inter exercitium vehementius fatigata sunt, emollit. Præstat & hoc non mediocre commodum, quod exiguos cutis meatus opplendo, ab extrinsecus ambientis injuria vendicare poterit, & vestimenti instar calorem nativum munire, & sudores inhibere. Ut hinc maxime universa ratio Sudationum, inunctionumq; in balneis haberi possit. Quos largius antiqui sudare volebant, eos neq; a balneo, neq; ante balneum unxissent: quod perpetuo in his, qui aut cruditate, aut plenitudine premuntur servandum est. Sed diu hos tenebant in Laconico, & mox in calidum Solium mittebant. At contra, qui longo morbo laborassent, extenuatique fuissent, hos ubi in calida lavissent, ac post frigidæ solium sudare incepissent, perungebant. In sanis autem, quod frequentius usu evenit, quibus aut longo itinere, aut exercitatione, aut alio quovis pacto corpus esset exhaustum; hos non solum a balneo, sed & ante balneum ungi imperabant, III. *de san. tu.* Nos illis Sudatoriis destituti primum cui sudare opus fuerit, exercitium injungemus; postea eum in Tinam calidam, calido item, & stipato cubiculo, demittemus; exinde in lectum proximum bene constratum, & calfactum ducemus, ubi & large sudare, deterso interim madore, aut etiam dormire, ut copiosius sudet, jubebimus. Cum vero is in naturalem habitum rediisse visus sit, in Solium frigidum mittemus, vel multa frigida perfundemus, vel tepida, si horruerit primo frigidam. Tum mollibus linteis detersus, dulci oleo, aut butyro (Plinio, & Galeno testibus) ubi olei copia non sit, leviter perungi poterit. Quod si is frigidæ natationi alias assueverit, hoc aget securius, atque utilius. Sin fastidierit, sciat se prætermittere partem balnei admodum utilem: ac sit saltem contentus unctione molliri, & cavere per eam diem a quocunque aeris excessu. Illam vero equidem necessariam puto, senibus maxime, & valetudinariis cautelam, imo nemini fore inutilem, ut quoniam stomachus mediocri solet calore balnei relaxari, (gaudet enim forti extrinsecus calore VIII. *Methodi*) idcirco ante balneum muniatur, vel Mastichino oleo, vel Melino, vel unguento id genus aliquo, vel, prout cuique opus esse videatur, ceroto ex Mastiche, atque aromatis, quod applicitum illi parti perpetuo teneatur. Postrema vero ex oleo saltem communi detersio totius corporis, duplicem illam, quam item ex Galeno restituimus, præstabit utilitatem; tum ut vestimenti instar muniat, caveatque corpus ab externi aeris ambientis injuriis Habet enim omne oleum emplastici vim medicamenti, VI. *de san. tu.* quod videlicet exiguos cutis meatus opplendo, prohibet insiti caloris transpirationem, præcipue Hispanum oleum. Nos vel omphacinum accipiemus, vel violaceum, vel amygdalinum, vel aliquod ejus generis, pro his qui frugi lavari debent, & non deliciis. Quibus vero pretiosi alicujus unguenti, vel olei copia fuerit, pro delicatis maxime & imbecillis, id erit aptissimum. Ubi quis autem ita lotus, atque blande unctus ad pristinam mediocritatem rediisse visus fuerit, cœnet, & a cœna subinde interposito ad minus duarum horarum spatio, ad somnum se convertat: minime ignorantibus nobis quod NIHIL ÆQVE CONDVCIT CORPORI, tum concoquendis, æquandisque humoribus, tum viribus recreandis, quam somnus, & somnus a balneo. Cæterum de electione salubrium istarum lavationum, certum tempus non statuitur: aliis enim inserviendum consuetudini erit, aliis necessitati, aliis constitutioni ambientis aeris, & calibus consimilibus. Quibus ob aliquam morbi necessitatem balneis utendum erit, plane infra constabit, quod alii semel in die, alii etiam bis, imbecilles vero alternis saltem diebus eis utentur. Sani prout assuerint: vel prout ex occasione juvamentum ex eo senserint. Assuefient autem pro natura, ætate, & tempore paulatim. Frequentius enim juvenes, & qui consistenti sunt ætate lavari debent: Senes minus. Plus calidæ & siccæ naturæ, minus frigidæ, & minime humidæ. Plus æstate quam hieme. Quam rem melius quisque cognoverit ex Galeni institutis, quæ jam in sanis, & postea in ægris describemus: nam hæc hactenus communiter dicta sunt.

CAP. XX.

Balneum quale idoneum infantibus. Iisdem Thermæ inimicæ; ut & frigidæ lotio. Pueris, Adolescentibus an utiles: Juvenum, Senum, & Mulierum balnea. Otiosis potissimum, & laboriosis utilia. Lassitudinis duo genera. Spontaneæ lassitudines tres; scil. Plenitudinis, Cacochymiæ, & Plenitudinis cum febre. Variæ aliæ recensentur. Atrophunti qui Plinio. Balneum quando utiliter adhibitum. Facit ad Retentiones excrementorum; ad somnum, & vigilias. Amantibus, & reconvalescentibus utile.

De lavationibus itaque in statu sanitatis, duo principaliter attendenda sunt: unum quidem est natura utentis, quam impræsentiarum penes ætates, & quadantenus penes temperiem distinguemus: alterum vero est ipsum balnei temperamentum. Hoc est, quod pro ratione singularis naturæ, ætatis, regionis, & temporis, & necessitatis comparetur ac temperetur. Qua in parte hæc sunt Galeni instituta. Infantibus quidem recens natis, & circa primos annos balneum ejusmodi salubrium aquarum idoneum est. Salubres autem vocamus, inquit, exacte temperatas, accommodatasque illi naturæ, vim scilicet calidam humidamque habentes. Qua plane ratione, haud quaquam salubria huic ætati esse dicimus balnea, quæ ex natura minerali medicam vim aliquam præ se ferant, omnia enim talia manifeste siccant. Multo vero maxime a frigidæ lotione coercendi sunt infantes: nam & si hunc morem servent quædam efferæ gentes, ut Galenus inquit, in Germania, quod idem in Britannia meminit Cæsar, & in Scythia, parum tamen emolumenti si res succedat; sin minus, detrimenti multum inde consequi possint. Quam maxime autem studendum nutrici est, & ut dum fricat, dumque lavat puerulum, ne lac ei in ventriculo crudum inhæreat. Periculum enim est, ne prius quam probe sit concoctum, per corpus digeratur, & caput præcipue aggravet. Quod vitabitur, si nutrix observet, ut post longissimum somnum, curet infantem, & omnino caveat ne quid nutrimenti ante lavationem, neque ante frictionem puerulo præbeat. At hæc tempestiva lavatio multa infantium vitia corrigit; facit ad tussim, ac gravedinem, ad femorum intertriginem, lacte post lavationem oblito, ad in-

festasque passiones sub primorum dentium ortu. Prohibetur autem in quibusdam infantilium malis, ubi ex multa tum humiditate, tum ventositate laborant: veluti in Hernia accidit, & umbilici procidentia, quam Græci ἐξομφαλὸν dicunt: in his enim passionibus non sat commode calidæ lavationes ministrantur. Porro a primis annis Pueri, cum crebris balneis abstinendi sunt, assuefaciendi, auctore Galeno, prius exercitatione aliqua utantur, & post deinde in balneum mittantur. Quod iis declinantes variolas sanare, earumque vestigia delere valent, Avicenna. A quartodecimo autem anno, quanquam plerique amnes, & stagna inire condiscant, ut de Natationibus id genus dicemus postea, B calida tamen potius quam frigida uti debent, ut qui hanc nondum citra noxam tolerare valent. A secundo septennio in totum fere tertium, cavendum pariter a frigida est, quippe eorum augmentationi contraria. Ubi vero plene est auctus, non solum temperatæ, sed frigidæ etiam committendus est. Juveni enim duras, tensasque emollit partes, etsi quod putre excrementum intus ad cutim hæret vacuat, viresque confirmat. Vitanda vero huic ætati, & his qui optimo sunt temperamento exacte calida est, & vehemens motus, & exsudatio nimia in hypocaustis, ne supra modum calidi ex natura C spiritus fervescant. Hac enim de causa eos dissuadet Galen. I. *de san. tuen.* ne in Laconico diutius commorentur, sed ut transeant tantum ad Solium usque, & inde confestim loti festinent ad frigidam. Senibus vero adhuc vegetis & robustis, temperatarum lavacrum est maxime idoneum, & vinum dulce a balneo, inquit Galenus ibid. *l.* v. Quibus ad verbum proprie quadrat, quod ex Homero vate sapientissimo hic ipsa citat:

Ut lavit sumpsitque cibum, dat membra sopiri.

D Cum enim senectus sit frigida & sicca, per calefacientia, & humectantia aptissime corrigitur, stomacho his ante balneum inuncto, ut paulo ante diximus, ne ex balnei tepore relaxetur. Seniores autem propter virium imbecillitatem assiduum balnei usum minus sustinent. Quo modo autem mulieribus balnea consulenda sint, specialem considerationem non habemus. Plurima pars ob multam humiditatem, ac carnium molliciem, eadem qua pueri ratione lavandæ sunt. Aliquæ senum modo parcius laventur declinante scilicet a juventute jam ætate, ac pluribus maxime effœtæ partibus. Aliquæ juvenum, ut quæ virgines sunt. Quomodo E vero mulieres ad nitorem, & candorem se lavare, ac detergere debeant; hoc pertinet ad Decorationis partem, quam alias exaravimus, & ut lomento præcipue fabarum utantur pro detersorio, ut paulo ante diximus. In universum vero de absoluta balnei ratione hoc esse dixit Paulus, ut omnibus tutissimum sit, aptissimumque & viro, & mulieri, & puero, & privato: Sed his præcipue qui ex pluri ocio multas solent cruditates congerere, crebroque infirmantur. Potissimum vero his, qui cutis sunt adstrictæ, ac fuliginosis abundant excrementis, quod Galenus de Primigene Peripatetico attestatur, v. *de san.tuen.* nam congestis illis fumi- F dis excrementis, febres confestim excitari possunt, qui si bis etiam in die laventur, apprime juvantur. Saluberrimum pariter laboriosam vitam degentibus, quo certe nomine Revocatoriæ pars balneum dictum est IV. *de san. tuen.* Nam cum a defatigato corpore sæpenumero lassitudines, exustiones, sudamina, pruritus, scabiesque experiantur, vel restricta inopinate cute, lethales interdum obstructiones incurrunt, aut pleuritim, aut principalis alicujus visceris phlegmonas; ab his omnibus vendicant balnea. Qua in parte illustria adeo exempla ex Galeno dedimus, de his qui sub sole ardenti, aut longo itinere, aut magnis laboribus defatigati, maxime sitibundi, ac fere emortui, ex balneis statim recreabantur, siti sedata, calore, qui febrem minabatur, remisso, ac omnia denique pro naturali habitu recuperabant. Contra qui non lavissent, aut febricitare consuevisse, aut multo tædio, ac gravato capite perseverare. Sed omnes hæ lassitudinis species, extrinsecæ cujusdam causæ vicem obtinent. Verum balnei usus non has solum, sed spontaneas quoque sedat lassitudines, quæ scil. sponte, ac nulla præcedente commotione, aut labore fieri solent, de quibus est præclarus ille Hippocratis *Aphorismus* v. *sect.* II. Spontaneæ lassitudines morbos prænunciant. Quæ quoniam triplicem solent facere sensum ab effectu ipso, III. *de san. tuen.* alia tensiva dicitur, alia inflammatoria, & alia ulcerosa. Harum autem in totum duplex est causa, aut plenitudo, scilicet quam Græci πληθώραν, aut vitiati succi copia, quam κακοχυμίαν appellant. Est autem plenitudo XIII. *Methodi*, ubi æqualiter inter se succi sunt adaucti. Cacochymia autem, ubi vel flava bili, vel nigra, vel pituita, vel serosis humoribus refertum corpus est. Ergo plenitudo tum sanguinis missione curatur, tum frequenti balneo, tum exercitatione, tum frictione, tum digerentibus medicamentis, & præter hæc omnia, inedia. Distinctione tamen adhibita, an cum febre intelligantur, an citra febrem. Siquidem febris non adsit (monet eodem loco Galenus) omnibus his utare, ex ratione eligens id, quod melius est. At si jam in febrem inciderit æger: tunc nec exercitatione vacuare exuperantiam licet, nec unctione, quæ excalfaciat, sed nec multa frictione, nec balneo: immo sanguinis missione, una cum inedia, vel purgatione aliqua. Sicuti etiam exclusa febre, intelligendus mihi videtur locus ejusdem ex Hippocrate, VI. *de morbis vulg.* Commen. v. commen. XXIX. Et in Præsagio ex experimentis confirmato. *Ubi in sanguinis missione facienda, si sanguis*, inquit, *crassior percipitur, hos præstat matutino tempore experrectos, ac postquam ad horam vigilarint, prius lavari, vel obambulare, & deinde sanguinem de more educere.* Qui mos in trahendo e summa cute sanguinem in Stuphis, servari debet. Specialis autem quidam balnei modus in quolibet affectu lassitudinis esse debet In lassitudine enim tensiva, quæ factæ jam plenitudinis soboles est; diu in temperato balneo commorari oportet: adeoque si hominem bis, atque iterum laveris, & a balneo de more inunxeris, plus profeceris, multa prius exercitatione, aut frictione adhibita. In lassitudine porro inflammatoria, quæ & plenitudinem simul, & succorum vitium habet in caussam, eodem quo tensiva modo tractandus est patiens, qui tamen longiorem in balneo moram contrahere debet, & aqua item sit paulo tepidior, ut fusius humectetur. In lassitudine autem ulcerosa, quæ succorum vitio proprie conflatur, si tempestive balneum ministretur, valde contulerit, molli præsertim unctione adhibita ex oleo, quod omnis sit adstrictionis expers, III. *de san. tu.* Sicuti etiam in illa alia quartæ speciei lassitudine, quam videlicet ariditas quæpiam genuit, facto est opus, nisi quia calidiorem aliquando aquam esse oportet, inquit Galenus *ibid.* quæ sensim contrahat, calefaciat, atque roboret cutim. Calidiorem item convenit esse aquam gracilibus impinguandis, eadem ratione, VI. *de san.tuen.* Solet enim eorum temperamentum esse calidius, ac siccius, quare hi haud longa exercitatione ante balneum opus habent, nam his abunde satis ambulatio faciet, deinde balneum, & mollis ex oleo frictio. Hos vero a cibis balneum quoque juvat, atque

incredibile est, inquit Galenus VI. *de san. tuen.* quam obesi aliqui hac victus ratione sint redditi. In intemperie vero sicca, tam corporis universi, quam particularis alicujus membri, puta ventriculi, vel intestinorum, ut fusius item humectetur, longissime in temperatarum aquarum balneo sedere oportet, & per horarum ad summum quatuor intervallum lavationes iterare, mox oleo se inungere, vescique, ex Gal. VII. *Meth.* monet Plautus. Qui frigido autem atque humido temperamento sunt, valentiores motus desiderant, nec si in sole exerceantur, læduntur, nec etiam si balneo abstineant. Atrophuntis (ita enim Græce vocat Plinius eos, quorum membrum aliquod ex nutrimento non juvatur & gracilescit) mediocrem perfusionem injungit Galen. VI. *san. tu.* neque esse sudandum. Contra, nimium pingues extenuat balneum: quibus tamen cavendum a cibo præter cætera balneum, utpote quos & ante cibum non juvat, nam ex balneo major fit distributio nutrimenti. Quo nomine increpabat Galenus Erasistrateos, qui quosdam adeo sanguine refertos, ut ferme venæ præ multitudine rumperentur, tentabant per usum balnei extenuare, cum hi sanguinis missione potius sint vacuandi, veluti supra est dictum. Proin tutius crassis tum larga exsudatio consulitur, tum aquæ cujuspiam medicatæ usus. Porro utiliter etiam balneum adhiberi solet, ubi alvus, aut urina ex aliqua caussa, vel etiam in febribus retinetur. Facit ad vigilias: *Balneum*, inquit Galen. IV. *de san. tuen. non in postremis est eorum, quæ somnum ducunt: imo qui co usi sunt, propensiores ad somnum fieri solent, nisi quidpiam majoris mementi obstiterit. Est autem balneum paulo ante cænam ministrandum.* Paulus Ægineta consuluit amantes, & ob cupidinis affectum mente fere solutos, & squalidos, mœroreque tabescentes, duci in balneum debere: nam facit ad humectandum, & molestias animi alleviat. Reconvalescentes, inquit Galen. VII. *Methodi*, ad consueta paulatim reducendi sunt, gestationibus, ambulationibus, frictionibus, balneis, atque unctionibus utantur, tam ante balneum saltem stomacho, quam post balneum universum. Et in summa media sit ratio inter eam, quæ sanorum propria, & ægrotantium. Hæ ergo sunt in tota latitudine sanitatis balnearum utilitates: nunc earumdem usum in morbis, & primo in febribus ostendemus.

CAP. XXI.

Aquæ temperatæ utilitas. Balnei temperati duplex virtus. Mictio frigida in balnei exitu. Balnei in febribus discrimina. Ejusdem usus ex Antiquis. Balneum utile quando. Tempus; declinatio. Utentis conditiones. Balnei ratio in jejuno, & non jejuno.

DIximus, quod dulcium calefactarum aquarum triplex est differentia, Galeno III. *de san. tuen.* auctore: temperatæ scilicet, tepidæ, & plus justo calidiores. Si media (inquit ipse) temperie sint, vis calida, & humida est. Sin tepidiores, humida, & frigida. Quod si justo calidiores fiant, calida quidem, sed non perinde humida. In febrium ergo curationibus per balneas, de temperatis universus sermo noster intelligendus est, dimissis calidioribus, atque tepidis: nimirum quæ temperamento nostri corporis, imo ejus particulariter hominis, qui balneo usurus est, exquisite congruat. Quod passim, ex Galeno protestabimur. Prosunt autem temperata balnea febribus duplici nomine, X. *Methodi*: prima, scilicet ratione, & ex accidente, utpote quæ ex partibus varia facultate præditis componuntur. Nam balneum, ut aqua est, fieri non potest, quin perpetuo humectet, atque refrigeret, quod communissime omni febri convenit. Ut autem acquisititia qualitate calens, eductis fervidiis illis vaporbus, corpus refrigerat, atque in suam temperiem reducit. Cui rei præclara Galeni attestatio est, infra dicenda, in curatione Tertianæ scilicet primo *ad Glaucum.* Attestatur & effectus ipse, quem Macrobius posuit in quæsitis: *Cur in exitu ex balneo frigida urina mingitur?* Nimirum quia omne balneum calidum, dum trahit a centro ad superficiem calorem, corpus extrinsecus calefacit, refrigerat intrinsecus. Temperatarum itaque vis calida & humida est, aperiens, penetrans, digerens, semper humectans: quare ubi quis sicco corporis affectu detinetur, ut in febribus, potest ipsarum usu utilem madorem solidis partibus immittere, urinas, alvumque laxare, ac sudores elicere. Semper conditionis illius memores, ut absoluta febrium intemperies intelligatur: quod est citra omnem alicujus particularis membri affectum, secus enim non vacat periculo, quin universa ei intemperiei materia in particulas illas affectas influens, majus inferat malum. Quod autem de effectu diximus, puta inflammatione, erysipelate, antiquo capitis dolore, & tumore præter cætera in aliquo viscerum; idem quoque de membri alicujus imbecillitate intelligendum est. Rara autem corpora in febribus, maxime continuis, particularum aliqua imbecillitate non laborant; itaque summopere hic Rasis auctoritatem attendendam esse arbitror, qui suam protestatur experientiam, plerumque balneum se febricitantibus vidisse inutile, ac in putridis maxime, quæ pro materiæ copia plurimam possunt de loco ad locum fluxionem movere: quam cautelam Galeni dictis non esse inconsonam, paulo post apparebit. Quare antiquiores, Cleophantis scilicet Medici ætate, timidius in quibusdam febribus balneo utebantur. Fecit autem postea Asclepiadis audacia, ut neque eo terrerentur, si tempestive adhiberetur: quando vero tempestive diceretur, edisserit ex ejus sententia Corn. Celsus satis plana; planissime vero, post eum CLXXX. circiter annos, id ipsum edocuit Galenus, quem præcipuum sequemur. Sed ut primo antiquiorum illa instituta percurram: tota apud eos tempestivi ratio erat in tribus, in concoctione videlicet humorum, in ægri habitu, num valido, num debili, & tolerantia virium. Quanquam has quoque conditiones confusis verbis exprimebant, quas nos explanabimus. Nam quod attinet ad primam conditionem, quæ erat coctionis, sic ipsi præcipiebant, Celsi verbis. Manentibus quidem febribus lavandos esse, cum hoc tamen, ne increvisset tum febris, neve lingua esset aspera, neve aut in medio coroore, aut in capite dolor ullus esset, neve præcordia dura essent, aut tumida. De habitu autem secundo loco ægrotantis: nam imbecillo ægro timendum apprime consulebant horroris periculum, proinde ægrum ubi in balneum venisset, paulisper residere jussissent, experirique num tempora astringerentur, & an sudor aliquis oriretur. Illud si incidisset, hoc non sequeretur, prætermittebant eo die balneum, tanquam inutile, leviterque perunctum auferebant, vitato omni modo frigore, & abstinentia indicta. At si temporibus integris primum ibi, deinde alibi sudare incepissent, os aqua calida fovere jubebant, tum in solio desidere: atque ibi quoque animadvertebant, num sub primo contactu aquæ calidæ, summa cutis inhorresceret; certum enim id erat signum inutilis balnei, quod tamen vix timebant posse accidere, si indicia priora recte cessissent. Et denique pro tertia conditione, constantia virium attendebatur: neque enim committendum (inquit Celsus) ut per æstum anima deficiat; quare maturius tunc ægrum auferebant, curioseque in vestimentis revolutum, ut neque frigus aspiraret, sudare, antequam aliquid sumeret, jubebant. Ante vero, an

postea quam in aquam calidam descendissent, inungendi essent, ex ratione valetudinis suæ noscebant: fere tamen (nisi nominatim facta fuisset exceptio) ut postea id fieret, solebant. Hæc erat secundum Celsum, diligentia Veterum circa ægros in balneis, cum exacta adhuc non esset apud eos medendi peritia in eis, quam a Galeno x. *Meth.* postea habuimus exactissimam, eamque privatis hisce nostris lavationibus valde congruam. Quare de cura febrientium in balneis, duplex in universum ratio habenda est: una quidem communis est omnium febrium, & altera quæ erit uniuscujusque febris propria. Communissima ergo hæc est, ut in putridis Febribus manifesta prius in urinis concoctio appareat; tunc enim in remissione febris corpore jam mediocriter transpirante, multum caloris febrilis exhalabit, & una fuliginosa omnia, ac fumida excrementa educentur. Cui rei in principio, & in augmento contrarium accidit: nam vel ob densam cutim, vel ob rodentium humorum copiam, in horrorem ægri incidunt. Hæ enim sunt duæ horroris caussæ præcipuæ; atque adeo ii qui ita sunt affecti, sive balneum ingressi fuerint, sive steterint in sole, sive quoquo modo vel gestati, vel perfricti, vel exercitati vehementius sint dimoti, in horrorem ipsum quamprimum incidunt. Danda igitur opera est, ut in quacunque febri, vel in quolibet etiam morbo balneum adhibendum sit, tria hæc omnino non impediant. Unum quidem, ut balneum sine horrore sit administratum, secundum quod nullum primæ notæ viscus sit imbecillum, & tertium quod multitudo crudi humoris inprimis venis non contineatur. Horror namque non solum jam præsentem febrem intendere potest, sed cum non fuerit, eam interim excitare, ut optima ratione hoc semper inutilis balnei indicium habitum sit. Partes vero imbecillæ liquatos jam humores noxios magis recipiunt. Crudorum vero copia in totum corpus diffunditur. Propter has igitur caussas neque in principio, neque in augmento febrientes balneis committendi sunt, sed declinante jam morbo: quod tempus indistincte tetigit ex antiquioribus Celsus, dum febres (dicebat ipse) sunt lentæ. Tunc enim absumpta jam supervacua sunt, & tum cruda, cum putrescentia concocta, & balneis, & cataplasmatis intrepide uti possumus. Multo vero magis si animadversa utentis consuetudine in balneis, is balnei desiderio teneatur, qui (teste Hippocrate in III. *de rat. vict. in morb. acu.* & item Galeno) si bis etiam quotidie lavetur, non erit error. Inter lavandum autem, ægrotantem aut nullo modo fricare oportet, aut certe levissime, si fordium extergendarum caussa opus sit, & mollibus spongiis pro strigili utendum. Componat autem sese qui lavatur, & taceat, & nihil agat, dicebat Hippocrates, sed ministris tum perfundere, tum abstergere sinat: Ne (inquit Galenus) modo corpore musculi extendantur, ac minus molliantur. Petendum vero ex superioribus est, quando & quatenus post balneum tum sudare, tum frigida conspergi, ac inungi ex usu sit, & ex his quæ mox dicemus in singulis febribus. Veluti etiam supponimus eos qui legerint, dati illius præcepti fore memores, ut jejuno ventriculo, ac alvo inanita ineundum ægris balneum sit: a cibo enim verenda est aut jecoris obstructio, aut aliqua noxa consimilis. Propterea neque etiam eis a balneo statim sorbendum est, neque bibendum; sed sedata ex balneo turbatione tum esse, ac bibere convenit. Sic enim non erit periculum, vel ut caput repleatur, vel ut stomachi subversio fiat, vel aliquod ejus generis contingat malum.

CAP. XXII.

Balneum aquarum dulcium & temperatarum qui conveniat cuique febri: ut Diariæ; Putridis; Continuis; Intermittentibus; Tertianis; Quotidianæ; Quartanæ; Ardenti. Quibus febribus balnea contraria; Continentibus; Hecticis. Frigidæ conspersio Hecticis necessaria. Marasmodis sanatio. Aqua ut aqua nec nutrit, nec humectat corpus.

MAxime vero oportunus ac tempestivus balnei usus dicetur, si præter communes præceptiones jam dictas, sigillatim quoque quantum cuique febri balneum conveniat, aut non conveniat, teneatur, atque ministretur. Tametsi ergo balnea dulcium, & temperatarum aquarum ad omnem Diariam febrem commodissima sunt (Galeno IX. & XI. *Methodi* auctore) haud quaquam tamen omnes diariam patientes simpliciter, neque uno tenore lavandi sunt. Imo ut fiunt aquæ ad diversos usus temperatæ, temperatissimæ, & minus temperatæ, quod toties diximus; ita in his febribus prout caussa postulat, diversimode eligendæ sunt, & aut citius aut tardius lavandum. Sunt autem caussæ in summa, lassitudo, æstus, siccitas, frigus, vigiliæ, fames, curæ, iræ, tristitia, inguinum inflammatio, cutis obstructio, & cruditas. In principiis lavatio in aquis temperatis convenit dumtaxat his, quæ vel ex lassitudine, vel siccitate, vel æstu concitatæ sunt: tunc enim æger pingui oleo ac molliter fricandus est, ac in balneum ducendus, nequaque enim his sudare convenit Quos autem mœrores, curæ, vigiliæ, iræ, & hujusmodi aliæ passiones exercuerunt; lavare quidem non perinde oportet, verum oleo copiosiore tepido, & subtilium partium tum paulum fricare, tum ut moris est, lavare convenit. In Diariis cum gravedine, & destillatione, quæ plerumque in caliginosis quibusdam cæli constitutionibus fieri solent; lavandi ægri non sunt, prius quam hæ non coquantur. Ac pariter ex aliis caussis lavare ægros in remissione melius est. In Diaria vero plurium dierum, tertia die exacta, ac nulla cruditatis suspicione neque in urinis, neque alibi apparente, lavare, & mox in frigidam descendere jubebat Galenus, XI. *Meth.* In febribus autem Putridis, antiquiores (ut Celsus est auctor) hanc rationem habebant, ut in continentibus, cum febre quis liberatus esset, simul atque ea uno die non accessisset, eo qui proximus erat, post tempus accessionis, in lavacrum tuto mittebant. At eisdem adhuc manentibus, sed lentis, lavabant quidem, dum nequicquam obstaret, ut dura præcordia, aliaque nuper adeo commemorata. Si vero febris certam aliquam servaret periodum, sic ut tertio, vel quarto die recurreret; quandocunque non accessisset, lavare consulebant. Aut servato ipsius periodi tenore duo potissimum tempora eligebant, alterum quidem ante horrorem, alterum febre finita. Vel certe febre alleviata in his quæ lente, ac perpetuo affligunt, & corpus tam integre consisteret, quam maxime in eo genere valetudinis esse soleret. Communissima vero, atque certissima indicatio balnei in febribus putridis hæc est, etiam in Galeni schola, ut in urinis manifesta concoctio appareat. Per singulas autem febres, a Tertianis exorsi: Cleophantus multo ante accessionem tertianæ, caput ægri multa perfundebat, deinde vinum dabat, quod quamvis pleraque ejus viri præcepta secutus est Asclepiades, recte tamen præteriit, inquit Celsus. Galeni vero rectissima instituta sunt, X. *Meth.* & I. *ad Glau.* quæ omnes in posterum comprobarunt, ac nos iterum introducimus. Febrienti quidem simplex lavacrum idoneum esse diximus, ut quod omne humectando sit:

ad cætera lavacra, quæ ſeu arte, ſeu natura, vel nitrum, vel ſalem, vel ſynapi, vel aliud quippiam hujuſmodi recipiunt, non idonea. Quod vero Tertianarum duntaxat privilegium eſt, in his non expectata etiam concoctione, tuto balneum adhiberi poteſt, tum quia bilioſus humor, qui Tertianas excitat, ad exercitationem in promptu exiſtit, ac tendit naturali ſuo motu ad extrinſeca; tum quia corpus ipſa aquarum qualitate humectatur, humectatur autem apprime educto per balneum fervore bilis. Quam ob rem *ad Glauconem* ſcribens Galenus, audacter inquit, ſi æger admodum balneo delectetur, & adhæc concoctionis appareant ſigna, bis in die etiam balneum miniſtrandum eſt. Quod confirmavit ex Tertianæ Nothæ diſcrimine, utpote quæ a crudioribus humoribus pendens, non ſtatim per initia, ſed apparentibus omnino concoctionis ſignis, tum eſſe lavandum. Ac eadem contumaciæ ratione, cautius Quotidianarii, atque item in Hepialo, & Lyparia, quæ ſunt ambiguæ, & frigidæ febres, tractandi ſunt. Quartanariis balnea quidam omnino intercipiunt: Galenus autem eodem *ad Glauconem* libro ſcribit, Quartanarios a frictionibus, & ambulationibus, & balneis, atque conſuetis officiis non eſſe penitus abſtinendos. Et ſi omnino vellent a balneis abſtinere, ſolis ſint frictionibus contenti. Hippocrates etiam in XI. *de Morbis* libro, & item in alio *de Affectionibus*, utrobique conſuluit in Quartanis, ut poſt aliquot medicationum aggreſſus, ſi videbitur adhuc proſequi febris, multa calida aqua ægrotantes lavandi ſint. Ad febrem autem ardentem, quæ affinem cum Tertiana cauſſam habet, intrinſecam continuam tamen, & vel uno tenore, vel tertio quoque die exacerbantem, temperatarum lavacra conveniunt: dummodo moderata ſit febris, vires robuſtæ, & ſigna concoctionis apparuerint, nec ullæ ex principalibus membris particulæ inſigni aliquo vitio affectæ ſint. At ubi æger impenſe arderet, frigidæ natationem convenire magis, poſtea monſtrabitur. Animadvertere autem diligenter oportet, ut ne tumor alicubi, & præſertim in viſceribus aliquo ſubſit, inflammationi, vel eriſipelati ſimilis, fervente per totum corpus bile. Verum ſi æſtuoſa ejuſmodi febris, (quod in III. *de ratione victus* a Galeno notatur) ex falſa pituita putrefacta oriatur, adverſiſſimum illis balneum eſſe ſcire oportet. Neque enim pituitoſus humor, ut bilioſus, per cutim vacuari eſt idoneus, propterea quod tum craſſus, tum glutinoſus ſit, longa egens concoctione. Ad eandem ſententiam in quibuſdam etiam febribus, quæ ex affectu eriſipelas reſente gignuntur, in totum a balneo abſtinendum eſt. Neque in ſemitertianis convenit, neque in febribus Syncopalibus, imo his aer vel nimium calidus, vel frigidus, adverſiſſimus eſt, Paulo. Neque in his potiſſimum, in quibus alvo prius adſtricta, mox pituitoſiora, ac fluida excerni incipiunt: ut qui eo frequenter eſt pituitæ motus, unde ad cutim per balneum coacte averſus, contra ſpem ſalutis, inſigne detrimentum afferret. Quæ omnia diſcrimina, ut infra fuſius, ita hic etiam animadvertiſſe, non fuerit intempeſtivum. Porro continentibus in febribus, ubi ſcilicet æque omnes humores intra vaſa putreſcunt, ægros non oportet niſi ſoluto jam morbo lavare. Aut niſi virus plane tendat ad cutim, quemadmodum in peſtilentibus papulis accidit, quæ recte a primis viſceribus ad extrinſeca, balnei calore attrahi poſſunt, ut proxime docebimus. Hecticis vero febribus, quæ ſolæ ſunt (auctore Galeno) id eſt, quæ nullam aliam implicatam habent febrem omni tempore lavacrum idoneum eſt: implicatis vero, cum illi humores concocti fuerint, magis commodum. Equidem vero ad rectam, integramque Hecticarum febrium curationem in balneis, id neceſſario animadvertimus, quod niſi fe-

A bre Hectica correpti in frigidam a calido ſolio demiſſi, nihil juvantur: quod tamen vidi non vulgares Medicos relinquere. Satis arbitrantes, ſi præterquam cubiculum tot pelvibus impediant, & citra moleſtam ægri commutationem, ſi ſatis madidum in temperato ſolio, frigeſcere paulatim eadem in tina ſinant, vel ſi paulatim per miniſtros frigidam infundere jubeant, unde æger (ut ipſi arbitrantur) mutationem fere non ſentiat. Sed decipiuntur duplici errore, tum quia ſic paulatim ægrum ad contrarium ſtatum redigunt, frigeſcereque, ac horrere omnino cogunt. Deinde quia ſic infirmus ultimo, ac neceſſario frigidæ juvamento fruſtratur, quod

B ſubito, extemporarioque non ſucceſſivo frigidæ occurſu ſit. Cæterum quodnam poteſt eſſe majus erroris, aut temeritatis indicium, quam pro nova opinione, Veterum probata inſtituta relinquere? Id enim ubique conclamat Galenus, audacter ægros a calida in frigidam totos confeſtim eſſe mergendos. *Quod ſi* (inquit X. *Methodi*) *quis metu prematur, ne corpus ex frigidæ extemporario occurſu in diverſa transferatur, ac frigidum reddatur, utpote qui diutino malo exſuccus, excarnis, pellis, & oſſa; non tamen vitio id dandum eſt, quin proſpere id præſidium ſuccedat. Frigidam enim* (*quod fiet poſtea manifeſtius*) *conſtringendo corpus, & conſtipando,*

C *impreſſam jam in membris aquæ qualitatem, humiditatemque ex calido ſolio temperatarum, tutiſſime ad intima uſque viſcera propellit, perducitque. Cum alioqui ſalubre non ſit, frigidæ ſubſtantiam, neque omnino ejus qualitatem integram ad ea uſque pertingere.* Hæc ille. Sit itaque (ut nos proſpere ea inſtituta ſecuti ſumus) aer balnei temperatus, toto, inquam, pavimento, ac parietibus circumquaque calida aqua reſperſis; vel cameræ ſint ad hunc ritum comparatæ, veluti ante monſtravimus. Subinde æger in pelvim ipſam temperatarum aquarum mittatur, diuque admodum reſideat, nulla corporis

D perfuſione, neque commotione fiente, caputque omnino non madeat. Hinc demum in frigidam inſiliat, quæ erat tertium Solium in Thermis illis commodiſſimis: vel multa frigida, vel certe tepidiuſcula perfundatur, ut toties diximus. Itaque tantiſper perfuſus, ac exiens, blandiſſime ſubtili linteo detergatur, detur ad proximum lectum, ubi inungatur leniſſime amygdalino, vel violaceo oleo, maxime circa ſpinam, & dorſum, & pectus, ac quieſcat. Hunc morem ſe in Maraſmode etiam febri tenuiſſe ſcribit Galenus, & quendam hominem præter omnium ſpem reſtituiſſe ſanitati. *In ſummam*, inquit,

E *venerat maciem, longo tempore tum decolor, tum viribus imbecillis, ſqualiduſque, omnino confectus defeciſſet*. Semper autem congruam his victus rationem, quæ ſcilicet humectet, atque refrigeret, intelligi debere, vel me tacente arbitror. Reſtauratio enim deperditi humidi ſolidarum partium, per ea ſit, quæ immediate ac naturaliter ipſas humectant. Id autem Gal. teſte IV. *Aphor.* XIII. ex omnibus ſoli cibo ineſt, quippe ex ſui natura convertibili in ſubſtantiam nutriti: non ex accidenti humiditate. Cum aqua e diverſo neque pota, neque extrinſecus occurrens, natura apta ſit ſolidas partes humectare: haud enim nutrit intus abſumpta, ſed alimentum

F ad ſolida uſque convehit, remittiturque. Nec eo magis foris adhibita ſi inſenſibiles permeet vias, ſuam qualitatem in intimas partes propagare valet. Cui profecto ſententiæ conforme eſt alterum Galeni dictum in primo *de ratione victus* com. XXII. Aquam minus humectare quam Mulſum & Vinum; quod ex tranſcurſu, nec minus opportune hic dictum velim.

CAP. XXIII.

Balnei temperati universales operationes. Idoneum Capitis doloribus; Cephaleæ, & Hemicraneæ; Phrenitidi; Lethargiæ; Attonitis; Vertigini; Epilepsiæ; Insanientibus, Maniacis; Memoriæ collapsæ; Tristitiæ; Apoplexiæ, Paræsi; Convulsioni; Tremoribus, oculorum morbis, Visui instaurando; Gingivarum morbis; Dentibus; Oris, & faucium morbis; Anginæ; Voci corroborandæ; Hæmoptoicis; Pleuritidi; & innumeris aliis morbis, quæ recensentur.

HÆc hactenus de usu temperatarum aquarum in febribus dicenda erant. Cæterum rari sunt morbi, sive communes toti corpori, sive particulas ipsas privatim occupantes, quos opportuna earundem administratio non persanet. Hæ enim sunt balnei in universum operationes: Humectat inprimis & calefacit blandissime: mox aperit, lenit, attenuat, digerit, revellit, maxime calidius. Deinde urinas, ac alvum ciet, sudores, ac halitus insensibiles excitat. Dolores mitigat, somnum conciliat, bonas concoctiones molitur, ac vires corroborat. Penes has operationes hoc balnei genus ad singulares multas ægritudines est utile: ut ex Veterum auctoritate, ac eorum, quos imitamur præcipue, Galenum, Paulum, atque Aetium, plane constabit. Ad usus vero opportunitatem, jam supponimus præscripta a nobis generalia instituta de balneis, prælecta esse, & ea huc esse conferenda. Præcipuum vero illud Galeni præceptum V. *de san. tuen.* & III. *de narratione victus*, est memoria tenendum: Sciveris (inquit) in universum de balnearum viribus in particularibus curandis affectibus, quod si, non evacuato prius corpore, adhibeantur, membris affectis fluxionem pariunt. Multo vero maxime si hi affectus alicubi in visceribus hæreant; ut inflammatio, erisipelas, & id tumorum genus, sicuti etiam, & pleuritis, & peripneumonia, Balneum vero vacuato corpore adhibitum, reliquiarum concoctionem juvat, advacuatoriamque obtinet facultatem. Præparato igitur diligenter universo corpore, ad Cephaleam, & Hemicraniam conferre apprime balneum testis est Paulus: ac ei speciei præsertim, quæ inferiorum partium vitio fieri solet, ut plerumque fit. Et item ad mitiorem capitis dolorem, sive ex calida sit, sive ex frigida caussa. Phrenitidi succurrit, si affectus præsertim longior, & contumax fuerit, corpore perusto & squalido, & febris adfuerit: tunc enim salubri hoc balneo utendum est, & unctione liberaliore, caputque ad somnum conciliandum temperata eadem aqua fovere, non fuerit alienum. Lethargicos autem, & attonitos affectione jam declinante lavare convenit. Ad vertiginem, oportet ut æger lotus, caput non madefaciat, sed blande dumtaxat frigida aqua perfundatur. His vero qui valde calidum caput habent, etiam rosaceum cum aceto adhibendum, ipsumque ex salientibus aquis in balneo frigefacere, vel ex vase perfundere expedit. Epilepsiæ, seu Comitiali morbo laborantibus auxiliatur, ubi sat æger purgatus sit: cavetur nihilominus frequentior balnei usus his, qui huic morbo obnoxii facti sunt, & a cibo potissimum, pariterque liberalior venus, vini potus meracior, & ejusmodi quæ caput replent. Insaniam emendat declinante jam affectu, & melancholicas passiones sustinentibus opitulatur, Paulo: quales Dæmoniaci, Phanatici, Lycantropi, Maniaci, Furiosi; hi enim crebris aquarum dulcium lavationibus, ac victu humido, & boni succi curantur. Quin etiam imbecillitatem ventriculi patientibus ob hæc vitia, ut promptius digerant, adjuvat balneum, Aetio. Memoriam collapsam, collapsumque aliquo cerebri vitio ingenium restaurat, divertendo. Tristitiam, mærorefque, & cupidineo affectu perditos in melius conciliat. Valet ad Apoplexiam, & Paræsim, id est, si principis animæ functionibus liberis, omnium particularum corporis resolutio accidat: servato in magna hujus mali remediorum congerie, eo ordine, qui a Paulo præscribitur. Ad Convulsiones item, quæ ex inanitione factæ sunt, hydrelæo caput fovere, & si nihil prohibet, etiam in lavacrum ægros deducere convenit. Ad tremores, solutis scilicet febribus, si adfuerint. Oculorum dolores meri potio sanat, aut balneum, ut scribit Hippocrates *Aphor.* XXXI. Sect. VI. Ubi scilicet tumida inflammatione dolent, præsentissimum remedium foret, Galeno teste. Oportet autem magis in aere balnei calido immorari, quale antiquis erat Laconicum, & oculos fovere plurimum sicciore fomento, per spongias multum expressas, moxque balneum confidenter assumere. Multas insuper in oculis fluxiones sanat, visumque remediis diversimode in ipso balneo adhibitis, illustrat. Tabes, & macies oculorum corrigit, quam Græci ἀτροφίαν appellant, perfundendo multa aqua calida ipsam faciem. Ad Ganglia item, & Atheromata oculorum calidam in eum modum infundit Aetius. Cruentas autem, & corrosas gingivas, propterea que inflammatas, in quibus salsæ cujusdam aut mordacis humiditatis sensus percipitur, magnopere juvant dulcium aquarum balnea; quæ superfluitates quidem ex toto corporis ambitu per sudores evacuant, sanguinis autem acredinem obtundunt. Quare nisi quidpiam aliud obstiterit, bis ac ter adhibitum balneum, magis profuerit; capite interim illinito per oleum rosaceum cum aceto. Eadem ratione ad dentium, & oculorum passiones optime faciet. Ad oris item affectus, gurgulionisque inflammationem, posca inter balneum in ore retenta. In Angina autem haud utile ullum balneum, nisi affectione jam declinante; quanquam in principio quoque ipsum adhibebat Archigenes, atque eum multos ita liberasse, recenset Aetius. Vocis organa corroborat, leni ac itidem laxante cibo, ut VII. *loc. remed.* ex Galeno accepimus; quare cantoribus & concionatoribus dulcium, ac temperatarum ejusmodi balnea apprime laudantur, ut contra adversissima his sunt marina, sulphurata, aluminata, & omnia summatim quæ vehementer reficcant. Facit quodammodo etiam ad Hæmoptoicos, quibus scilicet e pectore sanguis emanat, cum maxima tamen cautela, cum his intempestivum balneum sit valde contrarium, Paulo. A Pleuritide, si post quartumdecimum malum remanserit, post cucurbitulas loco applicatas, inclinante morbo, æger balneo credi poterit. Ad Tabem autem, ut antea ad febres meminimus, omni tempore temperata balnea sunt idonea, quod & in libro *de Tabe* Galenus fuse demonstrat. A Syncopi homines refocillant, quæ ex ustione sub sole producta est, ut jam diximus. Eos autem, qui ex defluxionibus in ventriculum delapsi sunt in syncopim, juvare poterunt, vitata causa a sanguinis eruptione, aut immodica sudoris exolutione, hæc enim astringere quam laxare satius est. Vitanda item his qui eam humorum defluxionem patiuntur calida naturalium aquarum balnea, cum alioqui dulcia valde competant. Choleram vomentibus opitulantur, ubi jam malum inclinaverit, flavam bilem enim ad cutim sic retrahere expedit. In imbecillitate ventris ex siccitate, & quæ est ejus particulæ veluti Tabes, temperatissimum esse convenit balneum, ac ita, ut aliquandiu in eo patiens commoretur, ac interpositis trium aut quatuor horarum intervallis, ter in die lavetur, si is præsertim balneo assueverit, & balneo humectis ci-

bis utatur, ex doctrina Galeni in VII. *Methodi*. Illis autem qui præ nimia crapula in his locis dolentes, & inflati vix anhelare videntur, commodant. Ad Dysenteriam item, maxime ubi multa subsit caloris intemperies, & ad Diarrhœam valent ex hepatis quapiam debilitate. In omnem vero siccam, stipticamque intestinorum, & hepatis intemperiem, cum dulcium & temperatarum lavacra recte laudentur, cavenda omnino naturalia, quæ siccant, augentque causam. Et in tali similiter lienis affectu. Valent ad Icterum, cum ex solidarum partium calore affectus gignitur; & quæ exinde tingunt oculos materias dissolvendas, quopiam acri succo interim naribus instillato. Facit etiam perinde insessus in aqua calida, atque in oleo, & in hydrelæo, ad calculosos, utiliusque si eo sæpius utantur, cataplasmatis interdum, fotibusque ad renes ipsos, vel circa pubem adhibitis. Ad hos item qui renum vitio semen retinere non valent, a balneo circa renes oleo rosaceo, omphacino, & melino inunctis convenit, cautione quadam præhabita, quam postea dicemus. In Priapismo; purgato prius corpore, aut vena secta, digerentibus his balneis utendum præcipit Galenus. Suppressos menses ducit, calidis præsertim natura mulieribus, pariterque ad urinæ difficultatem ex intemperie calida. Uteri inflammationes atque abscessus sanabit, sicciorem ejusdem intemperiem corrigendo, unde sæpenumero imprægnatio prohibetur. Utero gerentibus autem, ad futurum partum facilitandum est remedium aptissimum, nisi febris adversetur, plures antea dies usurpatum. Jam vero infantarias, in ipsa etiam difficultate pariendi, juvat maximopere, partes emolliendo, ac relaxando. Diu vero his in calidæ labro desidendum est, & crebro loca perfundendum, pubem interim, superiorem ventrem, ac lumbos defricando. Quin etiam, ad mortuum fœtum in utero, ita sæpe puerperis balnea præparantur adeo utiliter. Vitiatum lac in mammis hoc ritu ad benignum reduci potest, atque his maxime, quæ salsa, & consumente quadam humiditate abundant. Inanem imprægnationem, & uteri molam discutit in calida balneum, & quandoque etiam in marina aqua. Scabrities, uteri pustulas, rugositatesque discutit, nigredines abolet, adhibito præsertim in his locis unguento, aut collyrio aliquo. Porro, in Articulariis passionibus ceu Podagra, & Coxendicum doloribus; manifestum existimo (inquit Aetius) quod post inflammationum remissionem omnibus podagricis balneum ejusmodi temperatarum commodissimum est. Quandoque etiam in vigore utiliter adhibetur, quando scilicet æger aut pruritu, aut vigiliis infestatus sit, aut alias labore fatigatus. Lavare autem oportet tempore remissionis, ita ut spongiæ aceto & sale permixtis madefactæ, locis circumponantur: quæ a fluxione imminente servant innoxios. Itaque iis uti balneo non est perpetuo tutum. Nam (ut sententia est principis Avicennæ) Articulariis vel eo potissimum nomine dulcium balnea incommodant, quod humores liquant, meatus aperiunt, juncturas humectando laxant, habilesque defluxionibus recipiendis efficiunt. Idem ante ipsum Paulus obiter jusserat, vel si lavetur (subdit) nitrum, salem, aliaque hujusmodi frictionibus adjiciant. In naturales vero balneas descendere hos melius est, vel in sabulo, vel in harena saburrari. Utiliter item olei, vel hydrelæi, vel etiam vini insessus, & ex compositis aliquibus discussoriis balneum adhibebitur. Cæterum, bene quoque facit temperatum balneum elephanticis, detersis præsertim ægris a balneo, aut alumine, aut ammoniaco, aut ejus generis quopiam abstergentium, resiccantium, ac dissolventium. Vel etiam aliquo herbarum smegmate imposito, vel unguento consimili, Paulus. Benefacit item Scabiosis, ac prurientibus cuti vitiis, deterso videlicet corpore decocto fœnogræci, aut furfurum, aut betarum, aut ptisana vel dulci saltem oleo rosaceo, vel amygdalino, quibus communiter in senibus uti consuevimus. Ad Mentagram, & indecora ejus generis vitia, faciem utplurimum impetentia. Ad ulcera item capitis, & locorum isthinc affinium, perinde atque dentibus opitulari ipsum dicebamus. Omnes cutis asperitates, lituras, rugasque lenire valet a balneis etiam sulphurosis, aluminosisque, & aliis naturalibus inductas. Luxata ad robur præparat; contusa reficit, ac præsertim marinæ perfusio. Confert pariter ad ulcera maturanda, quæ squalidam carnem, & siccam habent, temperate fovendo, atque humectando, ut Gal. in IIII. & XIII. *Methodi*, ubique pluries demonstravit. Consolidandis nihilo secius ulceribus, maxime antiquis fluidis, quæ sint inflammationis experti, tutius Medicatæ aquæ consuluntur. Facit etiam ad sauciatos nervos, die septima saltem præterita, aut dolore prius sedato. Nec eo minus ad hirudines in potu haustas, nempe in solium aqua calida plenum usque ad collum ægrum immittito, & frigidam aquam ore tenendam exhibeto, quam frequenter permutato, egredietur enim inde hirudo frigidæ appetentia prolecta. Ad eos pariter, qui ex opio assumpto gravi sopore submersi, & quasi commortui jacent, ingenti pruritu interdum cruciari soliti. Ad luridum item venenum ex fungis devoratis, pariterque ad argenti spumam ebibitam. Ad venenum item ex cantharidibus sumptis, & in oleo insessus, vel in hydrelæo. Ad dolorem levandum in Phalangiorum morsibus. Ad Scorpionum ictus, ad Hemorrhoi serpentis morsum, & ad Ranæ rubetæ virus excutiendum, facta in cunctis exudatione in ipso balneo plurima. Succurrunt item temperatarum ejusmodi insessus his, qui medicamento ebibito non purgantur, & perinde ac si venenum sumpsissent, mille cruciatibus anguntur. Nec minori præsidio eos juvant, qui ex immodica Pharmaci solutione periculum convulsionis incurrunt: oportet vero aquam plus justo calidiorem esse quam temperata, de qua hactenus utilia narravimus. Nunc ad calidiorum speciem transeundum est.

CAP. XXIV

Calidæ aquæ utilitas: Pharmaco violento apta: ut & lassitudini ex gracilitate; Cuti astrictæ; Papulis; Ventris inflationibus; Crapulosis; Pilis abolendis. Psylotra quid. Detersorium ex farina fabacea.

CAlidæ aquæ eo tantum nomine a temperatis differre videntur, quod non est earum vis perinde humida, quin imo insigniter calfaciendo exsiccant. *Inborrescere enim* (inquit Gal. III. *de san. tuen.*) *cogunt corpora, & meatus ipsorum densari, ut neque extrinseca humiditate fruantur, neque ex internis superfluitatibus quid excernatur*. Hinc recte boni Mesuæ consilium accipiunt, qui ex immodica pharmaci exsolutione, patientem in calidæ labrum immergunt; quod & Galenus monet, cavendo frigida, stiptica extrinseca, & quæ ad intima repellant, fluxumque majorem efficiant. Nec vero Avicennæ canon perpetuo servandus est, quæ est etiam Petri Aponi Conciliatoris sententia: nempe ut altera die ab assumpto pharmaco dulcium & calidarum hujusmodi balneo utantur, utpote quod reliquias peccantis humoris ad cutim extrahere, atque penitus abolere valeat. Locus est IV. *primi*, *cap.* V. qui duas præcipuas patitur angustias, tum

quia sic balneum contingit trahere ad contrarium naturæ motum. Tum quia reliquiæ aliquæ crudæ, ac ineptæ exsolutionis per viam balnei violenter attractæ obstructionis caussæ sunt valde contumacis. Non ergo omnibus a pharmaco convenit balneum.

Quibus vero, & quando conveniat, tres in universum conditiones servavimus: unam quidem, quam diximus, si pharmacum contingat superflue ducere; quo in casu, ægro potissimum non adeo debili, balneum calidæ (ut dictum est) virtutis, ac attrahentis ad extrinseca, nequaquam frigidæ, nec stipticæ esse oportebit. Altera, ut si ob reliquias expediat balneum, eas constet pro virtute balnei in promptu existere, subtiles, ac facile educibiles. Et tertia, si naturæ motu cessaverit, corpore alioqui valido, neque satis integre purgato. Cæterum sufficienter, atque integre purgat, vel utcunque debiles, nullo opus balneo habebunt. Porro calidiori balneo utitur Galenus III. *de sanitate tuenda*, in quarta illa specie lassitudinis, quæ scil. ex gracilitate solum, ac ariditate gignitur, masculis plus æquo exsiccatis. Nempe balneo utendum prima die calidiori, quod scilicet sensim contrahat, calefaciat cutim, roboretque: secunda vero die similiter, sed ut protinus in frigidam insiliant, minimum enim sudare expedit. Quippe gracilibus implendis procurandum, ut ne nimia fiat corporis exhalatio, id quod accidere cute constipata nequit, cogere ergo hanc, densareque oportet. Sane cogit, clauditque tum frigida, tum fervens aqua; verum a frigida lædi hominem metus est, utpote quod jam ex multa exercitatione, & rarior est redditus, & vacuus. Ex fervida vero, ut noxa certe nulla, ita secura in cute densitas paratur, ipso qui in ea relinquitur calore non nihil etiam conferente: ubi vero cuti nimium adstrictæ succurrendum est, sive ex vehementi frigore, sive ex diutino aluminosarum aquarum balneo id accidat, sive ex quapiam alia causa; sanatio horum calfactio est, & rarefactio, exercitiorum usu videlicet, & balneis calidioribus sudoribusque. Unde ne infessus quidem in frigido solio utilis est. Eundem in modum tractandi sunt, qui multiformes in morbis papulas patiuntur. Sunt enim aliæ latæ, & rotundæ, aliæ inflatæ, aliæ dispersæ, aliæ subalbidæ, aliæ subrubræ, aliæ inæquales, aliæ exiles, morsibus culicum adsimiles; vulgo impetigines, seu potius pestigines dictæ, deflexa (ut arbitror) parum voce a peste, cujus hæ plerumque mala soboles esse consuevere. Eos, qui has patiuntur, continue tegendos, fovendosque, ac interdum (nisi quidpiam obstiterit) in Solium calidarum mergendos, ex Herodoto monet Aetius. Dico nisi quidpiam obstiterit: nam ut papulæ id genus sunt symptomata pestis, in qua omnia fiunt gravissima, & nihil (ut in cæteris morbis) definitum, authore Paulo; multa solent obstare, & cum nostris junioribus abstinere a balneo securius judico. Ad ventriculi quoque inflationem hisce utitur Aetius, remissionis quidem tempore, & ex intervallis. Consulit idem ex Galeno his, qui aut ex crapula, aut alia caussa magnam in ventriculum cruditatem congessere: ut partim edormita crapula, partim per vomitum ejecta, partim aquæ frigidæ cyatho ebibito, quo cruditas celerrime ad inferiorem ventrem detrudatur, sequenti deinde die post quietem, fricationem pedum, ac moderatam deambulationem in balneum intrent. Esto autem balneum solito calidius, exudent patientes, ac frigidæ postea labrum ingressi, largiori oleo universum corpus pinguefaciant. Commodissimum est etiam aqua calida in balneo hausta vomere, ad abluendum ea quæ in stomacho redundant biliosa, ac pituitosa excrementa: quod & absynthii prælibatio a balneo præstat. Calidiorem etiam parari convenit balnei aquam in pilis abolendis, psylotro aliquo adhibito, quod solum hactenus balnearii in Stuphis observant. Utebantur autem jam pro leni psylotro Terra Melia, ut testis est Dioscorides. Pro ejus vero penuria apud nos, non est illis acerrimis intritis, quæ ex calce parant, ac auripigmento indiscriminatim utendum, sed temperanda ad usum. Et pro familiari detersorio nihil utilius in balneis farina fabacea, vel per se indita cuti, vel & aceto, quæ teste Dioscoride, & pilos renascentes graciliores reddit, & adolescentes facit tardius pubescere. Tollit maculas, ac lentigines, & æquat cicatrices, & rugas carnis. In summa, ubicunque ex alto trahere ad superficiem intentio est, calidiores esse aquas oportet; quod maxime, dum venenis succurritur, servandum est.

CAP. XXV.

Tepidarum promiscua qualitas. Frigida lavatio duplex. Lavari in calida antiquior usus. Lavari in frigida prima laus. Natationis tres fines. Natare in mari melius est, quam in fluminibus. Frigidæ lavationis noxæ: Utilitates communes. Lavandi in frigida tempus; Dies; Hora. Frigidæ ratio: Ætas; Corporis conditiones. Exercitatio prævia; quæ necessaria. Qui insiliendum in frigidam. In eadem immorandi tempus. Frictio & unctio a balneis frigidæ; Cibus & potus. Natationis in frigida variæ utilitates recensentur. Balnea Novi Orbis. In febre ardente quæ conditiones ad frigidam natationem.

ANtequam de frigidæ aquæ lavationibus agere tur, erat absolvenda tertia differentia calidarum in calido solio, scilicet de tepidis. Attamen cum istæ pro sui promiscua qualitate, medio inter frigidum, & calidum, modo in frigido solio reciperentur, & modo pro calidarum aquarum temperatura miscerentur; ideo utrarumque rationem, atque usum, tepidarum scilicet & frigidarum, unico sermone absolvemus. Frigidarum ergo aquarum usus, duplex fuerat Antiquis. Unus quidem erat simplex natatio in natationibus, lacubus, fluviis, mari, ac fontibus, de quo usu jam dicturi sumus. Alter vero in ipsis balneis, ut successivam diximus lavationem, temperatarum, scilicet aut calidarum, & mox frigidarum. In balneis quidem antiquior fuit temperatarum, & calidarum lavatio: nam etiamsi ante Thermas frigidis sponte manantibus, fluviisque uterentur in lavationibus, quippe adhuc hominum vita rudis, & contenta his fatis, quæ natura suggerebat; introducto tamen Thermarum ritu per initia, calidis solum, ac tepidis, aliquo tempore lavari solitum fuisse videtur. Cujus rei testis est Plinius lib. XXV. cap. VII. dum scribit: Antonium Musam, & Euphorbum ejus fratrem instituisse a balneis frigida multa astringi corpora. Antea, inquit, non erat mos nisi calida tantum lavari, sicut apud Homerum etiam invenimus. Postea vero cum geminus is usus, & in sanis, & in ægris cum magno hominum applausu invaluisset; tota ad postremum lavationum utilitas ab authoribus ipsi frigidæ lavationi relata est. Videntibus plane a balneo per frigidam & astringi corpora, & uniri calidum innatum, & vires firmari; unde per calidam, diximus ex Galeno in thermis, præparari hominem ad frigidæ usum. Sed de hoc quidem usu dictum est satis. Extra autem ritum thermarum lavari simpliciter in frigida aqua, sive in fluviis, sive in mari, fuit antiquissimum, ut jam proposuimus. Idque institutum tres pariter, ut thermæ ipsæ, habuit rationes: nempe ad exercitationes corporum pro sanitate tuenda; ad disciplinam juventutis in re militari, & ad morborum complurium curationes. Verum, quod ad nostros pertinet usus, quoniam hoc balnei genus, ut non modicæ utilitatis est, ita noxa aliqua

non vacat, nisi recte adhibeatur, Gal. teste III. *de san. tuen.* ideo tutius est ad nostram cautelam, ejus instituta, ac antiquorum experimenta sectari. Arist. in *Probl.* melius esse dixit natare in mari, quam in fluviis, & id genus crudis aquis: tum quia marina aqua facilius sustinet hominum corpora crassicie; tum etiam quia minus penetrare potest, quam dulces, & minus lædit. Quippe dicebat Gal. *super quintam Aphor.* XXI. Aquæ frigidæ occursus, aut unit, & colligit calorem nativum, aut vincit. Colligit quidem atque unit, cum fortis est, ipsum dissilari prohibens. Vincit autem debilem. Frigidum, dicebat Hippocrates eadem *sect.* XVII. ubi quis sæpius eo utatur, hæc mala affert, convulsiones, distentiones, livores, rigores febriles. Et item XVIII. Frigidum inimicum ossibus, dentibus, nervis, cerebro, spinali medullæ. Et XXIII. quasi a majori aquæ noxa arguens, Galeno teste; Frigida, inquit, qualis nix & glacies, pectori inimica, tusses movet, & sanguinem, & destillationes. Unde manifesto liquet, natationem in frigida aqua non convenire omni ætati, & minime omnium convenit infantibus. deinde nec pueris abusque secundo septennio ad tertium: quippe (ut Gal. est testis I. *de san. tuen.*) frigida augmentationi illius ætatis adversissima est. Sub horum conditione fœmellæ veniunt graciles, & imbecilles, & qui carnes habent delicatas, postremo senes, & in totum frigidæ naturæ. Non ergo omni ætati convenit balneum in frigida aqua, sed robustæ, & juveni. Neque omni tempore, sed æstate media dumtaxat, Gal. *eod.* XXI. authore. Ad usum vero, his maxime convenit, qui ei sint assueti, vel paulatim sunt assuescendi. III. *de san. tuen.* Nec me latet fuisse semper, ut hodie quoque est, natationem in frigidam vulgarem, & citra ullum delectum aut rationem, civitatibus præsertim maritimis, vel quæ magnis fluviis alluuntur. Et Oribasius post Galeni ætatem Medicus non ignobilis, indistincte omnibus temporibus lavari in frigida suadebat. Verum nobis hic inassuetis sermo habendus est. Et tamen sive assueti, sive inassueti, modum certe ac rationem scire debemus, quando tuto, & sine noxa quis frigidæ lavationi se possit committere. Quam ob rem de hoc quoque instituto, Galeni sententiam fere ad verbum hic recitantibus, ex III. *de san. tuen.* ubi sic homines ad frigidam assuefaciendos esse admonet. Optimum quidem corpus, quoad augescit, ut dictum supra est, non esse frigida lavandum, ne ei ad incrementum adversetur. Ubi vero abunde est auctus, jam frigidæ quoque assuefaciendus: ut quæ tum corpus universum roboret, tum cutem densam, duramque efficiat, quod sane utilissimum est adversus noxas, quæ extrinsecus imminent. Qui hunc ergo morem inchoavit, ne ex subitaria mutatione noxam aliquam incurrat, hæc scire debet. Primum quidem, ut non quolibet anni tempore, nec quolibet die auspicetur, sed inter æstatis maxime initia, ut hoc toto spatio hiemem præcedente, non spernendam acquirat consuetudinem. Esto autem dies, qua id incepturus est, quam maxime tranquilla, & quoad id tempus feret, calidissima, & calidissima etiam sui parte, ut dictum est, circa meridiem, vel etiam ultra. Tumque haud synceram frigidam ingredi oportebit, sed quæ neque tepida, neque pure frigida sit, tenuis, limpida, non limosa, neque palustris, neque glacialis. Sit vero is ætate in quarto septennio seu circa quintum & vigesimum annum, animi alacris, fortis, & carnosus. Neque sit antea vulgari victu usus, neque tum ex venere lassatus, nec vigiliis, vel quomodolibet aut vomitu, aut dejectione, aut alia inanitione fatigatus. Excrementis sit vacuus, ac jejunus. Nam quod faciebat Antyllus, Oribasio auctore, se etiam a cœna in frigidam mergere solitum, *ac mirum*, in-

A quit, *quam placidam eam noctem sentirem*; id quidem beneficium consuetudini tribuendum est, non rationi. Oportet autem Laconicos ritus imitari: vel pro Laconico esto aliquod aliud exercitii genus, quod videlicet incalescat corpus, & quo quis maxime uti solet, labor, ambulatio, cursus, pilæ lusus, insolatus. Qui mos erat Plinii, ut de eo meminit Junior: nam æstate si quid ocii fuisset, in sole diu jacere erat solitus, post solem plerumque frigida aqua lavari, deinde gustare, dormireque, juxta eadem Galeni instituta, II. & III. *de san. tuen.* Prorsus enim exercitationis alicujus necessitas hæc est: quod hæc non tantum calfacit corpus, sed etiam ut

B calor naturalis foras ex profundo moveatur efficit: quocirca se opponit contra frigidæ impetum, obsistitque quominus in profundum violenter pertranseat, & viscerum aliquod feriat. Nam nec ipsam frigidæ substantiam pervenire expedit ad viscera, nec universam ejus qualitatem, & puram illis occurrere. Imo vero melius, & tutius est, ut sola qualitas absque ejus substantia in partes primo occurrentes recepta, & ab his in alias sensim permanans, tandem in profundum feratur. Et talis profecto erat sudatio in Laconico, ac in calido Solio natatus, qualis sola exercitatio, ac mox utrobique in frigi-

C dam demersio. Exercitato ergo, vel fricato prius corpore frictione duriore, ac deinde oleo etiam illito, in frigidam descendat. Descendere autem oportet non lente, sed confestim insiliens, quo uno tempore omnibus corporis partibus aqua circumfundatur. Dum quis enim paulatim, sensimque ingreditur, natura se tota ad immersam partem convertit, quo fit ut non æqualiter subinde resistat, ac horrore afficiatur. Ipsum immorandi tempus in frigida aqua, id quoque a quotidiana experientia definiendum est. Galenus, si egressus, inquit, coloratior ex frictione appareat, mediocriter hunc moratum indicio est: sin tardius calescat, &

D diu maneat decolor, plus æquo moratum. Nimia vero mora in aqua frigida caveri debet, ne facile quis aliquam ex præscriptis noxis incurrat. Debet ergo quis ita lotus, & egressus, a pluribus per oleum fricari, donec cutis incalescat. Postea indutus, ubi ad horæ spatium ad minus requieverit, cibos plures quam solet ingerat, ac minus bibat. Nam plures appetunt ex frigidæ lotione, melius concoquunt, & minus sitiunt. Hic ordo est, hæc summa lavationis in frigida, ex Galeno.

Porro quas præstat utilitates in frigida natatio, tam in sanis, quam in ægris multa sunt exempla. Corroborat, dicebat paulo ante Galenus, totum

E corpus, & cutem duram, ac densam efficit. Quare ex antiperistasi calorem innatum unit, appetentiam gignit, ad excrementorum expulsionem excitat, fuliginosos vapores solvit in sudorem, ac nonnullis alvum laxat. Ad lassitudines in malo corporis habitu, per intervalla frigidæ lavacrum, ex Archigene instituit Aetius. Exustos item sub sole, longo exercitio, ac mediis caloribus ex itinere æstuantes, totos frigida perfundi debere, jubet Paulus & Aetius, quibus si etiam siti conficiantur, ac frigidæ potioni assueverint, frigidam quoque bibendam propinari,

F atque hoc pro ratione, non universum facere expedit. Caninum appetitum reprimit, ex immodica cutis exolutione, ac transpiratione factum: nisi patiens admodum gracilis sit, & frigidæ natationi ineptus, aut insuetus. Menstruis rubris cohibendis frigida natatio mirifica est, Aetio: atque pariter ad feminis profluvium, eoque magis si aliqua medicata qualitate id balneum præditum sit. Sanguinem cohibet ex naribus, vel etiam undecunque manantem, perfusione confertim multa, ac veluti ex improviso facta. Ad oculorum vero caligines, si dum in frigida natatur, oculi in eadem aperti teneantur,

visui robur valde adjicitur, Paulo. Porro nec ad venena frigidæ natationem reperimus inutilem: nam in Mandragoræ succo ebibito, si aliquandiu in ipsa immorentur, apprime juvabuntur. Optime facit in canis rabiosi morsu: nam aquas ob eam caussam timentes, quos Græci ὑδροφοβᾶς appellant, nullum magis præsentaneum hoc remedio habetur, quam invitos etiam, & quantumvis renitentes in fontem, lacum, fluvium, vel in mare ad natatum projicere. Abominantur enim qui a cane rabioso commorsi sunt aquas, perinde ac in aquis speciem ringentis canis aspiciant, vereanturque, ut ex Posidonio tradidit Aetius. Extat vero ejus rei proverbium apud Lucianum, τὶ κοινὸν κυνὶ καὶ βαλανίῳ; ortum ex philosopho quodam, qui jam aquam timere incipiens, invicto animo formidinem sprevit, ac insiliens in aquas, persanatus est. Est autem hæc affectio equis etiam, & equabus communis, quare nomen huic passioni ἱππομάνας. Quippe Servius auctor est ex Columella, equas interdum, cum imaginem suam in aqua viderint, inani amore correptas, per stabula, pascuaque vagari, ac nisi deductæ ad aquam, ubi suam deformitatem speculatæ, pristinæ imaginis aboleant memoriam, cupidinis tabe interire. De universalibus vero morbis jam pluries demonstratum est, quod quæcunque febres curantur balneis, maxime frigidæ lavationis beneficio curantur: sic, ut post calidum Solium in frigidam ægri mittantur. Ita Ephemeras, ita putridas, & maxima ex parte Hecticas curari, ex Galeno dictum est III. *de san. tuen.* quum in marasmode, & valde extenuatis ægris, quos nimirum servari impossibile sit, neque lavari, neque ungi melius. Imo vero sine calidi Solii interventu, frigidæ natatione sola, multi febricitantes juvari assolent: tribus potissimum servatis conditionibus. Ut valentibus sint viribus. Ut humores appareant per urinas, vacuationi esse idonei, & ut nullum primæ notæ viscerum male affectum constet. Quod ex iis plane constat, qui non habentes balnea, sine omni medicorum suasu, seipsos, in stagna, vel flumina conjecerunt. Quem morem narrat Americus Vespuтius, servare hodie quasdam Novi Orbis gentes, opposito tamen Laconicorum modo: nam in statu vigente febre, se in frigidissimam aquam demergere, exeuntes vero vehementi cursu quantum possunt, circa luculentum ignem exerceri, mox longum obdormiscere, & (ut credo) sudare, sicque a febre plerumque liberari. Ne secus rusticos, qui in montanis longe absunt a Medicis, facere videmus hac ætate. Verum hisce omnibus quum ad casum res bene interdum succedat, (nam aliquos vidimus fuisse periclitatos) diligens tamen nobis cura adhibenda est, ut tuto eo remedio uti possimus. In febre enim ardente, has omnes conditiones requirit Galenus ad frigidam natationem x. *Methodi*. Ut juvenis sit, & plenioris habitus; tempore æstatis, constitutioneque calida, & sicca; febre ipsa in vigore existente; & concoctione jam in urinis apparente; & sine visceris alicujus inflammatione. Is si in frigidæ naturam sese injiciat, evidenter juvabitur. Nam quibusdam venter statim multa biliosa egessit, aliis largissimus sudor erupit, qui omnino febrem finivit: quare valde confidenter, si frigido balneo æger assuetus fuerit, hoc auxilio uti poterit. Communiter enim recusatur, Galeno teste: tum quia ex intempestivo usu, maxima ex errore impendet noxa, ut ex his quæ dicemus jam planius constare poterit.

A B C D E F

CAP. XXVI.

Incommoda ex balneis aquarum dulcium. Proverbium de balneis. Defluxionis periculum. Tria alia pericula præcipue vitanda. I. Cruditas, cujus multæ adferuntur causæ. II. Horror, cujus itidem causæ extrinsecæ, & intrinsecæ recensentur. III. Imbecillitates membrorum variæ, quæ proponuntur. Vini a balneo prohibitio. Frequens balnei usus noxius: ut & pestis tempore. Cautelæ in quibusdam adhibendæ.

COmmoda ergo, virtutes, juvamenta, tot ægritudinum remedia ex aquarum dulcium balneis, sic se habent in universum. Operæ precium vero est in universum quoque earundem nocumenta, ac incommoda, veluti ex adverso ponere, ut visis, ac vitatis offensis, integer cuique, inculpatusque usus esse debeat. Jam vero inter enarrandas utilitates, noxas quoque communes animadvertimus, quæ in multis aut ex intemperato, ac temere adhibito balneo, aut ex intempestivo usu, aut ex quapiam alia adversaria causa solent accidere. Est enim (quis nescit?) modus in rebus, quem qui non servat, abutitur, abusu autem quid est tam bonum, quod aliquando non fiat pessimum? Forma, divitiæ, vires, facundia, sæpe in malum abutenti redundant. Itaque recte id verbum apud Medicos jactatur ab balneas, quod ex veteri Thermarum macerie, eruto marmore legitur, cum hoc ἐγκυκλίῳ,

Balnea, Vina, Venus, corrumpunt corpora sana.
Corpora sana dabunt, Balnea, Vina, Venus.

De singularibus vero erroribus, iterum hoc loco meminisse oportet, quod in omni usu balnei solet esse admodum infensa defluxio, seu catarrhi a capite sit, seu liquationis, ac fusionis humorum ad quanque partem. Quæ in balneis his temperatis, præsertim superfluitatum liquatio, sunt frequentissima. Imo vix utile balneum, nisi liquatas, ac fluxiles reddat reliquias, quas trahat ad cutim, itaque exolvit: quod facit, ubi tempestive, ac ex ratione adhibitum sit. Alioqui non sine periculo, dum liquatos balnei qualitate humores, ad impetum de parte in partem facit idoneos. Ergo ad hunc veluti scopum principalissimum, cætera tui balnei instituta, prius quam incipias dirigenda sunt: videlicet, ut aquæ ad hominis condecentiam temperentur, ut tempestive adhibeantur, ut nulla noxiæ hujusmodi colliquationis subsistat occasio, ac singulares id genus circumstantiæ aliæ, quas per casus aliquos, quibus inimica esse balnea observavimus, breviter percurremus. Tria quidem ex Galeno jam proposita sunt capita, x. *Methodi*, ut balneis inculpate utamur: Copia crudorum humorum in primis venis dispersa, Horror, & Imbecillitas viscerum: quæ & nunc quatenus tum sanis, tum ægris cavendum sit, demonstrabunt. Solet autem cruditas tum in stomacho contineri, tum in primis venis, tum in toto vasorum genere. Vel toto igitur ipso jure Thermarum explosos esse ostendimus; qui non jejuno stomacho intrarent balnea, quorum adeo luxum Satyrici increparunt, ut Horatius, ep.VI.l.I.

— Crudi, tumidique lavamur.

Et Juvenalis sat.I.

Turgidus, & crudum Pavonem in balnea portas.

At inter necessarias cautelas est, ubi circa primas venas, a ventre ipso scilicet crudorum copia succorum est dispersa. Balnea a cibo (dicebat Galenus in lib. *de Palpitatione, rigo. & tre.*) vel alioqui intempestiva, cujusque morbi causæ antecedentes fiunt, quotidiana concitant febres, rigores, atque horrores. Si vero cruditas sanguinis in toto vasorum genere fuerit aggregata, distinctione aliqua opus habet, an absque febre intelligatur, an cum febre.

Quæ est Galeni doctrina in IV. *de san. tuen.* & XIII. *Methodi*. Omni enim succorum copiæ digerendæ in sanis, balnea summe idonea perhibentur. Sicut etiam, inquit ipse, valde conferunt, exercitatio, frictio, fomenta calida, unctio calfaciens, clamor, animi iracundia, & uno verbo dicam, omnia quæ succos alte in animantis corpore immersos, ad motum quoquoversus irritant. Oportet autem hos blande prius unctos, atque oleo perfrictos in balneum mittere, ut quod præter alia, duras, tensasque partes emolliat, & excrementum putre, quod ad cutim intus hæret, evocat. A balneo autem cibo abstinere oportet: ac ocio se dedere, atque etiam somno, cum nihil sit quod æque concoquat ea, quæ concoqui possunt, & malos succos per halitus digerat, quam somnus, præsertim a balneo, & item inedia. Ergo somnus, & caussa, & signum tibi sit percommodum speratæ utilitatis: sicut e diverso non posse a balneo dormire, nec caussa, nec signum est commodum. Hæc in IV. *de san. tuen*

In V. vero, his qui ex pluri ocio multas solent cruditates congerere, ac crebro infirmantur, utilissimum perhibet balneum. At si jam æger febricitet, sive plenitudo sit in caussa, sive succorum vitium, ut scribitur XIII. *Methodi*, tunc nec exercitatione vacuare exuperantiam licet, nec unctione, quæ excalfaciat, sed nec multa frictione, nec balneo, imo sanguinis missione, una cum inedia, vel purgatione aliqua. Semper vero cum absolute de plenitudine loquimur, de ea specie intelligimus, quæ ad vasa, non de altera quæ vires aggravat, IV. *de san. tuen.* Omnino enim ubi plenitudo supra vires est, balneis ægri interdicendi sunt, syncopes periculo. Multo vero maxime ubi humores sint crudi cum paucitate sanguinis, qui & meatus obstruant, & gravent vires: perniciosissima enim hujusmodi affectio est, tum quia animal non nutritur, tum quia suffocaur. Quare hos neque lavare expedit, neque sanguinem detrahere, neque purgare, qui sane etiam citra hæc derepente animo concidunt: imo his ne aeri quidem ambienti nimium vel calido, vel frigido confidendum est, & ne movere quidem aliquid expedit, præterquam confrictionibus, & levi unctione de more, quem Galenus ex professo tradit XII. *Meth.* & I. *ad Glauconem*. Porro in Febribus jam particulares usus, & item cautelas in quoque genere exposuimus. Semper Horror (ut ex Celso adduximus) inditium balnei inutilis habetur certissimum. Horroris autem duæ sunt oppositæ caussæ, teste philosopho in *Problematibus* Sect. VIII. Nam æque frigida aqua affusa corpori, ac calida, excitatur horror. Frigidam quidem quia extinguit, offenditque calorem intrinsecum: calida autem frigus ambiens compingendo in poros, idem efficit. Galenus autem, ac Medici duas alias considerant Horroris immediatas caussas in corpore: nempe vel cutis adstrictionem, vel multam rodentium humorum copiam in corpore existentem, quæ plerumque in his qui febricitant sunt perspicuæ. Et citra febrem, in his qui cum exquisite sani videantur, contingit tamen aut per nives obriguisse, aut per ventos boreales, ac frigore refrixisse: quare neque his tum competunt balnea. Nunc communiter in febribus Putridis, duplici occasione balnea intempestiva fieri posse colligimus, aut si præmissa non fuerit universi corporis evacuatio, præsertim caussa plenitudinis. Evacuatio autem quia supponitur debere fieri bene, & perfecte digesta materia, hinc intelligitur balnea non convenire his nisi in fine. Aut si humores, utpote crassi ac tenaces, inepti judicentur ad resolutionem per balneas. Nam biliosi vel suopte ductu interdum, ac nulla fere alia vacuatione opus habent, quam ut ad cutim, ac per sudorem resolvantur: itaque Galenus Tertianarios non expectata etiam coctione mittebat in balneas. Viscidi contra, & frigidi omnes succi, & qui alvum tenent fluidam, minime. Quo nomine reprobata jam sunt balnea in Tertianis nothis, in Lyparia, in Hepialo, in Quotidiana, & Quartana, & omnino in Pituitosis reliquis, ac contumacibus febribus. In morbis item magnis, & omnino acutis, adversissima balnea. Nisi in fine, & purgato omniquaque corpore. Imo perseverante morbo, si etiam symptomata aliqua desiderent, balnea, ea omittenda sunt, ut adversissima. Exemplo quorundam qui ad avertendam Phrenitim aut vigilias, aut capitis dolorem, aut noxium aliquod id genus accidens, quæ solent magnas consequi febres, vitæ utplurimum jacturam faciunt. Et nota rationem. Hujusmodi enim accidentia, vel summo maxime vigore morbi affligunt, vel saltem in augmento: quando natura vel concoctioni est intenta, vel multis oppressa superfluis, facta per balneum commotione, facile periclitari potest. Quoniam vero vix aliquam invenias febrem, etiam intermittentem & levem, quæ alicujus accidentis vel periculi suspicione vacare possit: optima ratione Rhazæ consilium spernendum non est. Nunquam vidi, inquit, balneum febricitantibus in aliqua dispositione esse utile: maxime autem ipsa vitare consulo in febribus Putridis, quam fieri potest. Adde juxta Hippocratem, & in Regione præsertim, & tempore, quando homines non adeo balneis delectantur. In particularibus autem ægritudinibus: Sciveris in universum, dicebat Galenus V. *de san. tuen.* & III. *de rat. vict.* de balnearum viribus, quod si non evacuato prius corpore adhibeantur, ad ipsa membra affecta fluxionem concitant, quam paulo supra adeo timendam esse monuimus. Multo vero maxime si hi affectibus alicubi in visceribus hæreant, ut inflammatio, Erysipelas, Pleuritis, Peripneumonia, & id tumorum genus. Ubi (quod minus accurate quosdam animadvertisse arguit Galenus XI. *Meth.*) non eos solum a balneis deterreri debere pro affectu: verum etiam si imbecillam duntaxat aliquam ipsarum principalium particulam haberent, ceu cor, ventriculum, jecur, pulmonem, cerebrum, maxime in febribus; qui tertius erat cautionum propositarum scopus. Quin imo aliquibus etiam inferioris notæ partibus invalidis, ut pedibus in podagra, minus audacter balneum adhibendum. Quandoquidem & citra balneum supervacua in partes infimas confluere assolent, eoque magis a balneo, tum succis ex eo liquatis, tum viis per quas mearent, patefactis. Quem sane errorem non effugiunt, eodem teste *ibid.* qui relaxantia cataplasmata, ac similis facultatis perfusiones circa jecur, aut ventriculum, aut septum transversum, aut mesenterium, aut jejunum, aut colon, aut renes, non eductis prius supervacuis, adhibere solent. Immo vel eo potissimum nomine adposite magis conferre possent in his casibus balnea, quam cataplasmata, & id genus epithematum particularium; nam quod periculum statim in præcordia ipsa faciunt relaxantia, quæ isti vocant, præsidia, id levius in balneo fit, quod non minus ad unam ignobilem quampiam contrahere partem, quam a principibus avertere valet. Reprobantur item balnea uti incommoda, in Cæliaca passione, quæ quædam est cruditatis soboles: nisi ea vel ad lassitudinem tollendam concedantur, vel ut alicujus alterius vitii medelam, cum smegmate præsertim ex nitro, & ejusmodi aliis, teste Aetio. Pariter in hepatis contumaci obstructione, & cibo potissimum reprobantur, quæ ex crassis ac viscidis humoribus generantur: Nec minus in omni ejus frigida, atque humida intemperie, Paulo. Vitanda item in omni destillatione, & gravedine, quæ cum febre affligit, donec rheuma ipsum concoquatur, eodem Paulo.

Maxime vero cavendum ubi ex Tussicula Tabis imminet periculum: Cor. Celsi auctoritate libr. IV. cap. II. In destillatione (inquit) & gravedine nihil pestiferum, nisi quod pulmonem exulceravit. Tunc enim protinus abstinere a sole, balneo, & vino, & Venere debemus: unctione utentes, & cibo assueto. Idem cap. v. Tussi inimica sunt vinum, balneum, venus, oleum in cibis acriora omnia. His autem qui morbo Comitiali sunt obnoxii, etsi pro ratione antea concessa sint balnea, dum eos scilicet ab accidentis afflictione vendicare intentio est: certa tamen cautela esse debet, non solum balnei, sed Veneris, liberalioris tum cibi, tum potus, & repletionis, præsertim vini meraci statim a balneo. Ea enim de causa vini potus ab usu balnei, tanquam venenum omnibus habendum est. In albarum humiditatum fluore ex utero haud laudantur crebræ aquarum dulcium, & calefactarum lotiones: in quo maxime meretrices errant, quæ se lavant assidue, ac stuphas frequentant: cum alioqui his frigida lavatio, ac naturalis exsiccantis alicujus qualitatis concessa sit. Atque hactenus errores a tribus propositis scopis monuimus, a Cruditate scilicet, ab Horrore, & a membrorum debilitate. Quibus denique quartus scopus addendus est, qui a natura balnei sumitur, immodicam nonnullis spirituum resolutionem faciente, nonnullis item caput replente. Cavent Medici, nonnullos ex frequenti usu balnei, contagia aeris & maxime pestilentialia facilius imbibere, quamobrem grassantis ejus mali tempore a balneis abstinendum. Vel quibus usu venerit lavari, potissimum recuratoria parte utendum consulitur, quæ tum frigidi Solii usu a balneo, tum inunctionibus perficitur. Omnino his qui Syncopen, vel animi deliquium, quæ minor est affectio, patiuntur, sive ex ea quam proxime diximus, plenitudinis caussa gravante vires accidat, sive ex sanguinis undecunque eruptione, sive immodico sudore fiat, adversissima sunt balnea. Alioqui Syncope ex accidenti in balneis contingit bifariam, ut in libro *de usu respirationis* a Galeno habetur: aut quidem ob immodicam, quæ dicta est, spirituum dissolutionem, quæ imbecillis maxime adversatur, tumque hos leniter perfricare oportet, absque pingui aliquo, & deinde oleo quopiam, quod astringat, ac denset cutim. Aut propter æstum nimium, quod frequentius accidit, & inconsuetis: hosque, ut scribit Celsus, arcet a Syncopa ore exceptum, & in eo retentum acetum. Et Gal. postea XI. *de Localibus med. compo.* quibus, inquit, in balneo diu immorandum est, hi acetum & pulegium odorent, ne in animi deliquium incidant. Quod si effugere nequierint, præsertim imbecilles cum sint, vel febricitantes, recreandi sunt per ea quæ refrigerent, & vires confirment, I. *ad Glauco*. Qui autem deficere incipiunt, hos celeriter educere oportet, neque multa aquæ effusione humectare. Qui vero jam inciderint, celerrime exportandi sunt, toto quidem corpore leni velamine cooperto, faciesque spongia ex aqua frigida imbuta madefient, aut frigida aspergatur. Resipiscentes autem ex grandi animi deliquio, tam in calidam, quam in frigidam demittere caveatur tanquam mortis caussa, XIV. *Methodi*. Vel enim laxatis corporibus caloreque discusso, exolutoque perirent, vel a frigiditate coarctati, extinguerentur. Prægnantibus ex multa meatuum coarctatione, & crebro spirituum anhelitu, multi visus cum sint, parcius balneum venit concedendum, nisi jam prope infantariis. Nec minus fluentibus menstruis, ut quibus diebus superventura instant menstrua, ab omni balneo abstinendum est, utpote quod purgationem naturalem solet intercipere. Vel intempestive relaxare, ut iis accidit, qui sanguinis fluxui undecunque sunt obnoxii: fluxum enim sanguinis acriter irritant balnea. Atque ea de caussa sanguinem spuentibus inimica prohibetur Venus, Ira, Vini potus, & balnei, præsertim immoderate calidi, frequens usus. In appetitu item canino, qui ex immodica itidem cutis transpiratione sæpe gignitur, a balneis calidis, consimilique aere, ac vini etiam potu, & ab omnibus, quæ tum intrinsecus, tum extrinsecus calfacere possunt, & abstinere, & ad frigidam duci oportere patientes, monet Galenus, item primo *ad Glauconem*. In oculorum suffusionibus balneo perinde interdicemus, ac omnibus aliis caput replentibus, nisi quis lassitudinis, ac tardæ concoctionis gratia ad lavationem cogatur. Et tunc omnino ne immoretur in aere balnei, qualis in nostris stuphis est: neque in ipso solio, aut inter lavandum moram trahat, sed paulisper inscendat, lavet, & cito exeat. Sic in Mydriasi, quod est pupillæ dilatatio, fere præcepimus, ex Aetio. Hystericas item, quæ scilicet uteri strangulationem patiuntur, crebris balneis pariter interdicimus, utpote quæ caput replent, tametsi labrum bis, aut ter per totam curationem, vel morbi, vel sordium extergendarum caussa admitti possit. Cæterum si quæ aliæ sint noxarum cautiones, dispersim (ut tulit occasio) declaratæ invenientur.

CAP. XXVII.

Balnea medicata artificialia. An arte assequi possimus Naturæ balnea. Qui fiant illa, & ex quibus rebus componantur. Insessiones quid. Usus varii.

Reliquum vero est, ut tota materia de balneis pertractata sit, de Artificialibus agere. Quæ quoniam admixtis ex arte quibusdam simplicibus medicamentariæ qualitatis componi solent, non incommode a nobis Medicata artificialia balnea vocabuntur. Quo vana mihi quidem videtur quorundam hodie scriptorum quæstio: An possibile sit per hæc artificialia imitari naturam balnearum. Quam opportuno magis loco, cum de utilitatibus balnearum loqueremur, examinavimus. Per hæc enim Ars imitatur quidem naturam in quantum potest, at non assequitur, cui dubium? Quare hoc diversum genus balnei est, quod aliquibus quidem naturalibus potentius fit, aliquibus levius, prout ratio exigit Medicinæ. Fiunt autem Artificialia balnea pluribus modis, penes diversas intentiones; quorum aliqua ex auctoribus Medicis adducemus exempla. Alia enim componuntur ex rebus Anodinis, alia ex Emollientibus, alia ex calidis ac Relaxantibus, alia ex Adstringentibus. Alia rursus mutata balnei materia ex Hydrelæo paramus, alia ex simplici oleo, alia ex lacte, vel quocunque alio liquore fuerit opus: de quibus ex ordine sermonem habebimus. Communiter horum omnium apparatio *Insessiones* appellantur, Græcis vero ἐγκαθίσματα; ut quæ privatim parabantur, & quotiescunque opus fuisset in balneis. Nunc autem desitis Thermis magnificis, privatas Tinas nobis ex industria suppeditamus, cameris ad hunc usum bene ordinatis, secundum quod diximus. Oportet autem ægros, modo inunctos, modo aliter præparatos, usque ad umbilicum inducere, vel si affectio altius hæserit magis immergantur. Potissimum vero partes, quæ non madefieri debent, opus est prius inungere, præsertim caput, ac tegere, ne repleatur: aut Ventriculus his, qui stomacho sunt debili. Inventio fuit necessaria, aut propter balneorum penuriam, aut propter usum particularem in membris. Usus autem varius, ad calefaciendum

refrigerata, ad exficcandum, ad dolorem lenien- dum, ad emolliendum, ad difcutiendum, ad ad- ftringendum. Et, quod fummatim dicam, ad ca- pitis, thoracis, ventriculi, inteftinorum, renum, uteri, veficæ, juncturarumque paffiones plurimas. Semper vero debitæ præparationes fupponendæ funt, nempe, ut, quantum res exegerit, totius corporis purgatio præcedat. Et præter hæc, fe- cundum loca patientia peculiarem loci tutelam ha- bentia fimplicia immifceantur, & fubinde pro ra- tione affectus,& pro vario compofitionum ritu, mi- niftretur.

CAP. XXVIII.

Emollientia balnea; quæ etiam Refrigerantia, & Lenientia dicta. Quandonam utilia, & quibus.

EMollientia dicentur, & Lenia balnea, mollis fubftantiæ, ac facultatis, lenientibus quibuf- dam in calidæ temperatæ labro admixtis. Qualia funt malva, althæa, mercurialis, viola, be ta, blitum, fenecion, chamæmelum, melilotus, femen lini, furfurum cremor, fænum græcum, a- canthi folia, & his fimilia. Ufi funt ad inflamma- tiones fedandas, quo nomine Refrigerantia quo- que, ac Lenientia appellanda veniunt. Utilia vero maxime, cum nulla amplius fluxione affecta parti cula tenetur; nam fi adhuc fluxio ingruit(ut addit Oribafius) tunc parum quoque ftypticantia utiliter commifcentur, veluti arnogloffi folia, malicorium, rofa, thus obfoniorum, rubi cimæ, & id genus alia. Ad fedis item inflammationes, meliloto pluri- ma incocta, cum papaveris calcibus atque rofis: Et ad inflammatos renes veficamque. Calculofis autem tum inflammationem arcent, tum dolores levant, fimul atque urinam proliciunt, quamobrem fubti- lium partium quædam ad penetrandum admifceri folent, ut arthemifia, petrofelinum, fpicanardus, anethum, caricæ, nonnullis parietaria, urtica, at- que etiam oleum. Nec non, fi opus videbitur, ano- dinis quibufdam additis, althea, femine lini, fur- fure, fænogræco, plurimoque commifto, ac con- quaffato oleo. Rufus Ephefius phlegmonem in ve- fica ita curandam confuluit,nempe diminuto prius per venæ fectionem fanguine, capacem tinam pa- randam habendam ex ruta, anetho, radicibus al- theæ, & confimilibus, in aqua æger aliquandiu af- fidere debeat. Maxime vero miniftrandæ effent in- feffiones hujufmodi in balneis; quod monuit Ae- tius, & poft hoc æger confeftim in folium tepidius demittendus, atque hoc affidue faciendum. Con- ferunt fimili modo ad multas uteri affectiones, du- ras præfertim & contumaces, adjecta arthemifia five parthenio, ac balneo fub fella pertufa fuppofi- to, in qua mulier affidat. Ad ægre autem parientes, cum partus difficultas inftat, & loci præclufi ma- nent, prægnans in balneum ducenda, quæ in cali- do affidens labro multum perfundantur; quod fiet efficacius, fi quædam infuper lubricantia, ac lenis qualitatis adjecta fint, quæ diximus, altheam, acan- thi folia, fœnogræcum, lini femen, pfylium, at- que oleum. Ad unamquamque demum præterna- turalem duritiem molliendam ufurpantur, ad dolo- res ventris mitigandos, fæcefque in inteftinis in- duratas eliquandas, educendafque. In totum actu humida effe oportet, cum leni tepore, & quæ ne- quaquam ficcent.

CAP. XXIX.

Adftringentia balnea. Eorum compofitio; atque ufus.

ADftringentia vero balnea, ftypticantibus ac frigidis aquæ commixtis, & ebullitis compo-

A nuntur. Foliis, floribus, fructibus, plantaginis, polygonii, helxines, rubi, malicorii, balauftio- rum, mixti, cotoneorum, gallæ, rhois obfonio- rum, mefpili, pinaftri, pyrorum fylveftrium, quer- cus, ulmi, rofarum. Interdum vero per mineralia fortiora adftringentium confectura paratur ferri fcilicet, aut fcoriæ ejus commixtione, aluminis, gypfi, cineris, chalchanti, chryfocollæ, argillæ, cadmiæ, & materierum hujufmodi, quas multas in naturalibus diximus. Utimur vero plerumque adftringentibus ad fluores, ut ad uteri fluores, Aetio. Ad aftringendas item fluentes ani hæmor- rhoidas, adjecta præfertim tamarice, & galla ex

B aceto, & aqua chalybeata, Avicenna. Et ad diu- tinos ventris fluores. Porro quæ denfant cutim, ad hoc quoque genus in balneis ordinantur, quæ fci- licet frigefaciant, non tamen ficcent. Quomodo frigidæ aquæ ufum a balneo jam toties indicavimus neceffarium, & ex adftringenti oleo quopiam un- ctionem, ut ex Hifpano, vel quale ex immaturis olivis comparatur. Denfat autem fine adftrictione fempervivum, & portulaca, pfylium, lenticula paluftris, mandragoræ mala, & hujufmodi. Pri- vatim ad luxatos, & non bene folidatos artus, ex myrti foliis decoctum, ac infeffus probatur

C Diofcor.

CAP. XXX.

Difcufforia, feu diffolventia balnea. Ipforum con- fectura, ac ufus. Balneum ex lotio illius qui braf- cam efitaverit a Catone laudatur. Confperfio, five Embrocha difcufforia qui paranda.

DIfcufforia porro, feu diffolventia, privatim componuntur in balneis, cum per halitum digerere, extenuareque, & quod dicunt refolvere, intentio eft, quæ ad multa habentur

D utilia. Comparatis nimirum calidis aquis, com- paratifque ex rebus, quæ, Galeno tefte, ad fe- cundum caliditatis gradum cum ficcitate pertin- gant, quanquam & hunc gradum aliquando con- tingit excedere, pro ratione. Mitiora difcufforia fiunt ex herbis, foliis, floribufque, quorum ali- qua diximus, abrotani, abfynthii, rutæ, ivæ, calamenti, origani, fatureiæ, fabinæ, hyffopi, fampfuci, marrubii, brafficæ, feminibus item ftaphidis agriæ, urticæ, dauci, cardi, fefeli, ameos, fœniculi, aniforum, lauri atque junipe-

E ri baccis, pyrethri radicibus, ftœchade. Fortio- ra vero ex metallicis, nitro, alumine, fale, ful- phure, cinere, perinde cum muriam facere volu- mus falem aquæ indimus, naturales balnearum mixturas ita æmulantes Facile comparantur ac va- lentia e lixivio ex cinere ficulneo, aut vitis per- colato, aut ex aqua marina, aut melle etiam aquæ admixto. Talibus utitur Avicenna contra Apo- plexiæ materiam in capite impactam difcutien- dam, pariterque ad horrores, rigorefque fedan- dos. Valent ad habitum corporis graciliorem red- dendum, & ad tumefactiones præternaturales in membris, pedum, teftium, abdominis. Fluidis

F ulceribus adhibentur, ubi ex fordium in toto corpore multitudine, aut ex varicibus ulcerationi ipfi fubjectis, contumacia facta effe contingat. Fortia vero difcutientia adhibet Avicenna in fca- bie, illito prius dormituro ipfi corpore ex fmeg- mate argenti vivi extincti, lithargyrioque cum a- ceto, & oleo, aliifque ut folent. Fortiffima au- tem in lepra eradicanda, quam fignificantius Græ- ci auctores Elephantiafim vocant, nitro, fale, & glutino carpentariorum commixto, quin etiam fy- napi, origano, pipere, macropipere, ftaphide a- grefti, aloe, calamentho, & quandoque fimul eu- phorbio

phorbio conquassato. Eodem in genere notat Galenus ex veterum medicorum consensu, inter omnia ad palpitationes remedia, valentissima esse balnea naturalia, quæ calfacere & extenuare possint, atque ex his potissima intelligi sulphurosa, nitrosa, bituminosa. Et quæ in arte compositis ipse laudat in lib. *de Palpitatione & Tremore*, ex euphorbio, biretro, lemnesia terra, sulphure, pipere, farmentorum cinere, juniperi baccis, atque aliis id genus. Ad frigiditatem tollendam, ad lassitudinis affectum, ad convulsiones, & quandoque ad dolores mitigandos mitiora calfactoria commiscemus, chamæmelum, melilotum, salviam, centaurium, thymum, lauri folia, stœchadem, nardum. Porro discussorii nomine, miris experimentis celebrat Cato in libro *de re Rust.* brassicam: nec perperam, si præter viri indubitatam fidem (cum maxime eo tempore homines paratu hisce facilibus valde uterentur) brassicæ ipsius naturam computemus, exsiccativam, mediocriter calidam, & de natura nitri abstersoriam, Galeno etiam auctore. Quare ad omnia tumida concoquenda, eademque aut dissipanda undecumque, aut rumpenda, frigiditates alicubi fixas, horrores, duritiasque abolendas; brassicæ aut succo, aut fomentis adhibitis medebantur. Nec non cancris sanandis, ulceribusque ubicunque curandis, fistulisque supurandis, luxatis firmandis, supra omne medicamentum. Hodie manuum fissuras ex Gallico relictas, fomentis ex brassica, cum porcina axungia egregie persanant. Alii huic remedio addunt sabinam. Alii etiam faseolorum decoctum. Nos iis præmissis, nisi convaluerint acri suffitu utimur ex cinnabari, stibio, & modico sulphure, quod ad chyronia partium vel cera, ac insanabiles manuum, ac pedum, fissuras persanandas habemus in secretis. Porro qui scrophulas exterunt gerenti brassica ex unguine aliquo applicant. Et in balneis; Lotium ejus qui brassicam esitaverit, maxime abstersivum laudat Cato, & corroborans. Si pueros pusillos (inquit) eo lotio laveris, nunquam debiles fient, oculi eo illitu illustrantur, dolores capitis, cervicisque similiter levantur. Et si mulier eo lotio locos fovebit, nunquam ii virosi fierent, quod non difficile fit. Sed localium perfusionum jam aliqua ratio habenda est.

CONSPERSIO, SIVE EMBROCHA DISCUSSORIA.

AD Gibbos, ac nodos juncturarum, artificialem embrocham parare soleo hujusmodi, quæ leviter exsiccat, ac dolorem sedat, discutit infarctos humores, ac partem ipsam corroborat. Paretur lixivii medicati modiolus lib. xx. cujus cineri admisceantur Terræ sulphureæ balnearum lib. semis, floris sulphuris subtilissimi, vitrioli Ro. salis gemmei, singul. unic. scilicet vini Græci lib. v. coletur, in eo unica ebullitione immadeant stœchadis, ivæ artheticæ, sampsuci, absynthii, chamæmeli, polii montani, fol. lauri, lavendulæ, singul. m. I. Calamiaro, squinanthi, singul. unic. semis. His semel fervefactis, ac immissis in infundibulum barbitonsoris, recipiatur lixivium medicatum in totam gibbam partem, incipiendo leni gutta, ac attemperato per initia lixivio & calore ad condecentiam. Sic detersa leni linteo particula, oleo de therebintina, vel simili alio inungatur, ac lanis succidis contegatur quindecim ad minus diebus, vel etiam per triginta dies repetito præsidio. Alia perfusio paratu facilis, ac emolliens, dolorem leniens. Rad. altheæ tritarum, sem. lini, chamæmeli, anethi, melilothi, stœchadis, absynthii, nucum cupressi confractarum, squinanthi, sampsuci, sing. m. semis, calami aro. crimini, singul. drach. 2, bulliant secundum ar. in suff. q. aquæ ac vini odoriferi, & ex spongiis fiat fotus. Aliquo insuper vel oleo ex prædictis, vel unguento adhibito, cum lanis succidis.

CAP. XXXI.

Fomenta quid. Quomodo a balneis discrepant. Relaxantia quæ; ipsorumque usus. Confortantia qualia, & quibus idonea. Eorumdem tota ratio in Epithematis posita. Apud Veteres Epithemata qualia fomenta. Quibus conducant. Humectantia post fomenta adhibita. Quando iis utendum. Anodinorum differentia triplex. Horum apparatio, ac usus. Lavandi capitis ratio. Mane an vesperi utilius lavetur: Æstate, an hyeme. Mulieribus quando caput lavare expedit. Crebro an raro sit lavandum caput. Lixivii electio & compositio.

FOmenta vero proprie locales perfusiones dicuntur; sive quidem ex simplici aqua calida, vel alio liquore adhibeantur, sive (quod frequenter est) adjectis ad eadem, incoctisque aliis rebus, herbis maxime ac floribus, comparentur. Quare præterquam quod universo corpori non adhibentur, in quo a balneis differunt; cæterum generale præsidii genus est, singulis membris particularibus idoneum capiti, oculis, thoraci, præcordiis, ventri, musculis, pedibus, & carnosis partibus quibuscumque. Definitur autem penes componentium facultatem, quale relaxans, quale discussorium, quale anodynum, quale corroborans. Rerum vero apparatus duas præcipuas intentiones habet, alteram quæ respicit affectum, alteram vero partem, cui adhibenda sunt. Penes affectum quidem, ut pro ratione conveniant, sive relaxare, sive discutere, sive corroborare opus sit. Penes particulam autem potissima cura esse debet, ut quantum affectui respicimus, tantum vel amplius naturali partis temperaturæ faveamus; vel relaxent v.g. non labefaciant; discutiant, non debilitent; corroborent, non indurent. Et præter hæc, danda opera est, ut tempestive adhibeatur. Quapropter (ex Galeno XI. *Methodi*) ante fomenta totum corpus prævacuatum habere oportet: secus enim si qua redundaverint in eo superflua, ad eam calefactam partem per fomenta trahentur. Humida itaque fomenta inflammationibus conveniunt a biliosioribus humoribus factis. Sicca vero his quæ a tenui, & aquoso sanguine productæ sunt. Et lenia quidem fomenta mordacibus humoribus conveniunt; mordacia vero, & attenuantia, crassis ac viscosis.

RELAXANTIA.

RElaxantia vero dicuntur, quæ moderate, ac citra molestiam calfacere valent, unde & Calfacientia sæpenumero appellanda veniunt. Nequaquam siccare debent, sed cutim duntaxat rarefacere, cum modica, aut nulla discussoria facultate. Usus horum talium est ad lassitudines particulares tollendas, ac dolores, quum videlicet cessato jam adfluxu, lenem ex rarefacta cuti halitum tentamus. Quare Galenus XI. *Methodi*, jure optimo damnat gregales quosdam Medicos sui temporis, qui in principiis febrium, fiente magno adfluxu, ac nulla facta vacuatione, nisi fortasse sanguinis, relaxantia hujusmodi circa præcordia adhibebant. Calefacere enim (inquit) præcordia cataplasmatis, aut perfusionibus, non est perpetuo tutum; sed in his tantum ægris, quibus in toto corpore nihil erat superfluum. Cæteris omnibus extrema pernicies est. Nam sive redundantia, utravis sit, vel quo ad vasa, vel quo ad vires, sive in una parte, pluribusve vitiosa excrementa sint, omnia

ad partem calefactam trahuntur. Unde (subdit) qui quotidie tum calido oleo perfunduntur, tum cataplasmatis utuntur, phlegmonem nimirum aliquam, vel in jecinore, vel ventriculo, vel reliquorum istic viscerum, aliquo contrahunt, alii in quarto die, alii in quinto, omnes plane in sexto. Laudat autem ea in inveteratis inflammationibus, si qua fortasse superfluitatum proprio ex adstringentium usu, esset intus conculcata. Et aliquando in pulmonis, ac partium pectoris phlegmone; abstinendo ab astringentibus, quando talia humores, qui phlegmonem excitant, in pulmones, & cor nonnunquam reprimunt. Utitur eis etiam in dolore laterali Hippocrates II. *de rat. vict.* quem tepidis fomentis (inquit) protinus ab initio dissolvere tentandum, ut aqua calida in utre, vel in vesica adhibita, aut spongia, mollisque ex aqua calida expressa, quæ fomenta vix acceptat Galenus, indistincte prolata, nisi quantum videtur Hippocrates ab eo fotu incepisse, qui periculo omni vacat: utpote qui minime mordet, ac humidus est, nam etsi nihil adversus malum fecerit, non tamen magnum, nec insigne adfert detrimentum. Porro in Compositis deserviunt, chamæmelum in primis, althea, cucumeris sylvestris radix, abrotanum, costus, nitrum, oleum vetus, ac subtilium partium hujusmodi. Ad uteri inflammationes, doloresque commiscemus subinde arthemisiam, in coli vero rutham & parietariam, & anethum ad calculosorum cruciatus. Ad Scroti vero tumentias, seu flatu plenas, seu sarcoticas, stœchadem, ivam artheticam, centauri folia, ac flores, hypericonis, rosarum, myrtillorum, folia lauri, ex vino præsertim, vel lixivio.

CONFORTANTIA.

Confortantium nomine cum D. Hieronymo utimur, quæ alias corroborantia diximus simpliciter levem astrictionem habere significant. Proprie tamen intelligi debent, quæ ita contemperent membri naturam, eoque artificio conficiantur, ut ipsa particula per eorum adhibitionem, quasi in suo naturali robore firmata, & noxia expellat, & si qua in ipsa redundent inæqualia, ea reddat æqualia. Usu idcirco idonea sunt omnibus membris, aut quidem affectis, aut affectioni obnoxiis, suspectisque. His quidem (in principiis, inquit Galenus XI. *Meth.*) confestim loco in quem timetur adfluxio, vel relaxatio, ut sæpe contingit ventriculo, & cordi in febribus, corroborantia ipsa adhibere commodissimum est; quæ scilicet adstringant, ac firmitatem parti adjungant, ut ne facile adfluentes superfluitates suscipiant. Quomodo in phlegmonis oris, & suarum partium, & in Anginæ incipientes periculo, statim os ac fauces per aquam frigidam abluimus, vel medicamento ex moris sylvestribus composito, quod reprimat, & partes communiat. Quod si aliqua adfluxerint, non minus erunt idonea, purgatione omnino, & potissimum in febribus, universi corporis præmissa: nam si qua portio superfluitatis per astrictionem inductæ remanserit, ea postmodum per relaxantia facile discuti poterit. Porro jam affectas particulas, aut abscessa, aut vulnere, aut infirmitate aliqua; præmissis semper oportunis præparationibus, per confortantia fovere convenit, cum ut ne succumbant malo, & caussæ: tum ut in reliquias corroboratæ prævaleant.

EPITHEMATA.

Verum, quia id efficere principalium maxime partium corporis munus est, aut cordis scil. aut ventriculi, aut hepatis, quorum salus est cæterorum membrorum vita; ideo tota confortantium ratio in Epithematis posita est. Quo nomine omnia fomenta dicta sunt, apud antiquos etiam (teste Paulo l. VII.) quæ circa medias corporis partes adhibenda veniunt. Quare utroque confortantium aliorum usu recipiuntur, tam scilicet affectis ipsis principaliter visceribus, quam periculo obnoxiis, commota in universo corpore, vel in parte aliqua intemperie. Una vero communis omnibus præceptio est, ut quicunque scopus sit, viscera a nimirum relaxantibus caveantur, semper quæ firmitatem partibus ipsis adjungant, admiscendo. Quam ob rem ex aromatis plerumque conficiumtur, ac iis præsertim tum liquoribus, tum speciebus aromatum, quæ peculiarem loci tutelam, seu qualitate aliqua seu tota substantia obtineant: Gaudent hepar, ac venticulus (II. *Methodi*) iis, quæ compositam vim habent ex relaxante, ac tenui, & ex amara, ac adstringente. Esto autem, quod ventriculo adhibendum est, cum imponitur, abunde calens (VIII. *Methodi.*) quippe quæ tepida sunt, omnia ventriculi firmitatem dissolvunt. Amica ei mastiche, rosa, absynthium, melilotus, sampsucus, mentha, nardus. Utile & in principio, ut cujus actio, & concoquendi munus, reliquis corporis partibus commune est; atque ejus rei caussa (inquit Galenus in XI.) instrumentorum, quibus concoctio perficitur, in omni febri, haud levis cura habenda est. In hepatis vero phlegmone calida adhibenda (XIII. *Methodi*,) qua oleum ex absynthio protinus calidum: calidiora malo habitu prædita, aut cum refrixerit: amica ipsi sandalus, absynthium & maxime ponticum, vel nostrum Romanum, nardus, rosa, myrobalanus, chamæmelum. In Splene vero etiam inflammato adstringentia sunto. Quod si colon fuerit affectum, aut alia intestina tenuia, aut peritonæum, aut præcordium musculi, nequaquam adstringentia commiscenda sunt. Neque in utero, neque item in vesica, ut quæ crassis plerumque ac infixis humoribus laborare solent, XI. *Methodi.* In Renibus vero & Thorace, quantum ipsorum interest, mediocris adstrictio sit: nam neque exsolvere conducit. Cum sanguis tamen ejicitur (inquit Paulus) adstringentia prosunt, siccantiaque, sicut etiam in alvi fluoribus adstrictoria adhibentur, alumen, œnanthe, melinum oleum, & hujusmodi alia. Neque præcordiis, etiam in principio incommoda sunt, si adstringendi vim obtinent, quæ (damnatis, ut diximus, relaxantibus Galeni sententia XI. *Methodi*) duplici ratione conferunt, quod robur (inquit) particulis inferunt, unde minus prompte adfluxum excrementorum in se recipiunt; & quod superfluitatum aliquam partem jam delatam, retrorsum exprimunt. Quanquam & nimium adstringentia vitanda sunt, ne insigniter compingant.

HUMECTANTIA.

Solitum vero est Humectantia post fomenta præposita adhibere: quæ nimirum (ut scribit Aetius) eo a prædictis differunt, quod præservantem ex adhibito auxilio præstant utilitatem. Nam perfusione facta, ac detersa, aut lanam, aut linteum humectantes partibus ipsis imponimus. Utimur quoque iis ad caput, quod non probe ad cataplasmata dispositum, ut in phreniti, ac letargo. Et ad præcordia inflammata, circa morborum principia, cum intempestivus sit tunc cataplasmatum usus. Usus vero frequentior nobis post fomenta, ex oleo vel unguento aliquo. Aut quidem quod oppleat tantum, impressumque per fomenta robur, conservet, ne dissipetur: quomodo in astringentibus laudat Galenus omphacinum oleum, Hispanum, & alia. Et in ventriculi usu absynthinum, vel ejus vice mastichinum, vel melinum, vel lentiscinum. Aut quod ad primariam roboris intentionem faciat, qua-

laudatur ab eodem Galeno nobilissima tunc temporis confectio Nardini olei, aliorumque, quæ pretiosa retulimus. Quorum hodie penuria spicatum nostrum sufficimus, Santalinum, ex vernice, ac magistralia alia.

ANODINA.

Eorum autem quæ ad dolores adhibentur, triplex est differentia, ut ex Galeno elicitur, v. *Simpli*.cap.XVIII. Alia enim operantur removendo caussam: atque id, ut totam amplectitur Medicinam, ita generosum, atque optimum præsidii genus est. Alia exquisite sine dolore intelliguntur, ut si quispiam hominum mortuum dicat ἀνώδυνον: quorum natura absolute frigida est, quæ adhibitam partem stupefaciunt, ac insensibilitatem inducendo, falso lenire dolorem dicuntur, unde non nisi servatis casibus utenda veniunt. Alia proprie Anodina, & quæ re vera talia sunt: quæ videlicet tenuium partium, & symmetro usque ad primum gradum calidiora esse convenit. Ut scilicet evacuent e loco, digerant, extenuent, concoquant, & quicquid nocivum est, quovis modo æquabile reddant. Quale proprie est oleum Anethinum, & quale antiquis erat Balsamum. Horum tamen varia est apparatio, prout dolores ipsi, ac partes, aut occasio postulat. In Podagricis doloribus oleum rosaceum adhibemus, incoctis interdum cum eo vermibus terrestribus, qui cum ejusmodi artuum doloribus multam habent convenientiam. Fit & in Convulsis assiduus ex simplici oleo fotus. Usus porro aquæ calidæ temperatæ, ad dolores leniendos non modice confert, ut jam toties diximus. Magis vero ad id reddetur idonea, si per aliqua valde talia sit alterata: perinde est ipsum anethum, chamæmelum, iris, melilotus, fœnum græcum, semen lini, milium, althæa, absynthium, chamæpythis, peucedanum, sagapenum. Et calidiora aliqua, ut sampsucus, calamintha, rutha, centaurium, carvi. Nam in Coli doloribus discussoria fomenta esse oportet, ac mordacis etiam caliditatis. Sicut & sinapi, & castoreo utimur, ad ea, quæ intra cranium discutienda sunt & per aeris penetrationem. Et quales synapismi parantur in coxendicum dolore. Aliqua item frigida sub Anodinis veniunt, nimirum pro qualitate affectuum, qui ea postulant, ut quibusdam inflammationibus sumuntur rosa, viola, santali, cerussa, & ex his parata olea atque unguenta. Et quæ partium ipsarum natura desiderat; quarum classis multiplex est, ut quæ pedibus facit iva, arthemisia utero, absynthium ventriculo, betonica capiti, & ex his composita. Pro anodinis aspersionibus in capitis dolore, istis utitur Rhazes: Incoquenda sunt, inquit, in aqua, menthastri folia, sampsuci, meliloti, radicibus ireos, anethoque, cum quibus abstersionem facito, vel caput abluito, ut moris est.

CAPITIS LAVACRUM.

In lavacro vero capitis hæc prima ratio habenda est, num sano capiti sit adhibendum, num infirmo, & quasi medelæ genus. Sano quidem, quoniam abstersio tantum requiritur, studendum duntaxat est, ut caput ipsum, quod facile a quacunque re læditur, nulla exinde noxa affici possit, sed tergatur duntaxat. Quod facile vitabitur, si ad ea instituta lavetur, quæ communiter supra de balneis, & de ritu stupharum præcipue diximus, esse servanda. Nempe jejuno corpore lavandum, ac ventre vacuo, mediocris temporis constitutione, serena die, atque hora minime noxia. Qui de mane lavant, optime quidem: cæterum cavendum ea die erit, maxime hieme, ab aere nubilo, ac frigido, aut vento aliquo infesto. Altero duorum modorum, aut ut domi tota ea die quiescant: quo nomine vespertinas lavationes diximus magis idoneas, uno excepto periculo, ut jam præsumptum in prandio alimentum a stomacho descenderit, ne per lavacrum aliqua fiat vaporum ad caput attractio. Aut si manere domi minus per negotia concedatur, caput ea die plus solito tegant, tueanturque. Omnia vero id genus discrimina vitari poterunt, si & anni temporum, & particularium aeris constitutionem ratio habeatur. Ut communis consuetudo Italiæ est, hieme & constitutione temporis frigida, vespere & ante cœnam lavari: æstate vero ante prandium. Semper mulieres de mane, & ante prandium laventur: habent enim caput de natura præhumidum, nec noctu ex capillorum copia facile exsiccantur; ubi die siccantur facilius, & capillos sub sole efficiunt pulchriores, & aureos. Nec dum habuerint menstrua lavari consulo: multarum exemplo, quas vidimus, retenta per lavacrum capitis naturali purgatione, ægritudines incurrisse lethales. An raro, an crebro sit lavandum; hoc quoque multum in consuetudine repositum est: quemadmodum laudabilis ea est quarundam Italiæ civitatum, ut universa familia singulis sabbatis lavetur, & caput, & pedes, quod facit non ad lautitiam corporis solum, sed caput quoque exonerat, ac animum reddit ad omnes actiones magis expeditum, & liberum. Qui vero capite, vel naturaliter, vel ex affectu sunt debili; hi quidem lavari rarius jubentur, & quod juxta ritus in Thermis, recuratoria ablutione utantur: sane ut post lavacrum, vino stiptico, rosis admixtis, ac adstringentibus id genus aliis caput relavetur, bene, ac levibus linteolis, sine forti affrictione tergantur. Temperatum vero, an minus temperatum, vel acre lixivium esse debeat: id similiter penes tempora dispensandum, consuetudinem hominis, ac naturam, & penes alias ætatis, sexusque dispositiones, & maxime capitis. Omnino qui leviter etiam febricitant, aut defluxionibus tentari solent, & caput gravari sentiunt, haud tuto se lavacro subjiciunt, nec multa permittant detersione agitari. Sapone communiter utendum, ubi multa abstersione capitis, ac exsiccatione humiditatum opus sit. Ubi minus, leni, & qui hodie Bononiæ comparatur, odorifero. Pueris vero, & qui ulcera sustinent capitis manantia, his pro sapone ex vitellis ovi lenis detersio satis sit: quem audio usum in Gallia esse communem, & laudabilem. Infirmis autem pro capitis lavacro nunquam lixivium adhibendum est; sed aqua, aut simplici, aut alterata, pro ratione affectus. Simplici quidem capitis lavacro usus Hippocrates in Epidemiis in Metone infirmo, cui capite gravato, cœperat in judicatione sanguis e naribus fluere, sed cum minus justo fluxerit, per lavacrum ita erat excitandus. Alioqui in sanguinis fluxione non convenire lavacrum, in III. *de rat. victus* docetur. Simile est quod tradidit Paulus, ad gravedines, & destillationes caput copiosiore aqua calida perfundendum, præsertim si a caussa calida orta fuerit affectio. Vitanda autem esse sulphurosa, ac naturalia ejusmodi calida, utpote quæ Gal. auctore v. *de sanita*. usu noxia perhibentur capiti. natura calidis quo in casu & nos lixivium abrogamus. Infirmo item capite hæc quoque ratio præhabenda est: aut affectus in summa erit cuticula, tumque haud alia lavandi, irrigandique ratio esse debebit, quam quæ in fomentis antea dicta est, adjuncta etiam per oleum humectatione aliqua. Aut ab alto trahendum a pilorum radicibus: quod usu hodie frequenter evenit in pilorum defluvio ex morbo Gallico. Quo in casu lixivium paramus acre, ac subtilium admodum partium: quale nos docuimus, Dioscoride teste lib. v. cap. IX. ex sarmentorum cinere parari; nec non ex

eo qui ex radicibus arundinum fit, eodem teste lib. 1. & Gal. v 11. *de simpl. med. fa.* Utpote quorum virtute ex alto cutis trahere humorum acritatem intelligimus, eosque dirigere, cute interim confortata. Unde & alia multa pro hac ratione admiscent lixivio, lauri folia, chamæmeli, calamenthi, pulegii, abrotani, menthæ, stœchadis, rosarum rubearum. Alii & senam, & agaricum, quo lixivium magis detersorium fit. Alternis caput lavant diebus, ac subinde paratis ex ladano ac myrtino, vel lentiscino, vel laurino oleo linimentis inungunt.

CAP. XXXII.

Hydrelæum mixturæ genus, quo in balneis sæpe utitur. Ejus partes; utendi modus.

Hidrelæum vero cum Græcis appellamus aquæ, & olei mixturam. Quo sane medicamenti genere in balneis sæpissime utimur, & quando maxime diu humorem, vel aquæ qualitatem inhærere corpori volumus. Ut in exsiccatis, & squalidis usuevenit: cum enim aqua ex sui natura madefaciens, atque humectans actionem non obtineat diutinam, leniter prodest: cogit vero oleum sui tenacitate plurimum eam inhærere particulæ, cui opus est. Partium vero mixtionis hujus non est certa mensura: cum & pro affectus qualitate, & prout collibitum fuerit, in capaci aquarum pelvi admixto oleo temperari possint. Oportet (inquit Aetius ex Galeno) quintam olei partem ad ignem calfacere, reliquum vero in Solium mittere. In quo æger insidat usque ad umbilicum, & pro loci affecti affusione. Insessus, ex Hydrelæo, convenit (Galeno teste) diuturnis in frigore febribus, hemicranicisque, & lassatis, & dolentibus nervis, qui ossibus incumbunt, & convelluntur. Ad Cephalæam, ac hemicranicos dolores, cum febre, & sine febre epithematum more utebatur Paulus, ac id esse testatur mirificum. Radicem autem cucumeris sylvestris minutim concisam, absynthiumque cum hydrelæo incoquebat, dum incalesceret, ac eo calente mediocriter partem affectam irrorabat, radicem vero & absynthium in pulverem contritam oblinebat. Juvat item lassitudines, apprimeque sola calida, non quidem quod suæ vires oleo intendantur, sed quod quibus opus est particulis diutius inhæret, ut diximus. Vel, ut inquit Aristoteles v. *Problematum* Sectione, quoniam aqua calida ex oleo magis penetrat, itaque resiccata membra magis humectet. Præsentissimum vero remedium est ad vulnera, quæ convulsionem indicant. In inflammatione vero, quam convulsio comminatur emollientium quoddam genus, ac perutile est hydrelæum; præsertim incoctis prius in aqua fænugræco, lini semine, malva, meliloto, & ejus generis mollibus, ac lenientibus. Facit etiam ad convulsiones inanitione fientes. Et propterea ad venenum ex Sardonia herba, aut epota, aut comesta, summatim (inquit Paulus) curatio eadem, quæ in convulsione ministranda est, quandoquidem rictus oris, qui ex hujus veneni proprietate fit, convulsionis quædam species est, unde in proverbiis RISUS SARDONIUS, pro acerbo, & tristi risu. Ad omne venenum, tradit Aetius, Hydrelæum esse convenientissimum, ubi in vesicam impetum fecerit, lenientibus quibusdam additis, dum calefit, fænugræco, malva, althæa, & quæ diximus. Similiter si virus ad cutim delabatur. Benefacit etiam in colicis cruciatibus, qui si ex frigidis humoribus pendeant, calfactoriis, & discutientibus incoctis hydrelæum ipsum alterandum est, ut sunt pulegium, centaurium, lauri folia, ac baccæ. Similiter ad volvulum ex Archigene, althæa, ruta, & coniza admixtis. Ministratur etiam utiliter in uteri abscessibus, & in urinæ difficultate, quæ ex bilis, vel quapiam humorum acrimonia gignitur. Quandoque etiam in podagra adhibetur, immergendo in ipsum pedes. In omni item articulorum morbo, incoctis aut vulpe, aut hiena in ipso oleo. Atque alii quidem ipsas vivas in maximum lebetem injiciunt, Galeno teste, alii vero mortuas, ac deinde una cum oleo quam diutissime coquunt. Solia, ac urnas oleo calido explent, atque ita arthriticos inscendere, ac diu in eo immorari jubent. Porro oleum hoc maxime discussorium redditur, atque adeo ut ad superficiem etiam extrahat ea, quæ in profundo corpore continentur. Cæterum persusiones jam prædictas arte compositas, consilium quoque Manardi est *lib.* XIV. *ep.* 11. ad hemicraniam specialiter adhibendas, ad tinnitum aurium, & ad antiquam surditatem, quæ scilicet ut promptior fieret discussio, ducciarum naturalium more diu multumque ex alto cadentes, in capite reciperentur: ex quibus tamen contumacibus affectibus, utilius idem Manardi *lib.* XX. *epist.* 11. naturales consuluit duccias, vel Aponi, vel Montis Grotti, vel Petrioli, adde & S. Philippi, quæ potentiores sunt, & quas ad diutinam aurium gravitatem in se ipso Fallopius expertus meminit corseni duccias.

CAP. XXXIII.

Balnea ex oleo; quorum multiplex usus.

Olei quoque simplicis insessus multiplicis usus est, multum ac diu humectans: eos qui ex inanitione convelluntur, vel ex vulneribus inciso, aut puncto nervo aliquo, oleo hydrelæi insessu calido fovere expedit. Et si nihil prohibet, etiam ad lavacrum deducere, temperatoque solio fovere. Ex punctura, aut nervi vulnere, membrum patiens est immergendum, vel vesica calida plena oleo alternatim alliganda, roborat enim cutim, lædentemque materiam dissipat. Rosaceum in causa valida valentius putatur. At in convulsionibus caninis oleo Sicyonio calido, aut alio hujusmodi caput perfundendum: & item in his quibus nervi, vel tortura, vel casu, vel percussione fortiter sunt afflicti. Si vero frigiditas, & tremor afflictionem nervorum consequatur, etiam castoreum cum Sicyonio immiscendum est. Juvat quoque olei fotus ad tremores, qui interdum e febribus diu remanent. Primum vero corpus totum oleo sabino, aut tenui perfundatur: ubi autem accessiones remittunt, veteri, aut eodem Sicyonio. In perfrictionibus autem, ac immodico frigore, quale & in Epialis, & in quotidianis aliquando accidit, largius in oleum, quod incaluerit, nonnulli descendentes, pertinacissimos etiam tremores compescunt, ex Archigene. Et illis in febribus, in quibus juncturarum laxitati timendum est: facit enim ad podagricos, aliosque articulorum dolores, & ad tophos. Quandoque in difficulter parientibus utiliter administratur, vias enim dilatat, poros aperit, dolores mitigat. Nonnullis urinas educit, quin etiam tanquam miraculo quodam calculos aliquando fregisse, extrudisseque visum est, usque a renibus; & qui secta vesica ob calculum, vel herniam periclitantur, admodum fuisse juvatos. Ad volvulum, & colicam commodat; nimirum aut humoribus exinde frigidis, impactisque discussis, aut fæcibus duris emollitis, aut flatibus eventatis. Facit ad venena omnia, & quæ præsertim ad extrinseca prolicere oportet. Præter oleorum compositorum utilitates, quæ in fomentis hujusmodi, pro natura, ac virtute rerum commixtarum, variant temperamentum.

CAP. XXXIV.

Balnea ex lacte; eorumque laus, ac utilitas.

LActis vero balneum ad usum Emollientium quandocunque recipitur. Humanum praecellit caeteris, Galeno teste v. *Meth.* quod calidius, humidiusque habetur; deinde caprae, aut certe asine, in balneis praecipuum, quia tenuius est, atque humentius. Qualis in Italia erat usus apud Veteres domesticus, haud enim illis gravia putabantur, quae essent hac nostra tempestate miracula. Apud Gentiles praesertim mulieres, ut quod in exemplis tradidit Plinius, Poppeam Domitii Neronis conjugem, quingentas asinas foetas per omnia secum trahere solitam, eoque lactis solio totum corpus macerare: conferre enim aliquid candori, & molliciei carnium putabatur, cute etiam extensa, quam taxavit Juvenalis, iilis versibus sat. vi.

—— An pinguia Poppeana spirat. &
Incipit agnosci, atque illo lacte fovetur,
Propter quod secum comites educit asellas.

Ad usum vero medicinae princeps Avicenas Arabum in Hecticis nimio calore arefactis, aliisque consimilibus vitiis, balneum ex lacte consulu it. Hodie vero rarissime fit, quod, nisi alia de caussa sit difficilis tantae lactis copiae paratio ad balneum. Ac quidam propterea hodie παρὰ ἀντιβαλλώμενα curiosi, labrum temperatum substituunt, in quo salicis ac arundinum folia excoxerint, hordeum item confractum, violam, nenuphar, citrulli, & cucurbitae semina. Vel, melius opinati, totam ipsam tinam ex succo cucurbitae, & rosacea aqua comparant, aut elixis capis, castratorumque capitibus, & aliis ejusmodi jusculentis in simplici aqua; quod balnei genus, quidam hac quoque aetate scriptores in secretis habent, singulis diebus aegrotanti jejuno stomacho ministrare. Verum hi haud sciunt naturam balnei, nec sine aegrotantium jactura faciunt, istiusmodi crassis atque emplasticis utentes. Nam dum intentio est humectare apprime, & refrigerare; concrassata eatenus aqua, eademque affatim inepta ad penetrandum reddita, calfaciunt ea superficiaria caliditate indita, adeoque incidunt, elixantque misellorum corpora, minime humectant. Ut recte in posterum, & pro vetusto more balneum ministrent.

CAP. XXXV.

Balnea ex sanguine; quando & quibus usitata. An Constantinus M. adhibuerit.

MUliebre id quidem, ac luxuosum ex lacte parari balneum; impium vero atque inhumanum ex sanguine videri poterit. Nam antiquis illis primis saeculis, quando vix erat adhuc ulla humanitatis distinctio usitatum, & dumtaxat Regibus, Plinio teste l. XXVI. c. V. Ubi de Elephantiasi, quae & Lepra dicitur, ita scribit. Aegypti peculiare hoc malum, & quum in Reges incidisset, populis funebre. Quippe in balneis Solia temperabantur humano sanguine ad medicinam eam. Hanc porro medicinam sequi olim persuasum Constantinum Magnum in Conciliis legitur Tom. III. Adriano Pontifice teste *ad Irenem*. Ille enim cum lepra teneretur, ac balneum idcirco ex infantium sanguine parasset, adstitisse dormienti D. Apostolos Petrum, & Paulum, qui dissuasa Ipsi sanguinis infantium effusione, per sacri baptismatis lavacrum sanitatem obtulere; itaque baptizatus, ac sanatus est. Idem attestari Zonaram Graecum historicum legitur Tom. II. Exinde de sanguinis balneo, nec usus (quod sciam) nec ulla extitit mentio.

CAP. XXXVI.

Balnea ex vino. Summa utilitatum vini quae. Medicatae ex vino lotiones. Vinorum genera. Novi differentiae. Balnea ex musto: Ex vinaceis: quorum qualitates, & operationes. Ex vino vetere. Comparatio balneorum ex vino. Vini Graeci facultates. Balnea ex aceto.

VInum quidem singulares obtinere virtutes experimur, perinde extrinsecus competenter adhibitum, ac ebibitum. Siquidem omne vinum in balneis vim habet calfaciendi, atque exsiccandi, & corroborandi membra. Summa vero utilitatum ejus haec est, quod quantum indecenter ebibitum nocet cerebro, nervis, atque juncturis, tantum vel amplius foris adhibitum rependit utilitatis in earum partium vitiis emendandis. Dolores levando, tumefactiones inhibendo, laxitates confirmando: ac maxime si additis aliquibus medicatis rebus, Vini qualitates augeantur. Quomodo podagricos saepe lavamus vino, cui incoctum sit marrubium, vel stoechas, vel ejus generis aliquod. Simplici vino lavamus utiliter quandoque ulcera, ac vulnera, ut commonent & Hippocrates, & Galenus. Vetusta enim ac dulcia vina (inquit Dioscorides) renibus, vesicaeque accommodant, vulneribus, ac inflammationibus succidae lanae eo imbutae utiliter imponuntur. Foventur his etiam asperiora, & phagedenica, & quae ex destillationibus fluunt ulcera, qualia saepenumero in cruribus inveterantur. Haec & similia habemus ex Antiquis. Caeterum ad usum balnei, quod nobis propositum est, pro tanta vinorum diversitate, habenda inprimis ipsorum generum ratio est, ac omne genus per aetates, prout novum, aut vetus, aut mediocre intelligitur, distinguendum: & quo varient cultu haec nostra a vinis antiquorum: commune habemus simpliciter mustum: Vinum vero intelligebatur quod mensis idoneum, crudum, coctum, defrutum, lora, & sapa: hoc vel novum quod erat a biennio, & triennio usque in decennium: vel vetus usque tricesimum. Quibus suppositis differentiis judicanda sunt quae scribuntur ab auctoribus Vina, Plinio, Dioscoride, Gal. Itaque vinum novum Dioscorides, & Galenus ponunt minus calidum, & magis humidum: nimirum quod ob serosae partis copiam, remissum in calore sit, & siccitate: ob quam causam & in balneis remissae actionis videtur, parum penetrans, minus exsiccans, ac minime abstergens membra, imo opplens, atque exasperans cutim. Verum tamen cum foris adhibendum sit, nos consideramus in recenti vino, non crassam vini substantiam, ob quam illis vitiis subjacet; sed ipsius quoque spiritus principaliter, qui in novo soluti fere semper ac in continuo motu, in membra, quibus adhibentur, permeant, foventq; magis, quam vini antiqui vigor intrinsecus. Adeoque balneum, quod ex musto fit, dum vegetali suo ac insito calore in torculari ebullit, utilius experimur, quam ex vino, quod vel mediocris aetatis sit, in quo cessaverit ebullitio, vel omnino senescens: quae ambo genera nisi calefiant prius actu, aut nihil, aut segniter admodum, quae a vini balneo desiderantur, operationes praestant. Id vero multiplici experimento compertum, ac comprobatum est ab omnibus junioribus Medicis, qui ad articularios affectus, insessus, fotusque comparant ex vinaceis, dum adhuc tribus parant modis, per autumnum fervores continent utilissimos. Alii quidem mittentes patientes ipsos in torculare, uvarum scapis cum musto ipso ebullientibus. Alii vino jam excolato, ac lora subinde expressa, quod minus validum fit, spiritibus illis calidis jam per aquam remissis, ac exhalatis. Aut ex vinaceis, quae vino dumtaxat expresso remanent: quod validissimae actionis sit, ac commodissimum, adhibendum etiam in cubiculo.

per qrivatam tinam. Excitatur enim paucis post diebus ex vinaceis ipsis fomes quidam putredinis, ac fervor intrinsecus, qui pro cujusque arbitrio & intendi potest ad operationem, & remitti pluri ex eis copia adhibita, vel remota. Hoc calfacit etiam valenter, siccat, aperit, discutit, confortat, removet dolorem. Perpetuo autem intelligas præmissam purgationem. Itaque ex juncturis (quarum maxime causa hoc genus remedii inventum est) incisis etiam nervis, aut contractis, ut incessum lædant, tumores dissolvit, dolores sedat, duritias ex vulnere contractas emollit, membraque ipsa tandem, quoad ex affectu licet, ad propria munia reddit idonea. Utilis pariter fotus hydropicis, œdematosis affectibus, ac id genus inflationibus omnibus. Ex quibus omni genere balnei, quod ex vino parabile sit, in primo loco huc ex vinaceis insessum ponemus, qui & facile paratu sit, & utilissimus. Secundum dabimus vino cum scapis adhuc bullienti: ut sciam articularios quosdam, se totos, excepto capite, in hoc balneum immersos, ac mirifice fuisse juvatos. Tertium erit ex vino veteri balneum: Vino inquam excalefacto per ignem in caldario, ac in Tina adhibito: quod quidem ex actuali caliditate acquisita, non calfacit solum actu, & potentia, atque exsiccat; verum etiam vim subinde concipit penetrandi in altum, attenuat, aperit, discutit, instaurat membra, ac juncturas, bonum halitum, bonumque odorem conciliat. Quod si invicem hæc balnea comparanda sint, & quid differant: hoc ex veteri vino balneum impense exsiccabit, adstringetque, & corroborabit. Simplex vero ex vinaceis insessus aget mitius, & pro arbitrio patientis; illud nequaquam humectabit quæ humectanda erunt: hoc tendines extensos, ac induratas, & quæ occalluerint, partes moderate emolliet; dolores clementius sedabit, non uret, neque incendet. Utilius illud in fontibus particularum, & ubi præsertim confortare sit opus, ventrem, cor, uterum, atque vulnera ipsa. Atque hoc genus balnei habebit quoque suas differentias: efficacius enim hæc præstiterit vetus vinum, quod album, odorumque sit, & siccum, atque hoc magis si tenuium partium usu compertum sit: quibus certe dotibus nostrate Græcum superat omne phalernum antiquorum, aureum colore, & perspicuum, sincerum, odorum, gratum oculis, palato, gustui, cordi, cerebro, & quod non sitientem etiam ad se allicit bibendum. Rubrum adhibitum difficulter permeat, album vero, ac fulvum valentissime, cum plus illud exsiccet, exasperetque, ac roboret. Coctum, quod Latini veteres defrutum dixere, vetus propemodum in balneis æmulatur, etsi non adeo videtur subtilium partium, jam illis inter ebulliendum difflatis, ac incrassata substantia, veluti mel. Dulce, præsertim recens, minus balneo idoneum, idque inodorum ut minus exhalans. Quod vero in acorem transit, quum valenti penetratione opus est, haud inutile: quemadmodum in tophis juncturarum discutiendis, frequenter ex acido vino fomenta, ac ex ipso interdum aceto parantur. Quale portentosum remedium putatur Plinio, M. Agrippam gravi pedum dolore tentatum, demersis in acetum calidum cruribus, evasisse. Reliqua de vinis seorsum explanari dignius est.

F I N I S.

FRANCISCI ROBORTELLI
UTINENSIS,
LACONICI SEU SUDATIONIS,
QUÆ ADHUC VISITUR IN RUINA BALNEARUM
PISANÆ URBIS,
EXPLICATIO.
AD
FRANCISCUM LOTINUM
VOLATERRANUM.

FRANCISCI ROBORTELLI LACONICI SEU SUDATIONIS,

quæ adhuc visitur in ruina balnearum Pisanæ urbis,

EXPLICATIO.

Quanti veterum Romanorum monimenta, si quæ adhuc nostra ætate alicubi extant, sint facienda, tum propter admirabile artificium, quod in iis extruendis perspicitur a summis architectis, & peritissimis fabris adhibitum, tum propter elegantiam ipsorum operum, & vetustatem tute ipse scis, Lotine præstantissime, aut nemo potius teipso melius scit; habuit enim olim quædam ætas sub optimis principibus, & IMPP. architectos, fabros, artificesque omnium rerum peritissimos. Quædam rursus alia ætas, culpa plane, ut ego existimo principum, qui ea negligebant, prorsus ineptos, ac rudes; verissimum enim illud est; Honore ali artes, jacereque ea, ac dedisci, prorsusque ignorari, quæ negliguntur. Atque majoribus sane Illust. ac Maximi Ducis Florent. II. COSMI, quem honoris causa nomino, viris Clariss. ipsi Optimo Duci COSMO tota non modo Etruria, sed universa etiam Italia, hac ætate, quicquid ubique venustatis est, ac nitoris in omni genere non solum scientiarum, & artium, quæ literis continentur, verum & harum, quæ aut pigmentis, aut ære, aut marmore opera effingunt posteris spectanda, acceptum referre debet; multos enim magno sumptu alit architectos, ærarios fabros, marmorarios, pictores, qui antiquitatem illam non modo apte imitantur, sed etiam adæquant, & superant. Extabunt igitur passim in illius urbibus præclara monimenta, quæ annis permaneant innumerabilibus, & testatum relinquant apud posteros, quam multæ ejus generis artes, quæ fere extinctæ videbantur, virtute illius rursus excitatæ, & singulari liberalitate sustentatæ, amplissimisque honoribus cohonestatæ viguerint. Verum hæc aut agam ego alias diligentius, aut alii, qui me doctiores sunt, de illo copiosius prædicabunt. Nunc te oro, & obsecro, mi Lotine, ut hæc mea, quæ ad te mitto, libenter legas, Illustrissimoq; Duci nostro, si videbitur, legenda tradas. Is enim, quod a multis audivi, ita omnem totius antiquitatis rationem tenet, ut nihil sit aut ære, aut auro, aut argento, aut marmore effictum, aut literis vetustioribus consignatum, quod ille non exacte calleat, dignoscat, ac dijudicet. Verum audi, quæso, quid me impulerit ad scribendum: In Pisana hac civitate antiquissima, si qua in Etruria est, monimentum extat perantiquum ad portam Lucensem, ipso etiam aspectu sanctum prope, ac venerandum; atque utinam superioribus annis major aliquanto ejus habita fuisset ratio a publicis ædilibus, & curatoribus viarum, aut enim integrum esset, aut in ejus ruina saltem appareret vestigium aliquod formæ illius ædificii, ut quicquid ab antiquis de eo genere, summo ingenio scriptum fuit, facile perspici posset; atque, ut propius rem ipsam attingam. Balneas exædificabant Veteres, quibus tum propter curationem corporum, tum propter oblectationem etiam (ut opinor) plurimum utebantur. Earum vero ædificandarum eadem ubique semper fuit ratio ab antiquis architectis, Romæ primum, mox in aliis urbibus instituta; tanto quidem artificio excogitata, ut non difficile sit ad judicandum, quantum ea ætas in omni genere artium excelluerit. Balnearum vero situs ac forma hujusmodi erat. Domicilia quatuor construebantur; quorum nomina hæc erant, Frigidarium, Tepidarium, Caldarium, Sudatio, sive Laconicum; quæ inserviebant viris, & totidem rursus, quæ inserviebant fœminis: ita inter se disposita, ut Tepidarium virile conjunctum esset Tepidario muliebri, & reliqua eodem modo cohærerent. De his quatuor domiciliis, præter Vitruv. *lib. quinto* meminit etiam Lucian. in *Hippia*; eam descriptionem, qui conferet cum hac, videbit belle convenire. Nec non Galen. l. x. *Meth.* declarat his verbis: εἰσελθόντες μὲν γὰρ ὁμιλοῦσιν ἀέρι θερμῷ, μετὰ δὲ ταῦτα εἰς ὕδωρ εἰσιᾶσι θερμὸν, εἶτ᾽ ἐξελθόντες εἰς ψυχρόν. εἶτ᾽ ἀπομάττονται τὸν ἱδρῶτα. & quæ sequuntur. Paulo post Idem *lib.* XI. ait: ἐκ μὲν δὴ πρώτου μέρους τῶν λουτρῶν μεμνῆσθαι χρὴ, ταῦθ᾽ ὑπάρξοντα ὅταν ἐν καιρῷ λούονται, & quæ sequuntur: intelligit Caldarium. μετίωμεν δήπου πρὸς τὸ δεύτερον αὐτῶν μέρος ὅπερ ἦν αὐτὸ τὸ κυριώτατον προσαγορευόμενον λουτρόν. intelligitur Tepidarium. μετέλθωμεν οὖν αὖθις ἐπὶ τὸ τρίτον ἐν ᾧ ψύχονται μὲν ἀλύπως τὰ τεθερμασμένα. intelligit Frigidarium. πάντα δὲ εἰς τὴν κατὰ φύσιν ἐπανέρχεται συμμετρίαν, ὡς δηλοῖ καὶ τὸ τέταρτον τοῦ λουτροῦ μέρος, ἐφ᾽ ὧν γὰρ ἐπράχθη καλῶς πάντα, καὶ μετὰ τὴν τοῦ ψυχροῦ χρῆσιν ἱδροῦσιν ἔτι. intelligit Sudationem, seu Laconicum, de quo nos in præsentia loquimur. Idem Galen. non multo post inquit: εἰ μὲν οὖν αὐτάρκως εἴη θερμὸς ὁ πρῶτος οἶκος ἐν αὐτῷ γυμνωθεὶς ὁ κάμνων εἰς τὸν δεύτερον εἰσκομιζέσθω. In his verbis Caldarium innuit, & Tepidarium sicut prius, & ordinem ipsum demonstrat; ἔστω δὲ ὁ μέσος οἶκος οὐ μόνον τῇ θέσει, ἀλλὰ καὶ τῇ κράσει τοσούτῳ τοῦ προτέρου θερμότερος ὅσῳ τοῦ τρίτου ψυχρότερος. ἔστω δὲ ἀὴρ τῶν οἴκων ἁπάντων μήτε θερμὸς ἄκρως μήτε ψυχρὸς ἀλλ᾽ εὔκρατος ἱκανῶς καὶ μετρίως ὑγρός. ἔσται δὲ καὶ τοῦτο προεκχυθέντος ὕδατος εὐκράτου δαψιλῶς ἐκ τῆς δεξαμενῆς εἰς διαρρῆναι διὰ πάντων τῶν οἴκων. hæc verba diligenter adnotanda, quia omnia ex iis facile intelligi possunt, quæ ad balnearum antiquitatem spectant. paulo post: ἐκκομισθεὶς δ᾽ ἐντεῦθεν εἰς ὕδωρ ψυχρὸν ἀθρόως βαπτέσθω μηδ᾽ ἐπὶ βραχὺ χρονίζων ἐν αὐτῷ. in prioribus verbis de tepidario, & caldario locutus est; in his postremis de frigidario. Erant igitur (ut redeam ad rem) balnearum simul ædificata domicilia octo, sicuti etiam nunc Pisis ex amplitudine loci, ubi parietinæ sunt, & rudera, cognosci potest. Extat vero hoc tempore ibidem inter parietinas integrum ferme Laconicum, seu Sudatio a Veteribus dicta; de qua præter Vitruv. *lib.* v. meminit etiam Corn. Celsus *lib.* II. *cap.* XVI. his verbis: *Sudor etiam duobus modis elicitur, aut sicco calore, aut balneo. Siccus calor est, & harenæ calidæ, & laconici, & clibani, & quarundam naturalium sudationes, ubi e terra profusus calidus vapor ædificio includitur, sicut super Bajas in myrtetis habemus.* In Laconico hoc Pisano, quoniam ante congesta terra, & ruderibus erat oppletum, præter hemisphærium superius, nulla pars conspiciebatur; nunc vero postquam ædilium opera effodi locus cœpit, omnes ipsius partes visuntur; & pavimentum etiam ipsum; & pilæ, quæ pavimentum sustinent; & testudines, quæ sub pavimento sunt, & alvei quidam, qui inter parietem sunt, & pluteum, & concameratæ quædam structuræ, quorum omnium singillatim explicare rationem conabor, ita ut si cum antiquorum descriptione, ac Vitruvii præsertim, etsi breviter de ea re scripsit, voluerit aliquis conferre, plane videat omnia belle convenire. Ac primum eorum explodenda sententia, qui quod nunc sub pavimento in testudinibus aqua visitur, aquæductum fuisse putant, per quem ex balneis calidis, quæ ad tertium lapidem ab urbe Pisana absunt sub Juliani montis radicibus positæ, aquæ in balneas urbanas influerent; nam satis constat, cum esset sudatio, non opus fuisse aqua; deinde quis credat sub testudines pavimenti aquas defluxisse? cui enim usui fuissent? aut quis veterum de tali ductu, & fluxu aquarum est locutus? Ea igitur, aqua pluvia est, ibi stagnans, quod eminentior propter ruinas erat ille locus factus; sicuti nunc satis patet intuentibus pavimentum. Verum de hac re satis; nunc reliqua persequor. Laconici usus hic erat, ut homines in loco eo vaporibus flammæ a testudinibus concameratis per alveolos egredientibus excalfacto desudarent; & mox aut in tepidario, aut in frigidario, aut in caldario lavarentur. Ejus vero ædificandi ratio hæc fuit; ut rotundum esset, seu potius octogonum: id vero necesse erat, cum hemisphærium esset su-

perstruendum; altitudo tanta parietum usque ad hemisphærii inclinationem, quanta latitudo erat in inferioribus pavimenti partibus; id quod aperte visitur in hoc Pisano Laconico. Hemisphærium in medio lumen ad circinum factum habebat, ad quod vapores, qui ascenderant per alveolos, communi concursu ferrentur, & exirent. Obstruebatur vero lumen illud in hemisphærio magno quodam æreo instrumento, quod clypeum vocabant: erat enim clypei militaris instar, rotundum; nam ejusmodi fuisse clypeum satis declarat Polybius in lib. *de castrametatione Romanorum*. etsi Lascares parum apte vertit, neque quale esset scutum, qualis clypeus apud Romanos scisse videtur; Clypeum igitur cathena ferrea, aut reducebant, aut demittebant, ut pro hominum arbitrio, qui lavabantur caloris temperatura fieret. Verba Vitruvii hæc sunt: *Mediumque lumen in hemisphærio relinquatur, ex eoque clypeum æneum cathenis pendeat, per cujus reductiones, & demissiones perficietur sudationis temperatura*. Visuntur vero Pisis in Laconico etiam minora quædam, & crebra lumina circa hemisphærii lumen medium rotundum; de quibus etsi Vitruvius nullam facit mentionem, facile tamen credi potest, ea facta, ut facilius exirent vapores e Sudatione; atque sane id postulabat magnitudo caloris, cum præsertim hemisphærium clypeo erat obstructum; ea vero lumina crebra, cum sesquipedalia fere sint, contecta crediderim operculo æreo, ita tamen, ut ab una parte, quæ ad hemisphærii summitatem vergit, exitus pateret vaporibus. Hemisphærii curvatura ima innititur firmo parieti, ubi altitudo Sudationis tanta est, quanta latitudo; Concamerationem solum sesquipedalibus sternebant tegulis, quæ in Pisana hac Sudatione non obscure cernuntur. Erant super eo solo extructæ pilæ laterculis bessalibus, aut aliquanto etiam minoribus; dispositæ æqualibus inter se intervallis, adeo latis, ut supra binas pilas collocarentur singulæ tegulæ bipedales. Pilas vero vocamus fulcra quædam, seu columnas parvas, quæ eo, quo diximus, modo collocatæ, & extructæ pavimentum sustinebant; altitudo earum pilarum erat duorum pedum, nam testudinum concamerationem ampliorem esse non oportebat; ut facilius excalfieri posset Sudatio: de his pilis intellexit Statius, cum ait:

Quid nunc strata solo referam tabulata crepantes
Auditura pilas; ubi languidus ignis inerrat
Ædibus, & tenue volvunt Hypocausta vaporem.

Dicant alii quicquid velint; nam etiam Rhodiginus *lib.* XVI. *c.* XLVII. locum hunc aliter interpretatur; meam vero sententiam verissimam esse demonstrabunt multo magis ea, quæ postea a me dicentur. Pavimentum supra testudinem superstruebatur innixum pilis, & tegulis bipedalibus. Atque ejus conficiendi ratio hæc erat: Trullissabatur testa-calci mista; sicuti & hac nostra ætate fit in ædium pavimentis; eam vero compactam esse oportebat ita, ut in tantam crassitiem excresceret pavimentum, quanta esset opus; tectorio, seu albario opere, ex marmore ita exciso, ut ejus altitudo tenuis esset unius ferme digiti; quales laminæ plumbeæ, aut ferreæ visuntur; si enim major tectorii illius operis altitudo fuisset, pervadere ad summum vis caloris non potuisset; jam vero, cum tanta esset pavimenti altitudo, & tectorii operis, mira quadam proportione tantus conficiebat calor, ut superstantium pedes oblectaret, & cum esset, marmore ad unguem exciso politum, facile stratos etiam, ac jacentes homines recipiebat. Hæc omnia apertissime visuntur; & conveniunt cum antiquorum descriptionibus. Pavimentum inclinatum esse oportet ad hypocausin mediam; sicuti etiam in Sudatione Pisana nunc licet videre; hypocausin voco locum, ubi subter testudines pavimenti ignis subjiciebatur, a quo digrediens flamma sese per totam suspensionem sursus elevati pavimenti diffundebat, & evagabatur, donec ad alveolos pervenisset. Alveoli inter parietem Sudationis & pluteum collocabantur ex testa facti; Pluteum voco alterum veluti quendam parietem e regione alterius ædificatum, non admodum latum, sed simplici tantum transversarum tegularum positione extructum; crebri autem erant alveoli, ut a multis partibus vapor se posset tollere; longitudo Alveolorum adæquabat altitudinem pavimenti; neque enim pertingebat solum testudinis, nam recipere non potuissent vapores. Alveolos hos, tubulos vocat Proculus Titulo *de Servit. Urb. præd.* ubi ait: *Quidam Iberius nomine, qui habebat post horrea mea Insulam, balneariam fecit secundum parietem communem; non licet autem tubulos habere admotos ad parietem communem, sicuti neque parietem quoque suum super parietem communem: de tubulis eo amplius hoc juris est, quia per eos flamma torretur paries*. Hujus loci me monuit Joannes Ronchegallus Jurisc. clarissimus, dixitque, cum ante difficilis haberetur, mire illustrari posse inspectione eorum alveolorum, qui in Laconico Pisano sunt; atque ideo inserendum putavi. Unum me angit, quod video scriptum apud Vitruvium inter parietem, & pluteum esse latitudinem sex pedum, cum exigua latitudo cernatur, ne unius quidem pedis: crediderim igitur, aut Vitruvium respexisse ad multo majores sudationes, quales Romæ erant propter hominum frequentiam; aut dictionem eo in loco esse corruptam; diligentius igitur res tota consideranda. Super Alveolorum situ paries sudationis cavatus, concameratusque fiebat, eo ferme modo, quo solet fieri, cum simulacrum aliquod marmoreum, aut ligneum alicubi statuendum est; suprema autem superficies ejus concamerationis sursum versus vergebat ad hemisphærium; atque id sane optima ratione videtur factum; nam vapor sese attollens in eam cameratam superficiem illidebatur, & repercussus ab ea ad medium hemisphærii provolvebatur; patet inspectantibus res tota, nam adhuc fumosa fuligine cameræ illæ nigræ visuntur; præfurnii cujusdam os satis amplum cernitur in Sudatione hac Pisana, quod omnino sub pavimento erat; atque per illud a balneatoribus (opinor) ignis subjiciebatur; cumque caldarium, aut tepidarium esset conjunctum sudationi, ab altera quoque parte usum caldario, aut tepidario præbebat; de quibus, quoniam nullum ipsorum exstat vestigium, non ausim quippiam pro certo affirmare. Hæc ego diligenter in Sudatione Pisana intuitus sum, quamvis a Vitruvio omnia non exprimantur; Vir enim ille, quod suæ ætatis hominibus nota esse putabat, multa prætermisit, neque posteritatem respexit, dum ea scriberet, argutius enim & subtilius fuissent singula describenda. Te autem oratum velim, mi LOTINE, ut pro tua authoritate, qua maxima es ob incredibilem virtutem tuam, & sapientiam apud Illust. Floren. Ducem, ei suadeas, ut ædilibus Pisanæ urbis mandet, curent loca omnia quamprimum effodienda, & expurganda. Sic enim, si ad pavimentum (quod erit facile factu) deventum fuerit, omnia fortasse perspici poterunt, & cum antiquorum descriptione conferri. Non contemnenda hæc est antiquitas monimenti hujus in hac præsertim vetustissima, & nobiliss. urbe, in qua Optimus Dux omnium liberalium artium studia, pro sua singulari clementia, & liberalitate constituit, sedemque esse voluit Musarum, hoc est, ut ego interpretor, omnium earum disciplinarum, quæ literis continentur. Spectabunt studiosi antiquitatis, qui plurimi sunt, Sudationem hanc, seu Laconicum Pisanum, magna cum animi voluptate, & miris modis ad totum hoc studiorum genus excitabuntur. Effice igitur, ut Optimus Dux velit, jubeatque, Laconicum hoc, uti integrum nunc est, diligenter asservari, & occludi, ne in illud passim ab omnibus eatur, rursusque superstrui tectorium, quod nuper inde ablatum fuit, & si libuerit etiam, clypeum ad medium lumen apponi, & omnia, quæ videbuntur diruta, resarciri. Hoc si ab Opt. Duce (uti plane confido) impetraris, non solum me, sed etiam omnes antiquitatis studiosos in perpetuum beneficio tuo tibi devinxeris. Confido autem, quoniam jamdiu perspexi, nihil majore studio illum curare, quam eorum commoda, & voluptatem, qui sese literis totos dediderunt. Vale. In Pisana Academia, Idibus Januarii, MDXLVIII.

F I N I S.

FRANC. MARIÆ TURRIGII,

ROMANI, CANON. S. NICOLAI IN CARCERE DE URBE,

NOTÆ

AD VETUSTISSIMAM

URSI TOGATI

LUDI PILÆ VITREÆ

INVENTORIS

INSCRIPTIONEM.

EMINENTISS. AC REVERENDISS. D.

FRANCISCO CARD. BARBERINO,

URBANI VIII. PONT. MAX.

N E P O T I,

FRANCISCUS MARIA TURRIGIUS,

F E L I C I T A T E M.



Ulcherrimam ac vetuſtiſſimam Urſi Togati luſus Pilæ vitreæ repertoris Inſcriptionem, cum quibuſdam Notis a me pro mei ingenii imbecillitate confectis, Tibi (Card. Eminentiſſ.) utpote qui ſumma rerum antiquarum voluptate afficeris, offero. Et quidem quid ſuavius floribus, florum varietatem diligenti? quid jucundius avibus aucupium ſectanti? quid amabilius canibus venationem exercenti? quid optabilius equo equitationem peramanti? quid denique gratius re vetuſta antiquitatem amplectenti? Quod cum ita ſit, non dubito, quin læta fronte ſis elegantiſſimum, atque antiquiſſimum Romani elogii monumentum accepturus. Dum igitur alia id genus nonnulla paro, ne quæſo, pro tua qua es humanitate, hæc legere graveris. Vale. Romæ Sex. Id. Septem. MDCXXX.

A D L E C T O R E M.

URſi Togati ſequens Inſcriptio ſatis elegans, ſatis & vetuſta, reperta fuit Romæ anno 1591. *menſe Januario ſub Innocentio Papa* IX. *Cernitur nunc in Archivo Baſ. Vatic. parieti affixa ibi anno* 1600. *Canonicorum cura, alta palm.* 10. *lata quinque, quæ ab Antiquitatum amantibus, mira voluptate aſpicitur, mira attentione obſervatur, miro ſtudio, ac diligentia legitur. Obſervandum eſt in Grutero tria eſſe menda. Unum anni* 1529. *Alterum, ut ita dicam, inaurationis. Tertium in ipſa Inſcriptione, ubi legendum eſt,* ſenſu, *non* ſenſi. *Non enim eo anno, cum nondum inauraretur pavimentum, effoſſa fuit. At plerumque exteris venia danda eſt.*

VRSVS TOGATVS VITREA QVI PRIMVS PILA
LVSI DECENTER CVM MEIS LVSORIBVS
LAVDANTE POPVLO MAXIMIS CLAMORIBVS
THERMIS TRAIIANI THERMIS AGRIPPAE ET TITI
MVLTVM ET NERONIS SI TAMEN MIHI CREDITIS
EGO SVM OVANTES CONVENITE PILICREPI
STATVAMQVE AMICI FLORIBVS VIOLIS ROSIS
FOLIO QVE MVLTO ADQVE VNGVENTO MARCIDO
ONERATE AMANTES ET MERVM PROFVNDITE
NIGRVM FALERNVM AVT SETINVM AVT CAECVBVM
VIVO AC VOLENTI DE APOTHECA DOMINICA
VRSVMQVE CANITE VOCE CONCORDI SENEM
HILAREM IOCOSVM PIIICREPVM SCHOLASTICVM
QVI VICIT OMNES ANTECESSORES SVOS
SENSV DECORE ADQVE ARTE SVPTILISSIMA
NVNC VERA VERSV VERBA DICAMVS SENES
SVM VICTVS IPSE FATEOR A TER CONSVLE
VERO PATRONO NEC SEMEL SED SAEPIVS
CVIVS LIBENTER DICOR EXODIARIVS.

FRANC. MARIÆ TURRIGII
NOTÆ
AD INSCRIPTIONEM
URSI TOGATI.

1. RSUS) nomen viri, non (ut aliquis insulse dixit) feræ, cu us nominis fuit etiam collega Polemii Consulis anno CCCXXXVIII. & multi viri sanctitate præstantes eodem sunt nomine insigniti, ut videre est in *Martyrologio*. Quod quidem nomen deductum fuit ab aliquo Ursi, feræ, eventu Sic Valerius dictus fuit *Corvus*, seu *Corvinus* : quia (testib. Livio, & Varrone) ei cum Gallo quodam pugnanti Corvus omen victoriæ fuit. Sic Cornelius Scipio *Asina*: quia cum Sponsores ab eo poscerentur, Asinam produxit in forum cum pecuniæ onere, quasi pro sponsoribus præsens pignus, id quod Macrobius refert. Sic Fabius *Buteo*: quia, (ut scribit Plin. lib. X. cap. VIII.) insidens in navi Buteo avis bono auspicio Duci ei fuit. Hæc avis vulgo dicitur *Porana*. Sic *Taurus* fuit quidam Philosophus Platonicus, qui de differentia sectarum Platonis, & Aristotelis scripsit, floruitque sub Antonino. Sic *Leo*, qui fuit Platonis Auditor; *Gallus* qui Consul extitit cum Flacco, anno ab Urbe condita DCCCCXXVI. *Draco* legislator Atheniensium : denique *Gryllus* Xenophontis filius, de quo Aristoteles meminit. Quod autem, non casu, sed data opera nomina imponerentur, testatur S. Cyprianus in Præf ad Cornel. Papam *de Cardinalib. operib.* dicens: *Solent Matres infantulis nuper editis, in ipso vitæ introitu aptare vocabula, & ex aliquibus præcedentibus, vel circumstantibus caussis, vel ex genere, vel ex eventibus imponere nomina*, &c.

2. TOGATUS) dictus fuit eodem modo, quo Q. Trabeas Poeta valde a Tullio laudatus, quique post Terentium, & Turpilium, &c obtinuit inter Comicos octavum locum : quare, sicut a trabea *Trabeas*; sic a Toga Ursus dictus fuit *Togatus*, cui viventi, (ut patet inferius) statua erecta fuit. Sic etiam a penula dicitur *Penulatus*. Cic. *pro Mil. Cum uxore veheretur in rheda penulatus*. A pileo *pileatus*, Liv. IV. Bell. Pun. *Pileati, & lana alba velatis capitibus, volones exulati sunt*. Hic Ursus fuit Latinus, seu Romanus : nam Togati erant Latini, sive Romani: palliati vero Græci. Hinc comœdiæ, & fabulæ Togatæ, hoc est, Latinæ. Juvenal. *Sat.* I.

Impune ego mihi recitaverit ille Togatas.

de quibus etiam Seneca Epist. LXXXIX. Togatus Vulturius dicitur apud Apulejum is, qui in agendis caussis nimia, & importuna verbositate utitur: Senatores Togati incedebant, Virg. *Æn.* I.

Romanos rerum dominos gentemque Togatam.

Tabernariæ Togatæ erant Comœdiæ, in quibus inducebantur non nobiles, sed personæ viles. Varia erant Togarum genera. Toga candida, qua induebantur petitores Magistratuum. De qua Plin. lib. VII. cap. XVII. *In Toga candida bis repulsa notatus a Populo*. Toga pura, quæ & virilis, quam tyrunculi assumebant, de qua Lucan. lib. VII.

—— *Pura venerabilis æque,*
Quam currus ornante Toga:

ita dicta, quia nullo purpuræ, vel auri prætextu in ora ornata erat, ut inquit Budæus. Toga prætexta sic vocata, quia, ut inquit Petrus Mossellanus *in cap.* XXIII. *Aul. Gellii*, auro & gemmis erat intexta, vel quia purpura erat insignita. Toga palmata sic nuncupata : quia palmis in signum Victoriæ erat elaborata, qua Triumphantes induti vehebantur. Mart. lib. VII. epigr. I.

I comes, & magnos illæsa merere triumphos,
Palmatæque ducem, sed cito, redde togæ.

Toga pinguis (de qua Tranquil. in *Augusto*) erat crassa, & adversus frigoris injuriam apta. Toga picta a picturis sic nuncupata. Capitol. in *Gord. Togam pictam primus Romanorum privatus suam, & propriam habuit*: & Lamprid. in *Alex. Togam pictam nunquam nisi Consul accepit*. Toga feriata erat, quæ in ocio & feriis gestabatur, de qua Plin. lib. VII. Epistola III. *ad Præsentem*. Toga puerilis, cujus meminit Gel. l. XVIII. cap. IV. *Cum jam adolescentuli Romæ prætextam, & puerilem Togam mutassemus*. Toga Pulla erat nigri coloris, qua in funeribus Veteres utebantur. Toga rasa, de qua Plin. lib. VIII. cap XLVIII. Toga rara, quæ raro gestabatur. Martial. lib. X. epigr. XLVII.

Lis nunquam, Toga rara, mens quieta.

Hinc (ut Pierius Valer lib. XL. *Toga sumitur pro homine Civilia negotia agente*. Toga rustica, id est, Domus vel tectum rusticum. Hinc Titinnius Gemina, *Si nos scorto constituit, claves illico abstrudi jubeo rusticæ ne sit Togæ copia, id est, tecti*. Formam Togæ describit Quintil. lib. XI. cap. III. dicens, *Ipsam Togam rotundam esse, & apte cæsam. Pars ejus prior mediis cruribus optime terminatur : posterior eadem portione altius, quam cinctura*, &c. Non omittendum, quod Romæ erant duo loca dicta ad Ursum Pileatum, vel quia ibi erat Statua Ursi habentis in capite pileum, ut scribit Andreas Fulvius lib. II. *Antiq. Rom.* quod multi alii affirmarunt : vel quia ibi erat Imago, aut Statua alicujus servi in libertatem asserti, Ursi nomine, gestantis pileum in signum libertatis; quare Macrob. lib. I. *Saturnal.* cap. XI. Servos *ad Pileum* vocare dixit, id est, ad libertatem, & Tranquil. in *Tib.* Servis frustra *ad Pileum* vocatis. Persius Sat. V.

Hæc mera libertas, hanc nobis Pilea donant.

Tranquil. in *Nerone* cap. ultimo: *Ut plebs pileata tota Urbe discurrerit*. & Plautus *Amphit.*

Ego hodie hic raso capite calvos (id est, *calvus*)
capiam pileum.

At Servi jure belli capti non pileati, sed coronati vendebantur. Hinc fluxit illud dicendi genus, *Sub corona vendere*; ideo erant melioris conditionis quam Pileati, qui dicebantur etiam apud Quintil. Servi ultimæ conditionis, & de his intelligit Columella (ut Rhodiginus putat l. XXV cap. XXXII) mentionem faciens de servo de lapide empto, id est, de scelesto, ac digno, qui de lapide, seu de saxo, & rupe Tarpeia præcipitaretur : Sic Cicero dixit: *Tribunos de lapide emptos*. In *Actis SS. Martyrum* fit interdum mentio de Urso Pileato. Prior locus sic dictus erat, ubi nunc est Ecclesia vetustissima S. Bibianæ ab Urbano VIII. nuper magnifice, ac splendide instaurata. De hoc loco legitur in *Actis S. Bibianæ*, & apud Biblioth. qui ait, *Anastasius Papa sepultus est in Cœmeterio suo ad Ursum Pileatum*, & in atiqua Inscriptione posita in Ecclesia quadam juxta S. Bibianam dejecta legebatur : *Anno Domini . . . mense Octobris . . . De-*

dicationem hujus Ecclesiæ SS. Simplicii, Faustini, A *& Beatricis ad Cœmeterium Ursi Pileati*: & in lapide marmoreo affixo ad parietem Ecclesiæ S. Bibianæ legebatur: *Hæc est via, qua itur ad locum, quod vocabatur antiquo tempore Ursi Pileati, & moderno tempore Monasterium S. Bibianæ*, &c. Alter locus ad Ursum Pileatum, erat extra Portam Portuensem, de quo in *Martyrolog. Rom.* sub die III. Octobr. legitur: *Roma ad Ursum Pileatum S. Candidi Martyris*. Nec silendum quod *pilare* non est (ut nescio quis dixit) pila ludere, sed pilis vestire: sic Affranius in *Compit.* scripsit, *Corpus meum nunc pilare primum cœpit*, id est, pilos emittere. Nonnius, *Pati dum potuerunt, antequam pugæ* (non *pugnæ*) *pilant*. B Interdum significat pilis nudare, ideo Mart. lib. VI. epigr. LVI.

Extirpa, mihi crede, pilos de corpore toto,
Teque pilare tuas testificare nates.

Nonnunquam Premere, sic Hostius Poeta vetustus,

Percutit, atque hastam pilans præ pondere frangit.

Ennius,

Inde loci trepidas, pilatasque ætheris oras.

Hinc pilatim adverbium, id est, strictim, vel presse: Scaurus, *Pilatim exercitum duxi*. Asel. Semp. C *Sive pilatim, sive passim iter facere nolebant.*

3. VITREA) Ex vitro: non (ut aliquis existimavit) ideo dici vitream, quia tenuis, & perlucida esset eo modo, quo dixit Varro, *Media vitrea æstate, & vitrea toga*. Veteres non solum Vitrea Pila, sed etiam latrunculis vitreis ludere consuevere. Hinc *latro Vitreus* apud Mart. lib. VII. epigram. LXXI. *ad Paulum*:

—— *Et Vitreo latrone clusos.*

Et apud Ovid. *Hostis Vitreus* legitur:

Fac pereat Vitreo miles ab Hoste tuus.

Qui quidem ludus appellatur laterculorum, vel calculorum, quia laterculis, seu calculis, colluditur; D qui aliquando fiebant ex gemmis, ideo cecinit Mart. lib. XIV. epigr. XX.

Insidiosorum si ludis bella latronum,
Gemmeus iste tibi miles, & hostis erit.

Quoniam igitur veluti latrones ii calculi alios adoriuntur: hinc factum est, ut nomen latrunculorum, seu latronum, sibi vendicaverit hujusmodi ludi genus. Aur. Prudent. in *Enchir. vitreum rorem* dixit, id est, lucidum, & clarum, cum cecinit.

Et sex forte alii vitreo de rore rigabant.

Auson. dixit *Nimbum vitreum*, seu vas ex vitro.

4. QUI PRIMUS PILA LUSI) Primus nuncupatur, E vel quia Ursus fuit præcipuus inter collusores, vel quia (quod magis credibile est) inventor fuit pilæ vitreæ. Sic Auson. *ad Paulin.* Ep. XXI. *Tu fonte in ipso procreatus Pegasi primus novorum metra junxisti pedum*. Hunc quidem ludum arbitrantur doctiores fuisse hujusmodi, ut adeo diligenter, tantaque dexteritate pila vitrea luderetur, ut nullo pacto huc illuc agitando frangenda esset. Nec sane memini alicubi fieri mentionem apud Veteres, & Recentiores de vitrea pila, nisi hoc loco. Varia pilarum genera recenset Mercurial. lib. II. lib. V. cap. IV. Pila lusoria apud Plin. quæ dicitur etiam Manuaria, & recussabilis a repercutiendo F dicta, & Italica apud Læl. Aurel. vulgo *Palla da mano*. Pila clavaria sic dicta a clava, Italice *Pilotta*, & olim percutiebatur clava plumbata, ut Junius asserit, qui autumat eandem fuisse cum pila trigonali, cujus formam ait Mercurial. lib. XXIX. cap. V. extare in nummis Aurelii Antonini, censetque lib. V. cap. IV. & lib. II. cap. V. non diversam fuisse a pila parva, quæ & manuaria. Pila paganica, lana seu pluma, vel pilo inferta, sic dicta fuit, quia (ut Junius scribit) ea utebantur Pagani, id est, pagorum incolæ. Hanc Felicius in *Onomastico* nominat *Palla di camoscio*, de qua Mart. lib. XIV. ep. XLV.

Hæc quæ difficilis turget paganica pluma,
Folle minus laxa est, & minus arcta pila.

Pila cælestis dicebatur cum in cælum excepta manu verberabatur, de qua Pollux. Pila refracta cum solo allisa identidem resultat, cujus meminit Eustathius. Pila communis cum partes hinc inde expulsam scite excipiunt, & expedite ultra metam remittitur, de qua Pollux in *Onomast.* Pila impostoria dicitur, cum uni ostensa, alteri mittitur, ut Eust. placet. Cum pila percutitur, missa a datore dicitur, *ludere datatim*: cum vero de tecto excipitur, & expellitur, *ludere expulsum*: cum denique ultro, citroque repercutitur, *raptim ludere*: De pila lignea meminit Avicenna, de qua Mercurial. l. II. cap. V. & alibi. De ludo pilæ scripsit Timocrates Laconicus, ut ait Athen. lib. I. cap VIII. & Galenus. Quod pilæ fierent ex vitro, testatur Plin. l. XXXVI. c. XXVI. dicens, *Addita aqua vitreæ pilæ sole adverso*. Hæc cum alias non esset lusoria, Ursus fuit auctor, ut ea luderetur. Quod in thermis hic ludus fieret, testis est Mart. lib. VII. epigr. XXXI.

Non pila, non follis, non te paganica thermis
Præparat, aut nudi stipitis ictus hebes.

Idem lib. XII. epigr. LXXXIV.

Effugere e thermis, & circa balnea non est.
Imputet exceptas ut tibi sæpe pilas.

Non solum viri, sed etiam mulieres pila ludere consoeverunt, ut in Homero legere est. Inventio pilæ tribuitur Nausicæ, ut legitur in Athenæo l. I. cap. VIII. Pila velox apud Horat. lib II. Sat. II.

5. DECENTER) Id est, venuste, gratiose, non insuaviter, ut dixit Athenæus de Telibio Chalcidense Philosopho, dicens, *ludebat pila non insuaviter, & Tesibius*, &c. Sic ludebat quidam adolescens annorum fere XVII. de quo Demoxenus hæc carmina cecinit:

Quidam Juvenis lusit pila vix editus
Annis decem, septemque, Cous patria,
Deum videtur ferre certe hæc insula,
Qui desides mox respiceret hic incolas:
Nam seu Pilam caperet, daretve, hinc omnium
Surgebat ingens clamor: Hic concinnitas,
Mos, ordo, quantus expl'cari nec potest,
Nec esse dictis, aut solet factis virum:
N c quis putare esse: pulchritudinis
Tantum nec audivi viri, nec gratiæ
Vidi: fui capturus hinc ingens malum
Diu moratus: nunc videor sanus mihi
Nec esse denique, &c.

6. LAUDANTE POPULO MAXIMIS CLAMORIBUS) Dum in ludo quis bene luderet, faustis acclamationibus afficiebatur: ideo Tranquil. in *Tito* scribit. *Sæpe cum populo, & voce, & gestu, ut fautor*, &c. Athen. lib. I. ait, *Qui cum in sedentes intueretur, vel pilam capiens, vel tradens, omnes simul clamabamus*. Cic. *pro Sex. Magnus ex omnibus spectaculis plausus excitatus*: & Demoxenus,

Nam seu pilam caperet, daretve, hinc omnium
Surgebat ingens clamor.

Hanc ob rem ludentes pro viribus dabant operam, ut concinnitas quædam servaretur, dum pilam caperent, aut darent, ut scripsit Athen. lib. I. cap. VIII.

7. THERMIS TRAIJANI) In Thermis scholam, (id est, exercitationem,) fuisse diversorum ludorum, & præsertim pilæ, satis constat apud Veteres, de quo legendus Mercurialis in *Gymnastica*. Erant istæ thermæ (dictæ etiam Domitianæ) juxta Ecclesiam S. Martini in Montibus extructæ (ut ait Eusebius) anno Domini XCIII. Vetuit Trajanus,

ne quis in iis lavaretur, nisi certis quibusdam diebus, ut Lamprid. testatur. Ad has Thermas Templum fuit erectum Æsculapio, seu Asclepio, ubi plumbatis cæsi fuerunt sub Diocletiano SS. Quatuor Coronati, Severus, Severianus, Carpophorus, & Victorinus. Nuncupatæ quoque fuerunt, ut dixi, Domitianæ, de quibus in libro Pontificum, qui S. Damaso tribuitur, ubi sic legitur; *Fecit Silvester in urbe Roma juxta thermas Domitianas, qui usque in hodiernum diem appellatur Titulus Equitii*, &c. Ibi repertæ duæ Statuæ Antinoi, quas Leo X. posuit in Viridario Vaticano, quæ adhuc ibi visuntur. Observandus hic modus scribendi vetustus, in voce (Traijani) pro Trajani: nam solebant Veteres interdum duplici I. uti inter duas vocales: ideo scribebant, Aijacem, Maijam, Troijam, &c. Id, quod notavit Velius Longus *de Ortograph.* dicens, id observari, quoties I. est inter duas vocales: immo addit aliquando I. triplicari, ut Coniijcio, Adiijcio, &c. Sic inquiens, *Crescit ista geminatio, & incipit per tria I. scribi Coniijcit, ut prima syllaba sit communis, sequentes duo, ijcit*, &c.

8. THERMIS AGRIPPÆ) Erant juxta Pantheon, & adhuc extant vestigia retro dictum locum. Has fecit M. Vipsanius Agrippa anno ab U. C DCCXXVII. id est, annis XXVI. ante Christi Nativitatem. De his Plin. sic scribit: *M. Agrippa thermas de suo nomine excitavit. Has Lithostroto, & Encausto pinxit: Arcus, & pavimenta ex vitro posuit*: & alibi sic: *Inventum ab Agrippa in thermis, quas Romæ fecit*. A Dione l. LIII. vocantur Vaporarium, seu Sudatorium Laconicum sive Lacedæmoniacum: quia Lacedæmonii hoc tempore nudari corpora, & inungi oleo præcipue videbantur. Appellantur etiam Gymnasium, sive Palæstra, ponendo partem pro toto. Eas fuisse antiquissimas colligitur ex Dione lib. LV. qui ait: *Mæcenas primus Romæ Natatorium aquis calidis refertum instituit*.

9. TITI) Extabant, ubi nunc est Ecclesia S. Petri ad Vincula, ædificatæ anno Domini XCIII. ut Eusebius litteris consignavit. De his Martialis *de Spectac.* epigr. II.

Hic ubi miramur velocia munera thermas,
Abstulerat miseris tecta superbus ager.

Et Tranquil. in *Tito: Amphitheatro dedicato, thermisque juxta celeriter extruens*. Hic inventa fuerunt duo fragmenta marmorea, in quorum altero erat flamma sculpta cum hoc titulo, *IOVI*. In altero: *VESPASIANVS AVG. PER COLLEGIVM PONTIFICVM FECIT*. Hinc non longe anno MDVI. Felix civis Romanus in vinea sua invenit statuam Laocoontis, quæ hodie est in Viridario Vaticano, de qua sic Plin. *Laocoon in Titi Imperatoris domo, (opus omnibus, & picturæ, & Statuariæ artis præponendum;) ex uno lapide eum, & liberos, draconumque mirabiles nexus de consilii sententia fecere summi artifices Agesander, & Polydorus, & Anthenodorus Rhodii*, &c. Erant illi, qui scribunt hanc statuam repertam fuisse sub Paulo III. in thermis Antonianis. Hæ fuerunt Titianæ thermæ. Sciendum quod singulis Thermis Genius assignabatur: ideo Prudent. lib. II. *Cum portis, domibus, Thermis, stabulis soleatis assignari suos Genios*.

10. NERONIS) Prope Ecclesiam S. Eustachii ejus vestigia etiam nunc visuntur, & constructæ fuerunt (ut scribit Cassiodorus) anno LXVI. de quibus Martial lib. VII. epigr. XXXIII.

Quid Nerone pejus? quid thermis melius Neronianis?

Et lib. III. epigr. XXV.

Neronianas hic refrigeret thermas.

Juxta erant thermæ ab Alexandro Severo ædificatæ, de quibus Capitolinus: *Thermas nominis sui juxta eas, quæ Neronianæ fuerunt aqua inducta, quæ Alexandrina nunc dicitur*.

11. OVANTES) Quinam dicerentur Ovantes, scribit Sex. Pompejus Festus hoc modo: *Ovantes (id est, lætantes) dicti ab eo clamore, quem faciunt redeuntes ex pugna milites Victores geminata, O, littera. De loco, applaudentes dicere possumus*. Ovare igitur significat lætari, gaudiumque ostendere externis signis, de quo Prudent. in festo SS. Petri, & Pauli,

Romam per omnem cursitant
Ovantque. ——

Calphur. qui floruit sub. Diocletiano, *Buccol.* I.

Altera regna Numæ, qui primus Ovantia cæde
Agmina Romuleis, &c.

Et Corippus, qui floruit sub Justino lib. IV. de illius laudibus sic cecinit:

Sol radians, & Consul Ovans nova Roma nitebat.

12. PILICREPI) Id est, ludentes, qui faciunt, ut inter ludendum Pila concrepet, sonitumque reddat: quamquam aliter (sed non ad propositum) scribunt Rhodiginus, Mercurialis, & Junius Medicus, qui quidem si legisset hanc inscriptionem, non dixisset se non assentire posse viro doctissimo, qui hac voce significari putat eum, qui pila lusitat; sed ait significari balnearium ministrum, qui pilos cum forficularum crepitu truncat. Quod quidem non nego; sed hoc loco Pila ludentem significat.

13. STATUAMQUE AMICI FLORIBUS) Imagines Imperatorum coronis ex lauro ornari solitas ex Herodiano constat. Imaginem Octaviæ floribus aliqui decorabant, ex Tacito lib. XIV. Aliorum Statuæ floribus ornabantur, ex Livio l. XXXIII. Vino, & thure honorabantur, ex Plin. lib. X. *Epistol.* Violæ cum Rosis, aliisque foliis sæpe conjungebantur. Prudent. in *Cathem.*

Illic purpurea tecta rosariis
Omnis fragat humus, calthaque pinguia,
Et molles violas.

De rosa extat pulcrum carmen Ausonii incipiens:

Ver erat, & blando, &c.

14. UNGUENTO MARCIDO) Unguentum, quo utebantur Veteres ad hanc rem, erat oleum aromatibus conditum odoris gratia confectum, quo corpora perfundebantur, vel ad vires reficiendas, vel ad animi voluptatem, ex Galeno, Dioscoride, & Mathiolo, de quo Juvenal. lib. III. Sat. IX.

Dum bibimus, dum serta, unguenta, puellas.
Poscimus.

Plutar. in *Othon.* recenset dispośuisse eum in Triclinio variis locis argenteos atque aureos canales instar aquæ, unguenta odorata fundentes. Hæc Seneca vocat *Aspersiones odorarias*, quibus interdum vestes, Statuæ, loca aspergebantur tanquam aqua rosacea. Vocabantur aliquando Rosaria, vel quia præcipue ex rosis fiebant, vel quia odoratissima erant. Hinc dilucidatur locus Tranquil. in *Neron.* c. XXVII. *Indicebat & familiaribus cænas, quorum alteri pluris aliquanto ab Syrtio Rosaria*, id est, unguenta, & alia ex rosis parata advecta ex Syria Romam: quæ vocantur a Plauto in *Mostel. unguenta exotica*, hoc est, ex longinquis deportata regionibus, qualia sunt ea, de quibus Spartian. in *Ælio Vero, Unctus odoribus Persicis*. Videndus Plin. lib. XIII. Marcidum vocatur, non putre, & male olens; sed vetus, & pretiosum. Sunt enim nonnulla olea, quæ quo vetustiora, eo pretiosiora ut oleum 100. ann. & alia, quæ vetustissima sunt fragantissima.

15. FALERNUM) Optimum vini genus, vulgo *Moscatello*, ut Junius ait, quod Appium seu Appianum etiam vocat; & ab aliis Amineum dictum fuit, ut Sipontinus scribit. Deo eo Hor. lib. II. Sat. VIII.

Hic

Hic herus Albanum Mecænas, sive Falernum
Te magis appositis delectat.

Et lib. II. Ode XI.

Restinguat ardentis Falerni
Pocula, prætereunte limpha.

Martial. lib. XIII. ep. CVIII.

Attica nectareum turbatis mella Falernum.

Tibullus.

Nunc mihi fumosos veteris proferre Falernos.

Silius lib. VII.

Nulli dant prælis nomen præferre Falernis.

Ager Falernus est in Campania felice, de quo Leander Albert. in *Descript. Ital.* Scribit Sipont. vinum Gauranum summis collibus nasci, mediis Faustianum, imis Falernum, esseq; inter generosa vina, quæ in Italia habent secundam nobilitatem; additq; corpori fuisse saluberrimum, utile tussi, sistere alvum, corpus alere. Consueviste Veteres cum vino conjungere unguenta patet ex l. *Sapient.* II. *Vino pretioso, & unguentis nos impleamus.* Horat. l. II. Od. III.

Huc vina, & unguenta.

Dioscorid. recenset in balneis, & conviviis oleum Jasminum. Val. Max. lib. II. ponit inter Xenia in secundis mensis unguenta odorata, & coronas.

16. NIGRUM) Id est, rubrum quidem, ut tamen ad nigredinem tenderet, & fere fuscum esset. Sic apud Virg. *Eclog.* II.

Quamvis ille niger (id est, fuscus) *quamvis tu candidus esses.*

Sic nigræ violæ dicuntur, hoc est, fusæ.

17. SETINUM) Vinum ex Setia (vulgo *Sezza*) oppido Campaniæ noto, de quo Martial. l. XIII. ep. CXII.

Pendula Pontinos quæ spectat Setia campos,
Exigua vetulos misit ab urbe cados.

Vinum Cæcubum, & Setinum concoctioni ciborum conferre scribit Sipontinus in epig. XIX. l. I. Mart. *ad Tuccam.* Plin. *Setia optimi vini ferax.*

18. CÆCUBUM) Vinum optimum fuit, de quo Horat. lib. I. Ode XX.

Cæcubum e prælo domitam Caleno
Tu bibes uvam.

Et lib. III. Ode XXVIII.

Prome reconditum
Lyde strenua Cæcubum.

Et lib. II. Sat. VIII.

Cæcuba vina ferens.

Strabo l. V. *Sinui vero Cajetano contiguum est Cæcubum, cui adjacet urbs Fundi in Appia via. Tota hæc ora, præcipua adeo vina generat. Verum Cæcubum, & Fundanum, & Setinum, sicut Falernum, & Albanum, & Staganum inter nobilia numerantur.*

19. APOTHECA) Id est, Cella vinaria. Sic Cicero in Ver. *Cum omnium domos, Apothecas, navesque furacissime scrutarere.* Sidon. l. VI. Ep. I *De Apotheca dilectionis altissimæ sectandæ nobis humilitatis propinare mensuram.* Plin. l. II. Ep. XVII. *Lata post Apotheca, & horreum.* Ulpian. *de furtis: Si praponas in Apotheca amphoras esse vini.* De ea Columel. qui floruit sub Claudio Imperatore l. I. c. VI. Aliquando est aromataria taberna. S. Marcellin. qui vixit anno DCCXVII in Vita S. Suitberti l. IV. c. XXVI. *Cella vero ejus, ut Apotheca redoluit.* Interdum horreum, quod Entheca a Cassiano dicitur lib. IV. cap. XIV.

20. DOMINICA) Id est, Principis, & Domini sui: qua voce utitur Columel. in *Proœm.* l. IX. scribens: *Subjecta Dominicis habitationibus ponebat vivaria.* M. Varro, qui vivebat ætate Cic. l. II. c. X. *Non est idoneus, qui rationes Dominicas pecuarias conficere nequit.* S. Victor Uticen. l. III. de persecutione Vandal. *Ut ligna profutura navibus Dominicis incidatis.*

21. SENEM) Licet Ursus senex esset; tamen belle, & agiliter ludebat: ideo pro re insigni hic laudatur: nam ludere non est Senum, sed adolescentium. Hinc Sidon. l. I. Ep. VIII. *ad Candidian. Milites ne-*

A *gotiantur, student pilæ senes.* Petronius: *Videmus senem calvum tunica vestitum russea inter pueros capillatos ludentem pilis.* Plin. Ep. I. l. III. *Movetur pila vehementer, & diu: nam hoc quoque exercitationis genere pugnat cum senectute.* Sidon. l. IV. Ep. IV. *Cumque ab hinc retro juvenes eramus in pila contentio.* Martial. l. XIV. epigr. XLVII.

Folle decet pueros ludere, folle senes:

Folles enim magis decebant senes, quam pila.

22. SCHOLASTICUM) Id est, ex Schola, seu Exercitatione in thermis ludentium, de quo Rhodig. l. XXX. c. XX. & Sidon. l. V. Ep. VII. *Profertur his pilanos cum caterva scholasticorum lusimus abunde.*

B 23. ADQUE) Pro Atque: etenim Veteres utebantur interdum D. pro T. Sic legimus aliquando *Quodannis* pro *Quotannis.*

24. SUPTILISSIMA) Pro subtilissima: nam solebant uti P. pro B. ut Apsens, Apsolutum, Optinuit, Optutus, Suptus, pro Absens, Absolutum, Obtinuit, Obtutus, Subtus. Suptilissima ergo, id est, maximæ dexteritatis, & ingenii, ne pila vitrea rumperetur: nam cum talis pila impetu agitaretur frangi poterat facile.

25. QUI) Observa hic magnum I. ut in aliquibus aliis dictionibus, id quod factum putant arbitrio Scalptorum; licet interdum pro duplici I. poneretur, ut

C in lapidibus sæpe observavi: sic legimus, CLODI, DIS, MANVBIS, pro Clodii, Diis, Manubiis.

26. TER CONSULE VERO) M. Antoninus Verus, de quo hic intelligendum putant, Ter fuit Consul, ut Jo. Leunclavius *in Dionem* scribit, id est, anno 142. cum Antonino Pio, anno 147. cum eodem, & anno 163. cum Lucio Aurelio Vero: Alii autem putant fuisse L. Aurelium Verum, qui etiam Ter Consul fuit, hoc est, anno 156. cum Sextilio Laterano: anno 163. cum M. Antonino Vero, & anno 169 cum Quadrato. Observandum, quod post tempora Constantini Imp. cœpit adhibe-

D ri, & conjungi illud, Ter, cum superlativis: unde fluxit illa dicendi formula, *Ter beatissimus, Ter felicissimus, Ter maximus, Ter optimus,* &c. quare legimus in VI. Concil. Constantinop *locum gerens Agathonis, Ter beatissimi universalis Papæ Urbis Romæ*: & in acclamationibus, seu laudibus antiquis, quæ fiebant Pontifici, dici consuevit ad ipsum Pontificem a Priore Cardinalium, *Summo, & egregio ac Ter beatissimo Papæ Urbano vita*: & sic omnes Cardinales respondebant, *Deus conservet eum*, quod dicebatur Ter. Sic quoque Carolus Magnus dictus fuit *Ter maximus*: quia fuit insignis tribus rebus, bellica virtute, scientia, & pietate, de

E quo lege Baronium ad annum 778. Greg. II. scribens ad Leonem Isaurum dixit, *Ter sanctum hymnum canentes*, id est, Gloria in excelsis Deo.

27. PATRONO) Patronus dictus quasi Pater; ideo Servius in illud Virgilii *Æneid.* VI. *& fraus innixa clienti*, sic scribit; *Ex lege* XII. *Tabul. venit, in quibus scriptum est; Patronus si clienti fraudem fecerit, sacer esto: si enim clientes, quasi colentes sunt; Patroni quasi Patres; tantumdem est clientem quasi filium fallere.* Franciscus Pelletus in *Histori Romani* l. II c. X. dicit, quod Patronus significat *Auxiliatorem*, & sunt correlativa Patronus, & Cliens, aut Libertus, sicut Pater, & Filius, ideo Ausonius cecinit,

F *Esto patronus, & defende reos,*
Sed gratia rara clientis.

Origo Patronorum, & Clientum defluxit primum in Urbem a Romulo mutata ex vicinis populis Sabinis, & Latinis ab eo, apud quos fuit hæc clientelæ ratio: nam diviso Populo in duos ordines, Plebejum, & Patricium, voluit, quod Plebeii sibi eligerent in sui auxilium, quem vellent ex Patriciis. Hinc lex adscripta in veteri Jurisprudentia, in qua sic legitur. *Plebeii, quem sibi ex Patriciis patronum*

volent, diligunt. Ex quibus liquet Patronorum consuetudinem fluxisse a pauperibus auxilii gratia, ut si a potentioribus opprimerentur, haberent, qui injuriam propulsarent. Quare bene M. Manlius Capitolinus in concione, quam post vincula ad plebem habuit, (ut legere est in Livio VI. ab V. C.) dixit. *Quot enim clientes circa singulos fuistis patronos, tot nunc adversus unum hostes eritis. Ego me patronum profiteor plebis*. Super quem locum Joachimus Perionius dicit, *Clientibus ii Patroni sunt, quibus se, suaque permiserunt*. Ex tale Patrocinio devenit, quod Advocati dicerentur Patroni quoties defenderent reum in foro judiciali. Ex dictis constat, quod Ursus erat Cliens, seu Libertus Veri, & de his Patronis, Libertis seu clientibus leguntur infinita prope Epitaphia.

28. EXODIARIUS) Glossæ veteres in Juvenal. Sat. III. super illud *Tandemque redit ad pulpita exodium*, dicunt quod Exodiarius dicebatur ille, qui in fine ludorum risum spectatoribus movebat. Exodium enim est carmen ridiculum. Hinc apud Tranquil. lib. III. cap. XLV. legimus, *Unde nota in Attellanico Exodio proximis ludis assensu maximo excepta*: & Juvenal. Sat. VI.

Urbicus Exodio risum movet Attellanæ.

Livius lib. VII. *Exodia postea appellata, consertaque fabellis potissimum Attellanis sunt: quod genus ludorum ab Oscis acceptum tenuit juventus*. Scribit Laur. Valla in Ant. Raudensem. *Sunt Exodia cantilenæ ludicræ, & scurriles in scenis*. Pollux ait, *Exodium erat cantus, quem sedentes de Theatro cantabant*. Janus Gulielmus, *Exodium* (inquit) *erat cantio, quam Theatro exeuntes cantabant*. Hinc est, quod interdum accipitur pro fine; ideo dixit Varro, *In Exodio vitæ*: & alibi, *Ab origine ad Exodium ducta*: & alio loco, *Ad Exodium ducas*. Lucilius in Sat.

Dignum principio exito inexodiumque sequatur:

Ex his colligitur, cur Ursus gloriaretur, cum victus a Vero patrono risum excitabat, plausumque non sibi, sed hero suo in fine ludi. Scribendum autem ne sit Exodium cum aspiratione, hæc insignis docet Inscriptio, quæ sine aspiratione habet, quamquam Manutius, & Gruterus secus sentiant. Sed lapidi huic vetustissimo standum censeo. Hæc habui, quæ notarem in hac egregia, & præclara Inscriptione rogatus a quibusdam, qui rerum antiquarum studio mire tenentur. Plura in medium, ac magis recondita afferri potuissent, quæ aliis doctioribus relinquenda duxi. Interea, Lector, meum quemcumque laborem boni consulas, rogo. Non silebo tamen, quod Veteres illi utebantur interdum accentibus super litteris (id quod aliqui omnino negarunt,) ut hic patet. Qui quidem accentus vocabantur etiam *Toni*, *Tenores*, & a Græcis *Proxodia*. Hoc in lapide accentus dumtaxat graves visuntur a sinistra in dexteram ducti. Adhibebantur hujusmodi tenores tribus de causis, vel ob distinctionem, ut, *Viridique in littore conjungitur sus*: quare super illud, *Ut*, ponitur accentus, ne dicatur *Ursus*: vel ob pronunciationem, ne proferatur brevi, quod longa proferendum est syllaba, aut e converso: non enim pronunciandum est Togatus brevi, sed longa, ideo super A. est accentus: vel discernendi causa casum a casu: etenim Pila cum est ablativi casus accentum habet: cum autem est nominativus caret accentu; quam quidem scribendi rationem modo habent omnes fere libri Germani, Galli, & alii nonnulli, in quibus in dictionibus ablativis semper ponitur accentus, licet aliquantum diversus a g ravi.

F I N I S.

MARTINI LIPENII

STRENARUM HISTORIA,

A PRIMA ORIGINE, PER DIVERSAS REGUM, CONSULUM, ET IMPERATORUM ROMANORUM, NEC NON EPISCOPORUM ÆTATES, AD NOSTRA USQUE TEMPORA.

MARTINI LIPENII
STRENARUM
HISTORIA.

CAP. I.
DE STRENÆ NOMINE.
SUMMARIA.

§. 1. *Etymol. Festi. Strena quasi Terna, ut stlitis pro litis: stritavus pro tritavus.*
2. *Noni Marcelli strena quasi strenua.*
3. *Rectius a Dea Strenua seu Strenia,*
4. *Quæ Romanis pari cultu affecta cum Agenoria, Stimula, Hora seu Horta.*
5. *Veneri Myrteæ, & Murciæ opposita.*
6. Διέξοδος *in* ἀποθέωσιν *Rom. qua & affectibus & motibus, imo & vitiis Numen affinxerunt.*
7. *Ex Lactantio illustratur de Larentia, Faula, Flora, Cloacina; Consecratio Pavoris, Palloris, Honoris, Virtutis, Mentis, Rubiginis, Febris.*
8. *Venus Calva: Messeniorum pudendus ortus. Jupiter pistor, Dea fornax.*
9. *Dea Muta, Larunda, Caca, Cunina, Deus Sterculius, Mutinus, seu Tutinus.*
10. *Strenarum Synonym. Stipes, Dona, Munera: Munerarii, Munerigeruli.*
11. *Strenophori. strenographia.*
12. Αργύρειον, δ'αυρχισμὸς, θάλλος, ἐπινομὶς, καλανδικά.
13. *Oblatio votorum. Vota facere & solvere quid?*
14. *Canon, oblationes, indictiones Franciæ.*
15. *Cognata. Apophoreta, quæ vel in mensa,*
16. *Vel in ludis.*
17. *Xenia.* Ξείνια. *Lautia* δώτια.
18. *Strenare: Strenaces.*
19. Δωροφορία *S. Christi.*
20. *An de jure sint ejusmodi dona rata?*

Διέξοδος.

§. 1. E Strena discursuri, a nomine incipimus. Unde autem dicatur, non convenit inter veteres Latinarum literarum conditores. Nam Sext. Pompejus Festus l. XVII. *de verbor. Veter. Signif.* per μετάθεσιν & πρόθεσιν dictam putat *strenam*, quasi *Ternam*, cum inquit; *Strenam vocamus, quæ datur religioso die ominis boni gratia, a numero, quo significatur, alterum, tertiumve venturum similis commodi*, veluti *Ternam, præposita litera S*, ut in *lata* & *lite* solebant antiqui. Nam & *Slatam*, πειρατικῦ σκάφυς εἶδος, id est, *Piraticæ navis speciem*, pro *latam*, *stlocum* pro *locum*, *stlitem* pro *litem*, *stritavum* pro *tritavum* dicebant, teste eodem Pompejo *l.* XVI. testibus etiam antiquis Marmoribus, quorum duo in pavimento templi S. Sebastiani ad viam Appiam fragm. inveniuntur;

P. COELIO. P. F.
SER. BALBINO.
VIBVILIO. PIO.
XVIRO STLITIB. JVDIC. &c.

apud Lipf. *Antiquit. f.* 66 Et vicissim aliud C. Plinii Cæcilii Secundi apud Onuphrium Panvin. Apianum, & Lipf. f. 159. n. 6.

C. PLINIVS C. F. C. N.
CAECILIVS SECVNDVS
COS. AVGVR. LEGAT. PRO. PRAET.
PROVINC. PONTI. CONSVLARI. POTESTATE IN EAM PROVINCIAM
AB IMPERAT. CAESARE NERVA
TRAIANO AVG. GERMAN. MISSVS
XVIR STLIT. JVDICANDIS.

Cui Etymologiæ astipulatur versus Pomp. Atellanarii, quem Nonius citat,

Asside, si qua ventura est alia strena strenæ.

Nam in amplioribus munerum illationibus fieri amat, ut unis acceptis, bina vel terna sequantur. Astipulatur etiam Simon Majol. *dieb. Canicul. p.* 2. *Coll.* 11. eo, quod *ternarius numerus perfectionis & plenitudinis sit, & tria Aristoteli omnia* sint.

§. 2. Contra Nonius Marcellus *de Propriet. Serm. Strena*, inquit, dicta est *a strenuitate*. Hoc pacto *strena* esset quasi *strenua*, forte, quod *strenue*, id est, prompte, vel quod *strenuis viris*, sit solita dari. Quam ὀνοματοθεσίαν Symmachus, maximum sui seculi ornamentum *l.* x. *Ep.* XXXV. probat. *Nomen indicio est, viris STRENUIS has* (strenas) *convenire ob virtutem, atque ideo vobis* (Impp. Valent. Theod. & Arcad.) *hujusmodi insigne deberi.* Idem sub finem ejusdem Epistolæ; *Libenter*, inquit, *strenis solennibus Præfectura* (Urbis) *fungetur STRENUIS deferendis*. cui & Barthium nostri seculi decus non vulgare subjunge, lib. LIII. cap. XII. *Advers.*

§. 3. Cæterum non adeo inconvenienter dixero *Strenæ* nomen a DEA STRENIA seu STRENVA derivatum esse. Ex istius enim *Deæ luco verbenæ novi anni auspices* primum sunt petitæ, autoritate Regis Romani, & *in istius Deæ bonorem* etiam primum *strenarum sacra* sunt habita, ut iterum Symmachus prævivit, *l.* x. *Ep.* XXVII.

§. 4. Quali *STRENA* Dea? Tali, qualem sibi error gentium finxerat. Nam istius sæculi more sibi DEAM STRENUAM fecerunt, & intra Urbem coluerunt, publico sacello in via sacra, id est, IV. Regione Urbis, erecto. Testis est Varro IV. *de L.L. Oritur*, inquit, *caput sacræ viæ ab STRENIÆ sacello, quæ pertinet in arcem*. Et vicissim: *Itaque sacra via appellanda etiam est a Regis domo ad sacellum STRENIÆ, & rursus a Regia ad arcem usque.* Ex quibus situm sacelli STRENIÆ facile colliges. Nam cum via publica a CARINIS (quæ sunt in valle inter Cœlium & Esquilias) inceperit, & juxta montem Palatinum ad templum Jovis Statoris producta sit, situatio hujus SACELLI ponenda est in *CARINIS*, non procul ab Amphitheatro Flavio, & æde Vestæ, e regione Clivi Palatini. Id quod etiam colligere licet ex nobili fragmento Actorum diurnorum ejus anni, quo L. Æmilius Paulus & Cn. Octavius Nepos paludati sunt in Macedoniam profecti adversus Persen Regem. Fragm. ipsum, ut a D. Susio acceperat, exhibet Pighius *Ann. Rom.* lib. XI. f. 379.

KAL. APRIL.
L. AEMILIO. PAVLO. II.
C. LICINIO. CRASSO. COS.
PAVLVS COS. ET CN. OCTAVIVS
PRAET. PALVDATI.
EGRESSI. SVNT. VRBE. IN. PRO
VINCIAM.
MACEDONIAM.
CV. - - - - - - - - - TOTA. SACRA. VIA.
EX. AEDIBUS. - - - - VSQVE. AD.
CARINAS. ET. SACELLVM.
STRENIAE.
MAGNA. CONSTERNATIONE.
VICINORVM.
FVNVS. MARCIAE. SEX. F. CVM.
MAIORE. POMPA.
IMAGINVM. QVAM. FREQVENTIA.
HOMINVM.
PONTIFEX. SEMPRONIVS. EDIXIT.
MEGALESIA.

Incendium vastum in urbe.

Istam autem *STRENIAM* sic vocarunt, ut pubem Romanam faceret STRENUAM; sicut & AGENORIAM, quæ ad *agendum* excitaret, & STIMULAM, quæ ad industriam ultro *stimularet*, eodem cultu prosecuti sunt intra Urbem, *DEA QUIETE ET QUIETIS* sacris extra Urbem transportatis, ne quis ei locus aut cultus in Urbicis animis esset, uti dudum ex Victore, Ruffo, Varrone, Plutarcho annotarunt Camerar. *Hor. succis. P.* I. c. XV. Merula *Cosmogr. P.* II. l. IV. p. 971 & Alex. ab Alex. *Gen. dier.* l. II. c. XVIII. *Miror plurimum*, (sunt S. Augustini verba l. IV. *de C. D.* c. XVI.) *quod, cum Deos singulos singulis rebus, & pene singulis motibus attribuerint, DEAM AGENORIAM, quæ ad agendum excitaret, Deam Stimulam, quæ ad agendum ultra modum stimularet; Deam MURCIAM, quæ præter modum non moveret, ac faceret hominem (ut ait Pomponius) murcidum, id est, nimis desidiosum & inactuosum: Deam STRENUAM, quæ faceret strenuum:* His omnibus Diis & Deabus sacra facere susceperunt. Quietem vero, cum ædes haberet extra portam Collinam, suscipere noluerunt. STIMULA (dd. c. l. Vives) *an HORTA fuit?* quæ in humanis cum esset, *Hersilia* dicta est, *uxor Romuli*, quam ab *hortando*, & incitando nominatam ait Labeo. Cujus ædes nunquam claudebatur, *quod semper aliquid præclari fieri hortaretur*, nec cessandum suaderet, quæ postea vocata est HORTA, *providentiæ Dea*, (ab ὁρᾷν *videre*) quæ socordes, negligentesque esse non pateretur. conf. Plutarch. *Quæst. Rom.* XLVI.

§. 5. Id est, quod Lud. Viv. h. l. & Phil. Boroaldus STRENUAM MURCIÆ Deæ faciunt contrariam, quæ & ipsa in monte Aventino, olim Murchol dicto secundum Festum, vel in Circo maximo, id est, XI. Reg. Urb. secundum Victor. & Ruf. peculiare sacellum habuit. Quæ, ut revera Venus erat, ita apud puriores Latinos *Myrteæ*, apud rudiores MURCIÆ nomina inveniebat, ab affectu scil. vid. *syll.* II. Beroald. c. XLIX. Plin. *l.* XV. c. XXIX. Carol. Stengelium in *Hortor. Histor. P.* II. *c.* XXIII. Tertull. *de Spectac. c.* VIII. Merul. *Cosmograph. special.* l. IV. Onuphr. Panvinium *Lud. Circens.* l. I. c. XVII. & l. I. c. V. f. 8. qui & integram vallem Murciæ, f. 7 situm, aram, metam, f. 8. æreo typo expressit.

§. 6. Eo nimirum processerat vanorum hominum ματαιολογία, ut Consentibus Diis non contenti magnam aliam aliorum Numinum farraginem effingerent, affectibus pariter & effectibus suis divinam quandam δύναμιν tribuentes, & facientes Deos, qui Dii non erant, eumque, qui vere Deus erat, negligentes, Creatura, & si quid Creatura minus, veri Dei loco habita. Nam & vitia sua, & virtutes aliorum in Deorum tribu habebant. Imo & actionibus & actionum motibus Deos suos affigebant, Agonium, Ajum, Locutium, Catium, Volumnum, Volumnamque, Adeonam, Abeonam, Rediculum, Fugiam, Vacunam, Volupiam, Vitulam, Pelloniam, Numeriam, Fessoniam, Averruncum, Angeroniam, Marteam, Lavernam, Statam matrem, Lubentinam, Anculos, & Anculas, Nænias, & quas non? Quid? quod & scortis publicis ludos divinitatis fecerint, & nescio quos Sterculsios, Tutinos, Terminos, quas Larundas, Cuninas, Cacas, quas Petas, Putas, Patellas, quas Pertundas, Perficas, Orbonas, Vibilias, & Mellonas, reverentes habuerint?

§. 7. Quam ipsorum vanitatem eleganter, ut solet, Christianus noster Cicero Lactantius, acutissimus Arnobius *l.* IV. Minutius Felix, Julius Firmicus, aliique veteris Idolomaniæ deturbatores perstringunt. Hac vice unum audiemus Lactantium l. I. *Inst. Christ.* c. XX. *Romuli*, inquit, *nutrix Lupa honoribus est affecta divinis. Et ferrem, si animal ipsum fuisset, cujus figuram gerit. Auctor est Livius Larentiæ esse simulachrum, & quidem non corporis sed mentis ac morum. Fuit enim Faustuli uxor, & propter vulgati corporis vilitatem Lupa inter pastores, id est, meretrix est nuncupata, unde etiam Lupanar dicitur. exemplum scilicet Atheniensium in ea figuranda Romani secuti sunt, apud quos meretrix quædam nomine Leæna, cum Tyrannum occidisset, quia nefas erat, Simulachrum constitui meretricis, in templo animalis effigiem posuerunt, cujus nomen gerebat. Itaque ut illi monumentum ex nomine, sic isti ex professione fecerunt*. Hujus nomini etiam dies festus dicatus est, & LARENTALIA constituta. Nec hanc solum Romani meretricem colunt, sed FAULAM quoque, quam Herculis scortum fuisse Verrius scribit. Jam quanta ista immortalitas putanda sit, quam etiam meretrices assequuntur? FLORA cum magnas opes ex arte meretricia quæsivisset, populum scripsit hæredem, certamque pecuniam reliquit, cujus ex annuo fœnore suus natalis dies celebraretur editione ludorum quos appellant FLORALIA. Quod quia Senatui flagitiosum videbatur, ab ipso nomine argumentum sumi placuit, ut pudendæ rei dignitas adderetur. DEAM finxerunt esse, quæ floribus præsit, eamque oportere placari, ut fruges cum arboribus, aut vitibus bene prospereque florescerent. Eum colorem secutus in *Fastis* Poeta, non ignobilem Nympham fuisse narravit, quæ sit *Chloris* vocitata, eamque Zephyro nuptam quasi dotis loco id accepisse muneris a marito, ut haberet omnium florum potestatem. Honeste quidem ista dicuntur, sed inhoneste turpiterque creduntur. Nec debent (cum veritas quæritur,) hujusmodi velamenta decipere. Celebrantur ergo illi ludi cum omni lascivia convenientes memoriæ meretricis. Nam præter verborum licentiam, quibus obscœnitas omnis effunditur, exuuntur etiam vestibus, populo flagitante, meretrices, quæ tunc nimirum funguntur officio, & in conspectu populi usque ad satietatem impudicorum luminum ac pudendis moribus detinentur. *Cloacinæ* simulachrum in Cloaca maxima repertum Tatius consecravit: & quia, cujus esset effigies ignorabat, ex loco illi nomen imposuit. PAVOREM PALLOREMQUE Tollus Hostilius figuravit & coluit. Quid de hoc dicam, nisi dignum fuisse, qui semper Deos suos (sicut optari solet) præsentes haberet? Ad hoc illud M. Marcelli de consecratione HONORIS atque VIRTUTIS honestate nominum differt, re congruit. Eadem vanitate MENTEM quoque inter Deos collocavit Senatus: Quam profecto si habuisset, ejusmodi sacra nunquam suscepisset. Magnum Cicero audaxque Consilium suscepisse Græciam dicit, quod CUPIDINUM & AMORUM simulachra in Gymnasiis

consecrasset. Adulatus est videlicet Attico, & irrisit hominem familiarem. Non illud magnum aut omnino consilium dicendum fuit, sed impudicorum hominum perdita & deplorata nequitia, qui liberos suos, quos erudire ad honesta deberent, prostituerunt libidini juventutis, a quibus flagitiorum DEOS, & in illis potissimum locis, ubi nuda corpora corruptorum luminibus patent, & illa coli ætate voluerunt, quæ simplex & improvida prius irretiri & in laqueos potest cadere, quam cavere. Quid mirum si ab hac gente omnia flagitia manarunt, apud quam ipsa vitia religiosa sunt, eaque non modo non vitantur, verum etiam coluntur? Et ideo huic sententiæ, tanquam Græcos prudentia vinceret, adjecit: Virtutes enim oportet, non vitia consecrari. Quod si recipis, o Marce Tulli, non vides forte, ut irrumpant vitia cum virtutibus, quia mala bonis adhærent, & in animis hominum potentiora sunt: Quæ si vetas consecrari, respondebit tibi illa eadem Græcia, se alios DEOS COLERE, ut prosint, ALIOS, NE NOCEANT. Hæc enim semper est excusatio eorum, qui mala sua pro DIIS habent, ut Romani RUBIGINEM ac FEBREM. Si ergo vitia consecranda non sunt, in quo tibi assentior, ne virtutes quidem. Non enim per se sapiunt, aut sentiunt, neque intra parietes aut ædiculas luto factas, sed intra pectus collocandæ sunt, & interius comprehendendæ, ne sint falsæ, si extra hominem fuerint collocatæ. Itaque præclaram illam legem tuam derideo, quam ponis his verbis: Ast illa, propter quæ datur homini ascensus in cœlum, mentem, virtutem, pietatem, fidem, earumque laudum delubra sunto. Atqui hæc separari ab homine non possunt. Si enim colenda sunt, in homine ipso sint, necesse est: Si autem sunt extra hominem quid opus est ea colere quibus careamus? Virtus colenda est, non imago virtutis; & colenda non sacrificio aliquo, aut thure, aut precatione solenni, sed voluntate sola, atque proposito. Nam quid est aliud colere virtutem, nisi eam comprehendere animo, & tenere? Quod unusquisque, simul ac cœpit velle, consequitur. Hic solus virtutis est cultus: Nam religio & veneratio nulla alia nisi unius DEI tenenda est.

§. 8. Post pauca Lacteum illud os pergit: Urbe a Gallis occupata obsessi in Capitolio Romani, cum ex mulierum capillis tormenta fecissent, ædem Veneri CALVÆ consecrarunt. Non igitur intelligunt, quam vanæ sint religiones, vel ex eo ipso, quod eas his ineptiis cavillantur. A Lacedæmoniis fortasse didicerunt, DEOS sibi ex EVENTIS fingere: Qui cum Messenios obsiderent, & illi furtim, obsessoribus deceptis, egressi, ad diripiendam Lacedæmonem cucurrissent, a Spartanis mulieribus fusi, fugatique sunt. Cognitis autem hostium insidiis, Lacedæmonii sequebantur. His armatæ mulieres obviam longius exierunt; quæ cum viros suos cernerent parare se ad pugnam, quod putarent Messenios esse, corpora sua nudaverunt. At illi uxoribus cognitis, & aspectu in libidinem concitati, sicut erant, permisti sunt, utique promiscue. Nec enim vacabat discernere. Sic juvenes ab iisdem antea missi, cum virginibus sunt permisti (vid. Mich. Thomas. *Not. b.*) ex quibus sunt Parthenii nati: propter hujus facti memoriam ædem VENERI ARMATÆ simulachrumque posuerunt. Quod tametsi ex causa turpi venit, tamen honestius videtur, *armatam Venerem* consecrasse, quam CALVAM. Eodem tempore JOVI quoque PISTORI ara polita est, quod eos in quiete monuisset, ut ex omni frumento, quod haberent, panem facerent, & in hostium castra jactarent. Eoque facto soluta est obsidio, desperantibus Gallis, inopia subigi posse Romanos. Quæ ista religionum derisio est? Si earum defensor essem, quid tam graviter queri possem, quam Deorum Numen in tantum venisse contemtum, ut turpissimis nominibus ludibrio habeatur? Quis non rideat *FORNACEM DEAM*, vel potius doctos viros celebrandis *FORNACALIBUS* operari?

Facta Dea est Fornax: læti fornace coloni
Orant, ut fruges temperet illa suas.

Ovid. II. *Fastor.*

§. 9. Quis cum audiat DEAM MUTAM, tenere risum queat? Hanc esse dicunt, ex qua sunt nati LARES; & ipsam LARAM nominant, vel LARUNDAM. Quid præstare colenti potest, quæ loqui non potest? Colitur & CACA, quæ Herculi fecit indicium de furto boum, divinitatem consecuta, quia prodidit fratrem: Et CUNINA, quæ infantes in Cunis tuetur, ac fascinum summovet: Et STERCULIUS, qui stercorandi agri rationem primus induxit; Et MUTINUS seu TUTINUS, in cujus sinu pudendo nubentes præsident, ut illarum pudicitiam prior DEUS delibasse videatur: Et mille alia portenta consultus prætereo. Conf. Aug. l. XVII. *de C. D.* c. XV. & Ep XLIV. *adverf. Maximum Grammat.* Arnob. Afer per integrum libr. IV. *adverf. Gent.* & si placet Jonston. *Polymatb.* l. II. c. LVI. Merulam *Cosmogr.* p. 1028.

§. 10. Veruntamen ut ex Pantheo Romano ad rem redeamus nostram, *STRENARUM* ἰσοδυναμοῦντα in vestibulo operis pandemus. Apud Scriptores Historiæ Aug. communiter *Stipes*, ab aliis *Dona*, & *Munera* dicuntur promiscue, non attenta ista subtilitate Juris, qua inter dona & munera, velut inter genus & speciem distinguunt, *l. munus* 214. *de Verb. Signif.* & *l. inter Dona* 194. *eod. tit.* neque illa Criticorum observatione attenta, qua *Dona Deis*, *munera hominibus* damus, aut *dona dantium*, *munera accipientium* sunt, itemque *nostra dare*, *aliena largiri* dicimur. *Munera* enim in significatu famoliori capimus, *pro quibuscumque donis*. Nam olim etiam *Munera* mortuis præstabantur, sicut spectacula populo gratis exhibebantur. *Munera quoque publica*, ab oneribus militiæ vacationem præstabant, docente Lipsio *de Gladiator.* & *L.* 18. *ff. de V. S.* Verum eæ significationes alienæ sunt a nostro scopo. *Munera* enim hic sunt *dona mutuæ benevolentiæ aut officii gratia data*. Hinc secundum analogiam isti, qui STRENAS offerunt, etiam possent *Munerarii* dici. Erant quippe *Munerarii* qui *Munera*, id est, *spectacula populo exhibebant*, cujus vocis patrem Augustum facit Quintilianus, cum ante *Domini Ludorum*, aut *Editores* dicerentur. Hos Plautus in *Pseudolo* Act. I. Sc. II. *Munerigerulos* suavi compositione vocitat:

Manipulatim mihi munerigeruli facite ante ædes jam hic adsint.

§. 11. Cujus ad Analogiam possent & στρηνοφόροι & *strenophoria* formari. Aliud est *strenographia*, quam suis *strenis Ecclesiasticis* titulum præfixit celeberrimus in Rhetia Theologus Dn. Herrenschmid, utpote in quo descripsit potius *vota strenarum Hieroglyphica*, quam *strenas ipsas*, liber profecto & luce & fato meliore dignus.

§. 12. Dion alicubi ἀργύρειον nominavit, credo pro more sui temporis per ἀντονομασίαν. In Cyrilli *Gloss.* εὐαρχισμὸς veluti primitiæ seu bonum principium anni. εὐαρχίσασθαι enim est felix auspicium facere, quod εὐαρχισμὸν seu faustum initium primis anni Kalend. sibi invicem optarent, juxta Voss. *Etym. L. L.* Porro in *Glossis* Philoxeni etiam θάλλος dicitur, respectu habito ad frondes sacræ arboris. Θάλλος enim primum ramum arboris germinantem notat. Ulpianus Strenam etiam ἐπινομίδα vocavit, qua in re a Cymulco apud Athenæum vituperatur, sed a Casaubono laudatur. Ille inquit: οὐ σὺ εἶ, ὁ καὶ τὴν ὑπὸ Ῥωμαίων καλουμένην στρῆναν κατά τινα πατριὰν παράδοσιν λεγομένην, καὶ διδομένην τοῖς φίλοις ἐπινομίδα καλῶν. *Annon es ille, qui vocatam a Romanis strenam patria consuetudine sic dictam, amicisque dari solitam, Epinomida nuncupasti? Hoc nos a Te discere cupimus,*

an imitatione Platonis ita nominaveris. Si vero ab aliquo mutuatus es, qui sic appellaverit, eum lauda, qui dixit. Cujus loci sensus ut lectori fiat manifestior, tenendum est, vocem ἐπινομίδος a Platone aliter adhibitam, aliter ab Apollonio, aliter ab Ulpiano. Plato Appendicem seu Auctarium librorum *de Legibus*; Apollonius lib. *de Triremibus* μέρος τι τῆς τριήρεος *partem Triremis*; Ulpianus autem strenarum distributionem sive elargitionem ἐπινομίδα appellarunt. Hinc cum Ulpiano expostulat Cynuclus, ut istius suæ nomenclaturæ aliquam autoritatem proferat. Sed Casaubonus (quod ante dicebam) *Not. ad* III.*lib. Athen*.c.XVIII. Ulpianum laudat, quod ἐπινομίς ab ἐπινέμω fluens ipsum distributionis & elargitionis actum notet. Meursius *Glossario* καλανδικά, seu Calendaria ista sive tributa, sive munera, quæ Calendis Januariis imperata & soluta fuerant in Græcia, exposuit.

§.13. Huc spectat Titulus Legis singularis C. Th. & Justin. *de Oblatione Votorum*. Ista enim est exhibitio seu illatio LXXII. solidorum obrixatorum cum voto Strenæ comite. Neque enim hic de promissione, sed de solutione votorum agitur. Diversa autem esse vota facere, vota afferre seu solvere, seu reddere, vel ex uno Plinii loco *ad Trajan.Ep.*XXXVI.*l*.X.patescit: *Solennia vota pro incolumitate tua, qua publica salus continetur, & suscepimus,*(1) *Domine, pariter &* (2) *solvimus, precati Deos, ut velint ea semper solvi semperque*(3)*signari.* Cui adde ex Libri ejusd.*Ep*.CIV. (1) *Vota, Domine, priorum annorum nuncupata alacres, lætique* (2) *persolvimus, novaque rursus curante commilitonum & provincialium pietate suscepimus.*

§. 14. Imo *Oblationis* nomen hic non adeo constringimus, quemadmodum Budæus de *Asse* l. III. f.68. regni Francici triplices reditus, *canones, oblationes* & *indictiones* appellitat. Ubi *oblationum* titulo veniunt *vicesima* & *octava* & *quarta* in quibusdam locis in res promercales statutæ: Item Salarium vectigal, & exoticum, quæ cum olim a popularibus principibus sint oblata, inde oblationis nomen apud Priscos obtinuit: sed nos *Oblationem pro votiva Strenarum oblatione* capimus, uti textus docet.

§. 15. Rodolph. Goclen. in *Lex.Phil. Græco* Strenarum Synonyma, ἀποφόρητα & ξένια facit, quanquam Strenæ proprie nec *Xenia* sint, nec *Apophoreta*. Ob similitudinem tamen, quam invicem habent, *Xenia annua* & *Apophoreta Januaria* nominari possent. Illa enim Hospitibus honoris & beneficii loco; hæc autem non nisi Saturnalibus Rom. missitabantur. Certe Martiali *Apophoreta*, quæ integro lib.XIV. complexus est, *Munera sunt, quæ prandio confecto Convivis dantur, ut ea domum referant.* Id fert & nomen Græcum, & versus Martialis Epigr. I.

Divitis alternas, & pauperis accipe sortes,
Præmia convivæ det sua quisque suo.

Hic enim *Apophoreta* explicat. Sed luculentius in hanc rem D. Ambros. *Exhortatione ad Virgines*, T.I. Op.f.104. *Qui ad convivium magnum invitantur, APOPHORETA secum reportare consueverunt. Ego ad Bononiense invitatus convivium, ubi sancti Martyris celebrata est translatio, APOPHORETA vobis plena sanctitatis & gratiæ reservavi.* Et *in Epist. ad Rom.* Ad quos omnes invitat: *APOPHORETA duplicia consequuntur.* confer. Turneb. *Adv.* l.IX.c. XXIII. Lips. *Saturn.Serm.* l.I.c.XVII. Domit. Calderinus *in Martial.* Salmuth.*ad Panciroll.* p.746.

Vultis etiam Suetonium audire? Is in *Vespasiano* c. XIX. ita loquitur: *Sicut Saturnalibus viris dabat Apophoreta, ita per Kal. Martias fœminis.* De Caligula idem refert, quod agitatori Cithio (alias Eutycho) commessatione quadam *in APOPHORETIS vicies sestertium* (id est, D.Coronatos) contulerit: Sic S. Augustinus sub fin. *Ep.*CLXXIX. *Velationis APOPHORETUM* prædicat, quod ei *Proba & Juliana* propter filiam neptemque *Demetriadem* sacris initiatam miserant. Digna lectione Epistola cum ob virginitatis tum ob prosapiæ Aniciæ laudem est. Jucundus est *Martialis*, qui ut librum unum *Xeniis*, ita alterum *Apophoretis* opplevit, & varietate Lemmatum & suavitate metri lectori salivam movens.

§. 16. Atque ea quidem Apophoretorum ratio in mensa fuit. Abhinc abiit mos Apophoreticorum munerum etiam in spectacula & ludos. Editores enim Munuscula aliqua Amicis, & fautoribus mittebant, ludis confectis, quæ & ipsa Symmachus passim *Apophoreta* vocitat, lib.II.Epist.LXXXI. *filius noster Symmachus peracto munere Candidati offert Tibi dona Quæstoria. Quæso igitur, ut ejus nomine* DYPTICA ET APOPHORETA *suscipere dignemini, qui apparatui ejus plura & præclara tribuistis.* Sic l. VII. Ep. LXXVI. *Religiosum atque votivum est, ut a Quæstoribus Candidatis Dona solennia potissimis atque amicissimis offerantur. Quo in numero jure censemini. Offero igitur vobis eburneum dypticum, & canistellum argenteum librarum duarum filii nomine, qui Quæstorium munus exhibuit.* Et iterum l.IX.*Ep.* CXIX. *Non spernabere, ut æstimo,* DYPTICI ET APOPHORETICI *oblationem.*

§.17. Est autem ξένιον δῶρον (secundum Suidam) παρὰ ξένοις διδόμενον. Apuleii lib.II. *Asin.* mittit *mibi Byrrhina Xeniola, porcum optimum, & quinque gallinulas, & vini cadum in ætate preciosi.* Appianus in *Rebus Libycis*: Phanea a Senatu Xeniis condonatus plurimis, purpurea veste & fibula aurea, equo phaleris aureis ornato, & insignibus pariter armis. Hinc Plinius Xenia a Donis & Muneribus distinguit l. V. *Epist. Quam me juvat, quod in causis agendis non modo pactione, dono, munere, verum etiam Xeniis semper abstinui.* In quibus Xeniis etiam referre licet *Thoi munuscula* Davidi oblata II. *Sam.* VIII. & *Donaria Jonathæ*, quæ Regi Demetrio dedit I. *Macc.* XI. Quo nomine etiam Æneas Sylvius, tunc temporis Cardinalis, *Xenia Ludovici Cardin.* (*olivas & tubera, rara Senensibus & pretiosa alimenta*) magni facit *Ep.* CCCXXXVI. Adde, si placet, Pii Antonii Bartol. *Auctar.* c.VI. & Sidon. *l.* V. *Ep.*VII. & *in h. l.* Savaron. it. Salvian. *de Gubernat.* V.p.174. Alio nomine *Lautia*, ex Græco δώτια, quasi *Dautia*, ut dacrymas pro lacrymas apud Festum.

§.18. Quod si ad sequiora Latini Sermonis tempora descendere collibeat, occurret *STRENARE* a Strena. Id enim in Gemma est *Strenam novo anno mittere*, & universe munusculum dare apud Voss. *de Vitiis serm. Lat. p.* 752. Et in *Glossis* Isidori legas: STRENACES, *cupidi*: Hoc si rectum fuerit, Strenax a cupiendis & capiendis strenis foret. Sed lectioni parum fidit Vossius, quin potius ex MSS. emendat, legit *Sternates, pavidi*, a *sterno*, uti vivax a vivo, emax ab emo, & vigilax a vigilo. Sed oculatissimus noster Barthius longe aliter. Nam & *Strenates* vel *Strenuates* legit, quanquam & huic lectioni non fidat; sed *Strenuantes cupidi*, vel potius *Strenuantes rapidi* velit, ita ut *Strenuans* ex Plauti verbo *Strenuare* sit, quo Act.II.Sc.II.*Pseud.* dixerat: *Dum tu Strenuas, res erit soluta.* vid. ips. l.XI. *Adversf.* c.VI.

§. 19. Ad cognata Strenarum etiam referri possent, *MUNERA SANCTI CHRISTI*, quæ cum alio tempore, tum alio nomine exhibentur, quam STRENÆ. Nihilominus cum utrinque munera offerantur, & sæpe, quæ festo Natalitio dari non potuerant, novo anno dentur, aliquam cum Strenis cognationem habere videntur. De ista autem Δωροφορίᾳ Χριστοῦ Dresserus *de Dieb. Fest.* p. 237. *Solent*, inquit, *Christianorum pueri puellæque in Vigilia, præsertim Natalis Christi, magno desiderio expectare munera Christi, quem alicubi cum curru onusto per tegulas & fenestras clausas ingredi tanquam per tonitrua: alibi cum Angelorum Co-*

m.tati:

solenniter singulas domos obire opinantur, ubi si probos & precum Christianarum gnaros invenit liberos, dona illis distribuit varia, crepundia, cistellas, vestes, ciconias, oves, equos, vehicula, poma, pyra, nuces, melicerides, & id genus ludicra alia. Idque eo pertinet, ut Adventum Christi avidius desiderent, atque expetant liberi, tum ut se ad respondendum advenienti Christo totis animis parent. Additur inter munera Christi, plerumque etiam Virga, ut metu Castigationis facilius se regi flectique patiantur, & bonis semper aliquid mali misceri discant. Quæ in ista Δωροφορίᾳ culpanda, quæ laudanda, item, unde originem trahat, nihil hic attinet dicere: functi sunt ea opera Dn. D. Dannhaw. *Lacte Catechet.* Part. V. p. 649. & Theod. Thumm. *de Fest. Nativit.* p. 189.

§. 20. Neque istud nostri fori est dispicere, *An ejusmodi Donatio sive pecuniarum sive aliarum rerum, inter conjuges, inter liberos & parentes, inter pupillos & tutores, inter dominum & servum, nec non inter amicos de jure valida sit & subsistere possit?* De eo enim Justitiæ præsides dijudicanto. vid. Berlich *l.* II. c. XV. n. XXIX. Besold. *Thesaur. Pract. f.* 660. Salmuth. *ad Panciroll. de Donat. Uxor. Coll. p.* 744. Etsi enim alioquin Donatio inter conjuges sit prohibita, *l.* 1. *ff. V. C. de Donat. inter Vir. & Uxor.* Si tamen vir uxori munus Kal. Martiis, aut natali die (par ratio STRENARVM) dedisset, valere donationem illam Pomponius respondet, *L. sed si Vir* 31. *§. si vir Uxori.* 8. *ff. de donat. inter Vir. & Ux.* Idem judicandum de *Cimeliis*, de ὑποβόλοις seu ἐξωπροίκοις *de donis nuptialitiis, natalitiis & genethliacis*, quorum hæc infantibus recens natis & baptizatis, illa puerperis in lecto jacentibus, ista vero noviter nuptis offeruntur apud eundem Salmuth. *ad Panciroll.* item Tract. *de veter. Ritu Natalitio* f. 2. Plutarch. *Q.Q. Rom.* qu. VII. Franc. Hottom. *de Jure Connub.* c. VIII. Jacob. Revardus *Conjectan. l.* III. c. IV.

CAP. II.

DE STRENARUM ORIGINE ET HISTORICA earundem NARRATIONE.

NOmine quadantenus enodato, ad ORIGINEM, & reliquam STRENARVM HISTORIAM accingimur; imprimis cum *nefas judicetur, materiam aggredi, origine non repetita*, Gloss. Marg. *ad l.* 2. *ff. de Reb. Cred.* Ideo, ut tota res eo ordinatius procedat, certas sive PERIODOS, sive ÆTATES, sive CLASSES formabimus, ut quibus *primordiis* ortæ, quibus *incrementis* auctæ, & denique quibus modis ad nostra tempora deductæ sint STRENÆ, clarius videri possit. Esto ergo

PRIMA STRENARUM ÆTAS sub REGIBUS & CONSULIBUS ROMANIS.

SUMMARIA.

§. 1. *Strenarum origo est Roma.*
2. *Non Persis, aut Judæa.*
3. *Non Græcia.*
4. *Autores non Janus, aut Saturnus.*
5. *Non Augustus.*
6. *Non patroni Clientum.*
7. *Sed Tatius Sabinus.*
8. *Ex luco Strenuæ.*
9. *Omnem ἀποθέωσιν Romæ inducens.*
10. *Dubium primum de die.*
11. *Dubium secundum de autore.*
11. *Dubium tertium de sacris.*
13. *Conciliatio.*
14. *In Verbenis Strenarum gloria major, quam pretium, perinde ut in lauro triumphantium, corona myrtea, quercea, &c.*

15. *Strenarum census major in ære & variis donis.*
16. *Strenarum celebritas.*
17. *Obscuritas ex ruditate istius sæculi.*
18. *Illustratur ex Libanio & ex KAL. JAN.*
19. *Utpote quibus Jano faciebant sacra.*
20. *Delubra Æsculapio & Jovi dicabant.*
21. *Deorum pulvinaribus assidebant.*
22. *Suffimenta, vota, sacrificia,*
23. *Convivia faciebant:*
24. *Luctus publici, &*
25. *Supplicia cessabant,*
26. *Non tamen Christianorum sub Impp. Gentilibus.*
27. *Sublesta Eusebii & Durandi fides.*
28. *Gaudia publica Urbis & Orbis, Servorum emancipatio, & captivorum liberatio.*
29. *Consularis lætitia.*
30. *Annum aperiens & fastos reserans.*
31. *Non semper fuit KAL. JAN.*
32. *Plutarchus notatur.*
33. *Dies Regisfugii Ovidiani.*
34. *An primi COSS. circa KAL. JUNIAS inierint Magist.*
35. *An* VI. *KAL. Martii?*
36. *Demum ab A. V. C.* DC. *Kalendæ Januar. COSS. fuere insignes.*
37. *Caput anni septies mutatum.*
38. *Honorarii & Suffecti COSS. paucorum mensium, dierum, horarum consulatus.*
39. *COSS. sparsiones a Marciano mutatæ, a Justiniano restitutæ: denuo a Leone abolitæ.*
40. *Triumphi KAL. JANUAR.*
41. *Lites forenses cessabant.*
42. *Auspicia omnium operum fiebant.*
43. *Ex serenitate diei ominabantur.*
44. *Themata Astrol. erigebant, & Catalogos operum texebant.*
45. *In Euripum saltabant, bonæ valetudinis augurio.*
46. *Nundinas prohibebant.*

Διέξοδος.

§. 1. PRimam *STRENARVM* ætatem sub REGIBVS & CONSS. ponimus Romanis: Romanis, inquam. Nam qui aliunde STRENARVM NATALES arcessunt, quam ex Reip. Rom. incunabulis, eos valde hallucinari oportet. Neque enim statim, ubi *Indorum Dona, Magorum munera, Græcorum Xenia, aut Judæorum* κληρωτήρια memorantur, ibi statim STRENAS subesse cogitandum est. Munera esse possunt, STRENÆ non sunt: Vota fieri possunt, JANUARIA non sunt. Quid receptius in Persia quam Regibus devota manu salutem ferre & pecuniam? Quid in Judæa usitatius, quam Principes plena manu venerari? Nonne & Ægyptus natalibus Regum splendida exhibebat donaria? Veruntamen ea STRENÆ nomine non venerunt. conf. Rittershus. *not. ad Plin. l.* X. *Ep.* XVIII. Turneb. *l.* XXIII. *Advers.* c. VIII. Salmuth *de Ritu veter. natal.* Abb. Ursperg. *Chron.* f. 28. D. Orleans *l.* IV. *in Annal. Tacit.* Bulenger. *de Imper. Rom. l.* II. c. XXXI. aliique.

§. 2. Hinc aberrant, qui STRENAS a *subjicibus Persis* arcessunt, quibus inveteratus mos erat, Regem donis honorare, ὅταν εἰς Πέρσας ἐλαύνῃ, ut loquitur Ælianus *Var. Hist. lib.* I. cap. XXXI. Quapropter recte quidem quoad rem, minus recte quoad primam historiæ originem cecinit Rever. Dn. Johannes *Haspelmacher*, Abbas Mariæ Vallensis in *Stren. Gosk.* f. 376.

Persarum vulgus certatim munera Regi
Obtulit, ut fama est, de gentis more vetusto:
Quisque facultatum sua pro ratione suarum
Dona ministrabat: tulit hic frumenta benigna:
Iste boves validos, cornuta fronte minaces,

Lanigeras alius pecudes adduxit ovando.
Adde quod & palmas, terra nascentia, frugum
Primitias varias paupercula dextra locabat:
Illius atque hujus grata æque dona fuerunt.
Mittendis post est STRENIS operata juventus
Martia, cum sacræ mensis rediere Kalendæ,
Quem tu Jane bifrons insignas omine fausto,
Hac Pater, imperii moderans Augustus habenas
Luce sacra, vario mactatus in æde sacrata
Munere, quod magni gens contulit alta Quiritum.
Hinc mos invaluit, votivam mittere strenam
Prima dies Jani quoties splendore coruscat.

STRENÆ Romanis & Sabinis propriæ erant. Alia Munera Principum Persis cum reliquis Orientalibus communes. Ista certe, de quibus Ælianus, Xenia potius, quam Strenæ erant.

Quid igitur? An a Magorum Orientalium muneribus, quæ Christo Bethlehemi obtulerunt? an vero a festo Purim, quod Judæi in Perside sub Ahasuero in memoriam suæ liberationis celebrarunt, diducenda ex *Esth.* IX. 19? Nequaquam. Nam priora illa potius dona Natalitia, quam JANUARIA essent definienda. Et potius θεῖον quid, quam ἀνθρώπινον spirant, longeque post Strenas frequentata. Cum posterioribus vero nec temporis, nec muneris, nec institutionis ratio convenit. *Festum* enim *Judaicum in* XIII. *diem mensis Adar*, (qui nobis est v. Martii Juliani) *Strenarum autem solemnitas in ipsas Kalendas Januarias* incidit. Istud in Metropoli Persiæ, hoc in Italiæ acropoli; Illud in memoriam Judæorum servatorum, hoc in remunerationem Strenuorum militum celebrabatur. Istud ab Esthera ex instinctu Joachimi Pontificis, ut ex Philone præcipit Ionston. *de Fest. Ebræ. p.* 18. hoc a Rege Tatio institutum. Quin & illud adjicio, quod ante ea tempora, quibus Judæi sua κληρωτήρια, suos Purim dies celebrarunt, jamdudum Romani suas Kalendas Januarias coluerint. Nam Purim isti A. M. MMMCCCCLXXVII. A. Mantio Volsone & L. Furio Medullino Coss. celebrabantur, cum contra Tatius, qui primus Strenarum diribitor putatur, A.M. MMMCCV Romæ imperitare cœperit; adeoque Strenarum Natales istius Judaici Festi, & munerum institutioni integros ducentos & septuaginta annos præcurrerint.

§. 3. Neque propior vero est, qui STRENAS in GRÆCIA quærit: Inveniet ibi *ad Calendas Græcas*, quod in proverbio est. Utut enim in vocibus conformitas fit, in rebus tamen ipsis nulla paritas. στρηνὸς delicias notat; an ideo Strena est in στρηνῷ seu in deliciis? Annon sic potius in vitio poneretur, quam virtute? An quia στρηνὸς ac στρηνιὸς asperum, durum ac robustum significat, ideo STRENA est, quæ robustos fecit Romanos, duros ac fortes? Posset etiam videri, a στερνοῦν, *firmare*, esse, quia memoriam datorum munerum confirmet & servet. Sed nec quantitas, nec analogia vocis sibi invicem respondent. Esto tamen: Esto: Habuerint Græci suas νεμηνίας, in iisdemque vota fecerint, & placentas libaverint, & dona a ditioribus petierint, quod docet πολυίστωρ Ionston. *in fest. Græcis* c. VI. p. 65. Non tamen νεμηνίας sub hac ratione, neque Jano sed Apollini, neque in tesseram novi anni, neque in præmium Strenuorum virorum, sed ex more gentis & in pastum serpentis celebrarunt. Esto: Habuerint sive Tatius, sive alii istius ὀνοματοποιΐας aut ἱερομηνίας rationem ex Hellade, origo tamen ipsa penes Romanos manet.

§. 4. Sunt, qui ex Ovidii & Macrobii fide, STRENARUM originem ad JANI & SATURNI sæcula referunt, sed ego tamen nihil tale sive in illo, sive in isto reperio. Cyrenenses sibi invicem placentas misitasse, Romanos quoque a Clientibus munera exegisse, cereos & oscilla mutuo dedisse, reperio: sed ita tamen reperio, ut utrumque in honorem SATURNI, velut mellis & fructuum repertoris, & in Saturnalibus festis factum dicatur. Quæ si occasionem STRENIS dedisse dixeris, non equidem adeo refragor, ORIGINEM dedisse inficior. Poterat (largior) superstitiosa gens facile induci, ut JANUARIO mense JANO sacra facerent, sicuti DECEMBRI SATURNO antea fecerant, ne major Saturno advenæ, quam Jano indigenæ honos esset. Constat enim hunc istum hospitio excepisse, regnum cum eo divisisse, & plurima in ejus honorem fecisse. Nam primum omnem terram sibi parentem SATURNIAM nominavit; Aram deinde cum Sacris tanquam Deo condidit, quæ Saturnalia nominavit. Hoc, & nihil ultra, Macrobium voluisse, hæc ejus indicant verba: *Hos una concordes regnasse, vicinaque oppida opera communi condidisse, præter Maronem, qui refert, Janiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen, et iam illud in promptu est, quod posteri quoque duos eis continuos menses dicarunt, ut* DECEMBER *sacrum* SATURNI, JANUARIUS *alterius vocabulum possideret.* His prorsus paria habet Herodianus in *Commodo* Ἰταλιῶται τὰ μὲν Κρόνια πανηγυρίζουσι θεῷ λαθόντι, τῷ δ᾽ ἔτει ἀρχὴν ἱερομηνίαν ἄγουσι ... Ἰταλίας θεῷ. Ab his ergo (quod antea dixi) OCCASIO STRENARUM esse potest, Institutio ipsa ab ipsis non est, utpote quæ recentioribus temporibus est reservata.

§. 5. Recentioribus, inquam, non quidem AUGUSTI, sed TATII. Nam quod Polydor. Virgilius v. *de Invent. Rer.* II. AUGUSTUM Cæsarem primum STRENARUM Autorem & Inventorem dixit, modeste ab eo dissentio. Nam & Regum periodo, & Coss. ætate Strenas obtinuisse, ex dicendis patebit.

§. 6. Nec fidem mihi parit, quod Mart. Magerus *a Schonberg* S Lat Pal. Aulæque Cæsar. Comes & Archid. Leop. Consiliarius, vir inprimis eruditus, in *Tract. de Advocatia Armata* c. VI. n. LI. *f.* 114. Originem STRENARUM ex Clientum donis diducit, quibus Clientes suis Patronis tenuia munuscula, nempe assem minimum & mel, accedentibus caricis & dactylis palmarum inauratis mittebant. Nam ista hæc ego (salva tanti viri auctoritate) potius invertenda esse, & *Clientum munuscula ex Strenarum usu* ortum traxisse dixerim, cum primum *Strenam non Clientes aut subditi*, sed *Patroni & Reges* distribuerint. Jus Clientelare demum sub Romulo Rep. jam tum ordinata, & per Senatores ac cives in Tribus & classes distributa, usu a Græcis, Illyriis, Thessalis, Celtis ac Ægyptiis recepto, eodem Magero autore, demum incepit, cum jam tum ante a Tatii ætate Strenarum usus inolevisset. Interim istud facile largior, quod STRENA Advocatis æque ac aliis Amicis fuerit data, ut notavit Alciatus *Comm. de Verb. Signif.* & ex eo D. Jacob. Spigelius, *Lex. Juris Civil.*

§. 7. Rectius Q. Aurel. Symmachus, *l.* x. *Epist.* XXXV. *ad* T. TATIUM SABINUM *Rom.* Regem recurrit, quando, *Ab Exortu pæne Urbis Martiæ*, inquit, STRENARUM *usus adolevit, auctoritate Tatii Regis* (pro quo non nemo *Tullii* legit, contra aliorum Codd. fidem) *qui verbenas felicis arboris ex luco* STRENUÆ, *anni novi Auspices primus accepit.* Huic subscribit Salmuth. *ad Pancir. de Don. p.* 745. Turneb. *l.* x. *Adverf.* c. XXVI. & Metellus Monachus Germanus *Carm.* v. *Quirinalium:*

Urbi, quas Latii tum juveni dedit
Rex TITUS TATIUS prior,
Festas accipiens paupere munere
VERBENAS studio Patrum
Sollers posteritas, quas creat aureas,
Servant dona tamen notum
A luco veteri nomen Strenua.

§. 8. A *Luco*, inquam, *Veteri:* Cujus situm & lo-

A eum uti Topographiæ tacent, ita ex Ædis situ conjectare licet. Nam *Ædiculam* STRENIÆ *in via sacra ad Carinas inter Cœlium & Esquilinum* invenimus: Hinc & ibi, ad *vallem* scilicet *& radicem Esquilini*, *qua Carinas & Amphitheatrum Flavium spectat*, ejus *Lucum* stetisse *Ædique* contiguum fuisse, facile persuadeor, ut credam, *cum quod illa* (potissimum) ætate *Luci ad sacella* essent, hæcque ex illorum horrore aliquid sancti Numinis fœnerari credebantur, *tum*, *quod in isto confinio plures alii Luci essent*, *scil. Fagutalis, Mephitis, Junonis Lucinæ, Larum & Querquetulanum sacellum*, conf. Alex. Dom. *R. vet. l.* II. c. X.

§. 9. Hunc iste *Lucum superstitioni & remunerationi militum dicavit, Ædem Streniæ apposuit, Strenuosque viros in* STRENIÆ *honorem Strenis suis*, id est, *laureis & myrteis verbenis* donavit, remuneravit, amplificavit, ita ut & (si verum fateri velimus) Sabinorum fœda superstitio omnis postea secutæ ἀποθεώσεως fax & tuba jure possit dici. Nam non STRENUAM saltem Deam finxit, sed & CLOACINAM quandam, & Pandam seu Panticam aliam. Imo & Saturno ædem in Capitolino, Termino fanum & aliquot alia sacella sacravit. Livius *Dec.* I. cap. XXXIX. Adeo prægnans erat novellus novi regni auctor, ut Romulo omnem ea in re palmam præriperet. Nam cum in Cloaca maxima simulachrum invenisset, & cujus Veneris esset, ignoraret, nomen ex loco indidit, *Cloacinamque* vocavit. *Pandam* seu *Panticam* ideo consecravit, quod sibi viam ad capiendum Capitolinum collem pandisset, ut est apud Arnob. *advers. Gent. lib.* IV. *p.* 128. CLOCINA ista utut e fœdis & fœtidis principiis hausta, magnum invenit applausum, utpote cui plura dicata templa: Unum *Cloacinæ Veneris* in Via Sacra, alterum in *Esquilio*, tertium in *Foro Rom.* Victor, Rufus, Merula, posuerunt. *In tantis delitiis Venus erat, etiam ex Cloacis protracta.*

§. 10. Sed hæc, quæ de Autore dixi, possent alicui suspecta esse, quod *ætate Tatii primus Januarii dies nondum institutus esset, nedum huic solennitati dicatus, utpote qui demum a Numa Pompilio ordinatus est.* Romuli enim annus decem tantum menses, & initium a Martio habuit, cui Numa demum, aut duos alios adjecit, ut XII. menses essent, Januarium scilicet & Februarium, aut (si Romulei anni etiam duodecim fuerunt) aliter saltem ordinavit. vid. Macrob. *l.* I. *Saturn.* c. XII. Solin. c. III. Ovid. I. & V. *Fastor.* Flor. *l.* I. c. II. Censor. *de Die Natal.* cap. XXII. Aurelium Cassiod. *Chron. ad Theodor. Messal.* Corvin. *de Aug. Progenie.*

§. 11. Adde, quod Romulus non minus quam Tatius istius Sacri autor foret appellandus, eo quod unitis Sabinis & Romanis in unam gentem, utriusque unum esset Regnum, & quasi δυαρχία nominanda. Imo Dion. Halicarn. *l.* II. c. III. fin. docet, *semina & principia sacrorum, tum* NUMÆ, *tum* TULLIO *dedisse, cultusque divini præstantissimos ritus constituisse ipsum* ROMVLVM.

§. 12. Præterea, cum *Numa omnium fere ceremoniarum autor fuerit*, non inepte quis cum Luciano etiam STRENUÆ sacra & STRENARVM originem ad Pompilium retulerit. Is ita præit in *Pseudolog. Atque hinc erat quidem anni principium, imo vero tertia dies a novilunio magno, quando Romani juxta veterum consuetudinem & ipsi preces quasdam pro toto anno faciunt, & sacrificia peragunt pro eo, ac ipsis Rex Numa sacrificandi ritus hos constituit, persuasique sunt, quod eo potissimum die* VOTIS *ac precibus Dii vacent, atque animum advertant.*

§. 13. Veruntamen, cum nulli Antiquorum, (quod sciam) hanc gloriam Romulo vindicent, Lucianus autem Pompilio quidem ritus & ceremonias sacrificandi, non autem Strenas & vota offerendi officium tribuat, neque meum est, contra Symmachi fidem *Romulo adscribere, quod Tatii est, aut Numæ vindicare, quod Sabini est.* Si quid tamen momenti ad istam rem contulit Pompilius, istud non in Strenarum institutione, sed aut in mensium, aut festorum dierum, aut novorum sacrorum ordinatione consistit: Origine interea penes Tatium remanente, & cum Sabinis ad Romanos transeunte.

§. 14. Ita ergo sub *Tatio & sequentibus Regibus rudi & agresti populo agrestis quoque erat remuneratio.* Nam VERBENAS distribuit sacras e Strenuæ luco petitas, id est, sacras frondes, sacram herbam, sacra segmina, ut munera non tam pretio, quam animo remunerantis pensitarentur, &, quod materiæ deerat, id ex honore apponeretur. Nam Hierobotane B ista Strenuitatis indicium & clarigationis signum fiebat, jure feciali constituto. Ex quo fiebat, ut honores isti rari quidem & tenues, ob eamque causam gloriosi haberentur, sicut postea cum locupletiores fierent & effusi, etiam obsolescebant. Scilicet longe illustrior erat eo tempore felicis arboris corolla, quam post secuta ætate corona civica aut muralis. Quanquam neque hoc prætereundum est, quod coronas istas laureas & myrteas magni fecerint Romani, re Romana valde roborata. Lauris & triumphatorum capita, & domos, & aras ornata esse, quis ambiget? *Laurus triumphis dicatur, vel gratissima domibus ja-* C *nitrix Cæsarum Pontificumque, quæ sola & domos exornat, & ante limina excubat*, Plin. *l.* XV. cap. XXX. Myrteis autem coronis in Ovationibus, imo & in Triumphis usos esse Romanos, L. Piso & Massurius apud Plin. docent *l.* XV. c. XXIX. Adde, quod nec Consules nec Prætores hujus sive herbæ sive arboris tæduerit, cum Magistratus inirent suos. Itemque Livia Drusilla Imperatrix lauretum plantavit in villa Cæsarum, ex qua triumphans Cæsar laurum in manu tenuit, coronamque capite gessit, ac deinceps Imperatores Cæsares cuncti, Plin. *l.* I. c. XXX. Refer huc etiam coronas civicas ex quercu factas, obsidionales ex gramine, conf. Myl. *Hort. Philos.* p. 224. Martial. D *l.* VIII. epigr. ult.

Non quercus te sola decet, nec laurea Phœbi,
Fiat & ex hedera civica nostra tibi.

§. 15. Interim pedetentim accrescente potentia novi populi STRENARVM quoque sors creverunt. Nam sub Servio Rege æs signari cœpit, (si Plinio fides habenda *l.* XXX. c. III.) & sic etiam herbacea munera in æneas stipes degenerasse verosimile est: Eumque morem semper sub COSS. quoque imperio duravisse, neminem sinunt dubitare, cum sacra Strenuæ in ejus æde quotannis ad sacram viam facta, tum dona varia a Consulibus in plebem sparsa, tum denique munera a clientibus, servis, civibus ad Patronos, E Dominos, Magistratus K. Jan. crebro missitata.

§. 16. *Hæ calendæ*, inquit Anton. Perez, *inter omnes erant celebriores, cultu, lætitia, sacrificiis, vestibus novis: imo convivia publica privataque instituebantur, & si quis madidus vino fuisset, vitio ei non dabatur, tum alea ludebant Domini promiscue & famuli, nec servis tunc periculum ullum. Nam isti Dies æquam dabant omnibus libertatem, flagella & verbera cessabant, omnia plena pacis, libertatis, voluptatis, omnes sibi munera mutua mittebant, quæ solennia vocat JC. Paulus l.* 12. §. 3. ff. de Administr. Tutel. quia in more posita & annua, mittebanturque hæc F munera parentibus, cognatis, amicis, *Prælect. in l.* XII. c. XLIX. *tit.* XLIX.

§. 17. Quod autem adeo pauca & rara primorum istorum temporum testimonia prostant, non indicio est, Strenas Januarias non fuisse, sed homines, qui describerint, defuisse. Nam a conditura Urbis usque ad Livium Andronicum, per intervallum quatuordecim & quingentorum fere annorum vix quisquam inventus est, qui Ritus aut Res Roman. scriptis publicis mandaret, docente Tullio in *Bruto*, & accinente Horatio *lib.* II. *epist.* I.

—— habet hos, numeratque Poeta
Ad nostrum tempus Livi scriptoris ab ævo.

In quo quidem temporis intervallo fuisse permultos doctos suspicari magis (phrasi Ciceroniana) quam intelligere possumus, cum nulla penitus eorum extent in literis monimenta, præter orationem Cœci, & quasdam mortuorum laudationes, apud Hadrian. Cardinal. *præf. de Serm. Latin.* conf. Sallust. *Bell.Catilin.* cap. VIII.

§. 18. Interea, ut χαλδαϊκῶς STRENARUM SOLENNIA illustremus, ea sacra huc apponemus, quæ successu temporum in Kalendas Januarias conjecta sunt, utpote ex quibus non parum luminis STRENIS fœnerabimur, dummodo prius Libanium audiverimus, qui in καλανδῶν ἐκφράσει totam rem conficit, omnemque solennitatum dicam, an impietatum chorum ob oculos sistit. Ipsum audiemus Latine loquentem (nam Fed. Morellii δίγλωττον ad manus non est) ex Ferrar. Codice: *Pridie Kalendarum, dona ferebantur per urbem, quæ mensam onerare & ornare possint. Hæc ab optimatibus mutuo sese honore afficientibus: alia ab inferioribus mittuntur ad proceres, atque ab his etiam ad illos, cum hi quidem colant illorum potentiam, illi vero cultores suos deliciarum suarum participes faciant. At vespera cum advenit, rari sunt, qui nocte ante Kal. Jan. cubitum discedunt, pleraque pars in canticis & tripudiis, jocis & cavillis noctem agunt. Alii per ludum & jocum eos, qui in tabernis sunt, & officinis, inclamant, & fores pulsant, nec quiescere patiuntur. Quorum quidam succensent ob ea, quæ audiunt: aliis id risus est: neque vero quisquam est tam tetricus, qui præteriens culpet ea, quæ fiunt, neque tam abstinens a risu, ut non rideat. Deinde cum aurora sublucere, & gallus cantare cœperit, tum vero alii ramis lauri, aliisque coronamentis suas quisque fores ornant, alii circum fana producunt cum bonis verbis* ἱπποφόρον *equorum altorem* (quo nomine alii consulem intelligunt) *nitidi in vestimentis, partem majorem purpureis, multæq; faces prælucent. Equitem sequuntur ministri qui numos in populum spargunt. Ubi autem sacris operati fuerint, & victoriam a Diis postularint, qui equos alunt ad certamina, pergunt ad Principes* (ἄρχοντας) *& officio eorum Palatino distribuunt Aureos. Senatus præsens hanc fieri videt largitionem, & vero ipse facit. Nam ex Senatorum manibus hi nummi veniunt officio. Princeps quoque ipse tunc osculatur civem, aurum dans & accipiens. Enim vero & ad alios undiquaque aurum affluit, dum Patroni Principem imitantur, qui dat & accipit; alii dant, neque accipiunt, in quo genere sunt discipuli, qui mercedem festi gratia solvunt. At die jam orto pergræcationes nocturnas ebrietate & crapula testantur, & totum diem stertunt; at qui politiores sunt* τῶν δώρων πομπὴν *curæ habent Strenarum ac munerum missionem. Horum plerique dona mittunt Amicis* διὰ σεαυτῶν τε καὶ θεραπόντων *per ambulationes & angiportus pompatice: aliqui majorem partem remittunt, alii nihil: at qui omnia remittit, hic datori rem gratissimam facit. Hæc talia Kalendis fieri solita. Postridie vero Kal. Strenarum illud commercium cessat, & moris est domi se continere. Tum alea ludunt Domini promiscue & famuli, neque servo tunc periculum ullum, si forte segnis fuerit, sed & si quis madidus vino fuerit, vitio ei non datur. Et vero etiamsi quis alias pædagogus ferus, at nunc quidem certe ferus non est: & Doctor, si quis paulo asperior, remittit aliquid de asperitate. Nam dies æquam dat omnibus libertatem. Flagella & verbera cessant, omnia plena pacis, libertatis, voluptatis, nemoque adeo pauper est, qui non lautiori cibo expleatur. Scatet enim hujusmodi epulis tempus illud, & in omnium manibus omnia sunt, perinde, ac si terra profunderet. At* III. *Non. Januar. junguntur Circenses quadrigæ, magnumque certamen de victoria magna in circo frequentia, & post Circenses balineæ, deinde mensæ, in mensis tesseræ ac tali, ut nonnullis contentio circa hæc exorta cum die noctem consumat, neque* ἀγρυπνία *illis molesta est. Dies quartus vigorem festivitatis elidit, at prorsus extinguere ne sequens quidem dies potest, sed tanquam aura quædam venti leviter adhuc spirantis tempus hoc Kalendar. etiam tunc homines tenet in oblectamentis, etsi non tam, ut antea, apertis, ut vix tandem pigreque suo quisque operi manum admoveat, velut equi longo tempore otiosi cum jugo subduntur, & simulatque ad pensum quique suum accedunt, ut idem festum sibi rursus intueri liceat, precantur.* Hactenus Libanius: Sequuntur Kalend. sacra, de quibus paulo ante memineram. Nam

§. 19. Kalendis Januariis JANO tanquam primo Anni & mensis auspici sua sacra fecerunt, quæ ex libo, mola, mero & thure conficiebantur. Libum ideo JANUAL appellabant, quod soli Jano delibabatur, teste Festo. Mola farina horna & sale miscebatur. Merum & thus in lætitiam & suffimentum fundebantur, Ovidio suffragante:

Jane tibi primum thura merumque fero.

Imo & juvenci albi (velut DEO supero) mactabantur, & præ foribus ædium undiquaque suaveolentia incendebantur. Id forsitan est, quod Tertullianus iis suo adhuc tempore exprobravit, *Apolog.* cap. XXXV. quod *faces & choros in publicum educant, vicatim epulentur, civitatem tabernæ habitu adolefaciant, vino ludum agant, catervatim cursitent, ad injurias, ad impudentias, ad libidinis illecebras.*

§. 20. Ejusdem festivitatis notio erat, quo Æsculapii atque Jovis delubra in Insula Tiberina dedicarant. Nam, Servio teste, nihil apud Romanos tam solenne fuit, quam dedicationis dies. Ovidii *Fasti* se iterum pandunt:

Sacravere patres hac duo templa die;
Accepit Phœbo Nymphaque Coronide natum
Insula, dividua quam premit amnis aqua.
Juppiter in parte est, cepit locus unus utrumque,
Junctaque sunt magno templa Nepotis avo.

Alex. Don. *Rom. vet.* pag. 19. Ex quo sacratiori mysterio citra dubium etiam aliæ Templorum, Statuarum, ac Ararum dedicationes Kalendis Januariis factæ majoris dignationis fuerunt. Tres saltem adducam: *Templi* scil. *Concordiæ*, quod Tiberius suo & Drusi nomine Kal. Jan. anni U.C. DCCXLVII. dedicavit, Dion *Hist. R. lib.* LV. *Statuæ*, quam Coriarii Constantino posuerunt, quæq; latere averso se hoc die dedicatam esse loquitur;

DEDICATA KAL. IANVAR. D. NN. DIOCLET. III. ET MAXIMI ANO COSS. CVRANTE THESSIO SECVNDO. P CORIA RIORVM.	MAGNO. ET. INVICTO. IMP. CÆS. C. VAL. AVREL. CONSTANTINO. PIO. FEL. INVICTO. AVG. PONT. MAX. TRIB. POTEST. COSS. III. PP. PROC. D. N. CORPVS. CORIARIORVM. MAGNARIORVM. SALAIARIORVM. DEVOTI. NVMINI. MAIESTATIQVE. EIVS.

Et *Aræ*, quæ GENIO hoc die facta est, quam ex Onuphr. Panv. Lips. *Ord.* II. *Inscript. Antiq.* f. 150. exhibet:

GENIO. SANCTO
M. AUR. CL. POMPEIANUS
MILES. LEG. VIII. ANTONINIANÆ
AUG. B. F. COS. K. JANUAR.

§ 21. Porro Kal. Januar. sacris litabant, omnem religionem renovabant, auguria capiebant, & ad Deorum pulvinaria ibant, multa animi submissione sive rectius superstitione, quas rituum ineptias velut ἐν συνόψει sistit Chr. Ionstonius in *Polymath. lib.* II. c. XLVI. pag. 437. seqq. Tanta istius diei religiositas erat, ut quæ pædore per totum annum conspersa essent Idola, hoc ipso abstergerentur, & in novum velut florem reducebantur, religionibus omnium simulachrorum de integro velut exordium sumentibus. Ita enim Petrus Chrysologus *Serm.* CLV. *Hinc est fratres, quod hodie Gentiles Deos suos fœditatibus exquisitis,*

excogitato dedecore, & ipsa turpitudine turpiores Deos A
suos videndos trahunt, distrahunt, pertrahunt. Ex eodem capite Tertullianus Christianis Uxoribus nuptias cum infidelibus viris dissuasurus: *Moratur*, inquit, *Dei ancilla cum Laribus alienis, & inter illos omnibus honoribus Dæmoniorum, omnibus sollennibus Regum, incipiente anno, nidore thuris agitabitur.* Eodem modo invehitur Salvianus Massil. Episc. in sui sæculi Christianos, quod volantis pennæ auguria quærant, ac pene omnia faciant, quæ quondam Pagani veteres frivola & irridenda duxerant. Et cum omnia isti legant, qui annis nomina tribuunt, & a quibus anni exordia sumunt, credimus nobis bene annos posse procedere, qui a rebus omnibus potius, quam a Deo ordia- B
mur, *l.* V. *de Provid. Dei.*

§. 22. Quibus addebant varia suffimenta, varias victimas & sacrificia, Diis ex voto destinata, ut Urbs isto die tota fumare, & quasi incendiis victimarum æstuare videretur;

Cernis odoratis ut luceat ignibus æther,
Et sonet acceptis spica cilissa focis.
Flamma nitore suo templorum verberat aurum,
Et tremulum summa spargit in æde jubar.
Colla rudes operum præbent ferienda juvenci,
Quos aluit campis herba phalisca suis.

Cui παράλληλον est illud ex Tertull. II. *ad Uxorem*; C
Incipiente mense nidore thuris agitabitur. Et Mart. *l.* VIII. epigr. VIII.

Principium des, Jane, licet velocibus annis,
Et revoces vultu sæcula longa tuo:
Te primum pia thura rogent, te voce salutent,
Purpura te felix, te colat omnis honos.

Imprimis autem COSS. Junoni SOSPITÆ sub initium Regiminis sacrificare solebant, Cic. teste Orat. *pro Muræna; Nolite a sacris patriis Junonis Sospitæ, cui omnes Consules facere necesse est, domesticum & suum Consulem avellere.*

§. 23. Et ne quid lætitiæ publicæ deesset, convivia quoque cum gaudio & applausu magno parabant. In- D
de Prudentius dicit, *l.* I. *contra Symm.*

—— *Jano etiam celebri de mense litatur:*
Auspiciis, epulisque sacris, quas inveterato
(Heu miseri!) sub honore agitant, & gaudia ducunt
Festa Calendarum.

Non alienum ab hoc loco est, quod Tertull. *Apolog. adv. Gent.* c. XXXV. gentibus exprobrat: *Grande videlicet officium faces & choros in publicum educere, vicatim epulari, civitatem tabernæ habitu adolefacere, vino lutum cogere, catervatim cursitare, ad injurias, ad impudentias, ad libidinis illecebras.*

§. 24. Imo ne quoquam modo solennitas strenarum minueretur, luctus etiam publicos sufflaminabant. Id E
quod adeo tenacis consuetudinis erat, ut etiam sub Imp. Ælio Vero adhuc duraret. De eo enim tradit Ælius Spartianus, quod prohibuerit (votorum & strenæ causa) ne Commodum circa KALENDAS JANUARIAS mortuum lugerent.

§. 25. Et supplicia cohibebant, ne totius anni omina fœdari viderentur. *Calendæ Januar.* inquit Joann. Bapt. Egnat. *in A.H. script.* fol. 767. *citra omnium supplicia ac pœnam exigebantur*, ϰ̀ μάϛιγες μὲν ἠρεμῶσι ϰ̀ πληγαὶ, *& flagra cessant, ac plagæ: Plena omnia sunt pacis, libertatis, voluptatis*, Liban. in ἐκφράσει καλανδῶν. Baron. *Martyrol.* f. 6. *Scimus, jure antiquo Romanorum non tantum ipsis Kalend. sed etiam reliquorum* F
mensium Calendis & Idibus ac cæteris eorum feriis, non tantum a cæde, sed etiam a quacumque læsione Romanos Magistratus cessasse. Ipsis feriis vim alicui (licet ex lege) inferre, piaculare erat (ut Macrob. docet *l.* I. c. XV. *Saturn.*) *ita ut & nuptias vitarint his diebus, utpote quibus virginibus vis fieri videatur* (credo ingratiis virginum.) Quanto magis vitæ vim inferre piaculare fuerit: Hinc in *Marii Vita* apud Plutarchum legimus, quod Urbi impendentium malorum maximum præsagium sit visum, *quod initio anni Sextum quendam Licinium de saxo dejecit.* Quam fœditatem etiam exorsi anni velut indignabundus sollicitat Florus c. XXI. *Hæc tot senatus funera intra KALENDAS & Idus Januarii mensis septima illa Marii purpura dedit. Quid futurum si annum Consularem implesset?*

Hinc sub Imperat. Tiberio & Claudio gravis truculentia fuit, quod a cæde se non temperarunt, ita, ut isti Principes fœdum anni principium fecisse dicantur ob interfectos Titium Sabinum & Syllanum, Tacit. *l.* IV. *Ann.* c. LXX. & c. LXVIII. Hinc ista indignationis plena vox est Suetonii in *Tiberio* c. LXI. *Nullus a pœna hominum cessavit dies, ne religiosus quidem & sacer. Animadversum in quosdam ineunte novo anno.* Et vicissim in *Claudio* c. XXIX. *Syllanus initio anni mori coactus est.*

§. 26. Non aliena ab hoc loco est quæstio: An ergo *tanta Kal. Januariarum solennitas & religiositas Gentiles sive Impp. sive Præfectos potuerit a cæde & sanguine Christianorum revocare?* Quod si enim sibi a vi temperaverunt cum lege sævire liceret, quanto æquius erat parcere innocentibus Christianis? Veruntamen tantum abest, ut impotens iste eorum furor libidini modum posuerit, ut potius fræna laxaverit, & vel religiosissimo quolibet die irreligiosas manus piis Martyrum cervicibus injecerit. Nam quod Hospinianus *de Orig. Fest.* f. 56. ex quadam Hieronymi Epistola *ad Chromatium* scripta profert, quod nullus dies sit, quo non quingentorum martyrum numerus iniri possit, *excepto die* KALENDARUM JANUARIARUM, jamdudum est suspectum. Hieronymi certe Epistola *non est, sed fraterculi cujusdam Carthusiani, qui in ea condenda non novit aperta vitare* mendacia, ex mente Baron. T. I. *Ann.* N. XLIV. & Rob. Coci *Censur. Scriptor. vet.* p. 151. Refragantur Martyrologia omnia, refragatur Gregorius *l.* VII. *Indict.* I. *Epist.* XXIX. Refragatur *oppressio Telemachi, octavis Nativitatis Messianæ* facta. Refragantur Suetonius, Plutarch. & Dion. Refragatur denique Philo *l. in Flacc.* Ægypti præsidem scripto: *Mos est*, inquit, *in neminem damnatum animadvertere, donec solennes celebritates, natalitiaque Augustorum festa prætereant. At ille* (Flaccus) *per eos ipsos dies injustis pœnis affligebat homines innoxios.* Et post pauca: *Novi quosdam cruci affixos instante tali festo, de cruce depositos, & ad sepulturam cognatis ex more redditos, quandoquidem decebat vel ad mortuos redire aliquem fructum ex Imperatoris Natalibus. At iste* (Flaccus) *non mortuos deponi de crucibus, sed vivos crucifigi jubebat.*

§. 27. Ex quibus proclive est judicare, quid de ista Eusebii narratione sit statuendum, quam, nescio qua fide, allegat Durand *l.* VII. *Ration.* c. I. n. XXVIII. Constantium Imperatorem transmarinas partes petentem, invenisse Eusebium Cæsariensem Episc. virum sanctissimum, eique dixisse: *Pete a me, unde Ecclesia tua ditetur:* illum verum respondisse, *Ecclesia mea satis abundat divitiis.* Sed istud rogo te, ut mittas per partes mundi, & nomina sanctorum, & tempora passionum, & sub quibus, & qualiter, in quibus locis passi sint, exscribas. Idque factum esse. Nam Euseb. referre, quod quolibet anni die plus quam quinque millium sanctorum festa concurrant, *Excepta die Kalendar. Januar.* quo intendebant (intenti erant) Gentiles epulis & solennitatibus, non ad martyrizandum sanctos.

§. 28. Verum mittimus Martyria & Tormenta, revertimurque ad publica gaudia, quibus omnia in Urbe primo Jan. die triumphabant & lætabantur. Martial. *l.* VII. epigr. VIII. de Decembri sic ait:

Felix sorte tua, poteras non cedere JANO,
Gaudia, si nobis, quæ dabat ille, dares.

Nam iste dies totus in publicam Urbis & Orbis lætitiam resolutus erat. URBIS, inquam. Nam ita conveniebat in solenni Urbicorum Magistratuum initione: imo & in ergastulorum ac servorum emancipa-

tione ita conveniebat: Ammianus *l.* XXIII. c. VII. docet, Mamertino Consule Kal. Jan. ludos edente, manumittendos ex MORE inductos esse per admissionum proximum: & Claudianus *in Honorii Consul.*

—— desuetaque cingit
Regius auratis fora fascibus Ulpia lictor.

Ulpia inquit, quæ Ulpius Trajanus variis modis ornaverat. Idem Claudianus *de Eutrop. Conf.*

—— Libertatemque daturus
Quemadmodum meruit, scandit sublime tribunal.

Sidonius *de Antonio Aug. Conf.*

Nam modo nos jam festa vocant, & ad Ulpia poscunt
Te fora, donabis quos libertate Quirites,
Quorum gaudentes exceptant verbera malæ.
Perge pater Patriæ felix, atque omine fausto
Captivos vindicare novos, absolve vetustos.

Huc spectat illa inter M. Aurelius Imp. & inter æmulum senatorem Fulvium lis, qua hic istum publice traduxit, quod Imperator relicta Senatorum pompa, nullo adhibito satellitio, captivorum sodalitio se adjunxerat, *ut vestimentorum tactu libertati restituerentur*: At modestissimus Imper. eleganti oratione se contra cavillas Fulvii defendit apud Guevar. *Horol. Princ. l.* I. c. XXXVIII. & XXXIX. ORBIS, addo ob sequentia tempora. Nam sub Impp. *nuncii lætitiæ publicæ hinc inde emissi sunt*, ut anni exordia *certis inchoata Consulibus, partim Impp. fortes, victorias, gloriam, vitam, honorem passim disseminarent. Pro quo officio ipsis, lege lata, sex aureorum munera* capere licebat: ultra sex aureos (ne sportulæ quidem specie) capere non licebat, *L.* I *C. Th. Ne quid publ. lætit.* & *L. ult. C. Just. l.* 12. *tit.* 64.

§. 29. Parum absum a summa & Magistratuum & Civium lætitia, quam ex novis Consulatibus hauriebant. Nam hos & ipsis *Kalendis Januariis* inibant. Tunc enim ascendebatur in Capitolium, Jovi optimo Maximo injuges juvenci mactabantur, multaque odorem facientia in templis & præ foribus templi cremabantur, uti de sui & priorum temporum ritibus canit Ovidius I. *Fastorum*.

Vestibus intactis Tarpejas itur in arces,
Et populus festo concolor ipse suo est.
Jamque novi præeunt fasces, nova purpura fulget,
Et nova conspicuum pondera sentit ebur.
Colla rudes operum præbent ferienda juvenci,
Quos aluit campis herba phalisca suis.

Hinc tristis Civitatis facies erat, *quoties Kal. Januar. nec Consul erat creatus, nec Prætor*: sicut id inter portenta anni refert Dio *l.* XLII *H. R.* Et lugente Urbe ob cædem proscriptorum, Triumviri ἐκελεύσθησαν ἐπὶ τῇ προγραφῇ εὐθυμεῖσθαι, θάνατον ὀφλήσαντες, αἱ μὴ πειθαρχήσωσιν: *edictum est, ut omnes læto animo essent, quid id non fecisset, ei mortis supplicium est constitutum.* Dio *l.* XLVII. Non est prætereundum, quod elegantissimus Guevara sub auspicium sui *Horologii* observavit, nempe *Kalend. Januar. creatis duobus Coss annuis, creatos etiam* (extra ordinem) *Dictatores, Magistratus semestres, aliosque quatuor viros illustres, qui quatuor Imperii limites periculis maxime obnoxios custodirent*: Quod uti Pompeii, Scipionis, A. Cæsaris & Marii exemplis satis comprobatum est, ita non nisi de illis temporibus intelligendum est, quibus jam tum Romanis parebant Byzantium, Gades, Rhodanus & Rhodus. Hæc enim erant limitanea ista præsidia ad quatuor mundi cardines a Romanis servata: ut Parthos in Asia, Lusitanos in Hispania, Germanos ad Rhodani ripas, & barbaros apud Collossenses seu Rhodienses, velut perpetuis frænis injectis coercerent, & reprimerent. Hæc postea cura a COSS. ad ipsos Impp. transiit. Nam tales legiones limitaneæ Augusti, Tiberii, aliorum passim leguntur in Scriptoribus Augustis.

§. 30. Novi COSS. dicebantur ANNUM APERIRE, ANNUM DESIGNARE, FASTOS RESERARE, uti Plinii *Panegyricus* Trajano dictus loquitur, *vestrum nomen annum designat*. Et in Form. COSS. VI. *Variar.* Cassiod. & vicissim II. *Var.* Felix a Consule annus sumat auspicium, portamque dierum tali nomine dicatum tempus introeat. Lactantius etiam *l.* VI. *de vero cultu*: *Ii sunt*, inquit, *qui ad gerendos Magistratus omnem vitæ operam curamque convertunt, ut* FASTOS *signent*, & ANNIS NOMEN *imponant*.

§. 31. Ceterum nec omnes Consules, sed ii saltem, qui primo nundino seu nundinio (reliqui enim etiam aliis diebus suffecti sunt, notante Salmasio *ad Vopisc.* p. 417.) designati erant, nec omni tempore *COSS. KALENDIS JANUARIIS inierunt*. Ita Budæus *Reliq. Annotat. in Pand.* f. 61. *Prius designabantur Magistratus, & post aliquot menses magistratus inibant.* Designantur enim tum, cum creati renunciantur: tuncque ἀναδεικνύμενοι & μέλλοντες dicuntur. Ineunt autem demum, cum insignia magistratus cum imperio assumunt, & εἰς τὰς ἀρχὰς εἰσιέναι dicuntur. Liv. Consules quo creati sunt die (sic enim placuerat patribus) magistratum inierunt. Romæ autem *Kalendæ Jan. paulo serius solennes erant, ineundis Magistrat.* Sigonius in *Fast. & Triumph. Rom.* f. 15. aperte scribit: *Ante annum* DXXX. *fere ab U. C. nihil labantius atque inconstantius fuit, quam solennis Consulatui ineundo dies.* Sæpe enim Tribunitiæ potestatis severitas, Patriciorum in plebem austeritas, sæpe promittentis Consulis læsa veritas, aliaque plura abdicationem consularis dignitatis bonis viris imponebant.

§. 32. Plutarchus quidem in *Probl. R.* scribit *primos* mox *COSS. & omnes deinceps insequentes* in memoriam exactorum Regum ipsis KALENDIS JANUARIIS magistratum cepisse. Sed ea assertio jamdudum bonis viris cœpit esse suspecta. Fortassis error Plutarcho inde accidit, quod *Nonas cum Kalendis confudit*. *Nonarum* enim diem non *Kalendarum* adeo religiose coluisse ob exactos Reges Rom. testatur Macrobius *l.* I. *Sat.* c. XIII. in honorem Servii Tulli, quem Nonis natum sciebant, sed quibus Nonis nesciebant: Ideoque ne de die error esset, *omnes Nonas celebrarunt*. Quanquam (si verum fateri volo) iste Macrobii locus non usque adeo tutus appareat.

§. 33. Ovidius in *Fastis duos dies festos Regifugii* allegat, unum VI. *Kalend. Martii*, alterum IX. *Kalend. Junii*. Verum posterior ille Sigonio non placet, quod nihil absurdius, quam res tantas, *quantas ille Brutus in consulatu gessit, ab eo quinque dierum spacio gestas dicere.* Nam Plutarcho autore in *Publicola*, Brutus, qui VII. Kal. Martii Magistratum inierat, secundum Ovidium, pridie Kal. Martii obiit, interfectus in prælio ab Arunte Tarquinio. Quod intervallum est quinque saltem dierum. Neque dicere possumus, Brutum VII. Kalend. Mart. Magistratum cepisse, eumque usque pridie Kal. Mart. sequentis anni, id est, ad extremum anni diem obtinuisse. Nam si ita res cecidisset, nullum in Bruti mortui locum surrogari opus fuisset, cum tamen duo deinceps ei sint suffecti Sp. Lucretius & M. Horatius.

§. 34. Quod cum ita sit (pergit idem Sigonius) sane efficitur ut IX. *Kal Junii* (hoc scil. alterum tempus Ovidius etiam in *Fastis* notaverat) *Reges sint expulsi*, siquidem Macrobius scribat I. *Saturn.* XII. nonnullos putare, *Junium mensem a Junio Bruto, qui primus Romæ consul factus, nominatum esse, quod hoc mense, id est, Kal. Juniis pulso Tarquinio sacrum Carnæ Deæ in Cœlio monte voti reus fecerit.* (Salva Sigonii autoritate, sensus potest esse etiam iste, quod Kal. Juniis sacra *Carnæ* fecerit, non quod *Kal. Juniis pulsus sit* Tarquinius. Neque enim tam de Regis expulsione quam *de Carnæ sacris*, ob Regis expulsionem, antea factam, heic Macrobio videtur esse sermo. Atque sic

hæc ratio parum stringeret. Quid?quod hæc aliorum, non Macrobii sit ratio & relatio.) Sed audiamus porro Sigonium : *sic autem efficitur, ut Bruto post novem menses in prælio interfecto, in reliquum anni Sp. Lucretius, ac eo mortuo M. Horatius fuerint suffecti.* Confirmant hanc opinionem ea, quæ de *segete matura messi*, & de *Tiberi, levi fluente aqua*, ut mediis caloribus solet, affert Livius, cum de bonis Regi reddendis paulo post Regis expulsionem loquitur. Ex iis enim *Juni potius, aut Quintilis*, quam *Martii aut Aprilis* tempus describitur. Adde, quod Dionysius ait, primos Coss. iniisse quatuor mensibus illi anno deficientibus. Quod ego ita interpretor (addit Sigonius) consuevisse eos tum annum a Kal. Octobr. ordiri. Cum autem primi Coss. *circa Kal. Junias inierint*, menses quatuor ante solennem ordiendi novi anni diem iniisse. Et mox : *Quod circa Kal. Octobr. tum annum exorsi sint, apparet ex Dionysio, qui l.* VI. *Sp. Cassium & Posthumum Cominium* Coss. anno CCLX. consulatum inisse ait Kal. Septembribus, citius quam alii consueverint.

§. 35. Hæc quidem ita hactenus a Sigonio non improbabiliter disputata sunt, nihilominus alios autores plus movet autoritas *Kalendarii Romani, quod jussu Cæsaris Augusti Saxeis tabulis exaratum* est, aliorumque scriptorum, qui diem Regisfugii in VI. Kal. Martii seu XXIV. Februarii rejiciunt. vid. Calvis. *Chron. f.* 69. Joach. Grell. *Chron Liv.* D. Aug. *Strauch. Chron. Brev. l.* IV, cap. XV. aliosque.

§. 36. Undecunque tandem primus Consulatus sit ordiendus, ad aliorum ordinarium tempus redibimus, & inveniemus, morem istum *COSS. ineundi ipsis KAL. JANUAR. ab anno U.C.* DC. *vel* DXCIX. Nam ante ista tempora dies creandis COSS. varia-
α bant. Nam *primi Consules post ejectos Reges juxta* Kal. *Rom. Augusti inierunt Magistratum die* XXIII.
β *Februarii.* Post annos XV. paulo ante secessionem plebis Dionysius affirmat *COSS. maturius solito* Magistratum iniisse *Kalendis Septembribus*. Post
γ annos triginta fere Livius *l.* III. inquit, COSS. Aebutio & P. Servilio, ut tum principium anni agebatur, *Kalendæ Sextiles* solennes fuere Ma-
δ gistratui ineundo. Postea tempore Decemvirorum *Idus Maii* solennes fuerunt. ib. *l.* III. Fuit annus undecimus post COSS. P. Servilium & Aebutium.
ε Inde post annos quinquaginta fere *Idus Decembres* solennes fuisse, Livius docet init. *l.* V. Iterum
ζ post annos fere octo *eod. lib.* inierunt Magistr. *Kalendis Quinctilibus*, qui mos diu obtinuit ad annos ferme septuagin a, usque ad COSS. M. Claud. Marcellum & Cn. Corn. Scipionem, paulo ante
η bellum Punicum secundum, ubi tum *Idus Martiæ* solennes factæ sunt huic honori. Tandem ab *Idi-*
θ *bus Martii* translatus est in *Kalendas Januarias*, coss. Fulvio Nobiliore & T. Annio Lusco apud Calvis. *de Ep. U.C.* c. x. f. 71. sq. & St. Vinand. Pigh. *Annal. Rom. l.* XII. p. 43. cujus rei causam placet ex Appiano & Cassiodoro audire. Scil. Celtiberi, qui per XXV. annos in pacto fidi permanserant, bellum renovarunt, admodum formidabile & diuturnum, ad quod ob arduam molem visum est consulari Duce & Exercitu rem gerere. Ideoque ob motum Celtiberiæ sedandum maturanda erat COSS. electio, quæ postmodum consuetudo ad Kal. Januarias alligata ex hoc tempore perpetua mansit Rep. stante.

§. 37. Ex dictis manifestum est, Caput anni 1. fuisse in *Februario*, 2. in *Septembri*, 3. in *Sextili*, 4. in *Majo*, 5. in *Decembri*, 6. in *Quintili*, 7. in KALENDAS JANUARIAS retractum, fixam stationem est adeptum.

§. 38. Istud placet adjicere, cum semel in istum Coss. Catalogum inciderimus, quod sæpe uno anno tres, quatuorve invicem, etiam vivis Impp. HONORARII COSS. sint substituti, ubi in computo tantum numerantur, qui KAL. JANUAR. Consulatum inierunt; reliquis tanquam HONORARIIS ac MINORIBUS COSS. (ita enim appellabantur) prætermitis. Ista consuetudo incepit a Julio Cæsare Dictatore, qui cum neque in annum, neque in reliquum anni spatium consulatum gessisset, nullis legibus aut auspiciis coactus abdicavit, alio sibi, honoris duntaxat gratia, surrogato, teste Dione *l.* XLIII. & *l.* XLVIII. & Sigonio *ad A.U.C.* DCCVIII. *f.* 302. conf. etiam Sexti Rufi *Breviar.* init. Sueton. in *Cæs.* c. LXXVI. *Tertium & quartum Consulatum titulo tenus gessit ..... ac utroque anno binos consules substituit sibi in ternos novissimos menses.* Imo & cum pridie Kal. Januarias repente Consul obiisset, in *paucas horas* petenti cessantem honorem dedit. Testis est Lapis in Hortis Colotianis.

JVLIVS. CÆSAR. IIII. SINE. CONLEGA. DIC.
SVF. Q. FABIVS. MAXIM. C. TREBONIVS. C. F.
C. CANINIVS. C. F.
JVLIVS. CÆSAR. DICT. IV. M. ÆMILIVS. M. EQ.
C. JVLIVS. CÆSAR. V. M. ANTONIVS. M. F.
SVF. P. CORNELIVS. P. F.
C. VIBIVS. C. F. PANSA. A. HIRTIVS. A. F.
SVF. C. JVLIVS. CÆSAR. SVF. Q. PEDIVS Q F.
C. CARRINAS. C. F. P. VENTIDIVS. P. F.
EMILIVS. M. ANTONIVS. IMP. CÆSAR. III. VIR. R. P. C.
EX. A. D. V. K. DEC. AD PR. K. JAN. SEXT.
MVNATIVS. L. F. M. ÆMILIVS. M. F.
ANTONIVS. P. SVLPITIVS CENS. LVST. N. F.
ANTONIVS. P. SERVILIVS. P. F.
N. DOMITIVS. M. F. C. ASINIVS CN. F.
VF. L. CORNELIVS. SVF. P. CANIDIVS. P. F.

De Augusto itidem Sueton. tradit c. XXVI. quod secundum consulatum novem annos post primum cœperit, eundemque *paucissimis horis* saltem gesserit, utpote quo se *Kal. Jan. cum mane pro æde Capitolini Jovis paululum Curuli sella præsedisset*, abdicaverit, & suo loco suffecerit *L. Antonium*, & post eum, vicissim alios. Id quod etiam vetus Inscriptio docet.

IMP. CÆSAR. II. L. VOLCATIVS
KAL. JAN. L. ANTONIVS
KAL. MAII. L. FLAVIVS
KAL. JVL. M ALTILIVS, C. FONTEIVS.
KAL. SEPT. L. VINVCIVS.
KAL. OCTOB. I. LÆNONIVS.

De *CALIGULA* Suet. c. XVII. *Consulatus quatuor gessit: primum ex Kal. Jun. per duos menses: Secundum ex Kal. Jan. per* XXX. *dies: tertium usque in Idus Januar. Quartum usque in* VII. *Idus easdem.* Sic Dio de M. Antonio tradit, quod *A.* DCCXIX. se & ipse KAL. JAN. abdicarit, causa non adjecta, forte, quod Triumviratum majoris æstimaret, & alteri fautori hunc honorem cederet; Sic de Domitiano Tranquillus ait: *omnes Consulatus pene titulo tenus gessit, nec quenquam ultra Kalend. Maii, plures ad Idus Januarias usque.* Ecce vix XII. aut XIII. dies. Id tangit & Plinius in *Trajani Panegyrico: Quam dignum te, quanquam diversum a consuetudine illorum, qui paucūlis diebus gestum Consulatum*, imo *non gestum* abjiciebant per edictum. Commodus in unum annum XXV. designavit. Huc spectat Consul unius diei Caninius Rebilus: ad cujus exemplum alios non admisit, uno Consulum K. Jan. mortuo, Nero, teste Sueton. c. XV.

§. 39. Longius abii a publica Urbis lætitia, quam populus & Senatus, cum ex novorum Consulum processionibus, tum ex eorundem largis muneribus capiebant. De prioribus temporibus nihil definio: De posterioribus certe satis constat, novos COSS. Prætores & Equites varia munera tam aurea, quam argentea Kal. Januar. in populum sparsisse, velut

publice lætitiæ indicia, & auræ popularis aucupia, *L.2. C.Th. de spectac.*& Libanius *in ἐκφράσει καλανδῶν*. Quia autem ista liberalitate Consulum census valde affligebatur, justo moderamine usus Imp. Marcianus A. C CCCCLII. Fl. Asporatio & Herculano Coss. legem tulit, *ne talia missilia amplius in vulgum jacerent, sed centum duntaxat auri libras ad refectionem Aquæductuum sub initium consulatus solverent*, *L. 2. C. de consul. & non spargend.* Cessante *ista spargendi vilitate Amplissimi Consules procedentes, deinceps abstineant hoc errore perdendi, optimoque consilio operi necessario proficiat, quod erat incompetenter projiciendum.* Ad *restaurationem itaque Aquæductuum hujus amplissimæ urbis CENTENA PONDO Auri præstentur per singulos Consulatus.* Quæ ipsa tamen Justinianus Imp. ut & veterem morem & gaudia plebi restitueret, eatenus temperavit, ut argentum in minutioribus nummis, nempe in miliarensiis, & melis in caveis & quadrangulis mediocribus, septem processionibus, inprimis autem KALENDIS JANUARIIS spargere liceret NOVO CONSULI, NOVI CONSULIS UXORI, aut MATRI. Aurum autem sive in majori sive in minore caractere aut pondere spargere non liceret, quippe quæ dignitas soli Principis Majestati sit reservata, ut cum solius Imperii sit aurum contemnere, ejus etiam solius sit aurum spargere, ut est in *Novella* CV. 1 & 2. An autem hac permissione Justinianus satis consuluerit aut Consulibus aut populo, merito dubitat Perez. *Præl. in C. de Consul.* Nam & ipse Imperator testatur, se vidisse magna istius rei incommoda, nempe verbera & vulnera in direptione missilium, & deinde insanas commessationes eorum, qui aliquid nacti erant: Ideoque consideratione horum incommodorum hæc missilium jactatio tollenda erat, imprimis cum eam ob causam sæpe bene meriti a spe adeundi consularem dignitatem dejicerentur, utpote tantis sumtibus impares. Videbantur enim divitiæ eligi, non merita: aut saltem non eligi honores ex virtute, sed ex pecunia. Quare Leo Imp. ut indigentiæ Consulum consuleret, & Resp. dignos honore viros haberet, sparsionem istam sive Strenarum sive missilium, vel rectius Legem istam de Consulatu & Consularibus muneribus prorsus sustulit, *Nov.* XCIV. *ad Stylianum.*

§. 40. Nos ista per Legem sublata Sparsione, ultimis Consulatuum temporibus ad priora redibimus, & porro publica Romanorum gaudia Strenarum & Kalendarum Januariarum die agitari solita & solennibus istis & splendidissimis Triumphis metiemur. An unquam Urbem majori tripudio & ovatione efferbuisse credis, quam cum Triumphus esset? Aut num ullus Triumpho ducendo dies aptior, quam qui solenni exultationi dicatus erat? Hinc Plutarchus in *Mario* scribit, quod ille II. Consul ex Africa cum exercitu transvectus, *ipsis Kal. Januar. & consulatum acceperit & triumphaverit*, ad annum U. C. DCXLIX. Sic Dion tradit *l.* XLVIII. quod *Marium imitatus L. Antonius M. F. M. N. COSS. An* DCCXIII. *ex Alpibus KAL. JAN. triumphaverit, ut se Mario gloria æquaret*, utpote qui & eodem die, quo ille, ante de Jugurtha triumphaverat, triumphaturus erat. Et vicissim Anno DCCXIV. L. Marcius Censorinus ex Macedonia in Consulatu K. Jan. triumphum duxit. Sic postea Tiberius secundum Consulatum sub Augusto iniens ex Germania ipsis KAL. JAN. triumphavit, An. Urb Cond. DCCXLVI. Quanquam igitur istud tempus ordinarium non fuerit. Nam Cn. Pompejus S.F.C.N. de Asculmis VI. Kal. Jan. Metellus Proconf. ex Hispania III. Kal. Jan. Cn. Pompejus II. Procos. pridie Kalend. Januar. & vicissim L. Munatius L. F. L. N. Plancus Proc. ex Gallia IV. Kal. Jan. & eodem anno M. Æmilius Lepidus II. IIIVir. R.P.C. Procos. ex Hispania pridie Kal. Jan. C. Junius de Brutiis Non. Januar. aliique aliis cum mensibus tum diebus triumpharunt, nihilominus tamen major gaudii cumulus KAL. JAN. accessit, quando publicæ STRENARUM lætitiæ, gaudia triumphorum superaddebantur.

§. 41. Quid? quod isto die lites forenses & jurgia inimica, imo & ordinariæ Consultationes Coss. aliorumque Senatorum cessabant, tam quod omnes Kalendæ feriæ essent, quam quod feriæ solennes essent. Ovidius:

Prospera lux oritur, linguis animisque favete,
Nunc dicenda bona sunt bona verba die.
Lite vacent aures, insanaque protinus absint
Jurgia: differ opus livida turba tuum.

Cicer *l.* II. *de LL. Feriarum*, inquit, *festorumque dierum ratio in liberis requietem habet litium, in servis operum & dierum.* Ita enim præiverat Lex XII. Tabb. *Feriis jurgia amovento:* recte Tibullus *l.* I. *Eleg.* I.

Luce sacra requiescat ager, requiescat arator,
Et grave suspenso vomere cesset opus
Omnia sint operata Deo, non audiat ulla
Lanificam pensis imposuisse manum.

Et ne cui eadem Ovidii autoritas imponat, quod I. *Fastor.* dixerat:

Postea mirabar cur non sine litibus esset
Prima dies? ——

Sciendum, vocem *litis* hic *καταχρηστικῶς* non pro litibus forensibus, sed pro gnava artis & professionis suæ tractatione capi. Nam a tali lite, id est, operis sui tractatione nec mechanici nec alii artifices abstinebant, sed artis & professionis suæ demonstratione, quam quisque callebat, certabant, ut bono omine ab anni auspicio captato cætera feliciter decurrerent. Quod ordinarie Senatus consulta non fecerit Kal. Januariis, vel unicus ille Dionis locus ostendit ex *l.* XLV. *Hist. R.* Nam instante bello Antoniano anno U.C. DCCXI. A. Hirtio & C. Pansa Coss. adeo perturbata erant omnia Romæ, ut *ne religiosis quidem diebus consultationem de sua salute intermitterent.* Βυλὴ [illegible], καὶ [illegible] ἐπὶ [illegible] ἡμέρας, ἀπ' αὐτῆς τῆς νυμηνίας προσετέθησαν. *Kal. Jan. Senatus est convocatus, perque dies tres continuos est deliberatum.*

§. 42. Et hæc non postrema feriationis istius diei erant. Nam sic auspicia omnium operum faciebant sive publicorum, sive privatorum, leviter scilicet & perfunctorie. (Nam ardua & continua operatio feriationem turbasset: superficialis autem ista auspicalis erat & ominosa) Ista enim sive superstitione sive religione ferebantur, ut nihil prospere processurum crederent, per totum anni decursum, cujus non initia fecissent sub initium anni, & vice versa, ea omnia bene cessura, quorum sive operum sive rerum auspicia hoc auspicali die fecissent. Ovidius I. *Fastor.*

Tempora commisi nascentia rebus agendis,
Totus ab auspicio ne foret annus iners.
Quisque suas artes ob idem delibat agendo,
Nec plus quam solitum testificatur opus.

Hinc Columella testatur, *Agricolas etiam ipsis Kalendis Januariis auspicandi causa omne genus operis rustici instaurare.*

Id sicut in privatis passim obtinuit, ita in publicis etiam usque ad Trajani tempora duravit. Testem producimus Plinium, qui *ad Trajanum: Illum*, inquit, *primum consulatus tui auspicalem diem tacitus præterire nullo modo possum, quo tu solus omnium consecutus es, ut quod tempus antea incipiendis tantummodo rebus aptum esse videbatur, tunc primum potuerit sufficere peragendis, unoque Sol curriculo & officia te Consulis inchoantem videret, & Imperatoris implentem.* Et *Drusus Urbis Præf. auspicandi gratia Tribunal ingressus est*, Tacit. *lib.* IV. *Annal.* c. XXXVI.

§. 43.

§. 43. Ejusdem vanitatis erat, quod ex istius diei sive serenitate, sive obscuritate omina fecerint, *Commodo certe Imperatore, repentinam istam caliginem & tenebram* (ita loquitur in *ejus Vita* Ælius Lampridius) *in circo KAL. JAN. obortam prodigium mortis Imperatoriæ habebant.* Similiter etiam antea sub Tiberio, Marco Junio & Lucio Norbano Coss. contigerat, ut ex inopinato tubæ cantu & Jani lapsu mortem Germanici vulgo prædicerent. Xiphil. in *Dion. Epit.* μετὰ ταῦτα τέρας ἐν αὐτῇ τῇ νουμηνίᾳ οὐ σμικρὸν ἐγένετο. Ὁ γὰρ Νωρβανὸς ὁ ὕπατος σάλπιγγι ἀεὶ προσκείμενος, καὶ ἐρρωμένως τὸ πρᾶγμα ἀσκῶν, ἠθέλησε καὶ τότε ὑπὸ τὸν ὄρθρον, πολλῶν ἤδη πρὸς τὴν οἰκίας αὐτοῦ παρόντων, σαλπίσαι. καὶ τοῦτο τε πάντας ὁμοίως ἐξετάραξε καθάπερ ἐμπολέμιόν τι σύνθημα τοῦ ὑπάτου σφίσι παραγγείλαντος, καὶ ὅτι τὸ τοῦ Ἰανοῦ ἄγαλμα κατέπεσε. κ. τ. λ. Quæ ex Guilh. Blanci versione ita effero: *Post Jan. Kal. non parvum extitit prodigium, quo Germanici interitus prædici quodammodo videbatur. Nam eo die Norbanus consul, qui semper in id incumbebat, ut tuba caneret, in eoque studiose exercebatur, prima luce, cum jam domi adesset magna hominum multitudo, tuba canere cœpit. Quæ res omnes pariter conturbavit, quasi Consul bellicum cecinisset. Augebat timorem, quod Statua JANI ceciderat*, &c. Quid ergo mirum, si divinum Numen, populo superstitionibus dedito sæpe omina, eventu expectato, confirmavit? Certe Cajum Principem eo anno interfectum esse, docet Plinius, *quo victimæ jecur non apparuit KAL. JANUAR. quibus inierat Consulatum*, *l.* XI. c. XXXVII. *Et Larium exornatorum KAL. JAN. in ipso sacrificii apparatu prolapsus*, Neronis interitum præludit, Sueton. in *Nerone* c. XLVI. Et *Galbæ KAL. JAN. sacrificanti corona de capite elapsa mortis index erat*, Suet. in *Galba* c. XVIII. Et Dolabellæ ac Antonio infaustum est visum, quod inter sacrificia lictor concidit, teste Dione. Quam trepidat Symmachus, vir alioquin magnus, sed superstitione tali valde implicitus, quod *Consul primo consulatus & Triumphi die fracto crure sublatus est*. Epistola est LX. *l.* VI. *ad Nicomachi filios: Gravibus civitas sollicitatur ostentis, quorum leviora prætereo. Istud ante omnia interpretatio tristis horrescit, quod Natali Urbis suffectum Consulem currus, a quo vehebatur, evolvit per ferociam bigarum, quæ triumphum vehebant. Itaque palmata amictus, & Consulari insignis ornatu, fracto crure sublatus est. Offendit me infausta narratio.*

§. 44. Quid? quod primo Anni die periti Matheseos, tam sibi quam aliis, quos caros habebant, vitæ themata astrologica erexerint, & Catalogos operum contexuerint. Hadrianus certe Imperator id Ælio Vero, novo successori designato dicitur fecisse, in *Ælio* Spartianus cap. XVI. Ita enim potius locum accipio, ut de VERO, quam Hadriano ipso intelligatur. Neque *sero*, sed *VERO* malo legere, cum Clariss. Meursio. Sic enim commodius textus decurrit: *Mathesin sic scire sibi visus est, ut VERO* (Ælio VERO, ita enim Cejonius Commodus dicebatur) *scripserit KALEND. JANUARIIS, quid & toto anno posset evenire.* Non cohærent hæc, si *sero* legas, & *ei*. Imprimis cum hanc lectionem confirmet idem Spartianus in *Ælio Vero* c. III. scriptitans, *Hadrianum Veri scisse genituram.* Porro de Consignatione operum per totum annum suscipiendorum sequentia accipio verba: *Ita, ut eo anno, quo periit, usque ad illam horam, qua est mortuus, scripserit, quid acturus esset.* Id quod idem Spartianus in *Ælio* ex Marii Maximi testimonio comprobat; *fuisse Adrianum peritum Matheseos Marius Maximus usque adeo demonstrat, ut eum dicat cuncta de se scivisse, sic, ut omnium dierum, usque ad horam mortis futuros actus ante perscripserit*, cap. III.

§. 45. A quo instituto non aliena erat Sanitatis futuræ ominatio, cujus causa in Euripum saltabant, Euripum, inquam, sive Aquæ Virginis, sive Alsietinæ, sive cujuslibet alius. Docere id potest Seneca *Epist.* LXXXIII. *ille tantus psychrolutes, qui KAL. JANUAR. in Euripum saltabam:* & paulo post: *Auspicabar in VIRGINEM desilire.* Auspicabar scilicet valetudinis causa prosiliendo in frigidam aquam, quod habet Joh. Argolus *Not. ad Panvin. de Lud. Circens. f.* 12.

§. 46. Tandem ne qua alia re lætitia publica turbaretur, Nundinas quoque KAL. JAN. prohibuerunt. Ὅπερ ἀπὸ τοῦ πάνυ ἀρχαίου σφόδρα ἐφυλάσσετο, *id enim antiquitus diligentissime curatum erat*, dicente Dione *l.* XLVIII. Omnem enim istum annum experti erant nefastum, quo STRENARUM festivitatem nundinarum consortio violarant. Testis est Macrob. *Sat. l.* I. c. XIII. sat luculentus, qui *quoties*, inquit, *incipiente anno dies cœpit, qui adjectus est Nundinis, omnis ille annus infaustis casibus luctuosus fuit, maximeque Lepidiano tumultu opinio ista affirmata est.* Hinc pro prodigio acceptum est, quod anno ab U C. DCCI. Kal. Januar. nundinæ sunt actæ. Nam & P. Clodius eo anno occisus, & Curia Hostilia cremata, & plures aliæ cædes per urbem factæ sunt, ex Dione Calvis. *Chron. f.* 403. Et Dion inter fata infortunati anni, quo Gabinus & Messala COSS. fuerant, numerat, quod COSS. Kalendis Januariis non creatis, multis malis ansa præbita, & nundinæ quoque ipsis Kalend. Januar. actæ fuerint, *Hist. l.* XL. Et *l.* XLVII. docet, *ne in Kal. Jan. nundinæ inciderent, eas unius diei extraordinaria intercalatione anticipasse, ne dies ille festissimus omine infausto fœdaretur.* Sed hæc hactenus.

SECUNDA STRENARUM ÆTAS SUB IMPERATORIBUS & MONARCHIS ROMANIS.

SUMMARIA.

§. 1. *Strenæ Januariæ sub Augusto.*
2. *Sub Tiberio.*
3. *Qui ultra Kal. Jan. Strenarum commercium non tulit.*
4. *Sub Caligula.*
5. *Sub Claudio.*
6. *Sub Nerone.*
7. *Sub Galba.*
8. *Sub Trajano & M. Aurelio Anton.*
9. *Sub Commodo, Tacito, aliisque.*
10. *Strena data etiam ABSENTIBUS.*
11. *Apollo Sandalarius.*
12. *Caligulæ Sella.*
13. *Duo Marmora.*
14. *Strena Reddita.*
15. *Strena etiam bene meritis Ducibus ordinarii stipendii vice decreta.*
16. *Nec non Provinc. Curat.*
17. *Item Advocatis Fisci.*
18. *Strenarum solennitas magis illustratur,*
19. *Solennibus vestibus, purpura, stragulis auratis, palmatis vestibus, calceis auratis, victoriali Scipione, prætexta.*
20. *Solennibus conventibus. Annalis trabea, honos. Trabeata nobilitas.*
21. *Solennibus conviviis.*
22. *Publicis ludis.*
23. *Postibus laureatis & lucernatis.*
24. *Lecticis apertis & opertis.*
25. *Juramentis, & in Acta Principum & in Nomina Impp.*
26. *Eorum juramentorum tenor.*
27. *Salutationibus, votis & attestationibus Geniorum Principis.*

Διέξοδος.

§. 1. IMperio & summa rerum ad C. Jul. Cæsarem, Augustum, Augustæque stirpis successores devoluta, summa quoque votorum & STRENARUM JANUARIARUM ad eosdem devenit, ita ut faciem longe luculentiorem induerint sub principibus adeo luculentis. Sub AUGUSTO certe ILLUSTRES istæ Strenæ exordium sumpserunt, quibus Senatores & Equites Romani capiti Reip. STIPEM JANUARIAM solenni muneri obtulerunt. Ita evidenter Sueton. in *Augusto* cap. LVII. *omnes Ordines in Lacum Curtii quotannis ex voto pro salute ejus stipem jaciebant, itemque* KALEND. JANUAR. STRENAM *in Capitolio*. Et ne quid temere facere videretur, Imperator *quotannis die certo ex nocturno visu emendicabat a populo assem, cavam manum porrigentibus præbens*, idem in *eod.* cap. XCI. Xiphil. *Epit. Dion. l.* LIV. *Romani nummos argenteos, alii plures, alii pauciores ei primo die adeuntes ob benevolentiam donabant*. Hoc spatium receptat fragmentum Lapidis, quod per fidem Steph. Pighii non procul a Foro Rom. juxta templum divi Hadriani ad arcum Sept. Severi anno MDLIV. repertum est:

COS. X.
EX. STIPE. QUAM. PO
CALENDIS. JANUAR
C. MARCIO. CENSORINO. C. ASINIO.
GALLO. COS.

Ista enim Strena Augusto anno Imperii XXXVI. data est, quemadmodum illa, quam ex simili stipe Volcano dicavit, ut infra audiemus §. 12. anno antecedente XXXV. collata est.

§. 2. TIBERIUS, utut primis Imperii annis virtutum AUGUSTI æmulator vellet videri, ab isto tamen humanitatis & εὐνοίας officio STRENARUM commercio, paulo alienior fuit, sive quia majores sumptus in rependendo erant faciendi, sive quia civium loculis parcere, & se simul ista molestia sublevare volebat. Ita enim Dion Cassius *H. R. lib.* LVII. ταῦτά τε οὖν ἕνεκα ἔξω πυ τῇ νουμηνίας διῆγε, καὶ ἵνα μηδένα τῶν ἀνθρώπων ἄσχολον, περί τε τὰς νέας ἀρχὰς καὶ περὶ τὴν ἑορτὴν ἔχοντα ποιῇ, ἢ καὶ ἀργύριον παρ' αὐτῶν λαμβάνῃ. οὐδὲ γὰρ τὸν Αὔγουστον ἐπὶ τούτῳ ἐπῄνει, διὰ τὸ πολλὴν μὲν δυσχέρειαν ἐν αὐτῷ, πολλὴν δὲ καὶ ἀνάλωσιν ἐκ τῆς ἀντιδόσεως γίγνεσθαι: quod ex Xylandri versione ita sonat: *Fuit & alia causa* (præter eam quod nollet in sua Acta jurari) *cur iis Calendis, extra urbem esset, nempe, ne hominibus anni auspicio & festo die occupatis negotium præberet, neve* STRENAS *ab iis acciperet* (*quod Augustum fecisse improbat, quia ea res multæ molestiæ multique in rependendo sumptus esset.*) Quæ forte quadrant in Drusi Tib. F. ex Agripp. Cæsar. & C. Norbani Flacci consulatum, id est, annum U. C. DCCLXVIII. & A. Christi XV. Simili mente traditur etiam Tiberius anno sequenti p. Ch. Nat. XVII. C. Cæcilio Rufo, & L. Pomponio Flacco Coss. adhuc fuisse. Ita enim rursus Dion: *Tiberius Strenam a quibusdam oblatam non accepit*.

§. 3. Cæterum ista Dionis verba non simpliciter omnem STRENARUM usum sub Tiberio cessasse volunt, sed id saltem docent, ipsis KALENDIS commercium Strenarum viguisse, extra easdem minime: Suetonius enim expresse scribit c. XXXIV. *quod K. J. acceperit & reddiderit* STRENAS. Imo etiam, ne post KALENDAS quispiam eum hoc salutationis officio aggravaret, publica lege cavit. Cum enim interpellaretur toto mense ab iis, qui potestatem ejus festo die non habuissent, ea re offensus est, & prohibuit STRENARUM commercium, ne ULTRA CALENDAS JANUARIAS exerceretur. Id quod etiam verba Dionis alia præ se ferunt: Ὁ δὲ Τιβέριος, ἐπειδὴ καὶ μετὰ (nota μετὰ *post*) τὴν νουμηνίαν τινὲς ἀργύριον αὐτῷ προσῆγον, οὔτε ἐδέξατο, καί τι καὶ γράμμα περὶ αὐτοῦ τότε ἐξέθετο. Id est, *Tiberius, postquam etiam post Neomeniam aliqui ipsi argentum obtulerunt, non recepit, eaque de re edictum proposuit*. Cujus edicti tenorem utinam expressisset Dion, profecto magnam apud eruditos gratiam iniisset, imprimis cum vocis alicujus non Latinæ in eo positæ meminerit, ob quam inter Artejum Capitonem & Πόρκελλον quendam liticula Grammatica oborta erat, illo censente, posse inter ἀρχαῖα referri in gratiam Cæsaris, hoc dicente, Cæsarem hominibus τὴν πολιτείαν ῥωμαίων δύνασθαι δοῦναι, ῥήμασι δὲ οὐκ, *posse civitatem Rom. dare, dictionibus non posse*: ejusdem commatis cum ista decertatione, quæ erat de voce Schisma inter Sigism. Imper. & ejus Cancellarium. Accepit ergo Tiberius STRENAS, sed ipsis KALENDIS accepit, nec ultra KALENDAS accepit: Reddidit quoque, sed ultra KALEND. non reddidit, per Suetonii fidem, cap. XXXIV. Utque publica gaudia augeret, non solum populo Congiarium bis dedit H-S. sed etiam toties abundantissimum epulum Senatui Equestrique ordini, etiam conjugibus & liberis utrorumque, teste eodem in *eodem* c. XVII.

§. 4. Cæterum videntur Romani paululum a summo isto studio mittendarum STRENARUM, quod sub Augusto inoleverat, remisisse, cum viderent Tiberium eas non adeo curare. Plerumque enim cives ex Principum ingeniis mores suos fingunt. Hinc C. Caligula lapsam consuetudinem revocaturus edixit, *se* STRENAS *ineunte anno recepturum; stetitque vestibulo ædium* KAL. JAN. *ad captandas stipes, quas plenis ante eum manibus & sinu omnis generis turba fundebat*, loquente Sueton. c. XLII.

§. 5. Claudius Tiber. Drusus, ut sub initium principatus multa comiter & humaniter fecit, ita etiam erogatione Strenarum nemini molestiam creare voluit. Qua de causa ἀπηγόρευσε ἀργύριον (ὅπερ ἐπί τε τοῦ Αὐγούστου καὶ ἐπὶ τοῦ Γαΐου ἐγίγνετο) προσφέρειν, *Strenarum oblationem (sub Augusto & Cajo usurpatam) edicto sustulit*, ut est *lib.* LX. *Hist. Rom.* Dion.

§ 6. Quo animo in Strenas fuerit Domit. Nero, obscurum est, nisi pro ingenii sævitia priorem prædationem in usum revocasse credendum sit, utpote qui bonis per luxum cito absumptis nova vectigalia, novos census, novas exactiones commentus, nihil eorum intermisit, quæ ad corradendam pecuniam faciebant. Mirum, si Strenas non revocasset, quibus magnam argenti summam priores Imp. coacervarant.

§. 7. Sic Sergius Sulp. Galba, quod sub Augusti mortem an. U. C. DCCLXVII. ipsis Kal. Jan. ἐς τοὺς ἐφήβους ἐνεγράφη, ut Dion loquitur, virilem togam sumpsisset, ex eoque die omen futuri Imperii cepisset, citra dubium etiam Imperator factus solennia Strenarum ejus diei celebrasset, si quietus esse potuisset. Sed militum cum Prætorianorum tum Germanorum tumultu impeditus, magis ultionem, quam remunerationem, stipendia, quam munera cogitabat, cæteroquin paratus, si quietus mansisset, Strenarum solennia suo & Crispini Consulatu agitare.

§ 8. Post eodem instituto STRENAS Trajano tributas fuisse ex Plinii ad eum *Epistolis* non obscure colligere est. Quibus si *Panegyricum* ejusdem addideris, & alia *Hist. Aug.* monumenta, parum dubii supererit. Et cum mores tam sæculi quam populi ad sequentia tempora dimanent, quis dubitaverit, hanc Strenandi consuetudinem etiam ad Hadriani & Antonini. tempora pertigisse. De M. Aurel. Antonin. ex Pollione tradidit Guevara quod ipso Strenar. Januariar. die, cum amplissima Senatorum pompa esset, & larga undique munera volarent, pro pio, & miti ingenio Imperator de captivorum æque ac liberorum salute sollicitus, se in ergastula conjecerit potestatemq; suæ togæ Imp. tangendæ omnibus cum exulibus, tum mancipiis fecerit in indubium reddendæ libertatis signum. Quod ejus factum, uti a Fulvio quodam invido

mordebatur, ita ab omnibus aliis bonis summa laude celebrabatur. Nam ut munera aurea ad Imperatorem veniebant: ita æquum erat, ut ab Imperatore libertas, quæ muneribus omnibus carior, redderetur quamplurimis. conf. *Horol. Princ. lib.* I. cap. XXXVIII. & XXXIX.

§. 9. Idem porro usque ad Commodum durasse, Aurelius Victor fidem facit, utpote qui tradit, *Senatum prima luce ob festa Januariorum frequentem in curia convenisse;* quorsum quæso, nisi ut Cæsari Strenam & vota offerrent, si supervixisset? Imo ultra Commodum sub reliquis etiam Imperatoribus hanc sive legem sive consuetudinem durasse, credibile est. De Tacito certe scribit Fl. Vopiscus, quod jusserit Divorum templum fieri, in quo essent Statuæ bonorum Principum, ita ut iisdem Natalibus suis, Parilibus & KALEND. JANUARIIS & VOTIS libamina ponerentur: & post pauca, quod nullam noctem intermiserit, quo non aliquid scriberet vel legeret, præter posteram Calendarum.

§. 10. Fuit autem STRENA ista tam solennis & auspicabilis data non tantum PRÆSENTIBUS, sed etiam ABSENTIBUS IMPERATORIBUS. Sicut iterum de Augusto testatur Sueton. cap. LVII. omnes ordines in locum Crutii quotannis ex voto pro salute ejus stipem jaciebant, item KALENDIS JANUAR. Strenam in Capitolio etiam ABSENTI. Ex qua summa pretiosissima Deorum simulacra mercatus vicatim dedicabat, ut Apollinem Sandalarium, Jovem Tragœdum, & alia.

§. 11. Quorum illum Augustus in vico quodam quartæ regionis dedicavit, unde vicus ipse Sandalarii nomen accepit, juxta Onuphr. Panvin & Sext. Rufum. Sed contra Antonius Sabellinus non vicum ab Apolline, sed Apollinem a vico Sandaliarium appellatum fuisse statuit, quod in eo vico plurimi Sandaliarii opifices habitarint. Cum quo etiam facit Levinus Torrentius. Illud certum est, quod Sandaliarius dicatur a *Sandaliis* quibus simulachrum erat ornatum, unde etiam Theod. Pulmannus in duobus MSS. legit, *Sandaliatus*, non *Sandaliarius* apud Ros. *Antiqq. Rom.* p. 70.

§. 12. De Caligula Dion *l.* LIX. addit, quod *Sellam ejus in templo posuerint, eam adoraverint, & in ea* STRENAM *obtulerint.*

§. 13. Id quod inter alia etiam vetusta Marmora indicant, quæ Romæ ad Tiberim habentur, apud Jan. Jacob. Boissardum in T. III. *Antiq. Rom.* f. 70.

IMP. CAES. DIVI. F. AUGUSTUS
PONTIFEX. MAXIMUS
IMP. XIII. COS. XI. TRIB. POTEST. XV
EX. STIPE. QUAM. POPULUS. ROMANUS
ANNO. NOVO. ABSENTI. CONTULIT
NERONE. CLAUDIO. DRUSO
T. QUINCTIO. CRISPINO. COSS.
VOLCANO.

Alterum recentius, paucis mutatis, Romæ in Farnes. ædibus. Lips. *Auctar. Inscript. Antiq.* f. XVII.

LARIBUS. PUBLICIS. SACRUM
IMP. CAESAR. AUGUSTUS
PONTIFEX. MAXIMUS
TRIBUNIC. POTESTAT. XVIII
EX. STIPE. QUAM. POPULUS. EI
CONTULIT. K. JANUAR. ABSENTI
C. CALVISIO. SABINO
L. PASSIENO. RUFO. COSS

§. 14. Atque hæc quidem fuit ratio DANDI STRENAM. Audiamus porro, quis modus REDDENDI eandem fuerit. Nimis enim sordidus fuisset, si Imperatores tam potentes, tam divites, tam opimas Stipes accepissent, nihil reddidissent. Utut enim hodie adeo inique comparatum sit, ut ii, qui minus habent, semper aliquid addant divitioribus;

A ista tamen sive sorditie, sive invidia se notari non sunt passi isti Principes, sed sicut Suet. c. XXXIV. dicit, *Tiberius* STRENAS *reddidit, de manu reddidit,* QUADRUPLAS *reddidit,* & sicut Dion docet etiam, AUGUSTUS *tantundem, aut plus eo non modo Senatorib. sed etiam reliquis omnibus reddidit, l.* LIV.

Idem de sequutis aliis Impp. judicandum, quod non minus in dandis, quam accipiendis STRENIS prompti fuerint & liberales. Certe Symmachus, vir, cui in ista quæstione multum tribuo, *l.* X. *Ep.* XXV. de sui temporis more scribit *ad Theod. & Arcad.* Impp. *Hujus instituti* (largiendarum STRENARVM) *usum Munificentiæ festinatione prævertitis,*
B *seram putantes liberalitatem, quæ statis temporibus ammoretur. Felix me Hercule sæculum, quo Principes cobibere diu nesciunt tribuenda devotis: cum sibi debita cunctentur exigere.*

§. 15. Sed & istud juvat adducere, quod non tantum voluntarii muneris, sed etiam ordinarii stipendii loco STRENÆ ANNUÆ bene meritis sint decretæ & oblatæ. Ita legimus de M. Aurelio Claudio, quod ei Valerianus Imp. quotannis in STRENIS QUADRAGINTA SEPTEM PHILIPPEOS & TRIENTES CENTUM SEXAGINTA exhiberi voluerit, quod vir tam de Imperio, quam de Imperatore bene meruisset. Valeriani Epistola
C *ad Zosimionem Procur. Syriæ* in *D. Claudio* Treb. Pollionis extat, & ita habet: *Claudium Illyricianæ gentis virum tribunum Martiæ quintæ legioni fortissimæ dedimus, virum devotissimis quibusque ac fortissimis veterum præferendum. Huic Salarium de nostro privato ærario dabis annuos frumenti modios tria millia, bordei sex millia, laridi libras duo millia, vini veteris sextarios, tria millia quingentos, olei boni sextarios centum quinquaginta, olei secundi sextarios sexcentos, salis modios viginti, ceræ pondo centum quinquaginta, & argenti in opere annua pondo quinquaginta, philippeos nostri vultus annuos centum*
D *quinquaginta & in STRENIS QVADRAGINTA SEPTEM, & TRIENTES CENTVM SEXAGINTA,* &c.

§. 16. Idem quoque sive Munusculi sive Salarii vice aliis provinciarum Curatoribus fuisse ordinatum, ex aliis ejusdem Valeriani literis ad Abl. Murænam Præf. Præt. colligimus, quibus inter alia inquit: *Sane scias, tantum Salarii ei* (Claudio) *a nobis decretum, quantum habet Ægypti Præfectura: tantum vestium, quantum Proconsulatui Africano detulimus: tantum argenti, quantum Curator Illyrici Metatius accipit.*

§. 17. Cujus tenoris & illud est, quod postmodum Anno Christi DVI. Coss. Ariovinio & Fl. Messala,
E *Imperator Anastasius Kal. Jan. Fisci Advocatis jussit sive salaria sive Strenas* (nam de eo nondum convenit) *porrigi, l.* IV. *C. de Advoc. Divers. Jud. Jubemus viros clarissimos fisci pro tempore, patrono fori Tuæ Celsitudinis* (alloquitur Eustach. P. P.) *solenni die Festivitatis KALENDARUM JANUARIARUM inter spectabiles sacri consistorii divina nostræ Serenitatis manu puncti consequi solatia* (seu *puncta solatii,* id est, punctum, mercedem honoris, seu *pactum solatii,* id est, pactum salarium, nam varia lectio est, nec satis cautum, utra verior) v. Jac. Godofr. *Comm. in Cod. Th.* T. I. p. 142. & T. 2. p. 217.

§. 18. Atque isthæc quidem STRENARUM so-
F lennitas sub Impp. Gentilibus fuisse videtur, quæ, ut fieri amat, multarum impietatum mater infinitas fœditates infelici velut abortu edidit, quas nemo melius quam Libanius homo sæculo & aulico favori deditus explicavit, utpote qui nihil sive lætitiæ sive nequitiæ dissimulavit, sed etiam notanter contiguorum dierum inquinationem attigit, sicut illum supra loquentem audivimus ætate I. §. 18. Cui ὁμόψηφος est doctissimus *Guevara* in aureo scripto quod *Hor. Princ.* vocat, *l.* I. c. XXXVIII. Hoc die Jani Festum

vicatim Romani feriabantur. Nam festis diebus Martis, Jovis, Jani, Veneris & Berecynthiæ publica erat tota urbe festivitas: At reliquorum Deorum (qui multi admodum erant) festa regionatim celebrabantur. Sumebant autem illo die vestes pretiosiores. Erat enim moris, ut civis, qui vestimento destitueretur ad cohonestandum festum solenni, aut urbe illo die abesset, aut domi inclusus lateret. Ad hæc (lætitiæ declarandæ causa) ponebant illo die multos super ædes lychnos, crebras accendebant ante fores pyras, multas agebant pantomimi ad populum oblectandum comœdias & ludos histriones. Hominum enim vanorum festa ad refocillanda corpora, quam ad reformandas mentes aptiora sunt. Pervigilium quoque indicebatur in templis: Omnes eo die liberabantur, qui æris alieni causa in nervo erant, dissolutis ex ærario publico debitis; cum alias moris esset Romæ, ut ad inopiam redacti Patricii publico sumtu alerentur. Mensæ item illo die convivis ad januas ponebantur, cum maxima epularum abundantia, ut plura essent, quæ supererant, quam quæ absumebantur. Vani quippe homines in ejusmodi festivitatibus magis, quod disperditur, quam quo fruuntur, prædicant. Ac ne quid deesset: quo minus omnium rationibus provideretur, omnes illo die pauperes investigabantur, ut in summa rerum omnium copia viverent. Erat enim Lex Veterum ut nemini fas esset publice festum agere, nisi omnibus prius vici sui pauperibus prospexisset. Putabant enim Romani, si illum diem genialiter agerent, Janum temporalium Deum ab omni ipsos penuria liberaturum, Janum Deum gratissimum esse dictitantes, qui exiguum sibi impensum cumulatissime remuneraretur. Itaque frequentes die Jani festo, non tamen omnium promiscuæ indicebantur Supplicationes, sed seorsim Senatores, Flamines, Censores, Plebeii, Matronæ, Virgines Vestales; at omnes legati, peregrini cum captivis supplicatum ibant. Mos autem erat Romæ, ut illo die togam Imperator insigne Imperii indueret, & quotquot e captivis manu illam poterant tangere, liberabantur, venia facinorosis data, & exulibus exilio remisso. Nunquam enim principes Rom. festum illud celebrabant, quin singulare aliquod clementiæ aut munificentiæ specimen ederent.

§. 19. Quibus sat luculentis documentis, ea quæ alibi occurrerunt, adhuc apponemus. Nam quod de Nitidioribus Vestimentis dictum, Suetonius quoque in *Nerone* docet, c.L. quo Nero dicitur *funeratus stragulis atris auro intextis: quibus usus Kalend. Januarii fuerat.* Cum quo concordat Herodianus *l.* I c. XLIX Ταύτῃ τῇ ἑορτῇ ἀρχαὶ τὰ ἐπώνυμοι τὸ πρῶτον τὸ ἔνδοξον καὶ ἐνιαύσιον πορφύραν περιτίθενται. *Eo die summi Magistratus primum conspicuam & solennem purpuram induunt.* Et Liban. *Paneg* quem Juliano dixit: *Nunc primum*, inquit, *Consulem* ἐν τῇ τοῦ πράγματος στολῇ ὁρῶ *in Trabea dignitatis insigni intueor, & pulchre Deus istud spectaculum mihi distulit, ut* τὸ τῶν λημμάτων σεμνότατον ἐν τῷ κρατίστῳ τῶν βασιλέων πρῶτον ἴδω *ornamentorum augustissimum, maximeque venerandum primo in præstantissimo Regum viderem.* Cujus Trabeæ palmatæ insigne ibid. p.226. T. II. oper. Liban. orat. VIII. videbis. Quo citra dubium etiam respexit Tibullus *l.* IV. *Eleg.* I. cum ad Messalam inquit:

Nam modo fulgentem Tyrio sub tegmine vestem
— *Indueras oriente die Duce fertilis anni.*

Huc spectant Curules infulæ, Palmatæ Vestes, quas felicitas publica dabat, tanquam præmia vincentium, Consulibus, Prætoribus, Præfectis Urbanis. Istæ enim vastos humeros vario colore palmatæ pingebant, validam manum victoriali scipione nobilitabant, Lares proprios calceis auratis egrediebantur, sellam curulem pro sua magnitudine multis gradibus enisi ascendebant, ut M. Aurel. Cassiod. *l.* II. & VI. *Var. Form. Coss.* non obscure docet, & Liban. *Panegyr.* f. 232. Huc etiam spectat, quod Dion. *l.* LIV. *H.R.* tradit, quod, cum M. Vicinius Germanos domuisset, ἐξουσία ἐδόθη τῇ πρώτῃ τοῦ ἔτους ἡμέρᾳ καὶ τῷ τε στεφάνῳ τε καὶ τῇ ἐσθῆτι τῇ νικητηρίᾳ ἀεὶ χρῆσθαι, *potestas data sit Kal. Januar. singulis coronæ & vestis triumphalis gestandæ.* Id tangit & Catulus in sua *ad pop. oratione: An ideo creantur Coss.* ἵνα ἐν τοῖς περιπορφύροις ἱματίοις περινοστῶσιν, *ut in vestibus purpura prætextis obambulent*, Dion *l.* XXXVI. *f.* 17. Quæ, uti ex sæculi consuetudine gentilitas approbavit, ita Christiana religio in suis improbavit. *Quæ vobis* (inquit Tertullianus ad Christ. fœminas, in *l. de Cult. Fœmin.*) *causa structius prodeundi, cum remotæ sitis ab his, quæ ad aliud indigent. Nam nec templa circuitis, nec spectacula postulatis, nec festos dies gentilium nostis: propter ipsum enim conventum, & mutuum videre & videri omnes pompæ in publicum proferuntur, aut ut luxuria negotietur, aut gloria insolescat.*

§. 20 Ad gaudia publica Kal. Jan. & præsentes & absentes invitabant, cujus præ multis aliis documentum iterum exhibet Symm. *l.* IX. *Ep.* CXII. cujus tenor iste est: *Cum jam Decembrium Kal. tempus appeteret, redditæ sunt mihi literæ quæ annalem trabeam meruisse loquerentur. Credas, velim, multo ex ea re gaudio mentis meæ habitum splenduisse: Primo quod ita natura comparatum est, ut omnes sibi delatum decus judicent, quod dignus acceperit. Dehinc, quia bonos jampridem Togæ, & ordini rarus nimisque difficilis, tandem summatem civilium partium virum respicit. Postremum, quod amicitias nostras, nec dum aliis officiis inchoatas prompta evocatione junxisti: Videsne, quam probabiles lætitiæ meæ causæ sint? Sed vereor, ne his parum credas, cum accitus excusem: quamvis justa ratio sapientem non possit offendere: Quo enim pacto ad prima fascium tuorum vocatus auspicia, paucis diebus Galliarum longinqua penetrarem? Exime itineris apparatum, cogita hyemis impedimentum, defectum cursus publici, & brumalis lucis angustias: Nonne mihi ante Kal. Jan. futurus erat irritus labor, aut post inverecundus adventus:* Huic conjunge sequentem *Epistolam*, qua idem Symmachus se a Consul. festivitate ob fratris obitum excusat, aliaque alibi. Istud ὡς ἐν παρόδῳ notandum, quod Trabea fuerit illo sæculo Coss. vestis, cui Ammian. Marcell. *l.* XXV. & XXIX. it. Pacat. *Panegyr. Theod* subscribunt. Hinc istæ *trabeatæ Imagines Consulis Eutropii*, hinc *trabeata Nobilitas Aniciæ virginis*, apud Juretum *Not. h. l.*

§. 21. Convivia publica apparabant, cum cives singuli, tum Coss. & Impp. De Civibus & privatis intelligit Libanius: οὐδεὶς οὕτω πένης, ὅστις λαμπρῶς ἐδωδῆς εἰς πλησμονὴν οὐκ ἥκει. *Nemo adeo inops est, qui non lautiori cibo ad satietatem usque vescatur.* De proceribus testis est Julius Capitolinus in *Pertinace*, inquiens: *Eo die etiam ad convivium Magistratus & proceres Senatus rogavit, quam consuetudinem* (ergo ante receptum erat consuetudine longiori) *Commodus prætermiserat.* Et Ælius Lampridius in *Alex. Severo* c. XXXVII præcipit, quis fuerit usus convivii diurnus, quis festus: *Erat*, inquit, *decreta & carnis diversa pondo triginta, erant & gallinacei duo. Adhibebatur & anser diebus festis. KALENDIS autem JANUARIIS & HILARIIS matris Deum, & ludis Apollinaribus, & Jovis epulo, & Saturnalibus & hujusmodi festis diebus fasianus, leporem quotidie habuit.* Quorsum & suo quodam modo pertinere videtur, quod Impp. Arcad. & Honor. festos Conventus civium, & festa CONVIVIA, quæ publica vota exigunt, inire concesserint, *L.* XVII. *C. Th. de Pagan.*

§. 22. Ludos publicos ediderunt, tam in Thea-

A tris, quam in Palatiis, illud Coss. hoc Impp. vid. Guevar. *Horolog. Princ. l.* I. c. XXXVIII. De istis iterum Symmachus *l.* IX. *Ep.* CXXX. *Delatus est a clementiss. Principibus ordinarius Consulatus. Ideo curam tuam efflagito in providendis omnibus, quæ poscit Editio* (scil. ludorum Consularium.) *Homines mei, specierum pretia ministrabunt. In hoc tantum studium tuum curamq; desidero, ut quamprimum prævehi justis preciis comparata præcipias.* conf. L. VI. *Ep.* XL. Illud docet Julianus in *Misopog.* & Rosin. *Antiqq. Rom. l.* V. c. III. Cæterum hos ludos Consulares, non ideo huc revocamus, quasi semper hoc die fuerint exhibiti, (sæpe enim ob apparatum in B seqq dies differri oportebat) sed quod tamen ob honorem Consularem, qui in Kal. Jan. incidit, exhibiti sint. Ejus rei documentum iterum exhibet Symmachus *l.* VII. *Ep.* IV. *Circensium Solennitati CONSULARIS magnificentia satisfecit. Ludorum adhuc & Muneris splendidissimæ imminent functiones, quibus ante Februarias Nonas, ut opinamur, impletis, iter ad nostra relegemus.* Huc spectant etiam Venationes Circenses, in Amphitheatris, item pugnæ mancipiorum cum belluis ad solennia dona proposita, interdum vero non soluta, de quibus literæ Theodorici Regis *ad Maximum V. J. l.* V. *Variar.* Ep. XLII. apud Cassiod. conf. & Lips. *de Amphitheat.*

C § 23. Januas coronis, laureis, & lucernis decorabant. Id quod Tertullianus suo calculo probat *l.* II. *ad Uxor.* f. 481. *Moratur Dei ancilla,* (*uxor fidelis cum gentili viro juncta*) *& procedit de Janua laureata & lucernata, ut de novo consistorio libidinum publicarum.* Et *de Idolol* c. XV. *Plures jam invenies Ethnicorum fores sine lucernis & laureis, quam Christianorum.* Idem Tertull. *de Coron. milit.* c. XIII. *Cæterum a sæculo coronantur & lupanaria & latrina, & pistrina, & carcer, & ludus, & amphitheatra, & ipsa Spoliaria, ipsæque libitinæ. At enim Christianus nec januam suam laureis infamabit, si norit, quantos Deos etiam hostiis Diabolus affinxerit, Ja-* D *num a Janua, Limentinum a Limine, Forculum & Cardam a foribus & Cardinibus.* Hinc recte Seneca *fores ornatas* vocitavit Epist. LXVIII. *l.* IX. *ad Lucil.* Hinc & *fertis redimiti templorum postes, l. nemo* 7. C. *de Pagan.* & illud Statii in *Epithalam. Stellæ.*

Fronde virent postes.

Et Juvenal. *Satyr.* VI.

Ornentur postes & grandi janua lauru.

Et *Satyr.* VII.

Cuncta nitent: longos erexit janua ramos.

Quod etiam in Cæsarum solennibus observatum Tertullianus *Apolog. adversus Gent.* astruit, utpote E in quibus *recentissimis & ramosissimis laureis postes præstruxerunt, elatissimis & clarissimis lucernis vestibula enubilaverunt, superbissimis toris forum sibi diviserunt;* imo & Astrologos & Auspices de Cæsarum capitibus consultaverunt: confer Dempsterum *in Rosin. Antiqq. p.* 128.

§. 14. Lecticis valvatis tam apertis, quam opertis pro Majestata Imperatoria & Consulari sunt vecti. Primum quidem per fidem Dionis *l.* LX. *Augustus & Tiberius lecticarum usum sibi solis reservarant, postmodum autem Claudius etiam Consulibus indulsit.* Primus is, qui inter Romanos *δίφρῳ κατεστέγῳ* F operta lectica usus est, ac inde ea non Imperatores modo, *ἀλλὰ καὶ ἡμεῖς οἱ ὑπατευκότες δίφρῳ φορούμεθα, sed & nos, qui Coss. gessimus, vehimur, quum ante Aug. & Tiber. tantum ἐν σκιμποδίοις grabatis seu humilibus lectulis gestarentur, quibus nostro tempore nonnunquam mulieres vehuntur:* (ut Dion loquitur de suo tempore & ipse consularis vir.) conf. Sueton. in *Jul. Cæs.* c. XLIII. Libanius in *Panegyr.* Juliano dicto. Itaque facile veniam concedo iis, qui muneris Consularis sunt appetentes, & a Diis votis omnibus expetunt, *ἐπὶ τοῦ γε κομισθῆναι τοῦ δίφρου, ut in Curuli & Consulari Sella veherentur.* Eadem ratione Mamertinus Consul Julianum Imp. laudat, quod LECTICAM CONSULAREM *intra Palatii secreta introire jusserit,* in *Panegyrico* ipsi dicto p. 68. *Pene intra ipsas Palatinæ domus valvas lecticas Consulares jussit inferri, & cum honori ejus venerationiq; cedentes sedile illud dignitatis amplissimæ recusaremus, suis nos prope manibus impositos mixtus agmini togatorum præire cœpit pedes, gradum moderans pene ad lictoris nutum, & viatoris imperium.* Insidiosa Apostatæ humilitas! Possent etiam huc referri Sellæ curules, quibus & Impp. & Coss. usi sunt. De Consulibus & Prætoribus est res aperta, de Impp. apertior. Unus omnium vice esto locus ex Suetonio in *Galb.* c. XVIII. narrante, quod ei pro Tribunali *Sella castrensis de more posita non sit ex oblivione ministrorum, & in Senatu Sella curulis perverse sit collocata.*

§. 25. Juratum est cum in Acta Principum, tum in Impp. nomina, quorum illud a Senatoribus & Civibus, hoc a Militibus factum; Illius rei testem produco Dionem *l.* XLVII. hujus vero Plutarchum in *Galba*, & Sueton. in *eodem* c. XVI. Dion ita: *KALENDIS novi anni & ipsi Triumviri jurarunt & alios jurare coegerunt, omnia acta Julii rata se habituros.* Quod & nunc usurpatur in omnibus (Dionis scil. ætate.) Idem f. *l.* LI. p. 523. de Augusto repetitur: It. *l.* LIII. ad U. C. DCCXXX. annum: & postea sub Tiberio Anno U. C. DCCLXXXV. novo quodam modo factum est, Dion *l.* LVIII. Plutarchus hæc tradit. *Kal. Januar. milites, cum eos Flaccus convocasset, ut PRO MORE in Imperatoris nomen jurarent, Statuas Galbæ aggressi dejecerunt, cumque in S. P. Q. R. nomen jurassent, digressi sunt.* Sueton. autem isthæc *loc. cit. Primi* (milites in superiori Germania) *obsequium rumpere ausi, KAL. JANUAR. adigi* (*addici*) *sacramento, nisi in nomen Senatus recusarunt.* Vid. Tac. *l.* XVI. *Ann.* c. VI. & Lips. *ad Tacit. Annal.* XVI. *n.* XXXIX.

§. 26. Nimirum primum sua sponte Decuriati Equites, Centuriati pedites Sacramenta mutuo præstabant. Deinde vero Paulo Æmilio & Ter. Varrone Coss. tunc primum, quod antea nunquam factum, per Tribunos militum a voluntario Sacramento ad legitimum jusjurandum milites adacti fuere. Quod quidem Imperator præstare tenebatur primus, suo mox ordine subsequebantur legati, deinde Tribuni, hinc Centuriones, postea Decuriones, mox præfecti Castrorum, demum milites, eo, quo diximus, die. Jurabant autem *per Deos,* postea *in acta principum, se jussu Coss. conventuros, nec e castris, eorum injussu quæsitis occasionibus abituros, non fugæ formidinisve causa extra ordinem recessuros, nisi teli sumendi, vel hostis feriendi, aut civis servandi causa. Neque in exercitu propeve passuum millia pluris argentei nummi furtum facturos, extraque hastam, ligna, pabulum, utrem, follem: si quid, quod pluris esset, nacti fuissent, id omne ad Coss. delaturos, aut Dominis reddituros.* Alex. ab Alex. *l.* I. c. XX.

§. 27. Subditi vero Impp. præsentes salutarunt, absentes in Sella curuli adorarunt, vota pro ipsorum & vita & salute fecerunt; imo & per Genium eorum jurarunt. Id quod sequentia abundantius demonstrabunt. Hac vice saltem juvat audire Tertull. qui criminis loco Romanis objicit *Apolog.* c XXXV. *quod Genium Principis dejerarint, alii foris, alii intus, faustisque acclamationibus honorarint, & tamen in Cæsarem conspirarint,* isto crimine Christianis objecto. *Iidem ipsi* (inquit idem *ad Scapulam*) *qui per Genios eorum in pridie usque juraverant, qui pro salute eorum hostias effecerant, & voverant, hostes eorum sunt reperti,* f. 498.

TERTIA STRENARUM ÆTAS SUB IMPERATORIBUS CHRISTIANIS.

SUMMARIA.

§. 1. *Strenarum Januariarum sub Impp. Christianis universus aspectus.*
2. *Sub Constantino M.*
3. *Quod fuerint absque impietate gentili, ex decennalibus illustratur.*
4. *Sub Constantio filio.*
5. *Sub Juliano Apostata, cujus Strenæ erant illecebræ idolomanias.*
6. *Sub Joviniano.*
7. *Sub Valentiniano & Valente.*
8. *Præmia Januaria, pro bonis novis Lætitiæ publicæ Publicis Nunciis data.*
9. *Sub Gratiano, Valent. & Theod.*
10. *Sub Theodosio contra Eugenium & Arbogasten.*
11. *Devoti ordinis oblatio Symmachiana an fuerit Strena?*
12. *Telemachi seu Almachii Martyrium.*
13. *Baronius notatur.*
14. *Historia Theodosio proprior.*
15. *Cruenta gladiatorum munera quid probent?*
16. *A Theodosio probibita.*
17. *Et ante a Constantino.*
18. *Strenarum facies sub Arcadio & Honorio.*
19. *Istorum AA. constitutio illustratur a temporis circumstantia.*
20. *Ab Autore.*
21. *A Præfecto Urbis.*
22. *Præfecturæ urbicariæ origo.*
23. *Ab occasione.*
24. *Et genuino sensu.*
25. *Distinctio munerum Imperatoriorum triplex.*
26. *Impp. bonitas.*
27. *A loco MED.*
28. *A Coss. Olybrio & Probino rarum fraterni honoris fastigium.*
29. *Duorum Coss. pater Probus.*
30. *Mater proba Faltonia.*
31. *Quatuor filii Olybrius, Probinus, Probus & Juliana.*
32. *Olybrius ab Olybria, seu* Olymbria.
33. *Julianæ nuptiæ cum Clodio Hermogeniano: Utriusque filia Demetrias, clarissima virgo Monialis.*
34. *Honorii zelus contra Idola.*
35. *Sub Valentin. & Marciano.*
36. *Sub Leone & Majoriano.*
37. *Sub Anastasio pacta solatia.*
38. *Comites sacrarum largitionum.*
39. *Strenarum turbatio ex turbatione ordinis Consularis.*
40. *Sub Justiniano primum sparsiones temperatæ.*
41. *Post & consulatum ipsum tollente.*
42. *Et melioribus auspiciis annum initiante.*
43. *Strenarum aliquotæ reliquiæ sub Justino Curopalate.*
44. *Abolitæ sub Leone.*

Διέξοδος.

§. 1. SUrgit nunc TERTIA ÆTAS STRENARUM sub Impp. Christianis, quorum series a Constantino M. longo intervallo decurrit, qua reliquis impietatibus Gentilium abolitis solæ Strenæ, sola munera manserunt, votis muneribus adjectis.

§. 2. Constantinus enim M. de Ecclesia Christi bene meriturus, & regnum noviter partum pietate & justitia stabiliturus, primum quidem non omnem Gentilium errorem vi evertendum, nec tamen impietati frænum laxandum esse statuens, quorum hoc DEI, istud hominum odium exacerbasset, falsum Deorum cultum redarguit, prohibuit, sustulit, sed, A tamen etiam multa ex gentilibus vanitatibus toleravit potius, quam approbavit: Exemplo potest esse edictum *de Aruspicina* anno Imperii XVI. prolatum, quod est *l.* I. *c. Th. de Pag.* Postmodum autem severius in Idololatras, Sacrificatores & Divinatores invectus est apud Euseb. *in ejus Vita l.* II. c. LXXIV. Imo & anno Christi CCCXXI. edixit publice, ut sacrificiis domesticis prorsus abstinerent, ut est *l.* 16. *C. Th. de Pag.* adeo, ut etiam anno Imper. XIX. populi militumque odium incurreret, quod festo die in Capitolium ascendere, & rei sacræ interesse noluisset, si Zosimo Κωνσταντινομάστυγι potius quam Historico fides adhibenda *l.* II. *Hist.* Imprimis autem obicem Idolo- B latriæ posuit, cum omnia fana gentilia claudi, incendi, destrui jussit, idolis immolari interdixit, auguria prohibuit, & impium cultum prorsus omnem sustulit, teste Eunapio Sardiano gentili autore, Eus. *l.* III. de *V. Const.* c. L. *l* IV. c. XXV. Sozom. *l.* I. *c.* III. & IV. Socrat. *l.* I. *c.* XIV. Theodor. *E. H. l.* V. c. XX. Oros. *l.* VII. c. XXVIII.

§. 3. Ex quibus conjectu proclive est, JANI SACRA, sacrificia Junonis Sospitæ, suffimenta & alia vana novorum gaudiorum incendia, velut fluvio aquæ sistente, constitisse, STRENIS ipsis, Strenarumque solennibus, quantum salva pietate Christia- C na fieri potuit, interea rite peractis. Cujus rei conjecturam (cum evidentiora non suppetant) ex Decennalibus Imperii anno Christi CCCXV. celebratis capimus De his enim Euseb. *l* I. *de V. C. c.* XLI. tradit, quod *in iis festos dies solennes & publicos celebrarit, precesq; tanquam sacrificia quædam ignis & nidoris expertia DEO omnium Regi dicare cœperit*, id est, quod non ritu Gentilium, victimis & fibris & fumis, sed, ut Christianum decebat, pro sacrificiis preces, pro nidore carnium devotionem cordis, pro thuris accensionibus calida suspiria DEO vero, DEO vivo obtulerit. Ita etiam STRENARUM solennibus accidisse arbitror? bona retenta, im- D pia omissa, civilia munera, & quæ nihil idolomanias spirabant, observata, superstitionum autem omnium intertrimenta rejecta & suppressa esse.

§. 4. Patris vestigia legit filius Constantius qui anno Christi CCCXLI. *cesset*, inquit, *superstitio, sacrificiorum aboleatur insania*: & anno Christi CCCXLVI. denuo. *Placuit omnibus locis atque urbibus universis claudi protinus templa, & accessu vetitis omnibus licentiam delinquendi perditis abnegari: Volumus etiam cunctos sacrificiis abstinere*, *L* 4. *C. Th. de Pagan.* & *L.* I. *C. Just. t. eod.* Quod idem anno Christi CCCLIII. repetitum, *aboleantur sacrificia nocturna Magnentio autore permissa, & nefaria dein-* E *ceps licentia repellatur*, *L.* 5. *C. Th.* Anno CCCKVI. etiam pœnam capitis denunciat, quod operam dedissent sacrificiis vel simulacra coluissent, *L.* 6. *C. Th. eod.*

§ 5. Verum huic Ecclesiæ Serenitati dira intervenit tempestas, quæ velut fulmine disjecta impietas ex cineribus suis resuscitabatur. Nam Julianus Apostata Gentilismum stabiliturus, templa restituit, sacrificia restituit, aras Deorum Dearumq; restituit, & quod vi parum proficeret, dolis & variis prætextibus ad apostasiam Christianos sollicitavit. Sic (ut alia omittam) militibus Christianis STRENAS *obtulit, ut iis fidem eriperet, dona dedit, ut a Christo averte-* F *ret*: Idque an. Christi CCCLXII. *Fl. Mamertino & Fl. Nevitta Coss. ipsis KALEND. JANUAR. factum est.* Rem totam & fide & verbis Pauli Diaconi *H. Misc. l.* XI. *c.* XXXVII. enarrabo: *Cum venisset tempus, quo Imperialia milites solent Dona percipere (hoc enim agitur plerumque die Kalendarum Januariarum, & natali Principum, & urbium Regiarum) exquisivit, quatenus eos simpliciter & ex prisca consuetudine fallere potuisset: jussitque ut unusquisque ad manus Imperatoris accedentium ab Officiis admonitus, primo incensum offerret (erat enim ante eum thus posi-*

tum,& ara) secundum antiquam Romanam consuetudinem. Tunc alii quidem licenter suam ostendunt fortitudinem,& neque incensum offerre,neque donum accipere passi sunt. Alii vero occasione legis & antiquitatis neque mente perceperunt, quod commiserunt, peccatum. Verum alii propter lucrum capti, aut timore perturbati, seu jussione repentina conclusi, licet intellexerint, tamen paganitatem declinare non potuerunt. Plurimi siquidem per ignorantiam decepti, dum inter cibos, ut assolet, & pocula, invocarent in alterutros Christum, respondens quidam dixit: Quid patimini invocantes Christum, quem antea paululum denegastis, dum donum ab Imperatore percipientes thus in ignem mitteretis? Cumque hoc milites audissent,& quod gesserant, agnovissent, statim exilientes, publice currebant, atque impetu facto clamabant, Deumque suum & cunctos homines testabantur, se CHRISTIANOS esse,& in eo nomine permanere,atque per ignorantiam se fecisse, & si dici posset, solam manum paganam esse, conscientiam vero nihil simul egisse. Cumque venissent ad Principem, projecerunt aurum, quod acceperant, & forti voce poscebant, ut reciperet, quod dedisset, & se occideret. Hos Julianus ad supplicium rapuit, mox mutata sententia in exilium egit, omnique bonore privavit. conf.Greg. Nazianz. *Orat.* I. *in Julian.* Theodor. *l.* III. *Hist. Eccl.* c. XVI. Sozom. *l.* V. c. XVI.

§.6. Joviniani Imperium ad Ann. Christi CCCLXIII. uti breve, ita admodum salutare rebus Christianorum fuit. Nam & Gentilium templa clauduntur, & Christianorum aperiuntur, scelerataque ista sacrificia, quorum labe se contaminaverant palam, quibusque, regnante Juliano, se exaturaverant, omnino tolluntur, teste Socrate *l.* III. *H. Eccl.* c. XX. Quæ interea facies Strenarum in aula Imperatoris fuerit, inter ἀδήλα reputandum. In illis tum rerum & viarum discriminibus credo laudabilem Imp. potius de Ecclesiæ & Imperii rebus, quam Strenarum gaudiis fuisse sollicitum, utpote qui in via Ancyræ in Galatia suas Kal. Januarias, suumque Consulatum celebravit, Anno Christi CCCLXIV.

§.7. Imperantibus Valentiniano & Valente fratribus, primum Ecclesiæ res creverunt, Gentilibus decrescentibus. Nam nocturna sacra cohibita, *l.7.C.Th. de Malef.* exules revocati, *l.6. C.Th. de Med.& Prof.* Divinatores coerciti, *l.8.C.Th. de Malef.* libri Magici combusti, *l.10.eod.* Interim cum hinc Alemanni, illinc Procopiani tumultus fierent, KAL. JANUAR. non adeo quiete celebrare potuerunt. Nam anno Christi CCCLXV. statim post KAL. JAN. in Gallias irruerant, & anno CCCLXVI. ipsa Kalend. solennitate, Moguntiam occuparant. Hinc de hostibus non festivitatibus cogitabant: Postquam Imperatores iidem aliis opinionibus imbuti sunt, Ecclesiæ affligebantur, & Gentiles caput erigere cœperunt. Nam Valentin. aruspicinam concessit anno Christi CCCLXXI. *l.* 9. *C. Th. de Malef.* & Sacerdotibus gentilitii ritus, honorem Ex-Comitibus exhiberi solitum impertiit, *l.* 75. *C. Th. de Decur.* & Aram victoriæ stare, illicque sacra facere concessit, unde cum Symmachus, jure poterat *ritus veteris conservatorem* appellare. Nam & præter hæc adeo ejus indulgentia abusi sunt Ethnici, ut non veteres tantum frequentarentur sacrificiis Aræ, sed & recentes erigerentur, ut constat ex variis ejus temporis publicis Inscriptionibus apud Smetium p. 19. & 20. conf. Baron. *Annal. Eccles.* T. III. ad annum Christi CCCLXXI. Hinc quis Strenarum usus fuerit, & quanta cum impietate recruduerit, facilis est conjectura.

§.8. Sed tamen prætereunda non est utriusque Imperatoris providentia in ordinandis præmiis, quæ lætitiæ publicæ nuncii pro bonis Novis (quæ sic vocari poterant) KALENDARUM accipere consueverant, ne ultra VI. aureos ab honoratis viris erogaretur Sportularum specie. Lex anno CCCLIV. lata est *C.Th.Tit. Ne quid lætit. publ.* 3. & 4. *Cum anni exordia certis Coss. inchoanda nunciantur, a tenuioribus Sportulæ specie collationis necessitas separetur.* Et anno CCCLXV. si quando lætitiæ publicæ nuntiantur,& *novorum Coss. nomina perferuntur, collationi nullus locus, nulla licentia sit.* Conf. *l.* 2. *C. publ. lætit. vel Coss. nunciat.* Sed eæ tamen Strenæ non erant, sed aliquod Strenarum cognatum saltem.

§.9. Sub Gratiano, Valentiniano & Theodosio Gentilium res mirum in modum collapsæ sunt, cum quod Eucherio & Syagrio Coss. id est, anno Christi CCCLXXXI. Proscriptioni subjecissent, *si quis vetitis sacrificiis diurnis nocturnisq; velut vesanus ac sacrilegus incertorum consultorum emerserit,fanumq;sibi aut templum ad hujuscemodi sceleris excusationem assumpserit, l.7.C.Th.de Pag.* tum quod Gratianus sequuto anno CCCLXXXIII. sumptibus sacrificiorum ac stipendiis sacerdotum ademptis Pontificis Maximi titulum respuisset, quod hactenus more majorum (absque tamen labe ipsorum Sacrorum) Christiani Impp. a Constantino M. ob summam Potestatis amplitudinem retinuerant. Unde mox argutum illud in Gratianum scomma jactarunt, si *Princeps non vult appellari Pontifex Maximus, admodum brevi Maximus Pontifex fiet:* Maximum Tyrannum (tunc Ducem Exercitus in Britannia) innuentes. Quæ res etiam eventu non caruit suo. Nam Gentiles Senatores iniquo animo ferentes, potestatem judicandi de rebus ad gentilitiam superstitionem pertinentibus, quæ hactenus penes Pontifices fuerat, tributam esse Præfecto urbis Graccho V.C. Candidato Christianæ Religionis (qui & ipse pro insigni isto, quo in Christianam fidem ferebatur fervore, *specum Mithræ*, & omnia portentosa simulachra, quibus *Corax, Niphus, Miles, Leo, Perses, Helias, Bromius* pater initiantur, *subvertit, fregit, exussit, Diis quondam nationum, cum bubonibus & noctuis in solis culminibus remanentibus*, ut docet Hier. *Ep.* VII. id quod postmodum etiam Honorius & Theod. AA. observari præceperunt, *l.* 20. *C.Th. de Pagan.*) Maximo arripiendæ tyrannidis & necandi Gratiani ejiciendique Valentiniani cum Vx. Justina autores extiterunt. Quo facto Sacrificia Gentilibus & Aram Victoriæ in Capitolio anno Christi CCCLXXXVIII. restituit Maximus ipse Christianus homo. Verum eo victo & occiso *Valentinianus regno per Theodosium restitutus*, omnia sub Maximo acta infirmavit, *l.*6.& 7. *De infirm. his quæ sub Tyr.* Nec obtinuit, quod quæsierat Symmachus P.V. apud Valentinianum, *libello Senatus nomine oblato pro restauranda Ara Victoriæ*. Nam eam diutius in Capitolio haberi passus non fuerat Theodos. rem præprimis apud Imperatorem urgente S. Ambrosio, qui Symmachi libro refutato ejus conatibus fortiter obstabat, ceu Ambros. *Ep.* V. & XXX. edocet.

§. 10. Theodosii auspicabilis gubernatio tam imperio, quam Ecclesiæ salutaris fuit. Nam Anno Christi CCCLXXXV. Arcadio & Bautone Coss. legem adversus Paganos promulgat, *ne inspectione jecoris extorumque præsagio futura sub execrabili consultatione cognoscant*, *l* 9. *de Pagan. C.Th.* sustulit eodem anno *psaltrias & fidicinas civitatum pestes, quibus mores civium corrumperentur*, *l.* 10. *C. Th. de Scenic.* Quas tanquam *chorum Diaboli*, quasi *mortifera Strenarum carmina etiam eliminanda dixerat* Hieron. *Epist.* X. Post anno Christi CCCLXXXIX. suppresso Tyr. Maximo Romæque Triumpho acto, Urbem a profano cultu idolorum purgavit, abolitis sacrificiis & diebus festis (in quorum circulis etiam Januariis dies extabat) & idolorum statuis confractis per fidem Hist. Ecclesiasticæ: Augustinus *lib.* V. *de C.D.* c. XXVI. Ambros. *orat. in fun.* Theod. Hieron. *Epist. ad Lætam* & *l.* II. *contra Jovinianum*, it. *l.*10. & 11. *C. Th. de Pag.* Hæc evertere conatus est Eugenius homo gentilis ad Rhetorica docenda, non Imperia gerenda natus.

Nam Valentin. II. *Arbogastis fraude sublata jura templorum clausorum restituit, sacrificia intermissa sedulo revocavit, hominibusque Ethnicis, quæcunque peterent, concessit, ut concessione facili animos sibi conciliaret:* sed frustra. Theodosius enim cognoscens *Aram Victoriæ in Capitolio stare & Urbem detestabilium sacrificiorum nidore fumare, oracula consuli, exta inspici,* primum contraria sanctione anno Christi CCCXCII. Arcadio Aug. II. & Ruffino Coss. istas abominationes, deinde anno CCCXCIV. Eugenio & Arbogaste profligatis, sacrificia quoque ista horrenda abolevit paucis ante obitum diebus, teste Paulino in *ejus Vita*. Ex quibus augurari pronum est, STRENARUM SOLENNIA tunc sine impietate & execrandis fumigationibus fuisse, mere politica & civilia munera.

§. 11. Quæritur hic non adeo absurde, an ista oblatio, quam Symmachus *l.* X. *Ep.* XXXII. Theodosio devoti ordinis nomine exhibuit, Strena fuerit? De quo non immerito dubitatur. Nam non tam in Theodosium, quam Valent. II quadrant, quæ de Divis Parentibus & fratre scribuntur. Neque tam de Strena votiva, quam aut de ærarii subsidio, aut rectius de munere in auspicia imperii ordinato agitur. Juvat ipsum Symmachum audire: *Si divinæ Clementiæ tuæ merita cogitantur, nullæ opes, quas aut natura sufficit, aut fortuna circumfert, gratiam nostri erga te amoris æquabunt, D. Imperator. Sed, ut mea fert opinio, publicum de optimo Imp. judicium est, muneribus æstimandum. Senatus tamen promptus obsequi, omnes officio tum partes ultro accipit, quibus indicatur affectio, & salutare Numen tuum precatur, ut in hac OBLATIONE, quæ nonnihil superioribus addidit, intelligas, hoc esse curatum, ne sub Te minus posse videamur. Nam Divis PARENTIBUS TUIS ad DECENNIUM singulis minor summa decreta est. Etiam divus FRATER Mansuetudinis vestræ cum tertium lustrum Ævi imperialis* (quod citra dubium de Natali seu Auspicali Imperii intelligendum) *exigeret, parciore munificentia honoratus asseritur. Nunc in Amorem tuum studia nostra creverunt. NAM MILLE SEXCENTAS AURI LIBRAS Decennalibus Imperii Tui festis* (quod iterum de Decennio seu decimo Imperii anno acceptum) *devotus ordo promisit urbanis ponderibus conferendas*, id est, trutinæ largioris examine, &c. Non ergo tam Strena, quam Munus gratulatorium de Decennalibus Imperii Processibus oblatum fuit.

§. 12. Ad Theodosii quoque, quam Honorii ætatem referre malo, quod Martyrol. Rom. *ad* 1. *Jan.* de Almachio Martyre refert, quod sanguinariis Gladiatorum spectaculis mascule se opposuerit, jubente Alypio Urbis præfecto; *Hodie*, inquiens, *octavæ dominici diei sunt: cessate a superstitionibus idolorum & a sacrificiis pollutis*. Quam historiam paulo aliter narrat Theod. *l.* V. *H.E.* c. XXVI. *Telemachus* (ita vocat, quem alii *Almachium* vocant) *monasticam vitam excolens, ex Oriente hac de causa Romam se contulit*, nempe ut ludos gladiatorios abolendos curaret) *ac dum sceleratum istud edebatur spectaculum, in stadium ipse ingredietur, atque ad gladiatores descendens mutuam inter eos dimicationem sistere nititur. Itaque crudelis cædis spectatores accensi iracundia, & a Dæmone, qui ex illa sanguinis effusione voluptatem capiebat, ad furorem impulsi pacis autorem lapidibus obruerunt*.

§. 13. Exagitat Cardinalem subtilis iste Casaubonus quod πελεμάχιον quasi *in fine pugnantem* a τέλος & μάχη fecerit, qui spectaculo finem imposuerit: si legisset (addit) unquam Baronius apud Græcos πελεμάχιον quasi *e longinquo pugnantem*, ut apud Theod. *l.* V. c. XX. abstinuisset a conjectura tam absurda, *Proleg.* IV. *ad Exercit. Baron.* Non multo sanius est, quod cum ex Otton. Frising. *l.* IV. c. XIX. *Dirimachium* ideo vocet, quod *dirimat μάχην pugnam*, ita ut sit vox hybrida.

§. 14. Istud majoris momenti est, quod cum de cædis Autore, tum de tempore discrepantia est. Sed neutra variat rem. Possunt tam Gladiatores, quam Spectatores in ejus mortem conspiravisse, illi telis, hi lapidibus, illi manu, hi nutu & jussu. De Tempore major difficultas. Theodoretus, Otto Frising. Joh. Diac. *Misc. Hist.* Funccius, Calvisius sub Honorio ponunt, eo potissimum momento ducti, quod Honor. Imp. ista Almachii cædes occasio fuerit, Gladiatoria certamina prorsus tollendi. Interim Alypii præfectura in Theodos. ætatem quadrat, ceu docet inscriptio, apud Lips. inscript. f. 156.

DOMINO. NOSTRO
FL. THEODOSIO
AVGVSTO
FALTONIVS. PROBVS
ALYPIVS. V. C
PRÆFECT. VRB.

Ni forsitan excipere & dicere liceat, potuisse & sub Theodos. & sub Honorio præfecturam Urbis gessisse. Interim ætas & cognatio Alypii magis cum ætate Theodosii conspirat. Nam hic Faltonius Probus Alypius frater fuit Claudii Hermogeniani Olybrii; qui Julianam habuerat uxorem, *duorum Coss. Olybrii & Probini sororem*, ut Baronius T. IV. *Annal.* prolixe docet *ad Ann. Chr.* CCCXV. n. IV. adducitque hanc inscriptionem:

Q. CLODIO. HERMOGENIANO
OLYBRIO. V. C. FRATRI
ADMIRANDÆ. PIETATIS
FALTONIVS. PROBVS. ALYPIVS. V. C

§. 15. Id forsitan totum negotium conficere poterit, quod hujus *Martyrii occasione cruenta ista ludicra* (ut gladiatoria munera Am. Marc. *l.* XIV. c. VII. appellitat) *prorsus sint sublata*. Sic enim possit videri non sub Theodos. sed Honorio hæc accidisse. Nam post Theodosium adhuc durasse spectacula gladiatoria constat, post Honorium non item. Sed, si hoc argumentum stringit, non magis pro Honorii, quam Theodosii ætate pugnat. Siquidem Claudianus *de Sexto Consulatu Honorii* (qui fuit X. Imperii, & CCCCIV. Christi annus) non obscure indicat, HONORIO permittente, aut saltem connivente, *Ludos sæculares & Gladiatorum munera, tot antea edictis vetita, reiterata fuisse*. Id quod etiam Jacob. Gordonus Jesuita in *oper. Chronol.* T. II. f. 151. annotavit. Sed qui omnia mala Christianis, Gentilia sacra abrogantibus, imputabant, hujus suæ restitutionis non parvas luerunt pœnas, irrumpentibus non ita multo post Visi-Gothis & succendentibus Romam.

§. 16. Quid? si & istam allegarem sive causam sive occasionem severius ulciscendi Almachii mortem, quod ille zelo Dei & edicto Impp. motus talibus se spectaculis opposuit? Nam Val. Theod. & Arcad. AAA. omnibus sanctis diebus spectaculorum copiam prohibuerunt, *C. de Fer. tit.* 12. Quod idem Leo & Anthemius AA. suo tempore repetierunt: *Nihil eo die* (*dominico*) *sibi vendicet scena theatralis, aut Circense certamen, aut ferarum lachrymosa spectacula. Citra dubium Octavæ Dominicæ etiam dies Dominicus erat, si non solis, tamen Domini, Deique non hominum operibus transigendus*. Quidni ergo tam claro edicto fideret & niteretur certo vir tanto fervore tam crudele spectaculum eversurus?

§. 17. Cruenta ista spectacula, jam dudum Constantinus Paulino & Juliano Coss sustulerat, *L.* 1. *C.Th. de Gladiat. Ea* (inquit Imp.) *in otio civili, & domestica quiete non placent: quapropter omnino gladiatores esse probibemus*. Sed eam legem una cum autore extinctam esse declarat *l.* 2. *de Gladiat. C. Th.* Subque Constantino filio iterum munera fuisse edita, inde evin-

evincitur, quod eadem restrinxit. Et *l. 3. ejusd. tit.* satis ostendit, Honorii temporibus, ejusmodi editiones fieri solitas. Imo Symmachus non obscure indicat l. x. *Epist.* XXVIII. Theodos. & Arcad. præscripsisse modum, cum in ludis Scenicis, tum in gladiatorio munere adhibendum: Exhibita ergo fuisse illo tempore oportet: Cui rei modum ponas, eam necesse est esse: Si enim non sit, nec modi præscriptionem necesse est esse. Quid? quod Augustinus l. VI. *Conf.* c. X. testetur, quod ipse *talia spectacula Romæ viderit, & ingemuerit*. Et omnium vehementissime eadem insectetur Salvianus Massiliens. Episc. l. V. *de Providentia DEI* per totum. Hinc denuo Prudentius *adversus Symmachum* agens Valent. Augustum vehementer rogat, ut ea funesta spectacula aboleat. Iterum Symmachus docet in Consulatu Flaviani fratris gladiatores esse Munificentia Principis accuratos, *l.* II. *Ep.* XLVI. inspice, si placet, Lips. I. *Saturn.* c. XII.

Sed hæc in quem finem ita disputantur? ut ostendatur, sicut post Constantini Legem de tollendis Gladiatoribus, istud malum denuo reconvaluit, ita etiam post Theodosii, imo etiam post Honorii interdictum fieri potuisse, ut sive connivente sive nesciente Magistratu cruentæ istæ digladiationes haberentur, sicque ultimum istum cuneum pro historiæ istius alligatione ad Honorium, parum fortem esse. Quicquid tandem rei sit, parum interest, sive sub Theodosio, sive sub filio Honorio contigerit, sufficit nobis KALEND. JANVAR. contigisse, quibus & Strenarum solennia, & octavæ Dominicæ erant: Et vel hinc denuo cognoscere licet, quo pacto STRENÆ hoc tempore se habuerint.

§. 18. Optimi Patris optimi filii Arcadius & Honorius, Patris funere curato, ad Imperium orbis gerendum se componunt, & primo statim Imperii anno, Olybrio & Prob. Coss. id est, anno Christi CCCXCV. cum de STRENIS in specie, tum de Impietate Gentilium in genere præcipiunt. Nam VII. Id. Aug. ad Ruffinum P. P. sciverunt, *quicquid supplicii vel dispendii antea Divi Genitoris legibus sit constitutum, id nunc acrius exequendum in eos, qui ad fanum vel templum accessuri, vel abominanda sacrificia celebraturi essent, quocunque loco aut tempore, l. 13. C. Th. de Pagan.* Sed de STRENIS III. Non. Martii anno CCCXCV. præceperant, quantæ esse & qua mente offerri deberent, *Lex. Ult.* extat tam in Justin. quam Theod. Cod. *de Vot. Obl.* sensu eodem, verbis tamen paulo mutatis:

IMP. ARCAD. ET. HONOR.
AA. BASILIO V. P.

QVANDO VOTIS COMMVNIBVS FELIX ANNVS APERITVR, IN VNA LIBRA AVRI ET SOLIDIS OBRYZATIS PRINCIPIBVS OFFERENDI DEVOTIONEM ANIMO LVBENTI SVSCIPIMVS, STATVENTES, VT DEINCEPS SEQVENTIBVS ANNIS VNIVS CVIVSQVE SEDVLITAS PRINCIPIBVS SVIS TALIA INFERAT SEMPER ET DESERAT. DAT. III. NON. MART. MED. OLYBRIO ET PROBINO COSS.

§. 19. Quæ quia famosissima est de STRENIS JANVARIIS Constitutio, operæ pretium est, in eam accuratius inquirere, & quidem quoad tempus, incidit iste Olybrii & Probini Consulatus, juxta Haloandri & Glareani Indicem Consularem, in Annum Chr. CCCXCVIII. juxta Funccium in an. CCCXCIX. sed juxta Calvis. in annum CCCXCV. id quod vero propius est, & confirmatur ex *l. 3. C. de Transact.* ubi idem Consulatus eodem annorum CCCXCV. numero computatur: Dies vero est III. Non. Martii, seu V. Martii, quo jam tum utcrque Augustus Imperii habenas susceperant.

§. 20. Deinde quoad Autorem, dubium esse posset, quomodo ab utroque Imp. Arcadio & Honorio possit esse profecta, cum certo constet, Arcadium statim post obitum Theodosii properasse Constantinopolin, neque deductioni funeris, quæ facta est Mediolani, neque abductioni ejusdem Constantinopolin, quæ demum VI. Idus Novembr. ejusdem anni CCCXCV. secuta est, interfuisse: Quomodo igitur potuit cum Germano Augusto hanc legem Mediolani ferre, idque III. Non. Martii? aut quomodo eadem lege utrumque orientem & occidentem potuit obligare, cum Mediolani in Italia ferretur? Veruntamen istum scrupulum eximit accuratissimus noster Ziglerus in *Kal. Jan.* lit. *D.* quando, *Constitutiones*, inquit, quæ duorum aut trium Impp. nomina præ se ferunt, non habent eosdem semper omnes autores. Quia enim illi plerumque Imperium Rom. divisis gubernarunt partibus, non potuit alter in alterius territorio potestatem νομοθετικὴν exercere, ac proinde nec vim legis habere potuit Constitutio non edita ab eo, qui τὸ κύριον habuit in ea parte. Quo posito, asserendum porro & istud, Constitutionem hanc de STRENIS, utut ab Arcadio & HONORIO edita dicatur, solum tamen HONORIVM, quippe qui solus Occidenti præfuit, habere autorem, & proinde solos cives Rom. Imperii Occidentis obligasse, imprimis cum ad Basilium P. V. sit remissa, qui Romanis poterat, Orientalibus non poterat publicare. Interim nihil impedit, quo minus statuatur, potuisse etiam inter utrumque Imperatorem (imprimis germanos concordes, & ex instituto S. Ambrosii & Magni Stiliconis felicia auspicia Reip. capientes) convenire, cum de hac, tum de aliis legibus latis & ferendis. Distribuerant enim inter se provincias, non distribuendæ potestatis, sed commodioris administrationis causa. Keckerm. l. II. *Polit.* c. II. & D. Tabor *Armament. Justin. de Exarmat.* c. II. n. V.

§. 21. Sed cur ad Præfectum Urbis hæc lex est directa? quia *Urbicaria Præfectura omnibus aliis præsidebat dignitatibus*, inquit Julianus *Nov.* LVI. & Cassiod. *l.* X. *Ep.* XI. *Urbanus Præsul*, inquit, *dignitas est bonorum*. Cui ergo potius, quam Præfecto urbico ea res demandaretur, qui proximum ab Imperatoria dignitate gradum tenebat? qui civibus omnibus, & Senatui ipsi præerat, utpote in quo & ipse primus sententiam dicebat, & Consulares omnes suo nutu regebat? Huic igitur omnes sanctiones dirigebantur, ut eas curaret publicari & observantiæ tradi. Quid? quod videantur velle Impp. ut non sicut sub Augusto, Claudio, Nerone, quisque sua manu deferret munera, sed imposterum Senatus & populi nomine oblata munera a præfecto Urbis sibi deferantur, id quod Cl. Dn. Fritschius ex Symmacho, eoque ipso Præfecto Urbi in Ep. *ad Valent. Theod. & Arcad.* perscripta l. XI. Ep. XXXV. colligit, qua sic loquitur: *libenter Strenis solennibus præfectura fungetur Strenuis deferendis*.

§. 22. Cæterum quibus muneribus defungendis Præf. Urb. fuerit occupatus, alii ex veteribus pandectis eruunto. Instar omnium erit Nobiliss. Dn. Strauchius *ad tit. ff. de Off. Præf. Urb.* ad Rubric. adde, si placet, Symmach. *l.b.* II. *Epist.* LXXV. & *lib.* X. *Epist.* XXIV. Cassiod. IV. *Variar.* Epist. XXII. Petr. Greg. Tholos. *Synt. J. V.* Part. III. l. XLVII. c. XXXV. Istud saltem dico, quod ea Præfectura Urbicaria (scil. cum tanto splendore & dignitate conjuncta, nam alias etiam sub Regibus & Coss. fuerat,) ante Augusti tempora non obtinuerit: Sub illo autem ex Consilio Mæcenatis profecta sit: uti Dion. docet *H. R.* l. LII. Præfectus urbis ex viris primariis quidam creandus est, qui omnes Magi

Magistratus, quos geri ante hunc convenit, gesserit, non ut per absentiam Magistratuum Rempublicam administret, quod sub Regibus & Coss. P. U. fecerant, sed ut cum reliquis in rebus urbi præsit, tum causas quoque eas, quibus provocatio competit, capitalesque etiam omnes, iis exceptis, quas post dicam, in urbe, ac extra urbem usque ad LXXXI. millia passuum dijudicet: videndus omnino noster Strauchius Differt. Acad. II. *de Cent. lapid. Urbicar.* consp. I. n. v. seqq.

§. 23. Tandem quod occasionem hujus sanctionis attinet, illa prorsus aut nulla, aut certe puerilis videri posset. Nam Kal Jan. jam tum præterierant: Et Theod. Patri sine dubio Strenæ oblatæ erant: Et antequam recurrerent, decursus X. mensium interveniebat, quo tempore mori, aut mutata sententia aliud ordinare potuisset novellus Imperator. Tempus ergo prorsus incommodum erat, de Strenis cogitare, inter initia principatus & rerum agendarum.

§. 24. Hæc sunt, quæ nonnullis notationem temporis subscriptam III. Non. Martii suspectam reddunt, imprimis cum eam plane omiserit Exemplar Ludov. Russardi ex XV. aliis Codd. emaculatum. Interim si tenenda sit usitata scriptio, iterum meum Ziglerum, vere meum & Amicum & Patrem (quas mihi voces incredibilis istius viri bonitas exprimit) hos nodos incidentem audire placet. Edita est hæc constitutio nondum integris duobus mensibus post Theodos. patris mortem elapsis, gubernacula tamen illico capessente HONORIO. Jam vero quanta festivitate, & primus principatus dies, & Natalis ejus deinceps anniversarius celebrati olim fuerint, discimus ex *L. 7. C. de Fer.* Plin. *l.* X. *Ep.* LX & LXI. Tacit. II. *Hist.* c. LXXIX. Spartian. in *Hadrian.* add. Sueton. *Aug.* c. LVII. Nec dubito, perinde tum Imperatori stipem collatam atque Natali altero, quem Lucis auspicia vocant Impp. *d. l.* 7. quo scil. novum ætatis annum agere incepit. Tanta autem tum cives omnes Principis thesauros replevisse divitiarum varietate docet D. Maximus *Serm in Vigil. Natal.* ut in quantum erogare voluerit, in tantum prærogatio copiosa non deesset. Verosimile igitur est, fuisse etiam Honorium initio sui principatus donis & muneribus tam copiose ornatum, ut ne nimii imposterum essent subditi, & crebris largitionibus onerarentur, amputare eorum liberalitatem, & tum Natalem Imperii, tum etiam dies alios, quibus stipem accipere soliti fuerant Impp. eximios ab his tributis reddere, unicas vero KALENDAS JANUARIAS pristinæ consuetudini relinquere, animum induxerit. Edixit ergo & post prolixam Romanorum liberalitatem ad Præfect. Urbi rescripsit, nolle se, ut cives annis deinceps sequentibus stipem sibi erogent, præterquam Calendis Januariis, quibus elargiri sibi aliquid ipsis integrum relinqueret.

§. 25. Summa responsionis eo tendit, quod distinguendum inter

Munera novi anni,
Munera novi regni, &
Munera novi natalis.

Cum XVI. Jan. die obierit Theodosius, probabile est eum I. Jan. die jam tum aut Strenas cepisse aut male dare cœpisse, ut ob morbi difficultatem Strenas receptare aut noluerit, aut non potuerit. Cum igitur interea decederet, Novo Imperatori duplicata forte fuerunt munera, cum quæ Patri *STRENÆ* loco dari debuerant, (si morbo impeditus non accepit) tum quæ novo Principi eo die, qui *ortus Imperii protulerat*, ut *L. 7. C. de Fer.* loquitur, in felix anni auspicium offerri solebant. Sicque nimium cumulatæ stipes sunt. Quibus accedere debebant munera, ob Natales intra sesquiannum feliciter recurrentes anniversaria. (natus enim erat mense Septembri A. C. CCCLXXXV. secundum Marcell. & Socratem.) Ne igitur subditorum spontaneam liberalitatem videretur in lucrum aut exactionem convertere, STRENAS retinuit, ex antiquo more, reliquis muneribus præteritis, utpote qui bene meminerat, munera superabundantia non recipienda a tenuioribus: Neque enim justum esse, *augeri patrimonia locupletum, per damna miserorum,* ut loquitur Lactant. *Epitom. Instit.* c. IV.

§. 26. His ita præsuppositis apparet, Divos Imperatores istas STRENAS non exegisse, sed correxisse, neque imperasse, sed ex liberali animo & manu profectas temperare voluisse. Cum alius alium conaretur superare, & liberalem animum erga Principem ostendere, nimia offerentium erogatio facultates exhauriebat. Hæc igitur legis causa fuit, ne *auri libram Oblatio Strenarum* excederet. Perinde, ut ante eos plures latæ erant LL. sumptuariæ, quarum aliæ *vestium pretia* præscribebant, aliæ *ædificationes & familiam* dirigebant, aliæ *conviviorum luxum* coercebant, ut lex Fannia, aliæ *munerum licentiam*, ut Cincia, &c. inquit Perezius *Prælect. in h. l.*

§. 27. In subscriptione duo adhuc annotanda sunt, Locus & Consules. Locus per abbreviat. MED hic indubitato est MEDIOLANUM, quæ eo tempore Metropolis & Regia Sedes Impp. erat, magna & splendidissima Urbs, qua Theodosius, paulo ante obitum, filios ad se accerserat: Hic, inquam, est MEDIOLANUM. Nam alibi ista concisionis Nota MED. etiam MEDIANO vel MEDIANÆ est legendum, uti amplissimus Dn. Strauchius notavit in suis *K. J.* ita enim accipiendum esse *L. 8. C. T. de Jure Fis.* cum Valentinianus Nicææ v. Kal. Mart. (Socrat. l. IV. c. I.) Valens autem sub finem Martii Constantinop. Impp. facti, Aprilem & Majum in Thracia exegissent, certe MEDIOLANI rescribere non poterant. Imo ex Amm. Marcellino l. XXVI. cap. V. amplius constat, Impp. eosdem *percursis Thraciis Næssum venisse, ibique in suburbano, quod appellatum MEDIANA, Comites partitos fuisse.* Oportet ergo leges, quas ab initio Imperii usque ad Junium mensem promulgarunt, alibi quam in Italia, aut Mediolani fuisse promulgatas, nempe MEDIANÆ in suburbio Næssi Thraciæ.

§. 28. Quoad Consules, & Sextus Anitius Hermogenianus Olybrius & Sextus Anicius Sext. Fil. PROBINUS, nobilissimum par fratrum, rara felicitate simul Consulatum gesserunt. Vix duos Fulvios in Consulatu noverat Vellejus l. II. c. XXVIII. vix Othonem & Titianum Coss. citare potest Tacitus I. *Hist.* LXXVII. vix Julianum atque Paulinum fratres Coss. felicitas sæculi Constantiniani speraverat: Denique vix crediderim Felicem Gallum & Secundinum, qui Ann. DXI. Coss. gesserunt, Germanos, Severini Boethii filios fuisse, quod vult Barth. *ad Claudian. n.* 131. cum Theodoricus Rex, testis Barthio major, istius Galli natales ex Transalpinis Galliis diducat, ter geminis literis ad Anastasium Imp. ad ipsum Felicem & ad Senatum Rom. datis, apud Cassiod. *l.* II. *Variar.* Ep. I. II & III. Adeo rarum fuit, duos Germanos summum istud Honoris Consularis fastigium simul tenuisse, ut Claudianus sub finem *Panegyrici*, eis dicti, exclamet:

Anni nobilior lustro tibi gloria soli
Contigit exactum nunquam memorata per ævum
Germanos habuisse duces ——

Alios tamen fratres Imperatores & simul Coss. citat Dn. Barthius *ad Claud. num.* 276. duos Vitellios, duos Antoninos, duos Constantinos: item Arcadium & Honorium fratres.

§. 29. Nostrorum autem Coss. Genealogiam te-

xere ſi vellem, poſſem cum ex Chriſtianorum tum Gentilium ſcriptorum monumentis longa ſerie recitare. Pater erat Probus vir & pietate & magnis meritis in Remp. illuſtris. Nam Præfectus Prætorio apud Impp. amplo munere functus eſt, & inter alia etiam Ambroſio delegavit provincias Æmiliam & Liguriam: Qui & ipſe conſulatum geſſit cum Gratiano Imper. anno Domini CCCLXXI. ac tantæ fuit potentiæ, ut ad eum cognoſcendum ex Perſide ſapientes Romam acceſſerint, teſte Paulino in *Vita Ambroſii*, & tantarum facultatum, ut longa patrimonia non in Italia modo, ſed & per univerſum orbem Romanum teneret. HONORES celebrat Filiorum marmor, quod in ædibus Card. Cæſii ponit Boiſſardus P. III. *Ant. Rom.* f. 75. A B

SEXTO. PETRONIO. PROBO. V. C.
PROCONSVLI. AFRICÆ
PRÆFECTO. PRÆTORIO
QVATER. ITALIÆ. ILLYRICI
AFRICÆ. GALLIARUM
CONSULI. ORDINARIO
PATRI. CONSULUM
ANICIUS. PROBINUS. V.C.
CONSUL. ORDINARIUS
ET. ANICIUS. PROBUS. V.C
QUÆSTOR. CANDIDATUS. FILII C
MUNUS. SINGULARI. REGIONE
DEBITUM. DEDICARUNT

Vitam, Mores & Pietatem decantat Proba Faltonia Poetria clariſſima Fæmina, Epitaphio pie defuncto Marito erecto, prout illud, ſub Nicol. V. ex ſqualore & muſco repurgatum deſcripſit Maffæus Vegius, Baſil. S. Petri Canonicus, & ita habet:

EXIMII. RESOLUTUS. IN. ÆTHERIS. ÆQUORE. TAN-
TUM
CURRIS. ITER. CUNCTIS. INTEGER. A. VITIIS D
NOMINE. QUOD. RESONAS. IMITATUS. MORIBUS.
ÆQUE
JORDANE. ABLUTUS. NUNC. PROBUS. ES. MELIOR
DIVES. OPUM. CLARUSQUE. GENUS. PRÆCLARUS.
HONORE
FASCIBUS. ILLUSTRIS. CONSULE. DIGNUS.
AVO
BIS. GEMINA. POPULOS. PRÆFECTUS. SEDE. GUBERNANS
HAS. MUNDI. PHALERAS. HOS. PROCERUM.
TITULOS
TRANSCENDIS. SENIOR. DONATUS. MUNERE. E
CHRISTI
HIC. EST. VERUS. HONOS. HÆC. TUA. NOBILITAS
LAETABARE. PRIUS. MENSAE. REGALIS. HONORE
PRINCIPIS. ALLOQUIO. REGIS. AMICITIA
NUNC. PROPIOR. CHRISTO. SANCTORUM. SEDE.
POTITUS
LUCE. NOVA. FRUERIS. LUX. TIBI. CHRISTUS.
ADEST
O. NUNQUAM. DEFLENDE. TUIS. CUM. VITA. MANERET
CORPORIS. ATQUE. ARTUS. SPIRITUS. HOS. F
REGERET
PRIMUS. ERAS. NULLIQUE. PATRUM. VIRTUTE.
SECUNDUS
NUNC. RENOVATUS. HABES. PERPETUAM.
REQUIEM
CANDIDA. FUSCATUS. NULLA. VELAMINA. CULPA
ET. NOVUS. INSUETIS. INCOLA. LIMINIBUS
HIS. SOLARE. TUOS. QUANQUAM. SOLATIA. MOESTA
GRATIS. NON. QUÆRAT. GRATIA. CHRISTE.
TUA
VIVIT. IN ÆTERNA. PARADISI. SEDE. BEATUS
QUI. NOVA. DECEDENS. MUNERIS. ÆTHERII
VESTIMENTA. TULIT. QUO. DEMIGRANTE. BELIAL
CESSIT. ET. INGEMUIT. HIC. NIHIL. ESSE.
SUUM
NUNC. TU. CHRISTE. CHORIS. JUNGAS. COELESTIBUS. ORO
TE. CANAT. ET. PLACIDUM. JUGITER. ASPICIAT
QUIQUE. TUO. SEMPER. DILECTUS. PENDET. AB.
ORE
AUXILIUM. SOBOLI. CONJUGIOQUE. FERAS

Feras, malo legere, quam *ferat*, ut ſimul elidam Baronii Nόνμα, quaſi hoc diſticho Proba iſta Fœmina aſtruxerit *preces defunctorum pro Eccleſiæ neceſſitatibus, tunc temporis nondum cognitas aut auditas.* Sicque ſenſus erit: Chriſte feras auxilium Soboli conjugioque (ejus) qui tuo ab ore pendet.

§. 30. Mater, ut dictum, erat PROBA FALTONIA omnium Dignitatum & cunctæ Nobilitatis in orbe Romano illuſtrius nomen, cujus ſanctitas & in univerſos effuſa bonitas etiam apud Barbaros venerabilis fuit: *quam trium liberorum Probini, Olybrii & Probi non fatigarunt ordinarii Conſulatus*, ut ſanctus Hieron. de ea ſcribit *Ep.* VIII. Hanc etiam noverat S. Auguſtinus, utpote cui dedicaverat *Tractatum de Videndo Deum*, laudat & Chryſoſtomus, quod Chriſtianos Conſtantinopoli Romam fugientes hoſpitio exceperit.

Talem nulla refert antiquis pagina libris,
Nec Latiæ cecinere tubæ, nec Græca vetuſtas
Conjuge digna Probo: Nam tantum cœtibus extat
Fœmineis, quantum ſupereminet ille maritos.

Claudianus *de Conſ. Olyb. & Prob.* Iſtius ſtemma & gloriam celebrat Filiorum ſtatua in ædibus Caſianis apud Boiſſardum f. 75.

ANICIÆ FALTONIÆ
PROBÆ. FIDEI. NOBILITA
TIS. ANTIQUÆ ORNA
MENTO. ANICIANÆ
FAMILIÆ. SERVANDÆ. AC
DOCENDÆ. CASTITATIS
EXEMPLO. CONSULUM
PROLI. CONSULUM. MA-
TRI. ANICIUS. HERMOGE-
NIANUS. OLYBRIUS
CONSUL. ORDINARIUS
ET. ANICIA. JULIANA. V.C
EJUS. DEVOTISSIMI FILII
DEDICARUNT

§. 31. Ex iſta bona ſtirpe quatuor effloruerunt germina εὐφυέςατα, Hermogenianus Olybrius, Probinus, Probus & Tyrrania Anicia JULIANA, quorum duo priores Coſſ. poſterior Præturam geſſit, Soror autem Juliana viro Conſ. Q. Clodio Hermogeniano Olybrio nupſerat. Eo alludit Prudent. l. I. *contra Symm.*

Fertur enim ante alios generoſus Anitius, urbi
Illuſtraſſe caput, ſic ſe Roma inclyta jactat
Quin & Olybriaci generiſque & Nominis heres
Adjectus faſtis, palmata inſignis obolla
Martyris ante fores Bruti ſubmittere faſces
Ambit ———

De Probino & Probo loquitur Statua in ædibus Cæſiis ad Vaticanum:

ANICIÆ. FALTONIÆ
PROBÆ. AMNIOS. PINCIOS
ANICIOSQUE. DECORANTI
CONSULIS. UXORI
CONSULIS. FILIÆ
CONSULUM. MATRI
ANICIUS. PROBINUS. V. C
QUÆSTOR. CANDIDATUS
FILII. DEVINCTI
MATERNIS. MERITIS
DEDICAVERUNT

Olybrium & JULIANAM fororius nexus copulavit tam in patris, quam matris Cippo: in matris:

ANICIÆ. FALTONIÆ
ILLUSTRISSIMÆ. ET
SANCTISSIMÆ
CASTISSIMÆ. FOEMINÆ
HERMOGENIANUS. OLYBRIUS
V. C. CONSUL. ORDINARIUS
ET. ANICIA. JULIANA. C. F. D. D

Similiter etiam in patris:

SEXTO. PETRONIO. PROBO
ANICIÆ. DOMUS
CULMINI. PROCONSULI
AFRICÆ. PRÆFECTO
PRÆTORIO. QUATER
ITALIÆ. ILLYRICI. AFRI
CÆ. GALLIARUM. CON
SULI. ORDINARIO. CON
SULUM. PATRI. ANICIUS
HERMOGENIANUS
OLYBRIUS. V. C. CONSUL
ORDINARIUS. ET ANI
CIA. JULIANA. C. F. EJUS
DEVOTISSIMI. FILII
DEDICAVERUNT.

§. 32. Olybrius aut Olymbrius creditur cognominatus ab Olymbria, quæ & Selibria & Selymbria, imo etiam Eudoxiopolis Hon. & Theod. II. dicta eſt, ex *l. 2. C. Th. de Præd. & Manc. Curial.* & l. 61. *C. Th. de hæret.* Fuitque Thraciæ oppidum, in quo Anicia domus partem patrimonii tenuit, quippe quæ per univerſum orbem Romanum ſparſa patrimonia poſſedit, ut in hoc uno verax, in aliis ſat dicax Probi cenſor Amm. Marcellinus l. XXVII. c. XI. docet. conf. D. Reineſ. *Ep.* LXIX. & Dn. D. Strauch. *K. J. c.* II. Item jam ante ſub Valent. & Valen. Præfecturam Urbis egerat, ut teſtatur Marcell. lib. XXVIII. cap I. & IV.

§. 33. JULIANÆ nuptias cum Claudio Hermogeniano Olybrio, Alypii fratre, initas, ſtatua expreſſit in ædibus Cævolis, via Julia:

TYRANNIÆ. ANICIÆ
JULIANÆ C. F. CONJUGI
Q. CLODI. HERMOGENIANI
OLYBRII. V. C
CONSULARIS CAMPANIÆ
PROCONSULIS. AFRICÆ
PRÆFECTI. URBIS
PRÆF PRÆT. ILLYRICI
PRÆFECTI. PRÆT. ORIENTIS
CONSULIS. ORDINARII
FL. CLODIUS. RUFUS. V. P
PATRONÆ. PERPETUÆ

Hic geſſit conſulatum anno Domini CCCXIX. cum Auſonio Gallo, citoque ex hac vita ſubtractus Julianam reliquit viduam cum filiola Demetriade, virgine ſancta, & Chriſtianæ pudicitiæ decore inſigni. *Omnes hæ clariſſimæ ex Aniciorum familia fæmina toto orbe*, inquit Caſſiodorus, *prædicatæ, quæ quidem familia vere nobilis dicitur, quando ab ea actionis probitas non recedit.* Hinc ſunt ad Julianam Epiſtolæ Innocentii Epiſc. Rom. Auguſtini, Chryſoſtomi, Hieron. (apud Baron. ſub fin. Tom. IV.) Hinc & Hieron. Auguſtini, Proſperi, Pelagii ad Demetriadem, apud eundem Tom. V. *Annal.* ad ann. CCCCX. & CCCCXIII. Cum his, ſi placet, compone Symmachi Epiſtolas *ad Probum* l. I. Ep. LVI. ſeqq. *ad Olymbrium & Probin.* l. V. Ep. LXVII. ſeqq. *ad Alypium* l. VII. Ep. LXVI. Epigramma ejuſdem in Anicium Julian. *l.* I. *Ep.* II. Nobis hæc ſufficiunto.

§. 34. Ea igitur HONORII ætate Strenarum ſolennitas, iſque Paganorum ſtatus erat, ut STRENÆ ſine ſuperſtitione offerrentur reliqua gentilitatis idolomania ſuppreſſa. Nam præter ea, quæ diximus ſupra, Anno Chriſti CCCXCIX. Fl. Manlio Theodoro Coſſ. juſſa ſunt templa dirui in agris (quæ hactenus remanſerant) utpote quibus dejectis idololatriæ materiam ſimul conſumi credebant, *L. 16. C. Th. de Pag.* Id eſt, quod Proſper Aquitan. *de Prædictionibus Dei P.* III. *Promiſſ.* XXXVIII. docet, Honorium Theod. filium minorem Chriſtiana religione & devotione præditum templa omnia cum adjacentibus ſuis ſpatiis Eccleſiis contuliſſe, ſimulque eorum ſimulachra confringenda in poteſtatem dediſſe. Quanquam negari non poteſt, Edicta iſta Imperatoria cum eo ipſo anno, tum etiam ſequenti CCCCVIII. anno eatenus fuiſſe reſtricta, ut *Aris & Idolis templorum dejectis, templa ipſa reſervarentur,* quemadmodum ſonat *l. 18. & 19. C. Th. de Pag.* Nihilominus poſtea Theod. & Valent. IV. AA. Coſſ. & *immolationes execrandæ ſunt ſublatæ & cuncta gentilium fana, templa, delubra*, ſi quæ adhuc reſtabant integra, præcepto magiſtratuum deſtrui mandata ſunt, l. 25. *C. Th. eod.*

§. 35. Reliquorum temporum Faſti uti Strenarum apertam mentionem non faciunt, ita tacite ſubinnuunt, EAM HONORII Conſtitutionem de oblatione Strenarum in LXXII. ſolidis Obryziatis viguiſſe, reliquiis impietatis cohibitis. Aliqua ejus conjecturæ veſtigia uti invenimus, heic allegamus: Nam Anno Chriſti CCCCLI. a Valentiniano & Marciano Impp. Marciano A. & Clod. Adelphio Coſſ. denuo fibula impoſita eſt Gentilitati, cum circa Kal. Januar. tum circa aliarum ſuperſtitionum ſolennia repullulare volenti, ad Paladium PP. Edicto edito, ut nemo venerandi adorandique animo delubra, quæ olim jam clauſa ſint, reſerat. *Abſit* (inquiunt AA.) *a Sæculo noſtro infandis execrandiſque ſimulachris honorem priſtinum reddi, redimi ſertis templorum impios poſtes, profanos aris accendi ignes, adoleri in iiſdem thura, victimas cædi, pateris vina libari, & religionis loco exiſtimari ſacrilegium, l. 7. C. de Pagan.* Idem Marcian. ſequenti anno Domini CCCCLII. Fl. Aſporatio & Herculano Coſſ. Cenſui Conſulari bene conſulturus, ne amplius Miſſilibus in populum ſpargendis nimium exhaurirentur, hanc juſtæ moderationis velut trutinam adhibuit, *ne talia miſſilia amplius in vulgum jacerent, ſed centum duntaxat auri libras ad reſtaurationem Aquæductuum ſub initium Conſulatus ſolverent*, per *l. 2. C. de Conſ. & non ſparg.* Quæ ſparſiones utut Strenæ ipſæ non fuerint, cum Strenis tamen magnam cognationem habuerunt.

§. 36. Porro Leone & Majorano Conſulatum ac Imperium gerentibus, Anno ſcilicet Chriſti CCCCLVIII. Conſularis quidem Dignitas KAL. JAN. inita manſit, STRENARUM autem illatio aut prorſus ſublata, aut quibuſdam ſaltem interdicta fuit. Nam Majoranus priori anno a Leone Thrace in Italiam miſſus, cum a Senatu ſibi oblatum Conſulatum acceptaviſſet, literis ad Senatum miſſis Ravennate ſcripſit *ſe dicatis JANO KALENDIS ſuſcepti feliciter Conſulatus faſces erexiſſe, ut iſte annus naſcentis Imperii incrementa ſuſcipiens ſuo etiam nomine ſignaretur*, velut eſt *L. 1. Nov. Major. tit. 3.* Nihilominus tamen eodem anno VIII. Id. Novembr. nova conſtitutione STRENARUM KALENDARUM ex-

hibitionem sustulerunt, ne Curiales suos plus nimio viderentur onerasse. Isti enim boni Principes sicuti difficultatem temporum respicientes subditorum varias exactiones ad trinas, easque quadrimenstruas illationes reduxerant, undecimque præterea Indictionum tributa remiserant (*L.* 1. *de indulg. Reliqu. Nov. L. Major. tit.* 1.) ita sanxerunt; ut STRENARUM KALENDARUM *ac* PULVERATICI *nomine a Curialibus nihil petatur. Si quis horum aliquid poposcerit, aut etiam offerentem contra interdicta susceperit, singulas Libras Auri per singulos Curiales a se noverit exigendas*. Pulveraticum istud (ut obiter subdam) cum de pecunia, quæ pro labore & pulvere agri mensoribus dabatur, tum de exactione quæ a præsidibus singulas Provinciæ civitates obeuntibus exigebatur, intelligo, præeunte Cujacio *l.* IV. *observ.* XVIII. & Eruditi nostri seculi Phœnice Strauchio *Kalend. Januar. c.* v.

§. 37. Atque hæc quidem ad annum Domini CCCCLVIII. acciderunt, paulo post Genserici irruptiones Vandalicas. Quæ autem post ea tempora STRENARUM ratio fuerit, non adeo proclive est delineare: Nam nihil istorum mihi occurrit, nisi huc velis, ex non neminis opinione pertrahere, quod Imp. Anastasius A. D. DVI. edixit, quod Advocati Fisci KAL. JAN. pacta puncti solatia debeant consequi, quæ tamen non tam de Strenis quam Salariis & constitutis Stipendiis LX. auri librarum agere mihi videntur, videntur & Perezio, aliisque boni commatis Autoribus. Istud tamen ex illo Edicto elicere licet, quod isto adhuc tempore KALENDARUM STRENARUM solennitas, solennis FESTIVITATIS dies fuerit: credo cum propter Coss. noviter creatos, tum propter Strenas noviter oblatas.

§. 38. Forsitan & istud huc spectat, quod qui STRENIS JANUARIIS sive dandis sive accipiendis præsidebant, fuerint ab ipsis Imperatoribus constituti, & summæ autoritatis viri COMITES SACRARUM LARGITIONUM dicti. Hi creduntur successisse Procuratoribus Fisci ac Præfectis ærarii, ex *L.* 1. *C. Th. de Quæst.* Qui & ipsi, ut pinguior esset Imperatoris fiscus, sub se habebant Comites *sacrarum Largitionum per Illyricum, per Orientem Africæ, & Comites Commerciorum per Orientem Ægyptum, Scythiam, Pontum & Procuratores Gynæceorum, Baphiorum, Monetarum, Lanificorum, Rationales Provinciarum, Præpositos Argentariorum*, uti est apud Perez. *præl. Cod. l.* 1. *tit.* 32. Petr. Gregor. Tholosan. *Synt.* l. VI. c. VIII. & præprimis apud Johann. Jonsthon. in *Polymath. philolog.* l. III. c. VI. *§.* 112. seqq. p. 567. Imo & pondera auri, argenti & æris præbebant, *Nov.* 128. c. 15. Cum tituli, tum officii cum crebra passim fit citatio, hac vice saltem placet audire Imperii Romano-Gothici Cancellarium Magnum Aurelium Cassiodor. l. VI. *Variar. Form.* VII. sic loquentem: *Grata sunt omnino nomina, quæ designant protinus actiones; quando tota ambiguitas audiendi tollitur, ubi in vocabulo includitur, quid geratur. Donis enim præsidere regalibus Comitivam sacrarum Largitionum indicia rerum verba testantur. Quod vere decorum, vere fuit omnimodis exquisitum, in donorum Regalium parte sequestratam facere dignitatem & alterius honorem dicere, dum nos constet dona conferre. Actus innocens, pietatis officium, illud semper ingerere, unde se fama Principis possit augere. Regalibus magna profecto felicitas militare donis & dignitatem habere de publica largitate. Alii judices ob temperant residuis virtutibus regnatoris: hæc sola est, quæ tantummodo serviat ad momenta pietatis. Nihil enim per ipsam districtum geritur, nil severum forte censetur, sed tunc obsequitur, quando pro nobis vota funduntur. Supplicum per te fortunas erigimus, KAL. JANUARIIS affatim dona largimur, & lætitia publica militia tua est*, &c. Illud citra dubium intendit Mamertinus in *Panegyr. Juliano Imp.* dicto, *quando mihi*, inquit, *primum thesaurorum omnium mandata, custodia & dispensatio largiendi post*, &c. conf. Perez. *l.* VII. *Cod. tit.* VI. *n.* IV. & Gutherium *de Offic. domus Augustæ*.

§. 39. Quousque igitur tandem istæ sacræ Largitiones durarunt? imo & STRENÆ quousque viguerunt? Eas enim uti ab Arcad. & Honorio adeo luculenta sanctione confirmatæ erant, ita sonticam sublationis causam habuisse oportet. Nihil audacter definio in re non adeo comperta. Istud tamen mihi videtur, STRENAS tam solennes & Imperatorias fuisse, quousque Consules fuerunt: Et vicissim, Annorum computo per abdicationem Dignitatis Consularis turbato, Strenarum quoque turbationem insecutam esse.

§. 40. Istius autem mutationis periodus in Justiniani & Leonis tempora incidit, quorum ille Coss. Sparsiones temperavit, hic vero Sparsiones cum Consulatu ipso sustulit, Marcianus, ut supra tetigi) A. D. CCCCLII. jam tum Missilia Consularia in centum auri libras commutavit. Cum autem plebs operose Imperatorem publica ista gaudia posceret, Justinianus A. D. DXXXVIII. & veterem morem & Sparsiones Consulum restituit, sed ita restituit, ut *Argentum quidem in minutioribus nummis, nempe in Milaresiis, & melis, in caveis & quadrangulis mediocribus, KAL. JAN. spargere liceret; aurum autem sive majore sive minore charactere aut pondere spargere non liceret*, *Nov.* 105. c. 1. 2.

§. 41. Nam cum jam antea Consularis dignitas a Christianis Impp. imminuta esset, cœpissetque pluris esse Proconsul, quam Consul, hicque omni ferme jurisdictione sub Justiniano destitueretur, sicut non ineleganter Paganinus Gaudentius JCtus & Theol. Italus in lib. *de sæculi Justinianei moribus nonnullis*, Part. ult. c. XVI. docet. factum est, ut dictus Imperator Justinianus Anno Imperii XVI. Consulatum KAL. JAN. inire solitum, & superioris ævi residuas superstitiones una vice prorsus tolleret. Videns enim Comitia Consularia multum temporis & sumtus requirere, imo & Imperatoriæ Dignitati non parum præjudicare, ordinavit, ut Imperatores ipsimet imposterum Consulatum primo Imperii anno assumerent, & inde seqq. annorum seriem dinumerarent, præeunte viam Dionysio Exiguo Abbate & Mathematico inclyto. Id quod factum ad Ann. Domini DXLII. Cum ultimus Fl. Basilius Junior ex Privatis electus sine Collega Consulatum prioris anni DXLI. solus gessisset, secundum Calvis. *Chronol. ad annum Domini* DXLI. D. Tabor. *Armament. Justin. de Exarm. c.* II. *§.* IX. Beda *de Ration. Tempor.* c. XLV. & Ludovici Aurelii Perusini *Epit. in Annal. Eccles. Baronii* l. VII. *p.* 484. Quo ipso Consularis Dignitas, quæ per MXLVII. annos in Rep. Rom. duraverat, & cum ipsa consueta annorum Ordinatio per Coss. cessavit, quæ a primis KALENDIS cujuslibet Anni hactenus inceperat.

§. 42. Interea idem Sacratissimus Justinianus novum annum melioribus auspiciis initiandum duxit, initiavitque, votis piis, precibus, nec non labiorum hostiis Deo oblatis, ut Christianum decebat & gloriosum Imperatorem.

§. 43. Et quanquam eo mortuo Justinus Curopalates ad A. Domini DLXVI. populo flagitante, Consulatum in Remp. reduxit, eumque ipse KAL. JANUARIIS (cum statim Imperium ab obitu Justiniani, d. XIII. Novembr. obiret solenne Imperii auspicium in KAL. JANUARIAS differens) & populo dona more majorum distribuit, templumque cum pompa ingressus DEO gratias egit, precatus simul felicem Imperii administrationem; tamen

post eum, non lego alios sive Impp. sive Principes A istum morem tenuisse, ideoque paulatim in desuetudinem venisse censeri debet.

§. 44. Imprimis cum Leo Imp. non tantum Legem de Consulatu Corpori juris eximeret, sed & Coss. Majestatem ipsam tolleret. Ejus *Novella* XCIV. ita habet: *Consequens est, ut &, quæ de Consulatu tractat Legem, tanquam nihil in præsenti ad Remp. pertinentem, cum aliis inutilibus legali Corpori eximat.* Olim quidem Consularis dignitas veneranda erat, venerandosque qui ipsam subirent, & Magnificentia præstantes efficiebat, ac idcirco, quibus Consulatum gerere obtingeret, pro honore, quem ex dignitate perciperent, remunerari Remp. volentes, liberalia promiscuæ plebi munera elargiebantur: B Ac initio quidem quantam munificentiam faceret, cujusque arbitrio permittebatur: postmodum autem ad certum modum decreto legali circumscribi illam placuit. Atque hoc quidem, donec Consularis dignitatis in Rep. majestas floruit, observatum esse apparet. Nunc vero, cum, qui omnia mutat, temporis cursus hanc etiam Consularem Magnificentiam e pristina gloria & amplitudine in abjectam speciem transformarit, ac vero, qui ad illam procedunt interdum sibi non sufficere, nedum aliis erogare quicquam possint illam de Consulatu legem C eximimus: conf. Anton. Contium *Lection. subseciv.* anno MDCI. Parisiis editar. c. VII. præfat. a p. 47.

QUARTA ÆTAS STRENARUM DIABOLICARUM SUB ECCLESIÆ EPISCOPIS.

SUMMARIA.

§. 1. *Multum operæ in eradicandis inveteratis ritibus.*
2. *Hinc in Strenarum abolitione pedetentim erat procedendum.*
3. *Nam semel excisæ instar fruticis repullulabant.*
4. STRENÆ DIABOLICÆ.
5. *Summo jure sic dictæ.*
6. *Damnatæ a Patribus.*
7. *In Africa a Tertulliano.*
8. *Et Augustino.*
9. *In Italia ab Ambrosio.*
10. *A Clemente, Gregorio, Zacharia.*
11. *A Petro Chrysologo.*
12. *A Prudentio.*
13. *In Oriente a Gregorio Nazianz. Chrysostomo, Theodoreto, Asterio.*
14. *In Gallia a Maximo Taurinensi.* E
15. *Et cum singuli Dd. parum proficerent, fulgur damnationis ab integris* CONCILIIS *est emissum.*
16. *Et quidem in Galliis a Concil. Turonensi.*
17. *Hinc pulsæ in Hispanias migrarunt.*
18. *Iterum in Gallias reversæ.*
19. *Sub involucro obscurorum verborum* VECOLA & CERVOLO.
20. *Sacrivos.*
21. *Matricole.*
22. *Subtilia pede.*
23. *Sortibus ligneis latitantes, pulsæ sunt autoritate Synodi Antisiodorensis.* F
24. *Remearunt in Hispanias.*
25. *Illinc in Orientem.*
26. *Ex quo fugatæ.*
27. *Damnatis in Synodo Trullana Kalendis Martiis & Januariis.*
28. *Et votis Brumalibus.*
29. *Et Matronalibus.*
30. *Denuo Romam petunt.*
31. *Sed inauspicato sidere.*
32. *Nam a Gregorio & Zacharia pulsæ.*
33. *In Germaniam dilabuntur,*
34. *Teste Bonifacio.*
35. *Non negante Zacharia.*
36. *Hortante etiam Gregorio optimates Germanorum,*
37. *Ut abstinerent ab arborum & frondium cultu,*
38. *In quo censu & Irminsul fuit.*
39. *A Sortilegiis, Divinationibus, Igne Græco, triplici Neptuno.*
40. *Tandem Strenæ abolentur sub Carolomanno.*
41. *Deleto & igne Nedfri.*
42. *Ita undique pulsæ paulatim defecerunt.*
43. *Cum Christiani contra sanctificarent* STRENAS JANUARIAS *gemitu & luctu domestico.*
44. *Sacrorum gentilium odio.*
45. *Jejunio.*
46. *Litania & hymno.*
47. *Sacris Christianis.*
48. *Threnis pœnitentialibus.*
49. *Eleemosynis & operibus charitatis.*
50. *Votis & precibus piis.*
51. *Institutione festi Circumcisionis Dominicæ.*

Διέξοδος.

§. 1. Inveterata firmiter hærent; nec facile eradicantur, quæ diu radices egerunt. Vanitatum illecebræ, ut viscus, adeo tenaces sunt, nec quicquam citius perit, quam quæ honestorum splendore coruscant: Pronior malorum appetitus: acrior impietatis tuitio, quam vel virtutis, vel bonitatis esse solet. Id humanæ sortis conditio loquitur: Loquitur omnis naturæ ambitus. Zizania & copiosius & invidiosius luxuriant, quam triticum aut avena. Hinc Agricolarum stomachus super loligine fœcundiore, quam opus erat: indignatio hortulanorum super plantagine vivaciore, quam D frugum spes ferebat. Sic in Ecclesiæ agro magnæ molis erat Superstitionem Strenarum, quæ dudum inoleverat, non dicam exstirpare, sed suffocare saltem, ubi caput erigere est visa. Curas suas, operas, tædia non diffitentur primi Ecclesiarum fundatores & Episcopi, imo & Sacratissimi Impp. Theod. & Valentinian. *Nov. Constit. Theod. tit.* 3. aperte fatentur, quod, nec mille terrores promulgatarum legum, nec pœna denunciati exitii eos (paganos) coercuerit, utpote qui urbibus relictis ad exercendos nefarios sacrificiorum ritus in occultas solitudines decesserant:

Tantæ molis erat gentilem vertere ritum.

§. 2. Hinc cum STRENIS Civilibus, quæ hactenus a primo ortu, velut multis impietatum Euripis affluentibus, integram idolomanias & vanitatis illuviem contraxerant, obviam ire decrevissent Impp. pientissimi, cum non uno impetu omne diluvium exsiccari posse viderent, Cyri labore Euphratico inducti, velut in varias alveos abducere, & successu temporis ipsam scaturiginem obturare prudenter statuerunt. Eum in finem primum nefaria sacrificia, cruenta spectacula, impia omina, vana auguria: post & Sparsiones inutiles, & munerationes non necessarias sustulerunt: Et cum parum profectum videretur, nisi & jam ultima manus adderetur, Justiniani gloriosissimi Imp. provida cura ipsos Consulatus abdicavit, cum quibus indivulso nexu cohærere videbatur Strenarum, quæ aderat, superstitio.

§. 3. Verum pravi frutices, quantumvis semel præcisi, iterum pullulant: Ita & impietas Strenarum hic recisa, alibi emersit; hinc nova opus erat cura, nova medicina. Functi erant suo fatis munere Impp. fungi debebant & suo Episcopi, quos Deus in amœnissimo suæ Ecclesiæ horto ve-

ut cultores & ſatores collocaverat, ut infauſtas labruſcas nequitiæ exſurgentes non tantum verbi falce præciderent, ſed & radicitus evellerent. Hinc tot illorum ad populum Declamationes, tot Conciliorum actiones, tot anathemata & excommunicationes.

§. 4. Neque adeo exigui momenti res erat, de qua agebatur, ſed omnium nocentiſſima. Nam ſub Jani perſona Diabolo litabatur, & prætextu Strenarum auguria captabantur, ſub Votorum involucro exſecrandus profanorum Deorum cultus latebat, prorſus, ut STRENÆ iſtæ velut omnis nequitiæ teſſeræ & DIABOLI LARVÆ, totum gentiliſmum pleno plauſtro reveherent in Eccleſiam. Hinc venerabilis Patrum chorus eas nihil dubitavit DIABOLICAS STRENAS proclamare; ſicut Auguſtinus, Chryſoſtomus & Antiſiodorenſis Synodus exerte ita proclamaverunt. Utriuſque Doctoris verba, quia velut compendio omnem ſuperſtitionem coarctant, exprimam. S. Auguſtini ita habent: *Credentes Janum quendam Deum eſſe, eum tunc venerabantur, ei duas facies figurantes, unam ante, aliam poſt, eo quod eſt principium anni ſequentis & finis præcedentis. Aſſumebant enim formas monſtruoſas: alii pellibus pecudum, alii capitibus beſtiarum, alii veſtientes tunicas muliebres, alii auguria obſervabant, dantes & recipientes DIABOLICAS STRENAS; alii menſas laute præparatas tota nocte manere ſinebant, putantes totum anni ſpatium convivia tali cibo abundantia perdurare, quæ veritas probibet Chriſtianos facere.* Chryſoſtomus itidem ita publice docuit. *Αἱ Διαβολικαὶ παννυχίδες αἱ γινόμεναι τήμερον, καὶ τὰ σκώμματα, καὶ λοιδορίαι, καὶ αἱ χορεῖαι αἱ νυκτεριναὶ, καὶ ἡ καταγέλαστος αὕτη κωμῳδία παντὸς πολεμίου τὴν πόλιν ἡμῶν μᾶλλον ἐξηχμαλώτισε. Diabolica pervigilia, quæ hodie celebrantur, & cavillationes, & convitia, & choreæ ſaltationeſque nocturnæ, & hæc perridicula comœdia magis captivam tenet urbem quam hoſtis,&c.* Synodus autem Antiſiodorenſis *can.* I. ita loquitur. *Non licet* KAL. JANVARIIS VECOLA *aut* CERVOLO *facere, vel* STRENAS DIABOLICAS *obſervare.*

§. 5. Quid ergo, inquiens, adeo fœdavit STRENAS, ut, cum antea civilia munera, ab Impp. etiam Chriſtianis præcepta & recepta fuerint, nunc demum adeo nigro carbone notentur, ut DIABOLICÆ vocentur? Impietas id fecit & ſuperſtitio hominum gentilitati adhuc addictorum. Recte Montacutius p. I. *Orig. Eccleſ. in Cal. Jan.* antiqui Patres vehementius invecti ſunt non propter iſtas miſſitationes ad invicem & mutui amoris pignora, ſed propter diem idolis dicatum; propter ritus quoſdam profanos & ſacrilegos in illa ſolennitate adhibitos. Primas Vanitates ſupra tetigimus ex Libanio ætate I. §. 16. ſeqq. & ætate 2. §. 22. ſeqq. Nec minor earum ſeges erat, quas ſequior ætas ad impietatem pronior, ex eadem Jani Schola invenit. Namque Janum ut Deum colebant, contiguum noctium dierumque conjugium commeſſationi, tumultibuſque tribuebant, vana auguria, & impia omnia captabant, veſtibus mutatis ſeſe invicem territabant, nec quicquam inſanæ libidinis omittebant. Neque iſta inſania intra Paganæ Fidei limites ſubſtitit, ſed etiam in ſancta Eccleſiæ Chriſtianæ pomœria penetravit, cum ad Exemplum Ethnicorum edocti nocturno tempore diſcurrerent per noctem promiſcui ſexus, cantantes præ foribus divitum annum novum, annum bonum iis precantes: Iidem menſas inſtruebant epulis omnium lautiſſimis, putantes per totum annum ſe in tali abundantia & rerum affluentia victuros: varias Strenas miſſitabant, & cum Strenis Magicas artes Diabolico ſuſurramine confictas & conflatas recitabant, & quaſi ex tripode Apollinis de futura anni proſperitate divinabant: phylacteria pro hominum, ac jumentorum morbis ſacrabant, ſomnia & Nativitates, quas vocant, ſuperſtitioſe concinnabant: impias & laſcivas choreas ducebant, & quid non ſuperſtitionis deſignabant?

§. 6. Hinc non tantum Patrum in eas invectivæ, ſed & aliquot Conciliorum fulmina publice proſtant, Patres primum prodeant, & pro ſe loquantur, utpote, qui velut manu facta vehementer in eas STRENAS impetum fecerunt. Et primum quidem in Africa, eas debellarunt Tertullianus & Auguſtinus. Tertullianus lib. *de Idolol.* Chriſtianis perſuaſurus, ne cum Gentilibus ſacrificia idolorum & Strenas Januarias obſervent, ita loquitur c. XIV. *Judæis dies ſuos exprobrat Spiritus S.* Sabbata, *inquit*, veſtra & Neomenias & ceremonias odit anima mea. *Nobis quibus Sabbata extranea ſunt, & Neomeniæ & feriæ a DEO aliquando dilectæ* (nam *Exod.* XX. Sabbati, *Numer.* XXVIII. & *Ez.* Neomeniarum obſervationem Deus præceperat) *SATVRNALIA, & JANVARIÆ, & BRVMÆ & MATRONALES frequentantur, MVNERA COMMEANT, STRENÆ conſonant, LVSVS, CONVIVIA conſtrepunt. O melior fides nationum in ſuam ſectam, quæ nullam ſolennitatem Chriſtianorum ſibi vindicat, non Dominicum diem, non Pentecoſten. Etiamſi noſſent, nobiſcum non communicaſſent: Timerent enim, ne Chriſtiani viderentur. Nos ne Ethnici pronunciemur, non veremur.*

§. 7. Idem eodem *libro cap.* X. præmiſerat quæſtionem, An etiam Magiſtri, qui inter Gentiles literas docent, & dies Gentilium cum ipſis feriantur, Strenaſque a Diſcipulis acceptant, idololatriæ ſe obſtringant? Reſponditque affirmative. *Dubitandum non eſt, affines eos* (Ludi-Magiſtros) *eſſe multimodæ idololatriæ. Primum quibus neceſſe eſt, DEOS nationum prædicare, nomina, genealogias, fabulas, ornamenta bonorifica quæque eorum enunciare, tum ſolennia feſtaque eorundem obſervare, ut quibus vectigalia ſua ſuppetant. Quis Ludi-Magiſter, ſi non Tabularia idolorum* (diem feſtum notat quo tabulas literarias idolo dicabant) *quinquatria tamen frequentabit?* (quinquatria ſic dicta, quod poſt diem quintum iduum in honorem Minervæ celebrarentur.) *Ipſam primam novi Diſcipuli ſtipem Minervæ & bonori & nomini conſecrat, ut, etſi non propbanatus alicui idolo, verbo tenus de idolotbyto eſſe dicatur, pro idololatria vitetur. Quid minus eſt inquinamenti, eo quod præſtat quæſtus & nominibus & bonoribus idolo nuncupatus? Tam Minervalia Minervæ, quam, Saturnalia Saturni, quæ etiam Serviculis ſub tempore Saturnalium celebrari neceſſum eſt. Etiam STRENÆ captandæ, & SEPTIMONTIVM, & BRVMÆ & Caræ cognationis bonoraria exigenda omnia, flore Scholæ coronandæ. Flaminicæ & ædiles ſacrificant Cereri, Schola bonoratur feriis: Idem fit idoli natali, omnis DIABOLI POMPA frequentatur.* En Zelum Sancti Tertulliani! Denuo *c.* XIV. *de Idolol* alteri occurrit objectioni, an ideo poſſint cum Gentilibus converſari, ut eos lucrifaciant, ne amplius nomen DEI blaſphement: *Si,* inquit, *bominibus vellem placere, Chriſti Servus non eſſem;* additque *SATVRNALIA & KALENDAS JANVARIAS celebrans bominibus placebat an modeſtia & patientia, an gravitate, an bumanitate, an integritate. Proinde cum Apoſtolus dicit,* omnia omnibus factus ſum, ut omnes lucrifaciam, *nunquid idololatris idololatres, nunquid Ethnicis Ethnicus, nunquid ſecularis ſecularibus? Sed etſi non probibet nos converſari cum idololatris & adulteris, & cæteris criminoſis, dicens, de mundo exiſtis, non utique eas babenas converſationis immutat, ut quoniam neceſſe ſit & convivere nos, & commiſcere cum peccatoribus, ideo & cum eis peccare poſſimus. Ibi eſt commercium vitæ, quod Apoſtolus concedit: bic peccare, quod nemo permittit. Licet convivere cum Ethnicis, commori non licet: convivamus cum omnibus: collætemur ex communione naturæ non ſuperſtitionis: Pares anima ſumus, non diſciplina: compoſſeſſores mundi, non erroris.* Idem Sanctus Zelotes invehitur in Gentes, quod Chriſtianos vellent cogere ad ſacrificandum JANO aut Jovi, *Apologet. adverſ.*

Gent. c. XXVIII. *Certe ineptum exiſtimaretur, ſi quis ab alio cogeretur ad honorem DEORUM, quos ultro ſui cauſa placare deberet, ne præ manu eſſet, jure libertatis dicere nolo mihi Jovem propitium? Tu qui es? me conveniat* JANUS *iratus ex qua velint fronte, Quid tibi mecum eſt?* Et viciſſim, fœditatem cultus Jani ex ipſa Diaboli intentione in Idolum vergere, nihilque valere Chriſtianorum inſtantiam, quod Januarias Strenas non in honorem Jani celebrent, demonſtrans *de Idolol.* c. XV. inquit: *Ergo bonor Dei eſt, lucernæ præ foribus, & laurus in poſtibus? non utique, quod DEI bonor eſt, ſed quod ejus, qui pro DEO hujuſmodi officiis bonoratur, quantum in manifeſto eſt, ſalva operatione, quæ eſt in occulto, ad Dæmonia perveniens. Certi enim eſſe debemus, ſi quos latet, per ignorantiam liberaturæ ſecularis, etiam oſtiorum Deos apud Romanos, Cardeam a Cardinibus appellatam, & Forculum a foribus, & Limentium a limine, & ipſum Janum a janua. Et utique ſcimus, licet nomina inania & ficta ſint, cum tamen in ſuperſtitionem deducuntur, rapere ad ſe Dæmonia & omnem ſpiritum immundum per conſecrationis obligamentum. Etiam apud Græcos Apollinem θυραῖον & Antelios Dæmonas oſtiorum præſides legimus. Hæc igitur ab initio prævidens Spiritus S. etiam oſtia in ſuperſtitionem ventura præcecinit per antiquiſſimum Prophetam Enoch.* Enochi librum Apocryphum intelligit, quem magni fecit Tertullianus ſuo tempore.

§ 8. Huic ſuo tempore ſuccenturiatus eſt S. AVGVSTINVS, vir undiquaque Zelo divino armatus. Eum jam tum loquentem audivimus §. 4. Alium locum, qui tamen admodum pingue ſonat, neque Auguſtini decori convenit, citat Gratian. c. 26. *qu.* 7. *c.* 16. *Non obſervetis dies, qui dicuntur Ægyptiaci, aut KALEND. JAN. in quibus cantilenæ quædam & commiſſationes, & ad invicem dona donantur, quaſi in principio anni, boni fati augurio, aut aliquos menſes, aut tempora aut dies, annos aut lunæ ſoliſque curſum: quia, qui has, & quaſcunque divinationes aut fata, aut auguria obſervat, inutiliter & ſine cauſa magis ad ſui damnationem, quam ad ſalutem tendit: ſive qui per quoſdam numeros literarum, & lunæ, & per Pythagoricam Necromantiam ægrotantium vitam vel mortem, vel proſpera vel adverſa futura inquirunt, ſive qui attendunt ſomnialia ſcripta, & falſe Danielis nomine intitulata, & ſortes, quæ dicuntur ſanctorum Apoſtolorum, & auguria avium, aut aliqua pro domo facienda, aut propter conjugia copulanda, aut in collectionibus berbarum carmina dicunt, aut pyctariola pro quavis infirmitate ſcripta ſuper homines vel animalia ponunt, præter Symbolum & Orationem Dominicam (quaſi hæc in eum uſum ordinata!) aut magicis falſitatibus in grandinariis tempeſtatibus credunt. Qui talibus credunt fidem Chriſtianam abnegarunt,* &c. Eundem Auguſtinum integrum Sermonem de KAL. JANVAR. habuiſſe, indicio eſt fragmentum, quod ſupereſt, & T. x. *Oper.* f. 1688. ex. Ven. Beda *in c.* 1. *Rom.* citatur; indicatque tam Judæos quam Gentiles ſua Impietate iram DEI ſupra ſe coacervare, juxta illud Apoſtoli: *Revelatur ira Dei de cœlo ſuper omnem iniquitatem.* Et alibi in iſtis diebus miſeri homines, & quod pejus, aliqui baptizati ſumunt formas adulteras monſtruoſas, alii veſtiuntur pellibus pecudum, aſſumunt alii capita beſtiarum, gaudentes, exultantes, ſic ut taliter in ferina ſpecie eſſe videantur. Jam vero illud, quam turpe eſt, quod viri nati tunicis muliebribus veſtiuntur, barbaras facies præferunt, & videri fœminæ volunt. Sunt qui KAL. JAN. auguria ita obſervant, ut focum de domo ſua, vel aliud quodcunque beneficium cuicunque petenti tribuant: DIABOLICAS etiam STRENAS, & ab aliis accipiunt, & ipſi aliis tradunt: Alioqui etiam ruſtici menſulas in iſta nocte, quæ præteriit, plenas multis rebus, quæ ad manducandum ſunt neceſſariæ, componentes, tota nocte ſic compoſitas eſſe volunt, credentes, quod hoc illis KALENDÆ JAN. præſtare poſſint, ut per totum annum convivia illorum in tali abundantia perſeverent. Quis ſapiens poterit credere, eſſe aliquos, qui cervulum facientes in ferarum habitum ſe velint commutare? Quæ hic de menſis iſtis Divinatoriis traduntur, ea fere communi omnium gentium idololatricarum conſuetudine recepta fuiſſe oportet. Nam jam tum ſuo tempore S. Eſaias hanc vanitatem Iſraeliticis exprobaverat *cap.* LXV. 11. *Ponitis fortunæ menſam, & libatis ſuper eam,* aut ut LXX. Int. reddiderunt: *Paratis fortunæ (Gad) menſam: Et impletis Dæmoni* κέρασμα *mixtam potionem.* Neque obſcurum eſt ex eodem Propheta elicere, Judæos hunc ritum impium ex Ægypto accepiſſe: Teſtiſque eſt S. Hieron. *Comm.* XXVIII. *in Eſ.* (T. v. Oper. f. 115.) *Eſſe in cunctis urbibus & maxime in Ægypto, & in Alexandria veteris idololatriæ conſuetudinem, ut ultimo die anni & menſis eorum, qui extremus eſt, ponatur menſa referta varii generis epulis & poculum mulſo mixtum, ut ſic vel præteriti anni vel futuri fertilitatem auſpicentur. Idem etiam feciſſe Iſraelitas omnium ſimulacrorum portenta venerantes, & nequaquam altaris victimas, ſed hujuſmodi menſæ libamina obtuliſſe.* Id quod obiter inſpergere placuit, ut videlicet inde cognoſcatur, quod quam impietatem olim in nugaci Ægypto fecerat Cacodæmon, eandem in fallaci Africa, & ſequaci Italia etiam diſſeminaverit. Neque enim ovum ovo tam eſt ſimile, quam iſtæ Alexandrinæ τράπεζαι hiſce noſtris Strenarum menſis ſunt.

§. 9. Circa eadem tempora in Italia S. Ambroſius, Prudentius, aliquot Epiſcopi Romani, & P. Chryſologus in STRENAS invecti ſunt. Ambroſii certe fervor ſatis advertitur ex *Serm.* XVII. *de Kal. Jan.* qui T. III. Oper. f. 243. habetur, & ita habet: *Eſt mihi adverſus pleroſque de veſtris, Fratres, querela non modica. De his loquor, qui nobiſcum Natalem Domini celebrantes Gentilium ſe feriis dederunt: Et iſtud, poſt illud cœleſte convivium ſuperſtitioſum, ſibi prandium paraverunt: ut qui antea lætificati fuerant ſanctitate, inebriarentur poſtea vanitate, ignorantes, quod qui vult regnare cum Chriſto, non poſſit gaudere cum ſæculo: & qui vult invenire juſtitiam, debeat declinare luxuriam. Alia enim eſt ratio vitæ æternæ, alia deſperatio laſciviæ temporalis. Ad illam virtute aſcenditur, ad iſtam perditione deſcenditur. Atque ideo, qui vult eſſe divinorum particeps, non debet eſſe ſocius idolorum. Idoli enim portio eſt inebriare vino mentem, ventrem cibo diſtendere, ſaltationibus membra torquere, & ita pravis actibus occupari, ut cogaris ignorare, quod Deus ſit. Unde Sanctus Apoſtolus hæc prævidens dicit;* quæ portio juſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas luci cum tenebris? aut quæ pars fideli cum infideli? Quis autem conſenſus templo DEI cum idolis? *Ergo, ſi nos ſumus in templum DEI, cur in templo DEI colitur feſtivitas idolorum? Cur, ubi Chriſtus habitat, qui eſt abſtinentia, temperantia, caſtitas, inducitur commeſſatio, ebrietas, laſcivia?* Idem pergit: Nemo poteſt duobis Dominis ſervire, hoc eſt, Deo & Mammonæ. *Quomodo igitur poteſtis religioſe Epiphaniam Domini procurare, qui KALENDAS, quantum in vobis eſt, devotiſſime celebraſtis? JANVS enim homo fuit, unius Conditor civitatis, quæ Janiculum appellatur, in cujus honorem a Gentibus KALENDÆ ſunt JANVARIÆ nuncupatæ: unde qui KALENDAS JANUARIAS colit, peccat: Quoniam homini mortuo defert divinitatis obſequium. Inde* (Gal. IV. *eſt quod ait Apoſtolus:* Dies obſervatis & menſes, & tempora, & annos: timeo, ne ſine cauſa laboraverim in vobis. *Obſervavit enim diem & menſem, quiſquis his diebus aut non jejunavit, aut ad Eccleſiam non proceſſit. Obſervavit diem, qui heſterna die non proceſſit Eccleſiam, proceſſit ad campum. Ergo fratres, omni ſtudio Gentilium feſtivitatem & ferias declinemus, ut quando illi epulantur & læti ſunt, tunc nos ſimus ſobrii atque jejuni, intelligant, lætitiam ſuam noſtra abſtinentia condemnari.* Et *Comm. in Ep. Gal.* IV. dies obſervatis & annos. *Annos ſic colunt, cum dicunt: Kalendis Janua-*

riis

riis novus est annus : quasi non quotidie anni impleantur. Sed ut Jani illius recolant memoriam bifrontis, hac superstitione utuntur, quæ longe debet esse a servis DEI.

§.10. Istis paria Episcopi Romani Gregorius II. & Zacharias cum in Conciliis, tum in pulpitis publicis edocuerunt, ut postea apparebit §.21. Clemens certe in *Constitut. Apostolicis* (si modo Clementis & non recentioris alicujus Capellionis sint) l. II. c. LXII. præcepit, ne Christiani Ferias cum perditis hominibus, id est, cum synagoga Gentilium in errorem & interitum suum agant, fugiant potius turpia spectacula, theatra & pompas Gentilium, incantationes, divinationes, expiationes, auguria, auspicia, necromantias. Et mox: *Abstinete*, inquit, *ab omni idolorum pompa, præstigiis, mercatu, conviviis, Monomachia, & ab omni spectaculo Dæmoniaco.*

§. 11. Imo ante eosdem Petrus Chrysologus Ravenna, Archi-Episcopus, qui sub Martiano Augusto anno salutis CCCCL. floruit, pari vigilantia hanc impietatem exagitavit *Serm.* CLV. *Ubi nostram Christus pie natus est ad salutem, mox diabolus divinæ bonitati numerosa genuit, & perniciosa portenta: ut ridiculum de religione componeret, in sacrilegium verteret sanctitatem, de honore DEI DEO pararet injuriam. Hinc est, Fratres, hinc est, quod hodie Gentiles fœditatibus exquisitis excogitato dedecore, & ipsa turpitudine turpiores Deos suos videndos trahunt, distrahunt, pertrahunt, quos faciunt non videndos: Quæ vanitas, qualis dementia, quanta cæcitas, fateri Deos & eos ludibriis infelicibus infumare? Irrisores sunt, cultores non sunt, qui deos, quos venerantur, illudunt: injuriis afficiunt, non honorant, qui Deos, e quibus se formatos existimabant, sic deformant: confundunt, non glorificant, qui eos de ipsa confusione componunt. Vere, sicut ait Apostolus*, quia non probaverunt, Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea, quæ non conveniunt: *quando eis, quibus humana abrogant, dant divina: quando eos judicant dignos cœlo, quando ipsos faciunt terra ipsa non dignos: vere dati sunt in reprobum sensum. Et non hoc est judicii divini, est hoc sapientiæ Dei, ut ipsi sint injuriarum Dei vindices, qui injuriæ probantur autores. Quæ ira, quæ ultio, sic in Deum de idolis exequeretur offensam, ut eos, quos vetustas aris, incenso, victimis, gemmis, auro Deos esse mentita est, posteritas turpi cultu homines fuisse turpissimos judicaret, & eorum vitam, mores, actus, ipsis eorum signaret in vultibus, ac doceret tales fugiendos esse potius, quam colendos? Defleamus, Fratres, & eos qui talia sunt secuti, & nos evasisse talia cœlitus gaudeamus. Quorum formant adulteria in simulachris, quorum fornicationes imaginibus mandant, quorum titulant incesta picturis, quorum crudelitates commendant libris: quorum patricidia tradunt sæculis, quorum impietates personant tragœdiis, quorum obscœna ludunt, hos qua dementia Deos crederent, nisi quia criminum desiderio, amore scelerum possidentur, criminum deos exoptant habere criminosos? Qui peccare cupit, peccatorum colit & veneratur autores. Hinc est, quod Veneri adulter inservit, hinc est quod se Morti crudelis addicit. Hæc diximus, Fratres, ut proderemus causam: quare facientes hodie, qui talia sustinemus, faciant Gentiles deos suos, & faciant tales, qui videntibus & horrori sint & pudori: faciant ut eos aliquando & ipsi qui faciunt, horreant & relinquant, & Christiani glorientur a talibus se liberatos esse per Christum: Si modo non eorum & spectaculis polluantur, si eorum non inquinent thura tactu, si hujusmodi fugiant de assensione discrimen: quia factis semper est æqualis assensus. Apostolo probante, cum dicit*, non solum qui faciunt ea, sed etiam qui consentiunt facientibus. *Et si tanta est de assensione damnatio, quis satis luget eos, qui simulachra faciunt semetipsos? Nonne isti amiserunt imaginem Dei, similitudinem perdiderunt Christi, exuti sunt indumentum, qui se simulachrorum formis sacrilegis formaverunt? Sed dicit aliquis, non sunt hæc sacrilegiorum studia, vota sunt hæc jocorum: & hoc esse novitatis lætitiam, non vetustatis errorem: esse hoc anni principium, non gentilitatis offensam: Erras homo, non sunt, non sunt hæc ludicra, sunt crimina. Quis de impietate ludit, de sacrilegio quis jocatur, piaculum quis dicit risum? Satis se decipit, qui sic sentit: tyrannus est, tyranni habitum qui præsumit. Qui se deum facit, Deo vero contradictor existit: Imaginem Dei portare noluit, qui idoli voluerit portare personam: qui jocari voluerit cum diabolo, non poterit gaudere cum Christo. Nemo cum serpente securus ludit, nemo cum diabolo jocatur impune. Si qua sunt ergo viscera pietatis in nobis, si qua est in nobis contemplatio humanitatis, si qua nos habet fraternæ salutis affectio, abstrahamus eos, qui sic ad perditionem currunt: rapiuntur ad mortem, trahuntur ad tartara, festini sunt in Gehennam. Abstrahat ergo pater filium, servum Dominus, parens parentem, civem civis, homo hominem, Christianos omnes qui se bestiis compararunt, exæquarunt jumentis; aptaverunt pecudibus; dæmonibus conformaverunt. Et ille qui liberat, invenit præmium: qui negligit, acquirit offensam. Beatus; qui suæ vitæ custos est, & provisor est salutis alienæ.*

§. 12. His omnino etiam annumerandus Christianus Poeta Aurelius Prudentius, qui sub Theodosio Magno floruit lib. I. *contra Symmachum*:

—— Jano etiam celebri de mense litatur
Auspiciis, epulisque sacris, quas inveterato
Heu miseri! sub honore agitant, & gaudia ducunt
Festa Calendarum. Sic observatio crevit
Ex atavis quondam male cœpta, deinde secutis
Tradita temporibus, serisque nepotibus aucta,
Traxerunt longam corda inconsulta catenam,
Mosque tenebrosus vitiosa in sæcula fluxit.

§.13. Quid interea in ORIENTE? an ibi securius otium nactæ erant STRENÆ DIABOLICÆ? nequaquam. Nam Gregorius Nazianz. A.C. CCCLXX. invictissimus ille veræ Fidei assertor, a comessationibus Januariis dehortans ita concionatur: *Hanc festivitatem celebremus non panegyrico sed divino, non mundano sed super-mundano modo. Nequaquam fores coronemus, nec choros instauremus, non compita viarum exornemus, non oculos pascamus, non auditum oblectemus.* Et vicissim *Orat.* IV. p. 129. *Festum celebremus non corporis nitore, non vestitus mutatione ac magnificentia, non comessationibus & ebrietatibus, quarum fructum cubilia & impudicitias esse didicistis: nec floribus vicos cingamus, nec unguentorum turpitudine mensas & vestibula ornemus, visibili lumine splendescant domus, nec tibicinum cantu plausibusque personent. Hoc enim more Gentiles Lunæ festum celebrant: At nos ne committamus, ut ad hunc modum Deum honoremus, ac præsens tempus iis rebus, queis minime decet, extollamus: verum animi puritate, ac mentis hilaritate, ac lucernis totum Ecclesiæ corpus illustrantibus, hoc est, divinis contemplationibus & cogitationibus, quæ super candelabrum sanctum excitentur, atque universum terrarum orbem luce perfundant. Parva, meo quidem judicio, si cum hoc lumime comparentur, ea omnia lumina sunt, quæ homines, qui festos dies agunt, privatim publiceque accendunt.* Audiatur etiam S. Theodoretus Cyri in Syria Episcopus, lib. IX. *Therapeut. Loco pomparum antiquitus usurpatarum pro turpissimis factis, pro turpiloquio nunc festa, & panegyres sobrii celebrant, in quibus nulla extat ebrietas, nullæ comessationes, non risus aut ridicula, sed hymni in honorem DEI, sacrorum auditio oraculorum, preces condignis lachrymis adornatæ. Huc reduc, quod S. Asterius dicitur in Calend. Fest. concionatus esse, Festum hoc non Festum, & men-*

daci prorsus nomine plenum acerbitatis ac molestiæ, grave prodeuntibus in publicum, grave domi remanentibus. Viles enim de plebe homines, agyrtæ & scenici præstigiatores in turmas discreti, nulli non domui clamoribus ac plausibus, velut fausta precantes, molestiam exhibent. Et circa januas quidem eorum, qui tributa cogunt, & exigunt, pertinacius hærent, donec tandem, qui obsidetur intus, tædio molestiaque expugnatus pecuniam projiciat, quam habet, & quam non habet. Adeo servile hominum genus Strenas exigentium! vid. Ferrar. *de Accl Vet.* l.VII.c.XV. Eadem fidei & pietatis vestigia tenuit, & in regia Urbe Constantinopol. impietatem Strenarum calcavit S.Chrysostomus *Homil. in Kalend.* Diabolicas istas Strenas his propemodum, (nam Græca supra citavimus) verbis exagitans: *Diabolica ista pervigilia celebrantur, quæ hodie & cavillationes, & convitia, & chori, saltationesque nocturnæ, & hæc perridicula comœdia magis captivam tenent urbem, quam hostis.* Et paulo post: οἱ δὲ ἐν τοῖς καπηλείοις ἀγῶνες γιγνόμενοι πικρὸν ὄντες μὲν μάλιστα ὀδυνῶσι, καὶ ἀσωτείας καὶ ἀσελγείας ἐμπεπλησμένοι πολλῆς, &c. *Ludi vero, qui in tabernis & diversoriis etiamnum peraguntur, hi maxime angunt cum prodigalitate tum impietate multa, quæ sunt referti: Impietate quidem, quia his occupati dies observant, & augurioram, auspiciorumque rationem habent, atque inducunt in animum, si novilunium mensis hujus cum voluptate & lætitia exegerint, talem etiam totum annum sibi processurum: Prodigalitate autem, quoniam sub auroram viri & fœminæ crateras implent magnas, & vina coronant, & cum summa intemperantia mero indulgent. Hæc plane indigna sapiente cultu vestro, sive hæc ipsi faciatis, sive alios facientes vel domesticos, vel amicos, vel vicinos remissi spectetis.*

§. 14. Dicendum est etiam, qualem in GALLIIS se huic Pesti exhibuerit S. Maximus Taurinensis Episcopus, scilicet, satis acrem & vehementem Zelotem. Ita enim perorat Homilia inscripta, *In Circumcisione Domini* seu *de Kalendis Januariis* Increpatio, quæ D. quoque Ambrosio a nonnullis adscribitur, & tota ita habet: *Quanquam non dubitem, vos charissimi, per paternam sollicitudinem instructione divini sermonis edoctos universos Calendar. supervenientium vanitates declinare penitus & horrere: Ad perfectioris tamen emendationis augmentum non me piguit usitatum vestris auribus inferre sermonem. Necessarium, nec superfluum reor, si pro Commonitione sancta dudum habita præcedentium Patrum vobis repetantur alloquia. Et re vera quid fastidii, quid oneris habet, pro salutis profectu, utilia, ac DEO placita sæpe dicere, frequenter audire?* (hæc actenus dicta satis ostendunt, multoties ante in has Strenarum impietates invectum esse S. Maximum, & ante eum alios etiam Sanctos Patres.) *Et ideo fide ac devotione solita religiosi itineris vias ac veritatis semitas gradientes, magis magisque errorum devia ac Diabolica calcata figmenta. Nec enim debet fidelis anima, quæ Angelorum consortia concupiscit, Dæmoniorum lusibus delectari. Neque vero luci ac tenebris, veritati atque mendacio, turpitudini, ac honestati apud DEI servos ulla potest esse communio, sicut nos Ecclesiarum Doctor instruit. Quicunque ergo credentium vel est templum DEI, vel esse desiderat, sollicite caveat, ne mortua & vana sectando, desinens esse templum DEI, fiat habitatio tenebrarum, fiat Dæmonis monumentum. Ait gloriosissimus David:* Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ipsius, & non respexit in vanitates & insanias falsas. *Itaque, qui sperat in Deum, ac toto corde in ejus gloriam, luminum suorum defigit aspectum ad insanissimas vanitates, consecratos semel DEOS, non debet oculos retorquere, quia, ut ait Dominus,* nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno DEI. *Omnis enim arans si retro respiciat, aut tortuosum & inutilem faciet sulcum, aut arantum boum suorum vestigia vulnerabit. Ita &, qui directo tramite & spirituali vomere vitia mundana persulcans incedit ad DEI regnum, si aspectum suum ad impia & vana converterit, & juges suos, hoc est, corpus atque animam vulnerabit, & optimi itineris periculosum incurret errorem.* Et non respexit, *inquit*, in vanitates & insanias falsas. *Quomodo B. David falsas insanias dicit? Cur vere insaniunt, qui rejecto retrorsum timore DEI ad Dæmonum respiciunt vanitates. Sed vir fidelis proprie naturam impiæ falsitatis expressit, quia insana sunt omnia, quæcunque Diaboli fallente mendacio, DEI in se non habent veritatem. Et illorum gravior atque immedicabilis languor est, qui superstitionum furore & ludorum suavitate decepti sub specie sanitatis insaniunt. Annon omnia, quæ a ministris Dæmonum illis aguntur Diebus, falsa sunt & insana? Cum vir virium suarum vigore mollito totum se frangit in fœminam, tantopere illud ambitu atque arte agit, quasi pœniteat illum quod vir sit. Nam quid non universa ibi falsa sunt & insana, cum se a DEO formati homines, aut in pecudes aut in feras, aut in portenta transformant. Nunquid non omnem excedit insaniam, cum decorum vultus humani, DEI specialiter manibus in omnem pulchritudinem formatum, squalore sordium & adulterina fœditate deturpant? Quomodo non sapientibus patet, nihil ibi inesse sanitatis, ubi impia, ubi inhonesta, inversaque omnia & faciunt & loquuntur, non audientes clamantem quotidie in Ecclesia beatum David, & dicentem,* Filii hominum usque quo gravi corde? Ut quid eligitis vanitatem, & quæritis mendacium? *Grave utique eorum cor est, atque omni impietate depressum, qui per sacrilegos jocos, divinis monitis illudentes, vana diligunt, & falsa sectantur, & post omnia ad offensionis plenitudinem Dies ipsos, annum novum vocant. Quanquam non inconvenienter secundum se novum appellant annum, quoniam per nefandas ferias de honestate falsa, turpitudo & perversitas innovatur. Novum vocant annum, quasi novi aliquid aut cœlum tunc ostendat, aut terra. Novum annum JANUARIAS appellant CALENDAS, cum vetusto semper errore & horrore sordescant. Auspicia etiam vanissima colligere se dicuntur, ac statum vitæ suæ inanibus indiciis æstimantes, per incerta avium ferarumque signa, imminentis anni futura rimantur, cum utique apud Deum solum sit notitia futurorum, & legalis autoritas ista prohibeat, dicens* (Deut.XVIII.) ne auspicemini, ne auguriis intendatis: *Sed miseri & miserandi homines, rapti erroribus Paganorum, & minus provido corde cæcati cum impietate de domibus suis prodeunt, & cum sacrilegio revertuntur. Aut quomodo se Christianum putat posse dici, qui in tali observatione videt, se perfidis esse consortem?* Hactenus illo loco S.Maximus, quem totum ideo adduximus, quoniam totum hoc negotium satis graphice delineavit. Idem vicissim *Homil. de Kal. Jan.* Tract. XX. XXI. in Append. T. IX. Oper. S. Augustini: *Nemo in Kal. Januariis nefanda & ridiculosa veculas aut cervulos, aut jocticos faciat. Cervulum facientes, cervi pelle tegebantur.*

§. 15. Hactenus suo officio fideliter functi erant Doctores & Episcopi singuli in suis Diœcesibus: sed cum parum proficerent, in tanta sæculi & morum pravitate, velut vis unita fortior, integris Conciliis actum est. Erant damnatæ in Africa, repulsæ Italia, ejectæ Græcia, proscriptæ Gallia, STRENÆ DIABOLICÆ. Sed tamen, ut pervicaciam inveterati erroris magis magisque ostenderent, Galliam sedem elegerunt, cum quod ea ab Impp. brachio remotior esset, tum quod homines suarum partium studiosiores aleret plures.

§.16. Hinc Episcopi Turonis Galliarum congregati temporibus Chereberti, seu Ariberti, Paris. Principis An. Dom. DLXX. his Kalendarum & Strenarum Jan. superstitionibus maturo & salutari consilio ive-

runt obviam, dum Can. XXIII. ita decreverunt: *Quoniam cognovimus nonnullos inveniri sequipedas erroris antiqui, qui Kal.Jan. colunt, cum Janus homo gentilis fuerit, Rex quidem, sed Deus esse non potuit. Quisquis ergo unum Deum Patrem regnantem cum Filio & Spiritu Sancto credit, certe hic non potest integer Christianus dici, quia(quatenus)aliqua de gentilitate custodit*. Et post pauca: *Contestamur, illam sollicitudinem tam Pastores quam Presbyteros gerere, ut quemcunque in hac fatuitate persistere viderint, vel nescio ad quas arbores, aut petras, aut ad fontes, designata loca gentilium perpetrare, quæ ad Ecclesiæ rationem non pertinent, eos ab Ecclesia sancta autoritate refellant, nec participare sancto altari permittant, qui Gentilium observationes custodiunt. Quid enim Dæmonibus cum Christo commune, cum magis sumendo judicium delicta videantur addere, quam purgare?* Quæ hic Synodus de Arboribus refert, ea prior Galliarum Gentilitas etiam corroborat. Nam Sulpitius Severus in *Vita Martini*, fani & pini arboris, quæ Diabolo fuerit sacrata, destructionem prolixe narrat, c.x.& XII, in vico, cui leprosum nomen erat, idem notavit. Tales etiam Gallorum Germanos, antiquos scilicet Francos fuisse, testis est Gregor. Turonens. *Hist.Franc.* lib.II.c.X. sibi sylvarum, aquarum, avium, bestiarum, & aliorum quoque Elementorum formas fingentes. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ.

§. 17. Sub idem tempus in HISPANIA, seu rectius PORTUGALLIA, in Metropolitana Ecclesia Braccarensi, (*Bracharam* enim seu *Brancaram* Volaterr. Metropolin Portugalliæ constituit, cujus Archi-Episcopus Primas regni Lusitanici fuerit. Plinius lib. III. c.III. *Bracarum* præcipuam ex septem conventibus urbem juxta Pompeii divisionem facit) S. Martinus in eandem impietatem debacchatus est. Cum enim Anno Christi DLXXII. Galliciæ provinciæ Episcopi tam ex Braccarensi, quam Lucensi Synodo sub auspiciis Ariamini Regis conventum in Bracarens. Ecclesia habuissent, deque disciplina Ecclesiastica X. Canones fecissent, factum est, ut Nitigius Metropolitanus Lucensis domum reversus, Luci alium conventum ageret, variaque cum morum, tum disciplinæ decreta faceret. Ad illam igitur Lucensem Synodum pro ista, qua invicem conspirabant, animorum conjunctione Nitigius seu Nitigesius & Martinus sua direxerunt capitula, quæ falso Martini Papæ nomine 26. q.7. c. 13. *non liceat*, allegantur, cum ea non Romanus, sed Braccarensis ex Græcorum Synodis transposuerit. Ita autem Can. LXXIII. sonat. *Non liceat iniquas observationes agere* KALENDARUM *& ociis vacare gentilibus, neque lauro, aut viriditate arborum cingere domos. Omnis hæc observatio Paganismi est.*

§. 18. Cæterum cum eædem, imo & nonnullæ fœdiores impuritates crebro recurrerent, in Galliis, *Unacharius*, seu *Aunacharius* Antisiodorensis Episcopus cum suis IX. Abbatibus, XXXII. Presbyteris & duobus Diaconis Antisiodori in Gallia Lugdunensi juxta Sequanam anno DXC. (aut, quod perperam Conciliorum compilatori placet, anno Domini DCXIV.) denuo in istas detonat. *Non licet*, inquit Can.I.*Kal. JANUARII VECOLA aut CERVOLO facere, vel Strenas Diabolicas observare; sed in ipsa die sic omnia beneficia tribuantur, sicuti & reliquis diebus*. Addit Can. III. *Non licet compensas* (conventus) *in domibus propriis, nec vigilias cum festivitatibus sanctorum* (intellig. privatas in domibus, quæ nonnullas admixtas habebant superstitiones, secundum limitationem Baronii & Spondani, aliorumque Pontificiorum) *facere, nec inter sentes aut arbores sacrivos vel ad fontes vota exsolvere*. Pergit Can.IV. *Non licet ad sortilegos vel auguria respicere, nec ad characteres, nec ad sortes, quas sanctorum faciunt, vel quas de ligno aut de pane faciunt, aspicere, sed quæcunque homo facere vult, omnia in Nomine Domini faciat.*

§.19. Quæ verba, quia magnam lucem huic STRENARUM DIABOLICARUM denominationi conciliare possunt, dabimus operam, ut obscuriora illustrentur, & eruantur occulta. Primum quid sibi volunt VECOLA & CERVOLO, quæ adeo barbare sonant? Est nonnemo, qui hæc superstitiosa Dæmonum aut Deastrorum gentilium nomina habet, quo istum ex Clementis *Constit.* locum trahit, qui lib.VI. cap. XVI. habetur; *Libros nunc infames edunt hæretici, scribuntque in his nomina quædam barbara, ut illi quidem ajunt, angelorum, ut autem verum fateamur, Dæmonum potius, quorum instinctu & afflatu ista scripserunt*. Veruntamen hæc non adeo apta exegesi cohærent. Propius ad scopum collineare videntur Marcellus Donatus & Martin. *Lex.* qui hæc nomina contracta faciunt quasi *Cerericolas*, seu *Cericolas*, & *Vercolas* quasi *Venericolas*, quia Gentilium more *Strenæ solitæ* sint mitti *cum voto ad Numen aliquod peculiare, puta Venerem*, quo multam prolem largiatur feliciter, *aut Cererem*, ut copiosas faceret fruges, indeque *eas Strenas a Cereris & Veneris cultu, Cericolas seu Cercolo, ac Venericolas seu Vecolo* appellatas esse. Sed hæc eruditissimo Vossio non sunt ad palatum. Scrupulum, inquit, merito injiciunt aliæ editiones. In Biniana est *Vecola* aut *Cervolo*. In Caranzæ Epitome *Vecolo* aut *Cervolo*. Et similiter est apud Laur. Bochellum in decretis Eccles. Gallicanæ p. 576. Sed longe optima Sirmondi editio habet, *Vetula aut Cervola*. Nempe *Vetulatum* dixere pro *Vitula*: *Cervolus vero seu Cervulus est diminutivum a cervus*. Atque hanc lectionem Sirmondus solide comprobat e sermone quodam, qui apud August.T.IX. tractatu XX. absque nomine autoris legitur, cum ex MSS.S. Eligii Episc. Noviogamensis esse noscatur. Verba ejus sunt: *Nemo in Kalendis Januariis nefanda & ridiculosa vetulas, aut cervolas, vel jocticos faciat*. Idem Sirmondus etiam adducit ex vetere Pœnitentiali in Codice Andegavensi: *Si quis in Kalendis Januariis in Cervolo & in Vetula vadet, tribus annis pœniteat*: quia hoc Dæmonum est. Atque hoc pacto secundum Sirmondum & Vossium, imo & secundum Paganorum ritus, vetuisset sancta Synodus commutationem vestimentorum, aut transformationem in feras, & bestias, imprimis inductionem pellium vitulinarum aut cervinarum, utpote quibus induti nefarii homines, balationes faciebant ante fores templorum & piorum mentes conturbabant. Id quod videtur etiam firmare Canon ex Concil. Braccarensi apud Ivonem citatus in XI. parte *Eccles. Regul. Si quis balationes ante Ecclesiam fecerit, seu qui faciem suam transmutaverit in habitu muliebri & mulier in habitu viri, tribus annis pœnitcat*. In eundem sensum JOCTICI creduntur pelles non amplius hirsutæ, aut decoctæ & rufæ, quibus se cingebant, qui ornatiores esse volebant. Ita accuratissimus noster Strauchius: jocticum esse corium, pilis abrasis præparatum, nostratum *Juchten*, opinor.

§. 20. Quid porro Can. III. sibi vult, *nec inter arbores sacrivos, vel ad fontes vota exolvere licet: sed quicunque votum habuerit, in Ecclesia vigilet: Et matricole ipsum votum aut pauperibus reddat, nec subtilia pede aut hominem lineo fieri penitus præsumat.* Qui locus priori longe obscurior: Clarior autem fiet, si pro *compensas*, *conventus*, & pro *sacrivos*, *consecratos* vel *Diis dedicatos* intelligas. *Sacrivus* Varroni dicitur ad sacrificium destinatus, ait Hieron. Bignonius. Ex isto sive Augustini sive Eligii sermone colligitur: *Arbores, quas sacrivos vocant, succidite*, forsitan vocabulum Rituale ex Veterum sacris profluxit. Nam & in Lege Salica *porcus sacrivus* dicitur *votivus* seu *destinatus ad hoc, ut detur pro tributo*. Leg. Sal. tit. § 15.

Si quis majalem ſacrivum, qui dicitur votivus, furaverit. Ubi Lindenbrogio ex Franc. Pithœi *Gloſſario* ſuper Leges Salicas, *ſacrivus* eſt *defenſor aliorum porcorum*, proprieque *quo ſe expiarent in ſacrificio* Olim iidem dicebantur, *porci ſacres*, qui ſacrificiis deſtinati. Locus proſtat in Plauti *Menæchm.* Act. II. Sc. II.

Adoleſcens, quibus hic preciis porci veneunt
Sacres, ſinceri.

Marcus Varro *de Re Ruſtica* l. II. c. XXIV. *Porci*, inquit, *a partu decimo die habentur puri, ab eo appellantur ab antiquis ſacres, quod tunc ad ſacrificium idonei dicuntur primum.* Quod ſi tales erant *porci ſacres* ſeu *ſacrivi*, quid prohibeat & *arbores ſacrivos* ſeu rectius *ſacrivas* appellatas eſſe? Adde, quod Arboribus quoque cum ob ſtupendam proceritatem, tum ob umbrarum ſacrum horrorem communiter θεῖον quid tribuerint, & *Sacrivæ nomen*: dicente Godofr. Com *ad Tit. x. C. Th. de Pagan.* Hoc eſt, quod etiam Arnobius l. I. *contra Gentes* docet, quod *tæniis & vittis, ceu anathematis miſeras arbores ornaverint.* De quo ut minus dubites, Theod. Arcad. & Honor. teſtes luculentiſſimos produco, qui *l. 12. C. Th. de Pagan. Si quis*, inquiunt, *vel redimita vittis arbore, vel erecta effoſſis ceſpitibus ara vanas imagines honorare tentaverit*, &c. conf. Elmenhorſt. *in Arnob.* l. I. p. 36.

§. 21. Inſuper vocem MATRICOLE corruptam eſſe quis dubitaret? ſuſpicio non inanis eſt, debuiſſe ſcribi MATRICULÆ. Erat etiam *Martricula* inter alia etiam indiculus eorum, qui Eccleſiæ eleemoſynis ſuſtinebantur, qui & ipſi exinde *Matricularii* ſunt appellati. Quod apparet ex Gregor. Turon. *de Miracul. S. Martini* l. II. c. XXII. Cum Matriculam, quæ ibidem congregata eſt, paſceret. Flodoardus *Hiſt. Remenſis* l. I. c. IX. ſanctimonialibus & viduis in *Matricula* poſitis ſolidos III. item ejuſdem libri c. XVIII. *in Teſtam. Remigii*: Pauperibus XII. in *Matricula* poſitis. Hinc *Matricularii* egeni non promiſcue omnes, ſed *Matriculæ pauperum inſerti*; uti viciſſim colligitur ex Gregor. Turon. l. VII. c. XXIX. Nonnulli etiam Matriculariorum, & reliquorum pauperum, pro ſcelere commiſſo tectum cellulæ conantur evertere. Hincmarus in *Vita Remigii* & ex eo Flodoardus *l. I. c. XX. Hæc omnia vehiculo, quod vulgo benna dicitur, impoſuit, & junctis bobus ad baſilicam S. Remigii candelam manu ferens, properavit: quo perveniens cibariis, quæ detulit, pavit MATRICULARIOS*, apud Voſſium *de Vit. Serm. l.* III. *c.* XXIV. Ex quibus ſi obſcurum Concilii Canonem interpreteris, longe clariſſimus erit. Jubetur ſcil. is, qui votum habuerit, in Eccleſia vigilare, & votum (id eſt, materiam quam vovit pauperibus dandam) ipſi *Matriculæ*, id eſt, fiſco pauperum, aut pauperibus ipſis reddere. Quemadmodum alias Valentin. & Valens AA. ad Mamertinum P. P. nomina debitorum publicorum MATRICULÆ inſcribi juſſerunt, *C. Th. l. 12. tit. 6. l. 7.*

§. 22. Quid vero in eodem Canone ſunt *ſubtilia pede, aut hominem lineo facere?* Nihil habeo, quod dicam, niſi quod in eodem ſive Auguſt. ſive Eligii tractatu invenio: *pedum ſimilitudine, quos per bivios (bivia) ponunt, fieri vetate, & ubi inveneritis, igne cremate.*

§. 23. Superſunt Sortes Sanctorum & auguria ex Can. IV. Concilii Antiſiodorenſis: *Non licet ad ſortilegos vel auguria reſpicere, nec ad characteres, nec ad ſortes, quas ſanctorum faciunt, vel quas de ligno, aut de pane faciunt, aſpicere.* Manifeſtum ex iis, quæ ſequentur, hæc uti in alias, ita etiam in Januarias feſtivitates quadrare. In iis enim potiſſimum iſta Auguriorum & Sortium ſuperſtitio obſervata: Sortium, inquam, tam de ligno, quam de pane. Iſtius aliquot producemus exempla. Chriſtiani citra dubium iſtam divinationem ex Gentilibus hauſerunt. Nam & Alani apud Ammianum *lib.* XXXI. & Scythæ apud Herodotum *l.* IV. & alii populi lignorum virgultis ſortiebantur. M. Adamus Canonicus Bremenſ. *Hiſt. Eccleſ.* l. I. c. VI. de Saxonibus, & ante eum Tacitus *de Moribus German.* c. X. ſcribunt ita: *Auſpicia & ſortes quam maxime obſervabant. Sortium conſuetudo ſimplex erat: virgam fructiferæ arbori deciſam in ſurculos amputabant, eoſque notis quibuſdam diſcretos, ſuper candidam veſtem mere ac fortuito ſpargebant. Mox, ſi publica fuit conſultatio, Sacerdos populi, ſi privata, ipſe Paterfamilias precatus DEOS, cœlumque ſuſpiciens, ter ſingulos tulit. Sublatos ſecundum impreſſam ante notam interpretatus eſt. Si prohibuerunt, nulla de eadem re, ipſa die conſultatio. Si permiſſum eſt, eventuum adhuc fides exigebatur. Ab his Gentilibus derivata ſuperſtitio SORTIUM LIGNEARUM etiam inter Chriſtianos manſit. Teſtes ſunt* Leges Friſiæ tit. 14. *de homine in turba occiſo §. 1. Tunc ducendi ſunt ad Baſilicam & ſortes ſuper altare mittendæ, vel ſi juxta Eccleſiam fieri non potuerit ſuper reliquias Sanctorum, quæ ſortes tales eſſe debent. Duo tali de virga præciſi, quos tenos (virgulta) vocant, quorum unus ſigno crucis dignoſcatur, alius purus dimittitur, & lana munda obvoluti ſuper altare, ſeu rectius reliquias mittuntur: & presbyter ſi adfuerit, vel ſi presbyter deeſt, puer quilibet innocens unum de iſtis ſortibus de altari tollere debet: Et interim Deus exorandus, ſi illi ſeptem, qui de homicidio commiſſo juraverunt, verum juraſſent, evidenti ſigno oſtendat. Si illum, qui cruce ſignatus eſt, ſuſtulerit, innocentes erunt, qui juraverunt. Sin vero alterum ſuſtulerit, tunc unuſquiſque illorum ſeptem faciat ſuam ſortem, id eſt, tenum de virga, & ſignet ſigno ſuo, ut eum tam ille, quam cæteri, qui circumſtant, cognoſcere poſſint: & obvolvantur lana munda, & altari ſeu reliquiis imponantur. Et presbyter ſi adfuerit, ſi vero non, ut ſuperius, puer innocens unumquemque illorum ſigillatim de altari tollat, & ei, qui ſuam ſortem eſſe cognoverit, rogat. Cujus ſortem extremam eſſe contigerit, ille homicidii compoſitionem perſolvere cogatur, cæteris, quorum ſortes prius latæ ſunt, abſolutis.* Hactenus ille. Quibus addendi Cluverius *Germ. Antiq.* XXXVI. Schedius *de Diis Germ.* l. XLIV. Bernegg. *in Tacit.* p. XLIX. Forſterus II. *Ann. Tacit. not.* p. 297. ſeqq. Peucerus, Del Rio, alii. Erant & *Sortes Apoſtolorum*, quas vocabant, cum libros Veteris aut Novi Teſtamenti aperirent, & ante omnia attenderent, quis primo verſus inſpicienti occurreret. Ea ſe uſum gloriatur Cardanus l. XIV. *de variet. Rer.* Sed præter hanc Synodum etiam damnatæ *in c. aliquanti, &c. Si quis Clericus 26. qu. 5. & 6.* Hæ ſunt quæ Auguſtino Ep. CXIX. *ad Januarium* ſub fin. non placent. Hi vero qui de Paginis divinis ſortes legunt, etſi optandum eſt, ut hoc potius faciant, quam ut ad Dæmonia conſulenda concurrant, tamen etiam iſta mihi diſplicet conſuetudo ad negotia ſecularia & ad vitæ hujus vanitatem propter aliam vitam loquentia oracula divina velle convertere. Prolixus in hoc themate eſt Ivo Carnotenſis, utpote qui integram partem XI. *Eccleſiaſticarum Regularum* iſtac materia opplevit, qui omnino ante Gratianum conſulendus erat. Hactenus noſtræ ad illos tres Antiſiodorenſis Synodi Canones illuſtrationes, quæ ſi inter ſe conferantur, non parum lucis loco alioquin ſatis obſcuro accendent. Nos nunc ad Strenas redimus.

§. 24. Videbatur eo tempore major vigilantia Gallorum, quam Hiſpanorum Epiſcoporum, ideoque ſub his iterum brachia movere cœpit eliminata Impietas Strenarum. Nam anno Domini DCXLIII. earum magna frequentatio fuit, ita ut Chriſtianos ab iis retrahere, & lugubres threnos atque pœnitentiales hymnos in Eccleſia canendos Synodus Tolet. IV. ſub Siſenando Rege coacta ſit ordinare capitulo X. Imo tempore non ita longo poſt eædem Strenæ omnem ſuam impietatem velut cataclyſmo facto in Ec-

clesiam invexerant, donec sub Eringio Rege denuo ab Episcopis in Concilio Toletano XII. congregatis Anno Domini DCLXXXI. vel DCLXXXV. repressæ sunt: ita enim illi statuerunt Can. XI. *Cultores Idolorum, veneratores lapidum, accensores facularum, & excultores fontium admonemus, ut agnoscant, quod ipsi se spontaneæ morti subjiciant, qui DIABOLO SACRIFICARE videntur*. Et mox: *Proinde omne sacrilegium idololatriæ, vel quicquid illud est contra sanctam fidem, in quo insipientes homines captivitati, DIABOLICIS CULTURIS inserviunt, sacerdotis vel judicis instantia inventum, ut sacrilegia eradantur, & exterminata truncentur*, &c Quæ qui in KALENDARUM JANUARIARUM Cultores dicta esse non videt, Tiresia cæcior est. Neque enim tantum ad Liminatas petras, ad nefariores ignes, lucernatos postes, sed & fontes sacros sua *βδελύγματα* exercuisse, palam est ex iis, quæ supra §. 6. ex Turonensi Concilio attulimus. Quibus addere juvat, quod Romani æque ac Græci omnes fontibus suum cultum & honorem tribuerint. In Grutero Inscriptio est.

GENIO NVMINIS FONTIS.

Et alia:

FONTI BELENO.

Scil. *Belenus* numen tutelare, a Gr. *βέλις* vel *βέλιν*, id est, Bel vel Bal: aut ab Ebr. Bel vel Baal, ut vult Jacob. Boulducus l. II, *de Eccles. ante Legem*, c. VIII.

Cui fidem etiam facit Apulejus l. I. *Florid. Religiosis viantium moris est, cum aliquis lucus, aut locus sanctus in via oblatus est, votum apponere, potum postulare, paulisper assidere*.

§. 25. Veruntamen, inquies, quid effectum est tot Episcoporum & Conciliorum monitis, curis & fulminibus? Breviter dicam, STRENÆ autoritate tam valente, ex Galliis & Hispaniis relegatæ, denuo relicto Occidente, in Orientem, quo ipsi fibulam Gregor. & Chrysostom. imposuerant, migrarunt, mitius ibidem sidus expectaturi & fatum. Sed in cassum.

§. 26. Nam Justinianus II. anno Domini DCXCII. Episcopos ex Oriente & Occidente CCXXVII. convocavit, in suum Palatium Trullum (unde Synodus Trullana est dicta) ut Canones de Disciplina Ecclesiastica, quos Synodus V & Sexta non fecerat, conficerent, unde hæc ipsa Synodus *πενθέκτη*, id est, *Quini-Sexta* fuit appellata. In ea unanimi Episcoporum & Imperatoris consensu talis fuit formatus Canon in ordine sexagesimus secundus: *τὰς οὕτω λεγομένας καλένδας καταπὰξ ἐκ τῆς τῶν πιστῶν πολιτείας περιαιρεθῆναι βουλόμεθα*, KALENDAS, *quæ dicuntur &* VOTA BRUMALIA, *quæ vocantur, & Conventum, qui primo Martii mensis die fit, omnino tolli volumus: Sed & publicas mulierum saltationes, multam noxam exitiumque afferentes, quin etiam eas, quæ nomine eorum, qui falso apud Græcos Dii nominati sunt, vel nomine virorum & mulierum fiunt, saltationes, ac mysteria more antiquo & a vita Christianorum alieno, amandamus & expellimus, statuentes ut nullus vir deinceps muliebri veste induatur, vel mulier veste viro conveniente. Sed neque Comicas, vel Satyricas, vel Tragicas personas induat; neque Execrandi nomen Bacchi, uvam in torculari exprimentes, invocent: neque vinum in doliis effundentes risum moveant, ignorantia vel vanitate ea, quæ a Dæmonis impostura procedunt, exercentes*.

§. 27. Ut ipsa res loquitur, prius Comma de Romanorum, posterius de Græcorum superstitibus Impietatibus agunt. Kalendæ Januariæ, & Martiæ, Brumalia & Matronalia ex Lucis Latii petuntur, *πιθοιγίαι* & Dionysiaca ex Græcia hauriuntur. Nam, ut Rom. saltem hac vice notem, præter JANUARIAS etiam MARTIÆ KALENDÆ famosæ erant, utpote quibus olim anni initium erat, quibus novum ignem Vestæ aris accendebant, quibus Laureas veteres in Regia, Curia, Domibus, cum novis permutabant, quibus Matronalia Marti celebrabant, quibus Ancylia Saliorum circumferebant, quibus Mamurium suum canebant, prout evidenter ex Ovidio congessit Rosinus *Ant.* l. IV. c. VII.

§. 28. Et quidem Brumalia vota quod concernit, ea eo potissimum die fiebant, quo primum mustum gustabant. Tunc enim ominis gratia dicebant; *Vetus novum vinum bibo; veteri novo morbo medeor*. Quæ ut planiora fiant, juvat apponere, quod ex Plinio citant Rhodiginus *A. L.* l. XXVIII. c. XXV. & Alex ab Alex. l. VI. *Gen. Dier.* c. VIII. *Brumalia, quæ & Liberalia & Διονύσια vocata, bis in anno celebrari solita, semel* XI. *Kal. Martii, atque iterum* XVII. *Kal. Septembr. Erant autem Bacchi, qui & Bromius seu Brumus, festum, a Græcis Ambrosia, instituta a Romulo, tollendæ ignominiæ causa, quod cum fratre a Laurentia fuerat nutritus. Ideo his Brumalibus Senatum convivio excipiebat, eumque hyeme, nullis obstrepentibus, liberalius alebat, (ut ipse solitus est dicere.) Ille ipse autem ritus (ut plerique alii) ex Atheniensium πιθοιγία fluxisse videtur. Nam & in illa dolia relinebant, & amicis potum præbebant, & servos invitabant, & vota faciebant; ἀβλαβῆ καὶ σωτήριον αὐτοῖς τὰ φαρμάκου τὴν χρῆσιν γενέσθαι, ut innoxia & salutaris ipsis fieret medicamenti potio*, docente Plutarcho, & accinente Hesiodo:

Ἀρχομένου δὲ πίθου καὶ λήγοντος κορέσασθαι,
Μεσσόθι φείδεσθαι· δειλὴ δ' ἐνὶ πυθμένι φειδώ.
Incipiente dolio & desinente saturato te,
Medio parce: mala enim in fundo parsimonia.

§. 29. Quid porrotenus magis quadrare poterat in Matronalia Roman. quam quod hic dicitur de Conventu primo Martii die, de publicis mulierum saltationibus? Nonne in iis more dispalantium & debacchantium lupercarum discurrebatur? Nonne in gyrum Saliorum saltabatur? Nonne capita florentibus herbis coronabantur? nonne pro matronalis honoris munere litabatur? Ovidius III. *Fastorum* longa serie describit, quem placet audire in persona Martis:

Inde diem primasque meas celebrare Kalendas
Oebaliæ matres non leve munus habent.
Aut quia committi strictis mucronibus ausæ
Finierant lachrymis Martia bella suis.
Vel quod erat de me feliciter Ilia mater
Rite colunt matres sacra diemque meum.
Quid? quod hyems adoperta gelu tunc denique cedit
Et pereunt victæ sole tepente nives.
Arboribus redeunt detonsæ frigore frondes,
Uvidaque in gravido palmite gemma tumet.
Quæque diu latuit, nunc quæ se tollat in auras,
Fertilis occultas invenit herba vias.
Nunc fœcundus ager: pecoris nunc hora creandi:
Nunc avis in ramo tecta laremque parat.
Tempora jure colunt Latiæ fœcunda parentes,
Quarum militiam votaque partus habet.
Adde, quod excubias ubi Rex Romanus agebat,
(Qui nunc Exquilias nomina collis habet)
Illic a nuribus Junoni templa Latinis
Hæc sunt, si memini, publica facta die.
Quid moror? & variis onero tua pectora causis?
Eminet ante oculos, quod petis, ecce tuos.
Mater amat nuptas: matrum me turba frequentat:
Hæc nos præcipue tam pia causa decet.
Ferte Deæ flores: gaudet florentibus herbis
Hæc Dea. de tenero cingite flore caput.
Dicite: tu nobis lucem Lucina dedisti:
Dicite: tu voto parturientis ades.
Si qua tamen gravida est, resoluto crine precetur,
Ut solvat partus molliter illa suos.

Hæc ista Matronalia: hæc Brumalia vota: hæ Kalendæ istæ & Martiæ & Januariæ erant, quas ex Christianorum & urbibus & animis exturbari volebant Synodi Quini-Sextæ Patres, ut istarum memoria abolita, ipsas quoque Gentilium impietates abolerent.

§. 30. Ita vicissim Balsamon hanc in rem: Rogorum ac Dæmoniacorum mysterium sortesq; si bant, usque ad tempus Patriarchæ Domini Michaelis, qui fuit Philosophorum princeps in hac urbium regina (Constantinopoli) hoc modo: Vicesimo tertio mensis Junii, vespere, cogebantur in littoribus & quibusdam ædibus viri & mulieres, & primogenitam puellam instar Sponsæ ornabant. Postquam vero convivati erant, & Bacchantum ritu saltassent, & choreas duxissent, in Festisque consuetas exclamationes usurpassent, in vas oris contractioris marinam aquam injiciebant, & res quasdam ad unumquemque eorum pertinentes, & tanquam puella a Satana facultatem accepisset, futura prædicendi, ipsi quidem de bono aliquo vel etiam advertando ac fugiendo quopiam interrogando exclamabant: Puella autem ex rebus in vas injectis eam, quæ incidisset, eductam ostendebat. Quam etiam accipiens stultus ejus Dominus certior fiebat de prosperis vel advertis ex eo eventuris. Postridie autem cum tympanis & choris una cum puella ad litora venientes & aquam marinam nulla voce edita accipientes ædes suas aspergebant; sed & per totam noctem, rogos & focos accendentes, supra eos saniebant, & sortiebantur, seu divinabant de felicitate & infelicitate, & de quibusdam aliis plane Dæmoniace. Eorum autem hinc & illinc aditus & domunculam, in qua sors illa fiebat, una cum iis sub dio locis, quæ prope erant, aureis vestibus & sericeis textilibus exornabant. Quin etiam arborum foliis coronabant ad honorandum, ut verosimile est, & excipiendum Satanam, qui illos sibi familiares effecerat. Quæ omnia sanctissimus prædictus Patriarcha prohiberi & aboleri curavit.

§. 31. Sed quo nunc Strenarum solennia migrabunt, cum iis & Oriens clausus esset & Occidens? In Occidentem remearunt, Romam regressæ sunt, avitam suam sedem repetituræ, & occasione discordantium Episcoporum in Oriente & Occidente super Canones istius Synodi, ibidem tacite nidulaturæ, ut cum tempore adolescerent, & satis apricatæ in solem & lucem prodirent: Veruntamen frustra Nam dissensio Episcoporum tanta non erat, ut Christiana professione rejecta in Gentilium impietates relaberentur. Saltem de uno capite controversia erat, nimirum de Clericorum conjugio, in reliquis Canonibus concordia erat. Hinc gratiam, quam sibi inani spe finxerant, Romæ non invenerunt.

§. 32. Nam Gregorius II. Romanus acta Romæ Anno Domini DCCXXI. sive DCCXXII Synodo viginti duorum Episcoporum easdem iterum tota Italia proscripsit, c. XII. *Si quis ariolos, auspices, seu incantatores observaverit, aut phylacteriis usus fuerit, anathema sit* Et responderunt omnes tertio, *Anathema sit.* Quibus vestigiis insistens Zacharias ibidem in conventu ritus Paganorum & Kalendarum proscripsit fere circa An. Domini DCCXLI. aut DCCXLII. cujus acta in Lancelotti *Gloss.* in Vaticana Bibl. asservari dicuntur. Quod nos caute credimus. Ex istius autem c. IX. allegatur in XXVI. q. VII. c. XIV. *Si quis KALENDAS JANUARIAS & brumam ritu Paganorum colere, vel aliquid plus novi facere propter NOVUM ANNUM, aut mensas cum dapibus vel epulis in domibus præparare, & per vicos & plateas cantiones & choreas ducere præsumpserit, quod magna iniquitas est coram Deo, anathema sit.*

§. 33. Quod autem fulmina Zachariæ & priora Gregorii in abominationes Gentilium, quas STRENARUM die exercebant, lata & vibrata sint, ex dicendis dilucidius patebit. Cum enim aliqui plebeii ex Germania Romam venissent, atque ejusmodi orgia Jani ibidem agitari vidissent, eadem etiam in Germania agitare sunt conati. Quibus cum Bonifacius Germanorum Apostolus resisteret, iidem statim ad mores Romanæ Ecclesiæ provocare, ibi agitari, ibi admitti, ibi licita haberi: Cur ergo Germanorum moribus turpe duceretur quod alibi sit concessum? *Scilicet carnales homines* (inquit Bonifacius lit. *ad Episc. Rom.*) *si Romæ aliquid fieri viderint ex his peccatis, quæ nos prohibemus, licitum & concessum id sacerdotibus esse putant.*

§. 34. His motus Bonifacius, tunc temporis, anno Domini DCCXLII. autoritate Carolomanni & indultu Zachariæ Episcopus Coloniensis (quod ex Zach. *Epist.* v. constat) post etiam anno Domini DCCXLV. Episc. Moguntinus factus (T. III. *Concil.* f. 429.) ea de causa ad Zachariam Roman. scribit: *Homines quosdam Alemannos, Bavaros vel Francos, cum Romam venissent, vidisse ibi singulis annis in ipsa Urbe, & juxta Ecclesiam Sancti Petri in die vel nocte, quando CALENDÆ JANUARII intrant, Paganorum consuetudine choros ducere per plateas, & acclamationes ritu Gentilium, & cantationes sacrilegas celebrare die, & mensas illa nocte dapibus onerare, & nullum de domo sua ignem vel ferramentum vel aliud quid vicino suo præstare velle. Dicunt quoque* (iidem Germani) *se vidisse ibi mulieres pagano ritu phylacteria & ligaturas & in brachiis & cruribus ligatas habere, & publice ad vendendum venales ad comparandum aliis offerre. Quas paganinas*(ut ille loquitur) *quod Romæ ab insipientibus & carnalibus hominibus visæ, Germanis Episcopis improperium & impedimentum prædicationis offerant, abrogari petit.*

§. 35. Quæ omnia Zacharias Papa tantum abest, ut neget facta, ut se potius inscio & contranitente facta esse fateatur, responsione ista: *De Kalendis Januariis, vel cæteris auguriis, phylacteriis, & incantationibus, vel aliis diversis observationibus, quæ gentili more hic observari dixisti, apud B. Petrum Apostolum, vel in urbe Roma, hoc a nobis & omnibus Christianis detestabile & perniciosum esse judicamus, dicente Deo:* Non augurabimini, vel certe non observabitis. *Et iterum*, Non esto augurium in Israel, nec observatio in domo Jacob. *Ita & a nobis cavendum esse censemus, ut nullis auguriis & observationibus attendamus, quia omnia hæc abscissa esse a patribus, sumus edocti.* Ideoque horum paganorum rituum abolitionem denuo a se factam esse, addit. *Quia per instigationem Diaboli iterum pullulabant a die, qua nos jussit divina clementia, Apostoli vicem gerere, illico omnia hæc amputavimus. Pari etiam modo volumus tuam sanctitatem populis sibi subditis prædicare atq; ad viam æternæ perducere vitæ: Nam & sanctæ recordationis prædecessoris atque Nutritoris nostri Domini Gregorii Papæ constitutione hæc omnia pie ac fideliter amputata sunt, & alia diversa quamplura, quæ Diabolo suggerente pullulabant in Christi ovili.*

§. 36. Quæ hic Zacharias de Prædecessoris constitutione habet, citra dubium respiciunt Concilium Rom. ante tactum §. 32. Imo & ad Epistolam Gregorii III. ad Optimates & populos Provinciarum Germaniæ Thuringos, Thesos, Bortharos, Nistresos, Unedredos & Lognaos, Sudnodos & Graffeltos. In ea enim inter alia etiam ita scribit: *Divinos vel sortilegos sacrificia mortuorum vel lucorum vel fontium auguria vel phylacteria, vel incantatores & veneficos, id est, maleficas & observationes sacrilegas, quæ infinibus vestris fieri solebant, respuentes tota mentis intentione ad Dominum convertimini.*

§. 37. MAJORES nostros cœcis gentilitatis tenebris implicitos feriunt Episcopi Romani *monita*: Interim quæ scriptitat non abludunt a vero. Nam præter Tacitum *de Morib. Germ.* cap. IX. Adam. Brem. *H. Eccl.* cap. VI. & Abbas Ursperg. *Chro.* f. 205. de

Saxonibus testantur, quod *frondosis arboribus & fontibus venerationem exhibuerint*. Truncum quoq; ligni non parvæ magnitudinis in altum erectum sub divo coluerint, patria eum lingua IRMINSUL appellantes, quod Latine dicitur *Universalis columna*, quasi sustinens omnia. Ita quidem isti duo autores suum Truncum exponunt: sed rectius Georg. Spalatinus in *Hist. Arminii* de Arminii vel Hermanni statua in memoriam inclyti herois istius erecta explicat.

§. 38. Fuit enim Irminsul effigies toto corpore armati, cujus in dextra signum militare (vexillum) præferens rosam, cujus breve momentum & facilis ortus ac interitus, ita eventus prœliorum. In sinistra libram, quæ expendit dubiam pugnantium sortem, facile huc & illuc inclinantem. Pectus inerme ursum præferebat: in clypeo Leo, floribus consito campo, in quo stabat. Alibi idem Ursperg. IRMINSUL, id est, *Idermansuel dialecto Saxonica, quasi commune perfugium & omnium asylum* interpretatur, docetque f. 182. illud a Carolo M. esse destructum. Quanquam alii potius ἑρμῆ, id est, *Mercurii statuam* soleant dicere, quia palam sit, veteres Saxones Mercurium coluisse, ex Adami *Hist. Eccl.* c. v. Cæteroquin quæ curiosus Antiquitatum scrutator Spalatinus ex Monasteriensium monumentis in hanc rem erui curaverit, legere licet in libello Antonii Corvini *respons. T.* II. *Hist. German.* f. 1332. Idem autem simulachrum a Carolo M. destructum nocturno tempore ad Visurgim, ubi hodie Corbeja sita est, in terra defossum, post e terra erutum a Ludovico Pio in Cathedralem Eccl. Hildesiensem, ubi ejus reliquiæ adhuc hodie asservari dicuntur, translatum esse, hæcque statuæ subscripta habuisse, in *vor tiden bin ik gevvest der Sassen Hartoge und ere gott.* sed o miserum Deum! Clariss. Meibomius l. *de Irmens. Sax.* Joh. Letzenerus *Hist. Car. M.* c. XII. Henr. Ernst. *observat. variar. l.* II. noster Kirchmayer. *Comm. in Tacit. de Morib. German. c.* IX. p. 140. aliique veterum rerum urinatores scriptum reliquerunt. An non ea satis indicant Cimmerias istas avorum nostrorum tenebras, quibus inducti frondosarum arborum cultum attruxerunt? Accinit Conrad-Celtis:

—— Quæ (*Hercynia Sylva*)
Explicat immensos annoso robore lucos
Religione sacros veterique ex more verendos,
Qui Druidum densæ per opaca silentia sylvæ
Plurima magnificis servant cœnobia tectis,
Quæ diti nigris operantur sacra cucullis.

§. 39. An puriores Germani proavi a *Sortilegiis & Divinationibus*, quorum eos reos facit Gregorius? Nequaquam. Nam id vicissim Usperg. f. 205. ὀφθαλμοφανερῶς delineat; delineaverat etiam Ad. Bremensis *supra §.* XVI. citatus. Addit: *Avium voces, volatusque interrogare proprium gentis illius erat: Equorum quoque præsagia ac motus experiri, hinnitus ac fremitus observare, nec ulli auspicio major fides adhibebatur, non solum apud plebem, sed etiam apud proceres. Erat & alia observatio auspiciorum, quo solebant eventus gravium explorare Bellorum: Ejus scil. gentis, cum qua bellandum fuit, captivum quoquo modo interceptum cum electo popularium suorum patriciis quemque armis committere, & victoriam hujus vel illius in prævidentia habere.* Hactenus Usperg. ex Adami *Hist. Eccl.* & Eghinhardo Historico *Caroli M.* Adde Ivon. Carnot. l. XI. *R. Eccl.*

Huc, si placet, accommodare etiam potes, quod de Slavonicis gentibus Helmoldus (Bosoviens. Presbyter) in *Chron. Slavor.* p. 188. reliquit. Item *Triplicem istum Vinnetæ Neptunum*, nec non istam *Vulcani Ollam*, quam incolæ *Ignem Græcum* salutarunt apud eundem Helmold. p. 5. & Bremens. *H. Eccles.* c. XII.

§. 40. Veruntamen his absurdis Germanorum erroribus relictis, ad Strenas redibimus superstitiosas eorundem Germanorum. Illæ Gregorii literæ moverunt & Carolomannum, Franciæ Austrasiæ & Thuringiæ Ducem, & Sanctum Bonifacium, ut anno Domini DCCXLII. Synodum haberent, in qua decretum, ut populus DEI imposterum istas *paganias* non faceret, sed omnes spurcitias gentilitatis abjiceret, respueret, conculcaret, sive profana sacrificia mortuorum, sive sortilegos vel divinos, sive phylacteria & auguria, sive incantationes, sive hostias immolatitias, quas stulti homines juxta Ecclesias ritu pagano fecissent: sive illos sacrilegos ignes, quos *Nedfri* vocant, sive omnia ista, quæcunque sunt Paganorum observationes, T. III. *Concil. f.* 438.

§. 41. Quorum decretorum puncta priora uti sunt satis manifesta, ita ultimum de *ignibus Nedfri* varias cruces Criticis figit. Neque enim de vera lectione, neque de significatione constat. Nam Sirmondus in suis Tomis sat correctis, & Pithœus in *Capitularib. Carolin.* l. v. c. 11. Burchardus aliique legunt *sacrilegos ignes*, quos *nedfratres* vel *nefratres* vocant: Sed Vossius l. II. c. XIII. *de vit. Serm. nedfyrs* vel *nootfyrs*, id est, *necessarium ignem* Belg. dialecto a *nood*, seu *noet* necessitas & *fier*, id est, *ignis*: Et in hanc rem allegat ex Lindenbrogio, quod rustici festo S. Johannis palo, quem ex sepimento extraxissent, circumligaverint funem, huc illucque traxerint, donec ignem concepisset, quem stipulis & sarmentis foverint, cineresque super olera sparserint, eo quod putarent hoc pacto abigi erucas, ac propterea hunc ignem nuncupasse *S. Johannes Feuer.* Quod si autem recepta lectio *Nedfri* retinenda sit, eaque appellatio dialectum Teutonicam sapiat, annon *innoxiam* seu *illæsam salitionem per ignem* significare possit, eruditis cogitandum linquo, ex *not* seu Thuringica Dialecto *net*, & *frey* seu *frei*: quia super eos ignes saliebant illæsi, & innoxii. (quanquam non saltatio illa innocua, sed rogus, ignis ipse, *Netfier* sit dictus.) Facit (ut opinor) eo, quod in Quini-Sexta Synodo Trullana *Can.* LXV. enim sit definitum: *Qui in novilunus a quibusdam ante suas officinas & domos accenduntur, rogos, super quos etiam antiqua quædam consuetudine salire inepte ac delire solent, jubemus deinceps cessare.* In IV. enim libro *Regum* scriptum est: *Et ædificavit Manasses altare universæ militiæ cœli in duobus atriis domus DEI, & filios suos traduxit per ignem, sortibusque & auguriis, auspiciisque usus est, & fecit ventriloquos & divinatores multiplicavit, & ambulavit in eo, ut faceret malum coram Domino, ut eum ad iram provocaret. Hos nos Angli* (inquit Montacutius *Orig. Eccl.* Part. I.) *Bonefires appellamus, & in publica lætitia & gaudiis adhibemus, non obstante illo Canone.* Quibus si audire placet, aliud subjici poterit, quod supra ex Chrysologo allatum erat §. 12. moris fuisse, ut quisq; domi suæ ignem accenderit, & cuique petenti focum de domo sua dederit, *nedfri* quasi *nod-fier*, id est, *genotigetes, erbetenes Feuer.*

Ἀλλὰ τοῦτο τὸ πρᾶγμα ἀπόρως ἡμῖν ἔχει.

§. 42. Atque ista quidem istorum temporum fœditas, imo cœcitas potius fuit, quibus STRENÆ DIABOLICÆ viguerunt, in quas etiam Burchardus Episc. Wormatiensis, qui anno Domini MXII. viguit, detonuit in *Pœnitentiali* l. XIX. *Observasti Calendas Januarias ritu Paganorum, ut vel aliquid plus faceres propter novum annum, quam antea vel post soleres facere. Ita dico, ut vel mensam tuam cum lapidibus* (lautitiis) *vel epulis in domo tua præparares eo tempore, aut per vicos & plateas cantores & choros duceres, aut per vicos & plateas cantores & choros duceres, aut circa tectum domus tuæ sederes ense tuo circumsignatus, ut ibi videres & intelligeres, quid tibi in sequenti anno futurum esset, vel in bivio sedisti super Taurinam, ut & ibi futura tibi intelligeres, vel si pane prædicta nocte coquere fecisti tuo nomine, ut si tunc elevarentur, & spissi & albi fierent, inde prosperitatem vitæ tuæ eo anno provideres.* Sed ob crebras Doctorum mo-

nitiones & pœnitentiales pœnas delinquentibus injunctas, sensim evanuerunt & in desuetudinem abierunt, cum Lux Evangelicæ veritatis magis magisque cum totum Occidentem, tum imprimis Germaniam collustraret. Nam quantum sæculares sæculo & sæculi vanitatibus, tantum Christiani pietati & cultui divino studebant. Hinc ea omnium sollicitudo & cura enixissima fuit, ut *καδδωνίαμιν* impietati Ethnicæ non tantum nuncium mitterent, sed & fibulam imponerent, sanctificaturi melioribus auspiciis, quam illi suis Diabolicis cultibus conspurcaverant, Novum annum.

§. 43. Sanctificarunt autem KALENDAS & STRENAS istas JANUARIAS, I. GEMITIBUS & LUCTU ANIMÆ DOMESTICO, qui in angulis & cubiculis cœcam hominum rabiem deplorabant, cum aliter sanare non possent. Ita docet Tertull. *de Idololat.* c. XIII. *Dum sæculum gaudebit, vos lugebitis: Si cum sæculo gaudemus, verendum est, ne cum sæculo etiam lugeamus. Sæculo enim gaudente lugeamus, & sæculo postea lugente gaudebimus.*

II. EXULTATIONE CORDIS & SPIRITUALI GAUDIO IN DOMINO, quod ob suam in DEO salutem concipiebant. Ita Gregor. Nyssenus T. II. *Orat. in Bap. Christi. Serio versamur in negotiis fidei tractandis: festis diebus animam incrassatam curis & intentam solvimus.* Juxta illud Pauli: *Gaudete, & iterum dico, gaudete.*

III. Istiusque interni gaudii *τεκμηρίοις*, HYMNIS scilicet PSALMODIIS & TRIPUDIIS. Ita Gregor. Nazianz. *Orat. in sanct. Bapt. Hymnos pro tympanis assumamus, psalmodiam pro fœdis modulationibus, & canticis, plausum grati animi indicem, & canoram manuum actionem pro theatricis plausibus, mœstitiam pro risu, prudentem orationem pro ebrietate, gravitatem pro lascivia. Quod si etiam te, ob lætæ celebritatis & festi amœnitatem saltare oportet, saltatu quidem, sed non inhonestæ illius Herodiadis saltatione, quæ Baptistæ necem intulit, verum Davidis, ob arcæ requiem,*

Te cordis ima concinat;
Te vox canora concrepet;
Te diligat castus amor;
Te mens adoret sobria. Ambros. *Hymn.* VII.

§. 44. IV. SACRORUM GENTILIUM ODIO & AVERSATIONE, utpote in quorum nuda inspectione aliquod vitium idololatricæ suspicionis ponebant. Adque hoc faciendum cum sua sponte ferebantur, tum legum & canonum tenore adigebantur. *Abstinete ab omni idolorum pompa*, inquiunt Clementinæ Constitutiones: *Non oportet cum Paganis festa celebrare, & impietatis eorum habere societatem.* Concil. Laodicenum Phrygiæ Pacatianæ anno Christi CCCLXIV. can. XXXIX conf. Tert. *de Idolol* c. XIV. Ambros. *Serm.* XVII. *de K. J.* Jul. Firmicus Maternus *de Abolend. Idolol.* aliique.

§. 45. V. JEJUNIIS & SOBRIETATE, ut intelligerent insani homines, suam lætitiam Christianorum abstinentia damnari, ut ait Ambrosius. Et in eandem sententiam Augustinus *in Ps.* XCVIII. *Per istos dies jejunamus, ut, quando illi lætantur, nos pro illis gemamus.* Hier. *Com. in* IV. *Gal. Non. Kalendas colimus, nec dies festos, sicut illi, in luxuria & epulis, sed in synceritate azyma epulamur.* De jejunio præterea istius diei ab Ecclesia olim celebrari solito agit Ordo Rom. c. XX. & Albin. Flaccus *de div. offic. c.* IV. Majol. *dier. Canic. P.* II. *Coll.* III. *f.* 143. & ante omnia Beda *de Officiis* T. VII. Oper. f 648.

§. 46. VI. LITANIIS & PRECATIONIBUS, cum publicis tum privatis, quas ea die celebrandas statuerunt Prætextatus, Germanus, Felix, Caletricus, Domitianus, Dommulus, Leodobaudus, Victurius Episcopi Gallici, sub imperio Chariberti, Turonis congregati, *Capitulo* XVIII. Turon. II. Synodi an. Christi DLXX. *Quia*, inquiunt, *inter Natalem Domini & Epiphaniam omni die festivitates sunt, prandebunt* (non jejunabunt.) Excipitur triduum istud, quod ad calcandum Gentilium consuetudinem patres nostri statuerunt, PRIVATAS KAL. JANUARII fieri LITANIAS, ut in Ecclesiis psallatur, & hora octava in ipsis KALENDIS CIRCUMCISIONIS Missa DEO propitio celebretur. Quæ illi Patres ita ordinarunt, non quod antea usitata non fuerint, sed quod omissa denuo in usum revocata. Nam & Eusebius *l.* X. *c.* III. testis est, sub Constant. & Licinii Imperio jam tum a Christianis, ut Encœnia, ita etiam alias festivitates Gentilium, Sacrorum operationibus, honestis Ecclesiarum ritibus, psalmodiis, & aliis traditis divinitus elogiis, nec non divinis mysteriis, precibus & gratiarum actionibus fuisse initiatas.

§ 47. VII. SACRIS CHRISTIANIS, id est, Templorum frequentatione, verbi divini prædicatione, Sacramentorum administratione & divinorum beneficiorum celebratione. Nam S. Ambrosius denuo *Serm. de Kal. Jan.* inquit: *Observavit diem, qui his diebus aut non jejunavit, aut ad Ecclesiam non processit. Observavit diem qui hesterna die non processit ad Ecclesiam, processit ad campum.* De Cœna Domini, & præconio verbi res est ex Eusebio modo citato planissima, & Theodor. l. IX. *Therapeut.* Loco pomparum antiquitus usurpatarum pro turpissimis factis, pro turpiloquio, nunc festa & panegyres sobrii celebrant, in quibus nulla extat ebrietas, nullæ comessationes, non risus aut ridicula, sed hymni in honorem DEI, sacrorum auditio oraculorum, preces condignis lachrymis adornatæ.

Ergo velut cœlum stellis, & floribus arva,
Temporibusque annos Dominus sic ipse diebus
Tempora distinxit, festis ut pigra diurnis
Ingenia obsequiis, saltem discrimine facta
Post intervallum reduci solennia voto
Sancta libenter agant, residesque per annua mentes
Festa parent Domino. ——

Paul. Episc. Nolanus Carm. *de dieb. Festis.*

§. 48. VIII. THRENIS lugubribus & pœnitentialibus hymnis, perinde ac in Quadragesimalibus. Nam Synodus Toletana IV. (an. Domini DCXLIII.) cap. X. prohibuit, ne lætitiæ Canticum ALLELUJA eo die caneretur in Hispaniis & Galliciis. *Statuimus, ut in omnibus Quadragesimæ diebus (quia tempus non est gaudii sed mœroris) Alleluja non decantetur. Tunc enim opus est fletibus ac jejuniis insistere, corpus cilicio & cinere induere, animum mœroribus dejicere, gaudium in tristitiam vertere, quousque veniat tempus Resurrectionis Christi, quo jam oporteat in lætitia canere, & mœrorem in gaudium commutare. In temporibus vero reliquis, id est,* KALENDIS JANUARIIS, *quæ propter errorem gentilitatis aguntur, omnino* ALLELUJA *non decantabitur.* In quibus etiam præter piscem & olus, sicut & in illis Quadraginta diebus cæteris carnibus abstinetur, & a quibusdam etiam nec vinum bibitur.

§. 49. IX. ELEEMOSYNARUM EROGATIONE, & similibus pietatis & charitatis exercitiis, utpote ægrotorum visitatione, captivorum redemptione, infirmorum consolatione, &c. Quo refero Sancti sive Ambrosii sive Maximi Taurinen. verba ex *Serm.* XIV. *de Nat. Domini: Igitur, Fratres, repleamus thesauros Christi diversorum munerum donis, ut in die sancta fit, unde peregrini accipiant, reficiantur viduæ, vestiantur pauperes. Nam quale erit, si in una eademque domo inter servulos unius Domini alter exultet in holosericis, alter consumatur in pannis: alius æstuet cibo, alius famem frigusque sustineat: ille eructet hesternam indigestionis crapulam, hic hesterni jejunii inediam non resolvat?*

§. 50.

§. 50. x. VOTIS ET PRECATIONIBUS PIIS pro verbi divini liberiori cursu, Ecclesiæque Christianæ incremento, nec non pro hominum cœcorum illuminatione, & denique pro propria salute & incolumitate: utpote quo omnes Christianorum gemitus & litaniæ, omnia suspiria, omnia denique votorum pondera vergebant. Ita Balsamon *ad Can. Trull.* LXV. scribit: *Novilunii quidem festum ante tempus immemoriale cessavit, cujus loco per DEI gratiam ad placandum DEUM preces, ac sanctificationes in Ecclesia a populo fideli fiunt in uniuscujusque mensis initio & aqua Benedictionis non Contradictionis aspergimur.*

§. 51. XI. Denique Festi Circumcisionis Dominicæ institutione, quo & festa Strenarum gentilium solennitas prorsus suppressa, & Christianarum Feriarum, Strenarumque, id est, beneficiorum per Christum partorum primordium felix adapertum, & plenis velis invectum est. Sicque Ecclesia DEI plenissimum de *Strenarum Januariarum* impietate triumphum egit, felixque ἐπινίκιον in Jesu Christi, ἱκέτυ & μεσίτυ nostri unici gloriam cecinit.

QUINTA ÆTAS STRENARUM CHRISTIANARUM, QUÆ NOSTRO SÆCULO OBTINENT.

SUMMARIA.

§. 1. *Diabolicis Strenis abolitis remanserunt Strenæ Civiles, quales ab initio erant.*
2. *Ita ut non prorsus sint in rebus deperditis.*
3. *Tales hodie sunt in Anglia.*
4. *In Italia.*
5. *In Sicilia & Neapoli.*
6. *In Hetruria.*
7. *In Foro Liviensi & Paduano territorio.*
8. *In Helvetia.*
9. *In Germania.*
10. *In qua sunt velut tres Strenantium ordines: Primus est inferiorum,*
11. *Discipulorum,*
12. *Clientum,*
13. *Servorum.*
14. *Secundus Superiorum:*
15. *Tertius parium:*
16. *Quibus addi potest quartus ordo Ministrorum publicorum.*
17. *Et in specie Hallis Saxonum Hallorum seu Halurgorum nostrorum.*
18. *Importunis aliorum emendicationibus publica lege sublatis.*

Διέξοδος.

§. 1. Satis dictum de *Strenis Diabolicis*: Superest, ut etiam de *Strenis Nostrorum Temporum* dicamus. In quibus eo breviores erimus, quo minus memorandum in iis occurrit. Omnibus sunt nota, quæ nostris moribus & temporibus fiunt: Quid igitur longa commentatione opus? Non licuit mihi amplius post ea, quæ Quarta Ætas tulit, aperta Strenarum vestigia legere, nisi in quantum civiles istæ remunerationes & boni affectus contesserationes, quales ab initio fuerunt apud hos & istos populos, in usu & vigore manserunt.

§. 2. Quod igitur Guido Pancirollus JCtus Patavinus *l.* I. *Rer. Perd.* sub fin. hunc ritum etiam cum aliis inter res deperditas refert, id non est absolute capiendum; nam ipse sub finem ejusdem Tituli morem a Veteribus quidem ablatum, nihilominus tamen adhuc observari astruit, sed κατά τι & certo respectu: nempe externus iste splendor & valor donorum, qui Cæsarum ætate erat, ista item auspicata ominum & auguriorum captatio, quæ Strenis priscis adhærebant, cessarunt, muneribus ipsis manentibus, cum hic, tum alibi.

A §. 3. Nam de Anglis tradit Polyd. Virgil. *l.* x. c. II. Inferiores superioribus, Nobiles, Barones, Principes Regi Strenas offerre, qui ipsi tamen a Rege easdem vicissim accipiant, quo liberalitas boni ominis nuncia, mutuo communicetur. Id quod suo etiam calculo comprobat Richardus Montacutius Part. I. *Orig. Eccl. Mos laudatus apud Christianos, nos saltem Anglos, ab antiquissima memoria obtinet. Nam & populus se invicem, primo anni incipientis die, novi anni initio, ut loquuntur, muneribus missis invitant, & una cum muneribus faustum & felicem annum apprecantur (quam tamen consuetudinem, ut plerasque alias, olim ad faciendum populum usurpatas Puritani al-* B *latrant, & de vita communi, ubi possunt obtinere, excusserunt) & Barones regni, qui appellantur, singuli cum crumena & aureis quibusdam nummis donant Regem, qui singulos vicissim, singulis argenteis Scyphis inauratis redonat.*

§ 4. De Italis & Romanis idem scribit Polydorus, quod summi infimis dare soleant, Pontifices Principibus, Cardinalibus & Episcopis, Episcopi, Principes, Nobilibus, hique aliis. Testis præterea est Paulus Marius, in tota Græcia & omnibus fere Italiæ urbibus diluculo Calendarum Januariarum pueros ad Nobilium ædes accedere, quibusdam rythmis eos sa- C lutare & felicem annum precari, apud Hospin. *de Orig. Fest.* c. VIII. Imo occupationes hodiernas totius Urbis Romæ in Kal. Januar. vel rectius in Feriis Natalitiis (nam in has omnem & Kal. Januar. & strenarum solennium pompam Pontifices rejecerunt, ob sacrorum, credo, Papalium splendorem & vigorem) paulo prolixius delineat Ambrosius Novidius Fraccus Ferentinas *lib.* XII. *Sac. Fast.*

Cernite, cœlesti panduntur ut omnia Nato:
Resque sibi ut raras angulus omnis habet.
Non est Autumnus, sunt & super arbore poma:
Pendet & ex ulmis vitibus uva suis.
Melle placent tigres, blandi sunt melle leones:
D *Dulcis & ore anguis, denteque mitis aper.*
Cum canibus vivi veniunt ad pocula cervi:
Junctaque montanum non timet agna lupum.
Mille operum facies: pax est: Sunt mille colores:
Nescio quid blande pectora nostra tenet.
Jamque viæ & sanctæ velantur frondibus aræ:
Atque sacri & summis turribus æra monent.
Alta frequentantur celebri Capitolia pompa,
Et Vaticano visitur aula jugo.
Signa dedit: nox est, solitos sibi sacra requirit
Bruma: sales, mensæ, tectaque culta juvant.
Intonuit moles, propriis decet ædibus esse,
Cumque suis toto gaudia ferre sinu.

E Et post pauca:

Visimur alterne: suntque ipsi in honore propinqui:
Perque domos currunt munera, perque vias.
Principio jam fas jejunia solvere noctis,
Sumereque incisos more jubente favos:
Dulcia gustamus, gustatis poscimus æra:
Ducere & his ludis tempora nocte juvat.

Idem vicissim Fraccus sub finem *Fastorum* de Strenis Pontificiis inquit:

Ipseque ut auspiciis foret hinc felicibus annus,
Quisque loquebatur prospera verba prece.
Ara frequens stabat: ter libabantur honores:
F *Grataque erat, dum rem ter legit ara, mora.*
Pars aderat sacris, nectar pars inde petebat:
Otia erant, ludis abfueratque manus.
Gemmeus aurato pileus renidebat ab ense,
Ante Patrem, turbis abstuleratque locum.
Omenque & dulcem quo quisq; resumeret annum,
Cum Stipe erant posito dulcia in orbe mero.
Factaque ducebant Jani clausura Kalendas,
Ductus ab intonsis, ut monet usus avis.
Ergo dies salve, rerum pulcherrima: Dixi,
Adque tuos melior candidiorque redi.

§. 5. De Ferdinando Siciliæ & Neapolis Rege scribit Marcellus Donatus, *Dilucid. in Suet.* cap. XXXVI. p. 578. quod populis Strenam remiserit, quam antiquis Principibus inveterato quodam jure quotannis dare soliti erant, indeq; Regem insignem, cum pietatis, tum liberalitatis laudem deportavisse, quod nec subditos expilare voluerit, nec se veteribus veterum Strenarum inquinamentis conspurcare.

§. 6. Similiter Paganini Gaudentii ætate Duces Hetruriæ solitos esse dare Strenas secundum ejus *Epigr.* edocere potest, quod ann. Dom. MDCXXXVIII. *Ferdinando II. Magno Duci Florentiæ* dicavit.

Paucis versiculis tibi sum, Dux magne, precatus
Nestoream vitam, dum novus annus adest.
Tu mihi largiris profuso munere nummos,
Atque jubes verbis pondus inesse meis.
Omine felici rata sunt mea vota, precesque:
Sic tibi continget vita salusque diu.

§. 7. Pariter Italos reliquos, Fabritius Paduanus Philosophus & Medicus Foroliviensis scribit, singulis annis, in Calendis Januarii Strenas pueris, servis & aliis boni ominis gratia exhibere, & munera hæc tradere. (quæ vulgo *La Mancia* vocantur) Imo addit: *Hinc etiam tracta Carnis privii consuetudo, qua nobis ex usu, non ex lege data est facultas choreas ducere, saltare, personatos per civitatem incedere, convivia splendida parare, & quoquo pacto insanire:* Hoc vero est primam istam Strenarum Diabolicarum insaniem in vitam revocare.

§. 8. De suis Helvetiis tradit Hospinianus, quod pueris dulces panes Strenæ loco tribuant, & placentas porrigant dulciarias, quas vocent *Helsetten* & *Helssvveggen*, & Parochiani suis Patronis Ecclesiasticis, quos *Lebtuchen* vocant. Id confirmat etiam Besoldus *Thes. Pr. die Kloster geben gemeiniglich des* Patroni *Rhaten zu einen neuen Jahr Lebtuchen*, f. 660. Imo & Hospin. *de Orig. Fest.* c. VIII. scribit quod mos Græcorum & Italorum puerorum sub diluculum Kal. Jan. ad Nobilium ædes convenientium, rythmos decantantium, & felicem annum precantium, inde usq; ad Helvetios & Germanos fluxerit, quæ & ipsa prolixius diducit *de Fest. Christian.* c. VIII. Omnes illæ superstitiones Ethnicæ, quas commemoravimus & olim hoc die sunt observatæ a Christianis, & etiam nunc hodie pertinaciter observantur a nobis. Discurrunt namq; noctu tam senes, quam juvenes promiscui sexus, cantantes præ foribus divitum, quibus felicem annum cantando precantur & optant. Hoc autem cur noctu fiat, nemini dubium esse debet, quin sub hoc prætextu multa obscœna & turpia perpetrentur simul. Eadem nocte plurimi mensas variis epulis ornant, alii poculum aqua vel vino plenum in mensa ponunt, qui si exundet & ultra poculi margines intumescat, fertilitatem: Sin minus, caritatem ejus anni ominantur, alii per totos dies comessantur, &c. Quo & illa Thom. Naogeorgi collineant, quando *l. IV. Regni Papist.* inquit:

Debita nemo petit totis bis octo diebus:
Selectisque onerant dapibus mensasq; focumque,
Paneque vescuntur miro, magnisque placentis.
Ludunt, compotant, ineunt convivia læti:
Ut, si fortassis cœpto moriantur in anno,
Se tamen explerint prius, antiquamque novarint
Hoc modo amicitiam ——

§. 9. In Germania sine discrimine deferunt Strenam, tam Superiores inferioribus, quam Inferiores superioribus, & Æquales æqualibus, qui tamen dantibus vicissim aliquid donant liberalis & boni animi causa, teste Martino Magero *de Advocatia Armata* c. V. n. XXXIII. Dracon. *de Orig. & jur. Patric. l.* I. c. VI. Sagitt. *qq. illustr. Decur.* IV. *qu.* IX. & Thoma Naogeorgo *l.* IV. *Regni Papistici*, qui ita:

Post cæsis Jani tribuuntur dona Calendis,
Atque etiam Strenæ charis mittuntur amicis:
Conjugibusque viri donant, gnatisque Parentes,
Et domini famulis, anni felixque precantur
Principium, gentis Pagano more togatæ.

§. 10. Ex quibus Tres Strenantium ordines in Germanis observamus: Aut enim Inferiores superioribus, aut hi vicissim istis, aut denique Pares paribus munera novi anni (ut cum Gellio loquar) mutitant, seu rectius mutuitant. Juxta primum ordinem Subditi magistratibus, Aulici Principibus, Filii Parentibus, Discipuli Præceptoribus, Confitentes Confessionariis, Clientes Patronis, Servi Dominis, mercenarii patribus familias, pauperiores ditioribus offerunt Strenas, quarumcunque rerum, quas scilicet noverunt suis esse acceptas Patronis.

§. 11. Idque non minus gratitudinem sapit, quam vetustatem. Nam jam olim Romæ Discipuli Strenam offerebant, teste Libanio. Ὧν δὲ ἐν σοφ... *μανθάνοντες. Τιθέντες τηνικαῦτα μὲν μισθὸν τῆσδε τῆς ἑορτῆς ἕνεκα. Ex quorum certe numero sunt, qui sapientiæ studio operam dant, siquidem tunc temporis mercedem statuunt hujusmodi festi gratia.* Id quod etiam Tertull. prolixe persequitur *de Idololat.* c. X.

§. 12. Nec minus factitabant Patronis idem clientes, per eandem Libanii fidem *ἐκφράσεις καλανδῶν. Καὶ μὴν ὁ ἄρχων ποτὲ τὸν ἀρχόμενον ἐφίλησε. Χρυσοῦν τὸ μὲν δοὺς, τὸ δὲ λαβών. Quin etiam Patronus ipse Clientem osculatur; cum modo hunc nummum aureum dederit, modo illum acceperit,* (sc a Clientibus) *dum hi Patronos imitantur.* Quod adeo in confesso apud Magerum in *Advoc. Armata*, ut ab hoc Clientum ritu omnem Strenarum originem & substantiam derivare præsumat.

§. 13. De subditis, servis aliisque inferioribus neminem dubitare sinunt ea, quæ superius longa serie citavimus.

§. 14. Ex secundo ordine Strenas offerentium sunt Magistratus, Principes, Domini, Pastores, Parentes, Præceptores, Tutores, Patresfamilias, qui Subditis, Aulicis, Servis, Auditoribus, Filiis, Discipulis, Pupillis, Domesticisque suis ista mutuæ dilectionis & favoris velut Sacramenta deferunt; idque iterum ex veteri ritu, quem longo ordine adduximus. Nam quam Tatius primum dedit, eandem & Consul dedit, & Augustus dedit, reliquiq; magni & Imperator. & Reges dederunt, & adhuc dare consueverunt.

§. 15. EX TERTIO ORDINE Strenantium sunt Collegæ, qui Collegis, Amici, qui Amicis, Sponsi, qui Sponsis, Conjuges, qui Conjugibus has suavissimæ benevolentiæ tesseras mutuo exhibent. Ita in Martia Urbe potentes se invicem donis honorabant, tradente Libanio: ita & plebeii, & Optimates apud nos hodieque se invicem, læti de bonis vitæ diebus, grati propter accepta beneficia excipiunt. Istius generis est Xenium, quod Amator Beza Candidæ suæ Amicæ misit, *lib. Epigr.* p. 44.

Vestes divitiis graves & arte
Aptandumve tuo monile collo,
Aut quos India mittit uniones,
Jani nec queo, nec volo Calendis,
Ad te mittere Candida una Bezæ,
Dilectissima Candida: At quid ergo?
Ipsam nempe animam tibi dicatam
Amorisque tui ignibus perustam.
Quæ, pridem tua sit licet, suamque,
Te pridem Dominam vocetque, ametque,
Se rursus tibi dat dedicatque,
Inclusa bis numeris Phaleuciorum.
Quod si munera raritate censes:
O Dii! quam tibi grande mitto munus.

§. 16. Quibus posset adhuc QUARTUS ORDO addi eorum, qui ex ordinatione Magistratus, pro cujusq; scil. loci aut civitatis conditione, Strenam ostiatim petunt, musica sive vocali, sive instrumentali civium gratitudinem provocantes. Quemadmodum etiam

de Romanis Tibicinibus Ambrosius Novidius testatur *lib. 1. sacror. Fast.* quod eodem instituto & in Italia utantur, quo nostri Germani. Ita enim quærit: A

Quid tuba quid carmen postulat ante fores?
Hæc ait: ob natum gratari forte solebant:
Gaudia prævertens nunc sibi nummus habet.
Carmina cantantur: cantatis æra petuntur:
Sim tuba, sim cithara, sim tibi carmen ego.
Dulcia palma dabat, cum palma Carica priscis,
Nos quoque cum trita cur nuce mella damus?
Prætereat tempus. Hæc cum natale requirat,
Cum non nascaris, cur stipis æra petis?
An veluti priscis, nos præcipis acta referre,
Omen ut æra ferant, dulcis ut annus eat? B
Nascitur ante mihi: legi nunc nascitur, inquit,
Estque ea natalis utraque dicta dies.
Dulces ære dato sic instauratis honores:
Nec minus hac illa munera luce placent.

§. 17. Quale quid fere ubique locorum Præceptoribus Scholarum, item ordinariis Thymelicis & Musicis civitatum, & speciatim apud nos *Halurgis* nostris (quos *Hallorum* vocant) viris & ad sales coquendos, & ad ignes delendos natis, cum in partem Salarii supplendam, tum ad industriam eorum provocandam, conceditur, reliquis stipium annuarum mendicationibus lege sublatis. C

§. 18. Est enim, præter jam dictos viros, ex merito, & cum laude suas Strenas accipientes, aliud quoddam admodum molestum hominum genus, qui suis non contenti alienas ædes, hoc imprimis tempore pulsant, & varias mendicandi artes commenti, bonorum incolarum peras intempestive satis excutiunt, nunc infantes noviter susceptos Patrimis, seu susceptoribus suis obtrudentes, nunc antiquorum operum merita deprædicantes, nunc familiaritatis & amicitiæ jura prætendentes, nunc stellam Magorum præsentantes, nunc cunas Christi motitantes, nunc Angelorum hymnum æmulantes; quibus addunt varia organorum, & instrumentorum Musicorum genera, ut, cum per se non audiantur, audiatur saltem sambuca, aut gingrina eorum utricularis. D

Ignavum genus o hominum, consumere natum
Fruges alterius!

Horum importunas & impudentes artes merito cujusque loci Magistratus lege publica coercet: id quod etiam apud nos jussu Senatus e Cathedris Ecclesiasticis Calendis Januariis denunciatur, denunciata simul pœna iis qui contra fecerint.

Sed nos his missis ad alia properamus, consideraturi potius quid, quam qui vel dent vel accipiant.

CAP. III. E

DE STRENIS IPSIS SEU MUNERIBUS NOVI ANNI,

SUMMARIA.

§. 1. *Strenæ Romanorum, quæ Kal. Januariis migrabant,*
2. *Variabant.*
3. *Nam primum erant* HERBACEÆ.
4. *Et quidem Verbena; cujus natura & nomina.*
5. *Usus sacer in Aris.*
6. *Profanus in purgandis: superstitiosus in ornandis domibus.* F
7. *Magicus in morbis.*
8. *Præeuntibus Chaldæis & Ægyptiis.*
9. *Sed recte derisis ob futilitatem.*
10. *In quo censu & Pythagoras & Democritus.*
11. *Quid de amuletis hyperici & verbenæ decocto sentiendum?*
12. *Usus bellicus in clarigatione.*
13. VERBENÆ *felicis arboris.*
14. *Datæ & prælatæ publice.*
15. *Deinde factæ sunt* STRENÆ DULCES,
16. *Palmæ.*
17. *Caryotæ, &*
18. *Cariotides: Thebaicæ*
19. *Carycæ.*
20. *Cauneæ.*
21. *Massæ Caricarum: & ficus Esajæ.*
22. *Variæ Caricarum species.*
23. STRENÆ MELLITÆ.
24. *Postea* AEREÆ.
25. *In Stipibus seu assibus.*
26. *Assis partes.*
27. *Ritus dandi stipem origo.*
28. *Nummi ænei figura.*
29. *Cœpit sub Saturno ante Numam.*
30. STRENÆ ARGENTEÆ.
31. *Seu nummi Argentei.*
32. DENARII; *eorum partes.*
33. *Nummus Augusti: Argentei Aureliani, Antoniniani, Philippei.*
34. *Imo & veterum Regum numismata in commercio Strenarum fuere.*
35. *Omnium tam Consularium quam Imperatoriorum Denariorum certæ erant figuræ, certa pondera.*
36. *Bigati, Quadrigati, Victoriati, Umbini, Serrati.*
37. *Impp. Argentei varii.*
38. *Argentum Oscense, Illyricum, Euboicum, &c.*
39. STRENÆ AUREÆ.
40. *In Aureis Romanis consistentes.*
41. *Quorum mensura erat* C. *nummorum seu assium.*
42. *Multa auri copia.*
43. *Multi etiam Romæ erant Aurei.*
44. *Darici, Aryandici, Philippæi, Alexandræi, Valeriani, Gallieniani.*
45. *Aurei Electrei.*
46. *In auro tam signato quam facto.*
47. *Eoque tam insignis, quam in tabulis.*
48. *Sigillariorum celebritas, quæ?*
49. *Et Sigillaria, vicus Romanus.*
50. *Munera Saturnalium poterant etiam Strenarum munera esse.*
51. *Aurum factum in commercio Strenarum fuit.*
52. *Augusta Strena Arcad. & Honorii.*
53. *Illustratur a Maximis Triumviris.*
54. *Libra seu Marca Auri quantitate variat.*
55. *Strena Augusta* LXXII. *solidorum.*
56. *An libra Numeralis an ponderalis?*
57. *Decisio pro numerali.*
58. *Ponderalis an usitata?*
59. SOLIDI *seu* AUREI.
60. *Solidorum pondus & valor.*
61. *Solidi sequioris sæculi, sequioris etiam pretii.*
62. *Tria monetæ requisita: pondus.*
63. *Forma Principum.*
64. Εἶδος καλὸν *seu proba species. Solidi aurei: an argentei?*
65. *Quid solidi obryziati?*
66. *Obryza & Obryzatum aurum an ex Ophir?*
67. *An ex Græcia?*
68. *An ex Latio?*
69. *An ex Flandria?*
70. *Definitur, quod sit nomen officinale seu monetale ex usu artis.*
71. *Hinc Strena est Libra Auri in pondere, & LXXII. solidi in figura.*
72. Φιλότιμοι δωρεαὶ *Leonis Impp. seu tesseræ orbiculatæ: missilia.*
73. *Miliarenses seu Miliaresii.*
74. *Mylii.*
75. Καύκιοι *caveæ.*
76. Τετραγώνιοι *seu quadranguli.*
77. *Strenarum notione etiam suo modo veniunt sportulæ, non quidem Convivatorum aut Exhibitorum.*

78. *Sed Coss. & Prætorum.*
79. *Annuli Aurei.*
80. *Δίπτυχα & Pugillaria.*
81. *Strenæ vest. ariæ.*
82. *Probantur.*
83. *Strenæ Librariæ.*
84. *Chartacea Strena Erasmi.*
85. *Strenæ quarumcunque aliarum rerum jucundarum.*
86. *Strenæ Cibariæ.*
87. *Strenæ avium.*
88. *Strenæ vinariæ.*
89. *Inde Haustus S. Johannis & Compotationes solennes Paparum, Impp. aliorum.*

Διέξοδος.

§. 1. VEnientibus KALENDIS, volabant undique dona, ferebantur MUNERA, miscebantur gratulationes, nec quicquam sive lætitiæ sive solennium feriarum omittebatur. Quod quis a cliente acceperat donum, cum eo ad suum illico properabat Patronum. Quod cuique carum erat, quod rarum in domo, a suo ad novum migrabat Dominum, eo quod NOVUS ANNUS esset. Atque ita fluxum & inconstans hujus lucis Aurum quasi sphæra lusoria ab alio ad alium translibat. Hæc erant novi anni præmia, hæc KALENDARUM JANUARIARUM Soteria, hæ STRENÆ, de quibus non inconcinne Naogeorgus in *Regno Papistico:*

Post cæsi Jani tribuuntur dona Calendis,
Atque etiam STRENÆ caris mittuntur amicis,
Conjugibusque viri donant, gnatisque parentes,
Et Domini famulis, anni fælixque precantur
Principium ——

§. 2. Solennitas STRENARUM omnibus infimis, maximis, medioxumis eadem erat, sed MATERIA, quam sic vocare liceat sive STRENA IPSA non semper & omnibus eadem, sed, ut ex dictis constare potest & dicendis, cum pro ætatum, tum pro offerentium diversitate, diversa erat. Nam primo quidem STRENÆ SIMPLICES, VILES & HERBACEÆ, post MAGNIFICÆ, AUREÆ & ARGENTEÆ, tandem quoque *suspectæ & Diabolicæ*, donec tandem impietate abolita MEDIOCRES factæ sunt pro cujusque dantis & exhibentis facultatibus.

§. 3. HERBACEAS primum fuisse, docet is ex Symmacho superius adductus locus *l.* x. *Ep.* XXXV. quod T. Tatius Strenuis viris Roman. & Sabinis (qui Reip. causa se fortes præstiterant & gnavos) VERBENAS FELICIS ARBORIS symbolum Virtutis, Victoriæ & Laudis ex Luco STRENIÆ sive STRENUÆ DEÆ obtulerit in auspicium novi & fausti anni. Ex quo Metellus Tegernseensis Poeta Boicus, (qui circa annum Dom. millesimum sexagesimum in Monast. Tegernseensi floruisse creditur) in *Quirinalibus* suis pag. m. 44.

Strenas nobilitas Cæsaribus piis,
Rex dignis procerum dabat,
Urbi quas Latiæ tum juveni dedit
Rex Titus Tatius prior
Festas accipiens paupere munere
VERBENAS studio patrum,
Solers posteritas quas creat aureas.

§. 4. VERBENA Gr. περιστερεὼν item ἱερὰ βοτάνη Dioscoridi dicta, seu Hierobotane ex Plinio, est herba ramulos cubitales angulosos, in quibus ex intervallis folia quercus, sed minora angustioraque, iisdem divisuris in ambitu, colore aliquatenus cæsio, radicem autem longam tenuem, flores purpureos & graciles habens, Germ. *Ersenkraut*. Cujus usus ut in Medicina & Chirurgia creber, ita in Magicis & Veterum sacris ad superstitionem usque varius fuit, quemadmodum Dn. D. Joh. Jonston. in *Notitia Regni vegetab.* cap. XIV. p. 239. minutatim proposuit. *Nuncupatur Sacra herba, quod in expiationibus ad amuleta sit perutilis: Columbaria seu turturea, quia columbis & turturibus familiaris: Sagminalis, quia inter sagmina primum locum habuit; κολλύρις & ἀριστερεὼν, quia vulnera conglutinat & firmat: Demetrias, vel Cerealis, quia juxta fruges lubens nascitur: Liciniæ, quia virgæ ejus virides in calathos implicari possunt: Lustrago, quia lustrationibus adhibebatur: Militaris, quia ea coronati feciales ad hostes mittebantur: Verripedium, quia ea pavimenta verrebantur: Crista gallinacea, quia folia, ceu cristatus galli apex, incisuris divisa: Chamelygos, quia virgas in terram dejicit, & ad ligandum præbet: Sigerites seu ferraria, quia ei foliorum forma similis: Curitis seu Hastaris, quia ut hasta plurimum nobilitatis Romanæ habet: Persephonion, quia contra maleficia veneficiorum facit: Philtrodotes, quia philtra amolitur: Petonomon a volucrum pastu: Tenuifolia περιστερεὼν ὕπτιος.* Hactenus Jonstonus.

§. 5. Hoc est quod Plinius tradit *Verbenaca Jovis mensam & domos purgari atque lustrari.* Quin Pompejo teste, & in ARIS ipsis VERBENAS locabant, tam in sacris, quam in ludis. Testis est Terentius *Andr.* Act. IV. Sc. III. *Ex ara hinc sume* VERBENAS *tibi.* Nam, (quod Scalig. I. *de Arte Poet.* observat) duæ fuere Aræ, dextra Baccho in Tragœdia, Apollini in Comœdia: Sinistra ei, cui fiebant Ludi. In iis ARIS verbenæ imponebantur Apollini, Baccho hederæ: Imo & Struppi in pulvinaribus pro Deorum capitibus deponebantur, qui erant fasciculi de verbenis facti.

§. 6. Ex altero isto sacro Verbenarum usu in ædibus purgandis & coronandis ortus est mos iste Gentilis coronandi DOMOS VERBENIS, & Coronas virides conficiendi in S. Johannis festo. De quo sui sæculi & loci more Perottus: *Admiratione,* inquit, *dignum videtur, quod VERBENA nunc quoque divo præcursori sacra habetur, & ea die festo ædes passim coronantur, & lustrari domos putant.* Comm. *LL. f.* 655 Germ. dicitur *Cronbaum*, it. *Johannis-Crone*, it. *Blumen-Crantz*. Imo & altera ista superstitio inter malos Paganos ex illo malo residet, quod quædam mulieres superstitiosæ in festo S. Johan. & assumptionis Mariæ verbena se coronant & pingunt, putantes, se eo anno a capitis, (cui alias medetur recta) & dorsi dolore liberas futuras. Huc pertinet, quod & Æmilius Macer scribit de verbena cap. LVIII.

Hanc herbam gestando manu si quæris ab ægro
Dic frater, quid agis? bene si responderit æger,
Vivet: si vero male: spes est nulla salutis.

Negant etiam habentes hanc herbam allatrari a canibus apud Mart. Myl. *Hort. Philos.* p. 615.

§. 7. Magicum VERBENARUM usum Plinius prodit *l.* XXV. c. IX. *utraque genera Herobotanes* (marem scilicet & fæminam) *sortiuntur* GALLI *& præcinunt responsa: sed* MAGI *utique circa hanc insaniunt. Hac perunctos impetrare, quæ velint, febres abigere, amicitias conciliare, nullique non morbo mederi.* Et ne quid ματαιολογίας anilis abesset, modum quoque colligendi Magis usitatum subjicit: *Colligi circa canis ortum debere, ita ut ne Luna aut Sol conspiciat* (credo, quod sint oculi DEI, quibus ejusmodi incantatio abominationi,) *favis ante & melle terræ ad piamentum datis: Circumscriptam ferro effodi manu sinistra & in sublime tolli: siccari in umbra separatim, folia, caulem, radicem: Ajuntque si aqua spargatur triclinium, qua maduerit, lætiores convictus fieri.*

§. 8. Scilicet hoc est, quod credula Gentilium antiquitas ex mera superstitione effinxerat, præeuntibus Magis, Hierophantis & Philosophis nonnullis, puta, Zoroastre, Osthane, Democrito, Apollinica, Captidene, aliisque cum Chaldæis, tum Ægyptiis. Asclepiades certe in hoc genere excelluisse creditur, utpote qui asseruit, Æthiopide herba amnes & stagna siccari conjectu, tactu clausa omnia aperiri: Achemenide conjecta in aciem hostium, trepidare agmina & terga vertere:

Latacen dari solitam a Persarum Rege Legatis, ut, quocunque venissent, omnium rerum copia abundarent.

§. 9. Veruntamen recte has vanitates idem Plinius deridet; *Ubinam istæ fuere* (*l.* XXVI. c. IV.) *cum Cimbri, Teutonique terribili Marte ulularent, aut cum Lucullus tot Reges Magorum paucis legionibus sterneret? Curve Romani Duces primam semper in bellis commerciorum habuere curam? Cur Hercle Cæsaris miles ad Pharsaliam famem sensit, si abundantia omnis contingere unius herbæ* (Lataces) *felicitate poterat? Nonne satius fuit Æmilianum Scipionem Carthaginis portas herba* (Æthiopide) *patefacere, quam machinis claustra per tot annos quatere? Siccentur hodie Æthiopide Potinæ paludes, tantumque agri suburbanæ reddatur Italiæ.*

§. 10. Ejusdem artis periti fuisse memorantur Pythagoras & Democritus, quorum herbæ sacræ vel solo nomine horrorem incutiunt. Iste enim Coracesiam, Calliciam, Menaidem Corinthadem, Aproxin; hic vero Chirocineta, Aglaophotin, Marmaritin, Achemenidon, Hippophovada, Adamantida, aliasque pene innumeras celebrarunt apud Peucer. *de Divin.* f. 195.

§. 11. Huc spectant Amuleta contra veneficia ex hyperico, quæ ex fuga Dæmonum, & herba sacra confecta: nec non verbenæ decoctum, *Bapt. Codronchii*, quod merito stultum & diabolicum pronunciat Hier. Jordan. *Phys. Gotting. lib.* de eo quod θεῖν c. LXV. & XLV.

§. 12. Non minor VERBENARUM usus in CLARIGATIONE fuit, utpote quibus Feciales & Patres Patrati fœdera facturi, aut bella indicturi coronabantur, velati lino & verbena tempora cincti, *lib.* XII. *Æn.* Et quidem autores imperii Romani conditoresque immensum quiddam hinc (ab herbis) sumpsere, quoniam non aliunde SAGMINA in remediis publicis fuere, & in sacris Legationibusque VERBENÆ. Certe utroque nomine, (SAGMINUM & VERBENARUM) idem significatur, hoc est, gramen ex arce Capitolina cum sua terra evulsum, ac semper & LEGATI cum ad hostes clarigatumque mitterentur, id est, res raptas clare repetitum, unus itaque VERBENARIUS vocabatur (qui scilicet VERBENAS ferebat ad fœdera sive facienda sive rescindenda) teste eodem Plinio *l.* XXII. c XI. Apud Germanos etiam sponsæ verbenaceam coronam ad sponsum ferebant, eamque sub annulo sponso offerebant, teste Alex. ab Alex. *l.* II. c. V. Quod uti ex superstitione fluxit, ita non illaudabilem consuetudinem peperit, virentes corollas sponsis nostris imponendi.

§. 13. Atque hæ quidem erant VERBENÆ istæ herbaceæ. Quid vero? Herbas ne an frondes, Tatius STRENÆ loco militibus, an utraque simul ex luco STRENUÆ protulit? Notanter Symmachus VERBENAS FELICIS ARBORIS: Ex quo inducor, ut credam, Tatium & VERBENAM herbam, & sacras frondes ex sacro luco decerpsisse, utpote qui virentibus myrtis, oleis, lauris, quercubus & hederis obsitus erat, & sua amœnitate Tatium sæpius invitaverat. Invitaverat & eo Tatius suos milites, ut se secuti, præmia Fortitudinis a STRENIA caperent sua manu diribenda. Quorum lucorum & frondium cum admodum studiosus esset in vita, ei post mortem sepulchrum in Laureto Aventino scil. fecerunt, teste Lanuvio apud Pomp. *de V. V. Sign. l.* XVIII. Et Victor atque Varro in XIII. Urb Regio ne ejus monumentum ostendunt. Quid ergo impedit, quo minus Verbenas felicis Arboris frondes felices Arboris, id est, lauri, myrti, hederæ, &c. interpreter, imprimis cum, Servio notante, omnes frondes sacratæ sagmina & Verbenæ abusive scil. sint appellatæ? Cui pollicem premit Donatus in Terent. *Andr.* Act. IV. Scen. III. loco, quem supra etiam adduximus: *Ex ara hinc sume Verbenas Tibi.* Quo certe loco non videtur intellexisse herbam, sed frondem myrti, cum apud Menandrum, e quo illa transtulit, μυρσίνη, id est, *laurus* legatur, conf. Perott. *Cornucop.* f. 655. Totam rem magis illustrat Plin qui *l.* XV. c. XXIX. testatur, quod myrtetum jam tum fuerit, antequam conderetur Roma, illo ipso in loco, quo condita est. Imo etiam addit, quod Romani Sabinique, cum propter raptas virgines dimicaturi essent, armis positis myrto pacem fecerint, idque eo in loco, in quo postea Veneris cluacinæ signa. Cluere enim antiquis erat purgare; teste eodem Plinio, & addente, quod ideo myrtus sit conjunctioni electa, quod *Venus myrto & copulæ maritarum præesset.* Quid? quod illo ipso loco myrtum expresse VERBENAM MYRTEAM appellet?

§. 14. Et vel hoc argumento Pop. Romanus suis noviter creatis Coss. & Prætoribus aliisque Magistratibus LAURUS cum Ischadibus & prætulit & obtulit, cum quod laurus contra venena & morbos, tum quod pro sanitate & contra tactum tam Dæmonum quam fulminum faceret, teste Cæsiano Basso in *Geoponic.* Cœlius Rhodig. *l.* V. c. VII. ita: *Efficax est laurus contra venenum. Inde jactatum, ut, qui se tutum approbare vellet, diceret δαφνίνην βακτηρίαν φορῶ, id est, laurum baculum gesto. Creditur & laurus sanitatem conciliare, quo argumento lauri folia ineuntibus Magistratum Kalendis Januariis a populo dabantur, cum Ischadibus. Neque enim obturbat sacer morbus aut Dæmon, ubi affuerit laurus, sicut nec fulmen, ubi adsit ficus.* Recte Laur. Lippius:

Missa triumphalem non tangunt fulmina laurum,
Cingant belligeri tempora læta Duces.

Ista citra dubium etiam respectat Theodoricus Rex novum Cos. Senatui commendans, quando, *Avorum*, inquit, *antiquitas laurus ab ornata Curiæ Sylva legerunt*, ap. Cassiod. *l.* II. *Variar.* c. III. & paulo ante ad Felicem ipsum: *Redit per te Transalpinæ familiæ Consulatus, & arentes laurus viridi germine renovasti*: Tales igitur laureos ramos, ominis causa, in ignem conjiciebant, aut amicis mittebant, aut Imperatorum, Consulum, Prætorum foribus appendebant. Tibullus *Eleg.* V. *l.* II.

Ut succensa sacris crepitat bene laurea flammis
Omine quo felix, & sacer annus eat.

§. 15 HERBACEAS STRENAS exceperunt DULCES videlicet CUPEDIÆ & DULCIARIA, a prima institutione inter pauperes diu retenta, juxta Martialem *l.* VIII. *epigr.* XXXIII.

Hoc linitur luto JANI Caryota CALENDIS,
Quam fert cum parvo sordidus asse cliens.

Item in *Xeniis*, epigr. XXVII.

Aurea porrigitur Jani Caryota Calendis:
Sed tamen hoc munus pauperis esse solet.

Nam ut auspicium anni faustum & quasi melliflaum ominarentur, dulces votorum tesseras offerebant, CARICAS, PALMAS, CARIOTIDES, mella, & alia id genus edulcoramenta. Testem citamus Nasonem I. *Fastor.*

Quid vult palma sibi, rugosaque Carica, dixi:
Et data sub niveo candida mella cado?
Omen, ait, causa est, ut res sapor illa sequatur,
Et peragat cœptum dulcis ut annus iter.

§. 16. PALMÆ nomine cum fructus dactylos scilicet & Caryoras, tum, folia seu frondosos ramusculos intelligimus: quod esui essent ac commo-

di, hos, quod stimulus virtutis & victorum præmia essent. Perhercle rem mirandam, Arist. VII. *Probl.* & Plutarch. in VIII. *Sympos.* dicit, si super palmæ arboris lignum magna pondera imponas, & tam graviter urgeas onerésque, ut magnitudo oneris sustineri non queat, non deorsum palma cedit, nec flectitur, sed adversus pondus resurgit & sursum nititur recurvaturque. Propterea (addit Plut.) in certaminibus palmam signum esse placuit victoriæ, quoniam ingenium ejusmodi ligni est, ut urgentibus opprimentibusque non cedat. conf. Phil. Beroald. *Syllog. Annot. in Juvenal.* p. 210. Commode de his Alciatus *Embl.* XXXVI.

Nititur in pondus palma, & consurgit in arcum,
Quo magis & premitur, hoc mage tollit onus.
Fert & odoratas, bellaria dulcia, glandes,
Quas mensas inter primus habetur honos.

§. 17. Caryotarum autem usum & esum confirmat Athen. *l.* XIV. c. XXII. Regio hordeum fert, quantum alia nulla: cætera ex palma præbet. Ex ea enim panis & mel & vinum & acetum fit, & textilia varia. Nucleis pro carbonibus fabri ferrarii utuntur: Qui in aqua macerati bobus & ovibus in pabulum dantur. Dicunt esse carmen quoddam PERSICUM, in quo CCCLX. utilitates palmæ numerentur, apud Strab. *l.* XVI. Quæ si admirationem tuam concient, cogita saltem, quod hodie ex Guinea de palma refertur, quod scilicet incolæ ex ea faciant, OLEUM, VINUM, PANEM, PANNUM. Oleum confortans: Vinum medicans & inebrians: Panem nutrientem, Pannum vestibus conficiendis aptum, item mappas, sportas, lectulorum stragula, storeas, tentoria nautica, &c. quæ in compendio recitat Abbas Anhusanus *Hist. Hortor. P.* II. c. XXX.

§. 18. *Cariotides* (vel ut Dioscorides & Papinius in *Sylvis* malunt, καρυώτιδες) eædem fuere, cum Caryotis & Caryis: Utpote quæ essent genus Palmulæ in Judæa, præcipue circa Hierichuntem nascens, & cibo & succo uberrimum, ex quo præcipua vina Orienti, iniqua capiti; unde etiam porro nomen, a κάρη scilicet *capite*, aut rectius a κάρυον *nuce*, quæ & ipsa a nocendo nomen habet. vid. Plin. *l.* XIII. c. IV. Idem docet Varro *de R. R. l.* II. c. I. *Non scitis palmulas Caryotas in Syria parere in Judæa, in Italia non posse?* Istas autem Caryotas primum puras, & uti in natura erant, postea etiam deauratas, oblatas esse, evincit Martial. locus *l.* XIII. *epigr.* XXVII.

Aurea porrigitur Jani Caryota Calendis.

§. 19. Istis etiam generosiores palmulas, quas Thebaicas dicunt, accensemus. Crusta Thebaicæ placentæ, succo, uva & Carycæ Plin. *l.* XV. & XXIII. succo decoctarum antiqui pro hydromelite dabant ægris ad vires reparandas, sitim sedandam, in quem usum præferebant Thebaicas. Has admodum congrue Beroaldus in isto Statii *Sylvarum* loco intelligit, *Chartæ Thebaicæve, Carycæve,* scil. non *chartæ Thebaicæ seu Ægyptiacæ*, quod vulgus Interpretum voluit, sed distinctis notis chartas seorsim, Thebaicasque seorsim legit, quemadmodum & Carycæ, ut ita tria distincta munuscula Saturnalitia indigitentur, vid. Ann. *in Juvent.* p. 211. Aliæ ab his erant Carycæ, genus scilicet fici, aut a loco aut a populo Caribus ita dictæ, *rockene oder gedorrete Feigen*, de quibus Plinius *l.* XIII. c. V. *Syria præter hanc peculiares habet arbores, in ficorum genere, Caricas & minores ejus generis, quæ COTTANA vocant.* Malo enim *Cottana*, quam *Coctana* legere, autoritate Hesychii qui κόττανα εἶδος συκῶν dixit. Ita vicissim Martialis *l.* XIII. *epigrammate* XXVIII.

Hæc tibi quæ torta venerunt condita meta,
Si majora forent COTTANA, ficus erant.

Ubi *torta meta* significat receptaculum Cottanorum, ad effigiem metæ figuratum; Neque enim *menta* legendum censet Beroald *in h. l.* qui ex Papinio Statio aliud hendecasyllabon huc accommodat. *Nunquam turbine conditus ruenti prunorum globus atque* COTANORUM. Nam *turbinem ruentem inversam metam* esse dicit, cum *turbinis recti* figura *metæ* sit contraria; nam cum ab imo lata in acutum cacumen fastigietur, contra turbinis effigies in imo est angustissima, in summo latissima, qualis est figura pyrorum: *Cotana* autem, fici, mittebantur in vasculis, quorum forma erat instar metæ. Istud ergo Papinius volebat dicere, potuisse sibi pro munusculo Saturnalitio ab amico mitti globus cotanorum, prunorumque in vasculo ad instar metæ figurato seu instar turbinis ruentis.

§. 20. Quod de Caribus populis dixi, lucem accipit ex Cic. II. *de Divinat. Cum M. Crassus Brundusii exercitum imponeret, quidam in portu Caricas Cauno advectas vendens, Cauneas clamitabat.* Erant enim Cauneæ genus fici minutum, quod ex maritima Cariæ Urbe Cauno advehebatur. Lipsius alicubi: *De Caricis (quæ ficus aridæ a Caria, ibi frequentes, ut Cauneæ a Cauno) certum est, hæc talia, ficus passulas, palmulas in prandium sive gustum olim fuisse.* Et Muret. *Kalendis Januariis, ut alia, sic Caricas inter se missitabant, easque ominis causa edebant.*

§. 21. Quemadmodum ab hoc loco non alienum videtur esse, quod I. *Sam.* XXV. 18. & XXX. 12. legitur de Massis Caricarum. Ubi in Ebr. vocatur דבלים *Debelim*, in Gr. παλάθη. rad. *Dabal*, arescere, quod etiam olim Ebr. usitatum fuisse videtur. Et quia hæ ficus vim leniendi & maturandi habent, ideo Ulceri Ezechiæ impositæ fuere pro Emplastro, *Es.* XXXVIII. Plura de Carycis habet Anutius Fœsius in *Oecon. Hippocratis* & Carol. Stengelius *l.* II. *Hortens.* c. XIV.

§. 22. Alioquin Caricæ non unæ celebrantur. Nam in pretio erant Atticæ, Phrygiæ, Rhodiæ, Patriæ, Chiæ, it. Callistrutiæ a Rom. dictæ. Hircaniæ dulcedine & fertilitate Italas vincunt, ut quæ singulæ modios CCLXX. ferant, apud Plinium *l.* XV. c. XXIX. Laudantur & Africanæ, illustri Catonis testimonio, qui fici unius argumento Carthaginem delendam Senatui Rom. persuasit. Athenæus Caricas Cimolias commendat, *l.* I. c. XXVII. Syriacas tanti fecit L. Vitellius Legatus Tiberii Cæs. ut eas in Albense rus secum intulerit. Atticas Eunuchus Persici Regis mire extulit, cum inter reliqua bellaria etiam Atticas ficus intulisset, Rex enim rescíscens Atticas esse (quod Regibus externis epulis vesci non liceret) prohibuit, *ne qui obsonatores emerent, donec ipsi liceret carpere, ubi vellet, non emere.* Quanquam plerisque opinio fuerit, Eunuchum ab Aulæ Primoribus stimulatum has Caricas produxisse tanquam stimulum debellandorum Atheniensium. Philemon Ægilidas pulcherrimas Caricas vocari inquit ab Ægilo quodam sic dictas. Cæterum ficuum suavitatem admodum caram fuisse, vel Agipponax Poeta docet, qui eas auro prætulit, hoc jambo.

Si quis domi recondat auri plurimum
Ficusque paucas, compareatque servulos
Duosve, Tresve, judicabit illico
Auro domi ficum præstare plurimo.

Hinc etiam Artaxerxes Jun. Cyri frater, cum aliquando in fuga coactus fuisset esitare panem hordeaceum & paucas ficus, indoluisse fertur, ob regalem affluentiam, luxumque tantæ se voluptatis

tamdiu fuiſſe expertem. Cætera hujus generis, & qua religione ficus Ruminalis, aliæque in foro cultæ & natæ ſint, perſequitur Plin. *l.* XV. c. XVIII.

§. 23. Cum DULCIBUS STRENIS recte connectuntur MELLITÆ & Dulcoramenta varia Strenæ loco exhiberi ſolita, utpote quibus vel maxime triſtiora fata (ſi qua inſtare videbantur) edulcorare volebant. Mella & favos in memoriam Jani vitis & favi inventoris, canit Ovidius *loc.* ſæpius *cit.*

Quid vult palma ſibi rugoſaque carica, dixi,
Et data ſub niveo condita MELLE cado?
Omen, ait, cauſa eſt, ut res ſapor ille ſequatur.
Et peragat cœptum dulcis ut annus iter.

Quibus ſi panes depſticios, focaceos, liba, placentas, ſpiras, ſcriblitas, globulos, encyta, ernea, ſpæritam, favillum, pultem punicam, graneam triticeam, amulum, ex Catone. Et laterculos, laganas, librias, nebulas, collabos, ſeſamides, myllos ſeu itria, naſtos, œnuttas, popana, aliaque, ex Jonſtono addideris, nil aberraveris.

§. 24. Iſtis ſequentibus ætatibus STIPEM, id eſt, Nummum ſignatum, qui & As poſtea eſt dictus, adjunxere. Nam quod Sueton. in *Aug.* c. LIII. vocat *Stipem elephanto porrigere*, id Quintilianus & Macrobius *aſſem dare* dixerunt. *Item cum Auguſtus ex nocturno viſu STIPEM quotannis emendicabat a populo, dicitur cavam manum ASSES porrigentibus præbuiſſe*, Sueton. c. XCI.

§. 25. Erat autem ſtips ſeu ἀσσάριον nummi ænei genus, qui initio fuit libralis, grave æs ſæpe ab autoribus appellatus, poſtea cum P. R. ære alieno premeretur, ex ſingulis aſſibus libralibus Sextantarii, id eſt, ſelibres (*haud ſchwer*) deinde unciales, & demum lege Papyria ſemiunciales facti. Plin. *libr.* XXXIII. c. III. Hinc petenda eſt æſtimatio litis inter Cœcilium & Favorinum de injuriæ pœna, in XII. Tabb. expreſſa viginti quinque ſcilicet aſſibus, quam pro atrocitate delicti admodum levem Philoſophus judicat. Lex ita habet: *Si injuriam faxit alteri, viginti quinque æris pœnæ ſunto.* Quis erit tam inops, quem ab injuriæ faciendæ lubidine viginti quinque aſſes deterreant? inquit Favorinus. Itaque cum eam legem Q. Labeo quoque veſter in libris, quos ad XII. Tabb. conſcripſit, non probaret. Quidam, inquit, Lucius Veratius fuit egregie homo improbus, atque immani vecordia: is pro delectamento habebat os hominis liberi manus ſuæ palma verberare: eum ſervus ſequebatur crumenam plenam aſſium portitans: & quemcunque depalmaverat, numerari ſtatim ſecundum duodecim Tabulas viginti & quinque aſſes jubebat. Veruntamen Sextus Cœcilius JCtus recte diſtinguit inter *Aſſes librales, ſelibres, unciales & ſemiunciales. Hæc ipſa paucitas aſſium grave pondus æris fuit.* Nam LIBRARIIS aſſibus ea tempeſtate populus eſt uſus, *l.* XX. c. I. Gellius *Noct. Att.* Imo & poſtea æs grave rurſus increbuit, ita, ut ibi de majore ſumma ageretur, plauſtris convehi neceſſum eſſet, Livio teſte. Virgilius *Eclog.* I.

Nonnumquam gravis ære domum mihi dextra redibat.

F

Et alibi:

Inde domum cervice levis gravis ære redibat.

Conf. Iſidor. *l.* XVI. c. XVIII. *Orig.* Æneam Vicum *l.* I. *de Numm. Antiq.* c. XIII.

§. 26. As ab æs dictus, (unde aſſipondium & dupondius,) habuit partes minutiores. Nam ab aſſe fiunt treſſis, quadraſſis, nonuſſis & decuſſis, pro tribus, quatuor, novem & decem aſſibus: & rurſus pro binis decuſſibus, viceſſis, & triceſſis, pro

A tribus, id eſt, tricenis aſſibus & centuſſis pro denis decuſſibus: quo majus æris apud antiquos vocabulum nullum fuit. conf. Budæum *l.* I. *de Aſſe* init. & eo luculentiorem noſtrum Jonſtonum, *Polym. l.* II. §. 324.

§. 27. Iſtius autem Ritus, dandi ſcilicet ſtipem cauſam a ſuo quæritat Jano Poeta:

Dulcia cur dentur, video: ſtipis adjice cauſam:
Pars mihi de feſto ne labet ulla tuo.

Et hanc accepit, quod Antiqui libentius & avidius æs ſignatum arripuerint, quam dulcia, perinde ut poſterioribus ſæculis aurum tam avide eſt expetitum.


B

Riſit, & o quam te fallunt tua ſæcula dixit,
Qui ſtipe mel ſumpta dulcius eſſe putas;
Vix ego Saturno quenquam regnante videbam,
Cujus non animo dulcia lucra forent.
Tempore crevit amor, qui nunc eſt ſummus habendi,
Vix ultra quo jam progrediatur habet.
Pluris opes ſunt, quam priſci temporis annis,
Dum populus pauper, dum nova Roma fuit.

§. 28. Cæterum hic Nummus qua figura ſignatus fuerit, non obſcurum eſt ex Veteribus colligere. Nam uno latere navis erat, altero Janus bifrons.
C Quod Prætextatus apud Macrobium *l.* I. *Saturn.* c. VII. his delineavit verbis. *Cum (Janus) primus æra ſignaret, ſervavit & in hoc Saturni reverentiam, ut quoniam ille navi fuerat advectus ex una quidem parte ſui capitis effigies, ex altera vero navis exprimeretur, quo Saturni memoriam etiam in poſteros propagaret.* conf. Perott. *in Epigr.* I. *Martial.* Lactant. *Inſtit. div. l.* I. c. XIII. *Chron. Urſperg. p.* 8. alioſque

—— Sed cur navalis in ære
Altera ſignata eſt, altera forma biceps?
Noſcere me duplici poſſes in imagine, dixit,
Ni vetus ipſa dies extenuaſſet opus.
D *Cauſa ratis ſupereſt: Tuſcum rate venit in amnem*
Ante pererrato falcifer orbe Deus.
Hac ego Saturnum memini tellure receptum;
Cœlitibus regnis a Jove pulſus erat.
Inde diu genti manſit Saturnia nomen,
Dicta quoque eſt Latium terra latente Deo.
At bona poſteritas puppim formavit in ære,
Hoſpitis adventum teſtificata Dei.

Idem confirmat alter ille apud Athenæum locus in fragmento *l.* XV. *Dipnoſ.* Ιανὸν δὲ λόγος ἔχει διπρόσωπον γεγονέναι, τὸ μὲν ὀπίσω, τὸ δ' ἔμπροσθεν ἔχοντα πρόσωπον. Πρῶτον δὲ καὶ στέφανον εὑρεῖν, καὶ σχεδίας, καὶ πλοῖα, καὶ νόμισμα χαλκοῦν πρῶτον χαράξαι. Διὸ καὶ
E τῶν κατὰ τὴν ἑλλάδα πολλὰς πόλεις καὶ κατὰ τὴν Ἰταλίαν καὶ Σικελίαν ἐπὶ τοῦ νομίσματος ἐγχαράττειν πρόσωπον δικέφαλον, καὶ ἐκθατέρου μέρους ἢ σχεδίαν, ἢ στέφανον, ἢ πλοῖον. Scil. hic eſt iſte Johannis Sambuci nummus, quem Jani nummum interpretatus eſt Theod. Canterus *l.* II. *Variar. Lect.* c. XXIII. & Anton. Auguſtini *Dial.* I. *Antiq.* f. 5.



Huc ſpectant tres iſti Nummi trium Quæſtorum C. Fonteii, qui Janum imberbem, M. Aquilii, qui Janum Seniorem cum facie Neptuni, & M. Acilii, qui Janum Laureatum Æſculapii facie addita cuderunt, quos vide ſis cum notis & expoſitionibus apud Vin. Pigh. *Annal.l.* VIII. in *Jano Adulto* f. 76. Alium Nummum, cujus frontes ſint conjunctæ, non averſæ, Voſſ. *de Theol.Gent.l.* IX.c.XXVIII.exhibet, ſed falſo. Tales nummos plures ſub Conſulibus, Auguſto, Tiberio, aliiſque adhuc in uſu fuiſſe, inde fit probabile, quod ad tempora Hadriani Imperatoris pueri adhuc capita aut navim luſerint, denariis in altum jactis; id quod vulgo corrumpentes Sexti Aurelii ætate *luſum naviandi* dixerunt, apud Macrob. c. *l.* Marc. Donat. *Dilucid. in Suet.* p. 507. Quid? quod Victor *de Orig. Gent. Rom.* commemoret *Ærarium Saturni* ſub clivo Capitolino, in quo pecunia cuſa & aſſervata eſt; quod eum in uſum a Val. Publicola deſtinatum, Plut. *Quæſt. Rom.* c. XLII. Imo etiam circumfertur æreus nummus cum effigie Numæ Pompilii, & Anci Martii, qui ſub Conſul. C. Martii Rutilii Anno ab U. C. CCCCI. excuſus eſt: Alius Numæ a Ca Piſone Pro quæſtore cuſus.

§. 29. Quanquam igitur Plinius *l.* XXXIII. c. III. ſcribat, *Servium Regem primum æs ſignaſſe*, antea rudi ære uſos eſſe Romæ, tamen id non de ſigno Nummi Jani, ſed de pecunia poſt ita dicta intelligendum, utpote in qua nota pecudum (ſuum, ovium, boumque) ſignata erat, eo ipſo teſte: Aut ſaltem ita capiendum, quod Servius priorem ſignandi conſuetudinem rurſus introduxerit, uti Perottus arbitratur *Cornucop.* f. 58. conf. & Plut. *Quæſt. Rom.* XLI. Nec majoris fidei eſt, quod Suidas & Plutarch. in *Numa* ſcribunt, *Nummos a Numa dictos*. Quod etiam faciunt Iſidorus *Orig.* XVII. Cœl. Rhodig. *l.* x. *Lect. antiq.* c. XXI. ab eoque primum cuſos eſſe, cum antea coriaceis & oſtreaciis uſi fuerint. Nam & apud alias gentes, Lydos, Æginenſes, Athenienſes, Judæos Nummos, & in Italia ſub Jano jam tum valuiſſe, in promptu eſt. Conf. Ariſt. I. *Polit.* c. VI. Plato *de Rep.* Joſephus *l.* I. *Antiq.* & *Gen.* XLII. & XLIII. Quid quod Paulus Diacon *l.* I. *Hiſt. Miſcell.* init. ſcribat, *Saturnum primum Nummos æreos inſtituiſſe*. Accedit, quod Nummus non ſit origine Latinum, ſed Græcos a *νόμος* & *νόμισμα*, quia non natura ſed a lege eſt, id eſt, communi populorum conſenſu & ratione naturali, E. Lex quædam tacita eſt *l.* 7. *de bon.dam.* *ὄνομα ἔχει νόμισμα, ὅτι ἐ φύσει, ἀλλὰ νόμῳ ἐστί.* Ariſt. v. *Eth.* v. Feſt. Nummus ex Græco nomiſmate naſcitur. D. Jacob. Bornit. *de Numm. l.* I. c. I. p. 26. & *l.* I. c. XIV. p. 72.

§. 30 *STIPES* iſtæ *ÆNEÆ*, auctis Romanorum opibus, etiam in ARGENTEAS & AUREAS abierunt. Nam Plinio teſte *l.* XXXIII. c. III. anno ab U.C. DLXXXIV. Q. Fabio Maximo Pictore & L. Quintio Gulone Coſſ. Argentum cœpit ſignari quinque annis ante bellum Punicum: cum ſcil. magnam iſtam pecuniarum vim, quam Tullius Samnis ex latrociniis apud *Caricinos* depoſuerat, cepiſſent. Qua in re, uti cum Plinio Joh. Zonaras T. II. *Ann.* f. 48. & Abbas Urſperg. *Chron.* f. 22. & nuper Steph. Pigius *Ann. Rom. l.* VI. f 451. conveniunt, ita in calculo chronologico error deprehenditur ad minimum centum annorum. Hinc Budæus *de Aſſe l.* v. f. 150. ex Eutropio, Euſebio, Floro, & Livio Annum ab U. C. CCCCLXXIII. aut CCCCLXXXIV. reponendum eſſe conjicit, cum ante annum quadringenteſimum quinquageſimum, ſecundum & octogeſimum, ſecundum Eutropium, jam tum nummi argentei extiterint. Idem numerorum mendum Haloander jam tum obſervavit in ſuo *Coſſ. catalogo*, qui iſtos in ann. U. C. CCCCLXXXIV. conjecit. Quicquid tandem iſtius rei ſit, illud propius ad noſtrum ſcopum accedit, quod Alex. ab Alex. *l.* IV c. XV. tradit, *Servio Cœpione & Cn. Sempronio Coſſ.* id eſt, aut anno U. C. CCCCXCVII. aut D. *Argentum primum figuratum Romæ altera parte Jano bifronte, altera navis prora*. Quem certe ipſum STRENARUM JANUARIARUM nummum fuiſſe oportet. conf. Paul. Diacon. *Hiſt. Miſc. l.* II. c. XXX. Nam & Equites & Coſſ. in populum ſpargebant argentum, poſt cum Senatoribus ad Principes itabant, & Principum miniſtris aurum dabant, idque non tantum ſpectante ſenatu, ſed & per ſenatus manus: prout luculentus teſtis eſt Libanius *in ἐκφράσει καλανδῶν*.

§. 31. Hoc eſt illud *ἀργύριον*, hi iſti argentei nummi Xiphilin. *Epit. Dion. lib.* LIV. *Καὶ τοῖς γε οἱ Ῥωμαῖοι, οἱ μὲν πλεῖον, οἱ δ' ἔλαττον ἐνιαυτῷ ἐκείνῳ* [illegible] *ἐν τῇ πρώτῃ τῆς ἔτους ἡμέρᾳ ἐδίδοσαν. Tametſi cives Romani benevolentia adducti ad eum ineunte anno venerant, argentumque omnes dederant, diſpari tamen ſorte*, &c. Hæc iſta *νομίσματα* de quibus Herodianus *l.* I. c. XLIX. *Ταύτῃ τῇ ἑορτῇ Ῥωμαῖοι δεξιοῦνταί τε ἀλλήλους, καὶ προσαγορεύουσι, νομισμάτων τε ἀντιδόσεσιν εὐφραίνουσιν αὑτούς. Hoc die Romani ſe invicem colunt, ſalutant, & numiſmatum dationibus ſe exhilarant*. Hi DENARII, quos Auguſtus ſexagenos viritim dedit, ſicut eſt in Marmore III. Ancyræ, in ſuburbio apud Lipſ. *Auct.* f. XX. Talis & *κῆνσος*, quem Imperatoris vultu ſignatum Chriſto Domino obtulerunt Judæi, *Mat.* c. XXII. 17.

§. 32. Nam in eo numero *νομισμάτων* Denarii erant, cujus nota X. Quinarius, cujus nota V. Seſtertius, cujus hæc nota erat H-S. Victoriatus enim nunc tantundem valet, quantum olim Quinarius: Denarius primo aſſes decem valebat, ut olim Quinarius quinque aſſes, Seſtertius duos aſſes & ſemiſſem. Nunc denarius ſedecim, Victoriatus & Quinarius octo, Seſtertius quatuor aſſes valet (uti habent Voluſii verba *de ponderibus*) adde Jonſtonum *Polym. l.* II. c. XXIV. §. 525. & Anton. Auguſtini *Dial.* I. *Antiq.* p. 5.

§. 33. Iſtius generis fuit etiam Auguſti Nummus, cui notam ſideris Capricorni impreſſerat, quod in Capricorno conceptus iſte ſibi magnam felicitatem augurarctur. Suet. c. XCIV. & Guilh. Budæus *l.* II. *de Aſſe*, & Salmuth *de vet. Ritu Natalit.* g. IV. Qualem Adolph Occo exhibet: Ex uno latere caput Auguſti cum inſcriptione:

DIVUS AUGUSTUS PATER.

ex altero, Corona civica, intra quam hæc verba:

OB CIVES SERVATOS.

infra eam duo Capricorni globo inſidentes, ſub quo temo conſpicitur: ad latera S. C. Tales poſtea etiam Argentei Aureliani, quos Valerianus Auguſtus in literis *ad Mylvium Gallicanum P.P.* expreſſit apud Fl. Vopiſc. in *Probo* cap. IV. item Antoniniani & Philippæi minutuli apud eundem Vopiſc. in *D. Aureliano* c. IX.

§. 34. Imo cum Conſulum & Impp. ætatibus vetera quoque veterum Regum *νομίσματα* valuerint, utpote qui & ipſi ut valerent effecerunt, nullum eſt dubium, quin & iſta in STRENARUM commercio fuerint. Nam vetus illa moneta Regum, quam ipſi fecerunt, ærea fuit, non argentea: ſed quam Conſules fecerant veterum Regum

gnum nominibus impreſſis omnino argentea fuit Sic M. Ter. Varro Lucullus in ſuo Conſulatu A. U. C. DCLXXX. argenteum Romuli ſeu Quirini effici curavit, qui ab uno latere effigiem Romuli, ab altero Lupæ binos pueros lactantis ſpeciem ferebat. Quemadmodum etiam Sextus Pomp. Feſtulus anno U. C. DCCVIII. alium Romuli nummum fecit, qui ab una parte galeatum Romuli caput, ab altera Lupam cum pueris, & Fauſtulum paſtorem cum ficu Ruminali, Pico Martio inſidente repræſentaret: Numæ Pompilii argenteum Cn. Pomp. Magnus pro Coſſ. Hiſpania devicta formavit: alium Tulli Hoſtilii tertii Regis Rom. L. Marcinus Philippus Coſſ. ann. U. C. DCXCVII. cum facie Servii Tullii M. Tullius Decula anno U. C. DCLXXII. cudi fecerunt, & alii alios, aliorum ſive Regum ſive Majorum nominibus impreſſis, cum ut priſcorum temporum memoriam recolerent, tum ut ſuorum ſtemmatum origines a longinquo arceſſerent. Vid. Tab. I. *Nummorum* Caroli Ducis Croyiæ & Arſchoti, & Anton. Auguſt. *Dial.* IV. *Antiq. Rom.* f. 61.

§. 35. Cæterum tam Conſularibus, quam Imperatoriis Argenteis nummis ſua erant inſignia, ſuæ notæ. Nam Plinius docet l. VI. *H. N.* c. XXII. quomodo Rex Taprobanæ audito Plocami liberto maxime juſtitiam Romanorum exinde ſuſpexerit, quod DENARII omnes captivæ pecuniæ pares pondere eſſent, cum tamen diverſæ IMAGINES indicarent, a pluribus eos factos eſſe. Idque ſub Claudii principatu obtigit. Sic Trebellius Pollio in Victoria ſeu Victorina XXX. Tyran. *Cuſi ſunt* (inquit) *ejus nummi ærei, aurei & argentei, quorum hodieque forma extat apud Treviros.* Hinc Juvenalis Satyr. XIV.

Quum ſit cauſa mali tanti & diſcriminis hujus
Conciſum argentum in titulos, facieſque minutas.

§. 35. Conſulares, ſic dicti, quod ſub Coſſ. excuſi eſſent, una parte caput armatum & Coſſ. nomina, altera Bigas, Quadrigas, Victorias, Umbones, &c. geſſerunt. BIGATORUM præter Tacitum meminit etiam Livius *l.* XXXIII. ubi C. Cornelium in Triumpho de Inſubribus & Cœnomanis tranſvexiſſe ait, argenti BIGATI ſeptuaginta novem millia. Et rurſus *l.* XXIII. Marcellum L. Bancio Holano, qui in Cannenſi pugna ſtrenue ſe geſſerat, per Quæſtorem juſſiſſe BIGATOS D. numerari. conf. Ludov. Demontioſium in *Gallo Romæ hoſpite* p. 13. QUADRIGATORUM æque frequens mentio eſt in Livio lib. XXXII. ubi de deditis Annibali poſt Cannenſem pugnam redimendis civibus Romanis trecentis QUADRIGATIS, ſociis ducentis, ſervis centenis agit. Et paulo poſt, Venuſinos Equitibus viginti quinque QUADRIGATOS perſolviſſe tradit. Pariter VICTORIATOS etiam laudat l. XLI. quando C. Claudium pulchrum in triumpho LXXXV. millia VICTORIATORUM tuliſſe ſcribit. Cicero in Orat. *pro Fontejo* non tantum Victoriatos, ſed etiam UMBINOS nominat, eos ſcil. in quibus umbo erat impreſſus, ſcuti genus, quemadmodum etiam in aliquo Auguſti nummo SCUTUM in adverſa parte animadvertitur; Talem UMBINUM argenteum Marc. Donatus poſſedit, ut ipſe ſcribit *Dilucid. in Sueton.* p. 505. VICTORIÆ moneta citra dubium fuit & illa Odenati, qua Perſas captos trahere viſus eſt, apud Treb. Pollion. in *duobus Gallienis* c. XII.

Qui mos a Romanis ad Germanos etiam demigravit, Tacito teſte *de Mor. Germ.* c. V. *Aurum & argentum in pretio habent, formaſque quaſdam noſtræ pecuniæ agnoſcunt, atque eligunt: pecuniam probant veterem & diu notam SERRATOS BIGATOSQUE.* Bigatos ut ab icone impreſſa, ſic SERRATOS a margine dentato ſeu aſpero in ſerræ modum formato appellari contra Rhenanum, Willichiumque frequens eruditorum conſenſus dudum evicit. vide Clar. meum Kirchmajerum *Comm. in Tac.* p. 97.

§. 37. Imperatorii autem Argentei, Impp. etiam iconas, capita, nomina, victorias, multaſque figuras prætulerunt, Deitates ſcilicet, quas Gentilitas illa in infinitum fere coluit, videlicet, Pietatem, Juſtitiam, Concordiam, Salutem, Æquitatem, Conſtantiam, Felicitatem publicam, Auguſtam, Secularem, Temporis, Fidei ſimulachrum, Fortunæ, Honoris, Virtutis, Libertatis, Deæ Monetæ, Pacis, Prudentiæ, Securitatis, Spei, Annonæ, Cereris, Mercurii, Junonis Soſpitæ, Dei Termini, Vejovis, Floræ, Saturni, Herculis, Veſtæ, Caſtoris, Pollucis, Quirini, Cybeles, Dei boni eventus. Adhæc varia inſtrumenta antiqua, Pateram, Lituum, Ancylia, Sacrificia, Templa ædificata, Inſignia militaria, Ludos ſeculares, Circenſes, Ducum & Exercituum juramenta, cohortium Alloquutiones, Decurſiones militum, Congiaria: item Prætorianorum Caſtrum, prætorium, coronas civicas, obſidionales, triumphales, murales, roſtratas, currus triumphales cum equis, elephantis, centauris, mulabus. Provincias varias ſubactas, ſpolia, trophæa, equeſtres ſtatuas, colonias, flumina, pyramides, amphitheatra, portus, aquæductus, ſepulchra, pontes, vias, pugnas navales, lectiſternia, tripodes, venationes, & alia permulta, quæ heic recenſere nimis longum foret & tædioſum. Inſpici poſſunt ſcripta Antonii Auguſtini, Æneæ Vici, Conſtantini Landi, Sebaſtiani Erizzi, Adolphi Occonis, Leonth. Bortii, Ful. Urſini, Marquardi Freheri, Joh. Mattheſii, Lazii *de Rep. Rom.* Caſp. Waſeri & Camerarii, aliorumque, qui *de Re Nummaria* præceperunt, imprimis autem Caſp. Gevartii, ſeu Hemmelarii opus *Numiſmatis Caroli Ducis Arſchotani* Antvverp. anno MDCLIV. editum.

§. 38. Quicunque itaque Argentei Nummi Romæ in commercio vitæ & negotiationibus fuere, illos etiam STRENIS adhibitos probabile eſt. Nam & Suet. docet, quod Auguſtus diebus feſtis & ſolennibus modo MUNERA diviſerit, veſtem & aurum & argentum, modo nummos omnis notæ, etiam veteres regios ac peregrinos. In iſtorum ergo cenſu ponere licet etiam Oſcenſe argentum, cujus millia CCCCXXXVIII. pondo in ærarium Helvius triumphans dicitur intuliſſe, apud Livium: Illyricum argentum, cujus idem Liv. l. XLV. in triumpho L. Ancii meminit, & quod non? Romani enim victos pop. cum omnibus aliis rebus pretioſis, tum imprimis argento, (ut ſic loquar) defloraverunt, &, quod miratur etiam Plinius, tributum impoſuerunt: *Præter alia miror*, inquit, *P. R. victis gentibus in argento ſemper tributum imperaſſe non auro, ſicuti Carthagini cum Annibale victæ argenti pondo annua in annos quinquaginta, nihil auri.* Ita & Liv. l. XXXVIII. docet, quod Antiochus *argenti probi Attica talenta* XII. *millia intra duodecim annos penſionibus æquis; & quod Ætoli Euboica talenta quingenta dederint,* ex quibus CC. præſentio, CCC. per annos ſex penſionibus æquis. Quod vero iſta talenta fuerint, ſequentia oſtendunt. Mutatum pro argento ſi aurum dare mallent, darent, convenit, dum pro argenteis decem aureus unus valeret. conf. omnino Lipſ. *de Magnit. Rom.* l. II. c. VIII.

§. 39. Atque hæc hactenus de *Argenteis*; ſequuntur AUREÆ STRENÆ, quæ cum uſu Aureæ monetæ Romæ anno LXII. poſt percuſſum nummum argenteum, ſi Plin. credimus l. XXXIII. c. III. invaluerunt.

Æra dabant olim: melius nunc omen in AURO eſt,
Victaque conceſſit priſca moneta novæ:
Nos quoque templa juvant, quamvis antiqua probemus,
AUREA: majeſtas convenit iſta Deo.
Laudamus veteres: ſed noſtris utimur annis,
Mos tamen eſt æque dignus uterque coli.

Uterque, inquam, mos tam in ære, quam in AURO dandi STRENAM, ille pro tenuioribus, hic pro opulentioribus. De his audio perorantem Libanium in ἐκφράσει καλανδῶν: Equites pergunt ad Magiſtra-

tus, *διδόντες τοῖς τῶν ἀρχόντων ὑπηρέταις χρυσοῦν*, *dantes eorum ministris & accensis nummos aureos*. De his accipio locum Suetonii in *Augusto* c. LVII. quod *omnes ordines in Lacum Curtii quotannis ex voto pro salute ejus STIPEM jecerint*: Et vicissim alium apud Dion. lib. LV. quod ad restaurandum palatium singuli STIPEM contulerint, cives *χρυσοῦν* seu *aureum*, privati *δραχμὴν* seu *denarium*. Verba ipsa, sed Latine, adjiciam, quia & mensuram Aurei, & genus monetæ exprimunt. *Palatio incendio absumto, cum ipsi multi multa offerrent, nihil accepit præter AUREUM a singulis populis, & privatis DENARIUM*. AUREUM appello more Romano, genus monetæ, quinque & viginti denarios continens, eundem & Græci quidam, quorum libros *ἐπὶ τῷ Ἀττικίζειν* legimus, *χρυσοῦν* appellant. Sic etiam Dion alibi de Domitiano loquens ait: *Cum militibus septuagenæ quinæ drachmæ solverentur, centenas dari jussit*, id est, cum tribus aureis stipendium esset, quartum addidit, adeoque unum aureum XXV. drachmis constitisse oportet.

§.40. Hinc Guilh. Blancus, cum dictio Græca esset Latine exprimenda, Drachmas in aureos Romanos resolvit. Sic *διακοσίας* istas *δραχμάς*, quas M. Antonius Philos populo elargitus est in cœnam, reddidit, OCTO AUREOS: In Xiphil. *M. Antonio* f.372. & *πέντε καὶ εἴκοσι μυριάδας δραχμῶν* Latine expressit *aureorum decem millia*, ut ipse *Ep. Nuncup.* præmonuerat ad Xiphilin. Epit. Ex eadem computatione Commodi *δραχμαὶ ἑκατὸν καὶ τεσσεράκοντα* sunt quinque aurei & quindecim denarii, quos viritim populo divisit. Qui AUREI adeo in usu esse cœperant, ut Commodus etiam unicuique Senatorum & uxorum, & filiorum imperarit natali die sibi offerri *δύο χρυσοῦς*, eod. Xiphilino teste in *Comm.* Imo etiam longe post ea tempora sub Chilperico Francor. Rege leguntur AUREI singularum librarum pondere missi a Tiberio Constantino Imper. ad Chilpericum, qui ab una parte habebant *Iconem Imperatoris*, & scriptum in Circulo *Tiberii Constantini Perpetui Augusti*: ab altera autem parte habebant QUADRIGAM & ASCENSOREM, continebantque scriptum: GLORIA ROMANORUM, apud Gregor. Turonens. lib VI. *H. Franc.* f. 654. & Paul. Warnefrid. lib. III. *de Gestis Longob.* cap.XIII.

§.41. Ea ergo AURI ROMANI mensura erat, quam Dio & Xiphilinus definiverunt, XXV. *scil. Denariorum seu Drachmarum*. An autem Drachma Græca tantundem cum Denario valuerit, quod Budæus vult, an minus Denario, quod F. H. & Marc. Don. placet, in medio relinquimus. Istud saltem prioribus adjicimus, quod unus Aureus centum nummos seu asses librales expenderit. Idque conficimus ex Tacito cum Plut. & Suet collato. Suetonius in *M.Salvio Othone* c. IV. *Quoties*, inquit, *cœna principem accipiebat, aureos excubanti cohorti viritim dividebat*. Id Plutarchus in *Galba* totidem fere verbis tradit, *χρυσοῦς ἑκάστῳ διανέμων*. Tacitus vero loco unius AURI CENTENOS nummos viritim datos scribit, ita, ut satis constet, aureum centum nummos seu asses librales expendi solitum. Id quod & Budæo probatur l.II.*de Asse*, it.l.III. ait, mille asses valuisse aureos decem, & per consequens, unum aureum centum asses.

§. 42. Cæterum ut primo tempore Aurum Romæ rarum, ita post omnium copiosissimum ibi erat. Nam varias Auri sive species sive denominationes observare licet. Pusulatum seu Pastillatum, Cineraceum, Obryzatum, Copelatum, Vicesimarium, Coronarium, Lustrale, Glebale, Electrum, Tolosanum, Judaicum, Hispanicum, &c. omnes fere Historicorum paginas opplent, vide sis Marc. Don. *Dilucid. in Suet.* cap.XLIX.

§. 43. In tanta auri copia, magna quoque Aureorum frequentia fuit. Augusti, Tiberii, Claudii, Neronis, Galbæ, Vespasiani, Nervæ, Adriani, Aurelii, Severi, Antonini quatuordecim aurea Numismata ordine recenset, & quoad titulos, iconas ac pondera descripsit Guilh. Budæus Paris. Secret. Reg. *de Asse l* III. *f.* 58. Numisma Census, quem Pharisæi Christo exhibuerant, creditur Tiberii fuisse, cum inscriptione *Ti. Cæs. Augusti Imperatoris* in una; in altera parte, *Pontifex Maximus*, vel aliud quippiam elogii, & forte *Diana Ephesia*, cujus D. Lucas meminit *Act.*XIX. Julianus Imp. cum assiduis taurorum sacrificiis sese jactaret, aram & taurum suis nummis imprimi jussit. Niceph. *lib.* X. *c.* XXVII. Constantini Magni nomismata quem fugiunt, quæ signum crucis in testimonium fidei gerunt? Alii adhuc cernuntur cum inscriptione, IHS. XPS. REX REGNANTIUM IHS. XPS. IMMANUEL. JESUS CHRISTUS ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΒΑΣΙΛΕΩΝ, vid. Jac Bornit. *de Numm.* lib. I.c.VIII.

§. 44. His addendi sunt Aurei Darici a Dario Persa percussi ex purissimo auro signo Sagittarii impresso, ex Plutarcho in *Artaxerxe* & Xenoph.l.V. *Pæd. Cyr.* & Aryandici, ab Aryande, quem Cambyses Ægypto præfecerat, & Darius ideo capite plexerat, quod suam imaginem impresserat, Herod. l.IV. *Melpomen.* Aurei Philippæi & Alexandræi, ab insculpta Patris & Filii imagine. Illorum meminit Liv. in triumpho Quinctii *l.*XXXIV. Horum in triumpho Scipionis Asiatici *l.* XXXVII. Imo & Plautus in *Bacchid.* novit, Act.IV. Sc. VIII.

Ducentos nummos aureos Philippæos probos
Dabin?

Et Horatius l. II. *ep.*I.

Rettulit acceptos regale Numisma Philippos.

Horum (credo) imitatione postmodum etiam cœperunt SALIANI & VALERIANI aurei nominari *Philippæi* ex Treb. Pollionis autoritate in *D.Claudio* c.ult. Nam in *Epistola Valeriani* scriptum est: *Philippæos nostri vultus annuos* CL. His similes Antoniniani & Aureliani apud Vopiscum in *Probo* c. IV. Pariter Nummi aurei effigiati in vultum novi Principis allegantur ab Amm. Marcel.p.616.& Victorinæ Nummi Aurei, qui apud Treviros habeantur, recitat Treb. Pollio in XXX. *Tyr.Victoria*. Sic Gallienus Matronas ad Consulatum suum rogavit, iisdemque manum sibi osculantibus quaternos aureos sui nominis dedit. Pollio in *duobus Gallien.* CXVI. Flav. Vopiscus in *D. Aureliano*: *Ipsi autem ad sumtus Antoninianos diurnos binos, argenteos Philippæos minutos quinquagenos decernas*. Et mox: *Dabis ad editionem Circensium Aureos Antoninianos trecentos, argenteos Philippæos tria millia, in ære H-S.quinquagies.* Et in *Probo*: *Huic dari jubebis aureos Antoninianos centum, argenteos Aurelianos mille, & æreos Philippæos decem millia.*

§. 45. Electreos quoque nummos sive jucunditatis sive necessitatis causa habebant. Locus est in Lampridii *Alex. Severo*: *Alexand i habitu nummos plurimos figuravit, & quidem electros aliquantos, sed plurimos aureos*, c. XXV. Hos ad examen jam dudum vocavit Marcellus Donatus *Dilucid.in Sueton.* c.XLIV. Nam auri quoddam genus non adeo coctum aut purum electrum appellatum esse asseverat ex Plin.*l.*XXXIII. *c.* IV. quod in eo auro quinta argenti portio inesset, quod modo naturale esse, modo cura effici ait, & si quintam argenti portionem excedat, incudibus non resistere tradit. Ex miscella enim argenti auri fulvus color aliquantulum pallescit, & colorem adipiscitur, qualem in Ambra, quod Electrum etiam appellari observatur, cujus gummi, electri, inquam, copia maxima ex Septentrionalibus imprimis Balthici maris partibus in varias species animalium aliarumque rerum efformatum afferri videmus, conf. Panciroll. *Deperdit.* & *in eum* Salmuth. pag. 232. §.42. & Bornitius *de Numm.* lib.I.cap.III.p 47.

§. 46. Atque hoc quidem Muneris STRENARUM in auro signato fuit: Mirum si non in facto & cælato auro eædem fuissent datæ. Certum enim est aurum factum a signato distinguendum esse: illud vocant, quod in certam formam ponderisque monetarii mensuram est redactum, ut ceu nummus aureus & moneta valeat. Hoc vero est elaboratum, cælatum & affabre factum, quod in poculis, paropsidibus, simulachris, vasis, trullis & pelvibus exhibitum est. Apud Paulum certe Octavenus ait: *Infectæ materiæ pondus, signatæ numerum, factæ autem speciem dici oportet*. Idem etiam Seneca l.1.*de Benef.* intendit, quando inquit: *Libentius dabo argentum factum, quam signatum*. Et Liv. lib. XXXIV. *Cautum erat, quo ne plus auri & argenti Facti, quo ne plus Signati argenti ac æris domi haberemus*. Quod & apud ICtos observatum legimus & præcipue de *Auro & Argento legato ff.l.19.* ubi argento facto legato, Q. Mutius inquit contineri paropsides, acetabula, trullas, pelves, & similia: Similia, inquam, ut alia vascula, ex quacunque demum materia confecta, eodem ambitu complectar, vasa scilicet vinaria, nivalia, promulsidaria, escaria, cocinatoria, ut cacabos, miliaria, sartagines, aquinimaria, unguentaria, commagena glaucina, Crina S. Cyprina, Costum: item ὀζυλάβια seu τρυβλία, candelabra, specula, sigilla, aliamque supellectilem argenteam, aureamve, lances, emblemata, lucernas, &c. ex l. 19. *ff. de auro Arg.mundo*.

§. 47. Ut ut igitur signatum Aurum saltem nummos respiciat, signa tamen etiam Statuas, emblemata & quævis alia cælata, sculptilia, ac fusilia opera ad similitudinem animalium, florum, fructuum fabricata ἀγάλματα significare indubium est: sicut vice versa Tabulæ pictorum opera sunt. Unde Cicero *de Orat. signa & tabulas palam* collocare dixit, id est, cælata & picta opera; siquidem Antiqui in tabulis pingebant: Tabulæ igitur picturæ sunt, signa sunt statuæ. Unde Salust. *Signa & tabulas pictas, vasa cælata mirari, ea privatim & publice rapere, delubra spoliare*. Hinc etiam pocula dicuntur *aspera signis* seu sigillata, id est, signis decorata & ornata Virgilius *Æneid.*IX.

Bina dabo argento perfecta atque aspera signis
Pocula ———

Quinimo sigillum etiam & sigillatum accipi pro cælatis operibus ex Cicer. *in Verr.* videre licet: *apposuit patellam, in qua signa erant egregia*. Et iterum: *Sigillis avulsis reliquum argentum reddidit*. Et vicissim: *Tabulæ in quibus sigilla perscripta erant*. Et denuo: *Jubet me scyphos sigillatos ad prætorem offerre:*

§. 48. Ab istis itaque signis sive Sigillatis operibus, munera quoque ipsa sigillaria, & quo ferebantur, sigillariorum festum fuisse appellata, facile inducor, ut credam. Erat enim Sigillariorum celebritas Saturnalibus adjuncta, ut in dies produceretur Saturni lætitia, teste Macrob. *lib.* I.*c.*X. Cum enim Pelagi non amplius viventium, sed fictilia saltem capita in Tiberim projicere cœpissent, & φωτὸς æstimatione non solum aliquem (hominem) sed etiam lumen significari cognovissent, Saturno cereos accendere, & in sacellum Ditis ara Saturni cohærens oscilla quædam pro suis capitibus inferre. Ex illo tractus mos est, ut cerei Saturnalibus missitarentur, & sigilla arte fictili fingerentur, ac venalia pararentur, quæ homines pro se & suis piaculum Saturno facerent. Hinc Spartanus in *Anton. Caracalla* scribit, quod Geta puer dona sigillariorum gratia a parentibus acceperit (quæ vel Clientibus vel Magistris sponte donaverit.) Item in *Hadriano c.*XVI. scribit: *Saturnalicia & sigillaricia frequenter amicis inopinantibus misit, & ipse ab his libenter accepit, & alia invicem dedit*. Conf. Senecam *lib.*I. *Ep.*I.

§. 49. Erat enim Romæ (ut hoc etiam ὡς ἐν παρόδῳ addam) vicus celeber, in quo vasa, signa, imagunculæ & alia hujusmodi æris, argenti, auri, fabrefacta venum exponebantur. Id quod Gellius docet l. II. *Noct. Att.*c. III. & iterum l.V.c.IV. *Apud Sigillaria forte in libraria ego & Julius Paulus Poeta considebamus*. Eodem sensu accipio illum ex Sueton. *Nerone* locum c. XXVIII. *Puerum, Sporum, Augustarum ornamentis excultum lecticaque vectum, & circa conventus mercatusque Græciæ, ad mox Romæ circa SIGILLARIA comitatus est*. Et alterum illum ex Suet *Claudio* c.XVI. *Essedum argenteum sumptuose fabricatum ac venale ad SIGILLARIA redimi, concidique coram imperavit*. Ita etiam l.penult.§. *paterfam.D.de legat.tertio* scribit Scævola: *Paterfamilias ita legavit: Lances numero duos leves, quas de sigillaribus emendari volo. Is de Sigillaribus quidem leves non emerat*. Ad quæ doctissimus Alexander ab Alex. *l.*III.*c.*III. *per sigillaria*, inquit, *intelligendus est locus seu vicus superius dictus*.

§. 50. Quod si quis, occasione horum, dixerit, quod si talia in Saturnalibus exhibita sint, potuisse etiam in STRENIS offerri, me sane non habebit repugnantem, imprimis cum Tranquillus noster in *Augusto* tradat, eum festos & sollennes dies (in quorum numero citra dubium etiam ponendæ sunt Kalendæ Januariæ) profusissime, nonnunquam joculariter tantum celebravisse Saturnalibus, & (NB.) si quando alias libuisset, modo munera divisisse, vestem & aurum & argentum, modo nummos omnis notæ, etiam veteres regios ac peregrinos: interdum nihil præter cilicia & spongias, & rutabula & forcipes, atque alia id genus titulis obscuris & ambiguis. Si cui tamen Strenarum honori ista sigillariorum munera non convenire contenderit, eo quod nullo corroboratum videat testimonio, eum suo sensu abundare concedimus.

§. 51. Istud tamen vicissim nostro quodam jure obtinere nobis posse videmur, quod aurum factum in commercium Strenarum venerit. Nam auratæ pateræ nonne facti auri titulo veniunt? At auratas pateras Strenæ loco esse oblatas, docere nos potest Symmachus lib. X. *Ep.* XXXV. qui suo & Senatus nomine Theodosio & Arcadio obtulit: *Sumite*, inquit, *defensores publicæ salutis solenniter auro ducta munuscula: non quia divitis metalli honore gaudetis, sed ut nostra devotio felicis sæculi testetur opulentiam. Bonis Principibus bene parta libamus: Suscipite a judicibus aperta obsequia, qui pretia occulta damnatis. Merito vobis SOLENNES PATERAS, cum quinis SOLIDIS, ut Numinibus integritatis offerimus: quibus nec vester pudor nec noster census oneratur*.

§. 52. Devenimus nunc ad Augustam istam Strenam, quam Divi Impp. Arcad. & Honor. in una libra auri & solidis obryzatis sibi offerri voluerunt, *L. Un. C. de Oblat. Votor. Quando*, inquiunt, *votis communibus, felix annus aperitur in una libra auri & solidis obryzatis Principibus offerendi devotionem animo libenti suscipimus, statuentes, ut deinceps seqq. annis uniuscujusque sedulitas Principibus suis talia inferat semper & deferat*.

§. 53. Quæ alioquin hanc Constitut. illustrant a tempore, loco & personis ea omnia accuratissime Dn. D. Joh. Strauchius, D. Casparus Zieglerus, & Dn. Fritschius in suis *Kal. Januariis & Comm. de obl. vot.* tradiderunt. Nobis hac vice sufficit, unam libram auri & solidos obryzatos definire.

§. 54. Libra igitur auri seu Marca quam vocant, XII. unciis constat. Ante Constantinum ex una uncia auri modo tres, modo quatuor, atque sic ex una libra modo XXXVI. modo XLVIII. solidi fuere confecti. Ætate vero ipsius Constantini LXXXIV. aurei unam libram confecere, ut ex *lib.* I. *C. Theodos. de ponderat.* evidens fit. *Si quis solidos auri cocti appendere voluerit, septem solidos QUATER-*

NORUM *scrupulorum appendat pro singulis unciis*, A *quatuordecim pro duabus*, &c. Una uncia dat VII. solidos, Ergo XII. unciæ dant LXXXIV. solidos.

Post Constantinum Valentinianus ad graviores Aureos rediit, statuens ut LXXII. pro qualibet auri libra conflarentur, *l.* 13. *C. de suscept.* qui ipsi etiam temporibus Honorii Libram confecerunt. Hinc *l. Unic. C.Th. de obl. votor. solidi septuaginta duo obryziaci* expresse numerantur, & cum una Libra auri æquiparantur. Idem etiam Valentin. & Valens AA. ad Germanianum Com. S. A. scripserunt *lib.* 13. *C. Theod. de suscept. Illud cautionis adjicimus, ut quotiescunque certa summa Solidorum pro tituli qualitate & AURI MASSA transmittitur*, B *in SEPTUAGINTA DUOS SOLIDOS Libra feratur accepto.* conf *l.* 5. *C. de suscept. præpos. & Arcar.*

§. 55. Atque hoc modo sanctissimi Impp. Quantitatem STRENÆ, quam sibi offerri voluere, definivissent in una Marca auri, id est, in LXXII. aureis, non eo sensu, quasi infra eam summam non liceret alicui præprimis tenuiori senatori aut Consulari offerre, sed quod supra aut ultra eam non liceret.

§. 56. An autem libra ista intelligatur Numeralis seu Nummaria, an vero Ponderalis, quæ ad rationem duodecim Unciarum fuerit appensa, in dividias abitur. Nam Didac. Covar. *Tract. de Coll. vet. Num.* IV. & Dn. Fritschius stant pro ponderali: C Contra Ant. Perez. *c.* XII. *tit.* 49. *n.* 4. pro Nummaria certat, eumque in finem Cujacium & Amaya allegat, quod una libra auri debuerit offerri non in massa, sed in septuaginta duobus solidis auri obryziati, id est, puri & probe decocti. Et hæc posterior textui propior & veritati est sententia.

§. 57. Utut enim alioquin in Auri illatione, quod genus tributi erat, cum Solidi, tum massa obryzæ potuerint offerri, propriaque Lege cautum sit a Valentin. & Val. ne massa obryzæ repudietur fastidiose. *Nulla debet esse causatio, quin solidi ex quocunque titulo congregati in massam obryzæ soliditatemque* D *redintegrentur.* Et post pauca: *omnium debitum completur in massam.* Idem quoque ante Constantinus ad Eufraxium scripserat: *Aurumque infertur a collatoribus, si quis vel solidos voluerit, vel materiam appendere, æqua lance & libramentis paribus suscipiatur*, *l.* 1 *Cod. de Ponderat.* Tamen in præsenti Constitutione Imperatoria tale quid definitum non est, eaque de causa nec a nobis definietur.

§. 58. Cæteroquin ponderationes justas, & vulgo & in solennibus etiam oblationibus usitatas fuisse, dubium non est. De Decennalibus Imperii testis est Symmachus *ep.* XXXIII. *lib.* X. *Mille sexcentas auri libras Decennalibus Imperii tui fastis devotus ordo promisit Urbanis Ponderibus conferendas, id est, trutinæ largioris examine.* E Istius autem fidem facit, cum quod justa descripta est trutina, *l.* 1. *de Ponderat.* tum quod Zygostates per singulas civitates constitutus, *C.Th. l.* 2. *de Ponderat.* & *l.* 2. *C. de Pond. & Auri illatione.* Juvat audire Cassiodori *Formulam*, quæ multa hujus rei continet: *Omnis quidem utilitas, publica fideli debet actione compleri: quia totum vitiosum, ubi conscientiæ puritas non habetur: tamen omnino monetæ debet integritas quæri, ubi & vultus noster imprimitur, & generalis utilitas invenitur. Quidnam erit tutum, si in nostra peccetur effigie? Et* F *quam subjectus corde venerari debet, manu sacrilega violare festinet?* Additur, *quod venalitas cuncta dissolvitur, si victualia metalla vitiantur: quando necesse est respui, quod in mercimoniis corruptum videtur offerri. Quis ergo patiatur, unius esse commodum, dispendia scelesta cunctorum, ut detestabile vitium venire possit ad pretium? Sit mundum, quod ad formam nostræ Serenitatis adducitur. Claritas regia nil admittit infectum. Nam si vultus cujuslibet sincero colore depingitur, multo justius metallorum puritate principalis gratia custoditur. AURI FLAMMA NULLA INJURIA PERMIXTIONIS ALBESCAT, ARGENTI COLOR GRATIA CANDORIS ARRIDEAT, ÆRIS RUBOR IN NATIVA QUALITATE PERMANEAT. Pondus quia etiam constitutum denariis præcipimus debere servari, qui olim tam penso quam numero vendebantur; unde verborum vocabula competenter ab origine trahens, compendium & dispendium pulchre vocitavit Antiquitas. Pecunia enim a pecudis tergo nominatur. Gallis auctoribus sine aliquo adhuc signo ad metalla translata est. Quam non sinimus fæculenta permixtione fieri contemptibilem, ne iterum in antiquam cognoscatur redire vilitatem*, &c.

§. 59. Libram declaravimus paululum; Quid autem SOLIDI? Quid OBRYZIATI? SOLIDUS, aureus nummus sic dicebatur, quod solidus, id est, integer, ὁλομελὴς seu ὁλόκληρος & perfectus, justo pondere, solido auro, & perfecto valore esset, ita ut nihil ei deesset. Solidum enim Antiqui integrum dicebant. Alio nomine apud Latinos *Sextula* dictus est, per fidem Isidori, *ideo quod bis sex uncia compleretur*. Et apud Fannium legimus: *Sextula quæ fertur, nam sex bis uncia constat*. Solidus itaque & aureus apud Antiquos fuere Synonyma, sicut Denarius Rom. cum Græcorum drachma etiam conveniebant: & aureus apud posteriores scriptores Græcos generali appellatione νόμισμα dictus, sicuti Latinis Numisma, quod in *Novell.* Justiniani & aliorum Orientalium *Constitut.* atque apud Theophilum, Harmenopolum, Nicephorum, Zonaram, Cedrenum passim observatur. Idque etiam rei nummariæ scriptores, Budæus, Agricola Glareanus, Volusius Metianus, Covarruvias unanimiter accepere. Hodie Solidum omnes pro aureo Hungarico capiunt.

§. 60. Ex Libræ ergo dimensione Solidorum etiam pondus & valor æstimantur. Antiqui Solidi (aurei) binas drachmas pendebant, hoc est, senos scrupulos, & quaterni in uncias signabantur; sic ex Libra Romana duo de quinquaginta fiebant, hoc est, ex XII. unciis. Quod Budæus l. V. *de Asse* f. 154. potissimum de antiquis istis aureis, quos expenderat, intelligit, conf. f. 58. & 59. Postmodum pondus formarum imminutum esse ex ante adductis Isidori *verbis* colligit, quod Sextula fuerit dictus quod sex solidis una Uncia compleretur: item quod Pomponius docuerit, Nomismatum aureorum & argenteorum veterum, quibus pro gemmis uti solent, usufructus legari posse; immutata enim forma percutiendi nummi, qui veteres nummi extabant, non nummi vice, sed gemmarum & rerum in deliciis habitarum censebantur, atque hac ratione sex Solidi in XII. uncias ducti pariunt LXXII. solidos unius libræ, quod cum dicta Honorii *Constitutione* prorsus coincidit.

§. 61. Ab hac tamen quantitate deviat Hincmarus lib. *de Vita & Actib. B. Remigii*; utpote qui solidum in XL. denarios resolvit: Et Aventinus, qui *l.* III. edictum Carolomanni promulgat, in quo partem Ecclesiasticæ pecuniæ, nempe XII. Denarios, quem *solidum vocamus* (habent verba) *sibi tribui vult, quo præmia digna laboribus militibus solvantur.* Sed tamen Solidos Theodosianos aut Honorianos non infringunt. Quemadmodum nec Alexandri Severi institutum SOLIDORUM pondus intervertit, quod semisses aureorum tremisses, & tandem etiam quartarios aureorum (nam minus non poterat) excudi curavit, teste Lampridio in *ejus Vita*, cap. XXXIX.

§. 62. Veruntamen cujuslibet monetæ tria sunt requisita, 1. *legitimum pondus*, 2. *proba species*, & 3. *forma publica*, uti aperte docet *l.* 1. *C. de vet. Numism. potestate*: Consentiente Isidoro qui *metallum*, *figuram & pondus* postulat. Itaque cum στάθμον SOLI-

DORUM dederimus, dabimus etiam *τύπον βασιλέως*.

§. 63. Nam omnes Solidi veterum *Principum veneratione formati* erant, *l.* 1. *de vet. Num. potestate*, *&* *æternales vultus Principum* habebant *l.* 3. *t. eod.* Iterum Constantinus *C. Th. l.* 9. *tit.* 22. *Omnes solidi, in quibus nostri vultus ac veneratio una est uno pretio æstimandi sunt, & vendendi, quamquam diversa formæ mensura sit. Nec etiam qui majore habitu faciei extenditur, majoris est pretii, aut qui angustiore expressione concluditur, minoris habere credendus est, dum pondus idem existat. Pœnam patietur, qui mensuram Circuli exterioris arroserit, ut ponderis minuat quantitatem, vel figuratum solidum adultera imitatione in vendendo subjecerit.* Et vicissim *l*, 1. *de Ponderat. & auri illat. Si quis solidos appendere voluerit, septem solidos quaternorum scrupulorum nostris vultibus figuratos appendat.* Cujus rei documenta etiam exhibet Cassiodorus *l.* VII. *Variar.* XXXII. & *l.* VI. *c.* VII. *Hanc liberalitatem nostram alio decoras obsequio, ut figura vultus nostri metallis usualibus imprimatur.* Ita ut ignominiæ loco sit habitum, Imperatoris figuram solidis non imprimere, sicut in Philippico Bardane notavit Paulus Warnefrid. l. VI. *de Gest. Longob.* c. XXXIV. Et Romani Impp. hoc *ἀξίωμα* sibi solis reservabant, Aureis nummis sua nomina & *ἀγάλματα* imprimere, ut aliis id sive Principibus sive Regibus non concederent. *Persarum Regibus fas erat argentea numismata suo figurare capite, sed aurea fas non erat. Quamprimum autem Majestas Imperii paulatim imminui cœpit, Franci quoque Reges suis Aureis non Romanorum (ut cæteri populi solebant) sed suorum Regum icones Arelati impresserunt, & monetæ aureæ cudendæ licentiam inter reservata Regiæ Majestatis posuere*, teste Procopio l. III. *de Bello Goth.* sic in Alcuini Ep. adducuntur *armillæ auri Obryzi* pensantes XXIV. *denarios minus*, de nova moneta Regis (Caroli scilicet Magni) quam *Libram* plenam. *Helena Constantini mater simulatque renunciata fuit Augusta, nummos aureos sub effigie sua cudi jussit*, Zonar. *l.* III. & Impp. Romani vetuere, ne privati cujusdam effigies auro sculperetur. Niceph. *l.* VIII. *c.* III. Ob eam causam Commodus in Perennium, & Darius in Aryandem sæviit. Herod. in *Melpom.* Hinc Frid. Oenobarb. *ad Ligur.* lib. III.

Rege figuratam Regis patet esse monetam,
Cæsaris & Domino sub Cæsare fulget imago.

Ita & Vespasianus ad imperii Majestatem signandam aurum & argentum sua effigie signavit, Tacitus lib. II. *Hist.*

§. 64. *Εἶδος καλὸν* restat, quod & *Metallum* solent appellare, id est, *materiam*, ex qua conficitur; Ea, ut dicta insinuant, Aurum est, ita ut cum Aureo Solidus, & Obryza cum Aureo reciprocentur passim. An autem alioquin etiam SOLIDI ex argento fuerint cusi, assertio visa est Barthiano ingenio digna. Is enim lib. XI. *Advers.* c. XX. tales Solidos argenteos visus est cudere: qui sextam partem unciæ, id est, sextam partem nostratis Taleri expendant. Sed id Ampl. STRAUCHIUS neque cras neque hodie credere potest in *K. J.* & VI. *ad Just. Decis.* Ego invenio SOLIDOS non ex argento factos, sed argento oppositos Honorii ætate. Arcad. enim & Honor. AA. Eutichiano P. P. scribunt, ut pro argenti summa, quam quis thesauris fuerat illaturus, inferendi AURI accipiat facultatem, ita ut pro singulis LIBRIS ARGENTI, QUINOS SOLIDOS inferat, *L. un. C. Th. de Argenti pretio quod Thes. inf.*

§. 65. Ex hac præsuppositione facilius expeditur quæstio, quinam SOLIDI *obryzati*, seu *obryziati*, seu *obryziaci* sint? Utrinque enim in concesso est, *Solidos ex puro puto auro, ex optimo auro, ex defæcatissimo auro*, significari: Cæterum quæ vis vocis sit, & unde ejus cunabula quærenda, nec dicere audeo, si possem, nec possum, si vel maxime auderem, eo quod Gygantum prælia componere satius sit, quam tot Criticorum principum divortia conciliare, quorum alii ex *Oriente*, alii ex *Græcia*, alii ex *Latio*, alii denique ex *Germania* diducere, Obryzam attentant.

§. 66. Ex *Oriente* diducunt, qui *Obryzam & Obryzatum* aurum quasi *Ophiriticum* vocant, eo quod ex *Ophir Salomonis* allatum omnium optimum fuerit: cujus sententiæ Patronum Danæus, Villalpandus, Beroaldus, Pererius, Delrio aliique faciunt Hieronymum. Verumtamen *μετὰ πολλῆς συγγνώμης* Hieronymo injuriam faciunt. Nam is Comment. *in Jer.* c. X. super illa verba *aurum de Ophen* sic scribit: *Septem nominibus apud Ebræos appellatur, quorum uno Ophaz dicitur, quod nos dicere possumus Obryzum. Aurum Ophaz* (a loco sic dictum) *quod erat purissimum*, dicit se posse (juxta stylum Latinæ linguæ) obryzum dicere, non dicit, quod aurum obryzum sit aurum Ophir, nec quod sit aurum Ophaz, sed quod saltem ob puritatem obryzum possit appellari. Ea ergo Synonymica appellatio, non grammatica derivatio. Quid? quod auri obryzi in Jobo fiat mentio a Vulgata, qui tamen aurum ex Ophir tantum abest, ut habuerit, ut ne noverit suo tempore.

§. 67. In *Græcia Obryzæ* incunabula sollicitant ex Phocione quodam Etymol. Magn. & Scholiaste Thucydidis *l.* 1. Hermolaus Barbarus *in Plin. l.* XXXIII. *c.* III. & Corn. a Lap. *in Jer.* X. *f.* 69. ita ut *ὄβρυζον* dicatur quasi *ἄβρυζον* seu *ἄβρυσον* literis S & Z inter se permutatis, ut *πορφύρειτον* purpurissimum, *μάζα* massa; ex *βρύω fluo, despumo*, ut *ἄβρυσον* seu *ἄβρυστον* sit ex quo nihil impuritatis admixtæ effluat, aut destillet amplius. vel ex *ἀβρύνομαι orno, splendesco*, quod optimum aurum pulcherrime splendeat & ornet habentem. Hoc enim adeo excoctum esse oportet, ut ulteriori ignis examine non indigeat. Quæ si recte haberent, probe rem explicare possent. Isti enim *ἀναντιῤῥήτως* dicuntur *solidi obryzati*, qui ex purgato & excocto auro conflantur contradistincto scil. *χρυσάμμῳ* seu *Ballucæ*, *l.* 1. *&* 2. *C. de Metallar.* quod ob summam puritatem instar ignis rubet splendetque, teste Plin. *l.* XXXIII. *c.* III. *Auri experimento ignis est, ut simili colore rubeat, quo ignis.* sed de *ἐτύμῳ* prius erat transigendum, in cujus idonea significatione multa desideramus.

§. 68. Hinc alii his non confisi in *Latio* & *auri venas & Obryzæ natales* rimantur, idque variis modis. Nam Isidorus l. XIX. *Etym.* c. XVII. ab *obradiando* diducit, quod obrasum fuerit, splendidius fiat & *obradiet* clarius: Salmasius ab *obridere*, ut sit quasi *obridium*, cum usitatissimum sit syllabam Græcam *δι* efferri cum sibilo, per z. ut Zabolus pro Diabolus, Zæta pro Diæta, Orydia pro Oryza, trapedia pro trapeza. conf *Inst. Gramm.* Sciopp. p. 198. Alii a *colore rufo* seu *fulvo* seu *rutilo* agnominant, quod sit *aurum quasi obrufum*: potior autem pars ad *obrussam* expendunt, ut *obryza sit quasi obrusa* seu *obrussa*, vel quod ad *obrussam*, id est, *experimentum* seu *examen ignis*, vel ad *obrussam*, id est, *ad lancem & amussim*, vel denique ad *obrussam*, id est, *summam bonitatem* revocetur. Nam de significatu obrussæ nondum transegere Politianus *ad Beroaldum*, Alciatus l. V. *Parerg.* c. IX. Budæus *Ann. in Pandect. ad L. in Nave ff. Locati fol.* 151. Donatus *ad Sueton. c.* XLIV. Turneb. l. XIV. c. XXII. *Advers.* & ex omnibus istis *ἀκριβέστατος ὁ Στραυχιὸς ἐν ταῖς καλανδαῖς Ιανυαρ.* c. III. Beckman. *de Orig. LL.* & Besold. *Thes. Pract.* f. 283.

§. 69. Joh. Gorop. Becanus *ἐν τοῖς σπουδαίοις καταγέλαστος* *obryzam* ex sua Flandrica dialecto derivans *obryzatum aurum* quasi *oberreisum* seu *oberrisum*, quod ex *profectione nautica, & longinqua* hoc nominis invenerit, *da einer eine Ober Reise, Oder Reise ober, ever* seu *uber das Meer thut.* Cur non potius *eine unter Reise*, quod aurum ex inferioribus fossarum viis in apricum proferatur. Eadem facilitate obryzum ex Hungarica aut Bohemica dialecto diducere possem;

nam Boh. *Ritz est meatus auri argentique*. Scilicet *nemo licentius & impudentius ingenio & otio suo abusus est, quam Marrucianus & Beccæselinus iste Lucomo*, judicio Jos. Scal. in *J. C. Scal. Vita* p. 46.

§. 70. Omnium optime Franciscus Hottomannus in utraque literatura Critica & Juridica facile Princeps judicavit, *frustra se homines doctos in illius verbi notione indaganda fatigare, quod in officina monetali natum esse Plinius non obscure significet, ubi complura ejusmodi vocabula monetalia & metallariæ artis propria. Sic denique nautarum & singulorum fere artificum & opificum propria quædam vocabula fuisse, facile ex autorum locis agnoscere licet. Fuit igitur Obryza, obrussa, probatio seu examen per ignem acerrimum, cujusmodi hodie est, quod cineritium appellant, ut apparet ex* L. ult. C. T. de ponderat. *Ubi Imp. Valentinianus aureos nummos diu multumque cum edacis flammæ examine in obryza detineri jubet. Ubi edacem ignem Ovidii exemplo dicit, cujus ille notus est versiculus:*

Omnia purgat edax ignis, vitiumque metalli
Excoquit ———

Nec dubito quin Constantinus l. 1. eod. tit. *ita scripserit: Si quis solidos appendere voluerit auri obryza cocti. Nam per obryzam, quicquid alterius metalli admixtum erat, depellebatur.* Hactenus Hottomannus *l.* IV. *Ant. Rom.* p. 658. In cujus judicio acquiesco, ne frustra sim in indagando eo, cujus nec ratio dari, nec origo inveniri possit, recordatus non omnium rerum causas & origines haberi posse: imo etiam recordatus, quod moderati animi sit, quædam ignorare velle.

§. 71. His itaque constitutis ex ordinatione Sacratiss. Impp. STRENA ordinata est UNA LIBRA purissimi auri, aut (quod eodem recidit) LXXII. solidi obryzati, id est, septuaginta duo AUREI ex purissimo & decoctissimo auro, justo pondere & figura venerabili insigniti. Quod enim SOLIDI sunt in pecunia formata, id Libra est in pondere, dicente Volusio Metiano *de Ponder.* Et qui *solidi sunt quoad integritatem ponderis & figuræ*, iidem *sunt obryzati seu obryziati quoad probam speciem*, *L.* 1. *C. de Vet. Num. pot.*

§. 72. Ad STRENAS etiam suo modo referimus *φιλοτίμυς δωρεὰς*, quas vocat Imp. Leo in *Nov.* XCIV. *ad Stylianum*, quia Kal. Jan. populo a Coss. novis sunt datæ. Alio nomine *tesseræ quadratæ*, *tesseræ orbiculatæ*, ob formam scil. & communiter *Missilia* vocabantur, quod missæ seu projectæ essent in populum: Eorum autem ambitu aurum, argentum & æra continebantur. De Argento fidem facit Libanius in *ἐκφράσει καλανδῶν*: *τῷ δὲ (ἱπποφόρῳ) θεραπεύοντες ἕπονται διασπείροντες ἐς τὸν ὄχλον ἀργύριον*, *Equitem sequuntur ministri spargentes argentum in populum*: *καὶ τὸ δέξασθαι φερόμενον παρώσαντα τὸν πέλας ἡδιστόν γε. Καὶ χαίρυσιν ἐνταῦθα καταπατέμεναι*. *Ibi labentem excipere eum, qui propulit vicinum, res est certe suavissima: quin gaudent eo loci pedibus calcari.* De Auro ex *l.* 2. *C. Th. de spect.* In quo tamen omnes sive judices sive privati nihil penitus auri præmio dandum esse cognoscant, quod SOLIS licet Coss. Argentum iterum nominatim expressit Justinianus *Nov.* CV. c. 11. quod sc. Novi Coss. eorumque Uxores aut matres possint argentum spargere in Miliaresiis, & melis, & caveis, & quadrangulis mediocribus, *ἔντε τοῖς καλυμένοις μιλιαρισίοις, καὶ μύλοις, καὶ καυχίοις, καὶ τοιύτοις*.

§. 73. Istis autem nominibus an species Argenti notentur, an vero vascula argentea, non adeo clarum est & determinatum. Nam & miliaria superius §. 46. inter vasa retulimus & mela, & cauca & quadrangula in numero vasorum veterum invenimus. Quod si tamen omnino Nummorum species, (uti non pauci iique boni scriptores sentiunt) *Miliarenses* seu *Miliaresii* erant, non qui militibus dabantur, ut essent quasi militares dicti, secundum Cedrenum & Epiphanium l. *de Mens. & Pond.* *τὸ ἀργύρειον τῦτο ἐστιν, ὃ οἱ Ρωμαῖοι μιλιαρίσιον καλῦσιν, ὃ ἑρμηνεύεται στρατιωτικὸν δόμα*: Sed qui millesimam libræ auri partem continebant. A mille enim est milliarius, milliaris, milliarensis, conf. Jonston. *Polymath.* l. 11. §. 325. Aliter Scaliger *Epist.* CCIV. quem divinare puto.

§. 74. *Μύλοι* (quanquam Meurs. *μῆλον* malit genus nummi ove signati) Numismatis pars XII. complectens folles XXIV. dicuntur quasi rotundi, ita ut habeantur pro orbiculatis istis tesseris, quas etiam Marcianus *l.* 2. *C. Theod. de Spectac.* indigitat. De quibus ego accipio istum ex Strabone locum qui *l.* IV. de auro Tholosano loquens ait: Romanos quosdam lacus illic vendidisse, & emptores invenisse post aliquot annos *μύλυς σφυρηλάτυς ἀργύρυς*, id est, *argenteos fabrefactos mylos*, quos quamvis communiter *γομφίυς* interpretentur, tamen rectius meo arbitratu *rotundos nummos argenteos* dixeris: Quemadmodum etiam ineptum est hos Justiniani *μύλυς thymelicos facere*. Erant enim *thymelici Musici Scenici*, qui ad *θυμέλας*, id est, *pulpita Musica* canebant, aut gestibus artem repræsentabant, uti innuit *L.* 10 *ff. de pollicit.* Ibi enim Septicia: *χωρήσει δὲ ὁ τόκος εἰς τὰ ἆθλα τῶν θυμελικῶν καθὼς αὐτῶν ἑκάστω ἀθλήματος ἡ βυλὴ ὁρίζῃ*. *Cedent autem hæ usuræ in præmia thymelicorum, prout in uno quoque certamine Curia determinaverit.* Artemidor. *l.* II. *c.* XLII. *Ἀφροδίτη πάνδημος ἀγύρταις, καὶ καπήλοις, καὶ ζυγοστάταις, καὶ θυμελικοῖς, καὶ σκηνικοῖς πᾶσιν ἀγαθή*. *Venus popularis circulatoribus, cauponibus, libripendibus, & thymelicis, & scenicis omnibus bona.* Famosa est *Thymele*, *uxor Latini Mimi* apud Juvenalem *Sat.* 1.

Carus, & a trepido Thymele, submissa Latino.

conf. *L. Athletas ff. de his, qui notantur infamia*, Isid. l. XVI. c. XLVII. Et Juven. *Sat.* VI.

Attendit Thymele; Thymele tunc rustica discit.

Eandem & Martialis novit. *l.* 1. *ep.* V.

Qua Thymelen spectas, derisoremque Latinum;
Illa fronte precor carmina nostra legas.

Dempst. *ad Rof. l.* V. c. XXIX. Imo & istis adde, quando Salvianus Massiliens. Episc. l. V. *de Provid.* ludorum Circensium spectatores Christianos insectans inquit. *Quæro, dicta Evangelicorum magis diligant, an Thymelicorum? verba vitæ, an verba mortis? verba Christi, an verba Mimi?* conf. *C. Th. leg. penult. de spectac.* & *l.* 21. *de Pict.* & *l.* 5. *de Scenicis*. Scaligerum lib. 1. *Poet.* c. XIX. 1. Harmenopulum 6. §. 11. & Pium Anton. Bartolinum *Auct. Leg.* c. 11.

§. 75. Caveæ Gr. *καύκιοι* seu *καύχιοι* quid sint, ingenue fateor, me nescire. Gothofredus facit cavos istos & paululum incurvatos nummos minutos, quales etiam Germania nostra agnoscit. Caveos ergo forma facit, non materia. Forsitan vasis istis potatoriis non absimiles, quos Treb. Pollio in *D. Claudio* notat, aut quos Spartianus in *Pescennino Nigro* his verbis tangit: *Hic tantæ fuit severitatis, ut cum milites quosdam in caveo argenteo expeditionis tempore bibere vidisset, jusserit omne argentum submoveri ab usu expeditionis, addito eo, ut vasis ligneis uterentur.* Nisi forsitan mendose scriptum sit *Caveo* pro *Cauco*. Nam caucus & cauca, id est, patera unde bibitur, legimus. *Καύκιον παρ' ἡμῖν, κύλιξ δὲ παρὰ σοφοῖς*. *Vulgo caucium, calix vero elegantioribus.* Sic in *farragine Epistolarum* S. Bonifacii Ep. XL. legitur, ab Æthilbecto Rege ei missum Caucum argenteum intus deauratum. Inde Cauculatores, Caucularii, Præstigiatores, *die Taschen-Spieler*, qui acetabulis fallunt. Hinc etiam in *Capitular. Caroli M.* cauculatores pro incantatoribus. Inde German. *Caucheler*.

§. 76. Quadranguli denique *τετραγώνιοι* (si num-

mi fuerunt cum argentei tum æneì) a forma *quadrati* dicti, ſeu *Teſſeræ quadratæ* ſecundum Cujacium *ad Nov.* 105. Speckhan. II. *Cent.* claſſ. I. q. VI. n.v. fin. Externa ſcilicet figura iſtud nominis dediſſet, perinde ut etiam *ligneos aſperos quadratos* Alexander ab Alex. l. IV. *Genialium Dier.* cap. XV. & Auban. *l.* II. *c.* XVIII. de moribus Gentium *monetam papyraceam Indorum* forma quadrata, & Franc. Alvoeres *Inſulæ Ormi nummos longiuſculæ laminæ argenteæ inſtar ovi*, & Laz. *aſperos angulares*, & Joh. Rauhe *Moſcovitarum oblongos*, Matthæſius etiam *angulares Germanorum* allegant apud Bornit. lib. I. cap. X. *de Nummis*.

§. 77. Cæterum an ad STRENAS etiam Sportulæ reducendæ ſint, poſſes non immerito dubitare. Nam nec ſemper ſunt datæ, nec ut munus novi anni ſunt datæ. Primum enim in Cœnis Rectis Impp. Sportulæ, id eſt, ſportellæ obſoniis & penuariis rebus refertæ ſingulis patriciis exhibebantur, lætitiæ & liberalitatis ergo: Quæ res cum magnis conſtaret ſumptibus, ut Ammianus Marcellinus *diſtributionem Solemnium Sportularum l.* XIV. *c.* VI. etiam inter detrimenta Reip. retulerit, Publicæ Cœnæ reductæ ſunt ad ſportulas, teſte Sueton. in *Nerone cap.* XVI. *Veſpaſianus reſtitutis cœnis rectis Sportulas etiam reſtituit*, Sueton. c. XIX. Sed Domitianus Sportulas ſuſtulit, cœnæ rectæ conſuetudine retenta. Erant enim tunc ſportulæ Calathi viminei, quibus obſonia ſingulis determinata patiebantur, qui ad convivium invitari ſolebant, ut colligitur ex Ulp. *l.* 3. *D. de Penu. leg.* unde Martialis *l.* VIII. *epigr.* I.

Grandia pollicitus, quanto majora dediſti?
Promiſſa eſt nobis Sportula, Recta data eſt.

Et *lib.* III. *epigr.* XXX.

Sportula nulla datur; gratis conviva recumbis.

Et Juvenalis *Sat.* I. conqueritur, imminutam eſſe prioris ſportulæ liberalitatem, quæ in primo limine domus exhibentis partiebatur Nobilibus, inquiens:

——— *Sportula primo*
Limine parva ſedet, turbæ rapienda togatæ.

Interdum autem *Sportularum obſoniarum* loco *Nummi* certa quantitate, nempe centum quadrantes dabantur. Quod docet Martialis lib. I. epigr. LX. *ad Flaccum:*

Dat Bajana mihi quadrantes ſportula centum,
Inter delicias quid facit iſta fames?

Et Juvenalis *Sat.* I.

Sportula quid referat, quantum rationibus addat:
Quid facient comites, quibus hinc toga, calceus hinc eſt,
Et panis fumuſque domi? denſiſſima centum
Quadrantes lectica petit ——

§. 78. Exinde obtinuit, ut & Coſſ. aliique novi Prætores, cum magiſtratus inirent, *Sportulas* darent, & poſtea etiam Nuncii Lætitiæ Publicæ a provincialibus plures aureos Sportularum nomine exigerent. Illud colligo ex Plinio lib. X. Ep. CXX. *ad Traj.* qua inquit: *Qui virilem togam ſumunt, vel nuptias faciunt, vel ineunt Magiſtratum* (quod utique etiam Kal. Jan. fiebat) *vel opus publicum dedicant, ſolent totam bulen, atque etiam e plebe non exiguum numerum vocare, binoſque DENARIOS vel ſingulos dare*. Qui *Denarii bini*, quod Sportularum nomine dati ſint, ex Trajani reſponſo epiſt. CCXXI. pateſcit: *Merito vereris, ne in ſpeciem Diamœries incidat invitatio, quæ & in numero modum excedit, & quaſi per corpora non viritim ſingulos ex notitia, ad SOLENNES SPORTULAS contrahit*, &c. Hoc vero ex Valentin. & Valent. *Reſcripto* anno Chriſti CCCXLIV. *ad Eugrammium: Cum ANNI EXORDIA certis Coſſ. incboanda nunciantur, a tenuioribus Sportulæ ſpecie collationis neceſſitatis ſeparetur*. & ſeq. anno: *Si quando Victoriæ, quando lætitiæ publicæ nunciantur aut Novorum Coſſ. nomina perferuntur, collationi nullus locus, nulla licentia ſit. Si quis vero Honoratorum ſponte quid offerre voluerit, id tantum recte dandum judicamus, C. Tb. l.* 3. *&* 5. *Ne quid publicæ lætitiæ*. Eæ autem non tam *Strenæ* quam munera erant nunciis pro bonis novis KAL. JANUAR. dari ſolita, ſex ſcilicet aurei, ex *l.* 2. *C. publ. Lætitiæ vel Coſſ. nunciat.* conf. Marc. Donat. *Dilucid. in Suet. Domit.* c. VII. & Budæum *de Aſſe f.* 144.

§. 79. Ut alioquin jus Annulorum Aureorum honorabile erat Romæ, ita etiam Annulos in Commercio Strenarum fuiſſe nullus dubito aſſerere, imprimis cum Suetonius ſcribat in *Nerone* cap. XLVI. quod *Sporus* Imperatori *K. Jan. auſpicanti annulum muneri obtulerit, cujus gemmæ ſculptura fuerit Proſerpinæ raptus*. In qua materia elaboratiſſimum opuſculum evolvi poteſt Kirchmanni cap. XIII. & Abrah. Gorlæi *Dactyliotheca* per totum.

§. 80. Ex Strenarum cenſu etiam fuerunt *δίπτυχα*, *Pugillaria* ſive *Citrea*, ſive *membranea*, ſive ut plurimum *eburnea*, quibus Coſſ. nomina ſignabantur, id eſt, *faſti eorum, qui Magiſtratum inibant*. Sidon. *l.* VIII. *Epiſt.* VI. *Adbærebam ſellæ curuli, & proxime Conſuli proximus eram. Itaque ut primum brevi peracta, nec Sportula brevis, datique faſti, acclamatum eſt ab omni Galliæ cœtu primoribus Advocatorum*. Iſta munuſcula inter cætera *Coſſ. novi* elargiebantur in populum teſte Claudiano lib. III. *in Stilic.*

Tum virides pardos, & cætera colligit auſtri
Prodigia, immaneſque ſimul Latonia dentes,
Qui ſecti ferro in tabulas, auroque micantes
Inſcripti rutilum cælato Conſule nomen
Per proceres & vulgus eant ——— ———

Hinc Seneca *Epiſt.* LXXXVIII. ſcripſit: *Pugillaria & Caricæ quotidie mihi novum annum faciunt*: quia Caricæ & pugillares novo anno dabantur. Iſtæ autem eburneæ teſſeræ conſtitutione Principum dare erant vetitæ aliis, quam Conſulibus Impp. Valentin. Theod. Arcad. *C. Tb. de Expenſis Ludorum. Illud etiam conſtitutione ſolidamus, ut exceptis Conſulibus Ordinariis, nulli prorſus alteri auream Sportulam & Diptycha ex ebore dandi facultas ſit, cum publica celebrantur officia: ſit Sportulis nummus argenteus, alia materia Diptychis*. conf. Jac. Sirmond. *in Sidonium*, Scholiaſten Symmachi *in lib.* II. *Epiſt.* LXXXII. Barthium *in Claud. pag.* 300.

§. 81. Nunc ad Rem Veſtiariam & Librariam devenimus, hujus nomine omne Epigrammatum, aliorumque Scriptorum librorum, illius vero omne veſtium ſeu veſtimentorum genus complexi, quæque *l.* 23. *ff. de auro & argent. legat.* expreſſit. *Veſtimentorum ſunt omnia lanea, lineaque vel ſerica vel bombycina, quæ induendi* (tunicæ, capitia) *præcingendi* (ſemicinctia ſeu veſtes præcinctoriæ) *amiciendi* (ut pallia, quæ Tertull. ait *Aperire ſolutum*, id eſt, uno circumjectu) *inſternendi* (veſtes ſtratoriæ, aut ſtragulæ, veluti amphitapa, philotapa, pallia, periſtromata) *injiciendi* (ut tapeta, quibus menſæ teguntur ſupra, aut inſternuntur ſubtus) *incubandive* cauſa (ut ſunt culcitræ & toralia) *parata ſunt, & quæ* his acceſſionis vice cedunt, quæ ſunt *inſtitæ* (ſegmenta & limbi aſſuti veſtibus) picturæ clavique qui veſtibus inſuuntur. Ea Ulpianus melioris doctrinæ cauſa ita diſtinguit, ut alia *virilia* ſint, alia *puerilia*, alia *muliebria*, alia *communia*, alia *familiarica*. *Virilia* ſunt, quæ ipſius Patrisfamilias cauſa parata ſunt, veluti, togæ, tunicæ, palliola, veſtimenta, ſtragula, amphitapa, ſaga, reliquaque ſimilia: *ἀμφιτάπης χίτων ἑκατέρωθεν ἔχων μάλλυς*, inquit Heſychius, id eſt, Stragulæ utrinque villoſæ. conf. Turneb. *l.* XXVIII. *c.* XX. *Puerilia* ſunt, quæ ad nullum alium uſum pertinent, niſi puerilem, veluti togæ prætextæ, aliculæ, (pro quo alii legunt

caligulæ) chlamydes, pallia, quæ filiis noſtris comparamus. *Muliebra* ſunt. quæ Matrisfamilias cauſa ſunt comparata, quibus vir non facile uti poteſt ſine vituperatione, veluti ſtolæ, pallia, tunicæ, capitia, zonæ, mitræ, quæ magis capitis tegendi quam ornandi cauſa ſunt comparata, plagulæ, penulæ. Ad quæ etiam *muliebria ornamenta & muliebris mundus* revocatur. *Ornamenta*, ut, inaures, armillæ, viriolæ, annuli, aurum, gemmæ, lapilli, item vittæ, mitræ, ſemimitræ, calantica, acus, cum margarita, quam mulieres habere ſolent, reticula crocuſantia. *Mundus muliebris*, ut ſpecula, matulæ, unguenta, vaſa unguentaria, & ſi qua ſimilia dici poſſunt, veluti lavatio, riſcus ſeu rica. conf. Cujacius h. l. Dionyſ. Gothofr. & Turneb. in *Adverſariis*. *Communia* ſunt, quibus promiſcue utitur mulier cum viro, veluti ſi ejuſmodi penula palliumve eſt, & reliqua hujuſmodi, quibus ſine reprehenſione vel vir vel uxor utatur. *Familiarica* ſunt, quæ ad familiam veſtiendam parata ſunt, ſicuti, ſaga, tunicæ, penulæ, lintea, veſtimenta, ſtragula & conſimilia.

§. 82. Atque eam Rem Veſtiariam maximi pretii & æſtimii Ulpianus exp'icat: Sed de STRENA VESTIARIA paulo occultior res eſt, niſi huc referre placeat ea veſtimentorum ſplendidiorum genera, quæ Valerianus in Ep. *ad Zoſimionem Proc. Syr.* commemoravit: *Dabis in Strenis quadraginta ſeptem Philippeos & trientes centum ſexaginta: Item in caucos & ſcyphos & zuma pondo undecim: Tunicas ruſſas militares annuas, ſago-chlamydes annuas duas, fibulas argenteas inauratas duas, fibulam auream cumacum cypream unam; Baltheum argenteum inauratum unum, annulum bigemmeum uncialem, brachialem unum unciarum ſeptem: Torquem libralem unum, Caſſidem inauratam unam; ſcuta chryſographata duo, loricam unam: Lanceas Herculeanas duas, aclides duas, falces duas. Albam ſubſericam unam cum purpura ſuccubitana, ſubarmale unum cum purpura maura. Accubitalium Cypriorum paria duo: Interulas puras, faſcias viriles, togam, latum clavum*, &c. & in aliis literis Gallieni: *Miſi ad eum pateras gemmatas trilibres duas, ſcyphos aureos, gemmatos trilibres duos: diſcum corymbiatum argenteum librarum viginti, lancem argenteam pampinatam librarum triginta: Patinam argenteam hederatam librarum viginti & trium; Voleta balieuticum argenteum, urceos duos auro incluſos, argenteos librarum ſex, calices Ægyptios, chlamydes veri luminis limbatas duas: albam ſubſericam, paragaudem triuncem unum, Zanchas de noſtris Parthicis paria tria, Singiliones Dalmatenſes decem, chlamydem Dardanicam mantuelem unam, penulam Illyricianam, Bardocucullum, cucutia villoſa, oraria Sarabadena quatuor*: quorum pretia & varia opera eleganter Marc. Donatus *in Treb. Pollion.* & ſparſim Adr. Turnebus perſecuti ſunt. Nos ea huc tranſtulimus, non quod dicamus hæc omnia in STRENIS fuiſſe oblata, ſed ut pateat, quam varia & pretioſa veſtimentorum genera inter Magnates fuerint uſitata, quæ in COMMERCIO STRENARUM fuiſſe quid repugnaret? cum ut ſupra adduximus, *Auguſtus non tantum aurum ſed & veſtes munera diviſerit*, Suet. c. LXXV. Imo & *Agrippa Ædilis ſymbola* in theatrum de ſublimi loco jecit, τῷ μὲν ἀργύριον, τῷ δὲ ἄλλο τι φέροντα, Dion. l. XLIX. f. 477.

§. 83. LIBRARIAM STRENAM non multo clariorem pandunt Veterum monumenta. Ridiculus eſt Lucianus in ſuo *Cronoſolone*, legem ferens, ut Saturnalibus dona divites pauperibus mitterent, & hi iſtis remitterent. *Si doctus* eſt (adjicit) *libellum aliquem veterem, aut ſi quid ipſe conſcripſit, quod fauſti ſit ominis, & conviviis accommodum, qualecunque potuerit. Atque id dives læto admodum hilarique vultu accipito, acceptum protinus perlegito. Quod ſi recuſarit, ſciat, ſe iis, quæ falce minatus (qua ſcil. eum evirare velim) obnoxium eſſe*. Tibullus K. Mart. (quid ni & Jan.?) ſuæ Neæræ tranſmiſerat librum, quem luculenter deſcripſit *l.* III. *Eleg.* I.

Cum vaga nunc certa diſcurrant undique pompa,
Perque vias urbis munera, perque domos.
Dicite Pierides: quonam donetur honore
Seu mea, ſeu fallor, chara Neæra tamen?
Carmine formoſæ, pretio capiuntur avaræ;
Gaudeat ut digna eſt, verſibus illa meis.
Lutea ſed niveum involvat membrana libellum
Pumicet, & canas tondeat ante comas,
Summaque prætexat tenuis faſtigia chartæ,
Indicet & nomen littera pacta tuum, &c.

§. 84. Aliud apertius exemplum ſuppeditavit ſuperiori ſeculo Eraſmus Roterod. *præfat. in Luciani Toxarin ad Epiſc. Wintovienſem*, qua ita: *Priſcorum uſque ſeculis mos hic in hæc noſtra tempora deductus eſt, Ampl. Pater, ut Kal. Januar. principe ineuntis anni die munuſcula quæpiam miſſitentur, quæ, neſcio quid lætioris ominis afferre creduntur, tum iis, ad quos abeunt, tum illis, ad quos redeunt. Itaque quum ego deſpicerem, quid tandem muneris a nobis iret ad tantum patronum, ad tam potentem amicum, neque quicquam in mea reperirem ſupellectile, præter meras chartulas, profecto CHARTACEAM STRENAM mittere ſum coactus*. Sub finem. *Hanc igitur qualemcunque clientuli tui STRENULAM, felicibus auſpiciis accipe*. Vale. *Londini Kal. Januar. MDVI.*

§. 85. Tandem STRENÆ loco etiam offerebantur, quæcunque *aliæ res, quas mare, quas terra ferebat*, κοινωνία τῆς γῆς καὶ θαλάττης καλῶν εὐφραίνουσιν αὐτὸν, inquit Herodianus in *Vita Commodi*. Quorum ambitu varia Piſcium, Avium, Quadrupedum, Equorum, Elephantorum, Mulorum, item frumentorum, leguminum, cochlearum, lapidum, margaritarum, metallorum, herbarum, plantarum, arborum, prunorum, pirorum, olivarum, uvarum genera continentur: nec non inſtrumenta & vaſa domeſtica, vaſa culinaria, vaſa architectonica, quæque cuique cara erant & accepta. Ita ut recte huc accommodare poſſe videar illud Martialis *l.* X. *epigr.* LXXXVII.

Mirator veterum ſenex avorum,
Donet Phidiaci toreuma cœli;
Venator leporem, colonus hædum,
Piſcator ferat æquorum rapinas.

Iterum veritatem rei conciliat Libanius ἐκφράσει καλανδῶν. *Porro cum accedit (dies feſtus) impenſas facere appetunt, tam is, qui pecuniis abundat, quam is, qui pauxillulum nummorum unciatim de dimenſo ſuo comparſit. Hic veſtis ſordes eluit, ille mutuatur*. Καὶ οἷς μὲν γεωργία πάνθ᾽ ὅσα ἀγρὸς δίδωσι φέρεται τά τ᾽ ἄλλα, καὶ ὀρνίθων μυρίων γένη, τῶν μὲν τιθασσῶν, τῶν δὲ ἀγρίων. *Aliis, quibus agri ſunt, omnia, quæ profert ager, proferuntur, cum alia, tum omnis generis aves innumeræ, tam cicures & manſuetæ, quam feræ & agreſtes. Aliis vero qui manibus victum ſibi comparant, quæ apud cauponarios & tabernarios proſtant ſufficiunt. Tunc enim maxime videre eſt forum refertum*. Idem Sineſius expreſſius explicat, ubi de Afrarum mulierum benignitate agit. παρέχουσι γοῦν ὅσα αὐταῖς ἀήρ τε φέρει καὶ γῆ τυροὺς, ἄλφιτα, πέμμα ἐκ κριθῶν, κρέα ἄρνεια ἀλεκτορίδας, ὡς ἀλεκτόρεια, *præbent igitur, quæcunque ipſis aer producit & terra, caſeos, farinam, placentas ex hordeo, carnes agninas, gallinas, ova gallinacea.*

§. 86. Et hæ ſunt STRENÆ CIBARIÆ, quas invicem mittebant, teſte eodem Libanio in ἐκφράσει. *Pridie enim Kal.* δῶρα δι᾽ ἄστεος κομίζεται ὅσα ἂν τράπεζαν ποιῆσαι λαμπρὰ, *dona feruntur per urbem, quæ menſam onerare & ornare poſſunt.* Ita olim, ita & hodienum: Nam Langius Medicus ſcribit ipſe *Ep.* LXV. ſe *Amico tomacula & ſuccidiæ partem* miſiſſe in Xenium annuum, ad Saturnalia Veterum alludens, de quibus Martialis *Apophor.* epigr. LXXII.

Qui venit botulus medio tibi tempore brumæ,
Saturni ſeptem venerat ante dies.

Et

Et *Xen.* epigr. XXXV.

Filia Picenæ venio Lucanica parcæ:
Pultibus hinc niveis grata corona datur.

Talia donaria hodieque inter Agrestes frequentari cum experientia docet, tum Alciati *Emblema* LV. quod sic incipit:

Rostra novo mihi setigeri suis obtulit anno,
Hæcque cliens ventri Xenia, dixit, habe.

§. 87. Quæ superius de Avium munusculis dicebamus, præter locum Libanii citatum adhuc alio confirmamus ex Mantuano, qui *Turtures pudicis fœminis* oblatos esse docet, eo quod Turturis amor sit perpetuus amissæ paris dolor.

Munus erat veteri gentis de more pudicis
Turtur ——

Uti enim turtur amissæ comparis memoriam non seponit: ita pudens marita omnes pariter voluptates in mariti tumulo sepelit, dicente Hier. *ad Salvian.* Id quod etiam BONÆ Sabaudiensis Numisma præ se tulit, in quo erat Phœnix cum inscriptione tali:

Malo ego soligenæ Phœnicis fata subire.

Paradinus in *Symb. Heroicis* pag. 172.

§. 88. Inter dicta Terræ bona vel maxime VINUM primarium est. Neque enim Jano tantum merum in sacris fuderunt, sed etiam in honorem Jani tanquam Oenotrii, id est, VINITORIS primarii STRENÆ loco missitarunt. Propertius *l.* I. *eleg.* XI.

Vina diem celebrent: non festa luce madere
Est rubor, errantes & male ferre pedes.

Quem morem a Romanis in Germanos translatum allegat Dresserus: *Veteres,* inquit, *Germani aut ante, aut ipsis* KALENDIS JANUAR. *vino liberalius sunt usi, adeoque alter alteri munuscula vini mittere consueverunt: Quam consuetudinem pene dixerim inde esse natam, quod* JANUM, *qui non alius fuit, quam* NOACHUS, *olim coluerint, velut parentem seu autorem vini post diluvium. Unde etiam Oenotrius, id est, vinitor, est dictus.*

§. 89. Eandem in rem alibi: Haustus S. Johannis inde ortus videtur, quo veteres Germani initio Januarii VINUM HONORARIUM distribuerunt, ut recordarentur JANI, id est, Noachi Patriarchæ, vitium satoris, & amoris benevolentiæque mutuæ documenta darent. Eundem haustum posterioribus sæculis S. Joh. Benedictionem *S. Johannes Seegen* nominarunt, de quo etiamnum apud multos multa superstitiosa, idololatrica & magica agitantur, apud Hospin. *de Origine Fest. Christ. f.* 160. & Thum. *de Fest. S. Johann. p.* 191. Et quis dubitaret, illinc descendere solennem illam compotationem, quam Pontifex Rom. in prima aula palatii, prima Nativitatis Dominicæ sive die sive vespera celebrare solet, de qua *lib.* II. *Cerem. Rom. Eccles.*

Imo quis ambigeret, Patrem suum filios sæculi sequi, qui sacrosancta tempora convivando inchoant, compotando finiunt, ita ut verius quis crederet Bacchanalia, quam Natalitia celebrari. Tales, inquit Insignis Theol. Thummius *de Fest. Nat. p.* 188. non celebrant *die Weihenacht*, sed potius *die Wein-Nacht*, cum tum temporis non solum hi lurcones, sed & horum sedilia vino madefacta subsilire videantur. Et hoc est Christum recens natum & adhuc in cunis vagientem ac de parvo lacte viventem, magnis scyphis ac gutture præ vino graveolente salutare. Verendum est, ne aliquando hic parvulus Jesus hos sit excepturus voce illa prophetica *Es.* VII. *Væ vobis qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam.* Non aliena est ab hoc loco comessatio ista Constantinopolitana, cujus meminit Luitprandus *l.* VI. *c.* III. & IV. qua novendecim apposuerunt mensas, in quibus Imperat. pariter & convivæ non sedendo sed recumbendo epulabantur, nec argenteis sed tantum aureis vasis singula ministrabantur.

CAP. IV.

DE TEMPORE STRENARUM SEU KALENDIS JANUARIIS.

SUMMARIA.

§. 1. *Calendæ Januarii seu Januariæ.*
2. *Per K. & C. scribuntur.*
3. *A* Καλεῖν *dicuntur: ubi ratio calandi.*
4. *Ratio observandi:*
5. *Formula calandi injicitur.*
6. *Non a colendo, nec a celando, nec a clamando.*
7. *De Calendis Græcis.*
8. *An & Calendæ Germanicæ?*
9. *Ridicula causa Græcæ derivationis.*
10. *Calendarum &* νυμφικῶν *gaudia.*
11. *Cur a Kal. Jan. Romani, & cum iis Christiani primævi suos annos orsi?*
12. *Annorum calculus communiter receptus merito retinetur.*
13. *Kalendaria Usurarum & æris alieni.*
14. *Kalendarii Curatio & Curatores.*
15. *Collegia Kalendariorum & Januaria.*
16. *Societas Kalendarum Leisnitiensis.*
17. Καλανδολόγια *publice damnata.*
18. *Januariæ dicuntur non a Janua, sed a Jano.*
19. *Saturni* συγχρόνῳ *& Hospite.*
20. *Janus quasi Eanus: vel quasi Dianus: vel quasi Hiatus: non autem quasi Janus a* gaen *German.*
21. *Janus Januis cœlorum, templorum & balneorum præsedit.*
22. *Revera Janus fuit aut Noa, aut Javan Japheti filius.*
23. *Nequaquam Petrus, aut ejus successor Pontif. Rom. multo minus DEUS ipse.*
24. *Bifrons.*
25. *Bifrontis simulacrum cum sceptro & clave, item cum numeris anni.*
26. *Clusinus & Patulcius.*
27. *Consivius, Quirinus, Curiatius, Junonius.*
28. *Janus Numen tutelare urbis.*
29. *Jani Gemini templum.*
30. *Claudebatur, & aperiebatur prout vel pax erat vel bellum.*
31. *Cur geminus.*
32. *De situ variant Topographi.*
33. *Plures Jani, plura Jani templa.*
34. *Janus Quadrifrons.*
35. *Perstringitur ab Augustino.*
36. *Jani pervii. Area & Calvitium.*
37. *Janus medius.*
38. *An unum Jani templum?*
39. *Decisio petitur ex distinctis temporibus.*
40. *Janus primus.*
41. *Janus secundus.*
42. *Janus tertius.*
43. *Janus quartus & quintus.*
44. *Janus (sextus) vicus.*
45. *An Bifrons, an quadrifrons fuerit Janus geminus?*
46. *Janus undecies clausus.*
47. *In Jano B. fronte Coss. inaugurabantur.*
48. *A Jano dictus Januarius mensis: Januarii vulgo multi appellati.*
49. *Edictum Januariense.*
50. *Kalend. Januariarum Synonyma.*
51. *Octavæ.*
52. *Octavæ nativitatis.*
53. *Festum Circumcisionis.*
54. *Est novum: incertum quo tempore aut quo autore cœperit.*
55. *Ideo creditur tanquam particulare per consuetudinem introductum.*

56. *Ejus vestigia in Concilio Turonico* II. *Anno Domini* DLXX. *in Galliis.*
57. *Et in Italia Anno* DXC. *sub Gregorio I.*
58. *In Anglia anno* DCCXX.
59. *In Germania sub Carolo M. anno* DCCCXIII. *& denuo in Anglia anno* MCCXXII.
60 *Inter ferias numeratur Romæ ann.*MCCXXVII.
61. *Et Lugduni anno* MCCXLIV.
62. *In Oriente anno* MCL.
63. *Ita receptum confirmant Ivo, Bernhardus, alii.*
64. *Etiam ipsi Impp. Nostrates.*
65. *Sicque fuit Festum consuetudinarium, non præceptivum.*
66. *Quær. an tempore Constantini, Theodosii Festum Circumcisionis institutum?*
67. *Negativa stabilitur.*
68. *Festum Stultorum.*
69. *Libertas Decembrica.*
70. *Feriæ Stultorum: Fornacalia.*
71. *A quibus hodie convivationes aulicæ.*
72. *Et in Academiis regna conviviorum.*

Διέξοδος.

§. 1. KALENDAS, *anni auspices, quibus mensium recursus aperitur, impertiendis* STRENIS *dicavit Antiquitas.* Quæ Symmachi verba *l.* x. *ep.* XXVII. accurate STRENARUM TEMPUS determinant, KALENDAS nempe JANUARII seu JANUARIAS (utrumque enim recte dicitur, sicut & *Calendæ Decembris, Decembriæ* & *Decembres, Octobriæ* & *Octobres, Septembriæ* & *Septembres*) quæ & ipsæ ideo interdum μετωνυμικῶς pro ipsis Strenis, proprie autem pro temporis circumstantia capiuntur, primo scil cujusque anni incipientis die. Nam quod Balsamon Interpres *ad Can.* LXII. Trull. Synod. *Calendas pro decem primis singulorum mensium diebus, Nonas pro decem alteris, & Idus pro tertiis capit*, illud a Romanorum calculo prorsus alienum est. Rectius Zonaras: *καλανδαί εἰσι αἱ πρῶται ἑκάστου μηνὸς ἡμέραι. Prima dies mensis cujusque est dicta Calendæ.*

§. 2. Quas, si ἔτυμον spectes, commode per K. si usum linguæ Latinæ per C. scripseris. Neque enim facile hanc, neque intempestive istam ὀρθογραφίαν reprehendo, cum utraque inter scriptores frequentetur. Veteres certe *Kalendas* per K. scripsisse, Diomedes docere potest, quando *l.* II. inquit, *Consonans muta* K. *supervacua est; Utimur, quando a correpta sequitur, Kalendæ, Kaput, Kalumniæ.* Idem fere, sed explicatius Q. Terent. Scaurus in *lib. de Ortograph. ad Thesеum quendam suum. K. Græcam,* ait, *literam quidam supervacuam judicarunt, quoniam vice illius fungi C. satis posset: Sed retenta est, ut quidam putant, quoniam notas quasdam significaret, ut Kæsonem, ut Kaput, & Kalumniam, & Kalendas.* Plura videsis in Pigh. *Hermeracl.* seu *l.* XII. *Ann. Rom.* f. 485.

Recte Xylander: *Nulla ratio evincit, quia, Romani Kalendis suis, non Græcis utuntur, ideo etiam* CALENDAS *scribi oportere, Not. ad Plut. Rom.* Quod porro nonnemo scripturam per K. unice germanam agnoscit (altera ista per C. rejecta) ideo, quia in Marmoribus ita legitur, istud tam non stringit, quam scriptura *Kandidati, Kapitolii, Karissimorum, Dedikaverunt*, &c. stringere non valet. An Latomorum sive imperitia sive incuria Grammaticorum regula esset?

§. 3 Dicuntur autem KALENDÆ a Græco καλεῖν, *vocare*, ob rationem, quam Macrob. *l.* I. *Saturnal.* c. XV. pandit, quod *priscis temporibus, antequam Fasti a Cn. Flavio scriba in omnium notitiam proderentur*, PONTIFICI *Minori ea provincia delegata fuerit* NOVÆ LUNÆ *primum aspectum observare, visamque Regi Sacrificulo significare*, atque tum sacrificio a Rege & Minore Pontif. celebrato, idem pontifex KALATA, *id est, vocata in Capitolium plebe, juxta Curiam Calabram,* quæ *Casæ Romuli proxima erat, quot dies a* KALENDIS *ad* NONAS *superessent, nunciabat, & quintanas quidem quinquies dicto verbo καλῶ, septimanas, septies repetito, prædicebat.* Ideoque hunc diem, qui ex iis, qui calabantur primus esset, placuit KALENDAS vocare.

§. 4. Ea erat ratio calandi: observandi autem momentum in vigilantia Pont. Minoris erat situm, quam natura loci adjuvabat. Rupes enim Tarpeja seu Capitolina, in qua cum Curia Calabra, tum ædes Pontificis erant, illo loco erat editissima prope templum Jovis Capitolini, ex qua ortum Lunæ, errantium siderum semitam observare promptum erat, quod plagæ inter Meridiem & Occidentem opposita, liberum versus Ortum haberet prospectum: conf. Marlian. *Topogr. l.* II. cap. II. Alex. Don. in *Roma vet. l.* I. c IX.

Causa autem calandarum dierum, hæc erat, quod post novam Lunam oporteret Nonarum die populares, qui in agris erant, in urbem confluere, ut acciperent causas feriarum a Rege sacrorum, scirentque quid quoque istius mensis die faciendum esset.

§. 5. Qua autem formula usi fuerint, paulo obscurius Macrobius, M. Ter. Varro clarius tradunt. Nam is *l.* v. *de L. L.* scribit, quod Pontifex ita proclamaverit:

DIES TE QUINQUE KALO JUNO NOVELLA.
Item:
DIES TE SEPTEM KALO JUNO NOVELLA.

Quinque, si quintanæ essent Nonæ: septem, si Septimanæ. Cur autem JUNO? quia omnes Calendæ in Junonis præsidio erant. Cur NOVELLA? quia de novis novi mensis diebus agebatur. Quanquam Illustriss. Scaliger pro Novella COVELLA, & pro JUNO JANA legere malit ex vetustis quibusdam Codd. COVELLA autem a Covum, id est, Cavum, seu Cœlum, seu κοῖλον, & Covella, id est, Cœlestis JANA, ex Janus, Luna: Ut JANA COVELLA sit Luna COELESTIS. Quæ argutior, quam verior est subtilitas.

§. 6. Frustra ergo est Balsamon, qui Calendas sic appellatas dicit a tribus prudentissimis viris Romanis, qui Romanos a malo famis eripuerint, *Expos. Canon.* Synodi Trull. Frustra durus Originator, qui *Calendas*, quasi *Colendas* dictas esse vult, *l.* VIII. *Ration. Div.* c. IV. quoniam Rom. eas ceu solennes ludis, sacris conviviis & otio coluerint, seu celebrarint: Frustra Plutarchus in *Galba*, qui quasi *celandas*, quod ante publicationem populares viros celatæ fuerint: Frustra Hospin. *de Fest. Gent.* p. 50. qui quasi *clamandas* appellatas esse scribit, quod per Pontific. Min. *clamando* perficerentur. Si primis Latinarum rerum scriptoribus potius, quam sequiorum temporum autoribus credendum, Græcum non Latinum agnoscunt etymon.

§. 7. Ut ut Calendæ non Græcis sed Romanis propriæ fuerint. Nam, quod Guilh. Xylander *not. ad Plut. Romulum* scribit, *Ex hoc loco intelligi potest, quid sint Græcæ Kalendæ; Non enim nullæ fuerunt, sed diversæ a Romanis:* id non ita accipiendum, quasi sub hoc *formali conceptu* Græci in suis λογοις etiam καλλωδὰς seu καλανδὰς numeraverint, sed *materialiter* saltem quod eas dies, quas Romani *Calendas* vocant, iidem habuerint, sed sub alio nomine, εἰσιτηρίων seu νεμηνιῶν scil. non καλλωδῶν. Nam Pausanias in *Attic.* Dem. *de fals. legat.* sacra εἰσιτήρια, id est, ingressus temporum & alii νεμηνίας passim commemorant. Id quod etiam Plutarchi verba præ se ferunt: *Nostro quidem tempore*, inquit, *Romanorum Kal. a Græcorum mensium initiis prorsus dissident.* Id quod in utrorumque collatione

A ὀφθαλμοφανερῶς ostendit inter plures alios etiam Dn. Fabricius Paduanus in *Catena tempor. Annulo* XXIV. Hinc firmo stat talo Augusti dicterium, quo, quem nunquam, eum ad *Kalendas Græcas* soluturum esse, dicebat, teste Suetonio *c.* LXXXVII. Nam Græci Calendas non habent, sed Neomeniis loco Calendarum utuntur; sicut nec Ebræi, nec Ægyptii, sed dies a nova Luna ad novam Lunam computant. Huc alludit Poeta non inficetus:

Aureolos Paulo vicenos, Jane dedisti:
Credita nam qui non reppetit, ille dedit.
Sed quamvis dederis, quamvis nil inde reposcas,
Aureolos reddet bis tibi, Jane decem.
B *At quando? dices Græcorum nempe Calendis,*
Quum dederis nummos, credere verba potes.

§.8. Quid vero? An Germani habent Kalendas? Inutilis forsan quæstio, Germano potissimum homini, qui inter suos nullas Kalendas audit, nullas novit. Sed tamen quid sunt apud Martialem Calendæ GERMANICÆ, quæ *l.* IX. *epigr.* II. afferuntur?

Dum Janus hyemes, Domitianus autumnos,
Augustus annis commodabit æstates:
Dum grande famuli nomen asseret Rheni
GERMANICARUM *magna lux* CALENDARUM.

An eæ sunt Kalendæ Germanici mensis, quem ita Caligula in honorem Patris GERMANICI vocavit C ap. Suet. *Calig.* c. XV? An Septembris mensis, quem a suo cognomine Domitianus Imp. appellari voluit GERMANICUM, sicut Octobrem *Domitianum*, Sueton. *Domit.* c. XIII? An ut Græcæ, sic & Germanicæ Kalendæ re erant, nomine non erant? Supprimo, quid sentiam, ne judicii cruditas inceptum præjudicium pariat. Kalendas tamen Septembris, quam alias malim, quia sic se ipsum interpretatur Poeta.

§.9. Uti igitur Græca derivatio vera, ita ejus ratio prorsus ridicula, quam affert Fabric. Paduanus c. l. *ne scil. latrones haberent tempus insidiandi mercatoribus interceptis literis, aut ne hostes temporis inter-* D *capedine suis rebus optime consulerent & deluderent*: Quasi vero potius latronum decipiendorum, quam civium informandorum causa nomina rerum invenissent primi rerum Roman. conditores. An vero & eadem ratio pro Iduum derivatione decertabit? vix credo. Sic enim rectius omnium & mensium & dierum nomina & literas Græcas assumpsissent, tutiusve animi sensa prædones celavissent. *Sunt apinæ, tricæque & si quid vilius istis.*

§. 10. Istud forsitan accommodatius ad rem, dicere, quantæ solennitatis fuerint Kalendæ apud Rom. & νεμηνίαι apud Græcos. Nam & festæ erant, E & sacræ erant, & in ære erant Kalendariorum: hoc supra sparsim docuimus: istud inter alia etiam indicat Libanius *Declam.* XL. abdicati Patrem amantis: οἶσθα πάτερ, ὡς ἡδόμενος εἴς, ὁπόθ' ἐσὲ παρεπέμπομεν εἰς ἱερὰ τ͂ νεμηνίαις, ὁ μὲν ἔνθεν, ὁ δ' ἔνθεν βαδίζων. *Nosti Pater, quam lætus esses, cum te Kalendis deduceremus ad templa, unus ab hoc, alter ab illo latere comitantes.* Et vicissim *Declam.* VIII. Invidi se deferentis: Ταῖς νεμηνίαις νόμῳ μὲν πόλεως ἐθύομεν. *Novilunio ex more Urbes eadem sacra faciebamus.* conf. Hospinianus *de Orig. Festor.* cap. IV.

§.11. Sed quid causæ, quod Romani, & cum eis F Christiani etiam a KALENDIS JANUARIIS potius quam ab alio sive die, sive mense anni initium sumpserunt? Diversæ a diversis dantur causæ, quarum (α) Politica. Nam Romulum Martis filium & bellorum amantem a KAL. MARTIIS suum esse orsum annum, ex eo indicio fit manifestum, quod quintus a Martio mensis Quintilis, Sextus Sextilis, reliquique sic ordine fuerint denominati. Sed Numa pacis quam belli studiosior a motibus ad quietem, a litibus ad agros & hortos populum revocaturus Janum Marti præposuit, utpote qui cives civilis & mode-stioris vitæ sectatores fecerat, cum Janus pater, id est, primus omnium Deorum, omnium mortalium haberetur. Atque ex hoc honore primus in sacris nominabatur, & præfationem precationum in omnibus sacrificiis meruerat, teste Q. Fabio Pictore l. I. *de Aureo Sæculo*: *Vinum*, inquit, *& far primus illos docuit Janus ad sacrificium & religionem verius, quam ad esum: primus enim oras, & pomeria, & sacra docuit, & ob id ei in omni sacrificio perpetua præfatio præmittitur, farque illi ac vinum primo prælibatur.* Xenoph. *l.* I. *Rer. Italic.* Dempst. *ad Rosin. l.* II. cap. III.

(β) PHYSICA, quam Plutarchus *QQ. Rom.* probl. XIX. habet. In universum in his, quæ circulo circumaguntur, natura nihil est primum aut ultimum, sed arbitrio hominum alius aliud statuit temporis initium. Optime vero, qui post Solstitium hybernum anni Exordium faciunt, quando Sol progrediendi fine facto convertitur, & ad nos cursum reflectit: Tunc enim in ipsa quoque natura conversio quædam fit, quæ luminis tempus auget, & tenebrarum minuit, nobisque propius admovet principem atque Dominum universæ naturæ.

(γ) MYSTICA, quod his ferme diebus *Christus Sol justitiæ* hominibus illuxerit, sicque divino plane consilio & eodem ferme tempore diversa luce Orbi terrarum affulserit, juxta illud Prudentii:

Quid est, quod arctum circulum
Sol jam recurrens deserit?
Christusne terris nascitur
Qui lucis auget tramitem?

(δ) ECCLESIASTICA, quia hoc die circumcisus est Dominus noster J. Christus, & legis nostri causa implendæ fecit initium, & Annales Ecclesiasticos condendi aperuit viam. Quo ipso simul etiam ostendere voluit primitiva Ecclesia suam in rebus politicis libertatem, quod, sicut sub Ethnico Magistratu viveret, commercia exerceret, agros coleret, stipendia mereret, ita etiam Calendario politico & institutis aliis civilibus uti posset & vellet, salva libertate Christiana. Neque enim Evangelium politiam abolet, aut ordinationes civiles contemnit, nisi qua fidei & pietati periculum creatur.

§.12. Utut igitur Dionysius, cogn. *Exiguus* (Beda teste *de Ration. Temp.* c. IV. V.) tempore Theodorici Regis Italiæ, omissa profana numeratione annorum ab Imperio Diocletiani Imperatoris & persecutoris, Anno Domini DXXVII. Cyclum Paschalem scribens ab INCARNATIONE Domini annos computaverit, communiter tamen in Ecclesia Christiana obtinuit, quia priores causæ in KALENDIS JANUARIIS concurrebant, Ecclesiastica monumenta ex Fastis Romanorum concinnare, & initium anni a KALENDIS formare Jani.

§. 13. Ab his Kalendis etiam postmodum Calendaria sunt dicta tabulæ expensorum acceptorumve. Nam, ut supra docebamus, Græci suas usuras ad Νεομηνίας, Romani ad Kalendas allegarunt, ita ut singulis Kal. debita exegerint & crediderint. Plutarchus docet *lib. de vitando Ære alieno*: *Meque (vasa figlina) Kalendarum & Novilunii admonebant: quam diem sacratissimam fœneratores atram & abominandam faciunt*: altera Romanorum, altera Græcorum lucratoria tempora notans. Id indicat Ovid.

Qui puteal Janumque timet, celeresque Calendas.
Celeres, quia nimis mature menstrua fœnora recurrebant: *Kalendas*, quia iis credebantur, & in Kalendaria referebantur fœnora exacta. Sic Constantinus Chlorus civitatem Æduorum jacentem erexisse & perditam recreasse dicitur, quod pecunias ad Calendaria largitus sit, id est, onera civitatis publica ad menstruas rationes sublevaverit, in Gratiarum Actione Flaviens. nomine dicta sive ab Eumenio, sive ab Æduo aliquo fol. 85. (Nam de

Oratore dubitat Steph. Vin. Pighius in *Herc. Prodicio* p.19.seq.) Quam in ſignificationem abire etiam videtur ille apud Tertullianum locus de *Hab. Mulier.* quo maximum luxum Africanarum perſtringit: *Breviſſimis loculis, patrimonium grande profertur: uno linteo decies ſeſtertium inſeritur: ſaltus & inſulas tenera cervix fert: graciles aurium cutes CALENDARIUM expendunt, & in ſiniſtra per ſingulos digitos de ſaccis ſingulis ludit ambitio. Hæ ſcil. vires ſunt ambitionis! tantarum uſurarum ſubſtantiam uno & muliebri corpuſculo bajulare.* Similiter fere Cyprianus *lib. de bono pudic. quorum pretia etiam ſine artibus Kalendarium cujuſvis excedunt.* Seneca divitem eum cenſet, *quem aurea ſuppellex in via ſequitur, qui in omnibus provinciis arat, qui magnum Kalendarii librum volvit*, *Ep.* LXXXVIII. conf. *lib.*I. *de Benefic.* c. II. & *l.* VII. c. X. Sic & Cicer. *l.* X. *Epiſt. ad Tiron.* ep. XXIV. *A Flamma ſi non potes omne, partem aliquam velim extorqueas: imprimiſque ut expedita ſit penſio Kalendis Januariis* conf. P. Pithœum *Adverſ. l.* II. c. IV.

§. 14. Hinc in Jure KALENDARII CURATIO, & KALENDARII CURATORES celebrantur: quæ erat in civitate perſonale munus, & inter honores non habebatur, ut eſt *l.* 18. *§.* 1. *ff. de Muner. Civil.* Hi vero erant, qui Kalendariis inſervientes pecuniam civitatis fœnebrem curabant ſuoque periculo locabant, uſura in civitatem redundante. Hos Imp. Conſtantinus ſtatuminavit, *l.* I. *C. Th. de Cur. Calend. & Fidejuſſ.* ſi modo integris facultatibus eſſent, & hæredes incolumia patrimonia retinerent ſuis quibuſque temporibus exolverent, cum ſimul & Reip. utile ſit, retinere idoneos debitores, & ipſis commodum, cumulum debiti minime nutriri.

§. 15. Quo etiam referri poſſunt COLLEGIA CALENDARIORUM & IDUARIA quæ in Lapide Catalonico nominantur. Erant enim corpora, ad Kalendarium, ſeu ratiocinia urbis curanda, adhibitum. Qui ſcilicet arcam vinariam, qua de Symmachus *l.* IX. *Epiſt.* CXXI. *l.* X. *Epiſt.* XLVII. oleariam, frumentariam exercebant, de quibus duabus *l.* II. *C. T. de Curat. Kalend.* Ita autem habet inſcriptio Exoniæ in Catalonia,

L. VAL. L. FIL. GAL
FAVENTINO. II. VIRALI
QUI. ANNONA. FRUMENTARIA
EMPTA. PLEBEM. ADJUVIT
ET. OB. ALIA. MERITA. EJUS
COLLEGIA. KALENDARIORUM
ET. IDUARIA. SUO. CIVI
GRATISSIMO. POSUERUNT.

§. 16. Iſtud certum eſt, quod Doctiſſimus Dn. D. Bachmannus, Lipſienſis Profeſſor, in *Lance Satura* huc retulerit Societatem iſtam CALENDARUM, quam Leiſnitienſes Faſti prodiderunt, utpote, quæ more veterum Romanorum in Papatu diœceſanis ſuis modum & ordinem ſacrorum ſub initium menſis explicaverit, quæ feſta celebranda, quæ eleemoſynæ diſtribuendæ, quæque jejunia ſervanda eſſent: Et cum poſt memoriam ſociennorum defunctorum convivia ſobria haberentur, ab eadem Societate certas pecunias deſtinatas eſſe Calendario, prætorio, pratis, agris impenſas, ut inde quotannis imo per ſingulos menſes de varia ſorte redemptionis titulo cenſus abundaret: quod teſtimonio Gregorii Sartorii confirmat *c. l.* An ejuſdem cenſus & inſtituti antiquitus fuerit Collegium iſtud Canonicum, quod Brunſwigæ vulgo *der Caland* S. Matthæi ſalutatur, quod cum Capella ſeu ſacello & horto hodieque priſtinum nomen retinet, *der Tempel-Hoff*, aliis Antiquitatum patriarum urinatoribus dijudicandum linquo.

§. 17. Interea nulli dubium eſſe debet, quin hinc dicta fuerint & facta iſta καλανδολόγια, Carmina ſcil. ſive Syntagmata omnium Januariorum, quæ uti ex Gentilium ritibus in Eccleſiam & Rempubl. Græcorum irrepſerant, ita integris libris deſcripta paſſim circumferebantur, & publicis Doctorum & Conciliorum calculis damnabantur, una cum σεληνοδρομίοις καὶ βροντολογίοις, aliiſque vanorum auſpiciorum generibus Synod. Trullan. *can.* LXII. & alibi paſſim.

§. 18. Atque ita ſatis patet, quid nomen KALENDARUM importet: nunc porro deſpiciendum eſt de ejus oppoſito JANUARIARUM, unde ſit, & quid ſibi velit. JANUARIÆ dicuntur non tam a Janua, uti eſt *Diſt.* 76. *jejunium* c. VII. quod, ſicut per januam intramus domum, ſic per Januarium intremus annum: quam a JANO, vel quod velut Janitor cœlo præſidere & intrantibus Diis hominibuſque januam aperire credebatur, juxta Ovidium,

Præſideo foribus cœli cum mitibus horis,
Et redit officio Juppiter, itque meo;
Inde vocor JANUS. ——

vel quod ad domorum pudorem & ſanctimoniam primus valvas, ſeras & claves excogitavit, & invenit, ideoque ab eo dictæ Januæ, quæ eſt Fabii Pictoris aſſertio *de Aur. Sæculo.*

§. 19. Vetuſtiſſimus ſcil. Italorum & Aboriginum Deus, ſeu rectius Rex, Saturni σύγχρονος. Quem enim prophana natio Janum Patrem, id eſt, Deorum Deum fecerat, eum Regem largimur, Deum inficiamur fuiſſe, præeunte Synodo Antiſiodorenſi *Can.* I. Et Pictor *de Aureo Sæculo* docet, ex Principum æquitate veniſſe, ut a populis jure ſuo quidam dicti ſint & habiti Dii. Habitus ergo & Janus, non fuit, revera Deus. Eandem in rem argute, ut ſolet, Tertullianus *Apolog. adverſ. Gent.* c. X. *Ante Saturnum*, inquit, *Deus penes vos nemo eſt: ab illo cenſus totius vel potioris vel notioris Divinitatis. Itaque quod de origine conſtiterit, id de poſteritate conveniet. Saturnum itaque, quantum literæ docent, neque Diodorus Græcus, aut Thallus, neque Caſſius Severus, aut Cornelius Nepos, neque ullus commentator ejuſcemodi antiquitatum aliud, quam hominem promulgaverunt: Si quæras rerum argumenta, nuſquam invenio fideliora, quam apud ipſam Italiam, in qua Saturnus poſt multas expeditiones, poſtque Attica hoſpitia conſedit, exceptus a Jano vel Jane, ut Salii volunt: Tamen ſi Homo Saturnus, utique ex homine, & quia ab homine, non utique de cœlo & terra.* Uterque ergo homo, Rex Socius, fœderatuſque. Quid autem *Salii?* quid illi vocant *Janem?* Scil. priſca vocabula in carminibus retinebant, jam pridem exoleta. Nam & *orcula*, *doloſi*, *eſo*, pro *oſcula*, *dolori*, *ero*, *mamuriam* veterem pro *memoriam*, & *manos* pro bonos, & alia cantitabant, ut Franc. Zephyrus *paraphr. Tertulliani* obſervavit. Ita eliſa eſt Jani Divinitas non negata principali dignitate, quam cum Saturno in Italia obtinuit, quod ſtylo hiſtorico exequitur Herodianus non ignobilis Hiſt. A. ſcriptor in *Vita Commodi lib.* I. cap. XLIX. *Iſtum diem Romani feſtum agunt, ad Janum vetuſtiſſimum Italiæ Deum referentes: cujus etiam Saturnum ipſum a Jove filio pulſum, cum in terram deſcendiſſet, fuiſſe hoſpitem prædicant, & quod filii potentiam metuens ibi latuiſſet, nomen LATIO inditum, Græco vocabulo in vernaculum deflexo. Quocirca etiamnum Romani Saturnalia prius Deo qui latuit, dein vero initium anni more ſuo concelebrant.* Quod de Saturni exilio & adventu in Italiam Herodianus ſcripſit, copioſius perſequitur Ludovic. Vives *in Aug. de C. D. lib.* VII. cap. IV. Nam Janus cum Cameſene Imperium tenebat, ita ut regio ipſa vocaretur *Cameſena*, urbs autem *Janiculum*: Sed hoc mortuo om-

nia in ditionem Jani concesserant, qui Saturno hospite in societatem regni assumpto Tarpejum collem dedit, & arcem cum oppidulo Saturniam appellavit, quæ cum postea *Æneopolis* esset dicta ab Ænea, vetus tamen nomen retinuit, & *Saturnia* vocata, cujus aliquot posteris quoque ætatibus manserunt vestigia, quod Saturni fanum in faucibus, quod Saturnia porta, quæ postea Pandana, quod in muro scriptura testantur. Postea Tarpeja & condito templo, & velut Saturno illic quoque pulso *Capitolium Jovis O.M.* nominatum est. conf. Virgil *l.* VIII. *Æneid.* Prudent. *adversf. Symmach.* Ennius *l.*I. *Annal.* Voss. *de Theol. Gent.* *l.*VII.c.IV.p.521. Censor. *de die Natali* c.XXII. & Lindenbrogius *Not.b.l.*

§. 20. Janus autem ipse dictus est vel ab *eundo*, quod mundus semper & continuo motu cum omnibus suis partibus in seipsum *eat*, quemadmodum Cornificius *Etymorum* *l.*III. & Cic. *l.*II. *de Nat. Deor.* & e recentioribus Steph. Vin. Pighius *Ann. Rom. l.* VIII. f. 77. Janum quasi *Eanum* nominavit: vel a JANA, id est, *Diana*, apposita litera ϑ. decoris causa, uti fit in redhintegrare, redhibere, ita ut Janus sit Apollo, sicut Jana Diana seu Luna (secundum Nigidium & Voss. *de Idololatr.* *l.*II.c.XVI.) aut a *Janua* quod foribus cœli præsideat, ut supra ex Ovidio audiebamus, aut denique (juxta Fest. *l.* III. *de V.V. Signif.*) ab *hiatu*, detracta aspiratione, eo quod creditus sit *primævum Chaos*, seu confusa illa unitas hians, & in profundum patens ex Hesiodi descriptione. Unde & Ovidius:

Me Chaos antiqui (nam sum res prisca) vocabant,
Accipe quam longi temporis acta canam.

Nam quod iterum Goropius Becanus *Janum* quasi *Ganum* ab inferioris Sax. dialecto *gaen*, id est, *geben*, diducit, prorsus ridiculum est.

§. 21. Utrum prius dictorum amplexus fueris, nihil a Latinis autoribus abitur. Utut igitur Janum non a *Janua*, sed hanc potius ab illo diduci putemus, istud tamen non negamus, Januis velut præfecisse Janum sive cœlorum sive templorum, sive balneorum, de prioribus vide Serv. I. *Æneid.* & Macrob. I. *Saturn.* c.IX. sed & Tertull. *de Idol.* c.XV. docet, etiam ostia in balneis adorari: Nam genii & lares in ostiis balnearum insculpti erant. De Cœlorum Janua, Septimius Afer (non Tertull. noster sed alius Poeta.)

Jane pater, Jane tuens, dive, biceps, biformis,
O cate rerum sator, o principium Deorum,
Stridula cui limina, cui cardinei tumultus,
Cui reserata mugiunt aurea claustra mundi.

Idque nihil novi. Nam & Græci *ϑυραῖον* Januis præfecerant: Et iisdem *αὐτήλιοι* Dii sunt, qui pro foribus dedicantur. Hesych. *αὐτήλιοι θεοὶ οἱ πρὸ τῶν πυλῶν ἱδρυμένοι.* Et rursus: *Αντήλιος ὁ ἀντικρὺ ἡλίου ἱδρυμένος βωμὸς ἢ θεός.* Quos ipsos etiam Romanis exprobrat Tertull. *c. l.* conf. Serv. I. *Æneid.* & Macrob. *Saturnal.*

§. 22. Atque hæc quidem hactenus ex fabulosa Latii antiquitate asseruimus. Re ipsa autem Janus fuit aut NOACHUS, primi mundi reliquiæ unicæ, & secundi restaurator vere heroicus, aut *Javanus* contracte *Janus*, sive ex Ἰων, Ἰάων, in obl. Ἰάονος, *Janos filius Japheti*, quorum ille omnium post diluvium mortalium, hic vero duarum gentium Græcarum & Latinarum pater fuit, per assertum Majoli P. II. *Dier. Can. Coll.* I. p. 36. & libelli, qui *Beros. Babyl.* nomine circumfertur, Peucer. *de Divin.* p. 138. & 210. Gorop. Becan. *l.* IV. *Antiq.* in Croniis, *Chron.* Carion. f. 139. Voss. *de Phys. Christ. & Theol. Gent. l.* VII.c.IX. & *l.*I. c.XIX. Nam Noa, qui filiis orbem divisit, & Japheto imperium in Italia stabilivit, bis classe eodem transvectus contra violentos Chami insultus: quo de alibi.

§. 25. Quid autem est, quod Jacob. Hugo Canon. Belga Insulensis in *Origine Italiæ ac Romæ ad hanc diem ignota*, ex JANO PETRUM, & ex Constantino Cæsare Saturnum facit, idque non tantum in pegmate libri, sed etiam in libro ipso c. XII. p. 872. & mox hujus theseos oblitus, p. 89. alium Janum Bifrontem, Petrum scil. & Paulum, Petrum autem geminum, Patuleium & Clusium propter jus clavium, Ecclesiasticum facit. Quem, nisi se sua mystagogia, & adulatione Papæ saginaret, insanire dicerem. Quanquam quid attinet dicere? Dudum ante eum id scripserat Novidius Fraccus *l.*I. *Sacror. Fast.* p. 4.

Nauta fuit Noes: sit PETRUS navita, dixit.
Cum rate dat claves imperiumque seni.

Istud autem ferendum nullo modo est, quod idem Novidius ex Jano Deum facit, eumque primo bicipitem, inde tricipitem, tam initio *Fastorum* p. 4. quam in fine p. 173.

Ante biceps Jano, nunc DEUS unde triceps,
Nunc DEUS unde triceps, qui Jano augustior ipso est.

Sit ei ex licentia poetica integrum, *Janum* in multas convertere formas, in bicipitem, tricipitem formare: Deum tamen sive bicipitem sive tricipitem (quocunque id etiam prætextu aut ratione fiat) Christiana veritate prohibemur dicere. DEUS unus est essentia, trinus personis: non triplex, nedum (horreo ex Novidio blasphemam vocem proferre) *triceps*. Morsus Diaboli est; non versus Poetæ Christiani.

§. 24. Sed ad veterem Janum redeo: Hunc Veteres *διπρόσωπον* finxerunt; eodem sensu, quod scil. Noah una velut facie retrorsum in mundum antediluvianum, altera antrorsum in postdiluvianum respexerit. Quanquam a nugaci Latio aliæ etiam Bifrontis Jani afferantur causæ, utpote, quod & *præteritorum recordetur, & præsentia intueatur*, vel *quod in eodem annus incipiat & desinat*, *ἐπειδὴ εἰς αὐτὸν ὁ ἐνιαυτὸς ἄρχεταί τε καὶ παύε)*, ut Herodianus in *Commodo* loquitur, *l.*I.c.XLIX. vel ob *prudentiam*, quod præviderit ventura, & respexerit præterita, uti de cordato viro Homerus inquit;

—— *ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω*
λεύσσει: ——

vel quod *natione Græcus & perrhæbus* fuerit, & in Italia Italicos mores sumpserit, vel quod *duabus rebus agricultura & civili institutione* suos composuerit ap. Plutarch. *Q.Q.R.* XX. vel quod *Janus sit mundus* gemina facie, hac *ortum*, illa *occasum* spectante, vel quod sit Sol, qui pro ortu & occasu duplicem quasi faciem induat, vel quod *superum & inferum* sit janitor, vel si quid aliud istius inventionis fuerit. Quis enim omnes veterum ingeniorum lusus recolere aut allegare valeret? Conf. Cyprian. *de Idolor. varietate*, Voss. *de Physiol. Christ. & Th. Gent. l.* IX. c. XXVIII.

§. 25. Ipsius simulachrum aut cum sceptro & clave (unde & clavigeri nomen) aut in manu dextra T notam tricenarii, in sinistra ξέ. id est, *sexagenarii & quinti* habuit, ad denotandum totius anni dimensionem per triginta sexaginta quinque dies, ex fide Macrobii *l.*I. *Saturn.* c.IX. Plin. *l.*XXXIV.c.VII. & Suidæ in voce *Januar.* Veteres enim gestu manus modo dextræ, modo sinistræ & digitorum suppressione aut circumfusione sæpe annos denumerarunt, qua de re extat libellus Bedæ, & nonnulla apud Rhodig.

Antiq. Lect. l. XII. c. XLIV. & l. XXIII. c. XI. & Pierium in *Hieroglyph.* l. XXXVII. Dempster. *ad Rosinum* l. II. c. III. Fabrit. Paduanum in *Catena Temp.* c. XVI. Wouwerium *Polymath.* c. VII. Colvium *in Apuleii Apologet.* II. Savaronem *in Sidon.* l. IX. *Ep.* IX. Voss *de Idol.* l. II. c. XVI. Quanquam dissimulandus non sit Arithmetices calculus. Nam Plinius facit *summam* 355. *dierum*, quot dierum Numæ annus fuit, cum Romuli vix 304. dierum fuerit. Julius autem Cæsar demum annum 365. exaltaverit. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ.

§. 26. Istius autem JANI ut gemina facies, ita etiam geminum officium fecerunt, pro diversitate agnominis. Nam aut CLUSINUS, aut PATULCIUS erat, prout januæ templi ejus aut clauderentur, aut paterent, quorum illud pacis, hoc belli tempore fiebat.

Nomina ridebis: modo namque Patulcius idem,
Et modo sacrifico Clusinus ore vocor.
Scilicet alterno voluit rudis illa vetustas
Nomine diversas significare vices.

§. 27. Præterea & alia gessit agnomina. Nam & Janus consivius a conserendo, id est, propagando genere humano, & QUIRINUS ab hasta, quam Sabini Quirim seu Curim vocant, quasi bellorum & telorum potens; & Curiatius, quem Horatius victor cum Junone sororia in memoriam Curiatii Albani sacraverat, & Janus Junonius, quasi non solum Januarii, sed etiam omnium mensium ingressum tenens, eo quod omnes Kalendæ in Junonis ditione fuerint, proptereaque eidem (dicente Varrone) XII. aræ per totidem menses dicatæ fuerint. Macrob. l. I. *Saturn.* c. IX.

§. 28. Quin & Numen tutelare locorum fuisse Janum ex lamina ærea conjicit Lipsius *Antiq. Inscr.* f. 25. quam Spoleti in Umbria casu sub mœnibus oppidi rusticus effodit. Veteres enim muros locaturi consueverunt genium civitatis, ne ab hostibus capi posset, velut Trojanum Palladium in terram defodere. Monumentum Tabellæ in pariete depictum ita habet:

JANO. PORTUNO. NATO. MARTI. E. S
C. VIBONIUS. A. APRUNNIUS
L. AORELIUS. FACIONDUM
DEDERUNT.

§. 29. Sed ad Διπρόσωπον revertimur, cui Templum struxit Romulus, sacravit Pompilius, cujus duas portas in bello aperire, in pace vero claudere fas erat, eo quod iis apertis, in armis esse civitatem, clausis vero, pacatos circa omnes populos, significarent.

Sunt geminæ belli portæ, sic nomine dicunt
Relligione sacræ, & sævi formidine Martis
Centum ærei claudunt vectes, æternaque ferri
Robora, nec custos absistit limine JANUS.
Has, ubi certa sedet patribus sententia pugnæ
Ipse, Quirinali trabea cinctuque Gabino
Insignis, reserat stridentia limina Consul,
Ipse vocat pugnas, sequitur tunc cætera pubes;
Æreaque assensu conspirant cornua rauco.

Virgilius VII. *Æn.* Cœl. l. XII. c. VIII. Macrobius l. I. *Sat.* c. IX. Livius l. I.

§. 30. Claudendi autem & aperiendi ratio varia affertur. Alii enim volunt, Romulo contra Sabinos pugnante, cum Tatius Sabinus, occupata jam arce Tarpeja descenderet in forum per clivum Capitolinum, inque eo esset, ut vinceret oppositam Romuli manum, calidam aquam ex eo loco, ubi templum Jani, erupisse, quæ exercitum Sabinorum primum stiterit, mox fugarit: hincque factum, ut pugnaturi aperirent templum quod in eo loco fuerat constitutum, quasi ad speciem pristini auxilii. Quam more suo fabulam Naso descripsit:

Et jam contigerat portam, Saturnia cujus
Dempserat oppositas insidiosa feras,
Cum tanto veritus committere Numine pugnam,
Ipse meæ movi callidus artis opem.
Oraque qua pollens ope sum, fontana reclusi,
Sumque repentinas ejaculatus aquas:
Ante tamen in adidis subjeci sulphura venis,
Clauderet ut Tatio fervidus humor iter.
Cujus ut utilitas pulsis comperta Sabinis,
Quæ fuerat tuto reddita forma loco est.

Fabulam, inquam, Macrobianam & Ovidianam, quam jam dudum eruditi olfecerunt, inde oriam, vel quod militibus Romuli Sabinos repellentibus, Metius Curtius Sabinus aquis in proximam paludem confluentibus se conjecit, vel quod Galeritus Lucumo Thusciæ militiæ dux milites suos ad sulphureum Jani Vadimonis seu Vertumni, seu Protei lacum initiatos, in Romuli auxilium emisit, qui Sabinam manum rejicerent, quod ex veritate historica diducere allaborat Annius Viterbiensis *Comm. in Fab. Pictorem de Aur. Sæculo* l. II. p. 41.

§. 31. Alii ex certa conventione inter Romulum & Tatium inita factum ajunt & templum & ritum, ideoque Janum duas facies habere, quod duorum Regum, duorum populorum coitionem ostenderet. Sed quod ipsorum venia dixero, Jani cultus dudum ante Sabinorum adventum in rudi Italia receptus fuisse videtur. Erat enim antiquus Aboriginum DEUS. Hinc alia potior mystica significatio, quod ad bellum ituri debeant de pace, aut de reversione cogitare: idque veteribus denariis signatum, in quibus Janus Consivius cernitur gemino capite frontibus conjunctis. Inscriptio est:

Q. FABIUS SERVILIANUS S. C.

Ita ut literis ultimis significetur nummum ex SCT. cusum, idque anno U. C. Q. Fulvio Nobil. & T. Annio Lusco Coss. illud Servio decantatum Fœdus Sabini & Romuli, vid. Pighii *Annal. Rom.* l. VIII. f. 77. & l. VI. f. 451.

§. 32. Cæterum JANI TEMPLUM uti famosissimum est, ita de loco seu sede ejus non satis constat. Sext. Pompejus, Marlianus & Boissard. *Topogr.* c. L f. 92. illud ponunt ad imum Argiletum, id est, in XI. *Regione Urbis*: Corn. Tacitus & Servius *in Virgil* ad *Forum Olitorium*: Blondus & Merula ex Victore & Rufo in *Foro Magno*, id est, VIII. Regione: quibus etiam fidem lucratur Procop. l. I. *de B Goth* quod sua ætate in medio foro ex adverso Capitolii paulo supra tres Parcas, fuerit totum ex ære, quadrata dimensione tantæque amplitudinis, ut integri Jani statuam quadrupedalem capere potuerit. Et Joh. Xiphil. in *Epit. Dionis* docet, quod Didius Julianus novellus Imperator sacrificare paraverit in ARA JANI, quæ fuerit ante fores Curiæ Romanæ.

§. 33. Ex quibus conficitur, plures fuisse JANOS, plura JANI TEMPLA. Nam & in Insula Tiberina Topographia Boissardi unum ponit, & in foro Magno aliud, & vicissim aliud in foro Olitorio sacravit Tiberius, a Duillio feliciter bello Punico finito votum. Tacit. l. II. *Annal.* Hinc etiam Ovid. I. *Fast.* quærit:

Cum tot sint Jani, cur stas sacratus in uno
Hic, ubi templa foris juncta duobus habes?

Duobus foris, scil. *piscario & boario*, secundum vulgarem interpretationem, rectius autem de Olitorio & Piscario intellexeris cum Alex. Donato *R. V. & R.* l. II. c. XXVI. p. 181.

A §.34. Præterea aliud fuit JANI QUADRIFRONTIS Templum, opus Scopæ & Praxitelis, quem Augustinus & Vives, nec non Rosinus GEMINUM vocant, (non priorem istum Bifrontem) in *foro Transitorio quatuor portarum* (vel *quod in* IV. *Mundi partes* prospectaret, vel *quod quatuor Jani filiæ* laqueo gulam fregerint, juxta Critolaum tertio τῶν φαινομένων, vel *quod omnia ejus templa essent quadrata* secund Joh. Pierium *Hierogl.l* XXXII c.XXX.) totum ex ære, cum signo & ara JANI. Cum enim Faliscis, (alii *Phaleris* habent) Thusciæ urbe, inventum est simulachrum JANI cum IV. FRONTIBUS, fuit etiam JANI QUADRIFRONTIS templum structum in VIII. Regione: autore Servio, Marliano, Boissardo.
B Istius icona & structuram Rosin. *Antiq. Rom. l.* XI. c. III. exhibet, additque, illud factum ab Augusto. Nam quod Blondus vult, illud ipsum esse a Numa, Boissardo non placet, quod adhuc totum pene integrum sit, ideoque videatur ab aliquo novissimorum Impp. excitatum esse, *P.* I. f 61. & 99. Istius testudinem IV. tantum pilis sustineri, quatuor portarum, ad IV. anni temporum similitudinem, inde in singulis frontibus duodecim loculos seu fenestras spectari, quæ ipsom Divum principium & finem esse totius anni, in duodecim menses divisi, notent.

C §. 35. Hæc uti publice Romæ colebantur, ita falsse ob absurditatem ab Augustino perstringuntur *l.* VII. *de C.D.* c. VIII. cum eum faciunt quadrifrontem & Janum geminum appellant, ad IV. Mundi partes, interpretantur, quasi aliquid spectet mundus foras, sicut per omnes facies Janus. Deinde si Janus est mundus, & mundus IV. partibus constat, falsum est simulachrum Jani, quia Janus, etsi quadrifrons legitur, nunquam tamen quadrijanus invenitur: aut si propterea verum est, quia nomine Orientis & Occidentis totus solet mundus intelligi, nunquid cum duas partes alias nominamus Septentrionis & Austri, sicut illum quadrifrontem dicunt geminum Janum, ita quisquam geminum dicturus est mundum?

D §.36. Sed nos ad Janum nostrum redimus, ad cujus similitudinem inventi sunt & olim & nunc inveniuntur plures JANI in plateis, vicis, hortis, ac angiportibus, ad capita vicorum positi, ædificia sc. quadriformia & pervia, seu portæ, (quas Dion ἀψῖδας vocat, alii *fornices*, vulgus *Portonos*) ex lapidibus aut alia materia pro tempore excitatæ marmoribusque incrustatæ: Quas pervias transitiones Janos appellabant, aut ad *Jani similitudinem* formatos, aut *quasi Januas*, eo quod in eos adituum Jano dicatorum ingressus & exitus patebant. Sic scribit Sueton. in *Aug.* c. XXXI. Augustum statuam *marmoreo Jano* supposuisse. Et Liv. *l.* XLI. Unum Censorem forum porticibus tabernisque claudendum & Janos tres faciendos curasse.
E Iterum Suetonius in *Domit.* c. XIII. *Janos, arcusque cum quadrigis & insignibus triumphorum per regiones Urbis tantos ac tot extruxit; ut cuidam Græce inscriptum sit Arcui, aream & Calvitium*. Quæ quem gignunt, quæso, in Latinissimo autore sensum? Cur *Aream* & *Calvitiem* inscripserunt, id est, ἀλωπεκίαν seu *profluvium capillorum*? quia plures justo Janos posuerat? at, hoc quid est? Arguta est Turnebi conjectura, qua & Græcam dictionem, & talem, quæ sat multos extructos esse arcus dicat, scriptam esse vult, ideoque aut ἄρτι *nuper*, aut ἀρκεῖ *sufficit*, aut ἄρθητι *tollitor*, restituit, *l.* X. c. X. & *l.* XXII.
F c. XVI. Theod. Pulmann. *in Suet. Domit.* XIII. Gruterus, Casaubonus hunc locum ita resarciunt, *ut cuidam Græce inscriptum sit arcui* ἀρκεῖ. Sed hæc Ponzano Comiti non sunt ad palatum. *Quid enim*, ait, *opus erat, addere Græce esse scriptum, si Græca vox* ἀρκεῖ *aut* ἄρθητι *inscripta esset arcui?* adde si vel maxime pro priori voce *aream* poneres ἀρκεῖ. Quid fiet de altera ista, & *Calvitium*? Ea de causa retinendam censet scripturam, & has voces Latinas *aream* & *calvitium* Græce, id est, Græcis literis inscriptas esse, ut falsse Calvitiem Domitiani Imp. & ambitum in tot JANIS ponendis insanum carperent: Imprimis, cum tacita æquivocatio in voce Areæ latitet. Hæc enim proprie notat *locum in urbe purum sine ædificio: improprie autem partem verticis depilem morbo*, apud Celsum *l.* VI. c. IV. & Galen. I. *de Remed. paratu facilib.* c. VI. Ex hac itaque similitudine vocis ambiguæ profectam inscriptionem, AREAM & CALVITIUM, quasi dicerent, cum Domitianus omnes vicos, omnes urbis areas Janis ejusmodi fornicatis oppleviset, restare adhuc unam *aream*, *ipsius scil. Calvitium*, in quo & ipso (velut *depili & vacua area*) novus adhuc Janus poni possit, si alias locus non esset super. Salsa, imo calva (si verum fatendum) accusatio.

§. 37. Apud D. Victorem & Rufum in *Rep. Urb.* VIII. sunt Jani duo, celebris mercatorum locus, ad Fornicem Fabianum prope Templum Faustinæ. Et Horatius *summi & imi* meminit *l.* I. *ep.* I. Quis vero JANUS *medius* erat? Hunc Cicero II. *de Offic.* sub fin. ita describit, ut nullus alius quam fœneratorum locus fuerit. Ita enim inquit: *Sed de toto hoc genere, de quærenda, de collocanda pecunia, etiam de utenda commodius a quibusdam optimis viris ad MEDIUM JANUM sedentibus, quam ab ullis philosophis ulla in Schola disputatur.* Ad quæ Erasmus: *Locus publicus, quo usuræ exercebantur.* Idem huc revocat locum ex VI. *Philipp.* Non possem sine risu dicere L. Anton. Jano medio: itane Janus medius in L. clientela sit? Quis enim unquam in eo inventus est, qui Lucio Antonio mille nummum ferret expensum? An iste *Janus medius* tertius quidam erat a prædictis duobus, *summo & imo*? Ita scribit commentator vetus *in Horat.* Sed Cruquio non satis facit, cui *medius ille imus est*: imus quia summo oppositus: medius quia ad medius forum situs, ex Ovid. *de Rem. Amor.*

Qui puteal, Janumque timet, celeresque Kalendas.

Puteal enim Libonis erat in foro (non ad Jani templum, ut vult Lambinus) sed ad *Janum imum*, ubi fœneratores sedebant, Kalendisque singulis pecunias fœnori dabant, recipiebantque; vid. Puteanum Orat. XVII. p. 331. Quo alludit Damasippus apud Horatium *l.* II. *Sat.* III.

—— *Omnis res mea Janum*
Ad medium fracta est.

Id est, naufragium bonorum feci, cum in fœneratorum manus inciderim, qui in vico Jani, seu ad Janum medium consistebant. conf. Paul. Merul. *Cosmogr. P.* II. *l.* IV. p. 985. De quo accipiendum est & illud fragmentum D. Susii, quod Pighius habet *l.* XI. *Ann. Rom.* f. 378.

IV. KAL. APRILEIS
FASCES. PENES. LICINIVM
FVLGVRAVIT. TONVIT. ET. QVERCVS. TACTA
IN SVMMA. VELIA. PAVLVM. A. MERIDIE
RIXA. AD. JANUM. INFIMVM. IN. CAVPONA. ET
CAVPO. AD. VRSVM. GALEATVM. GRAVITER
SAVCIATVS.

§. 38. Τί δὲ ταῦθ' ἅπω συχνὰ περὶ τῶν Ιανῶν; An ut plures JANOS demonstres? Quis de eo dubitabit? Dubitat, imo negat Luc. Joh. Scoppa *Syllog.* IV. *Collectaneor.* c. XI. *Unum*, inquiens, *erat in Urbe Jani templum, non plura*. Cui directe contradicit Pigh. *Ann. Rom. in Jano Antiquo f.* 78. tribus sacris diversis Janum fuisse cultum, asserens ex antiquis Scriptoribus.

§. 39. Ex tot eruditorum Virorum contradictionibus, & intricatis nodis, ut nos feliciter expediamus, distinguendum esse putamus inter Romuli, Numæ, Consulum, atque Augusti Romam. Diversis enim temporibus diversimode ea se habuit. Nam Romuli Roma solo monte Palatino continebatur, Urbs aut tribus, aut (ad summum) quatuor portis, *Romanula*, *Mugonia*, *Januali* (& fortassis etiam Carmentali contra Ann. Viterb. *Comm. in Fab. Pict.* p. 21.) cincta. *Mugonia* ad templum Jovis Statoris: *Romanula* ad clivum versus Aventinum montem & Circi Maximi vallem spectans, *Janualis* (si Macrobio fides,) versus *Viminalem & Cœlium*, si Alex. Donato credendum, versus *Capitolium & forum Romam.* pertigit.

§. 40. Veruntamen ego hoc potius, quam illud probo, idque duplici de causa (1.) Quia hæc, quæ apud Macrob. & Ovid. extat sive fabula sive historia de aquis calidis sub Jani porta erumpentibus, accommodatior est intercapedini inter Capitolinum & Palatinum montes, ubi nunc est forum. (2.) quia Tatii Sabini decursus ex arce Tarpeja ad Romuli aciem, in declivum fori spatium, huic spatio unice convenit, ubi postea forum Rom. fuit, non ubi Viminalis aut Cœlius est. Inspiciatur Livius *l.* I. c. XIII. & historia erit clara. Sive enim iste per *portam Palatii* intelligit *Janualem*, quod vult Onuphrius, sive *Mugoniam*, quod Alex. Donatus, tamen clades & victoria in illa convalle, quæ fuit inter Capitol. & Palatinum, facta est, ad cujus ambitum Janualis porta, Jani ædes, & Jani simulachrum fuit. Nam quod aliqui Janum nullum sub Romulo agnoscunt, sed ejus templum demum cum Livio sub Numa locant, non quadrat ad Veterum consensum. Ita inquit Servius: *Constat, Jani templum patuisse sub Romulo*. Si sub Romulo patuit, ergo fuit. Si porta Janualis fuit, Jani quoque sive imago sive ædicula, sive utrumque fuit. Nam illa ab hac nomen accepit, ex fide Varronis: Fuit, inquam, sub Simulachro scil. ligneo, quod postea Numa æreum reddidit, accito Mamurio Osco eruditissimo opifice, per fidem Annii Viterb. ex *Elegia* Propertii.

Stipes acernus eram, properanti falce dolatus
Ante Numam, grata pauper in Urbe Deus.

in Fab. Pict. p. 39. Ante hic PRIMUS JANUS est.

§. 41. Post unionem Tatii & Romuli ampliato pomœrio, cum Capitolium & Palatium idem murorum ambitus cingeret, translatum a NUMA signum, templumque extra mœnia, quasi bellum excluderetur, & clausæ templi fores, quæ sub Romulo apertæ fuerant. An eodem etiam translata sit porta Janualis, mihi exploratum non est. Tradit tamen Varro, qui & ipse claudendæ & aperiendæ portæ rationem tradit. Imo & illud reperio, a nonnullis Carmentalem etiam Janualem haberi. Quod si ita esset, res tota in vado esset. Favent & Ovidii Carmina, quanquam de ea Porta sic sit locutus, quasi & in Palatio & ad imum Argiletum sub Capitolio esset, ex consuetudine, credo, Poetarum, qui per ἀναχρονισμὸν in locis rationem temporum nonnunquam solent mutare.

His ita positis, dicendum est, quod fuerit JANI templum sub Numa ad imum Argiletum pone portam Carmentalem, sive Janualem, ubi Capitolium spectat Tiberim, circum Flaminium, inter Bellonæ & Apollinis templum non procul a Theatro Marcelli. Ita ex primis & posterioribus temporibus ejus situatio describi potest, conf. Liv. *l.* I. c. XVIII. Alex. Donat. *l.* I c. XI. p. 36. Suntque præterea ex autorum consona descriptione etiam hæc indicia observanda, quod steterit (1.) *inter duo fora* (Olitorium scil. & Piscarium:) (2) *habuerit imaginem Jani bifrontis*, ipsumque (3.) fuerit δίθυρον, seu *duarum portarum*, duraveritque (4.) *per longa Coss. & Impp. sæcula*, utpote sub quibus & clausum & apertum est. Hoc fuit illud quod, Procopius sua ætate vidit, ut supra §. 32. tetigimus. Nam in medio foro (scil. Olitorio) & ex adverso Capitolii & supra tres Parcas fuit; & habuit bifrontis statuam, & binas portas æneas, & claudi & aperiri solebat. Quæ certe omnia non Jano Quadrifronti sed Bifronti conveniunt.

Quæ ædes cum vetustate & igne abolita esset, (stetit enim CCCCLXXX. circiter annos) C. Duilius primus navali prælio victor novam vovit, Augustus restauravit, Tiberius dedicavit, Tacit. *l.* II. *Annal.* c. XLIX. Quod quia fuit apud forum Olitorium, Jani Bifrontis fuisse oportet. Atque hic fuit JANUS SECUNDUS.

§. 42. Præterea alius JANUS etiam *Quadrifrons* in foro Boario locatus fuit. Nam captis Phaleris & invento simulacro Jani cum quatuor frontibus, ei in foro Transitorio constitutum est sacrarium aliud, quod novimus quatuor portas habere, dicente Servio *in* VII. *Æneid.* Loquitur de Sacrario quadrilatero, quod Jano conditum captis Phaleris, idemque esse probabile est cum eo, quod hodieque conspicitur in veteri foro Boario apud ædem S. Georgii, cui propterea *Transitorii* cognomen fuit. Verum ex eo translatum Jani simulachrum ad forum Nervæ transtulit secum etiam cognomentum. Neque enim *Transitoriam* appellatur, *quia per illud in alia fora viasque opportune transiretur*, ut Marlianus & alii putant: Hoc enim pacto & forum Augusti & Cæsaris & alia Transitoria ita debuissent denominari: Nam & ab his transitus erant: Sed quia JANI Templum habebat, cui quatuor inerant portæ sive arcus: Jani autem ejusmodi quadrilateri transitiones dicebantur, quod semper transeuntibus paterent. Nam Nerva Imp. Janum quadrifrontem ex humiliori delubro suum in forum transtulit, teste Martiale *l.* X. *epigr.* XXVIII.

Publica quem primum vota precesque canunt.
Pervius exiguos habitabas ante Penates,
Plurima qua medium Roma terebat iter.
Nunc tua Cæsareis cinguntur limina donis,
Et fora tot numeras, JANE, quot ora geris.
At tu, sancte pater, tanto pro munere gratus,
Ferrea perpetua claustra tuere sera.

Ergo ex exiguis istis penatibus pervius ille transportatus, *forum Nervæ* etiam appellatione pervium fecit. Sic enim Aurelius Victor nominavit. In quo tot numeravit fora, quot ora, nempe quatuor, Romanum, Cæsaris, Augusti, Nervæ. Nam de Trajano foro, quod postea demum factum est, Martialis loqui non poterat. conf. etiam Statium *l.* IV. *Sylvar.* In eodem foro etiam ædes Minervæ eminentior & magnificentior consurrexit. De qua dubitat Lipsius *l.* III. *Magn. Rom.* c. VII. an ea, an vero illa Jani potius in medio foro sita fuerit, cum & de hac Statius scripserit:

Sed qui limina bellicosa Jani.
Justis legibus & foro coronat.

Non dubitarim tamen ædem Palladis sublimem in medio, Janum vero quadrifrontem pervium in aditu transituque collocare, utpote qui transitionibus præerat, inquit Alex. Donat. *Rom. Vet. & Rec.* *l.* II. c. XXII. & XXVI. Atque hic est JANUS TERTIUS.

§. 43. JANUS QUARTUS in Insula Tiberina non habuit templum, sed ad Jani Tertii formam pervium ædificium a Septimio Severo extructum, unde & Janus *Septimianus* dictus fuit. QUINTUS denique JANUS Curiatius in foro Nervæ dicitur ædem habuisse, quæ longe ante Nervæ tempora fuit: Certe cum Jani Quadrifrontis templo idem esse non potuit.

§. 44.

§. 44. Præter hos quinque jam dictos Janos, erat etiam *vicus Janus*: ſcil. a Jani Bifrontis templo via quædam adjuncta dicta eſt Janus, Fœneratorum ſtatio & Trapezitarum: ejus partes erant ſummus, imus, medius. Unde illud Ciceronis *ad Janum medium ſedere*. Item

Hæc Janus ſummus ab imo
Perdocet,

apud Horatium *lib.* I. *epiſt.* I. Hunc plurima pars in foro, pauci ad Janum Bifrontem, accuratiſſimus Alex. Donatus ad Janum Quadrifrontem ponunt. Ego viam ſeu vicum a Jano Bifronte ad Janum Quadrifrontem, & ſic a foro Olitorio verſus Boarium, & inde uſque ad vicum Thuſcum pertigiſſe dixerim, ex his potiſſimum notis. Nam(α) Janus medius diu ante Nervæ tempora fuit, Ciceroni & Horatio decantatus, a quo in cognomine foro Quadrifrons conſtitutus eſt: Ergo ad Janum Quadrifrontem non pertinuit: Aut ſi ad Quadrifrontem in foro Boario malis, a nobis non adeo longe abibis, qui ab hujus confinio hunc Janum dimetimur. (β) Janus medius conjunctus erat cum vico Thuſco, cum ſtatua & templo Vertumni, cum vico jugario, cum tabernis veteribus, ita ut a porta Carmentali per eum cum in Forum magnum, tum in Forum Boarium atque in Circum Maximum per totum velabrum eſſet tranſitus. Cujus aſſertionis veritatem Horatius exhibet & Plautus: Ille *lib.* I. *ep. ult.* Vertumnum & Janum conjungit.

Vertumnum Janumque liber ſpectare videris:
Scilicet ut proſtes ſociorum pumice mundus.

Hic cum Tabernis veteribus copulat, *Curcul.* Act. IV. Sc. I.

Sub Veteribus, ubi ſunt, qui dant, quique accipiunt fœnore.

Cum vico Thuſco (cujus naturam ſollicitat neſcio ob quam cauſam Jac. Rævard. l. II. c. VIII. *Conjectan.* p. 51. ſeq.) Ergo vicus iſte (Janus) in Velabro eſt, ab imo Argileto ad ſummum Argiletum uſque ad principium vici Thuſci porrectum, a radice Capitolii in foro Olitorio incipiens, & ſurſum forum Romanum, deorſum forum Boarium ſpectans, ad templum Vertumni in vico Thuſco deſinit. Conf. Marlian. *Topogr.* l. II. c. XIII. Quibus ſubjicimus autoritatem Cornuti Philoſophi *de U. Romæ Antiquitate* ad Palæmonem Gramm. hæc ſcribens: *Jani templum biforis in clivo Capitolino vetuſtiſſimum cruſtatis marmoribus vel e Pariis columnis vidimus: quia in medio clivi ſummitas Janus ſummus, & imus in extremo clivo appellatur. Locus ſub templo medius etiam Janus dicitur, ubi puteal & fœneratores incolebant.* Cum quibus conferri poteſt prolixior Luc. Joh. Scoppa in *Sylloge* c. II. p. m. 895. In quibus definiendis uti admodum præfidens eſt Scoppa, ita ego, quomodo cum Puteali Libonis, cum Arcu Fabiano, cum templo Fauſtinæ (ad quorum vicinitatem Victor Janum infimum & ſuperum ponit) conciliari poſſint, ingenue fateor neſcire, niſi confinitas Regionis VIII. vicinitati locorum conciliationem pariat. Nam & Forum Romanum nomen Regionis & Areæ eſt: idemque cum aliis locis etiam Forum Boarium complectitur. Sed de hoc vidento Topographi.

§. 45. Alia, eaque non nova ſuccedit liticula, an Janus Bifrons, an vero Quadrifrons, Geminus ille belli paciſque index fuerit? In eo omnes conſentiunt, Geminum Janum pacis & belli indicem fuiſſe: An vero geminus iſte fuerit Bifrons, an Quadrifrons, hic in divergia abeunt, ea potiſſimum de cauſa, quod geminum de διθύρῳ non poſſit dici, cum geminatio duorum quaternarium non binarium importet.

Verum præterquam quod geminum etiam de duobus legatur: (Nam & *geminas nuptias*, *geminas palmas*, & *geminos oculos*, & *geminas ſomni portas*, id eſt, *duas*, *geminos pueros ludentes circa ubera*, pro *duobus* paſſim legimus) pro Bifronte etiam hoc pugnat, quod Quadrifrons ſemper patuerit, utpote qui foro Tranſitorio id etiam nominis dederat, cum contra Janus Geminus claudi & aperiri conſueverit: Et (quod tertium eſt) clauſus & apertus eſt longe ante quadrifrontem, longe poſt eum. Id ut comprobrem, age, mecum per ætates Impp. hiſtoricas decurre.

§ 46. *Primum* clauſus eſt a Numa Pompilio anno ab U. C. XL. Flor. *l.* II. *c.* III. (2) ſub A. Manlii Conſulatu, poſt primum bellum Punicum an ab U. C. DXI. Plut. *de Fortuna Rom.* (3.) ſub T. Manlio Torquato & C. Attilio Coſſ. an. ab U. C. DXVIII. ſecundum Eutropium, cum de Sardis triumphaſſent, pace undique parta: Sed non adeo diu manſit clauſus, utpote qui poſt paucos annos referatur ob bellum Illyricum, Plut. in *Numa*. (4.) ſub & ab Auguſto poſt bellum Actiacum, debellato Antonio, Suet. in *Aug.* c. XXII. (5.) Item ſub Auguſto poſt bellum Cantabricum apud Dion. *l.* LIV. & J. Xiphil. in *Epit. Dion.* lib. LIII. (6.) Iterum ſub Auguſto an. Imperii XLII. Dacorum & Athenienſium tumultu ſedato, idque ſub præſidio Cycini factum, Chron. Urſperg. p. 51. Otto Friſing. *l.* III. *c.* IX. Dion. *l.* LIV. an. U. C. DCCXLVI. (7.) Sub Domitio Nerone tam multo, quam nullo bello clauſus eſt, teſte Suet. c. XIV. teſte etiam Nummo argenteo, in cujus uno latere caput cum Lemmate: NERO CÆSAR AUG. GERM. IMP. Ex altero templum Jani cum inſcriptione: PACE P. R. UBIQUE PARTA JANUM CLAUDIT. S. C. (8.) Sub Veſpaſiano & Tito, domitis & everſis Judæis, Otto Friſing. *l.* III. *c.* XIX. Oroſ. *l.* VII. *c.* IX. (9.) Sub Commodo Antonino ſua ſponte apertus prodigium mortis erat Commodo apud Lampridium. (10.) Gordianus ad bellum Perſicum iturus portas Jani aperuit; ſed quod vivus non rediit, claudere non potuit, apud Eutrop. *Breviar. H. R.* l. IX. & Jul. Capitol. in *Gordiano*. (11) Conſtantius Conſt. M. filius de Perſis in Oriente, & Alemannis in Gallia ac Alſatia ſedatis triumphaturus Janum concluſit, apud Amm. Marcel. *l.* XVI. *c.* X. Ulteriorem ſive clauſi ſive aperti, ſive potius deleti Jani hiſtoriam pertexere parco, utpote quod ad rem parum facit. Iſtud ex dictis certum eſt, quod iſte Janus, qui longe ante & poſt Auguſti tempora fuit clauſus, Bifrons non Quadrifrons, in foro Olitorio, non Boario aut Tranſitorio, fuerit.

§. 47. Hoc Jani Bifrontis templum Coſſ. inaugurationi dicatum erat, utpote qui ob id annum aperire dicebantur. Ulpian. *l.* 20. *ff. de petit. hæred.* Sidon. Apollin. *Carm.* II.

Annum pande novum Conſul vetus.

Claudian. II. *in Eutrop.*

—— & inſanum gemino proclamat ab axe,
Eunuchumque vetat feſtis accendere JANUS.

Poſt inaugurationem, procedebatur in Capitolium, quod Ovidius paſſim docet & Suetonius, ut victimis & ſuffitibus litarent. Imo & Jani Bifrontis Statuæ in Templo ſuo, primo anni die nova laurea imponebatur, veteri ſublata, Ovid. III. *Faſt.*

Laurea flaminibus, quæ toto perſtitit anno,
Tollitur, & frondes ſunt in honore novæ.

Sidon. Apollin. *Carm.* VII.

—— Jam nocte bifrontes
Anceps Jane comas, duplicique accingere lauru.

Auſon. in *Cæſaribus*.

Ter dominante Tito cingit nova laurea JANUM.

Scilicet Impp. Rom. in bellum ituri, aut ex bello reverſi primum omnium Ædem Jovis, deinde Veſtalium, tum Jani adibant. Erat enim Lex Romæ, ut in *diſceſſu Imperator ædem Jovis ultimo, in reditu vero Jani templum omnium primum adiret.* Nam in expeditionem proficiſcentium humeris in æde Veſtalium injiciebantur paludamentum, eorundem in æde Jovis pedem Senatores, & in templo Jani manum averſam Conſ oſculabantur. Nam ab eo tempore, quo immaniſſimus Sylla tria civium millia dexteram ipſi

manum osculantium trucidavit, nullius deinceps A
Imperatoris manus Romani osculati sunt. Guevar. *Horol. Princip.* l. I. c. XXXVIII.

§. 48. Sed in his satis diu hæsi, imo hæsitavi potius: ideoque ad alia properandum duco. A Jano & mensis ipsi dicatus *Januarius*, & multi alii vel eo tempore nati, vel Jano consecrati, vel aliquo alio respectu habito appellati sunt *Januarii.* quanquam Λεγκῖνος αἰωνάεϱον ὡσανεὶ αἰῶνος πατέρα dictum velit: sed *βιάζεται, & quasi obtorto collo ita interpretatur*, apud Suidam, Boissardus ex hortis Julii *P. M. p.* IV. *f.* 69. tale monumentum promit.

D. M.
HIRRIA B
FELICULA
L. SILIO
IANUARIO
CONIUGI. SUO
BENE. MERENTI
FECIT
VIX. ANN. L

Aliud ibidem:

DIS. MANIBUS
C. LICINIUS. IANUARIUS
FECIT. SIBI. ET. C. F
VELTIAE. MARCELLINAE
CONIUGI. SANCTISSIMÆ C

Idem marmor posuit PATRI JANUARIO, quod extat f. 100. Aliud ad S. Sebastianum f. 133 alia passim alibi.

Similiter in Historia Ecclesiastica & Conciliorum Tomis inveniuntur plures *Januarii*, utpote Donatista cum Petiliano, *Januar. Neapolitanus, Januar. in Sardiniam relegatus: Januarius in Neta Græcorum Episc.* item *Januarius* S. Cæciliæ Cardinalis. *Januarius* etiam erat *Joviani* affinis apud Marcellinum *l.* XXVI. quorum nomina & acta in Annal. & Martyrol. majori, quam opus erat, industria persecuti sunt, Baronius, Spondanus, alii. D

§. 49. Transiremus nunc ad *Synonymicam* hujus diei appellationem & solennitatem Christianam, nisi adhuc EDICTUM JANUARIENSE esse tangendum? Quod vero illud? Quod a mense, in quo latum, & a tempore, quod duravit, istud nominis tulit. Fuit enim in Galliis, & quidem in conventu ad S. Germanum in Laya a Regina Tutrice ex autoritate Regis Navarræ de *Mutua Tolerantia Papistarum & Protestantium anno Domini* MDLXI. promulgatum, cujus tenorem, si placet, videbis apud Dn. Simon. Schardium T. III. *Hist. Germ. f.* 2170.

§. 50. Atque sic tradita & KALENDARUM & JANUARIARUM notione, in promptu est primum primi mensis diem intelligi, qui ab aliis etiam vocatur E *initium anni, Exordium temporis, Janus rerum, Janus annorum, Janus mensium, caput anni, caput temporis, Kalendæ Circumcisionis*, & si quæ sunt similia: In Annalibus Ecclesiasticis etiam *feria octava, Octava Nativitatis, Octavæ, Circumcisio, festum Circumcisionis, festum Domini, octavæ Dominicæ* insignitur. In *Sacramentario* Gregor. Papæ hæc haberi dicuntur: *Per Christum Dominum nostrum, cujus hodie circumcisionem & Nativitatis octavam celebramus.* Sic habet vetus Codex Vaticanus, secundum quod vetustatis monumentum in hujus diei inscriptione primum quidem *circumcisio*, deinde F *octava* poni videtur: Cum alioquin hi, qui egerunt de *Divinis officiis* tantum *de octavis Domini* tractatus inscribant, prout habet, Ordo Romanus, Albinus Flaccus *c.* III. Amalarius l. IV. *de Eccles. offic.* c. XXXII. & *de ordine Antiphonarii* c. IX. Micrologus *de Eccles. observat.* c. XXXIX. T. VI. *Bibl. Patr.* f. 758. Microlog. *cap.* XXXIX. & in Concil. Moguntino c. XXXVI. apud Baron. *Martyr. Rom. ad* I. *Jan.* Quid vero illud, quod Rich. Montacutius p. 137. *Orig. Eccles.* scribit: *Et circumcisio & octava Nativitatis* dicebatur, sed non antiquius. Nam sic potius, quam octava Circumcisio dicebatur. Est enim vox octava usus in Ecclesia recentioris, (2) Et prius necesse est festum ipsum fuerit in usu, quam octava festi: Namque (1) *octavæ usus antiquior*, utpote ex V. T. sacris haustus; unde in sequiori Ecclesia Occidentali paulo tardius reassumptus. Imo (2) *festum prius sit octava festi*, quis ambigeret? *Sed festum Nativitatis, cujus est octava: Non enim est Octava Circumcisionis sed Nativitatis.* Aut si *Circumcisionis octavam* quis vocaverit, non ideo sic vocabit, quod *octava post circumcisionem, sed octava Nativitatis in circumcisionem incidens.*

§. 51. Quando absolute *Octava*, seu *Octavæ* nominantur, fit illud per ἀντονομασίαν ex ritibus Ecclesiæ Judaicæ Mosaicis. Nam ibi solennitas *Octavarum* primæ diei solennitatibus par erat, idque ex ipsius DEI instituto, *Lev.* XXIII. Unde Ecclesia N. T. mutuata est exemplum ut celebriores quasdam solennitates etiam *Octavarum* additione illustraret. Sancte etenim pieq; DEI Ecclesiam ex antiquis illis ritibus quædam accepisse testatur Leo Papa *Serm.* VII. *de Jejunio septimi mensis.* Baron. *Martyr.* f. 10. Hospin. f. 26. Quæ hic Guilh. Durandus l. VII. *Ration.* c. I. n. XLI. de *mysteriis Octavarum* ἀλληγορίζει, item quæ ad sua commenta tuenda de *octavis institutionis & devotionis seu reverentiæ*, & his iterum vel *significationis*, vel *suppletionis*, vel *alterius negotii*, vel *futuræ glorificationis* fingit, sicco pede prætereo, quia ne micam quidem pietatis aut salutaris doctrinæ secum vehunt, imo potius ad antiphonias & responsoria, quam sacros fontes & Evangelia respiciunt.

§. 52. Porro appellantur *Octavæ Nativitatis. S. Natalis.* Quod iste Octavus a nativitate Christi dies fuerit; *Octavæ Circumcisionis*, non quod octava a Circumcisione dies sit, sed quod in iis Octavis (Nativitatis) Sanctissimus noster Jesus circumcisus: *Octavæ Domini* seu *Dominicæ*, quia Dominus noster eas sui Sanguinis primitiis fusis primum initiavit, uti expresse ὀκτὼ ἡμερῶν mentio fit, *Luc.* II. 21. *Gen.* XVII. 12. *Lev.* XII. 3. Quod si igitur per rationes aliquas mysticas aliorum festorum imo & sanctorum octavas vetus Ecclesia celebravit. Quidni multo æquius erat *Octavas* Nativitatis celebrare, cujus rei rationem & vestigia in ipsis pandectis Spiritus Sancti legebant?

§. 53. Hodie communiter *Festum Circumcisionis* aut *Circumcisio Domini* salutatur propter rationem, quæ in promptu est. Veruntamen quandiu hæc appellatio fuerit recepta, & quo autore aut tempore in Ecclesia introducta sit, palam profiteor me nescire. Nam post sollicitam ejus rei ἐρεύνησιν nihil inveni, quo possim tuto inniti.

§. 54. Casaubonus notat *in Baronium*, quod hic istius *festi institutionem ab ipso nascentis Jesu computo* arcessiverit: sed id tamen Baronius neque in *Annal.* neque in *Martyr.* asseruit. eoque nomine tacite sugillatur Casaubonus a Montacutio, *P. I. Orig. p.* 137. Recte interea uterq; Anglus asserit, quod quinq: priora sæcula hoc festum Circumcisionis prorsus ignorent. Bellarm. l. III. *de Eccles.* c. XV. fatetur, quod festum Circumcisionis novum sit. Hos secutus duces Hospinianus statuit aut in Sæculo XII. post C. N. aut paulo ante cœpisse festum Circumcis. in Ecclesia Christiana celebrari, eo quod S. Bernhardus, qui an. Domini MCXL. inclaruit tres Sermones in Festo Circumcis. de Circumcis. habuerit (T. V. *Oper.* f. 90. seq.) & ante ipsum etiam Ivo Carnotensis, qui circa Ann. D. MXC. floruit. Namque Sermones Maximi, Augustini, Ambrosii, Chrysologi, quos supra citavimus, Kalendarum fœditates exprobrarunt, Circumcisionis non meminerunt, quod citra dubium factum fuisset, si suo sæculo & loco festum Circumcis. jam institutum fuisset. Quo enim

antidoto melius potuissent Strenarum virus extinguere quam Nomine Jesu & sanguinis primitiis in Circumcisione fusis? Sed quod neutrum horum tactum est a piis istis Ecclesiæ Doctoribus, indicio est non obscuro, tunc festum Circumcisionis nondum obtinuisse. Imo vel eo nomine suspecta fuit inscriptio Homiliæ Maximi Taurin. Hospiniano, quem vide *de Fest. Christ.* c. VIII. p. 26.

§. 55. Sed quia ejus vestigia aliqua, etsi non adeo perspicua & evidentia, in sexto & sequentibus sæculis inveniuntur, in eam sententiam descendo, quod hoc FestumCircumcis. non fuerit in Universa Ecclesia aut unanimi consensu Episcoporum semel & semper receptum, aut decreto principali ab aliquo Impp. institutum, sed velut particularis aliqua festivitas primum in Gallia, deinde in Italia, post etiam in Germania & Anglia introductum, idque eum potiss. in finem, ut Christianos a sacris gentium eo commodius ad suas Ecclesias pertraherent.

§. 56. Istius meæ assertionis documenta hæc produco. In Galliis ejus fit mentio in *Concilio* II. *Turonico*, quod an. D. DLXX. tempore Pelagii I. Papæ est habitum; in cujus capitulo XXVIII. KALENDÆ CIRCUMCISIONIS statuuntur festæ, ut in iis Missa & Litaniæ celebrentur. Ita sonat Capitulum: *De Decembri usq; ad Natalem Domini omni die jejunent* (monachi.) *Et quia inter Natalem Domini & Epiphaniam omni die festivitates sunt, prandebunt. Excipitur triduum istud, quo ad calcandum Gentilium consuetudinem* PATRES NOSTRI (scil. Episcopus Rhotomagen. Prætextatus, Germanus, Felix, Caletricus, Domitianus, Victurius, Domnulus, Leodobaudus, sub Cheriberto Episcopi Gallici) *statuerunt privatas in Kal. Jan. fieri Litanias, ut in Ecclesiis psallatur, & hora octava in ipsis Calendis Circumcis. Missa Deo propitio celebretur.* Quæ Calendæ Circumcis. quid aliud sunt, quam Kal. Jan. quibus Circumcisio Christi nunciata & tractata publice, ut Gentilium impietas, quam Kal. Jan. exercebant, eo fortius conculcaretur? Cum quibus si connectas, quod ante in Concilio Cæsar-Augustano (Tarraconens. Hispan.) Can. IV. decretum est, *ut scil. a decimo sexto Kalendas Januarii usq; in diem Epiphaniæ, qui est* VIII. *Idus Januarii* (id est, a XVII. Decembris usque ad sextum Januarii) *continuis diebus nulli liceat de Ecclesia se absentare* (subducere) *sed concurrere ad Ecclesiam, probabile etiam est, de Christi actionibus, passionibus & passionum primitiis* (in Circumcis. fusis) *aliisque Dei beneficiis fuisse in Ecclesia actum.* Et sic ab Anno Christi DXVII. hæc initia arcessenda essent, (illo enim anno Concilium istud Cæsar-Augustanum habitum est.) Quicquid tandem istius rei sit, ex Capitulo Turonico sic infero. Si omnes dies a Natali ad Epiphaniam fuere festi, ergo & 1. Januar. dies fuit festus. Festus, ut Gentilibus suis Strenis Diabolicis, de quibus Capit. XXIII. agunt, ita Christianis Circumcisione Dominica. Item: Quo die Litaniæ, Psalmi & Missa celebrantur, ille (eo saltem tempore) erat festus. Atque 1. Jan. die Litaniæ, psalmi, & Missa celebrantur, E. 1. Jan. dies erat festus. Sed an etiam usitata Evangelii pericope de Circumcisione Christi publice fuerit ab Episcopo explicata Auditoribus, uti non audeo affirmare, ita nec temere negandum censeo. De posterioribus temporibus res est in vado, si Ivonis, Bernhardi Homilias saltem aspexeris: de prioribus, non item.

§. 57. Circa eadem tempora, nempe circa Annum D. DXC. Gregorius I. in Italia cœpit præesse, qui in suo *Sacramentario* hæc dicitur posuisse verba: *Per Dominum nostrum* J. C. *cujus hodie* CIRCUMCISIONEM *& Nativitatis octavam celebramus.* Quid est Circumcisionem J. C. 1. Jan. die celebrare, quam istum diem hac festivitate Christiana inaugurare?

A §. 58. Hinc etiam in Angliam transisse eandem solennitatem, Venerabilis Beda fidem facere potest. Nam is in Ephemeride (*T.* I. *Oper.*) ad Kal. Januar. Circumcisionem Domini nostri J. C. & ex opposito latere in Martyrologio hos versus adducit:

Quod veteres coluere Patres, umbramque futuri
Exposuit sancta Christi de Virgine nati
—— *Circumcisa caro.*

Et postea *T.* III. *Oper.* ubi Martyrol. Rom. declarat, f. 382. Circumcis. prænotat. Adde, quod T. VII. l. *de Officiis* Kalendas Januarii descripsit & præscripsit, f. 648. Imo in *Sermon. Hyemalibus* etiam Homiliam de Circumcisione Christi habuit, quæ & ipsa T. VII. f. 442. habetur, sub cujus initia statim festivitatis hujus memoriam injicit. *Et postquam consummati sunt dies octo*, &c. *Hæc sunt*, inquit, *festivitatis hodiernæ gaudia veneranda, hæc sacræ solennitas diei, hæc illa supernæ pietatis Munera*, &c. Ex quibus, quid aliud colligas, quam Bedæ ætate jam tum solennitatem Circumcisionis fuisse celebratam publice? ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

§. 59. Porro sub Carolo M. An. Dom. DCCCXIII. habitum est Concilium Moguntinum in Germania, quod *c.* XXXVI. has numerat festivitates: *Diem Dominicum, Pascha, diem Ascensionis, Pentecosten, Natalem Petri & Pauli, S. Johannis, Assumptionem Mariæ, Dedicationem S. Michaelis, Natalem Remigii, Martini, Andreæ: Natalem Domini, Octavas Domini, Epiph. Dom.* &c. Et in *Cap.* Carol. l. I. c. CLXXXVI. *Has siquidem precipuas festivitates annuncient presbyteri, & diebus Dominicis Sabbatizare*, id est, *in Natali Domini dies* 4. VIII. *Cal. Jan. in* CIRCUMCISIONE DOMINI CAL. JANUAR. *diem* UNUM, *in Epiphania* VIII. *Id. Jan. diem unum*, &c. Item ex eo tempore Octavas Nativitatis, Circumcisionis festivitate notatas esse in Germania & Gallia, Amalarius Fortunatus Episc. Trevirensis l. IV. *de Eccles. officio* c. XXXII. docet. Is enim jussu Ludovici Imp. venerat Romam, anno Domini DCCCXXXI. ut Exemplum Romani Antiphonarii Gallicum emendaret. In quo emendatiori codice hæc habentur: *Cicumcisio, quæ octava die celebratur.* Et in fin. de Circumcisione Domini me abunde facit securum lucubratio sanctorum Interpretum T. VI. *Bibl. Patr.* p. 1063. Et mox c. XXXIII. Octavas Domini & Circumcisionem Domini conjungit. Denuo in constitutionibus Oxoniensis Synodi quæ anno Domini MCCXXII. sub Stephano Archi-Episcopo Anglo habita creditur, festi Circumcisionis aperta fit mentio, his propemodum verbis: *Hæc sunt festa in quibus, probibitis aliis operibus, conceduntur opera agriculturæ & carrucarum. Statuimus igitur, ut festa subscripta sub animi veneratione serventur, vid. omnes dies Domini, quinque dies Natalitii, CIRCUMCISIO, EPIPHANIA Domini*, &c.

§. 60. His gemina cum Romæ a Gregorio IX. qui circa an. Dom. MCCXXVII. sedere cœpit, tum Lugdun. in Galliis an. MCCLXXIV. definita sunt. Nam *Decretalium* l. II. Tit. IX. *de Feriis* c. V. ita præcipitur. *Judicialis strepitus debet diebus conquiescere feriatis, qui ob reverentiam* DEI *noscuntur esse statuti, scil. Natalis Domini, Stephani, Johannis, Innocentium, Sylvestri*, CIRCUMCISIONIS, *Epiphaniæ*.

§. 61. In Concilio Lugdunensi, quod universale vocant, sub OCTAVIS Domini festum Circumcis. in circulari festorum annuorum recursu comprehenditur. Canonem XXII. ex Ivonis Carnotensis Quarta parte in *Collectionibus Ecclesiast. Regularum* & ex Gratiano *Decret.* III. *Part. dist.* 3. *c.* 1. citabimus (nam alibi nec Concilium nec Canonem invenire possum.) *Pronunciandum est Laicis, ut sciant tempora feriandi per annum*, id est, *omnem Dominicam a vespere usq; ad vesperem, ne Judaismo capiantur. Feriandi ergo per annum isti sunt dies, Natalis Dom. sancti*

Stephani, *sancti Johannis Evang. Innocentium*, *sancti Sylvestri*, *OCTAVÆ DOMINI & Theophaniæ*, *Purificatio Mariæ*, &c. Eodem ordine ea ipsa habet Durandus *l.* VII. *c.* I.

§. 62. Et ne quis opinetur solius Occidentis eam festivitatem fuisse, illum attendere jubemus ad Legem Manuelis Comneni, qui circa Ann. Domini MCL imperitavit, qua omnes dies a XX. Decemb usque ad VI. Januar. feriis judiciorum destinavit, *Nov. Constit. Tit.* 2. Utut igitur non addat, quibus sacris hic præcipue dies Kal. Jan. fuerit actus, illud tamen cum ex Orientalium zelo, tum aliunde colligere licet, quod Natalitiis, Baptismo, Circumcisione & aliis JESU recens nati beneficiis prædicandis potiss. in Ecclesia consecratus sit. Nam otiando, aut pergræcando, aut frivola agendo tam sanctum tempus ex more perversorum Gentilium trivisse, quis pietati istorum conveniens duceret diceretve? Evangelicis & Apostolicis meditationibus vocasse Ἀποστολοευάγγελα Græcorum evincunt. Ex Jacobi Goari *Euchologio* (cum aliorum copia non fuerit) citare sufficiat, quæ leguntur sub titulo, Ἀποστολοευάγγελα τοῦ ὅλου ἐνιαυτοῦ, id est, *Totius anni ex Apostolo & Evangelio Lectiones* Ecclesiæ Græcæ, quæ in suo εὐχολογίῳ Jacobus Goar, vir in ritibus Ecclesiæ Græcæ cognoscendis accuratus Curator & αὐτόπτης curiosus observavit. Ille mensem Januarium ita intimat, f. 911.

ΜΗΝ ΙΑΝΟΥΑΡΙΟΣ.

Εἰς τὴν κατὰ σάρκα περιτομὴν τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Ἐν τῷ ὄρθρῳ Τὸ εὐαγγέλιον ζήτει νοεμβρίῳ ιγ΄.

MENSIS JANUARIUS.

Primo die. Circumcisio secundum carnem Domini nostri Jesu Christi. In laudibus. Quære Evang. Novemb. XIII. Item p. 922.

Αἱ ἀπολύσεις τῶν Δεσποτικῶν ἑορτῶν λεγόμεναι εἰς τὸν ἑσπερινόν, εἰς τὸν ὄρθρον, καὶ εἰς τὴν λειτουργίαν κατὰ τάξιν.

Εἰς τὴν περιτομήν.

Ὁ ἐν τῇ ὀγδόῃ ἡμέρᾳ σαρκὶ περιτμηθῆναι καταδεξάμενος διὰ τὴν ἡμῶν σωτηρίαν.

Dimissiones Dominicorum festorum in vesperis, laudibus, & missis per ordinem dicendæ.

In Circumcisione.

Qui octava die propter salutem nostram circumcidi voluisti.

Verum hæc adeo antiqua non sunt. Jacobi Goari εὐχολόγιον Anno MDCXLVII. prodiit. Exemplaria Euchologiorum, quibus usus, Venetiis excusa an. MDXLIV. MDL. MDLXX. & ultimum MDCXXXVIII. Manuscripta, quibus usus varias lectiones & notas confecit, pauca sæcula superant. Leonis Allatii vetustissimum habetur: *Euchologium Patriarchale cryptæ ferratæ* in Concilio Florentino an. Domini MLV. a Græcis Presbyteris manifestatum est, & prius illud creditur; creditur, inquam, octavo aut nono sæculo compositum, sicut Tertium Allatinum Anno Domini MCCLX. confectum, & sic ultra quinque sæculorum ætatem non assurgunt.

§. 63. Istis vestigiis institerunt supra laudati & citati Doctores, Ivo Carnotensis, qui anno Domini MXC. & Bernhardus qui anno Domini MCXL. floruerunt, & in festum Circumcisionis peculiares Homilias publice habitas monumentis suis reliquerunt. Imo & in IV. Parte *Collect. Ecclesiast. Regular.* ex Concilio Efesphur habito sub Henrico Rege citatur sanctio capit. XI. ut a VII. Diebus ante Natale Domini usque in octavas Epiphaniæ non liceat judiciariam potestatem exercere, quia isti sint præcipui dies festi. E. & primus Jan. dies in festos erat relatus.

§. 64. Hæc ita ordinata ante se invenerunt gloriosissimi Imperatores, ad nostrorum Avorum memoriam. Nam an. Domini MDXXI. Carolus V. in Recessu Wormatiensi c. XXVI. *a* XXIV. *Decembr. usque ad* VI. *Januar.* inclusive *ferias in Camera Imperiali concessit*: Idemque repetiit Anno Domini MDXLVIII. in Comitiis Augustanis, *ubi celebrandas præcepit, diem Dominicam, diem Natalem, diem Circumcisionis*, III. *Regum, Palmarum*, &c. tit. XXVI. Quæ & ipsa post Fratrem Anno MDLV. Ferdinandus I. P. II. *Constit. Camer.* tit. XXXIII. eodem modo præcepit.

§. 65. Atque sic hactenus in Universa Ecclesia Christiana obtinuit, ut *Festum Circumcisionis Dominicæ* primo Januarii die celebretur, ex consuetudine potius & laudabili Ecclesiarum vicinarum imitatione, quam præcepto Ecclesiastico aut ordinatione politica. Nam & S. Hieron. Comm. *in c.* IV. *Ep. Galat.* festa sui temporis recensens, *Parasceven, diem Dominicam, Pascha & Pentecosten*, pro diversitate aliarum atque aliarum Regionum etiam peculiares quasdam sive ferias sive memorias Martyrum addit. Conf. Accuratiss. nostri sæculi Theologum Theod. Thummium *de Fest. Christian. pag.* 70.

§. 66. Veruntamen nova hic exurgit quæstio ex Codice utroque: Annon tempore Religiosorum istorum Impp. Constantini, Theodosii, Arcadii KALENDÆ JANUARIÆ fuerint ista Circumcisionis solennitate cohonestatæ, imprimis cum C. XII. *de Feriis* c. VII. & *C. Th. l.* II. *Tit.* 8. Valent. Theod. & Arcad. AAA ad Albinum Præf. U. ita rescripserint: KALENDARUM *quoque Januariarum consuetos dies otio mancipamus*.

§. 67. Verum quod textus & jussus Impp. docent, non de feriis Christianitatis, sed judiciorum politicorum agitur, quibus Kalendarum Januar. dies otio mancipabantur, quatenus fiebant ἄπρακτοι, ἀργαὶ ἡμέραι σχολάζουσαι τὸ δικαστήριον, *Nov.* VIII. Non igitur otium, feriandi Circumcisionem Domini Christianum, sed politicam cessandi a Judiciis intelligitur, ut id ipsum Impp. Leo & Anthemius ad P. P. Armasium explicant: *Nulla quenquam urgeat admonitio, nulla fidei jussionis flagitetur exactio, taceat apparitio, advocatio delitescat, sit ille dies a cognitionibus alienus, prætoris horrida vox silescat, respirantes a controversiis litigantes, & habent fœderis intervallum, ad sese simul veniant adversarii non timentes, subeat amicos vicaria pœnitudo, pacta conferant, transactiones loquantur*. Tales erant feriæ, tale otium Kalendis Januariis: idque ex publica totius Urbis & orbis lætitia, quam ex Consulum, Prætorum aliorumque Magistratuum initione, quæ tunc adhuc obtinebat, concipiebant, uti supra ad Ætatem tertiam diximus Sed interea, quæ sacræ meditationes, quæ mystica sacra privatim aut publice habita, hoc loco non designatum est: Quod autem tempore Theodosii & Valentiniani nondum fuerit Solennitas Circumcisionis, vel ex uno id rescripto ad Asclepiodorum P. P. Constantin. Theod. XI. & Valentin. Cæs. Coss. dato patet. Ibi enim Dominicus quidem dies, Natale, & Epiphania Christi pascha & quinquagesima nominantur, quibus voluptates theatrorum ac Circensium prohibebantur, sed Circumcisionibus nulla commemoratio fit, *C. Th. l.* 5. *de Sp.*

Quod vero vicissim Constant. & Theodosii temporibus festum Circumcisionis nondum obtinuerit in Ecclesia tanquam solenne, vicissim ex eodem textu *Cod. Tit.* 12. *de Feriis* probabiliter evinci posse videtur. Nam ibi inter solennes ferias referunt sanctum diem Paschæ, diem Natalem Domini & Epiphaniæ, nulla Circumcisionis mentione facta Idem propemodum a Velent. Theod & Arcad. AAA. ad Albinum U. P. sic rescribentibus: *Adjicimus etiam sacros dies Paschæ, qui septem numero vel præcedunt, vel sequuntur: Dies etiam Natalis atq; Epiphaniarum Christi, & quo tempore commemoratio Apostolicæ passionis, totius Christianitatis Magistra, a*

cunctis jure celebratur. In quibus etiam prędictis sanctissimis diebus neque spectaculorum copiam reseramus. In eadem observatione numeramus & dies Solis, quos Dominicos rite dixere Majores, qui repetito in sese calculo revolvuntur, &c. In qua Constitutione citra dubium etiam meminissent festi Circumcisionis, si tunc in usu fuisset. Quinimo illo tempore floruerunt maxima duo Ecclesiæ lumina Ambrosius & Hieronymus, quorum hic festa Comm. lib. II. *in Ep. ad Gal.* IV. commemorans: Hic vero Homiliam in Kal. Januarias invectivam habuit, sed festum Circumcisionis neuter eorum ne verbulo quidem tetigit, quod citra dubium fecisset, imo facere debuisset, si tunc Ecclesiæ festivitas fuisset. Nam fratres, quod Kal. Januar cum gentibus celebrarant, ad Christiana sacra revocans, non ad doloriferam sanguinis missionem, præputii amputationem aut nominis Jesu devotionem, sed ad Epiphaniam revocat Ambrosius, quando inquit: *Quomodo igitur potestis religiose Epiphaniam Domini procurare, qui jam Kalendas, quantum in vobis est, devotissime celebrastis.* Nonne rectius ad festum Christianorum publicum, ad Circumcis. Domini, ad nominis Jesu, & reliquorum piorum operum meditationem potius instigasset, illo die peragendam, quam demum ad Epiphaniam post VI. demum dies celebrandam publice invitavisset. Quid? quod Paulinus Episc. Nolanus ejus temporis festos dies carmine heroico decantans, Nativitatis, Epiphaniæ, Paschatos celebritatem descripserit, Circumcisione ne quidem nominata, apud Georg. Fabrit. *Poet. Christian.* p. 864.

His accedit, quod Clemens in *Constitut. Apostol.* (quanquam supposititiis) lib. V. c. XII. *Dies festos*, inquit, *agitate Fratres, primum & quidem diem Natalis, qui vigesimo quinto die mensis noni celebratur. Post hunc dies Epiphaniæ in maximo honore sit, in quo Dominus divinitatem suam nobis patefecit. Iste vero dies sit sextus mensis decimi post jejunium Quadragesimale, Paschatos*, &c. hic iterum nec festi, nec Circumcisionis aliquod *μνημεῖον* extat.

Pariter Anno Christi DVI. in Concil. Agathensi *can.* XXI. T. II. *Concil.* f. 506. commemorantur festa Paschatos, Natalis Domini, Epiphaniarum, Ascensionis, Pentecostes, sed festum Circumcisionis non allegatur. Interim additur, *& si qui maximi dies in festivitatibus habentur.*

Anno Christi DXXXV. in Concil. Arvernensi (Galliæ Aquitanicæ) *Canone* XIV. hæ præcipuæ festivitates citantur, *Domini Natale, Pascha & Pentecoste*: additur tamen, *& si quæ sunt principales festivitates reliquæ*, T. II. *Concil.* f. 558.

Hinc ad Ann. Christi DXXXVII. Vigilius Papa in Epistola *ad Eutherium* c V. Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, Epiphaniæ & sanctorum festivitates allegat, T. II. *Conc.* f. 561. non commemorata Circumcisione. Quæ nostræ conjecturæ omnes sicut procedunt a testimonio humano negative, ita gignunt non nisi argumentum probabile. Sicut & priora quæ procedebant affirmative itidem *ἀξιόπιστον* fidem gignunt, non *ἀπόδειξιν* certam. Sed hæc hactenus.

§. 68. Devenimus tandem ad *festum stultorum*, quod & ipsum in Kal. Jan & festum Circumcisionis incidebat, & a Subdiaconis robustis juvenibus celebrabatur, quo de sic Durandus *l* VI. *c.* XV. *n.* XVI. *In quibusdam Ecclesiis Subdiaconi fortes & juvenes faciunt hodie Festum, ad significandum, quod in octava resurgentium, quæ significatur per octavum diem, qua Circumcisio fiebat, nulla erit debilis ætas, senectus, non senium, non impotens pueritia, sed omnes concurremus in virum perfectum*, I. *Cor.* XVI. Similia Joh. Belethus Theol. Paris. *cap.* LXXII. tradit, additque ideo festum Stultorum vocari, quod certum tempus non habeat, utpote quod a quibusdam in Circumcisione, ab aliis in Epiphania perficiatur. Istud autem tripudium potius, aut libertas Decembrica, quam festum fuisset appellandum, utpote quo quatuor clericorum ordines videbantur de tripudiorum & jubilorum prærogativa certare. Nam (α) Diaconi in die Natalis Domini vesperis finitis in honorem beati Stephani, qui eximius Diaconus fuit, in tripudio convenientes, cantant antiphonam de S. Stephano, & Sacerdos collectam. Nocturnos autem & officium in crastinum celebrant, & benedictiones super lectiones dant: quod tamen facere non debent. Eodem modo (β) faciunt Sacerdotes in festo S. Stephani in vesperis in honorem S Johannis; quia ipse Sacerdos fuit, & (γ) pueri in ipso S. Johannis festo, in honorem Innocentium. Subdiaconi vero (δ) faciunt festum in quibusdam Ecclesiis in festo Circumcisionis, aut in Epiphania, aut in octava Epiphaniæ, Durandus *l.* VII. *c.* XLII. *n.* XV.

§. 69. Dixi hoc non festum, sed aut ludum Saturnalitium, aut Libertatem Decembricam dici debuisse. Erat autem ista *Decembrica Libertas* (quam sic vocabant) quando Monachi cum Prælatis die Paschatos aut in Natali vel in claustris vel in domibus Episcopalibus in aleis ludebant, vel etiam ad ludum pilæ, ad choreas, & ad cantus descendebant. Quæ si ex Gentilium Saturnalibus aut Quirinalibus defluxisse dixero, non erravero. Nam & Romani sua Saturnalia ista, in Decembri, & tanta cum animi remissione celebrabant, ut & Servis & Dominis, & Servabus & Dominabus promiscua essent convivia, ludi, tripudia, choreæ & comessationes: Imo Servis libertas erat præ Dominis. Nam hos istis epulas apparare & ad mensam servire oportebat, quemadmodum versus L. Accii antiqui Poetæ a Macrobio citati edocere possunt.

Maxima pars Grajum Saturno, & maxime Athenæ
Conficiunt sacra, quæ Cronia esse feruntur ab illis.
Quumque diem celebrant, per agros urbesque fere omnes
Exercent epulis læti, famulosque procurant
Quisque suos, nostris itidem & mos traditus illinc
Iste, ut cum Dominis famuli tum epulentur ibidem.

Quis igitur hæc a Libertate Gentilium inferiorum & superiorum Saturnalitia descendere non ingenue fateatur? Testem luculentiorem cito Horatium, qui lib. II. *Serm.* Sat. VII. eam *Libertatem Decembrem* (voce hac adjective sumpta) vocat:

Jam dudum ausculto, & cupiens tibi dicere servus
Pauca, reformido, Davusne? ita Davus, amicum
Mancipium Domino, & frugi, quod sit satis: hoc est
Ut vitale putes: age Libertate Decembri
(Quando ita majores voluerunt) utere; narra.

Quo quid luculentius desiderare posses? Quibus adde, si placet, Martialis versus, *l.* IV. *epigr.* XIV.

Dum blanda vagus alea December
Incerta sonat hinc, & hinc Fritillis.

Et Juvenalis ex *Satyra* VII.

—— tunc utile multis
Pallere, & vinum toto nescire Decembri
Invitat genialis hyems, curasque resolvit.

Conf. Macrob. *l* I. *c.* V. & VII. Lucianum in *Crono-Sol.* Athenæum *lib.* XIV. *c.* XVII. Ita sicut pleraque alia, sic & Libertatem Decembricam Monachatus ex Gentilitate habet.

§. 70. Cui assertioni eo citius fidem adhibebis, si cum istis Quirinalia & Fornalia Romanorum componas. Hæc enim in honorem Quirini, id est, Romuli habebantur XVII. Febr. & FERIÆ STULTORUM nominabantur, ob hanc nimirum causam, quod, cum quisque in sua Curia Fornacalibus, (quæ indictitiæ, non statæ feriæ erant) feriaretur, & sacra faceret, Stulta populi pars, quæ sua Curia esset, ignorans, rem divinam Fornacalibus omissam, Qui-

rinalibus faciebat. Ita Festus, ita Paulus Diaconus: A
Stultorum feriæ appellabantur Quirinalia, quod eo die sacrificabant ii, qui solenni die aut non potuerunt rem divinam facere, aut ignorarunt.

Facta Dea est fornax, læti fornace coloni
Orant, ut fruges temperet illa suas.
Curio legitimis tunc fornacalia verbis
Maximus indicit, nec sacra stata facit.
Inque foro multa circumpendente tabella
Signatur certa Curia quæque nota.
STULTAQUE pars POPULI quæ sit sua Curia, nescit:
Sed facit extrema sacra relicta die.

Ovid. II. *Fastor.* Plin. lib. XVIII. c. II. Plutarchus B
Probl.Rom. qu. LXXXIX. Rosin. *Antiq.* l.IV.c.V. An ovum ovo tam est simile, quam FERIÆ Stultorum Quirinales, Feriis Stultorum Monasticis?

§. 71. Fidem insuper facit Polyd. Vergilius, qui *l.v.c.*II. ita: *Est & illud ab Ethnicis profectum, quod nunc per Dominica Natalitia nostri ministri (* in Anglia *) potestatem in Dominos habent, atque unus eorum Dominus creatur, cui cuncti familiares parent, una cum ipsis Dominis & patribus familiarum,* &c. Hæ scil. sunt istæ hilaritates, quas hodienum præcipuæ Principum aulæ colunt, sive Saturnalia fuerint, sive alia solennia gaudia, quæ vocant *Wirthschafften*, ubi sæpe per sortem personam Principis C induunt coquo aut fornacario, contra ludicra munera Principis aut filiorum Princ. nec non primariorum virorum infra servitia vilissima dejiciuntur.

§. 72. Hæ istæ vanitates Academicæ, ubi a studiosis missa sorte eligitur, Archi-Marschallus. Archi-Camerarius, Consiliarii, Præfecti Ministri ac denique etiam moriones vel histriones, qui singuli suo funguntur officio, ministrando illi putatitio Regi ad mensam, ita tamen, ut finito convivio omnes ita vino inebriati & dementati, vix quis Rex quisve morio fuerit, dignoscere liceat, utque sanus jurares, omnes insanire. De quibus zelo divino ardens D
Theologus Tubing. Thummius *de Fest. Chr.* p. 79. recte judicat, quod Germani Gallos, Galli Gentiles æmulati talia & tam impia Saturnalia dudum sepulta sub ipsis Kal. Januariis aut in Epiphania Domini in viam quasi revocent postliminio, Tract. *de Festis Judeor. & Christian.* p. 79. Tam fœcundum sui malum est, tamque fertilis vitiorum impietas. Hoc regnum cum conviviis Ambros. Novidius l. I. *Sacror. Fast.* descripsit ita inquiens:

Sed cur regna vocant, cum sint convivia, dicem:
Quid clamor, quid fax, quid chorus ipse petat.
Nox erat: admonitu forte illis mota diebus
Ante DEI stabat rustica turba casam, E
Convenere duces pastoralisque juventus:
Bruma erat: imponunt grandia ligna foco.
Stabat adhuc tenero vestitum gramine pratum:
Fasta parant, festis expediuntque dapes.
Prima Duces retinent loca vincti tempora lauro:
Discumbuntque atii, qua facit herba torum.
Vina dabant famuli: laudabant vina bibentes:
Finis erat: choreas implicuere rudes.
Parsque facem gestat, pars velat cortice vultum:
Parsque canit stipula, certaque verba refert.
Forma manet, facti Reges imitentur ut ipsos: F
Conveniunt festos, instituuntqee dies.
Nocte coronatis quæ hesterna clausa placentis,
Venditur uncta croco culoa popina tuo.
Sors datur: illa faba est frustis inventa, jocosum
Unde solet nomen regibus esse novis.
Lectus erit: parat ille suo convivia sumptu
Sæpeque collata sunt ea grata stipe.
Pocula præbentur: prorumpit in æthera clamor
Rex & io, ingeminant: Rex tamen ipse bibit.
Otia sunt epulis: exercent nocte choreas
Atque Prometheam sidus in orbe facem.

Sed hæc tamen omnia vigilantia Magistratuum & cura Theologorum sunt sublata in nostris Academiis, uti olim ab Ecclesiæ Episcopis impietas Strenarum Diabolicarum magno zelo & fervore eradicata fuit. Qua de causa & hic & illic DEO gratiæ debentur infinitæ, pro bonis Ecclesiæ datis, & malis ex ejus gremio sublatis: imo & exorandus est Benignissimus Ecclesiarum patronus, ut imposterum gregem suum ab omni cum impietatis, tum incredulitatis labe, purum putum conservare dignetur per Dominum nostrum Jesum Christum, Amen.

CAP. V.

DE NOVI ANNI VOTIS, STRENARUM COMITIBUS.

SUMMARIA.

§. 1. *Vota Strenarum Socia seu Adjuncta.*
2. *Superstitiosa olim, nunc sacrata.*
3. *Graphice delineantur.*
4. *Non sunt abroganda.*
5. *Modo absit superstitio, abusus, vanitas.*
6. *Vota cur Kal. Januar. alligata.*
7. *Vota hic non stricte pro religiosis votorum nuncupationibus.*
8. *Qualium votorum passim magna copia, variæ materiæ, & certæ ceremoniæ.*
9. *Nam nuncupabantur.*
10. *Inscribebantur, obsignabantur, incerabantur.*
11. *Solvebantur*
12. DIIS MERITIS.
13. *Juxta notam V. S. L. M.*
14. Ἀναθήματα.
15. *Fiebantque semper cum præfatione Jani.*
16. *Sed vota hic latius capiuntur,*
17. *Prout complectuntur salutationes & compellationes,*
18. *Gratulatione.,*
20. *Precationes,*
21. *Deprecationes,*
22. *Vota privata,*
23. *Vota publica pro tota Republ.*
24. *Pro Coss. & Magistratibus,*
25. *Pro Belli Ducibus,*
26. *Pro Augustis & Cæsaribus,*
27. *Tam bonis quam malis.*
28. *Votorum formulæ & summa.*
29. *An vota pro salute Impp. ipsis Kal. Januar. facta, an die tertio post Kal. Januar?*
30. *Christianorum pro Impp. sacrificia laudum & precum.*
31. *Votum longævæ vitæ.*
32. *Votum pacis & tranquillitatis.*
33. *Votum sanitatis.*
34. *Votum pro victoriis.*
35. *Votum pro bona Anni tempestate.*
36. *Votum pro felici itinere.*
37. *Gratulatio de reditu.*
38. *Votum pro felici regimine.*

Διέξοδος.

§. I. RELIQUA STERNARUM ROMANARUM materia exposita, VOTA PRECUMQUE agmina *Strenologiam* claudent. Illa autem sive *Comites*, sive *Socia*, sive *Adjuncta* STRENARUM vocavero, parum interesse arbitror, cum satis constet, quid ultimæ lineæ velint. Etenim tam apud Gentiles, quam Christianos VOTA cum STRENIS adeo connexa, & quasi implicita erant, ut illæ sine his mutæ velut & ἀσήμαντοι, cum iisdem autem vere σημαντικά, vocalia & longe acceptiora munera essent. Imo hodieque apud nos cum munerum oblationes cessant, votorum tamen copia est, utpote qui animum potius voventis, quam manum dantis æstimamus. Scilicet, ut ait Novid. l. I. *facr. Fast.*

Læta dies orta est: sonat æs: tonat ardua moles:
Felicesque frequens suscitat ara focos.

Ore favete omnes : lætis bona verba Calendis
Dicite in alterna fœmina virque prece.
Luce bona bonus annus eat , ſic dicere priſcis
In Jani prima mos erat ante die .
Triſtia nec ſibi mens , nec triſtia ſentiat auris ,
Omnia ne vulgus rebus ineſſe putet .
Dicta inſunt verbis , felicia & aurea primis :
Aureus & felix totus ut annus eat .

§.2.Ea ipſa tamen non ea animi ſuperſtitione accipimus , quaſi in nuda verborum φθόγγῳ felicitas anni ſit ſita , aut quaſi ea , quæ voto concipiuntur , ex primis anni initiis velut ſacratis quibuſdam auſpiciis , neceſſario obtineantur , uti Plinius de læva ſuæ ætatis opinione quærit , *cur primum anni incipientis diem lætis precationibus invicem fauſtum ominamur* ? Et reſponſionem ad meram ſuperſtitionem revocat l. XXVIII.*H.N*.c.II. ſed partim , quod bene potius , quam male amicis occurrentibus cupiamus, partim quod plura a Deo bona per devotas ejuſmodi preces obtineri poſſe ſidamus . Quod ergo olim ſuperſtitionis fuit inter Gentes , id hodie pietatis eſt inter Chriſtianos . Quod ſi aurum in templum Salomonis illatum ex uſu factum eſt ſacrum , quod antea ex ſuo commercio prophanum fuit : Quanto magis ἀδιάφοροι , ex ſuperſtitioſo ſæculo in Eccleſiam translati, erunt ſacri, Deo & hominibus grati , qui & quatenus verbo Dei , & ore fidelium ſanctificantur ?

§.3. Quam pietatis Chriſtianæ partem Dreſſerus noſter ſatis pie deſcripſit in *de feſtis diebus* p.9. Mos eſt Chriſtianorum & pius, & ſalutaris, ut alteri novum optet ac gratuletur annum . Complectitur autem gratulatio hæc votum ardens & precationem ſeriam, ut novus annus bene proſpereque eveniat, & ſæpius eadem felicitate recurrat.In hac gratulatione primum reſpicere debemus cum præteriti temporis memoriam recordari ultimam, ut quæ nobis bona , malave in vita ante acta acciderunt , alte in animo reputemus , Deoque pro paterna & clementi conſervatione vitæ , pro victu , pro defenſione in periculis , atque adeo pro omnibus beneficiis ſpiritualibus & corporalibus gratias agamus: Tum orare etiam nos decet , ut in tempus poſterum nos eadem bonitate Deus cuſtodiat , protegat , alat , foveat , tueatur , faciatque nos vaſa miſericordiæ , & organa ſalutaria nobis ipſis & aliis .

§.4. Quæ qui improbat , pietatem improbat , qui cohibet,preces & a Deo ipſo præcepta ſuſpiria tollit , eliminat , evertit, cum magno Chriſtiani nominis dedecore . Quis enim neſcit,quod preces potentiſſima Chriſtianorum arma , quod vota optima auxilia ſint . Abſit ergo per omnem lapidem , ut VOTA novi Anni improbes , ut potius jubere , injungere , adaugere debeas . *Omnia probate , quod bonum eſt , tenete* .

§. 5. Abſit ſaltem ſuperſtitio , quæ Strenarum Romanarum Votis ex vitio pravi ſæculi adhæſit ; abſint auguria & vanorum lucrorum , negotiorum, ludorum, ſortium, aucupia, quæ Strenis Diabolicis affricuit Satanæ malitia : Abſint verba ſimulata, fucata , ad decipiendum , ad execrandum compoſita iſtius parvæ nationis,quę cum Antonino Caracalla, etiam in ipſa ſalutatione cogitet,*ſis divus,modo non vivus* : Abſit denique abuſus quivis alius , quo ſeria verba , & devota vota in ridiculas , leves , ineptas , vanas, ludicras , imo & ſæpe in turpes & abjectiſſimas res exeunt , qualia plura homines terrena ſapientes fundunt, præcipitantve. Taliter voviſſe, eſt devoviſſe:oraſſe eſt littus araſſe.Quid enim? an tales ineptias Deo placere credis ? an exaudiri putas a Cœleſti Numine , quæ ne quidem merent ab honeſtis Viris & matronis audiri ? Recte B. Lutherus : *Auff dieſen Tag pflegt man das neue Jahr aus zutheilen auff der Cantzel, als hatte man ſonſt nicht*
A *gnug nutzliches heylſames Dings predigen , daſſ man ſolche unnutz Fabeln anſtatt Gottliches Worts furgeben muſte , und aus ſolchen ernſten Ampte ein Spiel und Schimpff machen* . Iſta amputanda erant , & tollenda ex Eccleſia, vero & legitimo uſu retento . Nam ut alias , ita & hic

Uſus habet laudem : crimen abuſus habet .

§.6.Originem ſi ſpectes Votorum ad Kal.Januar. alligatorum , ea (fateor) a Romanis eſt . Sed non omnia , quæ Romanorum erant , improbari poterant . Strenæ etiam ex Latio ſunt, nec tamen prorſus apud nos conticeſcunt. Si omnibus Romanorum rebus repudium renuncias,renunciandum eſt
B & linguæ Romanæ & Juri Romano & Imperio ipſi . Quæ quia retinere ſtudemus , quod bona ſint , quod utilia ſint , quod juſta ſint , cur non Strenas retineas , & Strenarum vota , imprimis ſi ab omni impietate & profano uſu defæcentur?Imo ſi verum fateri velimus , vota non tam a Jano ſunt , quam a novo anno : effectus piarum mentium , non profanarum gentium : Nam ſi quæras , cur vota ſua Romani Kalend. Januariis alligarint ? rationem aut nullam dant , aut non ſatis adæquatam . Ovidius dicit , id ideo fieri, quia Omina principiis ineſſe ſoleant: ſed id ſuperſtitioni ſavebat; Macrobius, quia
C Janus Sol, qui ſit omnis temporis autor : quaſi vero alio die ſol non æque luceat,ac primo Jani die:Plutarchus , quia apud Janum coitio duorum populorum Roman.& Sabin.ſit facta: quaſi vero id factum ſit medio Brumali tempore : Potiſſima votorum ratio mihi hæc videtur eſſe, quod vota ſecuta ſint novos Magiſtratus , Coſſ. Prætores , alios : quorum faſces ut felices eſſent , Strenas captabant , vota reddebant , vota, inquam, pro Imperantium & parentium mutua felicitate.Quod quia ab Ann.U.C.DCI. Kal. Januar. factum eſt , ideoque ab eo tempore etiam vota Kal. Jan. facta ſunt , tam ante Imperatores , quam ſub iiſdem . Atque hactenus in iſto ritu
D ὡσὲν καταπίκεισμα .

§. 7. Cæterum , ut mentis notio eo notior fiat , iſtud ante omnia præmonemus, quod votum hic paulo latius pro quacunque ſive ſalutatione ſive apprecatione , ſive conteſtatione & gratulatione accipiamus , non neſcii , quod Votum interdum ſtrictius , aut pro nuptiis , aut pro φιλοστοργίᾳ parentum ad libertos, aut pro religioſa voti nuncupatione , capi ſoleat , quod ὡς ἐν ἐπιτομῇ Dn.Schutzius diſſ. *Vot. vet*. c. I. tradit . Certe Moſes de pluribus ejuſmodi votis agit in *Levitico* & *Numeris*. Tali ſe voto Jephte obligavit de eo , quod primum ſibi e domo occurriſſet , & Agamemnon de eo , quod
E pulcherrimum ſibi eo anno eſſet natum, mactando. Cujus generis ſunt Jacobi *Gen*. XXVIII.20. Hannæ v. *Sam*.I. Davidis *Pſ*. LXVIII. 14. Jonæ c. II. Michæ *Jud*. XVII. Pauli *Act*. XXII. & ſuo modo, etiam Monachorum & Monialium vota .

§. 8. Talium votorum & devotionum omnis ferme Græcia, omne Latium plena ſunt . vid.clar.Dn. Chriſtoph. Schutz in luculenta differt.Lipſ. *de Votis* c. II. Unde enim Jovis Statoris reliquorumque Deaſtrorum fere omnium myrias , niſi ab ejuſmodi votis ? Horum autem Votorum & certæ materiæ , & certæ leges erant . Materiæ pro diverſitate voto-
F rum variæ . Ut plurimum Bos auratis cornibus: ita enim Tertullianus *Cor. Milit*.c.XII. *Ecce annua votorum nuncupatio quid videtur ? Accipe poſt loca & verba* : *HUNC TIBI Juppiter bovem cornibus auro decoratis vovemus eſſe futurum* . Tale quid & ex Virgilii lib.V. *Æn*. pateſcit . Sæpe & caper , cadus, libatio , aliaque infinita voto concipiebantur . De quibus Clar. Dn. Schurz *laudata diſputatione* : Leges autem & Ceremoniæ tales erant : Primum : (1) *concipiebantur* , deinde (2.) *inſcribebantur , ſignabanturque* , poſt , (3.) *obſignata Deorum ſtatuis*

A *affigebantur*, donec voti compotes (4.) *religione se solvissent, & promissa præstitissent.*

§ 9. Primum actum colligimus ex illo Suetonii loco in *Augusto* c.XCVII. *votum, quod in preteritum lustrum suscipi mos est, collegam suum Tiberium nuncupare jussit. Nam se quanquam conscriptis paratisque jam tabulis negavit suscepturum, quod non esset soluturus*, & Lat. Pacatus Drepanus in *Panegyr. Theod.* dicto: *vota verborum, quæ olim nuncupaveram, soluturus.*

§. 10. Alterum actum Juvenalis *Sat.* x. notat, quando sic canit:

Legitime fixis operitur tota tabellis
B *Porticus* ——

Ubi interpres, id est, *devotis precibus impletur.* Tertium idem eadem Satyra expressit, quando dicit: *genua incerare Deorum*; id enim est *vota Deorum genibus cera affigere*. Et Lucianus in *Philopseude*, πολλοὶ ἔκειντο ὄβολοι πρὸς τοῖν ποδοῖν αὐτοῦ καὶ ἄλλα νομίσματα, ἔνια ἀργυρᾶ πρὸς τὸν μηρὸν κηρῷ κεκολλημένα. Hæc sunt *signata vota* apud Plin. l.x. ep. XXXVI. hæc est *adsignata oratio* apud Tert. lib. *de Oratione*, hoc est *votum in statuæ femore assignare* apud Apulejum in *Apolog.* Conf. Scip. Gentil. *in Apulej.* n.559 Contr. Rittershus. *ad Plin.* Turneb. l.I. *Adverſ.* c. XVII. Salmuth. *de veter. Natal. ritu* d. III.

C §. 11. Ultimum denique actum vocabant, *vota reddere, solvere, offerre*, cum, quæ vovissent, solvebant. Velut cum Horatius a lapsu arboris in horto servatus, quæ Libero voverat, sacra faciebat, ut est lib. III. *Carm.* od. VIII.

Martiis cælebs quid agam Kalendis,
Quid velint flores & acerra thuris
Plena, miraris, positusque carbo in
Cespite vivo.
Voveram dulceis epulas & album
LIBERO CAPRUM prope funeratus
Arboris ictu.

D §. 12. Talia vota dicebantur potissimum Diis MERITIS & MERENTIBUS offerri, perinde ut meritæ Aræ, meriti honores, & meritæ coronæ Virgilio dictæ sunt. Testis est Ovid. l.v. *Fast.*

Redduntur MERITO debita vota Jovi.

Idem lib. IV. *Trist.* eleg. II.

Munera det MERITIS sæpe datura Deis.

Huc spectat tabella ænea Firmi in agro Piceno cum variis nummis argenteis variorum vultuum inventa, cujus prior facies ita habet.

L. PESSENNIUS T. F.
MIRCURIO. DONO. DEDIT. MERETO.

Posterior ita habet:

E SACRA. JOVI. STYGIO.

Ubi usitata ἀντίθεσις literarum pro Mercurio Mircurio, pro Merito, Mereto est scriptum, apud Lips. *Antiq. Inscript.* f.25.

§. 13. Quo etiam admodum ingeniose (ut solet) Consultissimus Dn. Strauchius notam singularem refert *V.S.L.M. Votum solvit Lubens Merito.* Utut Valer. Probus aliter exponat: *Vivens Sibi Legavit Monumentum*, vel *Vivens Sibi Locum Monumenti*, (scil. posuit) cum quo etiam Magno in suis *Notis Juris* consentit. Pro Strauchio nostro facit inscriptio a Fulvio observata, quæ literas initiales ita, & non aliter explicandas docet, apud Lips. *Auctar.* p.27.

F JOVI. CONSERVATORI. ET. JUNONI. SANCTAE SACRUM.
C. PLAETORIUS. C. F. STEL. PHOEBUS. VI. VIR.
AUGUSTAL. SODAL. TRAIANAL. ET. HADRIANAL. IIIIVIR. QUINQUE. PATR.
JUVEN. TREBUL. MUTUESC. SOL. LIB. MER.

Quo quid clarius est aut esse potest? Nec poterit aliter, quam ita explicari in Lud. Vivis *Lapide* p.28. Nam Fortunæ AUR. Sacr.

V. S. L. M.

Quid, inquam, in illo esset *Vivi Sibi Locum Monumenti*? Non *Monumentum fecerunt pro itu & reditu, sed votum pro salute Cives Batavi.* Aliud ejusdem significationis in eodem Lips. p. 32. Sylvano VOT.S.L.M. & vicissim aliud p.34. item quod Spoleti habetur ex Nic. Flor. Lips. *Antiq.* p.32.

J. O. M.
Q. RAONIUS.
DODORUS. EX.
VOTO. POSUIT.
LIBENS. MERITO.
IIII. IDUS MAIAS.

§. 14. Interdum quoque in perpetuam voti memoriam velut ἀναθήματα in luco aut sacro suspendebant vota seu res ipsas, quas voto nuncuparant, naufragi vestes, Citharœdi barbiton, victores spolia, milites prædas, alii alia. Ita Horatius ἀλληγορίζει l. I. *Carm.* od.v.

—— *me tabula sacer*
Votiva paries indicat humida
Suspendisse potenti
Vestimenta Maris Deo.

Sicut & ille votum in freto Siculo susceptum solvit Neptuno sacrum, quod erasis nominibus Capuæ in Campania via publica in basi notatur apud Lips. *Antiq.* f.26. Et vicissim Horat. lib. III. *Carm.* od. XXVI.

Nunc arma, defunctumque bello
Barbiton hic paries habebit,
Lævum marinæ qui Veneris latus
Custodit. Hic, hic ponite lucida
Funalia, & vesteis, & arcus
Oppositis foribus minaces.

§. 15. Quomodocunque tandem illa fierent, sive omnibus sive uni alicui seorsim Deo, semper tamen JANI facta est mentio, eaque sola & una, si illi soli erant vota nuncupata: prima autem, si & aliis. Nam a Jano & Vesta præfatio fiebat, quia is primus aras & pomeria & sacra docuit. Fab. Pictor *de Aureo Sæculo*, Gyrald. *Synt.* XVII. p.722. Alex. ab Alex. l. IV. *Genial. dier* c. XVII.

§. 16. Atque ea quidem erat votorum Gentilium ratio. Sed in hoc speciali significatu nobis hic vota non usurpantur. Utut enim non negemus, sed potius palam asseramus, sub Auspicium Anni multos vota pro felicitate sua & suorum fecisse, plures etiam pro bonis elapso anno obtentis exolvisse: Ea tamen non fuit omnium, nec ordinaria votorum Januariorum ratio. Quin potius vota hic nobis sunt omnis generis preces, gratiarum actiones, gratulationes & optata amica. Recte Val. Max. *l.I. cap.I. Prisco instituto rebus divinis opera datur, cum aliquid commendandum est precatione, cum exposcendum voto, cum exolvendum gratulatione, cum inquirendum vel extis vel sortibus, imperio, cum solenni ritu peragendum sacrificio.*

§. 17. Quæ in se complectuntur amicas SALUTATIONES, mutuas acclamationes & faustas EXCEPTIONES. Herodianus in *Commodo* lib. I. cap. XLIX. scribit. Ῥωμαῖοι δεξιοῦνταί τε ἀλλήλους καὶ προσαγορεύουσι, *se invicem colunt* (excipiunt) *salutantque amicis alloquiis se invicem compellantes.* Id cum plerique alii, tum interdum etiam ipsi Imperatores præstiterunt. Documento esse potest Symmachi Epistola *ad Ausonium* l.I. ep. XIII. qua scribit *Gratianum cælestem orationem bonæ Spei & hilaritatis plenam in frequenti senatu Kal. Januar. habuisse.* Idem vicissim epist. XLIV. *ad Agorium* docet, *suum Patrem ex agro in curiam vocatum cum Kalendæ essent, quibus annus aperitur, ipsum Senatum compellasse eidemque eo nomine gratias egisse.*

§. 18. Item Amicæ GRATIARUM ACTIONES,

quas five Novi Coff. five Imperatores, five adoptati Augufti, dicebant Kal. Jan. Ælius Spartianus certe in *Ælio* fcripfit, *quod* (Ælius) *pulcherrimam orationem pararit, qua Adriano patri gratias agere voluiffet, nifi potione accepta ipfis Januariis Calendis periiffet.* Coff. gratias pandunt tot Panegyrici, ab ipfis ad Impp. & Senatores habiti, quorum ut maxima dicendi copia fuit, ita fcripta publica fama circumferuntur, nec tranfcriptione opus habent. A

§. 19. Eadem vota etiam erant GRATULATORIA, quibus fibi invicem de bonis ex voto acceptis gratulabantur. Talis eft totus Tibulli *Panegyricus*, quem *ad Meffalam Corvinum* fcripfit *l.* IV. cum fub Dom. Nerone Confulatum iniret anno ab U. C. DCCCX. Namque in eo gratulatur de victoria & triumpho, itemque de Confulatu nuper adepto, fimulque adhortatur ad res bellicas fortiter perfequendas. B

§. 20. Fiebant & VOTA PRECATORIA, ut fcil. novi anni incepti aufpicia fint bona, & omina totius anni decurrentis fiant faufta. Ea Ovidius *læta, bona, faufta verba* appellat.

Nunc dicenda bona funt bona verba die.

Et alibi:

At cur læta tuis dicuntur verba Calendis?
Cur damus alternas accipimufque preces?

Quibus Janus, C
Omina principiis, inquit, *ineffe folent.*
Ad primam vocem timidas advertitis aures,
Et primum vifam confulit augur avem.
Templa patent, aurefque Deum: nec lingua CADUCAS
Concipit ulla preces: dictaque pondus habent.

CADUCÆ funt preces, quas Catullus alicubi *vota cadentia*, id eft, non valentia appellat. Irrita enim ea vana vanorum hominum opinio erat, vota ex primo anni die plus valoris accipere, quam ex aliis dierum revolutionibus: ex iftoque tempore valere, non cadere. Apud Barn. Briffon. *de Form. l.* I. p. 101. Hinc Plinii vox cata eft, quod Romani caverint, ne quod mali ominis verbum Kal. Januariis efferretur. Si quid enim finiftro omine auditum effet infelix annus portendi vifus eft. Hinc Mævius quidam (ut fcribit Porphyrio) poft abforptum patrimonium Calendis Januariis alta voce optavit, *ut quinquaginta millia nummorum æris alieni haberet.* Cumque illi aftantium admirati effent, quid hoc fibi vellet, quod tam folenni die incommodum fibi optaret, Mævius refpondit. *Non eft, quod miremini. Nam octoginta millia debeo.* Scilicet voto Januario æris magnitudinem diffolvere cupiebat. D

§. 21. Item VOTA DEPRECATORIA, quibus omnium malorum averfionem a fanctiffimo Numine defiderabant. Sæpe fulgens Cometa, fæpe infauftus Saturni afpectus, fæpe ominofa Solis & Lunæ deliquia, fæpe portentofa tonitrua & fulgura fub ipfum novi anni aufpicium gentes terruerunt, quæ in VOTIS novi anni, & in deprecationibus divini Numinis omne fuum folatium pofuerunt. Ita Claudianus de fuo tempore. E

Non in nos mala fit minitatus ab axe COMETES
Hoftibus edomitis, queis in fe patria difcors
Certat ad obfequium, pro Chrifto militet armis;
Hoc mihi præpetibus Concordia nunciet alis.

§. 22. Porro Vota ifta erant aut privata, aut publica: Et hæc iterum, aut pro tota Republica, aut pro Reip. Curatoribus fiebant. Privata, quæ quifque aut pro fe, aut pro domo, aut pro Amicis faciebat. Nam & Uxor pro Marito, & viciffim Maritus pro Uxore, Dominus pro fervo, Patronus pro cliente, Amator pro Amica, & vice verfa, hi pro iftis, vota fundebant. F

Tranfeat hic fine nube dies, ftent aere venti,
Ponat & in ficco molliter unda minas.
Afpiciant nullos hodierna Luce dolentes,
Et Niobe lacbrymas fupprimat ipfe lapis.
Halcyonum pofitis requiefcant ora querelis,
Increpet abfumptum nec fua mater Ityn.
Tuque o chara mihi felicibus edita pennis.
Surge, & pofcentes jufta precare deos.

Ita denuo Amicus Amico felicia conjugia, gazas Arabicas, latos campos, divites agros, bonam fobolem precabatur apud Tibull. *l.* II. *Eleg.* II.

Dicamus bona verba; venit Natalis (Iani)
Quifquis ades lingua vir, mulierque fave.
Urantur pia thura focis, urantur odores,
Quos tener a terra divite mittit Arabs.
Ipfe fuos genius adfit vifurus honores,
Cui decorent fanctas florea ferta comas.
Auguror, VXORIS fidos optabis AMORES,
Nam reor hac ipfos edidiciffe Deos.
Nec tibi malueris totum quæcunque per orbem
Fortis arat valido rufticus ARVA bove:
Nec tibi GEMMARVM quicquid felicibus undis
Nafcitur, Eoi qua maris unda rubet.
Huc veniat Natalis avis, PROLEMQVE miniftret
Ludat & ante tuos TVRBA NOVELLA pedes.

§. 23. Publica vota pro tota Republica. Quo enim fpectabant facrificia, quo Expiationes Capitolinæ, nifi ut bene effet S. P. Q. R.?

Cernis odoratis ut luceat ignibus æther
Et fonet accenfis fpica cilifa focis.
Flamma nitore fuo templorum verberat aurum
Et tremulum fumma fpargit in æde jubar.
Colla rudes operum præbent ferienda juvenci
Quos aluit campis herba falifca fuis.
Jupiter arce fua cum totum fpectet in orbem,
Nil nifi Romanum, quod tueatur, habet.
Salve fefta dies, meliorque revertere femper,
A populo Rerum digna Potente coli.

Ovidius *lib.* I. *Faftor.*

§. 24. Vota pro Coff. & reliquis Magiftratibus. Nam & thure DEOS conciliabant, & felicia gubernacula annorum votis fuis aucupabantur, eum in finem Lauros cum Ifchadibus præferentes, hoc quafi fymbolo vota fanitatis, felicitatis & *μακροβιότητος* contefferantes, Rhodig. *l.* V. c. VII. Martialis in confulatum SILII ita *ἐπιγραμματίζει*, *l.* VIII. epigr. LXVI.

AVGVSTO pia thura, victimafque,
Pro noftro date SILIO, Camœnæ:
Biffenos jubet en redire fafces
Nato confule, nobilique virga
Vatis Caftalidum domum fonare.
Rerum prima falus, & una CAESAR
Gaudenti fupereft adhuc quod optet
Felix purpura, tertiufque Conful.
Pompejo dederit licet Senatus
Et Cæfar genero facros honores:
Quorum pacificus ter ampliavit
Janus nomina; SILIVS frequentes
Mavult fic numerare Confulatus.

Ita ad *Gallum Nov. Coff.* Theodoricus Rex, *Sacram*, inquit, *urbem afpice Tuis* VOTIS *Candidatam*, Caffiodorus II. *Variar.* II. Quæ vota Cicero pro felicitate Confulum totiufque fenatus fecerit, ejus oratio *pro Murena* ipfis Kal. Jan. habita evidenter oftendit. Et Libanius in *Panegyr. Juliano*, tunc confuli dicto, inquit: Κρόνε πάτερ ἐνιαυτοῦ καὶ μηνῶν ἔκτεινον ἡμῖν τοῦτο τὸ ἔτος ἐφ' ὅσον τε πλεῖστον. *Saturne pater anni & menfium dilata & expande nobis hunc annum quam ample fieri poterit; quemadmodum, quando Hercules fatus eft, extendifti noctis fpatia: ac præfertim Regi (qui & Conful) vitam trans Solonis terminum protrahe, tui ipfius autumans ornamentum probi Regis fenectam. Hæc flagito, ac præterea exercitum noftrum SVSIS cœnare, PERSIS pincernarum minifterio fungentibus. Hæc vota concipere honeftum eft.* conf. Franc. Bernhardin. Ferrarium *de Acclam. Vet. l.* VII. c. XI.

§. 25. VOTA pro IMPERATORIBUS & Belli Ducibus tam a militibus, quam a civibus in caftris &

in urbe ſuſcipiebantur. Teſtis eſt Tertull. *de Corona Milit.* c. XII. *Ecce annua votorum nuncupatio quid videtur? Prima in Principiis* (id eſt, Prætorio Principis) *ſecunda in Capitoliis.* Scil. lætæ acclamationes fiebant in Exercitu, cum Imperator caſtra obiret, ut indicat *L.* I. *Tit. de Veteranis.* Unde & noſtris temporibus Ducibus aut Regibus tranſeuntibus idem fieri amat a ſubjectis ingeminantibus ſuum, *Vivat Rex.* Nam unum omnium votum eſt SALUS PRINCIPIS, Plin. *Panegyr.* ſub fin. Unde etiam Tiberius ægre tulit, pro NERONE etiam ac DRUSO *a Pontificibus vota concipi & ſupplicationes fieri* quæ pro ipſo factæ fuerant, & *ſoli* Principi fieri debebant. Tacit. IV. *Annal.* & Sueton. in *Tib.* c. LIV. Huc ſpectat formula acclamantium Impp. aut Belli Ducibus, quorum ſumma hæc erat: *ταῦτα πολλάκις ὀφθῆναι*, *ut hæc ſæpe cernantur*, teſte Libanio in *Panegyr. Juliani* T. II. Oper. Orat. VIII. Hinc ſcribit Vell. Paterculus *l.* II. quod univerſa Italia pro ſalute Pompeii, qui tunc forte morbo implicitus fuerat, tanquam peritiſſimo Belli Duce & Imperii columna, vota ſuſceperit, & ante idem factitatum per totam Italiam pro M. Livio Druſo, teſte Aur. Victore in *Vir. Illuſtrib.* LXVI. adde Ferrar. *Acclamat. l.* VII. c. XIV. & *l.* VI. c. XVIII.

§. 26. PRO AUGUSTIS & CÆSARIBUS, tanquam ſummis Principibus potiſſima fiebant Sacerdotum, Coſſ. & populi vota, utpote qui SALUS UNA & PRIMA erant Reip. Ita notum eſt, quod ex voto pro Salute AUGUSTI THUS, VINUM, HOSTIAS OBTULERINT: Obtulerunt etiam pro AUGUSTI LIBERIS. Sueton. in *Tib.* c. LIV. Imo & illud notatu dignum, quod *nonnulli patrum-familias Teſtamento caverint, ut ab hæredibus ſuis prælato victimæ titulo, in Capitolium ducerentur, votumque pro ipſis ſolveretur, quod SUPERSTITEM AUGUSTUM reliquiſſent.* Suet. in *Aug.* c. LIX.

Similiter *omnes ordines in lacum Curtii quotannis ex voto pro ſalute* AUGUSTI *ſtipem jaciebant*, c. LVII. Adde quod Dion *l.* LI. habet, *quod quo die Sacerdotes Veſtales pro S. P. Q. R. vota ceperint, pro ipſo quoque AUGUSTO vota fecerint, atque in conviviis non modo publicis ſed privatis quoque pro eo libaretur*, f. 523. & *l.* LVI. *Senatus indictus eſt, ut pro ſalute* AUGUSTI *vota conciperentur.* Ita enim pro Claudio, quaſi pro ægro vota ſuſcepta, quorum præbendorum titulus erat: SALUS IMPERATORIS. vid. Lipſ. *de Gladiat.* p. 373.

Juvat huc apponere votum Plinii pro Salute Trajani. *Te præcipue, Capitoline Jupiter, precor, ut beneficiis tuis* (electioni hujus Principis) *faveas, tantiſque muneribus addas perpetuitatem. Audiſti quæ malo Principi* (Domitiano) *precabamur: exaudi quæ pro diſſimillimo optamus. Non te diſtringimus votis. Non enim pacem, concordiam, non ſecuritatem, non opes oramus, non honores: ſimplex cunctaque iſta complexum unum omnium votum eſt, SALUS PRINCIPIS.* Et mox. *Quo majore fiducia quidem illis votis, quæ ipſe pro ſe nuncupari jubet, oro, & obteſtor, ſi bene Remp. ſi ex utilitate omnium regit, primum, ut illum nepotibus noſtris ac pronepotibus ſerves; deinde ut quandoque ſucceſſorem ei tribuas, quem genuerit, quem formaverit, ſimilemque fecerit adoptato, aut ſi hoc fato negatur, in conſilio ſis eligenti, monſtreſque aliquem, quem adoptari in Capitolio deceat*, ſub fin. *Panegyr.* & *l.* X. *Ep.* XXXVI. *Solennia vota pro incolumitate tua, qua publica ſalus continetur, & ſuſcepimus, Domine, pariter & ſolvimus, precati Deos, ut velint ea ſemper ſolvi, ſemper obſignari.* Cui reſpondet Trajanus: *Et ſolviſſe vos cum provincialibus Diis immortalibus vota pro mea ſalute & incolumitate, & nuncupaſſe libenter, mi Secunde chariſſime, cognovi ex literis tuis.* Paulini Epiſcopi votum pro Salute Auguſtorum Valent. I. Valent & Gratiani adhuc hodie extat in Fabricii *Poetis Chriſtianis* p. 770. unde poteſt peti.

§. 27. Neque tantum pro BONIS, ſed etiam pro MALIS IMPP. votum eſt. Pro iſtis, ut diu ſupereſſent, pro his, ne pejores poſt eos eſſent. Sicut admodum prudenter Sicula Anicula pro Dionyſii Salute vota fecit, quoties eum cæteri omnes diris devovebant: Rogata cur id faceret, reſpondit: *Si hic abſumptus fuerit, deterior in ejus ſuccedet locum. Bonis enim mali: raro meliores ſuccedunt.* Val. Max. *l.* VI. c. II

§. 28. Talium votorum variæ traduntur formulæ, etiam a Chriſtianis, ex præcepto haud dubie Apoſtolico, I. *Tim.* II *Rom.* XIII. I. *Pet.* II. uſurpatæ, de quibus apud Tertullianum, Auguſt. Cyprian. Clement. Epiphan. Arnobium, Minut. Felicem & alios a Gebh. Elmenhorſtio ibi, & a Georg. Remo doctiſſ. *ad Themiſtium notis* p. 166. allegatos. Apparet tamen ex Tertull. *Apolog.* c. XXX. votorum ſummam hanc fuiſſe: ut Impp. vitam prolixam, imperium ſecurum, domum tutam, exercitus fortes, ſenatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcunque hominis & Cæſaris vota ſunt, precarentur, vel *ὡς ἑνὶ* SALUS PRINCIPIS, utpote quæ & privatorum ſeu ſubditorum ſalus ſit, ſecundum Joh. de Platea *in l.* I. *C. de Veteran l.* XII. ubi Conſtantino ita acclamatum legimus: AUGUSTE CONSTANTINE DEUS TE SERVET: VESTRA SALUS NOSTRA SALUS. *A ſalute enim Principis velut filo pendet Salus terrarum Orbis*, ut Ammian. Marcellinus *l.* XXIV. princ. ſcriptum reliquit: & *l.* XXIX. ait, *nihil eſſe aliud Imperium, niſi curam ſalutis alienæ:* & *lib.* XXX. fin. *Juſti Imperii finem eſſe Utilitatem, Obedientiam & Salutem.*

Hinc vetus illa Laudis formula in lapidibus B. P. N. vel B. R. P. N. *Bono Publico Natus*; vel *Bono Reipublicæ Natus*: Contrarium in modum *Malo publico naſci vel fieri* dixerunt Veteres (notante Seneca I. *de Clem.* c. XVIII.) quando non naſci melius fuit, quam *numerari inter publico malo natos.* Præſagio fuit vox Domitii Patris inter gratulationes Amicorum, negantis *ex ſe & Agrippina niſi deteſtabile naſci* poſſe, apud Sueton. & Xiphil. Sic Lampridius Commodum *malum Reip.* & Plinius Neronem *terrarum venenum*: Tiberiuſque de Caligula pronunciavit, ſe *natricem Pop. Rom. & Phaethontem terrarum Orbi* educare, apud Franc Juretum *in Symmach. Epiſt.* XLIII. *l.* I.

§ 29. Quæ omnia uti ſatis oſtendunt, Vota Januaria fuiſſe, quæ tam ipſis Kal. Januariis, quam aliis quoque temporibus fuerint nuncupata & fuſa, ita pronunciarem, Kal. Januar. non tantum pro Coſſ. aliiſque Magiſtratibus, ſed etiam pro ipſis Imperatoribus Auguſtis fuiſſe oratum, niſi Gajus *l.* 23. *§.* I. *ff. de verb. ſignif.* ſcripſiſſet: *Poſt Kalendas Januarias Die tertio pro SALUTE PRINCIPIS vota ſuſcipiebantur.* Et videtur Sueton. in *Aug.* c. LVII. innuere, *alio die ſtipes pro ſalute Auguſti in Lacum Curtii jactas ex voto*, & viciſſim *alio Strenas* (& cum Strenis vota) *oblatas.* Quæ uti ſatis aperta ſunt, ita quomodo cum ſuperioribus Kalendarum Januariarum votis conciliari queant, videndum. Nam ipſis Kal. Jan. etiam pro Cæſaribus oratum, libatum & ſupplicatum eſſe, quis dubitare poſſet, cum legit tot Panegyricos, tot gratiarum Actiones, tot Acclamationes ipſis Kal. Januariis iis ipſis præſentibus & audientibus publice in conſeſſu Senatus & Conſilii aulici habitas? Accedit, quod Libanius, qui accurate non tantum ipſarum Kalendarum, ſed etiam antecedentis noctis, imo & ſequentium quatuor aut quinque dierum omnes actiones, ludos, ferias, gaudia exacte & graphice depingit, nihil tamen eorum votorum meminit, quæ Cajus dicit Tertio Calend. Jan. die pro ſalute Principis fundi. Tandem cum omnia ſalutis & felicitatis omina poſuerint Romani in primo anni auſpicali die, mirum

est, si Coss. saluti libantes, Cæsarum salutis adeo negligentes fuerint, ut istorum auspicalem felicitatem primo anni die exoptaverint, Cæsarum votis & precibus in tertium demum post Kal. diem rejectis aut dilatis: Cum potius inverso ordine vota Cæsarum antecedere, Consulum sequi debuissent.

§. 30. Pro qua liticula componenda, distinguenda tempora sunt. Nam quousque Consularis potestas fuit, Strenarum quoque & Votorum solennitatem ad Kalendas Januarias fuisse alligatam, præter alia jam tum dicta evincit Livii locus *l.* XXI. sub fin. *Consul C. Flaminius conscientia præteritorum & Capitolium, & solennem Votorum nuncupationem fugit, ne die initi magistratus Jovis O.M. templum adiret.* Eaque vota cum pro Coss. tum pro omnium Senatorum, imo & totius Reip. salute sunt facta.

Post sub *Impp. &* AUGUSTIS Strenæ & Vota pro Coss. & Rep. Kalendis Januariis manserunt; sed Vota pro Impp. tanquam Capitibus Reipublicæ, ex S.P.Q.R. devotione peculiarem diem, tertium scilicet a Kalendis (nam secundus erat nefastus) fuere translata. Ea sic conjecto (1) ex Plutarcho, qui in *Cicerone* inquit, *Ciceronem Tertia die Nonar. Jan. qua nunc* (*nunc* inquit, de suo tempore loquens) *Principes vota faciunt, & mactant* ὑπὲρ τοῦ ἡγεμόνος *pro Imperatore, natum esse.* (2) ex Dione qui *l.* LIX. *Tertia die,* inquit, *qua vota fiunt, convenerunt quidam.* (3) ex Tacito *l.* IV. *Annal.* c. LXX. ubi Sabinus ad carcerem raptus exclamavit: *Quem diem vacuum pœna, ubi inter Sacra & Vota, quo tempore etiam a verbis profanis abstineri mos est, vincula & laqueus inducentur?* Inter Sacra, quæ Kalendis, & Vota, quæ ad III. Non. Januar. fiebant. Isteque mos jam tum ab Augusti temporibus obtinuisse videtur. Nam & illi Strenas offerebant, & Vota, stipe in lacum Curtii missa faciebant: quorum illud Kal. Jan. hoc III. Non. Jan. factum fuisse arbitror. Antiquum Strenarum morem non moverunt, nec Kalend. Consulum & Annorum indices turbarent: Ut autem & in Cæsares devoti essent, tertiam a Kalendis diem elegerunt, credentes, τοὺς θεοὺς ἐν ἐκείνῃ μάλιστα τῇ ἡμέρᾳ χρηματίζειν τοῖς εὐχομένοις, ut Lucian. in *Pseud.* docet, *Deos isto die potissimum votis & precibus vacare.* Hinc Tiberius solennia anni incipientis Kalend. Januariis epistola est precatus (Coss. & Reip.) qui ipsi mox Vota (pro Tiberio) fecerunt, Tac. *l.* IV. *Annal.*

Et Nero Thraseæ inter crimina objecit, primo quod *principio anni solenne jusjurandum vitavisset:* secundo, quod *nuncupationibus votorum non affuisset, quamvis quindecimvirali sacerdotio præditus esset:* tertio, quod *nunquam pro* SALUTE PRINCIPIS, *aut cœlesti voce immolavisset.* Tac. *l.* XVI. *Ann.* c. XXII. Ex quibus hæc conficiuntur: Jusjurandum Kalend. Januar. deponebatur, utpote quibus in Acta principum jurabatur, quod supra docuimus Ætate secunda Strenarum §. 27. *Vota autem & Sacrificia pro* SALUTE PRINCIPIS, &c. *& cœlesti voce* (id est, clariore & liquidiore: Voce enim alias rauca usus est. φθέγγεται κοῖλον, *concavum sonat*, dicit Lucianus in *Nerone*, cui consonat Philostratus *l.* V.) III. Non. Januar. fiebant, iisque & Senatores & Pontifices interesse debebant, teste Sueton. *Nerone* c. XLVI. Ex istis igitur Votis pro Principe, Tertius iste anni novi dies inclaruit, uti tres isti ex Plutarcho, Dione, Tacito loci evincunt. Lucianus in *Pseud.* quem paulo ante audiebamus, idem docet. Docet & Eunapius in *Vita Maximi:* ἡ ἐπὶ τῇ ἡμέρα τῶν καλανδῶν, ἃς αὐτὰς Ιανουαρίας ἡμέρας Ρωμαῖοι προσονομάζουσι, καὶ προσκυνήσαντες πάντες αὐτῶν ὑπέχοντο τὴν εὐωχίαν. Quibus accedit Caii locus: *post Kalendas Januarias die tertio pro salute Principis vota suscipiebantur.* Hinc Vopiscus *Vota* a Kalendis Januariis æque ac a *Parilibus*, & *Natalibus* distinguit in *Vita Taciti.* Hinc Spartianus inter *Kalendas & Vota* intervenisse luctum inquit in *Ælio Vero. Orationem pulcherrimam paraverat, qua Kalendis Januariis Hadriano patri gratias ageret, accepta petitione, qua se existimaret juvari, Kalendis ipsis periit, jussusque ab Hadriano, quia* VOTA *interveniebant, non lugeri.* Hinc non contemnenda observatio est Buchneri, Casauboni, Scheckii, Gutherii, Strauchii, cum ipsum diem tertium a Kalendis Januariis κατ' ἐξοχὴν VOTA appellatum. Satis clare Capitolinus in *Pertinace: Tertio Nonarum die, Votis ipsis.* An idem etiam absolute SOLENNIA sit appellatus, ut vult Lipsius *ad* XVI. *Ann. Tac.* p. 243. equidem ambigo. Iste certe locus, quem ex Tertulliano adducit, non de Solennibus VOTORUM, sed Solennibus NATALIUM Principis agit. Accommodatius forsitan in hanc rem Plinius *l.* X. *Ep.* XXXVI. ad Trajan. *Solennia Vota pro incolumitate tua, qua Salus publica continetur, & suscepimus Domine & solvimus.* Spectat huc vetus inscriptio, a Nobilissimo nostro Strauchio observata:

IISDEM COSS. III. NONAS. JANUAR
SULPITIUS. CAMERINUS. MAGISTER
COLLEGI. FRATRUM. ARVALIUM
NOMINE. VOTA. NUNCUPAVIT
PRO. SALUTE. NERONIS. CLAUDI
DIVI. CLAUDI. F

Hæc VOTA esse ipsissima τὰ βοτὰ Concilii Trullani *Canone* LXII. Casaubon. *ad Spartian.* existimat, refutans Theod. Balsamonem Patriarcham Antiochenum, qui *Comm. in Can.* LXII. τὰ βοτὰ quasi πρόβατα ἢ λοιπὰ ζῶα, quasi festum quoddam Panis ovium custodis, fuerit. Confer omnino Ampl. Dn. Strauchium *Kal. Jan.* c. III. fin.

Sed quo hæc tandem? Vota pro Impp. tertio Nonarum die publice & a Senatu & a Pontificatu: pro Coss. & reliquis Magistratibus ipsis Kalendis Anni Auspicibus fiebant: Illa ex novo, hæc ex veteri more: illa a Senatu & populo & Sacerdotio: hæc & ab ipso Principe parabantur. Nihil addimus in re tam longis & multis verbis delineata: Ea saltem juvat attendere, quæ Christiani ardore pietatis moti fecerint. Pro sacrificio taurorum, sacrificium laudis Deo obtulerunt, quotiescunque vota pro Impp. salute fecerunt, facem præferente sancto Tertulliano, qui, *Sacrificamus,* inquit, *& nos, pro salute Imperatoris, sed Deo nostro & ipsius, sed quomodo præcepit Deus pura prece. Non enim eget Deus conditor Universitatis odoris aut sanguinis alicujus. Hæc enim sunt Dæmoniorum pabula.* Et mox: *Ita nos magis oramus pro SALUTE IMPERATORIS ab eo eam postulantes, qui præstare potest.* Et vicissim: *In cœlum suspicientes manibus expansis, quia innocuis, capite nudo, quia non erubescimus, denique sine monitore, quia de pectore oramus, precantes sumus omnes pro omnibus Imperatoribus,* &c. Et quasi hanc votorum Christianorum vim sensisset Galerius Maximinus, eadem Christianis edicto publico imperavit, cum suppuratione intestinorum tangeretur. *Quapropter,* inquit, *secundam hanc nostram indulgentiam (Christiani) Deo suo pro salute nostra, pro Republica, proque se ipsis supplicent,* ἵνα κατὰ πάντα τρόπον καὶ τὰ δημόσια παραχθῇ ὑγιῆ, καὶ ἀμέριμνοι ζῆν ἐν τῇ ἑαυτῶν ἑστίᾳ δυνηθῶσιν. Euseb. *H. E. l.* VIII. c. XVIII. Idem fecerunt etiam, Licinio per Constantinum devicto, *ibid. lib.* X. c. IX.

§. 31. Pergo ad alia Votorum genera, quæ tam Animi quam Corporis bona complectuntur. Velut est v. g. Votum Longævæ vitæ, quod suo Domino & Imperatori vovit Martialis *lib.* VII. *epigr.* II.

Faſtorum genitor parenſque Janus,
Victorem modo cum videret Iſtri,
Tot vultus ſibi non ſatis putavit,
Optavitque oculos habere plures:
Et lingua pariter locutus omni,
Terrarum Domino Deoque rerum
Promiſit Pylíam quater ſenectam.
Addas, Jane Pater, tuam rogamus.

Ita etiam Amalarius Fortunatus Epiſcopus Trevirenſis Ludovicum Pium Imperatorem in Dedicatione *Div. Offic.* tali voto proſecutus eſt: DIVO HLUDOVICO VITA: *Novo David perennitas. Da principi, Domine, VITAM: Novo Salomoni Felicitas. Pax mundi vos eſtis, Pio Principi Proſperitas. Domine vitam ipſi concede. Veſtra fides vos ſervet. CHRISTUS, quem vos honoratis, ipſe vos ſervet. Poteſtatem veſtram DEUS conſervet: DEUS pacificet regnum veſtrum. JUDITH orthodoxæ Nobiliſſimæ atque prudentiſſimæ AUGUSTÆ ſalus per multos annos. Lumina pacis Domine ſerva, Lumina mundi Domine ſerva. Vita veſtra, tutela omnium: Veſtra fides Eccleſiarum gloria eſt. Piiſſimos Dominos noſtros Imperiales natos HLotharium glorioſiſſ. coronatum, & fratres ejus Chriſtus conſervet. Ex proavis orthodoxos Domine ſerva: Cuſtodes Fidei Domine ſerva.*

§. 32. Votum pacis & tranquillitatis publicæ. Ita Auſonius:

Pacem mundus agat, nec turbida ſidera regnent.

§. 33. VOTUM SANITATIS & INCOLUMITATIS. Ita Plinius Trajano, Mamertinus Juliano, Latinus Pacatus Theodoſio, Nazarius Conſtantino, Auſonius Gratiano in *Panegyricis* ſuis hanc potiſſimam ſuorum votorum partem facientes, vegetum animi corporiſque bonum apprecati ſunt. Ita Symmachus ad ſuos Principes: VOTUM MEUM INCOLUMITAS VESTRA.

§. 34. Votum felicium pugnarum & victoriarum contra hoſtes. Quæ ſua deſideria etiam Chriſtiani ſuo Deo patefecerunt, Imperatoribus (etiam Gentilibus) exercitus fortes, victorias lætas, prælia fortunata exoptantes.

§. 35. Votum, pro bona anni tempeſtate & ſalubri aeris cœlique clementia, ut cum fruges terræ matureſcant, tum animantia in alimentum hominum pingueſcant. Tale eſt & illud Auſonii:

Chriſte ſacris culte auſpiciis, da VERE ſalubri
Apricas ventorum animas da roſcida Cancro
Solſtitia & gelidum BOREAM ſeptembribus horis:
Mordeat autumnas frigus ſubtile pruinas,
Et tenuata modis ceſſet mediocribus æſtas.
Sementum notus humificet: ſit bruma nivalis
Dum pater antiqui renovatur Martius anni:
Spiret odorato florum nova gratia Majo;
Julius & ſegetes coquat: & mare temperet Euri:
Sirius ardentem non augeat igne Leonem:
Diſcolor arboreus variet Pomona ſapores:
Mitiget Autumnus quod maturaverit æſtas:
Et genialis hyems parta ſibi dote fruatur.

§. 36. Votum felicis itineris. Ita Suetonius docet, Tiberium (καλλιππίδην per jocum dictum) vota pro itu & reditu ſuo ſuſcipi paſſum eſſe, cum tamen urbe non exiiſſet.

§. 37. Gratulatio de felici reditu ex itinere. Ita S. P. Q. R. pro ſalute & reditu Auguſti vota ſuſcepiſſe, Nummi eam in rem excuſi indicant, quos Tabula x. *Nomiſmat. Caroli Duc. Arſchottani* exhibet.

§. 38. Sequuntur Vota pro felici Regimine. Scilicet ut veterum Romanorum, ita & Chriſtianorum votorum prima & ultima Lex eſt FELICITER impera: PRUDENTER impera: JUSTE impera: Res ſatis claret non ſolum ex iis, quæ §. 24. adduximus, ſed etiam ex Franc. Bernhardin. Ferrario *lib.* VII. *Acclam. Veter.* c. XI.

F I N I S.



MARCI MEIBOMII
DE
FABRICA
TRIREMIUM
LIBER.

POTENTISSIMIS SERENISSIMISQUE

REGIBUS, PRINCIPIBUS,

REBUSPUBLICIS CHRISTIANIS MARIS INTERNI ACCOLIS

MARCUS MEIBOMIUS

FELICITATEM.



Ntiquæ formæ naves, ex quibus potentissimorum Regum, ac Rerumpublicarum, classes olim constitisse legimus, non e navalibus, in quibus subductæ ad hæc usque tempora steterint, sed e Veterum venerandis literarum monumentis erutas, in mare rursus deducere hoc libro sum conatus. Nihil apud veteres auctores triremibus celebrius: sed cujus illæ formæ naves fuerint, adeo comminisci nemo, tot jam sæculis, potuit, ut in absurdas opiniones, velut in scopulos, errore obscuræ noctis, delati præstantes doctrina viri, eruditæ famæ naufragia passim fecerint. Primus ita eas paravi, remigioque justo instruxi, ut non modo in altum procedere; sed & vetustæ navalis gloriæ æmulæ videri cupiant. Europæ totius judicio, & vestro in primis, potentissimi Reges, Principes, ac Respublicæ, hæc, Veterum olim, nunc mea inventa, humillime censenda offero; ut, si qua ingenii felicitate a me restituta videantur, vobis, qui Christiani nominis dignitatem adversus iniquissimos hostes mari tuemini, usui esse possint. Primam inventionis gloriam Asia sibi vindicet: quum inter res deperditas jam numeraretur triremis, nudumque ferme nomen solum restaret; & hanc inventionem, Europæ (ita velit Deus) utilitati & gloriæ, in publicam lucem reducere adlaboravi. Nec alieno tempore hoc facere videbor; quando jamdudum interni maris pleraque loca, non modo parvis navigiis; sicut olim lembis, myoparonibus, atque hemioliis, infesta piratæ habent; sed jam magnis navibus, viris armisque formidabiles, innumera damna Christianis populis inferunt, & plura inferrent, nisi vestra sæpius cura atque impensa tam nefarii conatus reprimerentur. Magno olim animo castigandæ barbaræ ferociæ in Africam exercitum transportavit Carolus V. Romanorum Imperator, & Hispaniæ rex fortissimus. Cujus vestigiis, nisi tenera adhuc ætas obstaret, institurum speraremus Carolum II. Hispaniæ Indiarumque regem. Pro maris libertate, tutandisque populis vestris, perpetuas navales vires alitis Italiæ, utriusque ordinis, Principes. Venetam rempublicam, tot annos nuper bellum gessisse adversus Othomannicam perfidiam, orbis terrarum admiratur. Et instructas identidem grandiores monocrotas adversus piratas mittere, quum magnum ducem Hetruriæ, tum Genuensem rempublicam, & Melitensis sacræ militiæ Magistrum, nemo ignorat nisi qui Christianæ reipublicæ curam ad se nullam pertinere arbitratur. Sed rerum humanarum ordine quodam difficillimum hoc negotium majori potentiæ reservatum videtur. Hercule adulto opus est, ad tot monstra domanda, aut exscindenda. Tuæ virtuti, Ludovice, rex potentissime, tot monstra in Africa, quæ gignendis iis semper infamis fuit, nunc succrevisse statuas. Herculis virtute orbis in-

digebat, quando monſtris, & iniquorum injuriis, adfligebatur, Aliquam Divinæ providentiæ cauſſam eſſe puta, cur tu, regum omnium, quotquot Gallorum glorioſum imperium unquam tenuere, maximus, regno undique pacato, viris armiſque quam maxime floreas. Nulla magna virtus, aut potentia, in terrarum orbe unquam adparuit, quin ſimul campum, in quo, pacis bellique tempore, juſte ſe exerceret, invenerit. Felix erat Hercules; & Dei filium propterea volebant; quod, quum vera virtute, juſtitia ac fortitudine, omnibus ſui temporis hominibus præſtaret; magnis, & humano generi ſalutaribus rebus, ad quas nihil opis cæteri mortales adferre poterant, perficiendis a Deo impelleretur, & ſufficeret. Lacrymabat olim Alexander adoleſcens, quod omnem exercendæ militaris virtutis occaſionem, a patre Philippo ſibi præreptam putaret. Sed divinæ providentiæ rationem non perviderat, quæ patris res ad id faſtigium evexerat, ut Perſarum impotentem dominandi libidinem, qui ad Græcos debellandos bis in Europam jam tranſierant, juſtiſſime caſtigaret. Tu, Ludovice bis ſeptime, omnibus ſæculis ter felix memoraberis, ſi a Deo optimo maximo, qui regum corda manu ſua verſat, hoc conſequaris, ut virtutem tuam, & potentiam, eo dirigat, ubi humano generi maxime ſalutarem fore norit. Monſtra adparuiſſe legimus, poſtquam Herculem adoleviſſe orbis ſciret. Ecce tres urbes, velut hydras totidem, tuo ſæculo, navibus, tanquam capitibus multis, formidabiles! quorum aliquot ſæpius ab externis fortiſſime reſecta ſunt; ſed eo ſucceſſu, ut plura ſemper renaſcerentur. Tua forti manu ita cædentur, ut renaſci nequeant. Ipſi virtuti bellum latrociniis ſuis piratæ inferunt. Quid enim iniquius, quam quod omnem maritimam oram Chriſtiani nominis, latrociniis infeſtant, &, captivitatis metu, vaſtam ac deſertam reddunt? Quid terribilius, quam quod commerciorum cauſſa per altum vectas onerarias, tanquam immanes belluæ, cum viris armiſque deglutiunt? Quid humano generi damnoſius, quam gentem tolerare innumeris perjuriis fœdam? quæ pacis federa cum Chriſtianis populis init, ut vehementius fallat; quæ ſolo ferme ſudore ac ſanguine Chriſtiano (quippe theſauris, ad redimendos injuſte captivos quotannis miſſis) tot jam annos paſcitur? Omni virtuti tollendæ natam eam gentem, & tolerari, dicere poſſumus. Ut poſteri noſtri, pacato olim mari, miraturi ſint, potentiſſimos Chriſtianos Reges atque Principes, tam inſignem perfidiam, impune fere graſſantem, tanto tempore pati potuiſſe. Ecce igitur, magnanime Rex, tertiam veteris, eoque nobilioris, orbis partem, hactenus majore ſui parte incognitam, ingenti virtuti tuæ recipiendæ a Deo deſtinatam! Triumphi non ab una & altera urbe, aut Europæ provincia, occupata quærendi tibi ſunt, ſed ab novo orbe: in quo plura tu regna condes, & urbes Ludovicias, quam olim in Aſia paſſim Seleucias rex Seleucus; aut alius rex ab ſuo nomine adpellatas vidit ac florentes. Gallo-Græcorum nomen formidabile in Aſiam virtus tranſalpinorum Gallorum invexit: te Ciſalpinorum duce, Gallo-Libyas, in Africa ſtabilitos, lætetur poſteritas. Nec ſolum in maritimas oras, piratarum metu paſſim deſertas, gentem Chriſtianam reduces; cujus ſervator, & pater, tu adpellaberis (quæ vel una res ad tantum negotium ſuſcipiendum te movere poſſit) ſed & innumerabiles populos, tanquam perpetuas Gallorum colonias, in tot aliis regnis, ac provinciis, a te factis, feliciter collocabis. Omne Chriſtianum nomen Chriſtianiſſimo hoc beneficio tuo æternum tibi devincies. Quod ſi dicere liceat; & generoſus animus tuus veniæ fiduciam facit;

cœ-

cœleſtium quoque rerum cura, quam tu mirifica laude tua ſuſtines, in Africam te, etiam reluctantem, trahere videtur; ut montium altiſſimo, Atlanti, quem ſapientiſſimus olim rex, aſtrorum ſcientiæ perficiendæ delegerat, antiquam laudem, & celebritatem, reſtituas: ut inter creſcentes ibi arbores, thyini ligni odore, in ſacro Codice, celebres, innumera Gallica lilia, circa illum montem a te plantata, hymnos Deo cantent, regiamque induſtriam æterno laudum carmine celebrent. Quin & ipſos piratas, barbaroſque Africæ incolas, iniquitatem ſuam exoſos, ad pedes tuos provolutos orare puta, ut ab iniquo agendi modo, ad juſtitiam; ab belluina ferocia, ad humanitatem; ab latrociniis, ad terræ cultum, veramque virtutem, quæ labore ac induſtria nititur, ab Hercule quodam, & Dei filio, traducantur. Nec ingratam Deo fore pietatem boni cenſent, ſi, ut Aſiæ originem noſtram, inſtituta, ſacra, artes, omnem denique vitæ cultum acceptum ferimus (neque enim id negari poteſt, & hiſtoriæ abunde teſtantur) viciſſim Africæ incolas, in optimarum rerum ignorantia viventes, & barbarie horridos, ad animorum cultum excitare, atque ex denſis vitæ tenebris ad clariſſimam Europæi orbis lucem, primus omnium, producere digneris. Regium vere eſt, ſplendidis virtutum ſuarum radiis orbem terrarum illuſtrare, & populos docere, ad quid homo conditus videatur; animal, tanto cæteris præſtantius, quanto majus lumen ab æterno ſapientiæ igne accepit. Nimirum ut tranquille vitam tranſigendo, in terra colenda atque ordinanda, quam virtuti ſuæ rudem natura conceſſit, non minus mente quam manibus elaboret; Deique opera quotidie contemplando immenſam ſapientiam ac potentiam humillimo cultu veneretur. Arma, & viros habes, quibus tantam expeditionem ſuſcipias. Ecce naves; triremes, quadriremes, & quinqueremes; quibus Africam olim populus Romanus devicit; ad ingentes copias tuas tranſportandas. Sequere omen, ut reductis in Europam ab homine Germano antiquis navibus, vetera Europæ in Africam jura reſtituas. Omnes Europæ principes ac populi, tanquam ad ſacrum bellum (quæ majorum tuorum decora ſunt) rurſus invitati, ſigna tua, ut Chriſtianiſſimi regis, læti ſequentur. Pompejum magnum cogita, qui itidem adverſus latrones, haud pauciores, juſto, & humano generi neceſſario ſuſcepto bello, ſcelerata inſtituta admirabili felicitate diſturbavit. Major expeditio vix ſuſcepta eſt, & tam brevi tempore finita; quod ſuppliciis matura ſcelera victorem tantum non advocaſſe viderentur. Prima nominis tui litera inſequentem poſcit. Magni cognomen ab ſubmotis mari latronibus, devictoque novo iſto orbe adſume. Majore gaudio, re feliciter peracta, coronas tibi adferent, tuumque triumphum proſequentur interni maris Chriſtiani populi, quam olim ab Græcis exceptus fuit T. Quintius, Græciæ liberator. Et ædificata, ſi juſſeris, regia nave, quam ſexdecim remorum verſus agant; hoc eſt ab mille ducentis amplius remigibus impellatur, regni tui fluvium aliquem, vere Africanus, intrabis: Paullo Æmilio, qui hujuſmodi nave ad urbem Romam eſt ſubvectus, tanto illuſtrior, quanto majus eſt orbem quam provinciam ſubigere. Felicitatem utique, qua majorem animo concipere mortalis nequit, virtuti tuæ propoſitam vides: ut ab innumerabili poſteritate, quæ pietate ac vera virtute, abs te ſtabilita ſit, mirabilia Dei opera, quæ nova etiam Africa ſubjiciet, tuaque illuſtria facta æternum celebrentur.

AD LECTOREM.




QUod felix faustumque omnium eximiarum inventionum largitor, *Deus*, *esse velit*, *triremes*, *pluriumque ordinum naves*, *publicæ utilitati ædificare instituo. Omnia, quæ ad illarum navium fabricam pertinent, uno tempore prodere nolui. Præcipua quædam me celasse profiteor: etiam, ne profusa quadam liberalitate donum nostrum vilesceret. Quædam nunc, de quibus monendum te, curiose Lector, duxi; aut, quæ cæteris illis adjungi velim, adducam. Triremis & quinqueremis figuras, æri incisas, si habere citius potuissem, suo quæque loco inseruissem, quæ nunc seorsum monenda restant. Figura* I. *novæ triremis formam habet, respondentem figuræ secundæ*, col. 583. *Apertam tamen feci. Longitudo ejus ad* CV. *pedes fuit: uti antiquæ statuitur, pedum* CX. *Numeri* col. 584. *errore commutati sunt: sed ex interscalmiorum rationibus, & sedilium, facile, etiam sine monitu meo, correcti fuissent. Medios, seu zygitas, lumen indicat. Secunda figura est quinqueremis dissectæ. Habet illa tres remiges ad latus, & duos versus medium navis, lumine notabiles. Omnia tamen ita clare exprimi nequiere, ut res posceret.* III. *figura eandem quinqueremem tectam exhibet, cum defensoribus super constrato stantibus. Turriculam quoque in tantilla navis parte, ad proram fecit artifex. Cæterum remos, non expansos pingendos curavi (quod eorum figura facile animo spectatoris subjiciatur, & figura* IV. *expressa sit) sed extra foramina sua protrusos, ita ut remigum manibus per foramina exertis, ad latus navis in mari firmiter tenerentur; navis stabiliendæ caussa. Hanc artem a plerisque navalibus præfectis adbibitam illis temporibus puto, quoties rostris impactis naves hæsissent, & amplius, injectis ferreis manibus, retinerentur: ut firmo gressu, velut pedestri pugna milites pugnarent; nec vacillatione navis in latera, virtuti eorum impedimentum adferretur, aut periculum, ne navis plane inverteretur: sicut factum nonnunquam in præliis navalibus legimus. Hoc nos docuit Livius* libri XXXVI. *fine.* Livius indignatione accensus, prætoria nave in hostes tendit: adversus quam eadem spe duæ, quæ Punicam unam navem circumvenerant, quum inferrentur, demittere in aquam remos ab utroque latere remiges stabiliendæ navis caussa jussit, & in advenientes hostium naves ferreas manus injicere. *Primo notandum, prætoriam banc fuisse navem, quæ saltem fuit quinqueremis; si non hexeris, aut bepteris. Ideoque quia major, etiam latior fuit, & magis stabilis quam triremis. Deinde, & banc, sicut reliquas, commeatu fuisse onustam; adeoque stabiliorem, quam si nullo onere pressa fuisset. Denique, quod stabilimentum tamen prætor suæ navi, utcunque majori, & onustæ, necessariam duxerit: ideoque remiges (saltem ad latus sedentes) ab utroque latere, remos in aquam demittere jusserit. Hunc locum admodum evidentem censeo, ad probandum bellicarum navium angustam latitudinem. Figura* IV. *est quinqueremis, ad puppim per transversum dissectæ, præsertim ut zygitarum, seu mediorum, in transtris sedentium, remigum collocatio ante oculos ponatur. Ubi illud peccatum, quod via pro portisculo in hujusmodi nave saltem quinque pedum latitudine esse potuerit. Figura* V. *concursum navis Dinocratis, quam hepterem fuisse opinor, cum octere Philippi* (*ad* col. 660. & 670.) *exprimendum curavi: ut intelligatur, quomodo navis Dinocratis, prora depressior, percusserit Philippi octerem sub carinam. Cæterum illud hic docebo de navium rostris, quum sæpius triplex adpareat in vetustis nummis; medium recta cuspide, & aliquanto longiore; unca autem extremum utrumque: ut talem usum hæc ita parata videri, ut medio, quod longissimum erat, feriret, si navis sine magna subsultatione inferretur: quod si fluctus navem eo momento, quando percussura erat, attolleret, superius uncum rostrum utile erat; sin autem cum cadente fluctu deferretur, inferiore unca cuspide ictus fiebat. Quod porro ad ligna algymmim attinet, quæ ex Josepho docui, candida fuisse; idem illud confirmat Procopius Gazæus*, scholio ad 1. Reg. x. v. 11. ξύλα πολλὰ σφόδρα πελέκητα.) ἴσως τὰ λεῖα, καὶ ὄζων ἀπηλλαγμένα. Ιώσηππος δὲ πεύκινα ταῦτα φησὶ, μηδὲν εἶς παρ' ἡμῖν ἐοικότα πευκίνοις. τῆς συκίνης γὰρ ξύλης καὶ λευκότερα εἶναι, καὶ λειότερα, καὶ στρυφνότερα. *Ligna valde multa, non dolata*) Forsan lævia, ablatis ramis. Josephus pinea hæc vocat, sed quæ nullam similitudinem habeant cum nostris pini lignis: quippe ficulno magis alba esse, & læviora, ac duriora. *Nonnulla hic notabimus. Primum mendosam videri scripturam*, πελέκητα. *quum* LXX. *habeant*, ἀπελέκητα. *Errat autem maxime Procopius his verbis:* μηδὲν εἶς παρ' ἡμῖν ἐοικότα πευκίνοις. *Neque enim id dicit Josephus; sed hoc solum: ligna, quæ mercatores pro Indicis pineis eo tempore venditarent, nullam cum vere Indicis similitudinem habuisse. Quippe Indica figura similia esse ficulnis, sed magis alba & splendidiora. Accedit, quod pini lignum vulgare ignotum esse nequierit, quum etiam in monte Libano cresceret, & in vicinis provinciis & insulis. Peregrinum itaque & istud lignum fuisse videtur, aut albo colore infectum, quod fraudulenti illi venditores pro Indico subjecerant. Cæterum similitudinem cum vulgari pini ligno Indicum illud habere debuit, quod nomen inde acceperit. Quod alio insigni S. Scripturæ loco amplius aliquando sum probaturus. Fuisse autem simile illi ligno, quod vulgo* sangboomen-hout *vocant, leve & candidum; vel usus ejus ad instrumenta Musica, evincere possit. Deinde, quod dicit Procopius*, λειότερα καὶ στρυφνότερα *fuisse Indica, quam ficus vulgaris ligna puto, Josepho hærendum, qui* πλέον στίλβοντα *vocavit. Si ex sua experienti loqueretur Procopius, admirarer lignum candidum, in India repertum, quod* στρυφνότητα (*aut potius* πυκνότητα, *ut scribere debuisset*) *haberet. Nunc inter dubiæ fidei adsertiones hanc ipsius sententiam saltem reponemus. Cæterum admodum hallucinatur Meursius, qui pro* συκίνης *legendum censet* πευκίνης. *Si hunc Josephi vidisset locum, id non scripsisset. Hinc illud planum fit, errare omnes, quum Hebræos, tum Christianos Interpretes, qui illud lignum partim thyinum fuisse censent, aut ebenum: partim etiam ex America accersunt; & vel Brasilianum esse volunt; vel etiam, ut Maresii nuper in* Gallicis Bibliis, *Sacradanum*, ou peut-être de Sacredan. *Alii eadem certitudine somniare possent, fuisse caliaturium, aut Sapanicum; non paullo tamen meliore ratione, quod hæc in India crescant. Porro illa verba Belgici annotatoris:* Illud certum, hoc ligni eo tempore in Palæstina ignotum fuisse: *quæ etiam Maresii probant;* quoi que c'en soit, c'étoit un bois jusques alors inconnu au païs de Canaan. *minus certa sunt, ut quæ nec ab Hebræis firmentur; aut ab* LXX. *Interpretibus, qui habent:* οὐκ ἐλήλυθει ἔτι ταῦτα ξύλα ἀπελέκητα. *tum refutentur claris Josephi verbis:* παίπου

PRÆFATIO.


ἢ τῶν πώποτε κομισθέντων αὐτῷ, κατ' ἐκείνην τὴν ἡμέραν ἐνεχθέντα, καὶ μεγέθει καὶ κάλλει διέφερε. *Plurima jam ante advecta fuerant; sed nulla magnitudine & pulcritudine cum his comparanda. Nec opinari debemus, primos fuisse Salomonem & Chiramum, qui in Indiam naves miserint. Dubio enim procul Ægyptii jamdudum illa Indiæ loca, commerciorum caussa, adierant. Unde & mercatores Tyrii, ad eandem mercaturam exercendam, ne solis Ægyptiis tanta lucra cederent, eam navigationem susceperunt. Tyrii postea Salomonem in societatem adscivere. Quod ad interpretationem attinet loci* Ezechielis *cap.* XXVII. *diversas quatuor* col. 656. *adduxi: quintam, quæ est Joannis Coccеii, adjunxissem eo loco, si mihi tum innotuisset ejus in hunc prophetam commentarius. Quum nuper casu in illum librum incidissem, cognoscere libuit, quid novi hoc loco, sed præsertim, quid veri; quum præcedentes omnes Interpretes errassent; ultimus hic, Hebræarum literarum cognitione clarissimus, adferret. Falsi tantum, quantum novi, ab eo viro hic allatum, statim deprehendi. Ut prætercam errores, versu* 3. *&* 4. *commissos, sed vulgares; versus quinti primo commate, verba* omnes tabulas *Hebræum non satis exprimunt: præterea & ineptum est ac barbarum,* ædificarunt tabulas. *Altero commate aliam ineptiam primus invexit, vertendo,* apud te. *Cæteri omnes huc usque verterunt Hebræum* עליך, *aut* μετὰ πόδα, super te. *Evidentissima loqutione & sententia: aut cum Vulgata;* ut facerent tibi malum. *Videre nequeo, quid in hunc errorem impulerit illum virum. Forsan credidit, voculam* te *ad* Tyrum *referendam: quare commodiorem fore sententiam, si* apud Tyrum, *quam* supra Tyrum, *malum factum significaret. Sed hoc leve præ illis, quæ sequuntur versu sexto. Versionem hanc prodit:* asserem tuum fecerunt ebore in lignis cedri optimæ (*sive* Theaschur) ex insulis Chittæorum. *Videamus singula. Primo Hebræum* קרשך *vertit,* asserem tuum. *Hanc barbariem Tremellius & Junius, primi, ni fallor, in Bibliorum versionem invexere, Latine Vulgata* Exodi *cap.* XXVI. *v.* 15. Facies & tabulas stantes tabernaculi de lignis setim, quæ singulæ denos cubitos in longitudine habeant; & in latitudine, singulos ac semissem. *Quare* קרש tabulam *significat; non autem* asserem. *Sed & inconstans ipse hic Interpres, in commentario vocat* transtra: *ut asseres & transtra, synonyma putarit, quæ tamen magna significationis diversitate apud auctores inveniuntur. Deinde in versione,* asserem tuum, *inquit,* fecerunt ebore: *at in commentario:* transtra erant ex cedro: *inconstanti, & longe diversa sententia.* Facere ebore, *&* ex cedro, *quis diversa esse negabit? Tertio, integræ illæ orationes considerentur; in versione, hæc:* asserem tuum fecerunt ebore in lignis cedri optimæ: *ista in commentario:* transtra ex cedro (*alii* buxo) & cum eboris incrustatione. Asserem facere ebore in lignis cedri, *explicat in commentario,* transtra facere ex cedro cum eboris incrustatione. *Hæc si recte expendantur, planum facere possint, parvo judicio ea scripta esse ab illo viro. Præterea barbara Veteribus est eboris incrustatio.* In lignis cedri optimæ *natum videtur ex conjectura, qua pro* בת אשׁולים *legendum putavit* בתאשׁורים *una voce. Sed hanc conjecturam in commentario, sicut videmus, reprobavit. Quod autem scribit,* cedri optimæ, *ex Hebræorum illud traditione adsuit, qui* תאשׁור *ita vocatam volunt* .מיני ארזים שהוא מאושר מכל *Denique verba,* Non possunt intelligi nisi asseres tegendis navibus, *omnino falsa sunt, & delenda. Primo, quia, ut supra dixi, puerili errore, quem Lexica quædam instillant, asseres & tabulas (adeoque transtra) ejusdem significationis esse putavit. Tabulæ sunt* σανίδες. *asseres,* δοκίδες. *Deinde, quia transtra putavit esse constratum navis, quod tabulatum vulgo dicunt: errore admodum crasso. Transtra sunt tabulæ, in quibus sedent remiges; non autem, quibus naves teguntur. Plurimas naves habuere Veteres, quæ plane non tegerentur; quum tamen transtris tota alvo repletæ essent. Denique, quod tabulæ, quibus naves bellicæ tegerentur, ex levissimo ligno essent: tiliaceas fuisse, docet Theophrastus* lib. v. cap. VIII. φιλύρα ἢ πρὸς τὰ σανιδώματα τῶν μακρῶν πλοίων. Tilia ad tabulas longarum navium apta est. *Sed & locum in orbe terrarum monstrare nobis deberent, ubi buxus tanta magnitudine crescat, ut tabulæ ex ea tegendis navibus, transtrisque faciendis, secari possint. Hic porro ad confirmanda ea, quæ* col. 653. 654. *scripsi, unum exemplum adducam, ubi ejusmodi verborum constructio reperitur.* Cant. Cant. *cap.* III. *v.* 20. עשה כסף רפידתו זהב מרכבי ארגמן עמודיו *Ubi similiter in binis posterioribus commatibus intelligitur verbum* עשה *ex commate primo. Plene enim foret* מוכבו עשה ארגמן & רפידתו עשה זהב *Quinetiam Jonathanem ita scripsisse puto, ut duobus verbis* דפין דאשכרועין *explicare voluerit vocem* אשׁרים. *Transposita enim duo illa verba videntur, ex secundo commate in tertium rejicienda, hoc modo:* תרומי תרעך מכבשין בשן דפיל בית חופאה לאתיטרין דפין דאשכרועין ממדינת אפוליא Superliminaria portarum tuarum ebore distinxerunt: domum operimenti, theatri modo, *fecere* ex tabulis procerarum arborum, *allatis* ex provincia Apulia. *Oblongam fuisse antiquam Tyrum, insigni vetusti scriptoris auctoritate amplius probare possum. Cæterum, ne inanis relinquatur charta, hic, quæ ad* col. 648. lin. 60. *aliquando scripseram, sum subjecturus. Hæc est Vulgatæ interpretatio; sane mirifica. Quid ab Hebræis hic opis est? Quid omnes illorum sapientes tanto nomine dignum, hoc, & plerisque locis difficilibus proferunt? Sed ne inter vanos antiquitatis admiratores recensear, rem aliquanto exactius examinemus. Exæquata Vulgatæ auctoritate vulgaribus Versionibus, dispiciamus, quam, velut ducem, in obscuro sane loco, sequamur. Hic jam considerandum nobis venit, quæ verba certo sensu præcesserint; quæ sequantur. De qua re tota hæc oratio instituta videatur. Jam illud primum omnes fatentur, & res ipsa tantum non clamat, sermonem Prophetæ esse de nave. Extra enim dubium est significatio maris. Arboribus ex monte Senir ædificatum aliquid hic dicitur: sed quid illud sit, nos ignorare fateamur. At cum præterea ab alio monte arborem delatam dicit, ad malum inde faciendum; quis dubitabit, sermonem esse de navi? Indoctissimus quisque hoc capit. Ergo loquitur de navi, cui malus necessarius est. Sed quam concinna hæc Prophetæ verba de malo sint, videamus. Non dicit* ארזים, *sed* ארז. *quia de una nave loquitur, cui uno magno malo opus fuit. Malus ad proram, utpote minor, undecunque haberi poterat. At magnus, ille media navi collocandus, nonnisi ex arboribus parari poterat, quæ in arborum procerarum fœcundissimo Libano crescebant. Dicit porro, malum faciendum* עליך, super te. *Quod adeo proprie & convenienter positum hic est, ut totam rem non parum confirmet. Nam significatio* super, *notat erigi malum, & stare supra navi, ita ut supra eam emineat. Vocula* te *planum facit, ad navem sermonem convertisse Prophetam. Certum igitur est Prophetam loqui de nave. Verum ponamus, incertum esse, de quali nave loquatur? oneraria, an bellica. Ex iis quæ hactenus vidimus, illud non liquet. Dispiciamus, num ex iis quæ sequuntur, id planum fieri possit. Dicit arbores ex terra Basan allatas, ut facerent hujus navis remos. Sed forsan scaphæ instruendæ, aliquis cavillabitur. Refutat ipsum Propheta verbo* אלונים *Scapha paucis remis contenta est; ne tota quidem arbore ad eos indiget. At magna navis, & mirifica, quæ malum maximum ex Libani cupressis requirebat, remorum ingenti multitudine indigebat. Sic jam remos habemus. Si pergas, le-*

ctor, opus est aliqua antiquitatis cognitione. Sciendum tibi est: quod discrimen inter naves fuerit ab antiquis usurpatas. Habuere longas, seu bellicas, & onerarias. Bellicæ ad repentinos casus comparatæ erant: at post unum atque alterum diem; imo interdum post paucas horas, naves, quæ in navalibus per multos annos steterant, multis remigum, militumque millibus instructæ ac armatæ navigarent, nisi vehementior tempestas impediret. Quare remis hæ naves agebantur: & remigum magna multitudine indigebant. Hoc loco de remis loquitur Propheta: quia navis ædificationem describit. Versu octavo, ubi de instruenda nave sermo est; remigum multitudinem ex duabus urbibus, Sidone & Arado, adducit. An dubitabimus certo statuere, loqui Prophetam de nave bellica? de triremi, aut plurium ordinum nave? Nihil equidem, quocunque etiam mens se flectat, comminisci possum, quod huic sententiæ opponatur. Remorum solum usus est in navi; multorum, in navi bellica. Onerariæ velis contentæ erant, & vento favente navigabant. Bellicæ ventorum favorem non semper opperiebantur. Pergamus ad sequentia. קרשך עשו שן *Hic non parva difficultas est: quia vocabulum* קרש *tabulam significat: quæ significatio hic obscura est. Illud tamen clarum invenimus, loqui Prophetam de nave remis acta. Videamus, quid in triremi sit magni usus; multi operis. Ubi omnia consideraveris, devenies ad transtra; non autem ad cornua, aut antennas, quas Theodoretus, & Hieronymus hic adferunt.*










MARCVS
MEIBOMIVS.
Invenit.





בַּל־תֵּלֶךְ בּוֹ אֳנִי־שַׁיִט וְצִי־אַדִּיר לֹא־יַעַבְרֶנּוּ:

Aquila οὐ μὴ πορευθῇ ἐν αὐτῇ ναῦς κώπης, καὶ τριήρης ὑπερμεγέθης οὐ διαβήσεται αὐτήν. *Esaiæ.* XXXIII. v. 21.

P. Gr.
P. Rom.

FABRICA TRIREMIUM RESTITUTA A MARCO MEIBOMIO.



RBis terrarum prima fuisse loca mediterranea, quæ coli cœperint; & sacræ Literæ docent, & humanæ vitæ necessitates confirmant. Quum enim Deus hominem e terra formasset, ab illa quoque, tum quæ ad sui sustentationem necessario requirere videbatur, petere illum voluit; tum cætera, quæ ad ornandam vitam humanam, commodeque degendam pertinent. Postquam autem primorum hominum prosapia ita multiplicata esset, ut silvæ, & animalia, & quidquid terrarum colere cœpissent, sustentandis iis omnibus non sufficerent, ad colonias in proxima loca mittendas devenire debuerunt. Relictis itaque camporum silvarumque deliciis quum ad fluvios pervenirent, ipsumque mare, loca illa, utcunque aspera, & ventis horrida, non parvas sustentandæ vitæ commoditates habere perspexerunt. Piscium præsertim omne genus in fluviis, ipsoque mari adparuit: quos quum in ripa, littoreve stantes interdum caperent, & in arena proxima, saxove assarent, & parabilem minimo labore victum se habere viderunt, & palato vel maxime gratum. Hæc piscium captura hominum industriam excitasse videtur, ut conjunctis primum ratibus a ripa atque littore paullum provehi in altum auderent. Excavatis deinde crassarum arborum truncis, lintres facere, qui ligno circa inferiorem partem aliquanto latiore, ab uno pluribusve, stantibus in longo alveo, impellerentur. Prima hæc tam utilis inventionis initia fuisse videntur; præsertim quod ex proximorum sæculorum navigationibus circa terrarum orbem constiterit, nullum habitatæ terræ populum, nullam ferme etiam ab deside gente habitatam insulam aditam esse, cujus incolæ non scaphis, aut lintribus, varia arte, ingenioque paratis, uterentur. In majorem postea naturæ rerum, artiumque cognitionem quum pervenissent, navigia ædificare cœperunt ex varia materia; rudimentum artis ponendo in minoribus: qualem Charontis cymbam poetæ finxerunt, binis remis actam, qua Stygiam paludem trajiceret. Nec vela excogitare difficile fuit, quod multa vi ventorum etiam in terra moveri sæpius atque imbelli, observare potuerit. Ita quum paullatim navigationem utilitas commendaret, ædificari cœpere naves, quæ onus magnum portare possent, quibus & natas domi merces peregrinis populis communicarent, & alias ex illarum permutatione reportarent. Sed quum magnis oneribus portandis naves fabricari non possent, quæ remis commode agerentur; remorum usu levioribus navigiis & bellicis, quæ in celeritate vim omnem positam haberent, relicto, vela onerariis adplicuerunt. Duobus igitur navigandi modis, remis, aut velis, ferme omnis navium fabrica apud antiquos circumscripta fuit. Remis bellicæ omnes præcipue utebantur, ut cito, & reflantibus quoq; ventis, ad propositum locum venirent: velis onerariæ contentæ erant, ut secundo vento, parvis impensis, merces transportarent. Longa experientia opus fuit, ut utrumque navium genus perficeretur; præsertim quod remis agitur. Sed gesta mari bella industriam hominum excitarunt, ut, quæ unice requirebatur, celeritas in navigando, quanta maxima sperari poterat,

A obtineretur. Duabus enim rebus armata navis præstare debet, quum remigum viribus, tum rostri firmitate, cujus ferme vis omnis ab illorum robore dependet. Quippe uti rapaces aves cæteris antecellere debent, primum alarum robore; ut cæteris avibus, quas persequuntur, velociores sint: deinde rostro acuto; quo hostem feriant: ita quoq; armata navis, validis remigum lacertis, velut alis, anteire debet, ut ad omnem occasionem cita sit; & rostri firmitate, ut vehementi ictu navem hostis deprimat. Facta igitur diligenti inquisitione, ad certum hoc experimentum devenerunt, longas naves, adeoque angustas, ædificare debere, quas facili itinere maria transire vellent; accedente præsertim per hanc longitudinem remigum multitudine ab utroque navis latere. Denique quum remiges soli essent, quorum viribus bellicæ naves, in præliis præser-
B tim, incitarentur; invenere ingeniosi homines, quemadmodum naves ita remigibus implerent, ut nullus illius locus vacuus ab remige, aut remo, relinqueretur: quod inventum Sidoniis attribuit Clemens Alexand.

Porro navium ab antiquis fabricatarum summa hæc divisio fuit; quod aut remis ageretur, aut velis: aut etiam simul remis velisque. Quæ remis agebantur navigia, aut monocrota fuerunt, aut polycrota. Monocrota voco navigia, quæ unum, aut duos versus remigum habent eadem altitudine stantes, aut in ejusdem altitudinis transtris sedentes. Monocrota, quæ simplicem remorum versum habent, duum generum sunt: quippe unus remex, aut remo uno naviculam ab uno latere impellit; quod fit in monoxylis, seu lintribus aut duobus remis, singulis videlicet ab utroque naviculæ latere; uti fit in scaphis. Monocrotum, quod
C duplicem remigum versum habet, est, in qua quatuor, aut sex, aut plures remiges, totidem ab utroque latere, remigant. Polycrota voco navigia, quæ ab utroque latere remiges habent, eosque aut solum ad navigii latus sedentes, aut simul ad latus & in transtris; in diversa altitudine. Polycrotum, quod ad latus navigii solum sedentes habet remiges, unius generis est, & dicrotum Græcis, Latinis biremis, dicitur. Cæterum sedilia remigum in biremibus aut tabulæ sunt, lateri navigii adfixæ, ea magnitudine, ut unus homo commode in ea sedeat; aut etiam transtra, seu scamna, per transversum totius navigii posita. Polycrotum, quod remiges habet sedentes simul ad latus in sedilibus, & versus medium navigii in transtris, si unum versum remigum habeat ad latus sedentem, & item unum in transtris; dicrotum quoque, & biremis dicetur. Sin
D duos versus habet ad latus sedentes, unum in transtris; vocatur triremis. Porro, quod duos versus remigum habet ad latus navigii, & totidem in jugis; vocatur quadriremis. Quinqueremis est navigium polycrotum, quod tres remorum versus, seu ordines, ad latus habet, duos autem in transtris. Ita hexeris est navis quæ tres remorum ordines ad latus habet, & totidem in transtris. Ab antiquis auctoribus præterea memorantur hepteris, octeris, enneris, deceris, hendeceris, dodeceris, tricædeceris, pentecædeceris, heccædeceris, eicoseris, triaconteris, & omnium maxima, Philopatoris tettaraconteris. In frequenti usu fuere triremes, quadriremes & quinqueremes. Dicrota deinde, seu biremes, maxime memorantur, & minimæ inter armata navigia formæ lembi ac myoparones, utpote monocrota. Cæterum armatæ naves om-

nes velis quoque utebantur, ut secundo vento, aut velis solum, aut simul velis remisque navigarent: at in pugna navali, malo deposito, collectisque velis, remos expediebant, quibus solis tum utebantur, ut cito, avis instar, ad omnem occasionem se movere possent; & aut rostro hostis navem percuterent, aut remos ejus detergerent. Quæ etiam caussa fuit, ut a remis nomen obtinerent: & actuariæ quoque earum minores, dicerentur, ut quæ remis solis agi possent. De onerariis navibus, quæ velis solum utebantur, quod mercibus transportandis minimo sumtu inservirent, hic agere non constitui. Ut tamen adpareat, quantum fuerit discrimen inter bellicas & onerarias; sciendum, onerariæ latitudinem minimum quartam fuisse partem latitudinis; forsan ad trientem interdum accessisse. Quare oneraria centum pedes longa, latitudine fuit pedum saltem viginti quinque. Hinc etiam onerariæ dictæ fuere naves rotundæ, *στρογγύλαι νῆες*. Contra bellicæ, naves longæ, *μακραὶ νῆες* Ut quarum longitudo latitudinis saltem esset octupla. Maximæ formæ onerarias habuere Veteres, inter quas eminent, quas Hiero, Siciliæ tyrannus, ædificandas curavit. Illarum una amplius duo millia onerum (*lastai* vulgo adpellant) portavit, singulis oneribus quater mille pondo tribuendo. Magnas quoque Alexandrini habuere, quibus triticum Puteolos portabatur: unde porro minoris formæ navigiis Romam. Lucianus dialogo, quem *Navigium* inscripsit, Ægyptiæ *σιτοφόρος*, a se visæ, meminit, cui nomen fuit Isidi. Longam fuisse scribit, cubitos CXX. seu pedes CLXXX Latam minimum pedes XLV. Altam ab summo tabulato ad antliæ infimum, pedes XLIII. Narrat tantam vim tritici in ea fuisse navi, ut Atticæ toti in annum sufficere potuisset. Lucratam autem suo domino eam navem quotannis ut plurimum talenta Attica XII. amplius undecim millia thalerorum, uti vocant, imperialium. Cæterum rarissimæ fabricæ fuere onerariæ, quæ remis præter vela uterentur. Cæsar in suis *Commentariis* has factas narrat in certum usum. Appian. *l.* V. *de Bello Civili* scribit, Octaviam fratri; cui post Augusto nomen fuit; donasse, quos ab Antonio petiisset, decem phaselos, forma mista ex onerariis & longis ædificatos, ut tribus remorum ordinibus agi possent. Ita enim verba Græca sunt accipienda. *ἐδωρήσατο δ' ἡ Ὀκταουΐα τῷ ἀδελφῷ, αἰτήσασα παρ' Ἀντωνίου, δέκα φασήλους τριηρητικούς, ἐπιμίκτους ἔκ τε φορτίδων νεῶν καὶ μακρῶν*. Impedimentis quoque imperatorum transportandis inservire potuerunt. Vulgo usurpatas fuisse mercatorum rationes negaturæ videntur, quæ omnibus sæculis impensarum minimum modum pro transportandis mercibus consectatæ sunt. Latiores hæ fuere & altiores bellicis seu longis; longiores onerariis.

Circa navigia, quæ remis aguntur, si monocrota sint, consideranda veniunt, primo remigum sedilia. Deinde interscalmium, seu spatium inter duos remiges ejusdem versus. Sed si polycrota sint, præterea sunt consideranda transtra, id est, sedilia remigum medio navis per transversum posita Et denique ordines remigum in iisdem sedilibus. Sed antequam ad hæc explicanda accedo, declarandum est, quo pede atque cubito Veteres, Græci præsertim ac Romani, usi fuerint in ædificandis navibus. Certa enim esse debet mensura, si definire quidquam de longitudine earum ac latitudine velimus. Dico igitur, pedem Græcum non modo Græcos in fabrica navium adhibuisse, sed etiam Romanos. Argumento est, quod Vitruvius ubique in sua Architectura utatur pede Græco; cujus quoque divisionem in sexdecim digitos retinet. Inde autem hoc factum puto, quod commodo ratiocinio inventam omnium partium navis commensurationem retinendam putarent, ne ad Romanum pedem eandem adcommodando, partibus unciarum difficilem mensuram facerent. Romanum pedem Græcus superavit media uncia. Quippe XXV. semuncias pes

A Græcus habet, cujusmodi XXIV. Romanus. Quare XXV. pedes Romani æquarunt XXIV. Græcos. Porro stadium, quod sexcentos pedes Græcos longum fuit, Romanis pedibus sexcentis viginti quinque æquale statuitur. Uti autem pes Romanus dividebatur in uncias XII. ita Græcus, in digitos XVI. quam divisionem in hac tractatione retineo: præsertim quum videam, Vitruvium, ut dixi, eam retinuisse in Græcis inventionibus. Cujusmodi fuere ferme omnes ad architecturam pertinentes. Græci pedis ad Amsterdamensem eam rationem invenio, ut cubito Græco respondeant pollices septendecim, & quinque partes septimæ, id est, $17\frac{5}{7}$. ut pollex Amsterdamensis, quamvis B paullo major sit, pro duodecima parte Græci pedis usurpari, sine magno errore, possit. Cubitus erat longus pedem unum semis. Hesychius: *πῆχυς, ὁ εἷς καὶ ἥμισυ πούς*. Suidas: *ὅλον τὸ στάδιον ἐστὶ τετρακοσίων πηχῶν*. *Stadium integrum est quadrigentorum cubitorum.* Strab *l.* XIV. de Solis colosso: *ἄριστα δὲ (ἀναθήματα) ὅ, τε τοῦ ἡλίου κολοσσὸς, ὅν φησιν ὁ ποιήσας τὸ ἰαμβεῖον, ὅτι*

—— ἑπτάκις δέκα
Χάρης ἐποίει πηχέων ὁ Λίνδιος.

Præstantissima (donaria) *sunt colossus solis: quem, ut ait auctor Iambici carminis,*

C *—— Septies decem*
Chares cubitorum est fabricatus Lindius.

Qui septuaginta cubiti faciunt pedes Græcos CV. Quos Festus altitudini illius colossi tribuit. *Fuit enim,* inquit, *apud Rhodum insulam statua solis, alta pedes centum & quinque*: videlicet Græcos. Nam si Romanos intellexisset, ignorare nequiit, numerum futurum fuisse $109\frac{1}{2}$. Plinius cubitos retinet: *Septuaginta cubitorum altitudinis fuit*. Addit: *Pauci pollicem ejus amplectuntur. Majores sunt digiti, quam pleræq; statuæ.* Ælianus libro de Ordinibus militaribus: *τεταγμένος μὲν οὖν ὁ ἀνὴρ κατέχει πήχεις τέσσαρας· πεπυκνωμένος* D *δὲ, κατέχει πήχεις δύο. συνησπικὼς δὲ, κατέχει πῆχυν.* Gaza interprete: *Nam homo ordinatus cubita quatuor occupat: densatus, duo: constipatus, unum.* Hoc dicit Ælianus. Miles arma sua habens, & stans in ordinata acie, occupat cubita IV. seu VI. pedes. Idem, si acies densetur, & in arctiorem locum contrahatur, prioris loci dimidium solum occupat, videlicet cubitos II. seu pedes III. At si ita densetur ac constipetur acies, ut sublatis super capita scutis, testudinem milites faciant, per quam vel eques transire possit, uni militi cubitus, seu sesquipes tribuitur.

Exemplis deinde diversa hæc spatia declarat Ælianus, ex quibus perspicuum fit, sesquipedis longi- E tudine esse cubitum. Nam CIↃ XXIV. milites, secundum primam collocationem, occupant locum quatermillenonagintasex cubitorum, seu sexiesmille centumquadragintaquatuor pedum: qui æquant X. stadia & XCVI. cubita: seu X. stadia & CXLIV. pedes. Polybius quoque diserte pro quatuor cubitis ponit sex pedes. Ex quo pluribus idem probare possem, nisi Vitruvii auctoritatem sufficere putarem; qui *lib.* X. c. XXI. ex Græcis Athenæi in Romanum sermonem transtulit testudinis commensum, ubi cubito tribuit pedem unum semis. Cui eo major fides adhibenda, quod mechanicus esset, qui usitatam inter mechanicos commensurationem cujusque operis, & men- F suram, nequaquam mutant. Ejusdem Vitruvii tria loca sunt *libr.* III. cap. I. quibus cubiti mensuram facit pedis unius & dimidii. Illa hic adscribam. Primus est: *Pes vero altitudinis corporis* (partis est) *cubitus, quartæ*. Alter: *Non minus etiam, quod pes hominis altitudinis sextam habet partem, ita etiam ex eo, quo perficitur pedum numero, corpus bis sex altitudinis terminando, eum perfectum constituerunt, cubitumque animadvertunt ex sex palmis constare, digitis vigintiquatuor.* Tertius: *E cubito cum dempti sunt palmi duo, relinquitur pes quatuor palmorum. Palmus*

autem habet quatuor digitos. Ita efficitur, uti habeat pes sexdecim digitos, & totidem asses æreos denarius. Hæc si consideraſſet Cl. Salmasius, vir summæ eruditionis, non tam facile, posterioris ævi scriptorum auctoritate, abreptus fuiſſet, ut cubito duos pedes tribueret, adeoque interscalmium, quod Vitruvius duorum cubitorum fuiſſe in triremi aſſerere videtur, faceret pedum quatuor, quum spatium trium pedum Græcorum sufficeret in triremi. Sed quum mensura cubiti certa eſſe debeat, si omnem rationem commensus recte intelligere velimus, adducam hic verba ipsius, & simul ostendam, unde hic error prodierit. In *Observationibus ad Jus Atticum* p.720. ita scribit: *Ut constat illum Ptolemæi Philopatoris navem quadraginta ordinum, ducentos octoginta cubitos longitudinis habuiſſe cum simplex* ἑκατόντορος *longa centenos tantum cubitos plus minus haberet. Quinquaginta quippe, vel quadraginta novem interscalmia in ea fuere, quæ faciunt centenos cubitos. Si pedis mensura datur singulis scalmis, fient vigintiquinque cubiti. Sic longa erat* ἑκατόντορος *simplex, tota ea parte quam remi occupabant, centum ac vigintiquinque cubitos. Æque longam fuiſſe oportet biremem* ἑκατόντορον, *& triremem, aut etiamsi forte longiorem.* Ex his primum adparet, Salmasium erraſſe in vocabulo *interscalmium.* Hoc enim intelligendum est de spatio inter duos ligneos paxillos, qui super remos lateri navis infixi erant, ut remi iis vinculo alligarentur. Si enim spatium sumatur inter duos proximos remiges, seu illorum remos, vel ut accuratius dicam, inter duos proximos scalmos seu paxillos; intelligendum id est de spatio, quod intercedit inter pectus primi remigis, & pectus secundi, proxime post illum sedentis: quod idem est, ac si dicam, interscalmium eſſe spatium inter centra duum proximorum paxillorum. Quare quinquaginta pedes, quos scalmis quinquaginta tribuit Salmasius, plane intercidunt: quippe nulla ratione facti. Putavit Salmasius, interscalmio intelligi spatium, inter tergum primi remigis & pectus secundi proxime post illum sedentis, corpore remigis excluso. Sed, uti dixi, spatium intelligere debemus, quod intercedit inter duo pectora duorum remigum proxime eodem versu sedentium. Unde quoque colligitur, si secundi remigis pectus hæreret tergo primi, distantiam inter duos hos remiges censeri, secundum craſſitiem corporis primi remigis, & tanto quoque spacio inter se distare illorum remos. Deinde ex iisdem verbis videmus, Salmasium duos pedes uni cubito dediſſe; quatuor, duobus: integrum trientem amplius quam veteres, Romani æque ac Græci, uti ex Vitruvio vidimus, cubito adsignarunt. Quo fit, ut ingentes illæ Veterum naves, quæ an unquam ædificatæ fuerint, propterea dubitare quidam voluere, tertia sui parte majores statuantur quam fuerint. Enormis enim magnitudinis navis illa Ptolemæi Philopatoris, longa cubitos CCLXXX. ex Salmasii sententia longa fuiſſet pedes IↃLX. quum revera tantum habuerit pedes CCCCXX. Id quod amplius probare poſſem, nisi illa inquisitio longior futura eſſet. In hanc opinionem venit Salmasius auctoritate potiſſimum Solini & Heronis. Commentariis *in Solinum* p.1011. scribit. *Solino duo cubita sunt quatuor pedes.* ὁ πῆχυς ἔχει πόδας δύο, *Hero. Aliis duo cubita tres tantum sunt pedes. Sed hujusmodi cubitus, qui pedem & semiſsem habet, vocatur* λιθικὸς, *&* ξυλοπριστικός. *Eo ligna, quæ serra secantur, & lapides, mensuram accipiebant. Idem Hero:* ὁ πῆχυς ὁ λιθικὸς ἔχει σπιθαμὰς β'. ἢ πόδα α'. πρὸς τῷ ἡμίσει, ἢ παλαιστὰς ϛ'. ἢ δακτύλους κδ'. ὡσαύτως καὶ τοῦ πριστικοῦ ξύλου. Hæc Salmasius. Quibus addi poſſunt, quæ Suidas habet, dubio procul ex Herone. πῆχυς, πήχεως, τὸ ἀπὸ τοῦ ἀγκῶνος μέχρι τῶν δακτύλων τῆς χειρὸς ἔκταμα· ὁ πῆχυς ἔχει πόδας β'. ὁ δὲ ποὺς, δακτύλους ιϛ'. *Cubitus est extensio a flexu brachii usque ad manus digitos. Cubitus habet pedes* II. *Pes autem, digitos* XVI. Ex hac difficultate facile nos expediemus, si attendamus, autores illos loqui de pede Alexandrino, qui, imperio Constantinopolin translato, ab Cæsaribus illis introductus videtur, ut tributa, præsertim agrorum, ad mensuram cubiti istius novi, qui integro triente superabat veterem, exigerentur. Idem Hero hoc docet, ἐν ὅροις τῶν γεωμετρίας ὀνομάτων, *in Definitionibus vocabulorum Geometriæ*, quem librum MS. habeo. Postquam enim mensurarum nomina exposuiſſet, addit; τί τῶν εἰρημένων ἕκαστον δύναται. Κατὰ μὲν τὴν παλαιὰν ἔκθεσιν παραλιπόντες τὰ περισσὰ, τὴν νῦν κρατοῦσαν δύναμιν ὑπετάξαμεν. Mendi aliquid habent hæc verba. Forsan scripserat ille; καὶ τὴν μὲν παλ. deinde, ὡς περισσὴν, τὴν νῦν. *Qui valor sit cujusque dictarum mensurarum. Omiſſa veteri expositione, tanquam superflua, potestatem* (illarum mensurarum) *quæ nunc obtinet subjecimus.* Paullo post: ἐν συντόμῳ δὲ ἔχει ἕκαστον οὕτως, ὡς προείρηται, κατὰ τὴν νῦν κατάστασιν τῆς γεωμετρίας, εἴτουν τῆς ἀπογραφῆς τοῦ κήνσου. *Breviter quæque mensura ita, uti exposuimus: se habet si agrorum mensurationem, seu descriptionem census, quæ nunc obtinet, inspiciamus.* Utroque loco cuibiti mensuram facit pedum II. seu digitorum XXXII. Novus igitur cubitus ille fuit, & publicus, Alexandriæ illo sæculo usitatus, non in ædificiorum, aliorumque operum, commensibus ad illum ratiocinandis, sed, uti, existimo, solum in census exactione. Vetus cubitus, quem, ut a novo discernerent, vocarunt πῆχυν βασιλικὸν, *cubitum regium*, ut tradit Didymus Alexandrin. ἐν μετρήσει μαρμάρων καὶ παντοίων ξύλων, *in mensuratione marmorum, variorumque lignorum*; aut, ut Hero, Ἰταλικὸν πῆχυν, *Italicum cubitum* (unde quoque planum fit, veterem Romanum cubitum Græco æqualem fuiſſe) antiquum valorem digitorum XXIV. seu sesquipedis, etiam Alexandriæ retinuit. Non video, quomodo hoc in legendo Herone atque Didymo, qui juncti in MSS. inveniuntur, præterire potuerit Salmasius. Forsan etiam verba, λιθικὸς, ξυλοπριστικὸς, quæ in meo MS. non extant, corruptiſſime scripta in suo libro invenit Salmasius, pro Ἰταλικὸς & βασιλικός. Cæterum non solum duplicem cubitum ponunt Hero & Didymus; sed etiam duplicem pedem. Prior, dictus βασιλικὸς, & Πτολεμαϊκὸς, & Φιλεταίρειος, antiquus pes Græciæ est, mensura digitorum XVI. Alter, qui vocabatur Ἰταλικὸς, seu Ῥωμαϊκὸς (quo non antiquus ille pes Rom. accipiebatur, sed qui Heronis tempore in usu erat Alexandriæ) digitos habuit XIII. & digiti trientem: ita ut posterioris VI. æquarent V. prioris. Digitus quamvis etiam in partes divideretur, minima mensura fuit, ejusdemque magnitudinis in diversis illis cubitis ac pedibus. Ex his omnibus liquere puto, antiquum cubitum Græcum fuiſſe mensura sesquipedis, seu digitorum XXIV. ideoque διπηχυαῖον μεσοσκάλμιον, *bicubitale interscalmium*, quod Vitruvius posuit, intelligendum eſſe de spatio inter proximos binos scalmos, seu remos, III. pedum, non autem, ut Salmasius male putavit, pedum IV.

Postquam ex vetustis auctoribus monstravi, cujus magnitudinis pede atque cubito in ædificandis suis navibus Veteres usi sint, nunc, quid transtra, seu juga, fuerint in monocrotis, & quibus vocabulis a Græcis adpellata, explicabo. Transtra igitur erant tabulæ, aut tigna, per transversum totius navigii posita, in quibus remiges sedebant. Quatuor nominibus ea denotant Græci. Vocant enim ἑδώλια. Hesychius: Ἑδώλια, τὰ τῆς νεὼς ζυγὰ, ἐφ' ὧν οἱ ἐρέσσοντες καθέζονται. Ἑδώλια (sedilia vocantur) *navis juga, in quibus remiges sedent.* In Eustathio scribendum: δοκεῖ δὲ καὶ τὸ τῆς εἰρεσίας ζυγὸν, ἑδώλιον εἶναι. *Videtur etiam remigii jugum dici* ἑδώλιον. Sed alius usus est; cujus Pollux meminit, ἑδώλιον πρωρατικὸν, ἐφ' οὗ κάθηνται. *Sedile in prora, in quo sedent.* Vocantur etiam σέλματα. Hesychius: σέλματα, τὰ ζυγὰ τῆς νεώς· ἢ τὰ ἀπὸ τοῦ ζυγοῦ εἰς τὸ ζυγὸν διαστήματα· ἢ αἱ καθέδραι τῶν ἐρετῶν, καὶ συναρμογαὶ τῶν σανίδων. *Transtra vocantur juga navis: aut, intervalla*

A *ab jugo ad jugum: aut, sedilia remigum, & commissuræ tabularum.* Tertium vocabulum est κλήιδες. Hesych. κληΐδες, τῆς νεὼς τὰ ζυγὰ, ἐφ' ὧν οἱ ἐρέσσοντες καθέζονται. Id est, κληΐδες, quasi *claustra* dicas, *sunt navis juga, in quibus remiges sedent.* Quartum vocabulum est ζυγὸν, quod prioribus tribus explicationis caussa additur, frequenter ab auctoribus usurpatum. Pollux: τὰ μέσα τῆς νεὼς, ζυγά. *Media navis, vocantur juga.* Pollux post: τὸ δὲ ζυγὸν, καλεῖται καὶ κληὶς, καὶ σέλμα. Hæc transtra, uti dixi, tabulæ fuere, aut tigna, prout parvum aut magnum esset navigium, ab uno latere navis ad alterum pertinentia; ita lateribus adfixa, ut navi firmitatem quoque non parvam facerent. Hoc tum vox κληὶς significat, παρὰ τὸ κλείειν, ἤγουν συνδεῖν, *a claudendo,* B *aut colligando*; videlicet, navis latera. tum altera ζυγόν. Eustathius: ζυγὰ, οὐδετέρως, αἱ τῶν ἐρεσσόντων καθέδραι. διὰ τὸ συμβεβηκέναι, τοῖς τοιούτοις ζυγοῖς ζεύγνυσθαι τε τοὺς τῶν νεῶν τοίχους, καὶ εἰς καθέδρας χρησιμεύειν τοῖς ἐρέσσουσι. Quæ ita verto: ζυγὰ, *neutro genere, remigum sedilia. quod accidat, ut hujusmodi juga tum jungant navium parietes, tum etiam sedilium usum præbeant remigibus.* Idem: ὡς ζυγῶν λεγομένων τῶν μεγάλων ξύλων, τῶν τοὺς τοίχους δεσμούντων καὶ συναγόντων, δίκην ζυγοῦ. *Quod* ζυγὰ *vocentur magna illa ligna, quæ, jugi instar, parietes navis vinciunt atque contrahunt.* Romani, C quod vertendo sæpius hic observavi, tabulam, aut tignum illud transversum, *jugum* vocant, a *jungendo*; videlicet, navis parietes. Transtrum, a *transverso* positu nomen invenit. Sed quum Græcum vocabulum, ζυγὸν, viam mihi aperuerit ad inveniendam triremium fabricam, satis caussæ habere videbor, cur significationem ejus quam maxime perspicuam reddere laborem. Itaq; duo adhuc loca hic adscribam. Prior est Dionysii Halicarnass. *l.* III. καὶ τελευτῶντες ὑπήγαγον τὸν Ὁράτιον ὑπὸ ζυγόν. ἔστι δὲ Ῥωμαίοις νόμιμον, ὅταν πολεμίων παραδιδόντων τὰ ὅπλα, γίνωνται κύριοι, δύο καταπήττειν ξύλα ὀρθὰ, καὶ τρίτον ἐφαρμόττειν αὐτοῖς ἄνωθεν πλάγιον, ἔπειθ' ὑπάγειν τοὺς αἰχμαλώτους ὑπὸ ταῦτα, καὶ D διελθόντας ἀπολύειν ἐλευθέρους ἐπὶ τὰ σφέτερα. τοῦτο καλεῖται παρ' αὐτοῖς ζυγόν. Æmilio Porto interprete: *Postremo Horatium sub jugum miserunt. Est autem Romanis mos, ut quoties hostes traditis armis deditionem faciunt, duas hastas rectas humi defigant, & tertiam supra illas duas transversam accommodent,* ac ligent, *deinde captivos sub illas mittant: & ubi transierunt, eos domum suam liberos dimittant. Hocque ab illis jugum vocatur.* Alter locus est Festi, qui paucis eandem rem ita declarat: *Jugum, sub quo victi transibant, hoc modo fiebat: fixis duabus hastis super eas ligabatur tertia. sub iis victos discinctos transire cogebant.* Hæc duo loca, quamvis, quid jugum sit in navibus, non expli- E cent; vicinitate tamen significationis admodum hujus vocabuli vim illustrant. Jugum autem, seu transtrum, quod hic declaravi, conspicitur in monocrotis, videlicet a pariete uno navis ad alterum parietem: verum in triremibus, pluriumq; ordinum navibus, hæc juga, seu transtra, medio navis posita erant, ab utroque latere ad pedes duos semis remota. Nam tabulas, in quibus remiges ad utrumque navis latus sedent, voco sedilia: transtra autem, seu juga, quæ medio navis per transversum stabant, in quorum utraque extremitate remex sedebat. Porro hæc transtra certo intervallo inter se distabant: quod interscalmium dicitur a Vitruvio, qui solus hujus rei mentionem nobis conservavit. Verba ejus ex *l* I. c. II. partim ex MS. emendata, F hæc sunt: *Et primum in ædibus sacris, aut e columnarum crassitudinibus, aut e triglypho, aut etiam embatere balistæ foramine, quod Græci* περίτρητον *vocitant, navibus interscalmio* (scriberem; *aut navium ex interscalmio*) *quod* διπηχαϊκὴ *dicitur, item cæterorum operum e membris invenitur symmetriarum ratiocinatio.* Sententia horum verborum hæc est. Ex commensurata proportione omnium operum de magnitudine eorum esse judicandum. Quare navis architectus, seu naupegus, fractæ navis partem videns, ex interstitio foraminum, per quæ remi exierant, judicare potest, cujus formæ & magnitudinis illa navis fuerit. Prout enim parva aut magna navis fuerit, spatium quoque inter proximos binos remos variasse novit. In monocrotis, etiam grandioribus, interscalmium pedum duum semis mea quidem opinione suffecisse videtur; quod procumbendo, quando remus propellitur; & reclinando, quando attrahitur, spatium illud saltem ad medium pedem augeretur. At in triremibus statuo duum cubitorum, seu pedum trium fuisse interscalmium: & deinceps in majoribus navibus, imparium ordinum, crevisse.

His declaratis, quæ ad monocrota pertinent, hoc est, navigia, in quibus omnes remiges in transtris æque altis consident; accedam nunc ad biremium, triremium, pluriumque ordinum naves: in quibus aut ad latera tantum, sedentes in sedilibus, nautæ remigant, ut in biremibus; aut, simul in sedilibus, & transtris, medio navis collocatis, ut in triremibus, pluriumque ordinum navibus. Hic igitur primo declarandæ sunt voces, *versus, ordo.* Versus, Græcis στοῖχος, & στίχος, multitudo est in directum posita. σύστημα τι, κατ' εὐθεῖαν κείμενον. Ordo, Græce τάξις, est multitudo, non solum in directum posita, sed etiam loci prioris, & sequentis, considerationem conjunctam habens: ita ut, motu accedente, aliquis progrediatur; alius, post illum, sequatur; & denique aliquis, qui dicatur ultimus. Hæc rerum in plano collocatarum consideratio, etiam altitudinis vocem huc intulit: ut, cum acies alta dicitur, ob ordines multos, qui, alius post alium, in acie consistunt: cujus aciei altissimum censetur ordo postremus. Quin etiam ordo multitudo est, diversa altitudine locata: ita ut aliud alio altius sit, seu notionem superioris & inferioris habeat. Porro versus in corporibus, quæ certo loco consistunt, & manent, sine motu, consideratur, ut, arbores in versus positæ. Ordo in iis, quæ motum adjunctum habent. Versus, solus esse potest: sed ordo, sine multitudine esse nequit. Horum vocabulorum certum intellectum, & verum usum, non aliunde magis hauriemus, quam ex ordinibus militaribus. In adjuncta figura sex versus sunt, quorum singuli decem habent.

		A			
B	C	D	E	F	G
a	b	c	d	e	f
g	h	i k	l	m	n
o	o	o	o	o	o
o	o	o	o	o	o
o	o	o	o	o	o
o	o	o	o	o	o
o	o	o	o	o	o
K	L	M	N	O	P

Ab B ab K, unus. Ab C ad L, alter. & ita deinceps, sextus versus est G P. Stans igitur in fronte cohortis, & a B ad G progrediens, video sex versus. Sed quia milites in acie collocantur, qui se movent, & simul progrediuntur, alia hic consideratio accedit, ut multitudo a B ad G, dicatur ordo, quia progrediendo hi sex B C D E F G. æquis passibus incedunt. Post primum hunc ordinem incedit ordo secundus, a b c d e f, qui in locum vacuum primi ordinis progreditur. In secundi locum succedit ordo tertius, g h k l m n. Demum progreditur ultimus ordo, agmen claudens, K L M N O P. Perspicuum est, non uno tempore motum incipere omnes eos ordines. Primus collocatione, tempore primus est qui se moveat: post hunc sequitur ordo secundus: ultimo tempore progreditur ordo ultimus. Hoc adeo verum est, ut ex versu primo B K, si res mobiles habere consideretur, fiant decem ordines: qui simplices dicuntur, quod singuli homines, aut res, in singulis ordinibus progrediantur. B enim primum progreditur: deinde, a. tertio, g. ultimo, K. Ita duplici ordine incedunt, juncti B C, primo ordine: secundo, a b. ultimo, K L. Si ordo sit sextuplex, id est, si sex homines juncti progrediantur æquali passu, primus ordo B C D E F G. progrediendo locum facit secundo. Secundus a b c d e f. dum in locum primi succedit, suum locum relinquit ter-

tertio, tertius suo proximo. Eandem significationem habent Latinæ loquendi formulæ, *ordine incedere*, *ordine agere*. Absurda autem foret constructio, *versu incedere*, *versu aliquid agere*. Jam ipsa Æliani verba adducam. τὸ δὲ ὅλον σύστημα τοῦ πλήθους τῶν λόχων, φάλαγξ καλεῖται. *Consistens omnis multitudo decuriarum, legio vocatur*. quam hic consideremus constare λόχοις ἢ στίχοις ἕξ. sex decuriis, seu versibus; aut cohortibus. Liceat enim ita, explicationis caussa, Latine hæc interpretari. Primæ cohortis, BK, ordinum ductor, λοχαγὸς, est B. & οὐραγὸς, claudens agmen, K. Secundæ cohortis, aut versus, λοχαγὸς est C, & οὐραγὸς, L. & sic deinceps. ἧς (φάλαγγος) μῆκος μὲν, τὸ πρῶτον τῶν λοχαγῶν τάγμα. *cujus acici longitudo est primus ductorum ordo*. videlicet, BCDEFG. Notandum hic vocabulum, τάγμα, *ordo*. Primus hic ordo plura habet nomina. ut & ζυγὸν, *jugum* dicatur, cujus nominis ratio hic ea est, quod ordo BCDEFG in directum positus, sit tanquam jugum, & transtrum, in cujus utraque extremitate stent B, G. Sequentes ordines vocantur βάθος τῆς φάλαγγος, *legionis altitudo*. λέγεται τὸ μὲν κατὰ μῆκος ἐπ' εὐθείας εἶναι τοὺς πρωστάτας καὶ τοὺς ἐπιστάτας (ita corrigo mendosam scripturam, τοῖς προστάταις ἢ τοῖς ἐπιστάταις) ζυγεῖν. τὸ δὲ κατὰ βάθος ἐπ' εὐθείας εἶναι τοῖς οὐραγοῖς & λοχαγοῖς, στοιχεῖν. Quæ ita verto. *Per longitudinem in directum stare primi ordinis omnes, & secundi ordinis, dicitur* jugum facere. *Per altitudinem in directum stare ductoribus, & iis, qui agmen claudunt, vocatur* versum facere. Quando in primo ordine B cum G, & intermediis, in directum stant, omnes dicuntur jugum facere: sed si unus, aut plures, prorsum amplius progressi essent, aut retrorsum recessissent, illi non facere jugum dicuntur. At quando in versu BK, a &g, & cæteri deinceps, in directum sunt ipsius B & K, nemine ab alterutro latere declinante, omnes versum facere dicuntur. Hinc planum est, Suidæ locum in *verbo* ζυγεῖν corruptum esse, & excidisse ibi omnia verba, quæ explicabant verbum ζυγεῖν. nam quæ reliqua sunt, conveniunt verbo στοιχεῖν. videlicet, τὸ ἐπ' εὐθείας κεῖσθαι τῷ κατὰ βάθος στίχῳ. τοῦτο γὰρ κυρίως λέγεται στίχος. Jam duo loca e Livio adferam, ex quibus perspiciatur, quomodo hoc verbo usi sint Romani scriptores. Liv. *l.* XLIV. *Hæc parantibus his, decem regii lembi, ab Thessalonica cum delectis Gallorum auxiliaribus missi, quum in salo stantes hostium naves conspexissent; ipsi, obscura nocte, simplici ordine, quam poterant proxime littus tenentes, intrarunt urbem*. Galli hoc dicunt, *a file*. Supra hoc, exemplo declaravi. Idem Liv. *lib.* XXXVII. *Et regia classis, binis in ordinem navibus, longo agmine veniens, & ipsa aciem adversam explicuit*. Ordines XLV. fuere, quod tota classis LXXXIX. naves haberet. Longum autem id agmen fuit, saltem x. stadia, seu sexies mille pedes. His ita declaratis, facilius intelligetur, quid hæc verba, versus, ordo, significent in remigum diversa multitudine designanda. Prout enim navis latera alta fuerint, plura etiam remigum sedilia ad latus, & in medio, transtra extrui possunt, omnia in diversa altitudine. Biremis enim navigium est, binos habens remigum ordines, quorum aut uterque ad latus sedet, aut unus ad latus, alter in transtris: sed utrolibet modo, in diversa altitudine hi duo ordines sedent. Ita triremis, est navis trium ordinum, quorum duo ad latus navis sedent, tertius in transtris; omnes ordines in diversa altitudine. In adposita figura I. literis a & b, ordines ad latus sedentes notavi, medium autem, literis o.

A

a a a a a a

B o o o o o o C

b b b b b b

Altera figura, quum quinque habeat ordines quinqueremis; literis a. b. c. designat tres ordines ad latus sedentes; literis autem intermediis o, notat remiges medios, seu zygitas.

A

a a a a a a a a

o o o o o o o o

b b b b b b b b

o o o o o o o o

c c c c c c c c

Cæterum Latini auctores etiam dicunt, tres versus remorum agere navem, ut triremem significent. Quæ loquendi ratio inde esse videtur, quod ab latere navis aliquis stans, & oculis, a prora ad puppim, percensens diversam remorum multitudinem, diversos illorum videat versus. Stans enim in A, videt summum remorum versum, literis a notatum: videt infimum & medium. Quod ex usu hujus verbi planius fieret, si quis stans ad B aut C, ad proram aut puppim, illos versus conspiceret. Virgil. V. *Æneid.* utrumque verbum, *versus*, *ordo* adhibuit, ut trireme significaret.

Ingentemque Gyas (agit) *ingenti mole Chimæram,*
Urbis opus; triplici pubes quam Dardana versu
Impellunt, terno consurgunt ordine remi.

Servius in hunc locum scribens, diversam horum vocabulorum considerationem non est adsecutus. Ita enim commentatur. Triplici versu. *Omnes triremes fuerunt*. Versu *autem, aut ordine; ut, Ille etiam feras in versum distulit ulmos. aut*, versu, *tractu, a verrendo: ut, Æquora verrebant caudis, æstumque secabant. Sane unus est sensus.* Duas explicationes ponit vocabuli *versu*. Prima est, qua vult, ut idem significet quod *ordine*. Certe exempla Latinorum scriptorum produci possunt, ubi verbum *ordo* usurpatum inveniatur pro verbo *versus*; sed non contra. Verum ignorare non debuerat Servius, uti in Tacticis, ita etiam in longis navibus verbum *versus* aliam considerationem adferre, videlicet ternam remorum seriem in directum locatam aliam autem verbum *ordo*, nempe series illas remorum *ordo*, nempe series illas remorum in diversa fuisse altitudine. Deinde admitti hic illa interpretatio nequit, quod statim sequatur verbum *ordo*. adeoque ex Servii sententia præcedentis verbi explicationem repetisset Virgilius. Certe duo verba, eandem notionem ingerentia, non posuit simul Virgilius, præsertim de re, suo tempore notissima, loquens. Quare puto, Virgilium, qui accuratissime locutus est, duas illas considerationes remorum, secundum directum ordinem, & secundum altitudinem, conjunxisse. Nec quidquam obstat, cur non eodem respectu hæc duo vocabula in re navali accipiantur, quo a Polybio, aliisque, Tacticis præsertim scriptoribus, etiam Latinis dubio procul, usurpata fuere. Plane enim ut figura col. 577. vidimus, stans aliquis in A, videt sex versus, qui homines sunt triplices, hoc est, quorum singuli habeant tres, exempli caussa, remos, a o b. ordines autem videt tres, quasi singuli sint sextuplices: supremum, a a a a a a. infirmum, b b b b b b. medium, o o o o o o. Hanc explicationem verissimam puto; quæ etiam eo confirmatur, quod *triplici versu* dicat Virgilius, non autem *terno versu*, uti sequitur, *terno ordine*. Triplex versus est remorum in triremi: hoc est, singuli versus habent tres remos; sed singuli ordines saltem habuere viginti quinque remos. Altera explicatio Servii est, qua vult, ut *versu* idem significet quod *tractu*. Putavit enim τὸ *versus* hoc loco videri posse deductum a verbo *verro*. ea significatione, qua Virgilius dixit, *delphinas caudis æquora verrere*. Sed hanc explicationem non pu-

to recipiendam. Primum enim, nullum exemplum ex Latino auctore profertur, quo ea significatio vocabuli *versus* confirmetur. Deinde nostra ex Tacticis petita explicatio longe concinnior est; ut inusitatam & plane novam comminisci non sit necesse. Accedit quod illi suæ interpretationi non satis fidere videatur ipse Servius, dum addit. *Sane unus est sensus*. Ac si diceret, utcumque sit, sane unus sensus duobus illis vocabulis proponitur, & una res describitur; sed addere debuisset, eo clarius, quod duas diversas ejus considerationes conjunxerit. Quod autem in Servio legitur, *Omnes triremes fuerunt*, id falsum puto. Scripsit ille; certe scribere debuit; *non omnes triremes fuerunt*. Quas opinionis meæ rationes habeam, quum longius futurum sit hic exponere, alio loco eas sum adducturus. Parvam antiquæ navalis rei peritiam habuit Servius; alioqui insigni commentario hunc locum illustrasset. Neque enim dubium esse potest, quin multa nautica vocabula Romani habuerint, non mutuata a Græcis. Nomina nobis remigum in diversis ordinibus considentium enarrasset. Thranitas qui adpellarint, & thalamitas, & zygitas; quibus nunc, Latinorum vocabulorum inopia, uti cogimur. Præsertim de fabrica triremium, & liburnarum, edisseruisset ex veterum librorum commentariis (quandoquidem ipsius tempore triremium forma simul & usus exolevisset) qui magno numero, Græci ac Latini, in bibliothecis adservabantur. Servii interpretationem interpolatam hic proponam. Triplici versu. *Hæc triremis fuit*. (aut, *Non omnes triremes fuerunt*.) versu *autem ut*: *Ille etiam feras in versum distulit ulmos*. triplici; *quia singuli versus tres remos habebant*. terno ordine, *videlicet positi remiges*; *supremo, thranitæ*; *infimo, thalamitæ*; *medio, zygitæ*. consurgunt. *omnes enim remiges, in quotcumque ordinibus sedeant, simul procumbere debent, quando remum propellendo brachia extendunt*. remi; *per figuram, remiges*.

Postquam hactenus explicavi, qui pes atque cubitus ab antiquis in navium fabrica fuerit adhibitus. Deinde, quæ laterum sedilia fuerint, & transtra navis mediæ. Ad hæc, interscalmium quid vocarint. Quid remorum versibus, & ordinibus remigium intellexerint; quæ hactenus obscurissima fuere: nunc te, lector curiose, velut errorum quibusdam nebulis liberatum, plane luce ducam in ipsas triremes, ut remigum collocationem, quæ summam hactenus difficultatem habuit, attenta mentis acie perspicias. *Sedile* remigis, Græcis καθέδρα dicitur; quo nomine in triremibus adpellare debuerunt ea remigum sedilia, quæ ad latus navis fabricarentur; quum antiquum vocabulum *transtrum*, quod in monocrotis veterem positum habebat, longiori tabulæ, per transversum navis collocatæ, relinqueretur. Itaque hoc vocabulo *sedile* proprie intelligi velim, tabulam, lateri navis adfixam, in qua unus remex sederit. Quum autem in triremi duo sedilia fuerint ad latus navis, remex qui in superiori sedit, Græcis vocabatur θρανίτης. quasi dicas, *sellarius*, qui in sella sedet. θρᾶνος enim *sella*, seu *sedile* est. Inferior dicebatur θαλαμίτης, quod in *interiori*, seu inferiori *parte navis* sederet. θάλαμος enim interiorem ædium, aut cujusque habitationis, locum significat. Utrumque Græcum nomen, *thranita*, *thalamita*, Latinæ aures ferre debent, quod Romana; si tamen unquam facta fuere; cum multis aliis interciderint. *Transtrum*, Græci ζυγὸν, voco in triremibus tabulam longiorem, medio navis per transversum positam, in cujus utraque extremitate remex sedebat. Vacuo medio spatio portisculus, hortator remigum, qui Græcis κελευστὴς est, incedebat, in apertis navibus. Hoc transtrum in triremi, utraque extremitate fulciri potuit: quamvis unum mediæ tabulæ suppositum fulcrum sufficeret. Sed in majoribus navibus fulcra ad medium transtri removendi erant, ut manus remigis, post tergum prioris sedentis, libere sub transtro moveri possent. Remex in transtro sedens, Græcis vocatur ζυγίτης, etiam Latine, *Zygita*. Sed quum triremium fabricam hic restituerim, liceat mihi, tanquam inventori, Romana fingere nomina, quibus Græca illa clarius exprimantur. Barbara sint nomina, donec ex vetustatis abdito Latiniora eruantur. θρανίτης vocetur *sellarius*. θαλαμίτης, *cubicularius*. ζυγίτης, *jugarius*, seu *transtrarius*. Cæterum sedilia & transtra ex abiete, propter levitatem, aut pinu, fuisse, nullum mihi dubium: Theophr. e tilia fuisse docet: quamvis ex quercu facta, minus loci poscerent. Si tamen digiti semissis discrimen in tabulæ crassitie fuit attendendum. Sedilis, ut & transtri, longitudinem voco, quæ per transversum seu secundum latitudinem navis, consideratur; latitudinem, quæ secundum navis longitudinem. Pono longum fuisse sedile in triremi, pedes II. latum, pedem unum & quadrantem, $1\frac{1}{4}$. Transtrum in triremi longum fuisse pono, pedes VII. latum, ut sedile. Ligni assulam, digitos duos altam, sedili, transtroque, in latitudinis versus nates extremitate, adfixam puto, ne natibus ultra sedilis legitimam mensuram remex evagaretur, & inferiori remigi, post ipsum sedenti, locum angustiorem faceret. Hic porro, antequam hos remiges justa distantia sedentes videamus, partium quarundam corporis humani mensuras, ac proportiones ponam, quas occasione hujus inquisitionis, de remigum sedilibus, brachiorumque cum remis motu, observavi. Sicut innumera staturæ varietate sunt homines, ita etiam longitudine variant eorum cubiti: nimirum pars illa brachii, a flexu ad digiti medii extremitatem. Hic cubitus cujusque hominis, parvi, magni, quarta pars est staturæ, seu altitudinis sui corporis. Pro cubiti magnitudine, sedilis altitudo esse debet, in quo quisque commode sedeat; (calceis nullam altitudinem tribuendo.) Sedile pueruli, statura duum semis pedum, seu XL. digitorum, altum esse debet digitos X. Puer IV. pedes altus, sellam requirit, altam pedem I. Qui V. pedes, seu LXXX. digitos, statura æquat, in sella XX. digitos, seu pedem & quadrantem alta, commode sedebit. Hinc generali finitione omne sedilium genus comprehendemus. Sedile quodvis, in quo commode sedere homo possit, ut viribus suis ad laborandum utatur, altum esse debere quartam partem, seu cubitum, ejus corporis, quod in eo sedebit. Sellulariis, aliisque, qui sedentario labore se exercent, corporis fatigationes, hujus rei ignorantia, crescunt; quum minori virium impensa idem opus perficere possent. Pono; auctoritate vetusti scriptoris, quem alio tempore producam, remigum sedilia, transtraque, in triremibus facta fuisse maximæ altitudinis, hoc est, cubiti unius, seu digitorum XXIV. (cum ipso sedilis, transtrive, ligno) pro viris VI. pedes altis. Hæc enim statura, magna semper fuit habita. Vegetius *lib. I. cap. V.* *Proceritatem*, inquit, *tironum*, *a consule Mario scio semper exactam, ita ut senos pedes, vel certe quinos, & denas uncias habentes, inter alares equites, vel in primis legionum cohortibus probarentur*. Imperatores Valentinianus & Valens in *lege 3. Cod. Th. de Tiron.* delectum haberi jubent *in quinque pedibus & septem unciis usualibus*. Adrianus Imp. inter milites, etiam prætorianos, recipiebat, qui quinque semis pedum altitudinem haberent. Lepidum est hujus colloquium cum juvene, qui inter prætorianos militare optabat: quod hic adscribam. αἰτοῦντός τινος, ἵνα στρατεύηται, Ἀδριανὸς εἶπεν. ποῦ θέλεις στρατεύεσθαι; ἐκείνου λέγοντος, εἰς τὸ πραιτώριον. Ἀδριανὸς ἐζήτησεν, ποῖον μῆκος ἔχεις; (ἐκείνου λέγοντος, ita suppleo) πέντε πόδας καὶ ἥμισυ ἐν τοσούτῳ εἰς τὴν πολιτικὴν στρατεύου, καὶ ἐὰν καλὸς στρατιώτης ἔσῃ, γ΄. ὀψονίῳ δυνήσῃ εἰς τὸ πραιτώριον μεταβῆναι. *Sollicitante quodam, ut inter milites ad-*


scriberetur; Ubi, inquiebat Adrianus, vis militare? Respondentem, Inter prætorianos; interrogabat Adrianus, Quanta es statura? Affirmanti, habere pedes quinque semis; dicebat Adrianus: Interim inter urbanas cohortes milita. Quod si bonus miles fueris, tertio stipendio inter prætorianos cooptaberis. Hinc illud discimus, justam in milite staturam Romanos requisisse. Virium ratio præcipue habebatur in legendis remigibus. Maximam autem requisitæ proceritatis mensuram in remigum sedilibus, tum ad latus navis, tum in transtris, secuti sunt Veteres, ut remiges, etiam sex pedes altitudinis habentes, commode sederent. Vir igitur sex pedes altus, in sedili suo, alto cubitum, sedens, ita in terra, aut scabello, pedes figit, ut commode & firmiter sedeat; ut, si perpendiculum ab extremitate genu sui demittatur, illud tangat extremitatem pollicis pedis sui. Si enim in ejus altitudinis sedili sedens, pedesque ita figens, surgere velit, non opus habet, ut pedes vel minimum variet, ut iis firmiter insistat; sed eodem positu manent, in quo erant cum sederet. Hoc ita esse observavi, quum cogitarem, quo loco scabellum thranitarum figendum statuerem, ne tergo thalamitæ incommodaret, quando remum attrahendo recumbit. Viri, in ejus altitudinis sella sedentis, pars corporis supra sedile erecta, ab extremitate clunium ad capitis verticem, alta est pedes III. quæ quoque altitudo est ab solo pedum ad viri erecte sedentis papillam. Unde sequitur, ab extremo femoris, seu, ab sedilis superiore superficie, ad papillam, cubiti esse altitudinem. Porro ita sedentis longitudo, ab extremo clunium ad genu extremum, est pedis unius & dodrantis, seu digitorum XXVIII. Brachiorum cum manibus, remum tenentibus, duplicem facio extensionem: majorem, & minorem. Majorem, quando inter tergum tenentis, & remi, manu comprehensi, centrum, interest spatium pedum II. Minorem, quando intercedit spatium cubiti. Manus autem, remum ita tenentes, sunt in medio loci, quem motus remi requirit. Brachiorum extensionibus respondere debent foramina in lateribus navium, per quæ remi in mare extruduntur. Has ex parte mensuras fuisse puto, quas Veteres in remigum sedilibus, atque transtris, fabricandis observarint. Ad collocandos remiges nostros nunc accedamus. Duplicem in triremi collocationem fuisse statuo: antiquam, & novam. Antiquam voco, qua veteres Græci usi fuerint in apertis suis triremibus, usque ad Alexandri M. tempora. Mensurarum rationes sequentes habuisse puto. Incipiendo ab thranita B C D, ad puppim sedente, interscalmium, seu spatium inter hunc, & proxime sequentem thranitam I M N. pono fuisse pedum trium: quod intervallum quoque est inter A K. Hoc interscalmium trium pedum sic divido. Tabulæ B C, in qua sedet hic thranita B C D, latitudinem facio pedis unius & quadrantis. $1\frac{1}{4}$. reliquum spatii A B facio longitudine dodrantis, pro femoribus & ipsis genibus. $\frac{3}{4}$. Spatium itaque inter

A tergum C D, & genua ad A, ponitur fuisse pedum duum. Hujus primi thranitæ scabellum E, abest secundum perpendiculum a tabula, in qua sedent, cubiti spatio; seu, pedis unius semis. Latitudo scabelli statuitur sex digitorum: cujus primum extremum, quod versus A intelligitur, incipit sub sexto digito ab A. ita ut inter scabellum, & tergum ante ipsum sedentis thalamitæ, sit spatium sex digitorum. Hoc spatium propterea conceditur, ut thalamita GHL, recumbendo tergum inter aperta crura thranitæ O M N immittere possit, per dodrantem pedis; nihil impediente hoc scabello inferiorem tergi partem. C D, & M N, est pars superior corporis thranitæ
B erecta supra sedile, alta pedes tres. Post hunc thranitam B C D, colloco thalamitam G H L, ita ut tergum ipsius H L sit in extremitate tertii pedis, incipiendo ab A, secundum navis longitudinem. Hujus sedilis tabula abest, secundum altitudinem, ab tabula sedilis thranitæ, pedes duos semis: ita ut inferioris tabulæ prior quadrans sit directe locatus infra ultimum quadrantem tabulæ superioris. Hinc sequitur, thalamitæ caput, ad medium solum pedem, KL, exsurgere supra tabulam thranitæ ante ipsum sedentis. Id quod necessario ita requiritur, ut thranitæ MN, post hunc thalamitam sedentis, remus sufficientem locum motus habeat supra hu-
C jus caput. Thranitæ remus foramen suum, per quod emittitur in aquam, habuit distans medio pede ab A, secundum navis longitudinem; sed eadem fuit altitudine qua tabula BC. Thalamitæ autem H L, remus per foramen exiit, distans ab F, medio pede, & item altum supra tabulam G H, medium pedem. Unde sequitur, duo hæc foramina pro remis thranitæ & thalamitæ, absuisse inter se pedem unum, secundum navis longitudinem; sed, secundum altitudinem, pedes duos. Ita collocatos fuisse duos laterales remiges in vetustæ formæ triremibus existimo. Restat nunc collocandus
D zygita, seu, medius. Transtrum per transversum

E


navis, unde nomen habet, ita colloco, ut distet duobus semis pedibus ab utroque navis latere. Altum illud facio, ab imo navis, pedes duos & dodrantem. Quare thalamitæ sedile superat, altitudine pedis & quadrantis. Remus zygitæ per foramen, quod uno quadrante transtri altitudinem superat, transit: medio spatio inter thranitæ & thalamitæ remum, tam secundum altitudinem navis, quam secundum longitudinem. Quippe tran-
F stri latitudo, quæ, ut supra dixi, unius pedis est & quadrantis, incipit, secundum navis longitudinem, seu ab A, a sexto quadrante, & pertinet ad undecimum; medio pede distans ab H L. Triremis zygitæ, in utroque extremo transtri considentes, hanc commoditatem habuere, quod, quum solum illud staret in medio, brachia in majori spatio liberius moverent, nec ab iis, qui ante, vel post ipsos sederent, facile impedirentur. Cæterum medio, per insertas tabellas,

transtra illa conjuncta fuerunt, ut viam tum portisculo, tum aliis per navem euntibus, præberent. Circa hanc remigum in vetusta triremi collocationem quædam sunt monenda. Primum enim, dum corpus superius supra sedili erectum sedere statuo ad altitudinem pedum trium, requisitæ viri staturæ maximam mensuram adsumo. Neque enim omnes ejus proceritatis fuerunt remiges. Rarius forsan thalamita caput extulit ad medium pedem supra altitudinem sedilis thranitæ. Deinde, brachia cum manibus, remum tenentibus, extendo solum ad pedem unum semis ab ipso tergo; quamvis major extensio requiri videatur. Sed crebrior pulsus remorum minoribus navibus conveniebat. Præterea hic notandum, omnes remiges simul procubuisse, remum propellendo; & recubuisse, eum attrahendo: unde interscalmium amplius pedem augebatur. Quarto loco monendum de scabello, in quo pedes suos



ponit thranita, videri posse, medio id excavatum fuisse ad digitos duos, aut tres, ut thalamita in id recumberet. Sicut videre est in adposita figura. Aliquid certe commenti sunt, ne ob tibias, quæ & thalamitæ tergo, & remo zygitæ impedimento esse potuere, interscalmium majus fieret. Denique lectoris oculis subjiciendum putavi, hominem in sedili immotis sedere natibus: inde reliquum corporis superioris eo majori circuli segmento se movere, quo capiti proprius fit, quod maxime movetur. In adposita figura a b ponitur esse corpus erecte supra sedili sedens. a c, a e, sunt corporis motus antrorsum: a d, a f, sunt motus ejusdem retrorsum.

Ad alteram collocationem remigum in Veterum triremibus accedam. Quum in præcedente triremi spatium inter thranitæ & thalamitæ sedilia, secundum altitudinem, positum sit pedum duum semis, idque majus quidem fuerit quam thalamita & zy-




gita requirant, sed necessario dandum, propter thranitam proxime post ipsum sedentem, qui manus suas, remum tenens, movere debebat supra caput hujus ante genua sua sedentis thalamitæ; perspicuum est, postquam thalamitæ sedile integrum pedem altius fecerunt, etiam interscalmium, seu spatium inter proximos duos remiges, augeri debuisse, ut sufficientem locum pro manuum suarum libero motu thranita proxime post ipsum sedens reciperet. Hanc lateralium remigum novam collocatio-

A nem tum receptam puto, cum triremes quoque consterni inciperent. Et necessaria videbatur altitudinis imminutio, ob parvam triremis latitudinem. Interscalmium igitur hujus triremis fuisse puto pedum trium semis. Sedilis latitudinem in omnibus facio pedis & quadrantis. Brachii quoque extensionem cum manibus remum tenentibus, uti in præcedente, facio cubiti. Et scabella K, M pono fuisse excavata. Thalamitæ sedile H E, secundum navis altitudinem, colloco infra thranitæ sedile G B, spatio cubiti. Sed ejusdem thalamitæ E F sedile removeo a sedili thranitæ B C, secundum navis longitudinem, intervallo pedis & quadrantis. Quare thalamita E F pro superioris sui corporis motu antrorsum, habet locum pedis & quadrantis, & insuper spatium aliquod supra sedile proxime ante ipsum sedentis thranitæ, quando hic remum propellendo procumbit. Eodem intervallo distant remorum foramina G & H. inter quæ est foramen X pro remo zygitæ. Dum thalamita E F procumbit, crescit locus, in quo proxime post hunc sedens thranita P Q se movet, ad pedes duos & dodrantem. Itaque remiges omnes locum motus sufficientem habent. Longitudinem triremis antiquæ facio circiter pedum CV. latitudinem, pedum XI. Sedilia cujusque ordinis XXX. ut caperet remiges CLXXX. Longitudinem triremis novæ statuo fuisse pedum XC. latitudinem, pedum X. Sedilia cujusque ordinis XXV. ut caperet remiges CL. Has Romanorum liburnas fuisse puto, quibus Octavius prospere usus est adversus Antonium in prælio navali ad Actium. Quæ ob insignem celeritatem, etiam multis sæculis post, in Romana classe apparuerunt.

Quadriremem statuo fuisse navigium, longum circiter pedes CXXV. latum, pedes XIII. habens sedilia cujusque ordinis XXX. in universum remiges CCXL. Interscalmium facio pedum III. & dodrantis. Quum duo medio transtra haberet, iisdem, quibus sedilia lateralia, intervallis distantia; planum est, navis tabulatum extantiam habuisse, ita ut supra zygitas ad dimidium pedem altitudo ejus augeretur; & reliquum spatii ad latus, pedum duum semis latitudine, supra remiges laterales, fororum usum obtineret. Idem statuo de hexeribus, octeribus, & cæteris parium ordinum navibus.

De ordinariæ quinqueremis magnitudine certiores nos facit insignis Polybii locus, quem infra adducam. Quum enim certum sit, CCC. eam habuisse remiges; planum est, XXX. quoque ordinis cujusque sedilia fuisse. Quinqueremem igitur statuo longam fuisse circiter pedes CL. latam, pedes XV. semis. Interscalmium pono trium cubitorum, seu pedum IV. semis. unde locus remigum in longitudinem patuisset, pedes CXXXV. Tres habuit remiges laterales; videlicet, primum, thranitam CD. secundum, medium lateralem; tertium, thalamitam M N. zygitas forsan solis ordinum vocabulis appellarunt; primum, secundum, & sic deinceps.



aut navis alveum, ab imo ad summum, in tres partes dividendo, thraniticos, medios, & thalamiticos denominarunt. Hanc quinqueremis fabricam fuisse puto. Hexerem statuo longam fuisse pedes CLX. latam, pedes XVII. sedilia habuisse XXXII. in quibus sedere potuerunt remiges CCCLXXXIV. Interscalmium quinqueremis hic retineo. Foramen pro supremi zygitæ remo notavi literis Y & Z. in figura III. quæ quinqueremis simul est & hexeris. Hic denique illud monendum duxi, si cui angustius videatur triremium interscalmium, quod trium pedum Græcorum fuisse statuo; cogitandum illi esse primum, juvenes ut plurimum remis adpositos fuisse, qui corpore erant minus crasso. Deinde strictis vestibus, & ferme linteis fuisse indutos. Et nostro tempore, si non quotidiana corporis exercitatio, quod priscis illis gentibus in usu erat, certe nicotianæ damnosus usus, graciliora ut plurimum facit corpora: quamvis & debiliora quam remigium requirit. Denique illud expendendum, quum unica celeritate naves longæ commendarentur, exactissimæ mensuræ fuisse interscalmium: quod alioquin cum tantilla longitudine navis, etiam gravitas ejusdem, & inde tarditas, augeretur. Huic tamen rei facile succurreremus, quadrante pedis, aut etiam medio, interscalmium augendo. Multa sunt, quæ non modo confirmandæ huic remigum collocationi in triremibus, sed etiam demonstrandæ magnitudini harum majorumque navium unice faciunt, adduci possent. Sed uno tempore ea omnia non sunt proferenda: etiam ne levibus ingeniis, quæ vel his capiendis non sufficiunt, facillima videantur, in quibus inveniendis præcipui eruditione viri vanum laborem ad hæc usque tempora insumserunt. Principum virorum, qui vetustæ formæ navibus, hac nostra inventione restitutis, usuri sunt, æquum judicium prius expectandum est, quam plura de his omnium oculis subjiciam. Interim harum navium fabricam quam firmissimam efficere studui, non tantum solidis rationibus, sed etiam auctoritatibus veterum scriptorum, qui quamcumque mentionem de iis injecerunt. Ut metuendum mihi non putem, ne semidoctorum reprehensionibus, velut rostris debilibus, hæc nostra vulnerentur, nedum ut supprimantur. Ceterum ex iis, quæ hactenus dicta sunt, haud difficulter intelligitur, majores Veterum rostratas naves non fuisse tantæ magnitudinis, quantæ illas fuisse opinati sunt doctorum primi. Quippe credita earum altitudo ad duas tertias partes utraque mea inventione decrescit: ita ut meæ quinqueremes, pluriumque ordinum rostratæ naves, trientem tantum altitudinis, quam ad hoc usque tempus habuisse visæ sunt, retineant. Quæ certe altitudinis imminutio non parum quoque minuit navium latitudinem, & hinc longitudinem. Ut vere dicere possim, de miraculorum numero me exemisse Veterum rostratas. Josephi Scaligeri in *Animadversionibus ad Eusebii Chronicon* hæc sunt verba. *Duo sunt, quæ satis mirari non possum, quomodo singuli homines tam longos remos moliri possent, quum in nostris galeis aliter hodie fieri videamus. Nam in illa immani octere, cujus Memnon mentionem facit, singuli homines tantum remis adhibebantur. Et tamen quo plures erant versus, eo longiores supremi ordinis remos fuisse necesse est. Alterum, cujus non mediocris nobis incessit admiratio, est moles hexerum, decerum, &, ut Plinius scribit, etiam illarum, quæ ad* XV. XXX. XL. *&* L. *remorum ordines constructæ sunt. Quomodo, inquam, eas in bello moliri possent? Unde tam longæ arbores, quæ thranitarum remis sufficerent.* Si nostra hæc legere potuisset Scaliger, ea omnia delevisset. Octeris illa Heracleensium immanis non fuit ob altitudinem, adeoque longitudinem remorum. Summi enim remigis vertex summum XI. pedes abfuit ab imo navis. Et multo adhuc minus admirationem meretur hexeris, cujus summum tectum, sub quo remiges sedebant, ab imo navis absuit nondum IX. pedes. At ex Scaligeri sententia in octere summi remigis vertex abfuit ab imo navis, ubi thalamita pedes suos figebat, pedes XXXVI. remiges directe alios super alios collocando. Eadem ratione hexeris ipsi requirere videbatur altitudinem pedum XXVII. Pono autem ubique pro hominis sedentis altitudine tres cubitos, seu pedes IV. S. Hanc altitudinis navium longarum imminutionem duabus meis inventionibus feliciter perfeci. Prima enim illarum, quam ante duos & viginti annos protuli, remiges laterales ita collocandos docui, ut qui post alium sedet, manus suas cum remo moveat sub sedili ante ipsum sedentis remigis. Illa inventione tres laterales remiges, qui ex Scaligeri sententia poscebant altitudinem pedum XIII. S. contenti sunt pedum VII. S. Altera mea inventione, quam nunc, Divina annuente gratia, edo, novum locum in navibus inveni ferme dimidio remigum numero. Quippe, ad latus priorum, alios medio navis in transtris colloco, qui remos suos sub sedilibus lateralium remigum extrudant. Qua inventione in quinqueremi lucror spatium in altitudinem, pedum IX. Ita ut pro spatio pedum XXII. S. quod Scaligeri remiges in quinqueremi poscerent, mei ampliter sedendo gaudeant spatio pedum VII. S. Hoc, si in vitam rediret, Scaliger miraretur, se comminisci non potuisse. Nec puto fore quemquam, qui hæc lecturus sit, qui non miretur, rem, ut arbitrabitur, non difficilem, jam ante, his ducentis annis post renatas literas, a mille doctis ingeniosisque viris non fuisse occupatam. Sed hæc illustrium omnium inventionum natura est, ut postquam inventæ sunt, faciles adpareant; quæ immensa quadam animi contentione, ex profundo naturæ, aut oblivionis, extractæ sunt. Omnis itaque admiratio veterum rostratarum, quod ad altitudinem earum attinet, sublata est. Sed novam admirationem hic excitavi, ingenii solertiæque vetustorum regum atque artificum, quibus hæc in mentem primo venerunt. Triremis inventionem Sidoni, non minus omnis sapientiæ cultura, quam commerciorum laude, florenti olim urbi, transscribit Clemens Alexandrinus; dubio procul insignis scriptoris auctoritate nixus. Majorum navium perfectam fabricam sibi vindicare videntur Ptolemæi, & admirabilis ille Demetrius Poliorcetes, Ægypti, Syriæque reges. Post tot sæcula, quum jam inter res deperditas, omnium doctorum adsensu, velut subducta, staret triremis; ecce nunc, utinam feliciter, navali reserato, instructam paratamque, conspiciendam omnium oculis exposui. Anno CIↃ IↃC XLIX. hic Amsterdami editus est Vitruv. cui subjunctæ sunt quædam meæ notæ, in quibus hæc verba posui. *Remigum, certo ordine considentium numerationem a puppi incipere debemus. Eorum primus & supremus est semper* θρανίτης. *Tertius & infimus considet* θαλαμίτης, *respectu* θρανίτου *versus proram,* πρὸς πρώραν, *remotior, magisque abscedens. Medius est* ζυγίτης, *elevatiore paullum loco quam* θαλαμίτης, *depressiore quam* θρανίτης. Excepta tum hæc mea opinio humaniter est, ut & cætera quæ ibi scripseram, ab summo viro, Cl. Salmasio, quamvis videret ad labefactanda quædam sua eam tendere. Sed quum veritate nihil se antiquius habere diceret, etiam sua adprobatione, ut ederem ea, hortatus est. Multa deinde veteris eruditionis monumenta excutienti locus Aristophanis, impuri poetæ, occurrit, qui meam illam opinionem admodum firmaret. Verba ejus ἐν Βατράχοις hæc sunt.

Νὴ τὸν Ἀπόλλω. καὶ προσπαρδεῖν γ' ἐς τὸ στόμα τοῦ
θαλάμακι.
Καὶ μινθῶσαι τὸν ξύσσιτον.

Per Apollinem, etiam in os oppedere thalamitæ, & convictorem fætore opplere. Videatur supra, col. 581. commensuratio loci pro remigibus triremis, ubi thalamita H L, os habens ad K, procumbendo ad nates pertingit sedentis ante ipsum thranitæ. Mirari subit, qui doctissimus illius poetæ Scholiastes oblitus sit exponere, τίς ἐστιν ὁ προσπαρδών. Sed dubium esse nequit, quin fuerit thranita: quod zygita ad latus sederet. Insignem Scholiastæ locum, quem traducendi caussa omnes exposuere, ab ignorantiæ, aut negligentiæ, suspicione hic liberabo. τῷ θαλάμακι, τῷ κωπηλατοῦντι ἐν τῷ κάτω μέρει τῆς τριήρους. οἱ δὲ θαλάμακες ὀλίγον ἐλάμβανον μισθὸν, διὰ τὸ κολοβαῖς χρῆσθαι κώπαις παρὰ τὰς ἄλλας δύο (ita scribo, pro τρεῖς) τάξεις τῶν ἐρετῶν. (Miror Scaligerum, Salmasium, Palmerium, non vidisse ita scribendum esse pro ἐρετμῶν. præcessit enim θαλάμακες. οἱ θαλάμακες κολοβαῖς χρῶνται κώπαις παρὰ τοὺς θρανίτας καὶ ζυγίτας. Saltem Suidæ auctoritas, ut ita corrigerent, illos inducere debuisset.) ὅτι μᾶλλον ἐγγύς εἰσι τοῦ ὕδατος· ἦσαν δὲ τρεῖς τάξεις τῶν ἐρετῶν. (ita rursus pro ἐρετμῶν scribo) καὶ ἡ μὲν κάτω, θαλαμῖται· ἡ δὲ μέση, ζυγῖται, ἡ δὲ ἄνω, θρανῖται. θρανίτης οὖν, ὁ πρὸς τὴν πρύμναν· ζυγίτης, ὁ μέσος. θαλαμίτης, ὁ πρὸς πρῷραν. καὶ θαλαμία ὀπὴ, δι' ἧς ἐξέρχεται ἡ κώπη· οἷον οὖν παρὰ τῷ συγκαθέδρῳ παραδεῖν. Ultima hæc manifesto corrupta sunt: quod vel ex ultimo verbo παραδεῖν, pro quo saltem scribendum est παρδεῖν liquet. Deinde mendum esse videtur in vocabulo συγκαθέδρῳ. Neque enim συγκάθεδρος dici proprie potest, nisi qui ad latus, in scamno aut sella ejusdem altitudinis adsidet. Sed vocabuli alterius inopia, hoc commodo sensu accipiamus, & scribamus: οἷον ὢν ἦν, εἰς στόμα τῷ συγκαθέδρῳ παρδεῖν. Ita autem ista verto. *Thalamaci, remiganti in inferiori parte triremis. Thalamaces parvam mercedem accipiebant, ex caussa quod brevioribus remis uterentur, quam reliqui duo remigum ordines; utpote qui ab aqua propius abessent. Erant autem tres remigum ordines: quorum infimus erat thalamitarum; medius, zygitarum; supremus, thranitarum. Thranita igitur est, qui sedet ad puppim; zygita, medius; thalamita, proram versus. Thalamium foramen etiam vocatur, per quod remus exit. Fieri igitur poterat, ut proxime sedenti in os oppederet.* Verba, ὁ πρὸς τὴν πρύμναν, & ὁ πρὸς πρῷραν, significanter admodum posita sunt, ut locum horum remigum designarent. Col. 581. thranita C D proximus est puppi; quod Scholiastes hic dicit, ὁ θρανίτης ἐστὶ πρὸς τὴν πρύμναν. Sed thalamita H L, qui post ipsum sedet, maxime horum trium recedit a puppi versus proram. ὁ θαλαμίτης ἐστὶ πρὸς τὴν πρῷραν. Si clarius hæc proponere voluisset, pluribus uti debuisset verbis. Scaliger, Salmasius, Palmerius, horum verborum sententiam non sunt assecuti: itaque accuratum hunc Scholiasten reprehendunt, & tantum non convitiis lacerant. Joa. Schefferus, qui quinto, post editas *in Vitruvium notas*, anno in lucem protulit libros suos *de militia navali Veterum*, aliquam collocandi remiges rationem tentavit: qui, si horum verborum sententiam adsecutus esset, ordinem collocationis, quem adhibuit, invertisset. Sed totum hujus opus conatum duntaxat habet. Qui, si nuda auctorum verba posuisset sub certis titulis, melius de re literaria meritus videri potuisset. Sed dum judicium suum de locis difficilibus interponere voluit, innumeris erroribus libros illos implevit. Palmerius quoque eandem ferme collocationis rationem, quam Schefferus, secutus est. Sed vanos eorum fuisse conatus, hæc, quæ nunc edo, satis ostendunt.

Nunc auctorum loca quædam, quæ firmandæ utrique inventioni meæ, cum de collocandis lateralibus remigibus, tum de iis, qui in transtris sedent, maxime faciunt, sum producturus. Primus, ob perspicuitatem, est Eustathii locus, *commentario in Homerum.* θαλάμακες, οἱ καὶ θαλαμῖται, οἱ ὑπὸ τοὺς θρανίτας τεταγμένοι ἐρέται. *Thalamaces, qui & thalamitæ, sunt remiges sub thranitas collocati.* Ad hæc verba videatur figura col. 581. Clariora certe desiderari nequeunt. Non dicit, οἱ ὑπὸ τοὺς ζυγίτας τεταγμένοι, *sub zygitas collocati.* quomodo utique loqui debuisset, si zygitæ quoque ad latus triremis sedissent. Vel unus hic locus, ex omni antiquitate productus, stabiliendæ meæ sententiæ sufficeret. Secundus locus sit Pollucis, καλοῖτο δ' ἂν καὶ θάλαμος, οὗ οἱ θαλάμιοι ἐρέττουσι· τὰ δὲ μέσα τῆς νεὼς, ζυγὸς, οὗ οἱ ζύγιοι κάθηνται. τὸ δὲ περὶ τὸ κατάστρωμα, θρανὸς, οὗ οἱ θρανῖται. *Vocetur quoque thalamus, uti thalamii remigant; media autem navis, juga* (vocentur) *ubi zygii sedent: locus circa tectum* (navis, seu constratum, quod tabulatum quidam appellant) *thranus vocetur, ubi consident thranitæ.* Hic quoque locum valde perspicuus est. Tres velut regiones navis facit. Infimam, quæ thalamus dicitur, ad certam altitudinem pertingens, ubi thalamitæ remus versatur. Mediam, quæ paullo altius surgit; ubi zygitæ tonsas suas movent. Supremam regionem, ubi tharnitæ sedent, proxime sub tectum navis. Dicit Pollux, τὰ μέσα τῆς νεὼς, *media navis*; non autem, τὰ μεταξὺ τοῦ θαλάμου καὶ θρανοῦ. ne quis zygitas ad latus navis sedisse putaret. Nec dicit, τὰ μέσα τοῦ τοίχου, ob eandem caussam.

III. Duo loca ex Hesychio adferam. Primus est: ζύγιος, ὁ τρίτος ἐρέτης. *Zygius* inter alia quoque vocatur, *tertius remex.* Insignis est hic locus. Quum enim certum sit, nomina ζύγιος, ζυγίτης, notare quidem medium remigem, sed quem docti viri medium faciunt inter thranitam & thalamitam; hic locus planissimum facit, quod ζύγιος, vel zygita locum habuerit in media navi; non autem, ad latus navis. Ab utrolibet extremo incipe numerationem. Si a supremo, ut thranita primus statuatur, zygita erit secundus, & thalamita tertius. Atqui zygitam Hesychius vocat tertium remigem. Rursus, si ab infimo, seu thalamita, tanquam primo, numerationem incipias, secundus erit item zygita, quod Hesychius hic negat. Quare zygita est remex tertius, medio navis, in transtris sedens. Alter Hesychii locus hic est. θαλάμιος λέγεται ὁ ἔσχατος· ὁ δὲ μέσος, ζύγιος. ὁ δὲ ἀνώτατος, θρανίτης. *Thalamius dicitur ultimus* remex; *medius, zygius; supremus, thranita.* Duo hic sunt notanda. Primum, quod thalamitam vocet ultimum. Primus ergo est thranita: id quod veterum auctorum quibusdam locis explicandis facit. Deinde notandum, quod zygium vocet medium. Non dicit, ὁ δὲ δεύτερος, ζύγιος. Sed ut generatim dicam, nullus Veterum zygitam vocat secundum remigem; sed omnes, medium.

IV. Locum producam ex Aristotele, viro sapientissimo. *Lib.* IV. περὶ ζώων μορίων ita scribit. Καὶ ὁ ἔσχατος δὲ, μικρὸς ὀρθῶς, καὶ ὁ μέσος, μακρός· ὥσπερ κώπη μέσον νεώς. μάλιστα γὰρ τὸ λαμβανόμενον ἀνάγκη περιλαμβάνεσθαι κύκλῳ κατὰ τὸ μέσον, πρὸς τὰς ἐργεσίας. Videtur scribendum, κατὰ μέσον τῆς νεώς. Deinde, ἐργασίας. *Extremus digitorum recte parvus est; longus autem, medius. sicut remus medio navis. Quod enim manu capitur, ut eo bene operemur, necesse est, ut medio ad circulum digitorum faciendum comprehendatur.* Michael Ephesius hunc locum *scholio* clariorem reddere conatur:

Præterea novissimum digitum parvum, longum autem medium esse asserit. Etenim remi quoque navium medii extremis prolixiores sunt. Græca verba videre lubuisset, si codicem nancisci potuissem. Medios vocant, remos zygitarum; extremos, duorum lateralium, thranitæ & thalamitæ. Insigni explicatione hanc digitorum manus considerationem illustravit Galenus, divini illius operis, *περὶ χρείας τῶν ἐν ἀνθρώπου σώματι μορίων libro primo. φαίνονται δ' εἰς μίαν ἀνήκοντες κύκλου περιφέρειαν οἱ πέντε δάκτυλοι, κατὰ τὰς τοιαύτας ἐνεργείας, μάλιστ' ὅταν ἀκριβῶς σφαιροειδὲς σῶμα περιλαμβάνωσιν. ἐν τούτοις γὰρ δὴ καὶ σαφέστατα γνοίη τις ἄν, ὅπερ ἐπὶ τῶν ἄλλων σωμάτων γίγνεται μέν, οὐ φαίνεται δ' ὁμοίως ἐναργῶς. ὅτι πανταχόθεν ἰσοῤῥόπως αἱ κορυφαὶ τῶν δακτύλων ἀντιτεταγμέναι, τήν τε λαβὴν αὐτῶν ἀσφαλεστέραν, καὶ τὴν βολὴν ἰσχυροτέραν ἀπεργάζονται. καθάπερ οἶμαι κἂν ταῖς τριήρεσι τὰ πέρατα τῶν κωπῶν εἰς ἴσον ἐξικνεῖται, καίτοιγ' οὐκ ἴσων ἁπασῶν οὐσῶν. καὶ γὰρ οὖν κἀκεῖ τὰς μέσας μεγίστας ἀπεργάζονται, διὰ τὴν αὐτὴν αἰτίαν. Apparent vero in unam circuli circumferentiam convenire digiti quinque in actionibus hujusmodi, maxime quando exquisite sphæricum corpus comprehendunt. In his enim etiam manifestissime cognoscat aliquis id, quod in aliis quidem corporibus fit, non tamen æque apparet evidenter, quod digitorum summitates undique æqualiter oppositæ tum suam ipsorum comprehensionem reddunt tutiorem & firmiorem, tum projectionem fortiorem edunt. Quemadmodum, opinor, & in triremibus, remorum extremitates ad unam æqualitatem perveniunt, cum tamen ipsi omnes non sint æquales: etenim etiam ibi medios eandem ob causam maximos efficiunt.* Interpres evidentem horum verborum sententiam sua hallucinatione obscuravit. In verbis, *suam ipsorum comprehensionem*, dele τὸ *suam*. Falsum enim est, *digitos suam ipsorum comprehensionem reddere firmiorem*. Non vidit Interpres, vocem *αὐτῶν ipsorum*, referendam esse ad præcedens vocabulum *σωμάτων*, *corporum*. *αὐτῶν*, δηλαδὴ *σωμάτων τῶν περιλαμβανομένων*. ipsorum corporum comprehensionem facit strictiorem. Deinde dele *τὸ tutiorem*. Verba, *quod in aliis quidem corporibus fit*, intelligenda sunt, ac si scripsisset; *quod aliorum quoque corporum* (non æque rotundorum) *comprehensione fit quidem, sed non æque evidenter inde apparet*. Meretur hic locus, ut, quo manuum, digitorumque usus est communior, eo diligentius ab omnibus consideretur. Certe Divinæ bonitatis hymnum, ut ubique in iis libris, ita quoque hic decantare videtur Galenus. Rogo lectorem, ut ad ea verba; *etenim etiam ibi medios eandem ob causam maximos efficiunt*; quæ meam sententiam egregie adstruunt, paullum consistat. Si medii triremis remi fuerunt longissimi, quomodo zygita ad latus navis, inter thranitam & thalamitam, sedere potuit? Quippe si ita sedisset, non ipsius, sed thranitæ, summo loco sedentis, remus fuisset longissimus. Hoc argumentum diligenter considerari velim. Altera mea, & præcipua inventione, ad fabricam longarum navium pertinente, hoc demonstrare conatus sum: si ad latus navis remiges, quot locus capere possit, locentur; ad latus horum, versus medium navis, alios collocari posse remiges, qui remos suos sub sedilibus remigum, ad latus navis sedentium, extrudere in aquam possint, sine impedimento eorum lateralium remigum, qui itidem manus suas cum remis, sub iisdem sedilibus movere debent. Ad hæc usque tempora male creditum fuit, omnes remiges ad navis utrumque latus sedisse. Sed ex his Galeni verbis, quibus Aristotelis sententia planissime proponitur, verum zygitæ locum discimus; qui fuit ab latere navis remotior, quia zygitæ remus fuit longissimus.

A v. Ex Suida locum adducam. *ζυγομαχεῖν. ἀπὸ τῶν πωλούντων σταθμῷ, καὶ διαφερομένων πρὸς τοὺς ὠνουμένους. οἱ δέ, ἀπὸ τῶν ὑποζυγίων. ἢ βοῶν, ἢ ἵππων, ἢ τινῶν τοιούτων, μὴ συμφώνως ἐργαζομένων.* Ἡσίοδος, *βόε δ' ἐνναετήρω ἄρσενε κεκτῆσθαι. τῶν γὰρ σθένος οὐκ ἀλαπαδνόν. οὐκ ἂν τώ γ' ἐρίσαντε.* Ἡρόδοτος δέ, *ἀπὸ τῶν ἐν τοῖς πλοίοις ζυγῶν δύνασθαι εἶναι τὴν λέξιν, ὅταν περὶ τὰς καθέδρας διαφέρωνται οἱ ἐρέται.* Quæ ita verto: *ζυγομαχεῖν, contendere: translatum ab iis qui vendunt pondere, & dissident ab emtoribus. Alii translatum putant a jumentis; aut bobus, aut equis, aut bujusmodi, quæ non æquali contentione laborant. Hesiodus: boves vero duos* B *novennes masculos comparato; horum enim robur non est imbecillum, nec bi duo contendent. At Herodotus putat hoc verbum posse esse translatum ab navium longarum jugis, quando de sedilibus remiges litigant.* Tres hujus verbi originationes adducit Suidas. De tertia, quæ est Herodoti, Grammatici, aliquid hic dicam. Juga seu transtra, hic per synecdochen intelliguntur de omnibus remigum sedilibus in triremi. Ex supra adducto Scholiastæ loco certum est, thalamitarum laborem fuisse minimum; quod tonsis curtioribus uterentur: quare etiam mercedem minorem accipiebant. Hinc C facile intelligitur, quando omnium remigum eadem fuit merces, de hoc infimo loco, ut, qui minimum laboris haberet, inter se contendisse remiges. Aut etiam sic illud accipiemus. Quum in triremi thalamitæ sedile contemtissimus locus esset, præcipue quod facie natibus thranitæ opposita sederet; unusquisque in transtro sedere voluit, ob has caussas. Primum, quod post levissimum thalamitæ remum, secundus levitate esset remus zygitæ, quamvis omnium longissimus. Deinde, quod zygita in triremi amplius sederet: tantum loci solus habens, quantum ambo laterales. Accedebat, quod tectior sederet quam thranita. Hic D enim quum in apertis illis triremibus, superiori corpore super navis latus emineret, non modo a ventis plus molestiæ capiebat, sed etiam ab illisis navis lateri fluctibus. Denique molestissimum videbatur, quod, mari ventis turbato, fluctus, tanquam hostes maxime horribiles, oculis semper obversantes haberet. Si has caussas firmandæ suæ originationi adjunxisset Herodotus, majori dubio procul adplausu jamdudum illa recepta fuisset.

vi. Verbo *ζυγομαχεῖν* jungam verbum *ἑτεροζυγεῖν*, quo utitur Paulus II. *ad Corinth.* cap. VI. E v. 14. *μὴ γίνεσθε ἑτεροζυγοῦντες ἀπίστοις*. Quod ita vertendum puto. *Nolite, velut remiges, qui impari remigio navem in alteram partem convertere student, contendere cum infidelibus.* Aptissima, mea quidem opinione, verbi hujus translatione usus, ut suis Corinthiis communionem vitæ cum infidelibus interdiceret. Tria autem hoc verbum *ἑτεροζυγεῖν* includit. Primum, sessionem in transtris. Neque enim proprie contendere cum alio quis potest, nisi prope sit. Deinde, actionem remigandi; sicut etiam ex verbo *ὁμοζυγεῖν* adparet. Denique, contrarium studium: quod altera compositi verbi pars *ἕτερον* suggerit. Manifestum porro, F ex iis quæ dicentur, fiet, verbum *ἑτεροζυγεῖν* includere consessum apud alium remigem: ut eodem verbo hortari videatur, ne fidelis, quum velut in uno transtri extremo sedentem videt infidelem, ut altero ejusdem transtri extremo se collocet, ut frivolis ac contentiosis sermonibus, tanquam remis, inter se contendant. Videamus hæc accuratius. Omne navigiorum genus, quod remis agitur, ab utroque navigii latere habet remiges. In his remigibus duo præcipue spectantur; ut cum viribus, tum voluntate consentiant. Vi-

ribus pares esse debent, ut ab utraque parte æqualiter navis impellatur. Voluntate quoque pari esse debent, promovendi navem; ideoque eodem tempore simul remos adducent. Nisi enim hæc duo remigi adsint, virium voluntatisque par conatus, male navis impellitur. In triremibus igitur remigio instruendis, ea cura adhibenda fuit, ut non modo æqualis remigum numerus, ab utraque navis parte consideret; sed etiam remiges æque validi, & exercitati, ac consentientes. Nisi enim hoc observaretur, navis certum cursum, quod præcipue in navali certamine requirebatur, tenere non poterat; sed hinc inde lata, gubernatoris quoque industriam in regendo irritam reddebat. Consideretur hoc in duorum, aut quatuor remorum scapha, quæ ab uno latere binos validos remiges habeat; ab altero, binos debiles. Ab hujusmodi remigibus impulsa scapha non potest rectum cursum tenere; sed in orbem circumagetur. Deinde voluntas, & studium remigum, idem esse debet, ut labore suo navis cursum promovere velint. Quare eodem tempore remum omnes propellent, & rursus simul adducent; simul procumbent omnes, & recumbent. Nam non modo rectum cursum navis ea consensione tenebit, sed etiam faciliorem. Remos simul adducere Græci vocant ὁμοζυγεῖν. Manifestam hujus verbi significationem habet Heliodorus, secundo *Æthiopicorum*. ἀνήγοντο οὖν (οἱ ἀμφὶ τὸν Θεαγένην, καὶ τὸν Κνήμωνα) ἐπιδεξίως, αὐτερέται τῆς πλάνης ὄντες. subjungit: τῇδε ἂν κἀκεῖσε παρεφέροντο τοῦ ἰθέος, ὑπὸ ἀπειρίας τε τῶν ἐρετῶν οὐχ ὁμοζυγούντων, καί τι καὶ ἀνέμου πρὸς ἐναντίον ἐμπίπτοντος. *Altum igitur summo studio petebant, ipsi remigum ministerio fungentes. Huc igitur atque illuc ab recto cursu deferebantur, tum quod inscitia remos non pariter adducerent, tum quod ex adverso ventus incideret.* Theagenes & Cnemo ipsi erant remiges, sed imperiti, & inexercitati. Viribus fortasse non impares erant, ut nec studio; sed peccabant imperitia. Et forsan fluctus quoque turbabant, quos adversus ventus excitarat. Ea remigationis imparitate fiebat, ut navicula jam in alteram partem impelleretur, & a recto cursu aberraret. Fieri enim solet, ut, quum non eodem tempore paribus viribus remis incumbitur, interea dum unus remum adducit vehementer, alter bis, aut saltem inæqualiter, eundem adducat, sed longe debiliori conatu. Remiges igitur ὁμοζυγοῦσι, quando navem pariter remis impellunt. ἑτεροζυγοῦσι, quando alterutri, aut viribus prævalent, aut contentione inter se navem vehementius impellunt. In scaphæ impulsione res manifesta est; unde ad majores naves hæc consideratio extendenda. Quin hoc verbum ἑτεροζυγεῖν inter nautica vocabula fuerit, nullum mihi dubium. Maximi enim momenti res erat in prælio navali, ut æqualem cursum navis teneret, adeoque gubernatoris scientiæ, & gubernaculo, pareret. Quippe levi is gubernaculi flexu hostilis navis remos detergebat; aut ejusdem occursum evitabat. Memorabile est, quod non modo populi, qui re navali præcipue olim floruerunt, Sidonii, Athenienses, Rhodii; gubernatores habuerint sapientes, sed & remiges exercitatissimos, quorum agili scientia sæpius victoriam in navalibus præliis sibi acquisiverunt. Hinc igitur verisimile est, increpitos interdum fuisse alterutrius lateris remiges, tanquam ἑτεροζυγοῦντας, quod discreparent in remigando, nec æquali contentione remos adducerent. Sed huic explicationi succurrit quoque Hesych. ἑτεροζύγιοι, οἱ μὴ συζυγοῦντες. *qui non paribus remis impellunt navem*, sed remigando dissident. Sicut consentire, ac velut concinere dicuntur, qui ὁμορροθοῦσι, navem pariter impellunt. Idem ὁμορροθεῖς, ὁμοῦ ἕλκειν, καὶ συμφωνεῖν. *simul trahere remos, & concinere*. ὁμορροθοῦντες, ὁμοφωνοῦντες, ὁμόνχοι. ultimum significat, *pulsibus paribus concordantes*. Suidas: ὁμορροθεῖ, συμφωνεῖ. καὶ ὁμορροθῶ, τὸ αὐτὸ φρονῶ. ὁμορροθεῖν δὲ κυρίως, τὸ ἅμα καὶ συμφώνως ἐρέσσειν. Egregius est hic locus, ex Aristophanis Scholiaste ab Suida descriptus. Dicit, *simul & consono studio remigare, esse* ὁμορροθεῖν, quod Heliodorus vocat ὁμοζυγεῖν. At dissona voluntate, studioque impari remigare, & contendere cum aliquo, est ἑτεροζυγεῖν. Hæc autem contentio navis cursum rectum atque celerem impedit. Ab hac significatione contendentium inter se remigum, puto translatum fuisse hoc verbum ad quosvis inter se dissentientes. Et forsan Corinthiorum proprium fuit, ut multa alia, uni alicui urbi, aut populo olim usitata. Ac si dicere voluisset Apostolus. Vos, o fideles Corinthii, qui navali industria laudem olim invenistis, hortor nautico verbo vestro, ut, quemadmodum transtris consessuri, hoc spectatis, ut paribus jungamini cum viribus, tum remigandi studio; ita quoque in vitæ hujus negotiis, cum paribus, qui fide Christiana, & actionibus honestis conspicui sunt, conversemini. Sicut enim remex, qui eodem transtro cum impio, injusto, atque impuro homine sedet, multa videre, plura audire debet, quæ pietatem ac bonos mores lædunt, concordiamque inter ipsos turbant; unde non raro acres contentiones, ac dissidia periculosa oriuntur: ita quoque fidelis Christianus, si versetur cum infidelibus, qui Christianum nomen rident, quid inde ipsi expectandum erit, quam insignis quædam mœstitia, ob Dei contemptum; quam justa indignatio, ob irrisam pietatem? Spurci eorum sermones honestis moribus velut notas inurunt; & blasphema temeritas periculum creat, ne ad acres contentiones deveniatis. Quare, quoad fieri potest, & necessaria vitæ humanæ negotia permittunt, fugite eorum consortium, ut contentiones cum illis evitetis. Quod autem consortium justo homini esse potest cum iniquo? Quæ communio Christi scientia illustrato homini, cum eo qui tenebris gentilis idolorum cultus distinetur? Si liqueret, hoc verbum ἑτεροζυγεῖν Apostolum usurpasse ea significatione, ut primario remigem denotaret, qui in uno transtri extremo se collocat, in cujus altero jam alius sedet (quamvis, ut supra dixi, hæc notio tacite huic verbo includatur) cætera, quæ Apostolus subjungit, huic translationi mire responderent. Conversationem enim, ac vitæ communionem ea omnia indicant. τῷ ἑτεροζυγεῖν μετέχετε πάντων, καὶ ἐπιθυμιῶν, καὶ λυπηρῶν. ἀλλ' οὐδεμία μετοχὴ τῷ δικαίῳ καὶ ἀνόμῳ. τῷ ἑτεροζυγεῖν κοινωνεῖτε πάντων. καὶ σῖτα, καὶ ποτά, ὥσπερ συσσίτοι. ἀλλ' οὐδεμία κοινωνία τετραγμένῃ φωτὶ ἐσκοτισμένον. οἱ συνερέσσοντες συμφωνοῦσιν ἐν πᾶσιν. οὐδεμία συμφώνησις ἡμῖν, τοῖς τοῦ Χριστοῦ, καὶ τοῖς ἀπίστοις, ὡς τοῖς τοῦ Βελίαλ. οἱ συνερέσσοντες μερίζονται τὰ ὑπὸ τοῦ τριηράρχου διδόμενα. ἀλλ' οὐδεμία μερὶς τῷ πιστῷ μετὰ ἀπίστου. οἱ συνερέσσοντες ἐν πᾶσι συγκατατίθεται. ἀλλὰ πῶς ἐν τοῖς κινδύνοις εὐχὰς ποιήσεσθε; ὁ μὲν ἄπιστος τῷ θεῷ τι προσφέρειν ὀκνήσει. σὺ δὲ τοῖς εἰδώλοις ἀναθέσθαι τι οὐ μὴ θεμιτόν· ὑμεῖς γὰρ ναὸς θεοῦ ἐστε ζῶντος. καὶ τὰ ἑξῆς. Sed & primaria hujus verbi significatio egregias considerationes suggerit. μὴ γίνεσθαι ἑτεροζυγοῦντες τοῖς ἀπίστοις· ἀλλ' ἑτεροζυγεῖτε τοῖς πιστοῖς. Si tamen contendere velitis, de Christiani nominis virtutibus contendite cum fidelibus. Vires animi vestri omnes exerite; sed pii, sed benevoli, sed fraterni. Vincite alii alios vero erga Deum timore, fide non simulata, & adversus fratrem efficaci charitate. Justitia, temperantia, fortitudine, aliisque Christiano homine dignis virtutibus, fratrem quisque suum, eodem pietatis transtro considentem, superare con-

contendat, & impellere, ut suas quoque vires omnes intendere conetur. Ita enim Christi navicula, quam veri sui remiges agunt, licet pulsibus haud æqualibus, gubernatoris Christi sublimi scientia, & benevolo erga suos affectu, in cœlestis vitæ tutissimum portum perducetur. Sed reliquas duas etymologias videamus, quæ magnis auctoribus nituntur. Obscuris lucis aliquid, si fieri possit, inferre conemur. Primam, qua a jugo, seu librili, translatum videatur hoc verbum, hic adplicare tentemus. ζυγὸς, libra, vocatur τὸ τὰς ἰσότητας διακρῖνον σκεῦος. *instrumentum, quo discernimus, utrum ex duobus, quæ æqualia videntur, gravius sit.* Sed & scapus, seu librile, ζυγὸς Græcis, Latinis *jugum* appellatur. Hesychius: ζυγὸς, ἡ τρυτάνη τοῦ ζυγοῦ. *Jugum*, vocatur *trutina libræ*. Phocylides libræ ἑτεροζύγου meminit, hoc versu. σταθμὸν μὴ κρούειν ἑτερόζυγον, ἀλλ' ἴσον ἕλκειν. *Libram ne pulsa alterijugem* (ut sic loquamur explicationis caussa) *sed quæ æquale trahat*. Sed cujusmodi sit illa libra, quæ ἑτερόζυγος dici possit, indagemus. Videatur σταθμὸς dici posse ἑτεροζυγεῖν, quando altera pars jugi, seu scapi, aut longior est; aut infusum habet plumbum; aut insertam subdole partem mobilem, quæ huc illuc moveri possit. Omnia hæc discrepantiam notant inter duas jugi partes, a sparto æque distantes. Duas versutias conjungere videtur Phocylides. Prima est, quod iniqui illi libras facerent, quarum altera pars scapi gravior esset. Secunda, quod alteram scapi partem, a qua pondus dependeret, impellerent, ut adscenderet. Sed si quis propius hæc inspiciat, difficultatem hic non parvam inveniet: neque enim κρουσίμετροι hic locum habent. Ego puto Phocylidem scripsisse. σταθμὸν μὴ ποιεῖν ἑτερόζυγον, ἀλλ' ἴσον ἕλκειν. *Noli facere libram, cujus scapi altera pars gravior sit, sed fac hujusmodi libram, quæ æqualiter trahat.* Optime sic cohæret adversa sententia hujus versus: ἀλλὰ ποίει τὸν σταθμὸν ἴσον ἕλκειν, pro ἕλκοντα, vel ἵνα ἕλκῃ. quod novum videri non debet, præsertim in versu usurpatum. ἑτερόζυγος σταθμὸς, & ἴσον ἕλκων, opponuntur. Si σταθμὸς est ἑτερόζυγος, οὐχ ἕλκει ἴσον. Si ἴσον ἕλκων, οὐχ ἑτεροζυγεῖ. Nulla quidem vetusti scriptoris auctoritate ita loquor, sed tamen non sine ratione. Libra, cujus altera scapi pars longior sit, videtur non inconcinne dici posse ἑτεροζυγεῖν. quemadmodum illa dicitur ἑτερορρoπεῖν. *in alteram partem vergere.* At ὁμοζυγεῖν, si utraque librilis pars sit æqualis. Substituamus igitur in Apostoli loco hæc verba: μὴ γίνεσθε ὥσπερ σταθμοὶ ἑτερόζυγοι ἐπικλίνοντες τοῖς ἀπίστοις. *Nolite fieri velut iniquæ libræ, inclinantes ad infideles.* Aut ita tentemus. *Nolite fieri, velut altera jugi parte positi, contendentes elevare infideles.* Quæ singula, ut brevis sim, lector diligenter excutiat. Theophylactus hanc translationem, a libra sumtam, sequitur, sed non satis explicat. Ita enim *in hunc locum* commentatur. ἵνα μὴ δόξῃ δι' ἑαυτὸν ταῦτα λέγειν, δείκνυσιν, ὅτι διὰ τὸ ἐκείνων κέρδος χρῄζει τῆς φιλίας αὐτῶν, καὶ ὡσανεί φησι· τοῦτό ἐστι τὸ ἀγαπᾶν με, τὸ μὴ συναναμίγνυσθαι ὑμᾶς τοῖς ἀπίστοις καὶ ἀποκλίνειν πρὸς τὸ μέρος αὐτῶν. οὐκ εἶπε δὲ, μὴ συναναμίγνυσθε· ἀλλὰ, μὴ γίνεσθε ἑτεροζυγοῦντες, τουτέστι, μὴ ἀδικεῖτε τὸ δίκαιον, ἐπικλινόμενοι καὶ προσκείμενοι οἷς οὐ θέμις. τὸ γὰρ ἑτεροζυγεῖν, ἐπὶ ζυγοῦ ἀδίκου λέγεται, ὅταν ἡ μία πλάστιγξ βαρῇ. Montano interprete. *Ne propter seipsum ista dicere videatur, ostendit quod propter ipsorum lucrum illorum amicitia indiget, ita ferme inquiens: Hoc est diligere me, si non commisceatis vos infidelibus, nec ad eorum partes inclinetis. Non dixit autem*, non commisceamini, *sed*, ne ad alteram lancem inclinemini, *hoc est, justitiam injuria ne afficiatis, iis scilicet inclinati, & adhærentes, quibus non licet. Nam* ἑτεροζυγεῖν *de injusta libra dicitur, quando nimirum altera lanx gravior extiterit.* Verbum ἑτεροζυγεῖν explicat, ἀδικεῖν τὸ δίκαιον ἐπικλινόμενόν τινι. Ultima tamen ad meam explicationem, quam paullo ante posui, proxime accedunt: μὴ γίνεσθε ὥσπερ σταθμοὶ ἑτερόζυγοι, ἐπικλίνοντες τοῖς ἀπίστοις. Si omnia verba Theophylacti justa libra pendantur, quod lector eruditus faciet, confidere ausim, meam explicationem non deprehensum iri leviorem. Sed, ut brevis sim, transeamus ad secundam etymologiam, quæ petita est ab jugatis bobus. Hanc sequuntur Budæus, Erasmus, & reliquus omnis novorum Interpretum chorus. Budæus ita scribit: ἑτεροζυγεῖν *Apostolus secundæ ad Corinthios sexto pro* ὁμοζυγεῖν *dixit.* ζεῦγος *par significat. &* ζυγὸν *par boum jugatorum: quorum uterque* ἑτεροζυγεῖν πρὸς ἕτερον *dicitur.* μὴ γίνεσθε ἑτεροζυγοῦντες ἀπίστοις. *Nolite copulabiles esse infidelibus.* Duo in his verbis sunt animadvertenda. Primum, quod ἑτεροζυγεῖν putat idem esse quod ὁμοζυγεῖν. quod equidem manifesto falsum censeo, ut ex supra dictis perspicuum est. Nullus locus scriptoris antiqui, nullum compositum verbum reperitur, ubi vox ἕτερον habeat significationem τοῦ ὁμοῦ. ubique significationem diversitatis retinet. Deinde, quod verbum ἑτεροζυγεῖν explicat, alterum alteri conjunctum, seu jugatum esse. Dicit enim; *boum uterque dicitur* ἑτεροζυγεῖν πρὸς ἕτερον. Nusquam hæc phrasis ita reperitur: nec puto unquam ita usurpatam. Et cur non potius ad supra adductum Suidæ locum respexit Budæus, ubi boves inter se pugnare dicuntur; ἀπὸ τῶν βοῶν μὴ συμφώνως ἐργαζομένων. Hos certe longe melius ἑτεροζυγεῖν dicemus. Quo etiam faciunt hæc Suidæ: ζυγομαχεῖ, στασιάζει, ὡς οἱ βόες ἐζευγμένοι. μετῆκται δὲ ἡ λέξις ἀπὸ τῆς τῶν βοῶν πρὸς ἀλλήλους μάχης. Hoc est; ζυγομαχεῖ (quasi dicas, jugipugnat) *sub jugo pugnat, insurgit, sicut juncti boves. Est autem hoc verbum traductum a bobus inter se pugnantibus.* Erasmus vertit: *Ne jungamini eodem jugo cum infidelibus.* ἕτερον ipsi hic significat *idem*. Addit: *Incertum est, an Paulus dicat* ἑτεροζυγοῦντας, *qui alteram jugi partem sustinent, an qui cum diversæ conditionis homine jugum ducunt: veluti si equum ac bovem jugo copules.* Revera incertum est utrumque, & falsum, quod hic dicit Erasmus. Neque enim ἑτεροζυγεῖν dicuntur, vel, qui alteram jugi partem sustinent; vel qui cum diversæ conditionis homine jugum ferunt. Nec fidelis & infidelis juncti considerari possunt, tanquam equus & bos juncti. Si Suidæ locum vidisset, aliter hæc concinnasset. Nec ratione, nec auctoritate nititur Erasmi opinio. Beza transfert: *Ne impari jugo copulamini cum infidelibus.* Copulæ, & conjunctionis significationem retinet cum Budæo & Erasmo: sed cum hoc etiam impar jugum hic denotari putat. Si Latini sermonis proprietatem sequamur, idem hoc est, ac si dixisset: *Copulamini quidem cum infidelibus pari jugo; sed nequaquam, impari.* Sed planum est, eam Interpretis sententiam fuisse ac si scripsisset: *Ne copulamini cum infidelibus, quia impar futurum est jugum.* Sed si vel ita illa versio accipi posset: Pari quidem jugo copulari vos opto cum fidelibus; sed nequaquam impari jugo cum infidelibus; sermo tamen vitiosus esset. Neque enim revera jugo, seu pari, seu impari, copulantur, fideles cum infidelibus; sed per similitudinem. Quare Latine dixisset, addita particula velut. *Ne, velut impari jugo, copulamini cum infidelibus.* Ita enim, per figuram hoc dici, monstrasset. Porro ἑτεροζυγοῦντας, inquit, *recte tradidit Erasmus, vocari, qui quum sint diversæ conditionis, tamen in eodem opere mutuam operam præstant.* Sed hujus interpretationis tum rationem, tum auctoritatem desideramus. Vulgatæ auctor quum in verbum novum hic incideret, Latinum, quod illi responderet, non invenit. Pluribus itaque interpretandum id fuerat. Vertit:

Nolite jugum ducere cum infidelibus. Qui sermo, unde translatus sit, fateor me ignorare. Neque enim Latinus esse videtur: quamvis, hunc sequendo, Erasmus etiam ita loquatur. Breviter nunc repetam, ex mea sententia, hujus loci explicationem. Non contenderetis cum infidelibus, quia ne conversari quidem cum illis conceditur. Quæ enim communio potest esse justo viro cum iniquo? Primario verbum ἑτεροζυγεῖν significat dissensionem ac discrepantiam, ob vocem ἕτερον; sed remigationis, ob verbum ζυγεῖν. *Ne, velut remiges, impari & inæquali remigatione, (cum jam ab uno latere, in unam partem; jam in alteram partem, ab altero latere, navem impellunt) contendite cum infidelibus.* Sequitur inde significatio consessus Firmamenta meæ opinionis. Primum, Herodoti auctoritas, qui verbum ζυγομαχεῖν de remigibus dictum censet. Alterum, locus Heliodori, qui verbum ὁμοζυγεῖν de pari remigatione usurpat. Tertium, explicationis meæ concinnitas, quæ Apostoli loco, II. *ad Corinth.* cap. VII. *vers.* I. ubi hanc adhortationem concludit, confirmatur. καθαρίσωμεν ἑαυτοὺς ἀπὸ παντὸς μολυσμοῦ σαρκὸς καὶ πνεύματος. *mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus*: quam puritatem consequemini, si caveatis ἑτεροζυγεῖν τοῖς ἀπίστοις. Quartum, Aliorum Interpretum dissensio, quorum nullus explicationem, quæ verbo ipsi respondeat, profert.

VII. Ex Athenæo locum adducere possem, quo transtra medio navis locata fuisse monstrantur; sed alio tempore commodius illum sum expoliturus. Ultimo adducam locum ex Philopatore; quomodo Hieronymus vocasse videtur librum, quem vulgo *tertium Macchabæorum* adpellant. Ita autem illius auctor cap. IV. *vers* 8. ex mea emendatione. κατήχθησαν δὲ θηρίων τρόπον ἀγόμενοι σιδηροδέσμοις ἀνάγκαις. οἱ μὲν τοῖς ζυγοῖς τῶν πλοίων προσηλωμένοι τοὺς τραχήλους. οἱ δὲ τοὺς πόδας ἀρρήκτοις κατησφαλισμένοι πέδαις, καὶ τῷ καθύπερθεν πυκνῷ σανιδώματι ἐπικειμένῳ. ὅπως πάντοθεν ἐσκοτισμένοι τοὺς ὀφθαλμοὺς, διαγωγὴν ἐπιβούλων ἐν παντὶ τῷ κατάπλῳ λαμβάνωσι. τούτων δὲ ἐπὶ τὴν λεγομένην Σχεδίαν ἀχθέντων, καὶ τοῦ παράπλου περανθέντος, καθὼς ἦν δεδογματισμένον τῷ βασιλεῖ, προσέταξεν αὐτοὺς ἐν τῷ πρὸ τῆς πόλεως ἱπποδρόμῳ παρεμβαλεῖν. Quæ ita verto: *Deducti autem sunt velut bestiæ; primum quidem ad naves compulsi ferreis vinculis: deinde transtris earum alii clavis adfigebantur per collorum vincula; aliorum pedes validissimis nervis vinciebantur; plurimisque tabulis superimpositis custodiebantur: ut obtenebratis undique oculis tota hac navigatione ad inferiora, tanquam læsæ majestatis rei, vitam traducerent. Classe igitur Schediam, quod vocatur oppidum, adpulsa, & reliqua navigatione per mare, præter terram,* Alexandriam usque, *perfecta, ex decreto regio, jussit porro, ut in hippodromum, qui ante urbem est, conjicerentur.* Non pauca hic monenda sunt: quædam alio loco commodius proferentur. Primum, illud annotabo, intelligendum hunc locum esse, ac si ita legeretur. κατήχθησαν δὲ θηρίων τρόπον, πρῶτον μὲν ἐπὶ τὰ πλοῖα ἀγόμενοι σιδηροδέσμοις ἀνάγκαις. ἔπειτα δὲ, οἱ μὲν τοῖς ζυγοῖς αὐτῶν. quod interpretando observavi. Verbo κατήχθησαν significatur κατάπλους per Nilum, Alexandriam usque. Deinde, quod necessario scribendum putem ἐπικειμένῳ, pro διακειμένῳ, sublata vocula ἔτι ante verba, καὶ τῷ καθύπερθεν. & διαγωγὴν, pro ἀγωγήν. quæ duo menda hactenus omnes editiones deturparunt. Originem autem suam habuisse videntur ex hujusmodi scriptura;

ἐπὶ καὶ τῷ καθύπερθεν πυκνῷ σανιδώματι
δια κειμένῳ· ὅπως πάντοθεν ἐσκοτισμένοι τοὺς ὀφθαλμοὺς
ἀγωγήν.

Tertio hic notabo, vocabulum πλοῖα significare hic *naves bellicas.* Ita hujus auctoris tempore, & sequentibus, hoc nomen usurpatum est Polybio, Diodoro, aliisque scriptoribus, qui onerariam vocant ὁλκάδα. Interdum additur, πολεμικόν. ut I. *Maccab.* XV. *vers.* 4. κατεσκεύασα πλοῖα πολεμικά, *paravi naves bellicas.* sed rursus abest, eodem capite *vers.* 14. τὰ πλοῖα ἀπὸ θαλάσσης συνῆψε. *naves a mari accesserunt*; videlicet, *bellicæ.* At Xenophon, aliique scriptores Attici, navem bellicam vocant, ναῦν. aut, ναῦν μακράν. onerariam autem, πλοῖον. Hoc autem loco bellicas intelligi naves, etiam inde colligitur, quod onerariæ non semper tanto numero haberi potuissent: nec solum cum magno mercatorum damno centum onerariæ, si tot eo loco adfuissent; in hunc usum retentæ fuissent; sed etiam magno regis sumtu conductæ. Accedit, quod onerariæ, magnæ hominum multitudini transportandæ, incommodæ essent; at commodissimæ, bellicæ: ut quæ toto suo alveo sedilia ad latera, & transtra medio navis, collocata haberent. Itaque parvæ naves bellicæ majorem hominum multitudinem collocare poterant, quam onerariæ, licet longe majores. Denique onerariæ, quod altiores essent, cum tam levi onere difficulter navigassent. Ex hac historia planum est, non parvam, ea tempestate, Judæorum frequentiam fuisse in Ægypto. Illis enim temporibus Judæi, cum militari laude, tum fidelitate erga reges, atque populos, qui opera eorum utebantur, florebant. Plurimi eorum huic regi militaverant in eo bello, quod adversus Antiochum magnum gessit. Quo finito, distributi fuerunt in præsidia urbium & castella, præsertim superioris Ægypti. Sed ob leges, & vitæ instituta, quibus ab omnibus gentibus discrepabant, etiam Ægyptiis erant exosi. Philopator Hierosolymis offensus ab Judæis, qui adytis templi sanctissimi ipsum prohibuerant, crudele decretum, de tollendis omnibus Judæis, qui in regno suo vivebant, fecerat. Postquam igitur crudele mandatum, ad præfectos regios urbium nomorumque, perlatum esset, ut Judæos omnes cum uxoribus ac liberis conquirerent, & Alexandriam devehendos curarent, narrat hic Judæus, scriptor eloquens, quam atrox illius mandati fuerit executio. Sed ut numerum miseri illius populi aliquo modo ineamus; ponamus senes, mulieres ac pueros, simul quadruplo plures fuisse viris robustis, ac juvenibus, qui militari ætate essent. Deducti fuerint cum sex millibus virorum robustæ ætatis, viginti quatuor millia cæteræ multitudinis. Parva illa proportio videri debet, ut & numerus omnis illius populi, quem vel duplo majorem fuisse aliquis opinari possit. Centum triremes triginta millibus hominum deportandis comparandæ erant, si trecentos in singulas impositos credamus. Nec dubium esse potest, quin leviores naves, τὰ ὑπηρετικὰ πλοῖα, & triremes, militaribus copiis, magnoque populo transportando, inservierint. Itaque in singulas impositos statuamus sexaginta robustos viros, & ducentos quadraginta ætatis atque sexus imbellis. Triremium illarum statio fuit Ptolemaidæ, quæ ῥοδοφόρος *rosifera* vocabatur. Huc primum ex urbibus omnibus, atque locis, acti fuere Judæi, vincti, præsertim ferociores juvenes, loris & catenis, ne aufugerent, aut atrociter adversus ministros regios insurgerent. In naves deinde impositos narrat hic scriptor; sed ea contumelia, & inhumanitate, ut non modo colla quorundam, circumdata funibus, transtris af-

A figerentur, pedesque aliorum vinculis firmissimis constringerentur; sed etiam plurimæ tabulæ navi superimponerentur. Itaque miseram in tenebris vitam, toto illo navigationis tempore traduxerunt; velut facinorosi homines, qui læsæ majestatis crimine attacti, dirissima quæque meruissent. Hæc autem ita mandato regis administrabantur, & necessario ita agenda regiis ministris videri poterant; quando milites singulis navibus, custodiæ caussa, addere nollent. Senes, pueri, omnisque sexus muliebris, dubio procul liberius, saltem sine vinculis, egerunt. Cæterum juvenes transtris adfixi fuerunt, ut, Nilo devecti, postquam infra verticem ipsius Delta, ubi Nilus in duo B brachia scindebatur, descendissent; remis, sedentes in transtris, manus admoverent. Vehemens enim Nili fluxus divisione illa, infra Delta necessario minor fuit, eoque magis decrevit, quo propius a mari abesset. In transtris autem quum liberius sederent remiges, quam ad latera navis, remos quoque majoribus viribus adducere potuerunt. Et zygita remo suo magis navem impellebat, quam alteruter remigum lateralium; quod remi partem, quæ intra navem maneret, longe majorem ille quam hi tenerent. Necesse porro erat, ut non solum manus, sed etiam pedes remigum C liberi essent, nec vinculis impedirentur. Quare colla duntaxat juvenum; seu vincula, quæ collis circumdata erant, transtris adfigebantur; & quidem clavis, ne solvi possent. Remi autem, non tantum ut celerior per Nilum navigatio esset, adhibendi erant; sed etiam ut reliquum navigationis, a Schedia per Canopicum ostium circumvecti, Alexandriam usque, absolverent. Itaque spatium illud quinque milliarium Germanicorum, quod erat inter ostium Canopicum & Alexandriam, remis erat conficiendum, si ventus secundus non esset. Hoc proprie admodum dicit hic scriptor, D τοῦ παράπλου περαιωθέντος, *navigatione præter oram Ægypti perfecta.* Cæterum difficile non est, caussas invenire, cur necessario per ostium Canopicum circumnavigandum fuerit. Quamvis enim Schedia, quatuor milliaribus Germanicis distans Alexandria, διώρυγα *fossam* haberet, qua navigia minora Eleusinem ibant (qui pagus medio milliari Alexandria aberat) uti tamen hac commoditate majores naves non potuere. Primum enim, quum fossæ non magnæ latitudinis esse soleant, ob sumtuum in iis fodiendis magnitudinem; centum triremes illam fossam ita arctam reddidissent, ut navigiis, quæ quotidie E inter Schediam & Eleusinem commeare solerent, via plane obstructa foret. Deinde, quum simplici ordine, ideoque agmine longissimo, per fossam subduci triremes illæ debuissent, spatium medii milliaris Germanici occupassent: quod exscensum e navibus difficilem ac laboriosum fecisset. Accedebat, quod triremes illæ sua navalia haberent in magno portu Alexandriæ, non procul ab hippodromo. Quod hic Judæus dicit, τὸ πυκνὸν σανίδωμα, verti, *tabulas multas.* Neque enim tectas fuisse naves dicere voluit; sed tabulas superimpositas habuisse, quæ non difficulter removeri possent. Quod alias commodum admodum fuit, F cum ut interdiu sol vehementior non læderet, tum ut noctu frigus arcerent. Certe eloquentior fuit hic auctor, quam ut ignorare potuerit, quid esset κατάστρωμα. Nec dicit ἁρμογὰς σανίδων, aut θυρώματα. Verba, ἐπὶ τὴν λεγομένην σχεδίαν, verti; *Schediam, quod vocatur oppidum.* Male omnes Interpretes; *ad dictum navigium.* Mirum videri possit, ita hic errasse Interpretes, qui Ariam Montanum secuti sunt; ut inter *naves bellicas*, quarum mentio præcessit, & navigium, seu potius *ratem unam*, ut vertere debuissent, nullum discrimen putarent. Si Strabonem *l.* XVII. vel obiter inspexissent, hallucinari hic non potuissent. Vidi tamen, quum, quæ aliorum de difficilibus quibusdam locis sententia esset, inquirerem; primum me non esse, qui hoc observarit, sed jam inde adnotasse Hugonem Grotium, virum cum meritis in patriam, tum literarum quoque gloria celeberrimum. Cætera, quæ hic monenda sunt, & corrigenda in Strabone, atque ejus Interprete, alio loco sum producturus.

Hactenus ostendere conatus sum, cujus formæ naves fuerint antiquorum triremes, quadriremes, & quinqueremes: præterea, quibus veterum scriptorum locis opinionem meam, de mediæ navis remigibus, nunc denuo reductis, firmare possim. Sed quum maxima quæstio reliqua sit; an unquam hujusmodi naves fuerint ædificatæ, & in altum processerint, præliisque navalibus interfuerint: ostendam porro veterum scriptorum locis quibusdam, & ædificatas ejusmodi fuisse naves, & in pugnis quoque navalibus magnum sui usum præbuisse. Dubitatum autem a quibusdam, etiam sapientibus viris, fuit de maximæ formæ navibus, an unquam fuerint fabricatæ; aut, si ædificatæ fuerint, num in altum unquam processerint, ut de Philopatoris quadraginta ordinum navi, quæ amplius quatuor millia remigum requirebat, a quibus impelleretur: de triginta ordinum navibus Ptolemæi Philadelphi, quarum singulæ tria millia remigum poscebant: de viginti ordinum navi ejusdem regis, quam duo millia remigum requisisse puto: quæ naves quum inusitatæ magnitudinis essent, præsertim illa tettaraconteris, in certamen navale difficulter agi potuissent. Secundæ magnitudinis naves, ab heccædeceri ad decerem, admirandæ quidem magnitudinis fuere, sed non incredibilis: remis autem actæ leguntur. Tertiæ magnitudinis, ab decere ad quinqueremem, fuere quidem magnæ, sed a regibus in præliis navalibus adhibitæ. Quartæ magnitudinis voco naves longas, frequentissimi usus in navalibus pugnis; quinqueremes, quadriremes, & triremes: quæ rebuspublicis præcipue in usu fuere, cum quod commodæ magnitudinis essent, ideoque agiles; tum quod illis instruendis non adeo magnæ impensæ requirerentur. Harum autem navium difficilem fuisse cognitionem, non est mirum. Quis enim ex omnibus illis, qui ad hoc usque tempus de Veterum navibus scripserunt, eam difficultatem de remis, qui ex ipsorum sententia enormis longitudinis fuere, sustulit? Omnes hanc rem ita attigerunt, ut satis faterentur, quid de ea statuendum esset, se nescire. Præterea remigum numerus, quadringenti, quingenti sexaginta in una navi, octingenti, mille ducenti octoginta, fabulis quam historiæ propiores veterum scriptorum narrationes facere videbatur. Sed vera esse omnia, quæ scriptis eorum prodita leguntur de bellicis navibus, magnis, parvis; feci, ut unusquisque nunc adsequi possit, inventis zygitarum locis, & commoditate movendi manus suas cum remis, sub sedilibus proxime ante sedentium remigum. Accedam primum ad triremem, minimam earum, quæ frequentissimi usus fuere in pugnis navalibus; ostensurus, cujus magnitudinis navis fuerit, invento remigum numero, qui eam egerunt. De antiqua autem triremi, ante Alexandri magni tempus usitata, nunc loquor. Majorem hanc fecit Salmasius, quam vulgo antiquis in usu fuerit. Putat enim in *Observationibus ad Jus Atticum* pag. 672. triremem vulgo habuisse quinquaginta sedilia in singulis versibus; trecentos, omnes remiges. Sed nulla auctoritate, aut ratione evidenti, hoc prodidit. Quare hanc rem ex tribus antiquis-

mis scriptoribus clarissime proponam, & ostendam, antiquam triremem habuisse ducentos, tum nautas, tum milites: qui numerus navigantium in una triremi, per multa sæcula, interni maris accolis in usu fuit. Herodotus *lib.* VII. postquam classem Xerxis, mille ducentarum septem triremium enumerasset, in qua navigarint bis centena quadraginta unum millia hominum, & insuper quadringenti; addit majoris explicationis caussa: *ὡς ἀνὰ διηκοσίους ἄνδρας λογιζομένοισι ἐν ἑκάστῃ νηΐ. ducenos supputando viros in singulis navibus.* Quem numerum navigantium in una triremi, & alio loco idem prodidit. Thucydides *libro* VIII. eundem virorum numerum triremi tribuit. Verba ejus, ut nunc edita sunt, & in antiquo scripto libro meo leguntur, hæc sunt: *ὅμως δὲ παρὰ πέντε ναῦς πλέον ἀνδρὶ ἑκάστῳ ἢ τρεῖς ὀβολοὶ ὡμολογήθησαν· ἐς γὰρ πέντε ναῦς καὶ πεντήκοντα, τρία* (scribendum esse *τριάκοντα*, planissimum faciam) *τάλαντα ἐδίδου τοῦ μηνός. καὶ τοῖς ἄλλοις, ὅσῳ πλείους νῆες ἦσαν τούτου τοῦ ἀριθμοῦ, κατὰ τὸν αὐτὸν λόγον τοῦτον ἐδίδοτο.* Interpretum nullus hunc locum recte vertit: partim quod non viderint, verbum unum ibi esse mutilatum; partim etiam quod non intellexerint verba, *παρὰ πέντε ναῦς πλέον.* Vallæ hæc est interpretatio: *Conventum est inter eos, ut præter quinque naves, plus quam terni oboli viritim solverentur. Nam quinque & quinquaginta navibus terna talenta in singulos menses dabat cæteris navibus, quæ ultra hunc numerum essent, ad hanc ipsam rationem solvebatur.* Viti Vinsemii ista: *Pacti sunt, ut exceptis quinque navibus, plus singulis quam tres oboli præberentur. Nam in naves quinque & quinquaginta terna talenta præbebat singulis mensibus, aliisque quanto plures essent, dabatur secundum eandem hanc rationem.* Adponit in margine hanc annotationem. *Summa hæc est* 99000. *coronatorum in singulos menses.* Quoniam hic ago de Veterum navibus, puto non esse præter rem, in veram hujus loci sententiam inquirere. Præterquam enim quod triremium magnitudinem evidenter inde cognoscemus; etiam illud liquebit, quanti sumptus illis temporibus faciendi essent, in navali militia sustentanda. Monendum igitur hic primo est; Atticum talentum; ad cujus rationem stipendium accipiebant Lacedæmonii; habuisse minas sexaginta: minam, drachmas centum: drachmam, obolos sex. Quare Atticum talentum valuit sex millia drachmarum; & triginta sex millia obolorum. Drachma circiter pars octava est thaleri, ut vocant, imperialis; seu, valet sex solidos Lubecenses; paullo plus quam sex styveros: ita ut Græcorum obolo ferme styverus respondeat. Mina igitur valet circiter 12½ thaleros imperiales: & talentum, 750. Vinsemius talenti valorem facit 600. coronatorum, seu 900. thalerorum: quorum valor ipsius tempore erat 40. solidorum Lubecentium. Coronatus autem valet sesquithalerum. Sed nimium talenti valorem facit Vinsemius. Deinde notandum, bene quidem Vinsemium intellexisse, LV. fuisse Lacedæmoniorum triremes: sed admodum errare, dum in singulas triremes, singulis mensibus, data putat talenta tria. Ita enim supputat. Quinquaginta quinque, ter sumta, faciunt centum sexaginta quinque. His ductis in 600. exsurgunt coronati 99000. Numerum remigum atque militum, in singulis triremibus, non posuit Vinsemius; quia ignoravit. Quem, si scisset, maximum fuisse ducentorum virorum; vidisset, quemque singulis mensibus stipendium, ex sua sententia, habiturum fuisse, undecim imperialium thalerorum & quadrantis. Quod profecto ingens stipendium, & inauditum, non modo illo sæculo, sed & prioribus fuisse, non temere affirmare

A ausim. Nullo ævo aut ea caritas fuit rerum ad sustentandam vitam necessariarum; aut tanta argenti copia, ut adeo magno stipendio milites, aut remiges, alerentur. Unius atque alterius mensis stipendio onustus remex, aut miles, naves deseruisset. Hic error inde originem habuisse videtur, quod Græca verba corrupta esse, non animadverterit Vinsemius. Si enim scriptum hic reperisset, sicut dubio procul scripserat Thucydides: *ἐς γὰρ πέντε ναῦς καὶ πεντήκοντα, τριάκοντα τάλαντα ἐδίδου τοῦ μηνός. In quinquaginta quinque naves præbebat triginta talenta singulis mensibus*: aut ipse, aut alius, divisione facta, reperisset, in singulas naves
B datas esse, singulis mensibus talenti sex partes undecimas, seu obolos 19636$\frac{4}{11}$. paullo plus quam dimidium talentum. Sed & præcedentia Thucydidis verba, in quibus *τριωβόλου* mentionem facit, statim veram hujus loci sententiam aperuissent. Unde etiam faciliora intellectu fuissent verba præcedentia, *παρὰ πέντε ναῦς πλέον*, quæ perperam vertit Vinsemius, *exceptis quinque navibus.* Vocula *præter* hic retineri potest, sed ut significet *supra.* Quippe naves V. non excluduntur, sed includuntur. Super cæteras naves, quæ classem Lacedæmoniorum efficiebant, quinque amplius computa-
C bantur. Quod si ex Herodoto jam ante didicissent, remigum militumque numerum in singulis triremibus, omnia hic facilia fuissent. Certo enim constitisset, in quinquaginta quinque navibus fuisse undecim millia virorum. Præterea ex hoc Thucydidis loco videre poterant, summum nautæ stipendium in singulos dies fuisse drachmam Atticam; minimum, triobolum. Ita enim pactus fuerat Persarum rex cum Lacedæmoniis, ut in singulas naves, quibus ducenti viri veherentur, primo mense præberet talentum integrum, hoc est, pro diurno stipendio singulis nautis drachmam; sed insequentibus mensibus, solum dimidium talentum,
D seu XXX. minas; ut diurnum nautæ stipendium fieret media drachma, seu tres oboli, qui tribus circiter styveris respondent. Apertissime hoc docet Thucydides *eodem hoc loco.* Ita enim paullo ante dixerat: *μηνὸς μὲν τροφὴν, ὥσπερ ὑπέστη ἐν τῇ Λακεδαίμονι, ἐς δραχμὴν Ἀττικὴν ἑκάστῳ, πάσαις ταῖς ναυσὶ, διέδωκε. τοῦ δὲ λοιποῦ χρόνου ἐβούλετο τριώβολον διδόναι, ἕως ἂν βασιλέα ἐπέρηται. ἢν δὲ κελεύῃ, ἔφη δώσειν, ἐντελῆ τὴν δραχμήν. Menstruum stipendium navibus numeravit, singulas viritim drachmas Atticas: volens in reliquum tempus solvere ternos obolos, donec regem consuluisset, soluturus (ut dicebat) si ille jussisset, integras drachmas.* Vide-
E mus drachmam Atticam, singulis nautis totius classis Lacedæmoniorum præbitam fuisse a Persis, quemadmodum fœderis, Lacedæmone percussi, lex hac de re volebat; sed in posterum cavebat Tissaphernes, se ex pacto tres obolos tantum daturum. Sed quod conquesti essent, præsertim Syracusani, de stipendii exiguitate, promiserat Tissaphernes, se hac de re scripturum ad regem. Si juberet ille, numeraturum se vel integram drachmam. Hæc plena æquitatis & moderationis erant. Neque enim aut Tissaphernes plus dare poterat, quam fœdere convenerat; aut Lacedæmonii, eo-
F rumque socii, plus poscere. Utrinque mandata nova adesse debebant, ut leges novas facerent. Certum autem est ex illorum temporum scriptoribus, stipendium trium obolorum in singulos dies minimum fuisse, quod nautæ dari consuevisset. Accepere postea obolos quatuor: quamvis jam ante ad drachmam illud adscendisset. Syracusani, Lacedæmoniorum socii, non contenti erant tribus obolis; & dubio procul Lacedæmoniorum quoque nautæ de tam exiguo stipendio conquesti fuerant. Tissaphernes, vir prudens, ne Syracusanos offenderet;

præterea, ut alacriores redderet Lacedæmonios; Quamquam, inquit, mihi integrum non est, mutare legem, qua de nautarum stipendio Lacedæmone convenit; tamen vestris sollicitationibus motus, hoc in me recipiam, ut, donec responsum a rege, ad quem hac de re scripsi, accepero, stipendium illud aliquantum augeam. Quinquaginta quinque naves habetis: solvam, ac si naves haberet sexaginta. In quinquaginta quinque naves, quibus undecim millia virorum vehuntur, accepturi eratis in posterum, ex lege, singulis mensibus, talenta viginti septem semis. Sed dabo interim triginta talenta: hoc est, solvam, ac si duodecim millia virorum in sexaginta navibus veherentur. Quum singulis mensibus nauta, ex pacto, accepturus esset obolos XC. accipiet nunc obolos XCVIII. & duas undecimas oboli partes. Vos nautæ stipendium petitis quatuor obolorum in singulos dies, seu, menstruum stipendium in quinquaginta quinque naves, talenta triginta sex, & duas tertias partes; cum tamen ex lege solum petere possitis tres obolos singulis nautis; & menstruum toti classi stipendium, talenta viginti septem semis. Ego ad triginta talenta, nullo quidem regis mandato, sed mea in vos benevolentia, pervenire ausim. Hoc stipendium ad illud, quod Vinsemius ponit, est in ratione 1 ad $5\frac{1}{2}$, seu 2 ad 11. Quando, ex meo calculo, nauta accepit duos obolos; Vinsemius ipsi datos putavit obolos undecim. Enorme stipendium, quod nunquam datum est, nec forsan dabitur unquam; utcumque princeps, aut respublica argento abundet. Hinc emendationis meæ certitudo perspicitur: quæ adhuc magis perciperetur, si de rerum pretiis, illa tempestate, hic differere instituerem. Sed necessario verba Thucydidis ita emendanda esse, ex Xenophonte, proximi sæculi scriptore, planissimum faciam. Hic enim *Græcar. historiar. lib.* I. scribit: Postquam Cyrus, Darii nothi filius, in Asiam venisset; sex annis post illud tempus, de quo præcedentia Thucydidis verba loquuntur; Lysandrum, classis Lacedæmoniæ navarchum, ad eum accessisse, & conquestum esse de exiguo nautarum stipendio, quod illo tempore rursus erat trium obolorum in singulos dies. Respondisse Cyrum; se pactorum leges, absque mandato regio, excedere non posse. Pacto enim convenisse, ut singulis mensibus in singulas naves, darentur minæ XXX. seu, nautæ cuique, singulis diebus tres oboli. Verba Xenophontis hæc sunt. *εἶναι δὲ καὶ τὰς συνθήκας οὕτως ἐχούσας, τριάκοντα μνᾶς ἑκάστῃ νηΐ τοῦ μηνὸς διδόναι, ὁπόσας ἂν βούλωνται τρέφειν Λακεδαιμόνιοι. Pacta quoque jam antea inita esse, in quibus diserte contineretur, ut mensibus singulis, unicuique navi triginta solverentur minæ: essetque in arbitrio Lacedæmoniorum, ut quotquot vellent, instruerent.* Triginta minæ; seu, dimidium talentum Atticum, habet drachmarum tria millia; vel, obolorum millia octodecim. Hæc divisa inter ducentos nautas, menstruum stipendium faciunt, XC. obolorum; & diurnum, obolorum trium. Subjungit Xenophon: Cyrum post cœnam, præbibentem Lysandro, interrogasse; Quidnam maxime gratificari ipsi posset. Respondisse Lysandrum: si nautæ cuique, singulis diebus, unum obolum amplius daret. Ab eo tempore, addit Xenophon, nautæ stipendium diurnum fuisse quatuor obolorum, quod antea trium fuisset. *εἰ πρὸς τὸν μισθὸν ἑκάστῳ ναύτῃ ὀβολὸν προσθείης. ἐκ δὲ τούτου, τέτταρες ὀβολοὶ ἦν ὁ μισθὸς, πρότερον δὲ τριώβολον. Si stipendio cujusque nautæ obolum adjicias. Fuitque inde stipendium obolorum quatuor, quum antea trium fuisset.* Hæc verba, cum superioribus collata, ducentorum nautarum, in singulis triremibus, numerum adeo certum faciunt, ut ne minima quidem dubitatio

A relicta sit. Tria enim superiori loco dicit Xenophon, paucissimis verbis. Primo, *τριάκοντα μνᾶς, triginta minas.* Deinde, *ἑκάστῃ νηΐ, cuique triremi.* tertio, *τοῦ μηνὸς, mense quoque.* Hic quarto addit, *τριώβολον, tres obolos.* Tribue triginta minas, seu 18000. obolos, in mensis dies; exsurgent 600. His iterum divisis per tres obolos, habebimus 200. nautarum in singulis triremibus numerum. Clarius Thucydides, ac Xenophon, rem suo sæculo notissimam, significare non potuissent; nisi, sicut Herodotus, disertis verbis, ducenos nautas singulis in navibus fuisse, addere voluissent. Miratus itaque sum, quum forte in Palmerium, qui horum
B locorum tum emendationem, tum explicationem tentavit, inciderem, qui ad tam absurdam sententiam devenire potuerit, ut statueret, remiges simul ac milites in quaque navi, vetusti illius modi, fuisse solum centum quinquaginta. In Thucydidis locum ita scribit. *Numerus non quadrat, & immensum quantum deficit: forent enim tantum in unamquamque triremem, ter centum & viginti septem drachmæ in mensem, quod foret in diem decem drachmæ paulo plus: absurdissimum. Sed aliter legendum est, & plures emendationes occurrunt. Vel enim legendum est, ἐς γὰρ πέντε ναῦς τὰ πεντήκοντα,*
C *nimirum in quinque naves tria talenta, quod erat unicuique nautæ plusquam triobolum diurnum: vel delendum τὸ πεντήκοντα, & idem erit. Vel si hoc non placet, pro τρία τάλαντα legendum τριάκοντα. Et quoquo modo ex his tribus emendationibus legatur, nihil emerget absurdi.* Quid est hariolari, si hoc non est? Plures unius loci emendationes profert. Quum ultimo, velut in tenebris oberrando, veram forte comprehendisset; illam tamen, nescio qua caligine impeditus, agnoscere non potuit. Dicit, quoquo modo ex his tribus emendationibus legatur, nihil emerget absurdi. Certe, ex ipsius opinione, nihil veri. Quod præcipue ex Xeno-
D phontei loci explicatione adparet; ubi *Hinc*, inquit, *colligitur numerus epibatarum & nautarum in unaquaque nave. Scilicet centum quinquaginta numerus exurgeret, ni restringendus esset ob trierarchos, gubernatores, & alios, qui aliquo honestiori officio in nave fungebantur, qui procul dubio plus accipiebant quam cæteri.* Calculum ita posuit Palmerius. Triginta minas, seu obolos 18000. tribuit in triginta, quot sunt mensis dies: exsurgunt 600. Hunc numerum dividit per 4. obolos, quot singulis diebus nova illa largitione nautæ accipiebant. Proveniunt 150. nautæ. Contra quam facere debuerat, pecuniam ab rege dandam non auget, sed
E nautas minuit. Quid ergo petiit Lysander? Si centum quinquaginta nautis navigare posset, aut liceret; quid opus erat sollicite instare de augendo nautarum stipendio? Sed hujus sententiæ absurditas quum apertissima sit ex supra dictis, nolo hic plura addere: quamvis pluribus castigationibus ipsius verba indigerent. Porro ex ducentis illis viris, qui antiquæ formæ triremi vehebantur, statuo centum octoginta fuisse remiges. Cæteros viginti partim milites, partim ministerio alicui præfectos. Quippe præter trierarchum, & gubernatorem, fuere proreta, portisculus & tubicen. Quos,
F nescio, an non omnes quoque armatos fuisse credam, & adversus adpropinquantes hostes pugnasse: sicut thranitæ, ceu summi remiges, fecerunt, qui ad latus sedebant: qui Thucydidi propterea *αὐτερέται, pro-remiges* dicuntur. Hi enim milites erant, sed quod remos simul tractarent (id autem nonnisi a robustis viris præstari poterat) ideo & grandiori stipendio gaudebant. Cæterum plenas remigum fuisse triremes, in quibus exiguo, nec tamen angusto spatio ordine sederent, docet nos Xenophon *Memorabilium lib.* V. ἐν τριη-

A

ρης δέ τοι ἡ σεσαγμένη ἀνθρώπων, διὰ τί ἄλλο φοβερό. ἐςι πολεμίοις, ἢ φίλοις ἀξιοθέατον, ἢ ὅτι ταχὺ πλεῖ, διὰ τί ἄλλο ἄλυποι ἀλλήλοις εἰσὶν οἱ ἐμπλέοντες, ἢ διότι ἐν τάξει μὲν κάθηνται; ἐν τάξει δὲ προνεύουσιν; ἐν τάξει δ' ἀναπίπτουσιν; ἐν τάξει δ' ἐμβαίνουσι καὶ ἐκβαίνουσι; *Sed & triremis, remigibus instructa, quam aliam ob caussam vel hostibus terrori est, vel jucundum spectaculum sociis, nisi ob celeritatem? Quam aliam ob caussam nautæ sibi invicem molesti non sunt, nisi quod ordine sedeant? ordine procumbant, & ordine recumbant? nisi quod ordine conscendant & escendant?* Hic locus revera memorabilis est, cum fabricam triremis, tum remiges, qui ordine in ea

B

sedent, & ordine omnia agunt, describens. Primum dicit celeres fuisse. Celeritatem autem triremis habuit, partim a forma sua; quia longa fuit, partim a remigum multitudine; quippe σεσαγμένη ἀνθρώπων, *instructa viris*, probe repleta remigibus, robustis, & exercitatis. Deinde in tanta remigum multitudine nullas esse dicit dissentiones ac lites; quia ordine sedeant; hoc est, quia singuli, quantum satis sit loci, ab omni parte habeant. Inde enim fit, ut medii, nec qui ante ipsum sedet, pectori nimium adpropinquet; nec tergo, qui post ipsum; nec lateri, qui ad latus se-

C

det zygita. Tertio, spectatu dignum tot remigum consessum dicit; quia ordine procumbant, remos simul propellendo in aquam; & item ordine recumbant, remos simul adducendo. Si enim præter ordinem, ut cuique videatur, remigare instant remiges, ita ut thranita recumbere velit, quando procumbit thalamita; remumque suum zygita quoque alieno tempore moveat; repente ex illo ordinis neglectu pulsationes, clamores, ministerii impedimenta orientur. Denique addit, tantam remigum multitudinem ordine conscendere triremem, & ordine item escendere. Nisi enim id observetur, ut ordine navem ingredian-

D

tur; primum thalamitæ, qui inferiora sedilia ad latus occupant; deinde thranitæ, qui sedilia superiora; denique zygitæ, qui medio navis ab utraque parte in transtris sedent; pulsationum, rixarum, vociferationum ac tumultuum omnia plena forent. Intrando pauci sua loca tenerent: quippe vi ad thalamitæ locum detruderetur thranita; & inter zygitas thalamita conspiceretur. Et festinatione illa importuna non modo non citius ad loca sua descendent remiges, sed etiam longe tardius, quam si ordine, alii post alios ingrediantur. Exeundo quisque prævertere stude-

E

bit; unde futurum est, ut remi partim frangantur, partim disjiciantur. Nec raro accidet, ut alii alios in mare deturbent, quod quisque aut locum, aut aliam commoditatem lucraturus sibi videatur, si prior sit. Impediendis utique remigum ministeriis, fovendæque omni nequitiæ foret ordinis contemtus. Has ob caussas inventum est, ut ordine omnia agere cogantur remiges. Ordo præcipue est, qui admirabiles facit triremes. Facit enim ut cito mare sulcent. Nec quidquam est, quod hostibus metum magis incutiat, quam navium celeritas, si suæ tardiores sint; nec quod lætiores reddat socios, quia victoriam hoc ipso præcipiunt; quæ ab ordine bono, & virtute re-

F

migum, magna ex parte pendet. Omnia, o mea uxor, inquit Ischomachus, ordo pulcra, facilia, imo admirabilia facit: contra ordinis neglectus, fœda omnia, difficilia, & damnosa reddit. Atque hoc sequentibus temporibus, in grandibus illis navibus, quæ mille amplius remigum habebant, adhuc magis observari potuit. Alium porro locum Xenophontis adducam ex secundo *Græcarum historiarum* libro, qui manifesta reddat loca diversorum remigum in triremi. Κόνων δὲ, ἰδὼν τὸν ἐπίπλουν, ἐσήμηνεν, ἐς τὰς ναῦς βοηθεῖν κατὰ κράτος. διεσκεδασμένων δὲ τῶν ἀνθρώπων πάντων (ita scribendum censeo pro ὄντων, quod nullo sensu hic legitur) αἱ μὲν τῶν νεῶν δίκροτοι ἦσαν· αἱ δὲ μονόκροτοι· αἱ δὲ παντελῶς κεναί. ἡ δὲ Κόνωνος, καὶ ἄλλαι περὶ αὐτὸν ἑπτὰ, πλήρεις ἀνήχθησαν, καὶ ἡ πάραλος. Quæ ita verto: *Cono, quum hostium classem adnavigantem videret, dato signo ad naves revocabat, ut omnibus viribus iis subvenirent. Sed quod omnes copiæ dispersæ essent, factum est, ut navium aliæ binos remigum ordines acciperent; aliæ, singulos; aliæ, omnino vacuæ manerent. Cononis, septemque aliæ circa ipsum naves, plenæ in altum evectæ sunt; ut & paralus.* Leunclavius vertit: *naves aliæ binos habebant remiges; aliæ, unum.* δίκροτος ναῦς ipsi est, quæ binos remiges habet; μονόκροτος, quæ unum. errore immani. Ex binis remigibus ego facio centum viginti; ex uno, sexaginta. Pirkhemerus, quamvis inepte loquatur (neque enim ex triremibus, cujusmodi omnes illæ Atheniensium naves erant, fieri poterant biremes, & uniremes) a vera tamen sententia propius abest. Classis Atheniensium, cui cum aliis præfectus erat Cono, constabat centum octoginta triremibus, in quibus triginta sex millia virorum navigarunt. Mirare hic, lector, reipublicæ Atheniensium potentiam; sed & ducum cœcitatem, qui recte monentem Alcibiadem audire noluerunt. Exscenderant e navibus nautæ ac milites, ut necessaria sibi compararent. Interim hostes adnavigant. Cono, signo dato, omnes revocat ad naves. Locus, unde necessaria petenda erant, duobus millibus passuum a statione navium aberat. Remigum multi atque militum, qui longius progressi fuerant, signum tuba datum non audiverunt. Et si vel maxime audissent, ad naves tam celeriter regredi non poterant. Proximi in naves suas irruunt. Ita factum, ut navium aliæ unum tantum remigum ordinem acciperent, videlicet infimum. Credibile enim est, ejusmodi tempore, qui primi remigum naves intrarent, thalamitarum locum occupasse, ne cæteris, qui post accederent, impedimento essent, præsertim transtra complendo. Aliæ, in quas major remigum numerus confluxerat, duos ordines expletos habebant. Aliæ omnino vacuæ manebant. Omnes istæ naves captæ fuerunt, quod plenæ non essent; hoc est, quod justum remigum numerum non haberent, quem habere debuissent, si hostem effugere vellent. Neque enim duo remigum ordines, centum viginti remiges, sufficiebant, ut plenas Lysandri naves effugerent: quod hic maxime adnotandum. Cono cum septem solum navibus, quæ remigium omne receperant; & paralo, quæ speculatoria, & internuncia erat, adeoque celerrima, effugit. Ita centum septuaginta una naves captæ sunt, ob præfectorum quorundam aut cœcitatem, aut proterviam. Insignis plane hic locus est, & qui, si attente consideretur, tres remigum ordines in triremibus luculenter demonstret. Ex iis enim navibus μονόκροτοι erant, quæ infimum remigum ordinem, seu sexaginta remiges, receperant: δίκροτοι, quæ duos remigum ordines, seu remiges centum viginti. Atqui ἑπτὰ ἱκροτοι, πᾶσαι πλήρεις, omnes esse debuerant, quia triremes. Hinc quoque illud colligimus, non trierarchorum arbitrio triremes fuisse utcunque plenas, sed necessario justum remigum numerum in iis adesse debuisse, ut cito navigarent. Abfuerint decem, viginti summum, remiges, morbo aliisque casibus absumti; jam inter male plenas, & tardas illa triremis numerabatur. Nec raro accidebat, ut quibusdam triremibus relictis,

A aut incensis, remigio earum reliquas explerent. Digna profecto historia hæc est, quæ diligenter expendatur, præsertim ab iis, qui in republica versantur. Ad quam quum & alia quædam monere possim, hoc opis nunc adferam, ut mendum unum, quod narrationem hanc satis obscuram facit, nunc tollam. Excusum ibi est; ἔλαβεν αὐτόθεν. Leunclavius vertit; *magna inde navium Lysandri vela sustulit*. Pirkhemerus; *ubi maximis Lysandri navium ablatis velis*: inepta sententia. Legendum censeo, ἐπεῖδεν pro ἔλαβεν, quo verbo hic locus redditur clarissimus: κατασχὼν ἐπὶ τὴν Ἀβαρνίδα τὴν Λαμψάκου ἄκραν, ἐπεῖδεν B αὐτόθεν τὰ μεγάλα τῶν Λυσάνδρου νεῶν ἱστία: *ad Abarnidem Lampsaci promontorium adpulit, & magna inde navium Lysandri vela conspexit*. Ventus Lysandro secundus erat, ut velis quoque uti posset. Cono, qui instructam habebat triremem, ipse visurus num vera nunciarentur, promontorium Abarnidem superavit, viditque, cum longius adhuc abessent, magna navium Lysandri vela. Nihil inde cunctatus, cum instructis octo navibus Cyprum fugit.

Ex iis, quæ hactenus attuli ex vetustis scriptoribus, satis certo constare puto, cujusmodi naC ves fuerint triremes. Transibo nunc ad quinqueremes, quæ vetustis illis temporibus admodum usitatæ fuerunt, cum plerisque aliis maris mediterranei accolis, tum præsertim Romanis, ac Carthaginiensibus. Polybius *libr.* I. scribit, quinqueremem habuisse remiges trecentos, & armatos centum viginti; simul quadringentos viginti, tum remiges, tum milites. Porro Romanos trecentis triginta tectis navibus venisse Mesanam, Siciliæ urbem; & Carthaginienses trecentis quinquaginta hujusmodi navibus constratis tenuisse Lilybæum. Romanorum copias navales in iis navibus fuisse ad centum quadraginta millia virorum. D Carthaginiensium autem amplius centena quinquaginta millia. Totum locum accuratissimi scriptoris adponam. Neque enim ullum alium in omni antiquitate, cum Græca tum Latina, clariorem habemus, ex quo certius colligere liceat, cujus magnitudinis fuerint quinqueremes. Hic cum præcedentibus veterum scriptorum locis, quibus triremium magnitudo exponitur, comparatus, discrimen inter illas naves luculenter ostendit. Unde porro conjicere possumus, quanto remigum militumque numero majores naves instruerentur, & armarentur. Verba Polybii hæc sunt. ἀνήχθησαν Ῥωμαῖοι μὲν τριάκοντα καὶ τριακοσίαις E μακραῖς ναυσὶ καταφράκτοις, κατασχόντες Μεσσήνην. Καρχηδόνιοι δὲ πεντήκοντα καὶ τριακοσίαις ναυσὶ καταφράκτοις ἀναπλεύσαντες, Λιλυβαίῳ προσέσχον. *In altum processerunt Romani trecentis triginta navibus longis tectis, adpulsi Mesanam. Carthaginienses autem trecentis quinquaginta navibus constratis in altum evecti, Lilybæum tenuerunt*. Naves intelligit Polybius quinqueremes utriusque classis. Paullo post: καὶ τὸ μὲν σύμπαν ἦν στράτευμα τούτων (τῶν Ῥωμαίων) τῆς ναυτικῆς δυνάμεως, περὶ τέτταρας καὶ δέκα μυριάδας· ὡς ἂν ἑκάστης ἰδίᾳ νεὼς λαμβανούσης ἐρέτας μὲν τριακοσίους, ἐπιβάτας δὲ ἑκατὸν εἴκοσι. οἱ δὲ Καρχηδόνιοι τὸ μὲν πλεῖον, καὶ F τὸ πᾶν ἡρμόζοντο πρὸς τὸν κατὰ θάλατταν κίνδυνον· τό γε μὴν πλῆθος αὐτῶν ἦν ὑπὲρ πέντε καὶ δέκα μυριάδας, κατὰ τὸν τῶν νεῶν λόγον. ἐφ' οἷς οὐχ οἷον ἄν τις παρὼν καὶ θεώμενος ὑπὸ τὴν ὄψιν, ἀλλὰ κἂν ἀκούων, καταπλαγείη τὸ τοῦ κινδύνου μέγεθος, καὶ τὴν τῶν πολιτευμάτων ἀμφοτέρων μεγαλομερίαν καὶ δύναμιν, στοχαζόμενος ἔκ τε τοῦ τῶν ἀνδρῶν, καὶ τοῦ τῶν νεῶν πλήθους. Casaubono interprete. *Erant omnino in hac classe militum ad centum millia & XL. unaquaque navi remiges capiente trecenos: propugnatores vero centenos vicenos. Carthaginienses plurimum studii, atque adeo studium omne suum operamque in navalis prælii præparatione ponebant: at summa copiarum, pro numero quidem navium quas habebant, millia* CL. *superabat: ut nemo potuerit, non dicam præsens oculis spectare, sed ne audire quidem instantis periculi magnitudinem, & utriusque reipublicæ illius amplitudinem ac robur, quin stuperet attonitus, & navium & hominum motus numero*. Hæc, sicut cum admiratione ea narrat Polybius, revera erant admirabilia. Cæterum difficultas hic quædam oritur in supputando virorum numero, secundum numerum navium. Dicit Polybius, Romanos in suis trecentis triginta navibus habuisse ad centum quadraginta millia virorum. Atqui trecentæ triginta quinqueremes, si in singulis navigarint quadringenti viginti, habuere solum centum triginta octo millia: adeoque tres minus naves habuisse viderentur. Punicis autem illis copiis, ex eadem ratione, defuissent naves septem: quandoquidem trecenta quinquaginta quinqueremes accepissent solum centum quadraginta septem millia. Tollendæ huic difficultati duæ viæ sunt. Primum enim illud cogitandum, magnas ejusmodi classes non ita unius formæ navibus constare, ut non minores quasdam habeant; & quasdam reliquis majores. Quinqueremes quidem solas nominavit Polybius, numerumque virorum, qui in iis navigarent, iniit; quod pleræque omnes ejus formæ & magnitudinis naves essent. Sed & in Romana classe fuisse aliquas, quinqueremibus majores, docet sequentibus verbis Polybius, quando utrumque Romanæ classis præfectum hexerem habuisse scribit. Quod de Pœnorum fastu ac magnificentia magis cogitandum. Et supra narraverat, Annibalem, classis Punicæ præfectum, heptere vectum fuisse, quæ olim Pyrrhi regis fuisset. Minores, ob celeritatem, magnum usum habuere, cum explorandis hostium conatibus, tum nunciis ferendis in patriam: præterea vulneratis, ac jam mergentibus navibus subveniendo, enatantes recipiendo. Sed alteram ex hac difficultate emergendi viam adhuc planiorem puto. Videlicet ministrorum, qui necessariis quibusdam ministeriis adpositi essent, singulis in navibus adfuisse aliquos; ut & calonum, & id genus hominum, qui castra sequi solent; eosque summam cæteram explesse. Ex hoc Polybii loco discimus, in Punica illa classe fuisse centena quina millia remigum, qui in tectis illis navibus, sub tabulato sedentes, remos solum tractarent in præliis navalibus. Militum in ea classe numerum adscendisse ad quadraginta duo millia, qui super tectis navium stantes pugnabant. Porro Romanam classem habuisse nonaginta novem millia remigum; & propugnatorum triginta novem millia & sexcentos. Ingentes illæ copiæ sunt, præsertim remigum, quæ in admirationem rapiunt etiam prudentes, & in publicis negotiis versatos viros, nedum imperitam multitudinem, quæ vires illarum urbium expendere non norit. Certe nostra tempestate vulgus navalium præfectorum mendacii crimen scriptori optimo, ac veritatis studiosissimo, extemplo impacturus fuerit, si non alia, saltem illa ex caussa, quod remigum tantum numerum habere stultum fuisse consilium putabit, cum ventorum ministerio, etiam illo tempore naves bellicæ uti potuissent. Tria autem fuerunt in illis classibus vere admiranda. Primum, CCCL. Carthaginiensium naves; & CCCXXX. Romanorum, quæ pleræque fuere quinqueremes: id est, naves longæ ad CL. pedes. Quæ ut magnis nostri temporis bellicis navibus cessissent; quod & angustiores fuerint, & humiliores; inter

validas tamen & magnas eas numerari posse vel tabulati ratio, in quo centum viginti defensores stare potuerint, evincet. Deinde CL. millia, & CXXX. millia virorum, majores copiæ videntur, quam quas urbium facultates conscribere & alere possent. Denique ingentes reliqui adparatus, & omnis generis commeatus, merito admirationem nobis movent. Sed & ipsi Polybio omnia hæc visa sunt admirabilia: qui sub finem primi Punici belli ita scribit. ὁ μὲν οὖν Ῥωμαίοις καὶ Καρχηδονίοις συςὰς περὶ Σικελίας πόλεμος, ἐπὶ τούτοις, καὶ τοιοῦτον ἔσχε τὸ τέλος, ἔτη πολεμηθεὶς εἴκοσι καὶ τέτταρα συνεχῶς. πόλεμος ὧν ἡμεῖς ἴσμεν ἀκοῇ μαθόντες, πολυχρονιώτατος, καὶ συνεχέςατος, καὶ μέγιςος. ἐν ᾧ χωρὶς τῶν λοιπῶν ἀγώνων καὶ παρασκευῶν, καθάπερ εἴπομεν ἀνώτερον, ἅπαξ μὲν οἱ συνάμφω πλείοσιν ἢ πεντακοσίοις, πάλιν δὲ μικρῷ λείπουσιν ἑπτακοσίοις σκάφεσι πεντηρικοῖς ἐναυμάχησαν πρὸς ἀλλήλους. ἀπέβαλόν γε μὴν Ῥωμαῖοι μὲν ἐν τῷ πολέμῳ τούτῳ πεντήρεις, μετὰ τῶν ἐν ταῖς ναυαγίαις διαφθαρεισῶν, εἰς ἑπτακοσίας. Καρχηδόνιοι δὲ εἰς πεντακοσίας. ὥστε τοὺς θαυμάζοντας τὰς Ἀντιγόνου, καὶ Πτολεμαίου, καὶ Δημητρίου ναυμαχίας, καὶ τοὺς ςόλους, εἰκότως ἂν περὶ τούτων ἱςορήσαντας ἐκπεπλῆχθαι τὴν ὑπερβολὴν τῶν πράξεων. εἰ δέ τις βουληθείη συλλογίσασθαι τὴν διαφορὰν τῶν πεντηρικῶν πλοίων πρὸς τὰς τριήρεις, αἷς οἵ τε Πέρσαι πρὸς τοὺς Ἕλληνας, καὶ πάλιν Ἀθηναῖοι καὶ Λακεδαιμόνιοι πρὸς ἀλλήλους ἐναυμάχουν, οὐδ᾽ ἂν καθόλου δυνηθείη πλοῖα τηλικαύτας εὑρεῖν ἐν θαλάττῃ διηγωνισμένας. Casaubono interprete. *His igitur legibus, atque hoc modo finitum est bellum inter Romanos & Carthaginienses de Sicilia gestum, postquam annos continuos XXIV. durasset: bellum, omnium quæ fando accepimus, longissimum, minime intermissum, denique maximum: quo quidem, ut reliqua certamina atque apparatus taceam, sicut ante diximus, quinqueremibus amplius quingentis, si classem utramque in unam summam jungas: iterum non multo paucioribus septingentis pugnatum est. At Romani* [illegible] *amiserunt; cum* [illegible] *naufragiis periere, ad septingentas. Carthaginienses vero ad quingentas. Ut qui mirari sunt soliti classes & prælia navalia Antigoni, Ptolemæi, ac Demetrii regum, hac cognita historia, merito rerum tunc gestarum magnitudinem, cum stupore quodam sint admiraturi. Quod si quis inire rationem velit differentiæ quæ est inter quinqueremes & triremes, quibus & Persæ adversus Græcos, & Athenienses ac Lacedæmonii inter sese prælia commiserunt: nunquam omnino factum esse intelliget, ut tam immensæ copiæ in mari certarent.* Egregia sunt hæc omnia. Ad ultimum tamen judicium Polybii, quo Xerxis copias navales & Græcorum, quibus inter se concurrerunt, simul minores facit iis, quibus Romani ac Carthaginienses primo bello Punico decertarint, aliquid monendum esset: quod alias facturi sumus. Cæterum multa loca ex utriusque linguæ scriptoribus adduci possent, quæ de triremibus, quadriremibus, quinqueremibus, hexeribus, hepteribus, octeribus, enneribus, deceribus, mentionem faciunt, & has naves in præliis navalibus concurrisse docent; sed iis nunc omissis, quædam hic producturus sum de navibus, quæ deceribus fuerint majores. Salmasius in *Observationibus ad Jus Atticum* ita scribit. *Quod ad usum maris & belli attinet, vix majores quam novem ordinum constructas & notas fuisse Veteribus certum est*. Paullo post. *Pollux l.I.c.IX. de navibus, majores non recenset novenis ordinibus, quas ἐννήρεις Græci appellabant*. Sed valde hic errat Salmasius. Polybium, Plutarchum, Livium, contra ipsum producere possumus. Sed &, quem adducit, Pollucem, cujus auctoritate hanc opinionem suam firmare nititur. Si enim paullum legendo progressus esset, incidisset in Ptolemæi quindecim ordinum navem. καὶ Πτολεμαίου ναῦς, πεντεκαιδεκήρης. Undecim remorum navis Demetrii mentionem facit Theophrastus *l.V. c.IX.* μῆκος μὲν τὸ εἰς τὴν ἑνδεκήρη τὴν Δημητρίου τμηθεῖσαν, τρισκαίδεκα ὀργυιῶν. *Longitudo cedrorum, quæ ædificandæ undeciremi Demetrii succisæ sunt, erat tredecim orgyiarum.* Hunc Theophrasti locum Plinius *l. XVI. c. XL.* ita vertit. *Maxima ea in Cypro traditur ad undeciremem Demetrii succisa, centum triginta pedum.* Sed hic locus corruptus videtur: neque enim putare possum, ignorasse Plinium orgyiæ mensuram. Scripsit ille; certe scribere debuit: *septuaginta octo pedum:* aut, si ad Romani pedis mensuram hanc longitudinem reducere voluit, *octoginta unius*. Tredecim ordinum navis ejusdem Demetrii bis meminit in *ejus vita* Plutarchus. ὁ γοῦν Δημήτριος τότε δεινὰ μὲν ἡγούμενος πάσχειν, ἀδύνατος δὲ ὢν ἀμύνασθαι, προσέπεμψε τοῖς Ἀθηναίοις, ἐγκαλῶν μετρίως, ἀξιῶν δὲ τὰς ναῦς ἀπολαβεῖν, ἐν αἷς ἦν καὶ ἡ τρισκαιδεκήρης. *Demetrius, qui se injuria quidem insigni adfectum putaret, sed non iis viribus, ut vindicare illam posset; misit tunc ad Athenienses, paucis ipsos reprehendens; postulans autem naves suas recipere, in quibus & illa tredecim ordinum erat.* Paullo post. ἦν τὴν ἔντευξιν ἀδόλως εὐθὺς καὶ ἀνύποπτον, καὶ βασιλικὴν ἐποιοῦντο· πρότερον μὲν Σέλευκος ἑςιάσας ἐπὶ σκηνῆς ἐν τῷ στρατοπέδῳ Δημήτριον. αὖθις δὲ Δημήτριος ἐκεῖνον ἐν τῇ τρισκαιδεκήρει δεξάμενος. *Et primus statim congressus plane regius absque omni dolo & suspicione erat. Prior Seleucus in tabernaculo, quod in castris habebat, convivio excepit Demetrium. Rursus autem Demetrius illum in triscædeceri.* Paullo ante hæc verba leguntur: καὶ τὴν κόρην ἀναλαβὼν ἔπλει ταῖς ναυσὶ πάσαις εἰς Συρίαν. *puella in navem accepta, omnibus navibus petebat Syriam.* Clariora hæc sunt, quam ut vel minimam dubitationem relinquant. Athenis in Macedoniam pervenerat hæc triscædeceris. Ex Macedonia in Syriam omni classe sua, in qua etiam erat hæc triscædeceris, navigavit Demetrius. Remis igitur ingens ejusmodi navis agi potuit. Et quæ dubitandi caussa esse potest, quin si hostis occurrisset, etiam hanc tredecim ordinum navem concursuram fuisse credamus? Gravitas hujus navis remigum multitudine fuit compensata: minimum enim habuit mille quadraginta. Et ut ea celeritate esse non potuerit, qua triremes, videmus tamen cum aliis, quæ in magnifici regis ea classe dubio procul fuerunt, deceribus, enneribus, cæterisque minoris formæ navibus pervenisse in Syriam: contra ac Salmasius fieri posse putavit. Ptolemæum quoque, in magno illo navali prælio adversus Demetrium, XV. ordinum navi vectum fuisse puto. Verba Diodori *lib.XX.* uti nunc leguntur, hæc sunt; εἶχε δὲ (Πτολεμαῖος) τὰς πάσας ναῦς μακρὰς, ἑκατὸν καὶ τετταράκοντα. τούτων δ' ἦν ἡ μεγίςη, πεντήρης· ἡ δ' ἐλαχίςη, τετρήρης. στρατιωτικὰ δὲ πορεῖα ταύταις ἐπηκολούθει πλείω τῶν διακοσίων, ἄγοντα πεζοὺς οὐκ ἐλάττους τῶν μυρίων. *Omnes longæ naves quas habebat Ptolemæus, erant centum quadraginta. Harum maxima erat quinqueremis; minima, quadriremis. Vectoria amplius ducenta sequebantur, quæ non minus decem millia peditum portabant.* In his verbis magnum mendum latere puto, & pro πεντήρης *quinqueremis*, scribendum esse πεντεκαιδεκήρης, *quindecim ordinum navis*. Emendationis caussæ hæ sunt. Una, quod absurdum videatur, quum multas hepteres haberet Demetrius, Ptolemæum, absque dubio satis exploratum fuit, cujus formæ naves ille haberet, non hoc studuisse, ut quinqueremibus majores naves compararet. Altera, quum sinistrum cornu Demetrii, præter triginta quadriremes, & alias

alias quinqueremes, haberet septem hepteres, & decem hexeres; non videri credibile, Demetrii cornu dextrum, cum quo Ptolemæus concurrebat, quinqueremes duntaxat, minoresque naves habuisse. In tanta enim hepterum hexerumque copia, nisi plures quam quas in sinistro cornu ordinaverat, habuisset Demetrius; inter duo cornua illas haud dubie distributurus fuisset. Atqui scribit Diodorus, Ptolemæi sinistrum cornu, cui præerat ipse, concurrisse cum dextro Demetrii; maximas secum naves haberet. συναγωνιζομένων hoc autem non magno certamine vicisse, quod αὐτῷ τῶν μεγίστων σκαφῶν. Quod si putemus, in dextro cornu Demetrium habuisse tantum quinqueremes, minoresque naves; Ptolemæum autem solum quinqueremes; certamen binorum illorum cornuum fuisset inter naves, quarum maximæ essent quinqueremes. Quorsum igitur illa verba, τὰ μέγιστα τῶν σκαφῶν, *navium maximas secum habebat Ptolemæus*. Πτολεμαῖος δὲ καὶ τὰ μέγιστα τῶν σκαφῶν, καὶ τοὺς κρατίστους ἄνδρας ἔχων μεθ' ἑαυτοῦ, ῥᾳδίως ἐτρέψατο τοὺς καθ' αὑτὸν τεταγμένους· καὶ τῶν νεῶν ἃς μὲν κατέδυσεν, ἃς δὲ αὐτάνδρους εἷλεν. *Ptolemæus, qui navium maximas, fortissimosque viros secum habebat, facile in fugam vertit qui contra ipsum positi erant; naviumque alias suppressit, alias simul cum viris cepit*. Tertia, miram ordinationem videri potuisse, si omnes majores naves, quæ unius formæ erant (quippe quinqueremes) in sinistro cornu collocasset Ptolemæus; contra autem minores omnes in cornu dextro. Quarta, peregrinam esse loquendi rationem, qua utatur Diodorus: primum cum dicit, ἡ μεγίστη, ἡ ἐλαχίστη. *maxima, minima*. Melius enim dicturus fuisset, αἱ μείζους, αἱ ἐλάττους. *majores, minores*: Deinde, si ea sententia fuisset, potius dicturum fuisse: ἦσαν δὲ πᾶσαι πεντήρεις καὶ τετρήρεις. *Erant autem omnes quinqueremes, & quadriremes*. Itaque pro verbis, τὰ μέγιστα τῶν σκαφῶν, concinnius dixisset, τὰς πεντήρεις. Quare certissimum puto, scripsisse Diodorum, πεντεκαιδεκήρης, ubi nunc editum est πεντήρης. Bis hunc locum adduxit Salmasius, pag.692.722. nec ullam in eo difficultatem invenit. Quam ego non parvam deprehendi, sive rem ipsam considerem; sive verba, quibus Diodorus utitur. Sed ad quindecim ac sexdecim ordinum naves veniam, quæ sine controversia in usum belli ædificatæ fuerunt; non autem ut in navalibus, ostentationis tantum caussa ac magnificentiæ, collocarentur. Plutarchus in *Vita Demetrii*, loquens de ejus magnificentia etiam in ædificandis magnis navibus, ita scribit. ἀλλὰ θέαν μόνην ἐκείνη παρέσχε καὶ μικρὸν ὅσον διαφέρουσα τῶν μονίμων οἰκοδομημάτων φανῆναι πρὸς ἐπίδειξιν οὐ χρείαν, ἐπισφαλῶς καὶ δυσέργως ἐκινήθη. (Ita Aldus & Stephanus edidere; sed perturbata sententia. Scribendum, & distinguendum: καὶ τῷ μικρὸν ὅσον διαφέρουσα τῶν μονίμων οἰκοδομημάτων φανῆναι, πρὸς ἐπιδ.) τῶν δὲ Δημητρίου νεῶν οὐκ ἦν τὸ καλὸν ἀναγώνιστον· οὐδὲ τῷ περιττῷ τῆς κατασκευῆς ἀπεστεροῦντο τὴν χρείαν. ἀλλὰ τὸ τάχος, καὶ τὸ ἔργον ἀξιοθεατότερον τοῦ μεγέθους παρεῖχον. *Sed spectaculo illa* (Philopatoris tettaraconteris) *solum fuit, & quod parum ab ædificiis in solido fundatis differre videretur, ad ostentationem, non autem ad usum, magno labore ac periculo movebatur. Pulcritudo autem navium Demetrii conjuncta erat cum usu, quem in navalibus certaminibus præbere poterant, nec curiosa fabrica opus ipsum impediebatur: sed ob celeritatem, atque effectum, longe digniores, contemplatione erant, quam ob magnitudinem*. Paullo ante dixerat: οὐδεὶς γὰρ οἶδεν ἀνθρώπων οὔτε πεντεκαιδεκήρη ναῦν πρότερον, οὔτε ἑκκαιδεκήρη. *Nullus hominum nec quindecim ordinum navem, aut sexdecim, ante illud tempus viderat*. Hæc verba perspicue docent, & fabricatas fuisse naves, quas quindecim, aut sexdecim versus remorum agebant, & eam celeritatem habuisse, ut in pugnis navalibus adhiberi possent. Notabile enim hic est verbum τάχος *celeritas*, ostendens, cum aliis, minoris formæ, adeoque celerioribus, navigiis per mare agi potuisse, nec opus fuisse, ut minores multum inhiberent. Quamvis autem usum ingentium harum navium, quem in præliis navalibus habere poterant, iis verbis satis ostenderit Plutarchus; alio tamen ejusdem loco, ubi regem narrat spectatorem in littore stetisse harum velut insularum in mari moventium, idem confirmatum videbimus. μεγέθει μὲν γὰρ (τὰ ἔργα) ἐξέπληττε καὶ τοὺς φίλους. κάλλει δὲ καὶ τοὺς πολεμίους ἔτερπε. τοῦτο δὲ ἔτι (ita Aldus & Stephanus: sed mihi rescribenti ὅτι pro ἔτι adsentiet eruditus lector) μᾶλλον ἀληθῶς ἢ κομψῶς εἴρηται. καὶ τὰς μὲν ἑκκαιδεκήρεις αὐτοῦ, καὶ τὰς πεντεκαιδεκήρεις, ἐθαύμαζον ἑστῶτες οἱ πολέμιοι παρὰ γῆν αὐτῶν πλεούσας. αἱ δ' ἑλεπόλεις, ὡς θέαμα τοῖς πολιορκουμένοις ἦσαν, καὶ (ita pro ὡς rescribo, quod totam periodum turbavit) αὐτὰ τὰ πράγματα μαρτυρεῖ. Λυσίμαχος μὲν γὰρ, ἔχθιστος ὢν Δημητρίῳ τῶν βασιλέων, καὶ πολιορκοῦντι Σόλους τοὺς Κιλικίους (puto fuisse, τῆς Κιλικίας) ἀντιτεταγμένος, ἔπεμψε παρακαλῶν, ἐπιδεῖξαι τὰς μηχανὰς αὐτῷ, καὶ τὰς ναῦς πλεούσας. ἐπιδείξαντος δὲ, θαυμάσας ἀπῆλθε. Quæ ita verto. *Nam & magnitudine opera illa amicis admirationem movebant; & pulcritudine etiam hostes delectabant. Hoc autem vere magis quam jactanter a me dici; & fuisse admiratione sexdecim ac quindecim ordinum naves ab ipso fabricatas, quum hostes in littore suo stantes eas remis agi viderent; turresque capiendis urbibus ab ipso excogitatas spectaculo fuisse obsessis; ipsæ res testantur. Lysimachus enim præ ceteris regibus Demetrio infestissimus, quum ipsi Solos Ciliciæ obsidenti oppositus esset, misit ad eum, rogans, ut cum machinas ipsi ostenderet, tum naves illas remis actas, & postquam ostendisset, admirabundus abiit*. Ita scribit Plutarchus, acsi ipsius quoque tempore fuissent, qui de harum navium fabrica & effectu dubitaverint. Sed & Lysimachus rex, & milleni principes viri, qui admirabilis hujus regis, Demetrii, navibus, ab ipso primum fabricari cœptis, audissent, pro fabulis, & vanorum hominum figmentis illas habuerant, non credituri, nisi immanes illas naves, velut insulas in mari natantes, ipsi suis oculis vidissent. Accedamus ad ad aliam sexdecim ordinum navem, quæ duorum regum, Philippi ac Persei olim fuerat, quamque duo fidelissimi scriptores narrant ex Macedonia Romam actam. Polybius quoque ejus mentionem facit *excerpta Legatione* CXLII. his verbis. δι' οὗ (Κοΐντου Φαβίου Μαξίμου) παρακομισθέντες (οἱ τριακόσιοι τῶν νέων Καρχηδονίων) ἀσφαλῶς εἰς τὴν Ῥώμην, συνεκλείσθησαν ὁμοῦ πάντες εἰς τὸ τῆς * ἑκκαιδεκήρου νεώριον. Ita asterisco notavit verbum corruptum Casaubonus, vertitque locum: *qui eos Romam tuto curavit deferendos; ubi fuerunt simul omnes in unum e navalibus conclusi*. Fulvius Ursinus ad hunc locum ita adnotat. *Opinor legendum esse*, εἰς τὸ ἑκκαιδέκατον νεώριον, *&c. quum enim plura essent Romæ navalia, ut ex Livio, & aliis colligitur; verisimile est, numeris ea distincta fuisse, & unum, primum navale; alterum, secundum; & deinceps ex incisis notis, significari solita esse*. Obscuro loco, quem duo doctissimi viri illustrare nequierunt, lucem necessariam inferemus, mutando literam unam, & item aliam fini adponendo; ut ex ἑκκαιδεκήρου fiat ἑκκαιδεκήρους. εἰς τὸ τῆς ἑκκαιδεκήρους νεώριον. *simul om-*

nes in navale navis sexdecim versuum sunt inclusi. Gallicus Interpres du Ryer ne quidem, quid navale hic esset, expressit. *Il eut soin de les faire conduire sûrement a Rome, où on les enferma tous ensemble dans un même lieu.* Trecenti illi juvenes Carthaginiensium pro obsidibus missi, inclusi sunt in navale, & quidem maximum; quod illam multitudinem capere posset. Hoc navale ante octodecim ferme annos paratum fuerat recipiendæ maximæ navium, quæ unquam Romæ visæ sunt, qua Paullus Æmilius, captivum ducens regem Perseum cum liberis, & principibus Macedoniæ, per adversum Tiberim, Romam fuerat subvectus. Quo tempore trecenti illi obsides accederent, jam videtur fracta fuisse ea navis, quod nulli usui Romanis futura esset. In vacuum locum omnes illos juvenes Romani concluserunt. De hac nave, Romam acta, duo præclarorum scriptorum loca adponam, ex quibus, quomodo Polybius restituendus esset, docti viri discere potuissent. Livii *libro* XLV. hæc sunt verba. *Paullus ipse post dies paucos regia nave ingentis magnitudinis, quam* XVI. *versus remorum agebant, ornata Macedonicis spoliis, non insignium tantum armorum, sed etiam regiorum textilium, adverso Tiberi ad urbem est subvectus; completis ripis obviam effusa multitudine.* Postea *eodem libro: Naves regiæ captæ de Macedonibus, inusitatæ ante magnitudinis in campo Martio subductæ sunt.* Livius, cum dicit, *inusitatæ ante magnitudinis*, non videtur audisse de Demetrii heccædeceri; multo minus de triginta ordinum navibus Ptolemæi Philadelphi. Illud ex iis Livii locis discimus, ingentem illam navem per mare remis actam fuisse, adeoque præliis navalibus interesse potuisse. Quod adhuc clarioribus verbis explicat Plutarchus in *Vita Æmilii*. κἀκεῖθεν εἰς Ἰταλίαν μετὰ τῆς δυνάμεως περαιωθεὶς, ἀνέπλει τὸν Θύβριν ποταμὸν, ἐπὶ τῆς βασιλικῆς ἑκκαιδεκήρους, κατεσκευασμένης εἰς κόσμον ὅπλοις αἰχμαλώτοις, καὶ φοινικίσι, καὶ πορφυραῖς . . . . ὡς καὶ πανηγύρεων . . . . . ἔξωθεν. ὥς τε . . . . . ὅν τινα θριαμβικῆς πομπῆς προαπολαύειν τοὺς Ῥωμαίους τῷ ῥοθίῳ σχέδην ὑπάγοντι τὴν ναῦν ἀντιπαρεξάγοντας. Ita hic locus editus est ab Aldo & Stephano, varie mancus & corruptus; quem sic restituo. καὶ πορφυραῖς, παραπεμπούσης μετὰ πανηγύρεων τοῦ δήμου (aut, τοῦ πλήθους) ἔξωθεν. ὥς τε τρόπον τινὰ θριαμβικῆς πομπῆς προαπολαύειν. Et verto. *Æmilius inde cum copiis in Italiam transportatis, subvectus est per Tiberim regia nave sexdecim ordinum; armorum spoliis, palmisque ac purpura exornata, multitudine extra magna frequentia prosequente. Ut triumphalem quodammodo pompam Romani præciperent, qui navem pulsibus remorum sensim procedentem, velut triumphum in ripis ducerent.* Locus splendidissimus, sed ab Interpretibus adhuc magis mutilatus. Italicus Interpres. *Quindi passando in Italia con l essercito, navicò per il Tevere nella nave Capitana da sedeci remi, ornata di armi, e di spoglie di nimici.* Sedeci remi, *sex decim remorum*, vertit; cum non minus esse potuerint quam mille ducenti octoginta. Reges atque Principes, qui mirabilia audire ac videre cupitis, spectate hic navem ingentem, non modo forma sua, & tanta remigum multitudine admirabilem, sed præcipue vectoribus illustribus: victore Æmilio; captivo, rege Perseo, & Macedoniæ principibus, quorum proavi terrarum orbem subegerant. Hæc rerum humanarum vicissitudo est, ut ingens navis, tutandæ Macedoniæ a Philippo ædificata, in campo Martio a vermibus exederetur: ut Macedonum nomen, orienti tremendum, occidenti ludibrio esset. Hujus navis mentionem quoque facit Suidas. ἡ τοῦ Περσέως ναῦς, τά τε ἄλλα ἐξήσκητο μεγαλοφυῶς, καὶ τὴν εἰρεσίαν ἐπὶ δέκα ἓξ στοίχων εἶχε πεποιημένην. *Persei navis, cum aliis rebus magnifica erat, tum remigium habebat in sexdecim versus exsurgens.* Hanc Persei navem, eandem fuisse puto, quam pater ipsius, Philippus, habuit, cum bellum gereret adversus Romanos. Nam in conditionibus pacis, quas Philippo dederant Romani, hæc cum aliis quinque navibus excepta fuit, ne Romanis traderetur. Hoc nos docet Polybius IX. *excerpta legatione*. ὁμοίως δὲ (ἀποδιδόναι, quod hic excidisse puto) καὶ τὰς καταφράκτους ναῦς, πλὴν πέντε σκαφῶν, καὶ τῆς ἑκκαιδεκήρους. Casaubono Interprete: *item naveis omnes tectas, scaphis quinque exceptis, & una quam sexdecim versus remorum agunt.* Vocem σκαφῶν, vertit, *scaphis*; cum vertere debuisset, *navibus*. Stupendum in tanto viro hoc erratum est; non μνημονικὸν, sed ex rei, quam interpretari debuerat, ignorantia profectum. Hic genitivus casus est a σκάφος, ους. non autem a σκαφη, ης. τὸ σκάφος Polybio, aliisque, significat navem rostratam, tectam, magnam. Utitur hoc nomine, quando de quinqueremibus, hexeribus, majoribusque navibus loquitur. *Lib* XVI. de decere Philippi: καὶ τὸ σκάφος, καὶ τοὺς ἐπιβάτας τοὺς ἐν αὐτῷ, διέφθειραν. *magnam illam navem, omnesque eius defensores suppresserunt.* Sed & eodem hoc casu, qui Casaubono errandi occasionem dedit, ibi legitur: ὡς τῆς εἰς τὴν πολεμίαν ναῦν ἐμβολῆς λύσαντος τὴν συμπλοκὴν τῶν σκαφῶν. *quum impetu in hostilem navem solveret copulam navium.* Atqui una harum copulatarum navium erat octeris; altera, minor fuerit, quinqueremi minor esse nequiit. Pluries hoc vocabulum ibi reperitur. At ἡ σκάφη, *scapha*, navicula est, quæ magnam sequitur: qua utuntur, quando celeriter ab una nave ad alteram transire cupiunt, aut in terram excendere. Nonius Marcellus: *Scaphæ sunt naviculæ, quæ majores naves consequuntur.* Justinus *lib.* XXV. de Ptolemæo, Pyrrhi filio: *quem adeo strenuum fuisse tradunt, ut prælio navali quinqueremem ex scapha cum septem insiluerit, captamque tenuerit.* Ex humili navicula in altam navem insiluit. Octo armatos scapha illa portavit, adfuerint præterea quatuor remiges. Hinc scaphæ illius magnitudinem colligere licet. Certum autem esse, loqui Polybium de magnis navibus; non autem, de scaphis seu naviculis, ipsa res tantum non clamat. Primum enim præcedit, τὰς καταφράκτους ναῦς, *constratas naves*. At scaphæ inter naves, multo minus inter tectas naves, numerari nequeunt. Deinde, quam caussam fuisse putabimus, cur scaphas quinque solum Philippo reliquerint? Si res fuissent ex auro fabrefactæ, ingens earum pretium Philippum, ut hoc sollicitaret, inducere potuisset. Jam nullam aliam caussam comminisci possum. Quingentas scaphas, imo quinque millia scapharum Philippo, ex eo federe, parare licuit; quod absque magnis navibus, in navali certamine, nullius usus essent. Si de lembis hic sermo esset Polybio, aliqua tamen ratione lembi quinque excepti videri possent: quamvis federe illo lembos Philippo, qui ingentem eorum copiam habebat, Romani reliquerint. Hunc tam insignis viri errorem, non sustulit Interpres Gallicus du Ryer; sed, ut fieri solet, etiam suo auxit. Quippe non solum scaphas cum Casaubono hic vertit; sed etiam ex ingenti illa sexdecim ordinum nave, facit naviculam sexdecim remorum. Ita enim vertit. (Que Philippe rendroit) *tous les vaisseaux couverts, excepté cinq barques & une qu'on menoit*

à seize rames. Sed Livium hic videamus *lib*.XXXIII. *c*.XXX. *Captivos, transfugasque reddere Philippum Romanis, & naves omnes tectas tradere; quin & regiam unam inhabilis prope magnitudinis, quam sexdecim versus remorum agebant*. Nemo mancum hunc locum esse vidit. Hoc tamen vulnus non adeo difficile fuit & deprehendere, & sanare. Nullum mihi dubium, quin Livius scripserit: *& naves omnes tectas tradere, præter quinque, & regiam unam*: ut verteret hæc Polybii: ἀποδοῦναι τὰς καταφράκτους ναῦς, πλὴν πέντε σκαφῶν, καὶ τῆς ἑκκαιδεκήρους. Caussæ emendationis hæ sunt. Una, quod falsum alioqui diceret Livius; videlicet, tradidisse Philippum suam navem, quam sexdecim versus remorum agebant. Hoc enim adversatur Polybii verbis claris, quibus dicit, hanc regiam navem non esse traditam. Altera, quod quinque navium quas Philippo concessas dicit Polybius, nullam alioqui mentionem Livius faciat; ideoque ademtas illi innuat: quod fœderis verbis, a Polybio expositis, adversatur. Tertia, hanc regiam Philippo ademtam non videri, quia filius ejus Perseus eam habuerit. Neque enim verisimile est, aut a Romanis eam navem postea redemisse Philippum; aut Perseum, ejusdem magnitudinis aliam ædificandam curasse. Erroris autem caussa ab voce *præter* fluxisse videtur, quam cum obscure scriptam librarius reperisset, deformatam putavit ex verbo præcedenti *tradere*: adeoque omittendam censuit: hinc reliqua fuere mutata. Accedit, quod hic sermo, *quin & unam*, nec Livio alias usitatus, nec ita usurpandus videatur. Sed caussas indagemus, quare quinque naves magnas, & vastam illam Philippo concesserint Romani. Omnes plane naves adimere, superbum videbatur senatui Romano; & intolerabile futurum regi magnanimo. Quare quinque magnas naves ipsi reliquerunt, quibus uti posset, si bello lacesseretur. Præterea concesserunt, ut naves apertas, quot vellet, haberet, præsertim celoces ac lembos. Neque enim prohibebantur hæ naviculæ: & magnum earum numerum habebat Philippus. Vastam illam heccædecerem facile reliquerunt Romani, quod majoris admirationis quam usus esset. Hinc discimus primo, majorum navium in præliis navalibus maximam vim fuisse: lembos sine majoribus navibus non multum potuisse. Rostra enim harum naviculas illas, si adsequi posent, supprimebant. Deinde, Nullum populum, qui urbes habeat ad mare sitas, victum videri posse, quamdiu naves bellicas habeat. Quare Romani, ut velut alam unam Philippo præciderent, navalium virium præcipuum, naves, ipsi ademere: quemadmodum & postea Antiocho, cui alterum tantum tectarum numerum habere concesserunt, cum propter potentem vicinum, Ægypti regem; tum quod tanto majus regnum ejus censerent. Verba fœderis inter Antiochum & Romanos, quum in utroque auctore, & Polybio, & Romano ejus interprete Livio corrupta sint, hic restituam. Polybii *excerpta legatione* XXXV. verba hæc sunt. ἀποδότω δὲ καὶ τὰς ναῦς τὰς μακρὰς, καὶ τὰ ἐκ τούτων ἄρμενα, καὶ τὰ σκεύη. καὶ μηκέτι ἐχέτω πλὴν δέκα καταφράκτων. μηδὲ τριακοντάκωπον ἐχέτω ἐλαυνόμενον. μηδ' αὐτὸ πολέμου ἕνεκεν, οὗ αὐτὸς κατάρχῃ. Casaubono Interprete: *tradito & naves longas cum velis armamentisque earum: neve plureis quam decem naveis tectas habeto: nullam item, quæ triginta remis agatur habeto, neve minorem ex belli caussa quod ipse illaturus erit*. Posteriora verba corrupta puto, hoc modo corrigenda: μηδὲ τριακοντάκωπον ἐχέτω πλὴν ν. μόνων μηδ' αὐτὰ πολέμου: *neve triginta remorum actuarias, præter quinquaginta: nec eas ex belli*. Livii ex *lib*.XXXVIII. *c*.XXXVIII. hæc sunt. *Tradito & naves longas, armamentaque earum: neve plures quam decem naves actuarias, nulla quarum plusquam triginta remis agatur, habeto: neve minorem, ex belli caussa, quod ipse illaturus erit*. Quæ ita emendanda censeo. *Tradito & naves longas, armamentaque earum: neque plures quam decem naves tectas, & quinquaginta actuarias, quæ triginta remis agantur, habeto: ne has quidem ex belli caussa, quod ipse illaturus erit*. Appianus *Syriacis* ejusdem fœderis pauca recitat, ubi eorum, quæ ad naves pertinent, meminit his verbis. ναῦς δὲ καταφράκτους δυόδεκα ἔχειν μόνας, αἷς ἐς τοὺς ὑπηκόους πολέμου κατάρχειν. πολεμούμενον δὲ καὶ πλέοσι χρῆσθαι. *Naves tectas* XII. *solum habeto, quibus, si bellum iis inferat qui in ditione ejus sunt, utatur: pluribus autem uti licebit, si bello petatur*. Pro κατάρχειν, scribendum, κατάρχοντα. deinde πλείοσι. præterea δέκα scribendum pro δυόδεκα, Polybius & Livius evincent. Sed hæc diligentius inspiciamus. In ipsam curiam Romanam nos intrasse cogitemus, ubi trecentos amplius senatores, de ferendis Antiocho pacis legibus deliberantes audiamus; atque unum ex iis ita disserentem. Hoc inprimis, Patres conscripti, providendum nobis est, ne primo quoque tempore rebellare possit Antiochus, regum nostra tempestate potentissimus. Carthaginienses primo bello viceramus: sed, quod naves ipsis reliquissemus, non pacem a nobis petiisse visi sunt, sed inducias; ut vires, tam diuturno bello attritas, recuperarent. Quid de rege superbo, qui magni nomen apud suos consecutus est, qui Asiæ maximam partem retinebit, sperabimus? Scilicet uno atque altero prælio, terra marique victus, Carthaginiensibus modestior, de tentanda rursus belli fortuna nunquam consultabit? sed ultra Tauri juga emotus, perpetuo in otio, & ipse, quamvis jam senior, & successores ejus transigent? Regum animos, & adsentationes aularum ignorat, quisquis hæc sibi persuadebit. Et ut adversus nos nihil moturus sit, vicinum Ægypti regem spectate, cum quo hereditarium ipsi bellum est de Cœle Syria, & Cypro, aliisque provinciis & urbibus. Metuendum nobis erit, ne eo bellum transferendo, toto illo regno, quod ab effeminatissimo rege nuper administratum novimus, aliquando potiatur. Cognovimus ex hoc bello, quod cum Antiocho nunc gessimus, Deumque benignitate feliciter perfecimus, quæ vires ipsius fuerint: quid maxime in utrisque copiis, tam navalibus quam terrestribus robustum fuerit ac vegetum. Ut de cæteris nihil dicam, navales utique vires ita accidendæ sunt, ut nihil inde in posterum metui possit. Audivistis forte (quamquam nemo nostrum est, qui non & patres nostros, atque hunc senatum, idem de rebus nostris semper judicasse norit) quod consilium apud hunc regem fuerit Annibalis; qui centum tectas naves, decem millia peditum, & mille equites sibi deposcebat, ut bellum rursus in Italiam transportaret. Fortunam equidem populi Romani fuisse puto, quod ignavo regi a vaferrimo Imperatore fuerit datum. In Italiam hic transvectus, alios populos debellando; aliorum fidem sollicitando; Gallis, infestissimis hostibus, se conjungendo; iterum de Italia, de nostra possessione, de aris focisque, cum acerrimo Imperatore nos pugnare coegisset. Iterum infesta signa, quod omen Dii prohibeant, e muris nostris, circa urbem vagantia conspiceremus. Naves, Patres conscripti, naves sunt, quibus imperia in longinquas terras transportantur; quibus exercitus volant. Nisi navales vires habeat mari vicinus populus, quotidie aut servitutem, aut jugum metuere debet, quod vel remotissimus populus, qui navibus accedere possit, imponat. Sed nostras ipsi res inspiciamus, patrumque nostrorum consilia, qui primi mare intrare ausi sunt. Navibus pervenien-

dum fuit in Siciliam, angusto licet freto ab Italia distantem. Navibus Sardiniam obtinuimus, & Corsicam; & in Hispaniam denique navibus penetravimus. Absque his fuisset, adhuc forsan in Italia hærentem horreremus Annibalem, quem P. Scipio, transportando bellum in Africam, ex Italia retraxit. Nostris artibus adversus nos nunc uteretur Antiochus; &, funestissimus nobis bellator, Annibal. De navalibus igitur viribus huic regi prorsus adimendis (quamvis crudele id videri possit, & superbo regi intolerabile) salutare & nobis, & ipsi, consilium ineamus. Hoc certe eo consequemur, ut in Europam transire nequeat: ut, si inquietus animus ad bella ipsum rapiat, cum vicinis luctetur: quæ certamina spectabimus nos, & quando placebit, dirimemus. Nisi hac in re caveamus nobis, vereor ne brevi perditas vires recuperet, cui Syriam relinquimus, & cum illa urbes, re maritima celeberrimas, Tyrum, Sidona, Aradum, & integram Ciliciam. Quare omnes in præsentia naves longas censeo ipsi adimendas, ne brevi rebellare possit, pœnitentia ductus, ac petitæ pacis ignominia. In concedendis autem navibus, quas in posterum parare possit, quum ad regni ipsius magnitudinem respiciemus, tum ad imperii nostri securitatem. Carthaginiensibus, belli Punici secundi fine, ex omnibus longis navibus decem triremes reliquimus. Philippo nuper tectas omnes naves ademimus, præter quinque, & inhabilem illam sexdecim ordinum navem. Nec tantum lembos, pristes ac myoparones habere concessimus, sed & apertas omnes; triremes & triemiolias. Huic in præsentia ex longis nullam relinquendam arbitror; sed concedendum, ut parare sibi rursus possit, tectarum quidem duplum numerum; & lemborum quantum habere volet, quibus utatur bellum aliis inferendo. Sed in tam exiguo longarum numero ingentem vim minorum navigiorum sibi comparabit, quæ proxime ad longas accedant? Finiamus illorum magnitudinem remigum numero Nam omnia minora navigia adimere velle, verendum nobis, ne superbius nostrum factum videri possit, quam ipsi periculosius. Habeat lemborum quemcunque numerum: nec tamen, quod Philippo concessimus, navigia citra triremium magnitudinem ipsi omnia concedamus. Navium, quæ triginta remis agantur, habeto quinquaginta, aut cum numerum, quem vos censueritis; sed ea lege, si bellum ipsi inferatur (potentem enim vicinum habet, Ægypti regem) sed harum usum ipsi adimamus in bello, quod ipse aliis inferet. Ita nuper ademptis Nabidi, tyranno Lacedæmonis, omnibus navibus, concessistis duos solum habere lembos. Verum ne illos, quot vellet, remigibus instrueret, quo ipso celerrimi futuri erant, & ad latrocinia agenda aptissimi, sexdecim solum remis singulos agi voluistis. Hanc equidem, Patres conscripti, certam nobis rationem relictam puto constringendi ferocem regem, qui nuper Asiæ opibus fultus, de terrarum orbis imperio, solus certamina nobiscum suscepturus videbatur. Hujusmodi quædam in senatu Romano dicta fuisse putabimus. Quam prudenter autem senatus in conditionibus Philippo datis hæc adscripserit, eventus docuit. Hujus enim filius Perseus mari deinde nihil potuit, quod illæ vires nimium minutæ essent. Nec cum bellum adversus Romanos pararet, de navibus magnis ædificandis cogitare debuit; quod Romani id non passuri fuissent. Quamquam in legibus pacis, Philippo datis, non adscriptum fuerit, ne unquam alias magnas pararet. Itaque Perseus solum habuit classem lemborum quadraginta, & quinque pristium; ad latrocinia agenda habilem; sed quæ plurium triremium occursum vitare debuerit, sicut ob celerita-

A tem potuit. Videamus nunc Polybii verba, in quibus tria notanda sunt. Unum, quod omnes naves longas dicit ademtas. Non dicit, ademtas fuisse tectas, hoc est, quinqueremes, majoresque naves; sicut in fœdere Philippi adscriptum fuerat. Ita enim apertas omnes, quæ etiam longarum nomine comprehendebantur, id est, triremes apertas & triemiolias, concessissent. Ergo omnes longas, cum velis, & armamentis, Antiocho ademerunt. Eam vim hæc conditio habuit, ut, quum navium præcipuum robur ipsi esset ademtum, de rebellando, & multo minus de bello in Italiam, aut Galliam transportando, nulla consilia agitare posset. Alte- B rum; concessisse Romanos, ut in posterum comparare sibi Antiochus rursus posset decem tectas, id est, cujuscunque magnitudinis naves: ita ut, si omnes voluisset facere deceres, ex hac lege potuisset. Non dicit, decem longas, ut includeret triremes & triemiolias. Sciebant enim Romani, si longarum aliquot usum concederent, majores potius inter longas formæ, quam minoris habiturum regem. Hæc conditio eam vim habuit, ut ne vicinis quidem, navibus destitutus, bellum inferre posset. Quippe decem illæ, a Romanis concessæ, prius ædificandæ erant. Tertium est; quinquaginta naves C triginta remorum habere potuisse Antiochum; sed ea conditione, si non inferret bellum; sed bello ab alio peteretur. Nunc emendationum rationes adscribam. Et primum quidem ejus, qua Polybium hoc loco restituimus. Verbum ἐλαυνομενον male conjungi puto cum præcedente τριακοντάκωπον. Primo enim tacite significare videtur, ac si τριακοντάκωπα alia essent μὴ ἐλαυνόμενα, quod utique erroneum. Uti si quis Latine diceret, concessas fuisse actuarias, quæ agerentur; inepte aliquis opinaretur, alias esse actuarias, quæ non agerentur. Quippe vocabulo actuaria jam inclusum est adjunctum verbum; sicut nomine τριακοντάκωπον, ver- D bum ἐλαυνόμενον. Quare hoc verbum ἐλαυνόμενον non puto scriptum fuisse a Polybio, sed ex errore natum. Deinde, quia præcedit ναῦς, non autem πλοῖον, scribendum hic fuerit ἐλαυνομένην, non autem ἐλαυνόμενον. Tertio notandum, quod emendatio mea proxime ad literas corrupti verbi accedat: quod illi, qui libros Veterum manu scriptos legerunt, melius expendent. Necessarium autem esse hanc emendationem, qua numerus τῶν τριακοντακώπων exprimitur, ostendit epitomator Appianus, & hic quodammodo paraphrastes, qui diserte inquit, concessisse Romanos, πολεμουμένῳ πλείοσι ... (ἄλλαις τριακοντακώποις) χρῆσθαι. Cæterum, E si quis non literam ν numeralem fuisse putare velit, sed proximam ο, cum eo, ut de re incerta, contendere nolim. Scribo quoque αὐτῇ pro αὐτό. Mutatum enim illud est, ob fictum præcedens verbum ἐλαυνόμενον. Casaubonus, corruptam Livii scripturam sequendo, pro αὐτὸ videtur emendandum censuisse μικρότερον (πλοῖον) aut, ἀκάτιον. Sed ferri hanc lectionem non posse, paullo post clarius perspicietur. In Livii verbis plura sunt restituenda. Primum excidisse puto verbum, *tectas*. Id autem necessario rescribendum esse, evincit primo verbum Græcum καταφράκτων, quod ob caussam supra di- F ctam exprimendum erat. Deinde, quia rem falsam alioqui narraret Livius. Certum enim est non modo Nonii auctoritate, sed & ex aliorum scriptorum locis, ubi actuariarum mentio fit, minora navigia fuisse actuarias, quæ inter longas recenseri nequiverint. Nonius: *Actuariæ, naviculæ celeres; dictæ, quod cito agi possent.* Sall. *Hist.* l. II. *Ad hoc pauca piratica actuaria navigia.* Additum, *piratica*, clare ostendit minora fuisse. Piratarum maximæ fuere hemioliæ: frequentis usus, myoparones, Liv. *lib.* XXV. *In hoc tumultu actuariæ naves, instructæ jam ante, cir-*

cumvectæque, ad Nasum armatos exponunt. Quare decem actuarias, tanquam navalium virium præcipuum robur, Antiocho concessas putare, Antiochum Romanos ludibrio habuisse planissime ostenderet. Deinde excidisse puto, *& quinquaginta*. Numerus enim τῶν τριακοντακώπων, *actuariarum*, exprimendus fuit, si habere eas concesserunt. Quinquaginta autem fuisse, satis probabili conjectura ex Polybii restituta scriptura colligi puto. Et actuariam interpretatus videtur Livius Græcum τριακοντάκωπον. Tertiæ emendationis, *ne hac quidem*, tres caussas producere possum, quarum quæque illam adstruat. Prima est, quod Græca μηδ' αὐτὰ, ita vertere debuerit Livius. Altera, quod vetus lectio, *neve minorem*, frivolam sententiam redderet. Quod qui navalem rem, præsertim Veterum, cognita utcunque habet, æstimare possit. Quid enim alienius ab omni ratione dici hic posset, quam decem duntaxat actuarias habere potuisse tantum regem? &, quod stultum videri debet, præterea ne lembum quidem, aut pristem, si bellum alteri inferat? Puto Joppitarum, aut Jamnensium, qui in Antiochi ditione erant, classes, de quibus in *Maccabæorum* libro II. legimus, plurium navigiorum fuisse, quam quæ hic a Livio, ex illorum sententia, Antiocho concessa, memoretur. Omnibus navibus; parvis, magnis; Antiocho interdixisse Romanos, & ipsis, & huic regi gloriosius fuisset; quam decem actuarias reliquisse, quæ ne quidem inter longas recenseri mererentur. Tertia, quod qui pro *minorem* legunt *monerem*, ex ignorantia vetustæ rei navalis in illum errorem lapsi sunt. Nec meliorem hoc nominis sententiam nobis reddit, quam quod prius legebatur. Sed tamen videamus. μονήρης, *moneris*, sicut διήρης, τριήρης, & cætera, compositum, significat quodcunque navigium, parvum, magnum, uno duntaxat remorum versu, ab utroque latere, instructum. Nam & pentecontorus, quinquaginta remorum navis, fuit moneris. Et τριακοντάκωπος ναῦς, quæ triginta remis agitur, moneris est. Sed & scapha, quæ a duobus, aut quatuor, impellitur, moneris dicitur. Xenophonti μονόκροτον, *monocrotum*. Unde planum est, vocem moneris non significare propria significatione minus navigium (quamvis revera minora omnia, cum longis comparata, fuerint, utpote quæ unum remorum versum solum haberent) sed hujusmodi, quod a singulis lateribus, uno remorum versu solum agatur, sive parvum sit, sive magnum. Itaque hanc sententiam habemus. Omnibus moneribus, hoc est, minimis etiam naviculis interdictum fuisse Antiocho. Solis uti licuisse tectis navibus decem, si alteri bellum inferret. Egregia vero sententia, quæ tacite illud diceret: Antiochum navibus uti, quando alii regi, aut populo bellum inferret, noluisse Romanos. Mea autem opinio est, concessisse Romanos, ut decem navibus tectis uteretur, quando alteri bellum inferret; & præterea lembis, ac minoribus naviculis quot vellet. De triginta remorum navibus devisisse sententiam, ut iis uteretur, quando ab altero bellum ipsi inferretur: non autem uteretur, si bello alium peteret. Porro vocabulum *moneris*, nescio an ab ullo Latino scriptore usurpatum inveniatur. Themistius *oratione* X. κλωπείας δὲ καὶ κακουργίας ἐν τοῖς μονήρεσι πλοίοις ποιούμενοι. quod qua significatione hic accipiatur, alio loco sum docturus. Ex his igitur constat; primo, errare Gronovium, dum putat, Antiochum non tradidisse omnes naves longas, sed aliquas retinuisse. Ita enim scribit ad hunc Livii locum: *Dixerat, tradito naves, non definito numero. neque omnes tamen addidit, ut maximam partem significaret, & quia mox finiturus erat numerum longarum, quas ei liceret retinere*. Hæc sententia Polybio, Livioque, adversatur. Nam si id, quod Gronovius opinatur, significare voluisset Polybius, ita scribere debuisset: ἀποδότω δὲ καὶ τὰς ναῦς τὰς μακρὰς, καὶ τὰ ἐκ τούτων ἄρμενα, καὶ τὰ σκεύη, πλὴν δέκα καταφράκτων. Omissis verbis, καὶ μηκέτι ἐχέτω, ut quæ locum hic habitura non fuissent. Livius quoque interpretatus fuisset: *Tradito & naves longas, armamentaque earum, præter decem naves tectas*. omisso verbo, *habeto*. Sed cum illa federis sententia non esset, considerate prior scripserat Polybius, quod vertit deinde Livius: *neque plures habeto*. hoc est: in posterum, quando ad naves rursus ædificandas animum adjiciet Antiochus, hoc cogitet, decem tantum tectas habere concessum esse; ideoque plures non ædificandas. Porro Dialectici quoque statuunt, hoc sermone: *tradito naves longas*, intelligi, *omnes longas naves tradendas esse*. Deinde errant; Casaubonus in versione Polybii, & Gronovius in sua emendatione, dum statuunt Antiocho non concessum fuisse, ut actuariam triginta remorum haberet. Sed si illud dicere voluisset Polybius, quis non videt, scripturum fuisse: μηδὲ τριακοντάκωπον ἐχέτω. omisso verbo, ἐλαυνόμενον. quam difficultatem neuter animadvertisse videtur. Errant tertio, qui *monerem*, tanquam commodum verbum hic laudant, Ursinus & Gronovius. Errat quarto Salmasius, dum nimio emendandi studio Appianum hic depravat. Nam pro καταφράκτους, quod recte legitur in Appiano, & cujus interpretatio in Livio aut excidit, aut corrupta est, male putat scribendum, καταπλάτους, aut καταρέτους. quod utrumque compositione barbarum vocabulum est. Sed & quinto errat Gronovius, qui in iisdem Appiani verbis, sermonem probum mutat, & σολοικίζοντα substituit. neque enim Græcum est, πολέμου κατέχειν. Idem denique errat, dum Polybii verba, μηδ' αὐτὸ, putat significare, *ne hoc quidem numero*. quum numeri mentio nulla præcesserit. Quæ ad hunc Livii locum scripsit Schefferus pag. 82. *De militia navali*, qualia sint, ex hac nostra emendatione eruditus lector perspiciet. Hæc ad difficilem sane locum, & ferme desperatum, adnotare nunc voluimus. Cæterum quæ hactenus clare exposita sunt, non modo de triremibus & quinqueremibus; sed etiam de navibus, quæ deceribus majores erant; hoc, spero, tandem efficient, ut nemo in posterum futurus sit, qui de magnis Veterum navibus, remigumque in illis multitudine, dubitare audeat. Nam aut ignavum se lectorem prodet, qui adducta loca, & argumenta evidentia, excutere noluerit; aut stupidum, qui hujus rei veritatem perspicere nequiverit. Magnis igitur remigum copiis opus habuere Veteres ad naves bellicas instruendas. Et delectum eorum non minus quam militum instituebant. Cassius epistola *ad Ciceronem*: *Delectum remigum, magna contumacia civitatum, tamen satis celeriter habuimus*. Quorsum autem ista, nisi multa millia remigum se conscripsisse significare vellet; ut qui saltem quindecim millia remigum in octoginta navibus longis, & partim tectis, habiturus esset. Hæc tamen res adeo præter opinionem etiam doctorum fuit, qui remiges ad minora navigia & scaphas ablegarunt, ut Interpretum nonnulli in *Ezechielis* loco, cap. XXVII. v. 8. non remiges intelligerent, sed nautas, onerariarum præcipue ministeriis occupatos. Ita enim versio Anglica: *The inhabitants of Zidon & Arvad vvere thy mariners: thy vvise men, o Tyrus, that vvere in thee, vvere thy Pilots*. Sed ipsa curiosi Prophetæ verba videamus. שבי צידון וארוד היו שטים לך חכמיך צור היו בך המה חבליך. *Habitatores Sidonis, & Aradi fuerunt remi-*

ges tui: sapientes tui, o Tyre, fuere in te, ut essent gubernatores tui. Tyrus, urbs mercatura florens, cum in parva insula sita esset, multitudinem omnem opificiis occupatam habebat. Itaque belli tempore, ab vicinis, Sidoniis & Aradiis, rei navalis peritia non minus florentibus, remiges, ad implendas suas triremes, accipiebant divites Tyrii. Nec male ex hoc Prophetæ loco colligeremus, certum quotannis stipendium duabus illis urbibus pendisse Tyrios; ut & de remigibus, si quod repente bellum oriretur, certi essent; & benevolentiam illarum sibi obligatam haberent. Duo autem illa, quorum meminit Propheta, naves bellicæ maxime requirebant; remiges & gubernatores. Remigum virtus ac peritia magnum monumentum adferebat ad victoriam: gubernatoris autem scientia necessario requirebatur. Quin per שטים intelligantur remiges, κωπηλάται, dubium esse nequit, si, quæ hactenus explicavi, bene considerentur. חובלים sunt rectores navis, trierarchus, & gubernator. Hos duos, qui navem bellicam gubernabant, sapientes vocat Propheta. רב החובל *Jonæ* cap. 1. *vers.* 6. dubio procul est magister navis; aut eo non præsente, gubernator. uti & recte habet Vulgata. Rabbinis, ראש הספינה. Nihil enim obstat, quin ipsum gubernatorem ad Jonam descendisse credamus, ut expiscaretur omnia: præsertim quod in magna tempestate gubernaculum funibus alligare soleant, ne moveatur. Et notandum, navem istam, qua Jonas vehebatur, rotundam fuisse; quam & Cyrillus, *commentario* in hunc Prophetam, recte vocat ὁλκάδα, *onerariam*; quæ velis, non autem remis, uteretur. מלחים sunt ἐπιβάται, non in nave bellica; & vectores, in oneraria. Discrimen horum trium vocabulorum ostendere videtur Propheta eodem hoc capite *vers.* 29. וירדו מאניותיהם כל תפשי משוט מלחים כל חבלי הים אל הארץ יעמדו: Interpretes LXX καὶ καταβήσονται ἀπὸ τῶν πλοίων αὐτῶν πάντες οἱ κωπηλάται, καὶ οἱ ἐπιβάται, καὶ οἱ πρωρεῖς τῆς θαλάσσης ἐπὶ τὴν γῆν στήσονται. Vulgata: *Et descendent de navibus suis omnes qui tenebant remum, nautæ & universi gubernatores maris* (addit Hieronymus, *sive vectores, & proretæ*; ex versione LXX. οἱ ἐπιβάται καὶ οἱ πρωρεῖς) *in terra stabunt*. Uterque Interpres non vidit, Prophetam loqui de navi bellica. Primum enim nominat remiges, qui maximum numerum in navi bellica efficiebant. Deinde milites, super constrata navi stantes. quos Græci ἐπιβάτας vocant. Denique rectores navis, trierarchum & gubernatorem. Gradatim a maxima multitudine, sed inhonorata; ad pauciores numero, sed honoratiores progreditur. Sed hæc latius excutere non est hujus loci. Rabbini per חובלים intelligunt omnes ministros navis; cum gubernatorem, tum cæteros nautas חובל נקרא מי שמנהיג חבלי הוילון במשפט וצריך למשכב בחכמה לקבל הרוח במשפט ואחר הוא הרב פרנס הספינה המלמד שאר החובלים לפשון כפי מה שיראה ודוא האוחז דקברניט הנקרא טימון בלעז וכן מנהיג הספינה להדריכה דרדך אשר יראה וכל זה בחכמה: Chobel *vocatur, qui veli funes convenienter regit. Illos enim scienter adducere, necessarium ministerium est, ut ventus recte colligatur. Est autem unus ex iis princeps, gubernator navis, qui & cæteros docet, quæ usus poscit, & clavum* (Hispani *el timon* vocant) *tenet, ut certum cursum navis teneat, & ad propositum locum perveniat*. Qui hæc scripsit Judæus, onerarias consideravit. Pagninus hanc traditionem sequitur, sed eo errore, ut hic versu octavo verterit *nautas*, ubi dubio procul intelliguntur *gubernatores*, qui sunt, & esse debent *sapientes*. Nauta esse potest, qui paullo ante stivam tenuerit. In hunc errorem lapsus non fuisset Pagninus, si observasset, Prophetam hic loqui de nave bellica. Sed & LXX. Interpretes, & Hieronymus hinc lapsi sunt, qui πρωρεῖς, *proretas*, quorum ministerium maxime usui erat in onerariis, pro gubernatoribus hic substituunt.

Hæc sunt, quæ ad fabricam bellicarum navium, quibus Veteres usi sunt, exponendam, adducere nunc volui; ut rem vetustate obscuratam in apertam lucem rursus protraherem. Cum autem multi, ab renatæ literaturæ tempore, de iisdem Veterum navibus commentati sint; attexere hic possem, & fusius demonstrare, quas errandi caussas habuerint; quæ tantæ difficultates fuerint, ut nulla ex erroribus emergendi via inveniri potuerit. Sed iis nunc omissis, ultimi scriptoris, Jacobi Palmerii, qui nova quædam de re navali Veterum proferre videtur, fabricam earundem navium paucis videamus. In *Exercitationibus in auctores Græcos*, pag. 174. ita scribit. *Unumquodque sedile, seu scalmus habet pedem unum & quadrantem in altitudine AB, & in longitudine BC pedem & dodrantem. Sic sedebant novem remigum ordines, unus super alium extructi, sed oblique: & unusquisque remex spatium ad assurgendum habebat pedes sex in altitudine, scilicet a puncto A ad punctum D. & sic novem illi ordines occupabant in altitudine navis tantum undecim pedes circiter*. Non tanti hanc rem putavi, ut figuram Palmerii adponendam curarem. Qui examinare ejus opinionem velit, figuram ibi inspiciat. Prolongetur autem in ejus figura, AB usque ad D. Unde similia fiunt triangula ABC, & DAA. Quare ut AB, $1\frac{1}{4}$. est ad BC, $1\frac{3}{4}$. ita DA, 6. ad AA, $8\frac{2}{5}$. Itaque interscalmium, seu spatium inter duos remiges ejusdem ordinis, ex Palmerii sententia, erit pedum octo, & trientis, & particulæ quintæ decimæ. quod spatium enorme est; & vere adseverare possim, nunquam in ullius bellicæ navis fabrica usurpatum. Quippe vastæ longitudinis futuræ fuissent illæ naves. Porro notandum ibi est, quod sedilis altitudinem faciat, pedis & quadrantis: quæ minor altitudo est, quam ut justæ staturæ viri commode in eo sedeant. Verum spatii lucrandi caussa adeo parvam fecit altitudinem: quam integri cubiti fuisse, ex antiquitate monstrare possum. Ex positione Palmerii, quinqueremis Polybii, quæ XXX. habuit sedilia in quoque ordine, longa fuisset pedes CCLII. absque spatio vacuo ad proram; & ad puppim, ubi erat prætoriolum. Duplo igitur longiorem Palmerius facit quinqueremem, quam ego illam fuisse statuo. Hinc nimium illud spatium prodit, in quo, ex Palmerii opinione, remigum infimus manus, remum tenentes, movit. Vix enim ad dimidium brachia remex extendet. Contra autem, quamvis latitudo sedilis ponatur pedis unius & dodrantis; spatium tamen, in quo remex, post tergum infimi sedens, manus suas cum remo movere debet, justo minus est. Ideoque omnium superiorum remigum ministerium impeditur. Tot censuris obnoxia est Palmeriana triremium fabrica; quæ studio minuendæ navium altitudinis, quam alioqui, ex antiqua laterali collocatione remigum, facere debuisset, ab eo est excogitata. Si octo ordinum navis Heracleensium, ad eum modum ædificata fuisset, longitudo ejus, quam remiges solum occupassent, habuisset pedes octingentos quadraginta: enormis pro nave longitudo, quæ ab dominorum quod hic Amsterdami vocant hospitio publico, præter pontem Lombardicum, ad ædificium, ubi rei maritimæ præfecti conventus habent, pertinet. Noachi arcam, ut quæ trecentorum cubitorum, seu CCCCL. pedum fuerit, ferme altera parte ista longitudo superat. Cum hac triremium fabrica, quam Palmerius instituit,

conferenda ea est quam exposuit Schefferus. Eadem ferme ratio collocationis utriusque est, sine ratione, vel auctoritate veterum scriptorum prodita. Sed ut videat lector, quam hæc rei navalis tractatio fuerit difficilis; locum unum ex Athenæo proferam, quem tres doctissimi viri explicare aggressi sunt: sed successu adeo nullo, ut absurdissimas etiam opiniones protulerint. Libro v. de vasta illa oneraria, quam Hiero ædificandam curavit, Moschionis hæc sunt verba: *ἦν δ' ἡ ναῦς τῇ μὲν κατασκευῇ εἰκόσορος, τριπάροδος δέ.* Interprete Jacobo Dalechampio: *Viginti remorum ordines in ea navi fuerunt; aditus triplex.* Hanc Delechampii versionem probat Palmerius, sed cum hac animadversione; monere ipsum debuisse, pro *εἰκόσορος* legendum esse *εἰκοσήρης*. Ita enim scribit: *Bene ita vertit interpres secundum rei veritatem; male secundum verba mendosa, quæ vertit. Putavit nempe εἰκόσορον ναῦν fuisse navem viginti remorum ordinum: sed debuit in Græco secundum suam versionem mutare vocem εἰκόσορος in εἰκοσήρης. maxima enim est differentia. εἰκόσορος navis est actuaria non magni pretii, quæ viginti tantum remis agitur, ut dicitur τριακόντορος, quæ triginta: at εἰκοσήρης navis erat maxima, & molis extraordinariæ, & stupendæ, quæ viginti remorum ordines habebat.* Itaque hi duo viri opinati sunt, hanc Hieronis navem fuisse icoserem, quæ non minus duo millia remigum habuit. At cum bis mille remigum sedilia tantum loci requirant in nave, ut tota ferme iis occupetur, ubi magnum illud onus, quod hæc navis portavit, collocabunt? Doctus quidem vir fuit Dalechampius, sed qui, cum medicinam faceret, multum temporis visitandis identidem ægrotis insumserit, ita ut non semper æque attenta mente versioni isti operam navare potuerit. Nec tamen illam præcipitavit. Ad triginta enim annos in facienda illa occupatum fuisse scripsit Casaubonus. In qua multa correxit Casaubonus; & plura ego emendare possim. Venia igitur danda Dalechampio, si non semper rem tetigit. Accuratiora omnia a Palmerio jure expectassemus, ut qui non ita negotiis districtus, attentiore cura perlustrare omnia potuisset. Attamen in eam ferme opinionem venire aliquis possit, ac si integram hujus navis descriptionem non legisset. Moschio enim initio suæ descriptionis dicit, fuisse *πλοῖον σιτηγὸν*, navem, quæ triticum portaret: cujusmodi Veteres habuere, quæ vasta mole essent, sicut & illa fuit Ægyptia, de qua supra col. 571. vidimus Lucianum. Fine autem suæ descriptionis narrat Moschio, in hanc navem impositam fuisse, præter ingens onus tritici, magnam vim piscis & carnis salitæ. Non consideravit hoc Palmerius: quamvis & alia sint, quæ ab illa erronea opinione ipsum retrahere potuissent. Onus autem, quod hæc navis accepit, quo etiam feliciter Alexandriam, ad Ægypti regem, Ptolemæum pervenit, superat duo millia onerum, quæ vocant, Hollandicorum, (*lasten.*) Singulis oneribus dando quatuor millia librarum: libræ autem uncias sexdecim. Navis alvum, ubi duobus millibus onerum locus fuerit, vastam fuisse oportet. Ubi igitur collocabunt bis mille remiges? Qui conferti in uno loco stare aut considere non potuerunt; sed ordine per totam navis longitudinem sedilia habuerunt. Nihil certe loci illis mercibus ad latera navis superfuit. Et quod in medio relinquebatur, cibaria, præter cados amphorasque, quibus aqua & vinum continebatur, occupabant. Accedit, quod alvus bellicarum navium parva fuerit, comparata cum alvo onerariarum Sed hi duo viri, quid hic scriberent, ignorarunt Videamus tertium, eruditionis fama haud paullo majorem, Cl. Salmasium, qui in *Observationibus ad Jus Atticum* p. 704. ita scribit. *Onerariæ autem, quæ remis agerentur, raro hunc numerum* (viginti) *remigum transcendebant. Unde maxima navis illa Hieronis oneraria, quam describit Athenæus lib.* v. *ad εἰκοσόρου instar facta proditur. Non plus quam vicenis remis instructam fuisse indicat, ex unoquoque latere denis. Nam πεντηκόντορος inter longas naves locum habuit, qualis Argo prima fabricata est, cum simplici ordine remorum. Et nullam plane onerariam liquet fuisse πεντηκόντορον, cum enormis magnitudinis illa oneraria Hieronis, non plures habuerit remiges, quam mediocris εἰκόσορος.* Paullo post: *Si quæ onerariæ remis agebantur, eæ non plures quam vicenos habuerunt, & εἰκόσοροι ideo appellatæ.* Hæc Salmasii sententia contraria est illi priori; ita ut alteram altera evertat. Illi contendunt, bellicam fuisse navem vicenum ordinum; hic contra, non bellicam fuisse navem dicit, sed onerariam, viginti remos habentem. Onerariam fuisse, recte putavit Salmasius. Et Moschio non uno loco suæ descriptionis idem ostendit. Sed quæ subjungit Salmasius, hujusmodi sunt, ut non scripta vellem. Vastam illam onerariam viginti remos habuisse scribit; ab singulis lateribus decem, Si remorum foramina quædam ornatus caussa facta fuisse dixisset, opinionem rei veritati parum incommodantem ferremus. Sed *oneraria*, inquit, *Hieronis non plures remiges habuit quam mediocris εἰκόσορος*. Quem colorem non defendendæ, sed excusandæ huic opinioni inveniemus? Veritati, ut coram mihi sæpe dixit ipse Salmasius, in lucem protrahendæ, omnia sua comparata esse volebat: & nobis licet, in quibus & ipse, & alii, ab illa aberrarunt, nostri temporis eruditis ostendere. Bene scripserat pag. 652: *Onerariæ velis tantum instruuntur*. nisi quod interdum oneraria parva ædificata est, quæ etiam remis agi posset. Ab ea sententia recedere non debuisset. Quid vero viginti remigum vires in movenda tanta nave efficere potuissent? Si gigantes illi omnes, si Polyphemi, fuissent, quorum singuli vires vicenum virorum habuissent, quid effecissent quadringentorum brachia in agenda nave, quæ duobus millibus onerum gravis erat? Nescio an non facilius crediturus aliquis sit, viginti adolescentulos, qui duodecimum ætatis annum singuli attigissent, navem centum oneribus gravem, Amsterdamo Londinum remis egisse. Hic enim considerandum maxime, navem illam ingenti onere fuisse onustam. Viginti ordinum navis, cum præter cibaria & amphoras, solum portaret suos remiges & defensores, a quadringentis remigibus moveri tamen, & aliquousque agi potuisset; sed onerariam, tanto onere pressam, nescio an quadringenti remiges (tantum abest ut viginti) agere potuissent in mari, æstibus ac ventis agitato. Casaubonus hanc difficultatem aut non vidit, aut præteriit. uti & plerasque, quæ in illa Athenæi narratione, de ingentibus Veterum navibus, adhuc reliquæ sunt. Nunc quartam sententiam, quæ mea est, adponam. Non scribit Moschio, quantæ longitudinis ac latitudinis fuerit oneraria illa Hieronis. Usitatæ onerariæ ratio longitudinis ad latitudinem fuit quadrupla. sed cum vastam hanc onerariam non modo portando ingenti oneri ædificaret Hiero, sed etiam,ut media alvo haberet cubicula magnifica, &, suprema parte, alia in usum militum ac nautarum; majorem justo longitudinem habere debuit. Quippe longitudo enormis facilius mare sulcabit, quam enormis latitudo. Ponamus latitudinem hujus onerariæ fuisse pedum LX. Quare ex modo usitatæ onerariæ longitudo fuisset pedum CCXL. Sed ob dictam caussam justo major fuit longitudo. Rationem longitudinis ad latitudinem plenis verbis

expressam non audiverat Moschio; sed duntaxat, formam vastæ illius fuisse instar icosori, hoc est, in ratione sextupla. Ideoque si latitudinem pedum LX. habuerit, longitudinem fuisse pedum CCCLX. Videamus longitudinem icosori, seu naviculæ viginti remorum. Decem remi requirunt XXV. pedes; interscalmium ponendo pedum duum semis. Vacuum spatium, ad proram puppimque, fuit pedum XVII. simul tota longitudo eicosori pedum XLII. Latitudo autem, pedum VII. Hujusmodi forma fuit illa oneraria Hieronis, quod attinet ad longitudinem & latitudinem. Sed ut altitudinem quoque, quæ etiam usitatum modum onerariarum excessit, ostenderet Moschio, dicit fuisse *τετράροφον*. ideoque trium tabulatorum. Et hoc vocabulum, de quo alias scripturus sum, evincit, non fuisse icoserem, aut etiam icoseris forma, hanc navem. Quare illa verba Moschionis, *ἦν δ' ἡ ναῦς τῇ μὲν κατασκευῇ εἰκόσορος*, *fabrica hæc navis erat eicosoros*, idem significant, ac si Callixeni phrasi dixisset, *τὸ σχῆμα τοῦ πλοίου ἦν εἰκοσόρῳ ἐοικός*. *forma navis hujus similis erat eicosoro*. Sed pluribus Callixenus formam thalamegi Ptolemæi Philadelphi descripsit: addens denique, quæ meæ explicationis firmamentum sunt, hæc verba: *τὸ δὲ σχῆμα αὐτῆς, οὔτε ταῖς μακραῖς ναυσὶν, οὔτε ταῖς στρογγύλαις ἐοικός*. *forma ejus illa erat, ut nec longis navibus, nec rotundis adsimilaretur*. quippe longitudine ad latitudinem erat ut XX. ad III. seu 6⅔. ad I. Unde & hoc colligimus, rationem septuplam minorem fuisse pro nave longa. Unicum adhuc lectori expendendum proponam, quomodo Dalechampius hanc navem pervenisse putarit Alexandriam. *Navis autem*, inquit, *in Alexandriam remulco deducta est*. Ita vertit hæc Græca: *καὶ ἡ ναῦς κατήχθη εἰς τὴν Ἀλεξάνδρειαν, οὗ καὶ ἐνεωλκήθη*. Vertere debuisset: *Perducta autem hæc navis est Alexandriam, & ibi subducta*. Velis acta est hæc navis Alexandriam cum omni onere: & postquam exonerata esset, subducta est in navale pro ipsa ædificatum. *νεωλκεῖσθαι* dicebantur naves, quando machinis, multitudinisque manibus e mari in navale pertrahebantur, ut sub tecto in sicco stantes non ita facile putrescerent; etiam ab aeris injuriis tutæ. Hoc Latini dicebant *navem subducere*. Quam autem longe ab hac sententia aberrat Dalechampius? Remulco deductam scribit hanc navem Alexandriam. At quomodo hoc fieri potuerit, nec scivit bonus hic Interpres; ne quisquam alius explicarit. Num quinquaginta quinqueremes, funibus totidem alligatam traxere? hoc enim est *ῥυμουλκεῖν*. Poeta audacter fingere potuisset, Neptunum equitatus, quem mari mediterraneo aleret, magnam partem, deducendæ illi navi misisse. Sed nihil fingit Moschio; nec verbo remulci meminit. Ventis, ut aliæ onerariæ, Alexandriam & hæc acta fuit. Sed inter tot alios hujus Interpretis errores etiam hic toleretur.

Postquam hactenus, cum antiquorum scriptorum insignibus locis, tum rationibus, quas inventiones meæ suppeditant, sufficienter, mea quidem opinione, ostendi; magnas naves, quæ remis agerentur, non modo ædificatas esse a Veteribus, sed etiam in pugnis navalibus usum habuisse: nunc, quos nostro tempore usus hæ meæ inventiones præbere possint, sum expositurus. Hoc enim de novis inventionibus, præsertim ingeniosis, ad quas comprehendendas lector vires aliquas ingenii adferre debet, inquiri solet; quas utilitates illæ spondeant, quæ commoda ad ullam vitæ communis partem inde derivari possint.

Primam igitur omnis hujus inventionis utilitatem puto, quod nostri temporis galeæ & galeassæ, A quas vocant, commodiore forma ædificari possint, ut celeriores fiant, majoribusque viribus, & sumtibus minoribus (quæ tria in illis maxime attenduntur) in omni navali usu inserviant. Et formam quidem commodiorem nanciscentur, si proportio veterum longarum navium in iis ædificandis observetur. Hanc autem decuplam fuisse puto: in majoribus, ob caussam, paullum decreverit; ut tandem in vasta illa Philopatoris, octava paullo minor fuerit. Certum est, navem, cujus longitudo ad latitudinem esset septupla, inter longas, hoc est, bellicas, quæ remis agebantur, a Veteribus non fuisse habitam. Quas porro artes invenerint; ut, B quam fieri posset, levissimæ ædificarentur, nunc non attingam. Majoribus autem viribus actas fuisse Veterum naves, inde constare possit, quod singulorum remigum virtus, ac contentio, majorem effectum haberet. In nostri enim temporis galeassis cum quinque viri uni remo adpositi sint, multarum virium inanis consumtio est. Quo enim lateri; ideoque scalmo, & quasi hypomochlio; propinquius sedet remex, eo minus efficit. Quare numero pares & viribus, antiquorum remiges, magis & fortius impulerunt navem majorem, quam nostri temporis remiges. Unde sequitur, si majorem effectum C habuere vires remigum, ea collocatione qua usi sunt Veteres; minore remigum copia, adeoque sumtibus minoribus, navem majorem impulsam fuisse. Quanta autem virium jactura fiat, quando quinque remiges uni remo adsident, & qua ratione in singulis remigibus spectata; ingeniosa & utilis contemplatio est, quam neminem adhuc prodidisse puto. Aristoteles hujus considerationis prima fundamenta jecit. Quod Veterum majoribus navibus objici possit, non video aliud, quam quod galeassis nostris fuerint altiores: id quod adverso vento impulsum earum difficilem fecit. Sed par omnium remigum contentio tantas moles ea celeritate egit, D ut cæteras classis minores naves adsequi possent.

Altera utilitas est. quod cum longæ sint, & tantillo onere, maxime remigum, haud alte in aquam deprimantur; in fluviis & vadoso mari, belli tempore, adhiberi possint. Atque illud liquere puto, nullum esse principem, aut rempublicam, aut urbem denique, quæ ad fluvium, & præsertim ad mare sita, non maxima cum utilitate, vetustæ formæ navibus usura sit. Itaque in illa dudum sententia fui, reges, principes, atque urbes, mari Baltico adjacentes, quæ viribus iis sint, ut hosti suo se opponere audeant, insignem opem ab triremibus, quadriremibus, & quinqueremibus, proditionum suarum E magnitudine, sperare posse. Quantam autem utilitatem præbere possint defendendis onerariis, conjicere possumus ex nupero inter Angliæ regem, & federatam Belgii rempublicam gesto bello. Cum enim quieto mari, multæ grandiores Anglorum scaphæ, per ostium Uliæ remis invectæ essent, onerarias, in ancoris stantes, quæ nullo flante vento, velut desertæ a præsidiaria nave erant, incenderunt. Quod si vel una quinqueremis, ad formam a Polybio traditam ædificata, omnibus illis onerariis præsidio fuisset, tantum facinus nunquam ausi fuissent Angli. Illa enim, si qui hujusmodi hostes accessuri fuissent, non satis habuisset tueri suas onerarias, sed ro- F bustas suas alas movens, rostro firmo, tanquam aquila inter minores aves late grassata, omnes suppressisset. Ne una quidem ex tot scaphis tantam quinqueremis celeritatem, in quieto mari, effugere potuisset; sed velut ab ingenti bestia in concluso loco agitatæ minores feræ, omnes fractæ & mersæ periissent. Nec defensorum super tecto quinqueremis stantium tela necessaria ejusmodi occasione videri debent, quando solum navis rostrum, tanto impetu latum, hostes proterere possit. Quod ad sumtus in quin-

A quinqueremi sustentanda faciendos attinet, forsan illo tempore tantum damni factum est, quantum sumtuum illa centenis annis requisitura esset.

Tertia est, quod magnis militum copiis transportandis, omnium navium commodissimæ & olim fuerint, & nostro tempore esse possint, triremes, quadriremes, & quinqueremes. Quippe remigum plerique erant milites: sicut videre est ex vetustis non Græcorum tantum, Romanorumque, sed etiam aliarum gentium navalibus expeditionibus. Hoc autem precor Deum, ut hæc inventio Principibus, Rebuspublicis, ac urbibus usui sit, quando nulla data caussa, injusto bello premuntur; ut ditionum, atque urbium suarum fines tutari possint. Contra autem Regibus, Principibus, ac Rerumpu-
B blicarum rectoribus, qui sola imperandi cupiditate moti, sine magna caussa, contra jus fasque, vicinos, aut exteros populos, hujusmodi navalibus viribus repente opprimere cogitant, imprecor, ut elementa omnia adversa sentiant: ut ignis atque terra navibus eorum exitium machinentur; ventusque ac mare horrendo sonitu terrorem remigibus incutiant: ut scelerata hujusmodi consilia eorum a vento disturbentur; & perlati summa corporum defatigatione labores in profundo maris quietem inveniant.

Quarta utilitas est, quod belli tempore, urbis,
C etiam magnæ, populus omnis transportari hujusmodi navibus possit in insulam, aut in amicam provinciam. Exemplum notabile est, quod Græcorum Patrum quidam de Tyriis refert. Assyriorum rex, Nabuchodonosor, magnis copiis adversus Judæam descenderat. Sed vicinas quoque urbes, vetustis divitiis celebres, expugnaturus, venit Tyrum. Hanc urbem, mari undique cinctam, ut nunc Venetiæ, cum destitutus navibus se occupaturum diffideret, præda tamen omnis generis stimularetur; a continenti ad urbem usque aggerem fecit, ut ab terra oppugnationem ejus adgrederetur. Cum, quid potens rex moliretur, perspicerent Tyrii, &
D vererentur, ne continua oppugnatione urbs caperetur; hoc denique consilium iniere, quomodo se, resque pretiosissimas instanti periculo eximerent. Quare impositis in naves onerarias, quæ remulco agerentur, liberis, ancillisque, & rebus carissimis, cum ipsi cum uxoribus, filiisque & servitio, naves longas conscendissent, in altum evecti, urbem vacuam hosti reliquerunt. Sed cum nullos hodie scriptores habeamus, qui idem illud narrent, forsan illud factum melius accipietur de illo tempore, quando Alexander M. facto aggere, Tyrum expugnavit. Quippe urbem fortissime defen-
E suri Tyrii, uxores, liberosque, in naves impositos, Carthaginem deportandos curarunt. Hanc opinionem etiam tangit Hieronymus, ita scribens: *Tyrum fuisse insulam, & nullum habuisse de terra introitum, in Græcis Latinisque, & barbaris historiis* (Sanchuniathonis forsan) *legimus: sed postea a Nabuchodonosor, rege Chaldæorum: vel, ut nonnulli affirmant, ab Alexandro rege Macedonum, jactos esse aggeres, & oppugnatione, vineisque & arietibus locum præparatum ac de insula factam esse peninsulam*. Sed longe ante Tyrios feliciter hoc consilium exsecuti fuere Athenienses. Cum enim Persarum rex, Xerxes, ingentibus il-
F lis copiis, terra marique, Græciam debellaturus, non procul Athenis abesset; Athenienses non modo uxores, liberosque, sed etiam servitium omne, & rerum pretiosissima, in triremes imposita, in insulam Salaminem deportarunt, vacuamque regi urbem reliquerunt; quam ille totam cum omnibus delubris concremavit.

Quinta utilitas est, quod multis Sacræ Scripturæ locis, quæ nostro tempore non intelliguntur, & ab omnibus recentibus Interpretibus prava versione obscurata sunt, pristinam lucem inferre possim. Quum enim veteris triremis formam, ad hoc usque tempus nemo exponere potuerit; mirum non est, si illa Scripturæ Sacræ loca, in quibus de triremibus, aliisque bellicis navibus, sermo est, peregrinis explicationibus fuerint obnoxia. Sunt autem quatuor veteris Instrumenti loca, quæ bellicarum navium mentionem habent, ubi Hebræum nomen צי reperitur, quod Vulgatæ Auctor interpretatos est trieris.

Primus est, *Numer.* capit. XXIV. *vers.* 24. וְצִים מִיַּד כִּתִּים LXX. Interpretes: *καὶ ἐξελεύσεται ἐκ χειρῶν Κιτιαίων*. Vulgata: *Venient in trieribus de Italia*. Hic generatim moniturus sum, LXX. Interpretes omnibus quatuor locis, ubi hoc vocabulum צי invenitur, illud vertere omisisse. Quod ita accidisse puto. Quum mediterranei homines essent illi LXX. Interpretes, qui rei maritimæ parvam notitiam habebant, loca, quæ de navibus, & quidem bellicis agunt, ab se non satis intellecta, omiserunt, ut domum reversi, ab maris accolis, Joppensibus, Jamnensibus, Ptolemaensibus, sed præsertim ab Tyriis, Sidoniisque, expiscarentur, quod genus navis Hebræa voce צי, qua cum Moses, tum Prophetæ usi sunt, intelligeretur. Nullam hujus omissionis aliam caussam comminisci possum. Manifestum autem est, & maxime notabile, illis locis interpretationem hujus vocis in LXX. Interpretum Versione desiderari. Nec mirum videri debet, quarundam vocum Hebræarum significationes illis Interpretibus ignotas fuisse. Quis enim in paullo cultioris vitæ populo natus, vel solertissimus patriæ linguæ excultor, omnes ejus voces cognitas se habere, gloriari possit? Omnes enim simul artes, omnemque gentis antiquam sapientiam, ritus, mores, se tenere fateretur. Spatio igitur interpretationi hujus vocis relicto, Versionem suam regi Ptolemæo exhibuerunt: quæ toties descripta, nunquam suppleta fuit; donec Aquila, & Vulgatæ doctissimus Auctor, hanc rem plenissime exploratam, Græcis Latinisque literis traderent. Aquilæ quidem interpretationem loci *Esaiæ* cap. XXXIII. solum extare puto, ubi, ut paullo post videbimus, voce *τριήρης* reddidit Hebræum צי. Sed Vulgatæ veneranda eruditio omnibus quatuor locis conspicua est. Ubi tamen illud observandum, dictis quatuor locis, scriptum reperiri *trieris*, Græca forma; non autem *triremis*, quod Romanum est. Cujus hanc fuisse caussam autumo. Cum Vulgatæ Auctor rei navalis non satis magnam notitiam haberet, tanquam religiosus Interpres, Græcum interpretamentum, quod ab omnibus laudatum norat, potius retinere voluit, quam Latino vocabulo periculum non satis propriæ versionis incurrere. Verba illa Belgice ita verto: *Ende drie-riemers van Chithim*, hoc est, naves bellicæ de Chithim. Per triremes enim sæpissime intelliguntur omnis generis bellicæ naves. Quod inde originem habet, quia antiquis temporibus, apud Græcos, atque barbaros, præter triremes majores aliæ, vel inventæ non erant, vel in usum non receptæ.

Alter locus est *Esaiæ* cap. XXXIII. *vers.* 21. כִּי אִם־שָׁם אַדִּיר יְהוָה לָנוּ מְקוֹם נְהָרִים יְאֹרִים רַחֲבֵי יָדָיִם בַּל־תֵּלֶךְ בּוֹ אֳנִי־שַׁיִט וְצִי אַדִּיר לֹא יַעַבְרֶנּוּ׃ LXX. Interpretes: *ὅτι τὸ ὄνομα κυρίου μέγα ὑμῖν (ἐστὶν) τόπος ὑμῖν ἔσται, ποταμοὶ καὶ διώρυγες πλατεῖς καὶ εὐρύχωροι. οὐ πορεύσῃ ταύτην τὴν ὁδὸν, οὐδὲ πορεύσεται πλοῖον ἐλαῦνον*. Vulgatæ Auctor & Hieronymus: *Quia solummodo ibi magnificus est Dominus noster: locus fluviorum, rivi latissimi & patentes: non transibit per eum navis remigum, neque*

trieris magna transgredietur eum. Profundi spiritus Prophetam hic agnoscimus. Nam &, qui amœnissimæ urbis situs sit, intellexit; & qua re maxime tuta ab hostili direptione esse possit, docet. Plurimas utique commoditates habent urbes maritimæ; sed omnes, quæ paullum ab mari remotæ, præterlabentem vident magnum fluvium, per multos terrarum tractus descendentem. Harum enim incolæ non solum omnes orbis terrarum insulas, & terras ad mare sitas, navibus adire possunt; sed & innumera navigia, mercibus onusta, quotidie per fluvium navigabilem descendere atque adscendere vident. Sed ut commoda illa maxima sunt; ita pericula, quibus hujusmodi urbes expositæ sunt, perpetuo metu civium tranquillitatem turbant. Omnes enim mari vicinos populos, tanquam felicitatis suæ æmulos, atque hostes, metuere debent, ut qui magna triremium classe repente eo accedere possint. Amœnitatem igitur beatæ urbis propheta fidelibus civibus suis a Deo certo promitti: contra autem pericula, quæ a bellicis, omnis generis, navibus imminere possint, nulla timere jubet, quia Dei tutela munita erit. Judæi, mediterranea natio, nec amœnissima terra ubique gaudens, si quando ab montibus suis ad mare descenderent, ut Joppen, vel Jamniam, & Accam viserent; horum tunc oppidorum felicitati, quod ob portus minus commodos infrequentia essent, non magnopere invidere poterant. Sed alii, commerciorum etiam caussa, longius profecti, Tyrum præcipue, urbem veterem, & divitiis claram, celebrabant. Tyriarum enim navium, & peregrinarum, in utroque portu, tantam multitudinem, & merces ex omnibus mediterranei maris locis eo advectas, præter totius orientis opes, qui non admirati essent Judæi, qui & naves, tanquam insolitum spectaculum conspicerent; & præter frumentum, & balsamum suum, atque resinam, non magni pretii aliis mercibus abundarent. At si quis mercator Judæus, aut curiosus peregrinator, in Ægyptum venisset, Nilum videns, & innumeros rivos, a fœcundissimo fluvio deductos; miratus dubio procul est, & locorum naturam, & incolarum solertiam. Aliis enim rivis magnarum urbium mœnia cincta vidit. Alios agrestium scaphis, cum omnis generis fructibus, ad urbes quotidie accedentibus, paratos. Aliis vicinas urbes junctas, magnæ ultro citroque commeantium civium commoditati, quibus & festis diebus, ad recreandos animos, uterentur; quando innumeris thalamiferis naviculis per fossas illas vecti, tympanis, fidibusque, omnia resonare faciebant. Hæc Judæus videns, admiratione obstupefactus, felices nimium, ac ter beatos, illarum urbium & locorum incolas prædicabat. Hæc, domum reversus, tanquam inaudita, & incredibilia narrans, cives suos, inter montes atque rupes educatos, duræque vitæ adsuetos, cupiditate incolendi talia loca implebat. Itaque locum hujusmodi atque urbem illis promittit divinus hic propheta, sed majore adhuc commodo amplificatam: quod nullæ unquam hostiles naves, quas Ægyptii metuere semper debebant, ad suam, fluviis, rivisque & fossis latissimis, beatam urbem accessuræ essent. Quippe nomen Domini (ut legunt LXX Interpretes) fortissimo præsidio eam incolentibus erit. Non dubito, quin hac novæ urbis descriptione, ad celeberrimam ea tempestate Ægypti urbem, Memphin, respexerit propheta. Nisi claritatem urbis Alexandriæ prophetam prænuntiasse quis opinetur, quæ multis sæculis post ab Alexandro M. ædificata est, & in qua multa millia Judæorum habitarunt. Certe præter Ægyptum, nulla alia terra, Prophetæ huic cognita, tantis commoditatibus gaudebat, ut non modo fluvium magnum, qui multorum instar esset, haberet; sed & rivos, seu fossas latissimas, quas Græci διώρυγας vocant. Quod enim ad primam urbem attinet, ad Nilum ea sita fuit, paulum supra Delta, ubi Nilus in duo magna brachia scinditur. Et certum est, vetustos Ægyptiorum reges in derivando Nilo, fossisque latis fodiendis, incolarum commoditatibus magnopere studuisse. De urbe Alexandria notum, quod, quamvis centum viginti stadiis, seu quatuor milliaribus Germanicis, ab Nili occidentali maxime ostio, quod στόμα ἡρακλεωτικὸν, seu Canopicum, vocabatur, distaret; omnibus tamen ejus commodis plenissime frueretur. Quippe non modo brevi itinere per mare navigia dictum fluvium intrabant, sed etiam ab pago Eleusine, quæ medio milliari aberat ab Alexandria, Schediam usque, quæ ad dictum fluvium sita erat, per fossam navigabatur. Sed & alia fossa ab Alexandria ad urbem Canopum, quatuor milliaribus itidem distantem, ferebat. Præterea hæc urbs ab septentrione habebat magnum mare; a meridie autem lacum magnum Mariam: ab occidentali parte etiam insignem portum. Itaque commodissimum situm habuit Alexandria; & quod mirabile, etiam æstatis tempore, aerem saluberrimum. Jam ad verborum considerationem veniam. Vocabulum אני generatim significat navem, tam bellicam, quam onerariam. Aquila vertit ναῦς, non autem σκάφη, aut ἀκάτιον. Myoparo, & lembus, ac pristis, quæ summum quinquaginta viros habuere, inter minora bellica navigia recensentur; sed a nullo inter scaphas. Jam & illud maxime attendendum: Si propheta dicere voluisset, scapham nullam, quarum in fluviis fossisque usus est, per illos fluvios atque rivos, qui novam urbem alluent atque cingent, transituram; urbem revera miserrimam Judæis promisisset. Vehementi enim dolore quotidie confecti essent, ut qui profundos fluvios, latosque rivos ante oculos viderent, sed in quibus ne scapha quidem navigare concessum esset. Mallent utique fluvium navigabilem non videre, quam eo uti non posse. Quo argumento, a posteriori, mea sententia firmatur, prophetæ hoc loco sermonem esse non de onerariis, & naviculis, quibus commercia exercentur, sed de bellicis navibus, quæ ad damna inferenda ab diversis mari vicinis populis mitti possent. Sed propius ad consideranda prophetæ verba accedamus. Verbo אני, ne perperam intelligeretur de oneraria, addit propheta alterum שיט; ut indubium redderet navigiorum genus de quo loquitur. Nemo enim illis temporibus, & sequentibus sæculis, fuit, qui per *navem remi*, id est, navem remis actam, aliam intelligeret quam bellicam. Hoc primum est. Sed alterum adhuc magis persuadet, & cogit lectorem, ut de bellicis navibus ipsum hic loquentem intelligat. Quippe ab generali nomine bellicæ navis, ad speciale venit, exprimens formam navis, quæ fluvium illum non transitura sit. Nam vox צי, qua utitur, Hebræis triremem significat. Ita enim Hieronymus se ab Hebræis accepisse scribit, triremem intelligi per Hebræam vocem צי. Ita & Aquila, vertendo hunc locum docuit. Ita sententia reliquorum trium locorum, ubi hoc vocabulum צי reperitur, ut accipiamus, persuadet. Accedit paraphrasis Chaldaica Jonathanis, quæ, quamvis significationem verborum אני שיט non recte expresserit, ideoque in sententia prophetæ explicanda fallatur (neque enim סְפִינַת צַיָּדִין *navis piscatorum*, ullum locum hic reperit) tamen Hebræorum traditionem, qui nomen צי semper intellexerant de navi triremi, mutare ausus non est, sed potius admirabili paraphrasi confirmavit. Quippe hæc duo verba צי אדיר duobus aliis, ipsius sæculo

maxime usitatis, & rem exprimentibus, egregie supplevit, substituendo בּוּרְנֵי רַבְּתָא burne rabbeta, *liburna magna*. Hanc ego posteriorem paraphrasin admirabilem merito voco, quod post navalem pugnam ad Actium, verbum *liburna* magis in usu fuerit, quam verbum *triremis*: ex ea causa, quod forma triremium, qua Liburni utebantur, leviores adeoque celeriores faceret triremes, quam ad illud tempus in usu fuissent. Et cum illius formæ triremibus, in pugna navali ad Actium, præcipue victoriam consecutus esset Augustus, in posterum celebre illarum nomen fuit apud Romanos. Latinus hujus paraphrasis Interpres utitur verbo *trieris*, & quidem numero singulari; sed sensum prophetæ, & paraphrastæ verba expressurus rectius vertisset, *liburnæ magnæ*. LXX. Interpr. hic obscuri, & manci sunt, ex caussa col. 626. dicta; forsan etiam nonnihil librariorum errore. Quippe pro ἐλαύνον, quod nihil hic significat, saltem scripsisse videri debent, ἐλαυνόμενον. Sed erudita est, & vere concinna versio Aquilæ, quam Procopius Gazæus, cum non paucis ejusdem auctoris aliis, *commentario in hunc prophetam*, nobis conservavit. Quo vel solo nomine huic scriptori multum nos debere inficiari non debemus. Sic autem Aquila: οὐ μὴ πορευθῇ ἐν αὐτῇ ναῦς κώπης, καὶ τριήρης ὑπερμεγέθης οὐ διαβήσεται αὐτό. *Per ipsum* (fluvium) *non ibit navis remi, & eximiæ magnitudinis triremis ipsum non transibit*: quam versionem Vulgatæ Auctor & Hieronymus secuti sunt. Isidorus *Originum l.* XIX. cap. I. hujus loci mentionem facit. *Trieris, navis magna, quam Græci dulconem vocant; de qua in Esaia dicitur, Non transibit per eam trieris magna.* Sed addere debuisset, quod Græcorum *trieris* Romanis sit *triremis*. Paullo post tamen hæc habet. *Biremes autem naves sunt, habentes remorum ordinem geminum. Triremes & quadriremes, trium & quatuor ordinum: sic & penteremes, & hexeremes, quinos vel senos ordines habentes.* Ultima corrupta sunt: quippe credere nequeo, ab ipso esse inscita vocabula, *penteremes*, *hexeremes*, pro *penteres*; quo tamen Latini usi non sunt, cum suum *quinqueremis* haberent; & *hexeres*. Peculiarem habet sententiam de vocabulis *trieris*, *triremis*, Hugo Grotius, *in hunc Esaiæ locum* ita scribens. *Aliud trieres, aliud triremes. Triremes tribus remis aguntur, trieres, ternis remorum ordinibus: sed sæpe in libris Latinis inscitia librariorum hæc confudit.* Lectorem, qui Latinos Græcosque auctores non contulit, hujus viri auctoritas decipere posset. Notabile est, quod dicit, triremem esse (navemne an scapham dicere voluerit, ignoro) quæ tribus remis agatur. δίκωπον, videlicet πλοιάριον, scapham parvam, quæ duobus remis agatur, Græca lingua agnoscit. Atque ita τετράκωπον, ἑξάκωπον, & ultra dici potuere scaphæ, quæ quatuor, sex, pluribusve, æqualis numeri, remis ab utroque latere impellerentur: sed τρίκωπον, πεντάκωπον, ἑπτάκωπον, remigandi usus reprobat. Nec per tertium remum intelligi potest gubernaculum, quia hujusmodi scaphula gubernaculo non eget. Nunc locis aliquot probabo, primum τὸ *trieris* idem esse quod *triremis*. Deinde, triremem fuisse navem trium ordinum, adeoque magnam. Asconius Pedianus *in Verr: Trierarchus, navi triremi præpositus. Triremis ternos remorum ordines habet: ita & biremis, & quadriremis, & deinceps dicuntur.* Ecce *trierarchus*, id est, *trieris princeps*, seu *præpositus*, explicatur per Latina verba, *triremis præpositus*, seu, *navi triremi præpositus*. Ita quoque Hesychius: τριήραρχος, τριήρους ἄρχων, ἤτοι πλοίων πολεμικῶν. Deinde dicit Asconius, uti & supra *adducto loco* Isidorus, quod ad alterum probandum pertinet: *triremis ternos remorum ordines habet*. II. *Maccab.* c. IV. *vers.* 20. εἰς τὰς τῶν τριήρων κατασκευάς. Vulgata recte vertit: *in fabricam navium triremium*. Polybii hæc: καὶ παραυτίκα τούτοις μὲν ἡτοίμαζον δύο τριήρεις παραπόμπους. *Et statim his parabant duas triremes quæ prosequerentur.* Liv. vertit: *Datæ triremes duæ.* Centena loca proferri possent, quibus probetur, triremem fuisse magnam navem, tribus remorum ordinibus actam. Vel unius Ciceronis locus *in Verrem* sufficeret: *Navem maximam, triremis instar ædificavit.* Glossæ: τριήρης, *triremis*. Et aliæ: *Triremis*, Τριήρης. Accedit denique argumentum, quo vel solo ista opinio evertitur. Si triremis scapha est tribus remis acta; & quadriremis erit, quæ quatuor remis agebatur; & quinqueremis, quæ quinque. Quo modo ingentes illæ naves in scaphas, paucis remis contentas, mutarentur. Quod attinet ad ultima verba: *sæpe in libris Latinis inscitia librariorum hæc confudit*, scire vellem, quinam Latinorum scriptorum Græcæ formæ vocabulo *trieris* usi sint. Utique qui alicujus vetustatis sunt, Latino *triremis* utuntur. Sed, ut redeam ad prophetæ nostri locum nihil ab Rabbinis hic opis est, qui navium veterum nullam notitiam habuerunt. R. Selomo ben Melech, in *Annotationibus* hic Amsterdami editis, id solum dicit, *per navem remi, intelligi navem, quæ remis agatur.* פרוש אני שמוליכין אותו במשוטים. Ubi dubio procul erratum est, forsan ab typographo: quippe edendum fuerat שמוליחין. Vocem צי explicat per ספינה quod generatim *navem* significat. Unde satis adparet, Rabbinos hoc loco non intellexisse Targum Jonathanis; qui, ut vidimus, Romano vocabulo, suo tempore usitatissimo, hoc nomen egregie explicavit. Porro hunc locum de bellicis navibus accipiendum esse, etiam inde perspicitur, quod propheta, ex Symmachi interpretatione, triremem describat, quæ in pugna navali valde vulnerata, mergi incipiet, & ab hostibus diripiatur. Belgicis Interpretibus, qui אני שיט vertunt *roey-schuyte*, cum vertere debuissent, *roey-schip*, errorem facile condonamus, quod ad hoc usque tempus, etiam inter eruditissimos, nemo repertus sit, qui, cujus formæ triremes, pluriumque ordinum naves, fuerint, ostendere potuerit. Et novum vocabulum Belgicum, *drie-riemer*, triremis, ad Latinorum formam, & significationem fictum, in posterum, perspicuitatis caussa, in plerasque peregrinas versiones translatum iri spero. Neque enim vulgare *galeye*, Veterum triremem, quam omnes gentes nunc ignorant, significare potest: quod galea nunc sit unius ordinis, cum triremis, ut sæpius dictum est, ternis remorum ordinibus navigarit. Cæterum quot errores hinc prodierint, quod ignorarent Interpretes, naves remis actas, & triremes, fuisse bellicas; ex diversis in hunc locum commentariis videre est. Forerius bellicarum navium ne minimam quidem hic mentionem facit. *Nomen* אני, inquit, *navem absolute significat*, (hactenus bene; sed erroneum est quod sequitur) *sed cum nomine remigum, naviculas designat.* Quid adferet, quo hoc probet? In Scriptura sacra, aut vetustis Interpretibus nihil quisquam reperiet, quo hanc Forerii opinionem fulciat. Hinc autem sequens explicatio derivatur. *Vix autem reperietur fluvius, quem navis remis impulsa* (naviculam, seu scapham, intelligit) *non transeat. Significat ergo apud Jerusalem ingentes aquarum gurgites* (scilicet, per quos hujusmodi navicula transire non audeat.) Ita colligit: Tam vastus fluvius difficulter reperietur, quem scapha transire nequeat. Atqui fluvium, quo civitas Dei cingetur, nulla scapha trajiciet. Ingentem igitur & vastum esse oportet. Unde satis liquet, prophetæ sententiam non adsecutum esse hunc virum: ad

quam tamen Aquila, Symmachus, Vulgatæ Auctor, & paraphrastes Jonathan, ipsum quasi manu ducere potuissent. Hæc ergo est Forerii explicatio verborum אני שים. Alterum quoque ejus errorem videamus. *צי quoque naves absolute notat.* Hoc falsum esse, hactenus ostendi. Hieronymum magistrum sequi debuisset, qui commentario *in cap.* xxx. *Ezechielis* scribit, ab Hebræis se ita edoctum, nomine צי intelligi triremem. Pergit: *sed cum nomine* אדיר *non dubium, quin ingentes naves & onerarias designet.* Ultimum hoc ne minima quidem veritatis luce splendet: quippe oneraria vocatur אני aut ספינה. Quæ duo vocabula generalia sunt, & utrumque navigiorum genus, cum bellicum, tum onerarium significant. Alios errores nunc excutere non vacat. Belgice hunc locum ita interpretor. *Maer de naeme des* HEEREN *sal by ons machtig zijn. Het sal zijn een plaetse van rivieren, van vvijde met handen gegravene vaerten. Gheen schip met riemen sal daer op gaen; noch gheen machtig drieriemer sal daerover vaeren.*

Tertius locus est *Ezechielis* cap. xxx. *vers.* 9. בַּיּוֹם הַהוּא יֵצְאוּ מַלְאָכִים מִלְּפָנַי בַּצִּים לְהַחֲרִיד אֶת־כּוּשׁ בֶּטַח Interpretes LXX. Ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ ἐξελεύσονται ἄγγελοι σπεύδοντες ἀφανίσαι τὴν Αἰθιοπίαν. Auctor Vulgatæ: *In die illa egredientur nuntii a facie mea in trieribus, ad conterendam Æthiopiæ confidentiam.* Hunc locum intelligendum esse de navibus bellicis, firmissime adstruunt verba proxime adposita להחריד את כוש ἀφανίσαι τὴν Αἰθιοπίαν, *ad percutiendam Æthiopiam*, terram eorum invadendo magna classe, quæ ingentes militum copias adportet. Ita quoque egregie, ut pleraque omnia, explicavit hunc locum Jonathan. בְּעִידָנָא הַהוּא יִפְּקוּן אִזְגַּדִּין מִן קֳדָמַי בְּלִיגְיוֹנִין *In tempore illo egredientur nuntii a facie mea cum legionibus.* Explicationis autem caussa verbum בצים interpretatum esse per בליגיונין adparet quoque ex præcedente loco *Esaiæ*, ubi proprio verbo, quamvis Romano, usus est. Hic per metonymiam contenti pro continente explicare voluit nomen, admodum proprie ab propheta usurpatum. Neque enim illa eversio navibus, sed legionibus, ut Romani tunc loquebantur, hoc est, magnis peditum equitumque copiis, quæ illis triremibus transportabantur, fieri potuit. Id autem notabile admodum hoc loco est; quod etiam ex multis aliis auctorum locis discimus, magnas militum copias triremibus, seu navibus bellicis, transportatas fuisse. Hieronymus commentario ad hunc locum, ex editione Parisina, anni 1643. *Et pervenerint nuncii, juxta Aquilam & Theodotionem* צים, *quos Symmachus transtulit festinantes: nos in trieres vertimus (ita enim ab Hebræis accepimus.)* Hæc verba transposita videntur, hoc modo reponenda. *Et pervenerint nuncii, juxta Aquilam & Theodotionem, quos Symmachus transtulit* festinantes. בצים *nos, in trieribus, vertimus: ita enim ab Hebræis accepimus.* Hieronymus his verbis primum illud dicit: Aquilam & Theodotionem verbum מַלְאָכִים interpretatos esse, *nuncii* (id est, ἄγγελοι) Symmachum autem, *festinantes* (σπεύδοντες) deinde, צים significare triremes: uti didicerat ab Judæis. Credere nequeo, Symmachum בצים transtulisse *festinantes* (errore manifesto) sed id potius; Symmachum aut solo verbo σπεύδοντες, usum pro nomine ἄγγελοι; aut, uti LXX. conjunxisse, σπεύδοντες ἄγγελοι, ut ultimo exprimeret Hebræum מלפני, omissa interpretatione vocis בצים, quam LXX. & hic, & tribus reliquis locis prætererant. Hoc vocabulo ציים usus quoque est in *Compendio historiarum*, Josephus (non ille, qui Gorionis filius) quod Sebastianus Munsterus semel tantum Hebræo Latinoque sermone edendum curavit Wormatiæ, anno MDXXIX. De Marco Antonio ita Josephus: בחיל ובפרשים ויצא להלחם בו בים באניות ובציים וביבשה Interprete Munstero. *Egressusque est* (M. Antonius) *ut pugnaret contra eum* (Octavium) *in mari, in navibus, in insulis & in arida, cum exercitu & equitibus.* Vertit, *in insulis*; ubi vertere debuisset, *triremibus. Terra marique bellum contra Octavium gessit Antonius; mari, navibus* (longis atque magnis) *triremibusque; terra, peditum equitumque magnis copiis.* Ita autem vertendum esse, ex historia Romana est certissimum. Præterea notandum hic est, quod Josephus primum ponat באניות, quo magnas Antonii bellicas naves significat, hexeres, hepteres, octeres, enneres: biremes, triremes, & quadriremes designat voce ציים. Idem auctor paullo post verbo ספינה utitur generatim, omnis generis bellicas naves eo designans: ויבא בספינתו אל ארץ מצרים ויבא אל אי הנקרא רודוס *Venitque* (Octavius) *in Ægyptum navibus; & venit in insulam, quæ vocatur Rhodus.* Belgice verto superiora: *Te dien daghe sullender boden van mijn aengesichte in drie-riemers uytvaeren, om de sekerheyt van Mooren lant te vernielen.*

Quartus locus est, *Daniel.* cap. XI. *vers.* 30. וּבָאוּ בוֹ צִיִּים כִּתִּים Interpretes LXX. καὶ εἰσελεύσονται ἐν αὐτῷ οἱ ἐκπορευόμενοι Κίτιοι. Vulgata: *Et venient super eum trieres & Romani.* Belgice: *Ende daer sullen drie-riemers van Chittim teghen hem koomem.* Sermonem prophetæ esse de bellicis navibus, extra dubium est. Atque hæc quatuor illa loca sunt, ubi nomen צי, significans *triremem*, reperitur.

Nunc porro lectorem eruditum, atque curiosum, ducam ad visendam bellicam navem, cum magnitudine, tum fabrica admirabilem, quam prophetarum eloquentissimus Ezechiel descripsit cap. XXVII. vers. 3. כה אמר אדני יהוה צור את אמרת אני כלילת יפי: בלב ימים גבוליך בניך כללו יפיך: ברושים משניר בנו לך את כל לחתים ארז מלבנון לקחו לעשות תרן עליך: אלונים מבשן עשו משוטיך קרשך עשו שן בת אשרים מאיי כתים: Interpretes LXX. Σὺ εἶπας, ἐγὼ περιέθηκα ἐμαυτῇ κάλλος μου, ἐν καρδίᾳ θαλάσσης τῇ Βεελεὶμ, υἱοί σου περιέθηκάν σοι κάλλος. κέδρος ἐκ Σανεὶρ ᾠκοδομήθη σοι, πᾶσαι σανίδων κυπαρίσσου ἐκ τοῦ Λιβάνου ἐλήφθησαν, τοῦ ποιῆσαί σοι ἱστοὺς ἐλατίνους, ἐκ τῆς Βασανίτιδος ἐποίησαν τὰς κώπας σου, τὰ ἱερά σου ἐποίησαν ἐξ ἐλέφαντος, οἴκους ἀλσώδεις ἀπὸ νήσων τῶν Χεττιείν. Auctor Vulgatæ: *O Tyre, tu dixisti; Perfecti decoris ego sum, & in corde maris sita. Finitimi tui, qui te ædificaverunt, impleverunt decorem tuum. Abietibus de Sanir extruxerunt te cum omnibus tabulatis maris: cedrum de Libano tulerunt, ut facerent tibi malum. Quercus de Basan dolaverunt in remos tuos: & transtra tua fecerunt tibi ex ebore Indico, & prætoriola de insulis Italiæ.* Similitudinem Propheta proponit, qua urbs Tyrus armatæ navi comparatur. Tu, o Tyre, vocaberis navis bellica, perfecta pulcritudine. Primum enim, sicut navis bellica longa est & angusta; Ita situs insulæ oblongus est, in qua tu, urbium validissima simul & elegantissima, es ædificata. II. Sicut bellica navis in eum usum ædificatur, ut in mari consistat, stationem ante portum tenens, custodiendæ, defendendæque urbis caussa adversus inopinatos hostium accessus: Ita is tuus, o Tyre, situs est, quæ mari undique allueris, ut cives tuos atque incolas, adversus hostilis classis, aut piratarum, accessum defendere possis. Limites autem tui ad medium maris pertinent, quia dominam maris potentia tua te fecisti. III. Sicut bellicæ navis fabri omnem operam atque artem conferunt, ut non modo valida, sed etiam decora ac magnifica ædificetur: Ita tu, o Tyre, ædificiorum amplitudine ac magnificentia præstas: quippe op-

timis usa architectis, qui amplissimæ mercedis spe ad te confluxerunt, ut scientiæ suæ honorem curiosis hominum oculis commendarent. IV. Sicut bellicæ navis fabrica in ædificio parietum, qui navem ambiunt, & maris, tanquam hostis, ad interiora accessum arcent, maxime consistit; illi autem ferme ex duobus longæ navis lateribus constant. (quippe cum longa navis sit, ideoque angusta, planum est, latera multum operæ, parum autem proræ puppisque rotunditatem poscere) Ita longi duo muri, quibus latera tua, o Tyre, cinguntur, validi sunt & alti, ut externi hostis insidias atque vires, aut non metuant, aut facile repellant. V. Quemadmodum magna navis bellica magno quoque malo opus habet, qui ex proceris montis Libani cupressis rotundatur; ut non modo antennam cum velis sustineat, signisque in altum tollendis inserviat; sed etiam hunc usum præbeat, ut longissime inde in mare nautæ ac milites prospectent, & machinis bellicis inde suspensis hostem oppugnent; Ita tu, o magnifica urbs Tyre, altis turribus superbis, unde terra marique adpropinquantem hostem longissime prospicias. VI. Sicut pinus in monte Basan cæduntur, ex quibus remos bellicæ navi dolent; quibus licet vilibus, attamen necessariis instrumentis, hujusmodi navis placido mari, aut adverso flante vento, impellitur, ut ad propositum locum perveniat: Ita tu, o Tyre, eodem pini levi ligno ad multa & necessaria instrumenta atque vasa uteris, quibus opifices tui commercia, adeoque publicum bonum, pacis tempore promovent. VII. Sicut navis bellica tota sua alvo ædificata habet remigum sedilia & transtra, justo spatio inter se distantia, per quorum medium portisculo via solum pateat: Ita tu, o Tyre, ab magnæ fossæ (quæ per medium urbis transit, magnificisque mercatorum tuorum ædificiis superbit) utroque latere, transversim directos & angustos habes vicos, velut remigum transtra, in quibus vicis omnis generis artifices tui, qui textoriam atque infectoriam exercent, habitant. VIII. Sicut navis bellica trierarchum vehit, aut classis præfectum, cui in puppi magnificum prætorium, velut domus, ædificatur e præstantissimo ligno insularum Græciæ: Ita tu, o Tyre, regem habes, & ipsi ædificatum in altero urbis extremo magnificentissimum palatium, rarissimo insularum ligno ornatum, quod ille regali superbia inhabitat. IX. Sicut navis bellica non modo vela & aplustria, ad usum atque ornamentum, habet; sed etiam colorata linea veste superbit, quæ meridie expansa, milites supra tecta nave versantes a Solis æstu defendit: Ita tu, o Tyre, non solum murice tincta purpura, omnisque generis serica ac byssina veste in ædibus tuis abundas; sed etiam tapetibus, quibus viæ publicæ usum civibus tuis amænum reddis, & simul præcaves, ne nimio Solis ardore morbos contrahant. X. Sicut navis bellica, parata, omnique ad navigandum armamento instructa, magna remigum copia indiget, qui suis viribus eam impellant: Ita tu, o Tyre, non modo mercatoribus, velut thranitis, abundare debes, qui in omnibus terris, atque insulis, mercaturam exerceant; sed præcipue etiam artificibus & operis, tanquam zygitis, & infimis remigibus, qui in lanificiis tuis, & infectorum officinis ministrent, qui publici commodi navem labore suo atque industria in tutum hujus vitæ portum deducere collaborent. XI. Sed ut magna navis non solo labore, viribusque remigum, magno numero in diversis sedilibus, transtrisque, considentium, in tutum portum perducitur, sed maxime indiget prudentia sapientis trierarchi, & vigi-

A lantia periti gubernatoris, & industria reliquorum, certis ministeriis præfectorum: Ita tu, o Tyre, curas quidem, ut plebe ac mercatoribus sis frequens; sed non minus in id studio omni incumbis, ut sapientem e civibus tuis præficias regem, qui gubernaculum publicæ salutis tractare norit; ut prudentes eligas senatores, qui justitiam sine gratia administrent; ut sanitatis publicæ curatores, pauperumque antistites constituas, qui te perpetuo juventæ flore validam conservent. Hi enim omnes de salute tua solliciti, sæpius oculos elevant, ut publicæ prosperitatis ventum omnem a Deo immissum urbis suæ muris atque aggeribus

B excipiant, & retineant. Et quamvis identidem consilia sua, velut clavum, parumper varient, nunquam tamen a recto cursu, qui ad honestæ, ideoque Dei gratia nixæ felicitatis portum perducere possit, vel minimum deflectunt. XII. Sicut navis ejusmodi armata maximo decore in mari eminet; quam potentes amici honore adficiunt; & minores, sibi præsidio optant; ad quam certatim merces suas vicini adportant, ut cum nautis ejus negotientur: Ita te, o Tyre, minorum urbium incolæ magno suo lucro frequentant, & longe dissiti populi amicitiam tuam, & commercia tecum, expetunt. XIII. Sicut navis bellica, parata

C & instructa remigibus, in altum non evehitur, nisi prius defensores suos magno numero accipiat, qui vim omnem, quæ & ab piratis, & a magnis hostilibus navibus inferri possit, arceant: Ita tu, o Tyre, cum solis commerciis vivas, & divitias ingentes adquiras, æmulos vicinos omnes & peregrinos populos metuis; & felicitati tuæ insidiantes: Ideoque non modo Aradios, murorum tuorum custodes adscivisti, sed & Persas, Lydosque, & aliis ex gentibus milites conduxisti, ut finibus tuis præsidio essent. Hanc puto sententiam esse eloquentissimi Prophetæ.

D In mea explicatione id primum pro certo adsumo, insulam, quam urbs Tyrus totam ædificiis suis expleverat, saltem hujus Prophetæ tempore, fuisse longam & angustam; cujus formæ erant Veterum naves bellicæ. Hujus meæ opinionis duos nunc adsertores producere possum, qui ipsi oculis suis hanc, aliasque Phœnices, & Palæstinæ, urbes viderint. Joannes Phocas, qui anno Christi MCLXXXV. ita loca vidit, de Tripoli ita scribit: *τούτου (Λιβάνου) περὶ τοὺς πρόποδας ἐστὶν ἡ Τρίπολις, ἣν ὁ δειμάμενος ἐπὶ χερσονήσου ἐπήξατο. καὶ γὰρ ἐκ τοῦ Λιβάνου λεπτὸν ῥαχίον κατερχόμενος. γλωσσοειδῶς τῇ θαλάττῃ ἐμφύεται, κυρτούμενον περὶ τὸ ἀνατολικώ-*

E *τερον μέρος, ἐφ' οὗ τὸ ἄκρον ὁ τὴν πόλιν δειμάμενος τὰς βάσεις ταύτης ἐπήξατο.* *Ad montis* (Libani) *pedes sita est Tripolis, quam conditor in peninsula posuit. Quippe ab Libano tenue dorsum descendens, linguæ forma in mare se extendit, curvatum ad partem, quæ magis in orientem vergit, in cujus extremitate conditor hujus urbis fundamenta posuit.* Paullo post idem de Tyro: *αὕτη τῷ σχήματι τῆς Τριπόλεως ἐν ὁμοίᾳ χερρονήσῳ τεθεμελίωται.* *Hæc* (Tyrus) *eadem forma, qua Tripolis, in simili peninsula fundata est.* Non solum dicit, peninsulam esse Tyrum, qui & Tripolis situs sit; sed addit

F quoque, *τῷ σχήματι τῆς Τριπόλεως, δηλαδὴ γλωσσοειδεῖ*, *forma linguæ, quam Tripolis habuerit, fuisse quoque Tyrum.* In eandem sententiam scribit Wilbrandus de Oldenborg, canonicus Hildeshæmensis, ex Comitum Oldenborgensium familia, qui anno Christi MCCXI. illas urbes vidit. *Ipsa vero civitas* (Tripolis) *in omni sua dispositione Tyro simillima, fere undique mari cingitur & munitur.* Idem de Tyro. *Hæc est civitas bona & fortis; maximum Christianorum solatium; quia inter omnes*

A *sæculi civitates ipsa, ut creditur, vero nomine fortissima nuncupatur: ex una enim parte munitur muro bono, & mari, in quo latentes scopuli, longe sub aquis protenti, insultum navium ex muro defendunt: ex alia parte defenditur fossa bona murata, & quinque muris turritis & validissimis; in quibus dispositæ & transpositæ sunt quinque portæ, quæ introitum civitatis adeo intricant & observant* (*obscurant* videtur legendum) *ut, qui eas introeunt, in domo Dædali errare & laborare videantur*. Egregie & hic locus eundem situm Tyri confirmat. Duarum enim ejus partium tantum mentionem facit: unius, quæ mari opposita sit; alterius, qua terram adspiciat. Hæc igitur tria loca B sunt, quæ meam opinionem de oblonga urbis Tyri figura adstruunt. Hispanus Judæus R. Benjamin, easdem urbes vidit circa annum Christi MCLXXIII. sed qua fide id quod sequitur narret, esset inquirendum. ועולה אדם בחומת צור החדשה ורואה צור המעטירה אשר כסה אותה הים והיא רחוקה מן החדשה בזריקת אבן ואם ירצה אדם לבא באני ביבם רואה המגדלים והשווקים והחוצות והארמונים בקרקע הים: *Novæ Tyri mœnia si quis conscendat, Tyrum illam coronariam* (Esaiæ XXIII. 9.) *conspicit mari obrutam: quæ a nova jactu lapidis distat. Quod si cui scapha* C *ingredi mare collibitum fuerit, turres & fora cum plateis, palatiaque in fundo despiciet*. Quod de portu intra urbem narrat, ex aliis notum est. Quod autem ad illam Benjaminis narrationem attinet, non legimus de magno terræ motu, qui post Alexandri M. tempora acciderit, quo pars urbis Tyriæ desederit. Et vix credibile est, partem urbis ita subsidisse, ut non modo palatia, quorum mentionem facit, sed etiam fora, ac plateæ conspicerentur. Strabo quidem de magno terræ motu, ante sua tempora ibi facto, scribit, quo hæc urbs periclitata fuerit, ne tota everteretur: idque ob altas ædes, quæ D majori periculo, quam humiles, ejusmodi tempore obnoxiæ sunt, ut concidant, & omnia quæ in iis sunt simul opprimant. Multis terræ motibus vexatam fuisse illam urbem, scripsit quoque Curtius. Crediderim potius, nisi majora omnia retulerit Judæus, cum pars quædam urbis diruta esset, circa alterum ejus extremum, ubi regis olim palatium; aliaque magna ædificia, publica præsertim, fuerint, sequentibus temporibus lapides ex ruinis ablatos fuisse, quibus in reficiendis suis ædibus, aut novis ædificandis uterentur. Et cum fundamenta ipsa cives auferrent, factum fuisse, ut mare totum illum locum tegeret. Cæterum cum hæc de situ urbis Tyriæ inquisitio curiosa sit, & prophetæ hujus loco E illustrando utilissima; non possum non desiderare Veterum multorum monumenta, quæ hic egregie juvare potuissent. Illud maxime doleo, cum Cyrilli *in Ezechielem commentarius* extaret in Scorialensi bibliotheca, offerretque editioni ejus operam suam Balthasar Corderius; vir doctus & diligentissimus, qui cum aliis editis Veterum monumentis, tum maxime tribus in Psalmos Græcorum Patrum tomis, de Christiano nomine optime meritus est; tanta invidia laborasse ejus cœnobii patres Hieronymianos, ut honestæ voluntati, & bene etiam de ipsis, & cœnobii celebritate, merendi studio, quidquid etiam Hispanorum magnatum nonnulli inter- F cederent, nihil loci reliquerint. Hoc certe præter institutum illius sancti viri, cujus nomen adsciverunt, fecisse videntur. Nisi enim ingenii sui monumenta, ad docendum orbem Christianum, in lucem edidisset Hieronymus; quantum hodie in Sacris libris ignoraretur, quod ingenti illius labore feliciter est explicatum? Tantum abest, ut aliorum Patrum erudita scripta ille pressurus fuerit.

A Ultro doctos homines accersere debuissent divites illi Hieronymiani, qui edendorum hujusmodi scriptorum curam ac laborem suscipere vellent ac possent, ut non modo tineis pretiosissima Christianæ antiquitatis monumenta subtraherent; sed etiam incendiorum periculis, quibus omnia hujusmodi sunt obnoxia. Illud certe lucrati fuissent, ut, postquam orbis Christianus hoc tempore de incendio audivit, quo & cœnobii magna pars, & bibliotheca illa conflagravit, dolorem potius suum illis Patribus testaretur, quam invidiam execraretur: quasi in eum finem tot inedita eruditorum hominum monumenta conservassent, ut Vulcano aliquando consecraretur, quæ Christo, ejusque fideli B populo, ab beneficis editoribus, offerri debuissent. Cæterum curiosos lectores rogo, ut, si quos vel antiquos, vel recentiores scriptores habeant, qui illarum urbium mentionem faciunt, ad hanc rem illustrandam studium suum conferre velint. Illos autem hortor, qui ad visenda ea loca quotannis proficiscuntur, ut situm illorum, præsertim Tyri & Tripolis, diligenter observent, in quam cœli regionem singulæ earum partes nostro tempore vergant: ut gressibus suis (quorum centeni circiter ducentis triginta pedibus Romanis respondent) C omnia dimetiantur. Ita enim fiet, ut quantum fidei quatuor supra positis locis tribuere debeamus, ipsi, qui rem suis oculis inspexerint, nos docere aliquando possint. Quod si doctus vir, & rerum naturalium diligens indagator in illa loca profecturus esset, ampla rerum observandarum, quæ ad sola Bibliorum loca illustranda pertinent, instructione ipsum dimittere possemus. Certe omnia, ad hoc tempus, edita itineraria, laboribus suis, doctus simul & laboriosissimus peregrinator, obscuraret.

Nunc ad verba ipsa Prophetæ consideranda accedam. Primum est, & maxime observandum, quod pro voce אֲנִי, *ego*, rescribendum putem, אֳנִי, *navis*. D Literam nullam muto, & quod mirabile videri possit, minimam unius ex subjectis apicibus mutationem tantum molior, faciendo camerz ex patach: uti cuique ex literatum, & apicum omnium inspectione patet. Hanc ob caussam arbitror, nulla mihi excusatione hic defungendum esse, quasi in Sacro Codice aliquid mutare instituam. Sexcenta loca proferre possum, in quibus major mutatio facta sit, cum ab illis LXXII. tum ab reliquis Græcis editoribus, Aquila, Theodotione, & Symmacho; præterea ab Hieronymo, aliisque Patribus, & proximorum sæculorum tot Interpretibus; hanc solum ob caussam, ut sententiam claram, & cæteris juxta po- E sitis verbis consonam, excuderent. Alterum est, quod verbum אמרה interpreter, *vocas*; aut potius, *vocabis*, *appellabis*. Cujus meæ versionis clarum exemplum est, *Genes.* capit. XXXII. *vers.* 28. לֹא־יַעֲקֹב יֵאָמֵר עוֹד שִׁמְךָ כִּי אִם יִשְׂרָאֵל Interpretes LXX. οὐ κληθήσεται ἔτι τὸ ὄνομά σου Ιακώβ. ἀλλ' ἢ Ισραὴλ ἔσται τὸ ὄνομά σου. Auctor Vulgatæ: *Nequaquam, inquit, Jacob appellabitur nomen tuum, sed Israel*. Itaque verba Prophetæ hanc sententiam haberent; *Ipsa Tyrum vocas navem bellicam eximia specie.* Vos Tyrii cives ipsi vestram urbem magnæ armatæ navi comparabitis. Sed si in suppositis punctis mutationem F faciendam putemus (quod sæpius ab aliis Interpretibus, præsertim vetustis, etiam sine reprehensione factum legimus) non male conveniret אֶת אָמַרְתְּ *Tyrum tu* (propheta) *vocabis navem*. Aut, *Tyrus* (*tu* propheta *dices*) *est navis*. Verum cum hæc versio aliquo modo coacta videri possit, propterea quod junctum nomen צור quarto casu positum intelligatur (quamvis multa sacræ Scripturæ loca duriori verborum constructione versa inveniantur) duas hic conjecturas & opiniones meas proponam,

quarum alterutra hujus loci verba facilius construantur. Primum enim conjicere aliquis possit, vocem אני * hic excidisse, ita restituendam: צור את אמרת אני אני כלילת יפי *Tu, o Tyre, dicis; ego sum navis bellica eximiæ formæ*. Hæc omissio fieri potuisset, quod librarius, codice usus qui nulla vocalia puncta supposita haberet, ultimam vocem male repetitam crediderit. Loquendi forma alioqui usitata est, ut, qui hujus linguæ aliquam notitiam habent, norunt. Verum cum hæc integri verbi omissio minus probabilis quibusdam videri possit, alteram conjecturam meam adferam, non parum etiam, uti ego puto, concinniorem; videlicet, pro verbo אמרת *dixisti*, Prophetam scripsisse נאמרת *diceris*. *Tu, o Tyre, diceris navis bellica eximia pulcritudine*. Hac conjectura litera excidisse ponitur. Pro *diceris* probare aliquis posset, *dici potes*. Sed retineo versionem usitatam. Considerandum autem est, primam esse verbi literam, nun, mediocris magnitudinis, quæ, cum initio alicujus versus positum esset illud verbum, abrasa fuerit, aliove casu perierit. Hanc ego conjecturam verissimam puto: ubi duo porro sunt monenda. Primum, hanc comparationem urbis Tyri cum magna & eleganti nave bellica, esse Dei verbum, huic Prophetæ revelatum: ideoque novum, & antea inauditum sermonem. Hoc ex præcedentibus Prophetæ verbis perspicuum. Deinde, connexionem horum tertii versus ultimorum verborum, cum sequentibus versibus, in quibus caussas hujus comparationis edisserit, esse concinnam. Tu *diceris* navis, quia fines *tui*: quia architecti *tui*: perfecerunt pulcritudinem *tuam*. Quæ omnia in secunda persona efferuntur. Si verbum *amart* interpretemur *vocas*; personæ item respondent: sed nec male illud convenit, quod propheta caussas allaturus esset comparationis, ab Tyriis civibus institutæ. Hanc autem connexionem non habet vetus lectio: *Ego* sum perfecti decoris; quia fines *tui*. Melius enim responderet; quia fines *mei*; architecti *mei*, & sic deinceps; ac si Tyrum loquentem induceret Propheta. Nisi & sic Prophetam caussas edisserentem introducere velimus. Sed maxime hic considerandum, nullam causam sermonis, sive comparationis, quam Propheta instituit, hac veteri scriptura adferri.

Hic mihi nunc longa defensione opus esse, multi putare possint. Certe multa hic adferre possem cum ex Patribus, tum ex aliis vetustis auctoribus, quibus probarem, vetustos omnes libros, etiam sacros, obnoxios fuisse corruptioni, tum temporis injuria, tum librariorum sæpius errore, interdum pravo emendandi, quæ non intelligerent, studio. Sed lectorem nunc uno atque altero loco, ex Patrum, quos vocant, scriptis adducto, commonefaciam de erroribus, quos librariis magni judicii viri imputarunt. Cyrillus homilia XV. *in Jeremiam*, admodum laborat in explicando versu decimo capitis XV. Duplicem enim verborum scripturam invenerat. Unam, quam plerique codices editionis LXX. haberent: οὐκ ὠφέλησα, οὐδὲ ὠφέλησέ με οὐδείς. *Non profui, neque profuit mihi quisquam*. Alteram, quam reliquæ editiones; Aquilæ, Theodotionis præsertim, & Symmachi, tuerentur: οὐκ ὠφείλησα, οὐδὲ ὠφείλησέ μοι οὐδείς. *Non debui, nec debuit mihi quisquam*. Codicum diligenti collatione instituta, quamvis plerique editionis LXX. legerent, ὠφέλησα, in eam sententiam inclinat, ut putet librariorum errore hanc scripturam irrepsisse, scribendumque esse, ὠφείλησα. Verba ejus hæc sunt. Εἰ καὶ ἀνέγνωμεν οὕτως, ἀλλὰ καὶ δεῖ εἰδέναι, ὅτι τὰ πλείονα τῶν ἀντιγράφων τῆς ἐκδόσεως τῶν ἑβδομήκοντα οὐκ ἔχει οὕτως. ὕστερον δὲ

A ἐπισκεψάμενοι καὶ τὰς λοιπὰς ἐκδόσεις, ἔγνωμεν γραφικὸν εἶναι ἁμάρτημα. *Licet sic hunc locum vobis prælegerimus, sciendum tamen pleraque editionis* LXX. *exemplaria non ita habere. Inspectis postea reliquis editionibus* (Aquilæ, Theodotionis, &c.) *patuit librariorum hic esse errorem.* Ita hæc Cyrilli verba explicamus. Idem homilia XIV. *de eodem loco* ita differuerat. διττὴ γάρ ἐστιν ἡ γραφή· ἐν μὲν γὰρ τοῖς πλείστοις ἀντιγράφοις. οὐκ ὠφέλησα, οὐδὲ ὠφέλησέ με οὐδείς. ἐν δὲ τοῖς ἀκριβεστάτοις, καὶ συμφωνοῦσι τοῖς ἑβραϊκοῖς. οὐκ ὠφείλησα, οὐδὲ ὠφείλησέ μοι οὐδείς. *Duplex est scriptura. quippe in plerisque codicibus invenitur; Non profui, nec profuit mihi quisquam. Sed*
B *in fidelissimis, & qui Hebraicis respondent, legitur; Non debui, nec debuit mihi quisquam*. Et alia ex eodem hoc Cyrillo loca proferre possem, quibus de codicum variatione conqueritur: interdum etiam LXX. negligentiam in vertendo, aut ignorantiam, reprehendit. Sed alium videamus, qui in Novi Testamenti libris librariorum errores reprehenderit. Is est Isidorus Pelusiota, qui egregia illa *epistola* CXII. *libri* IV. rationem invenire satagit emergendi ex ea difficultate, quam Pauli verba habent I. *ad Timoth.* c. IV. v. 3. κωλυόντων γαμεῖν, καὶ ἀπέχεσθαι βρωμάτων. *Probibentium nubere, & ab-*
C *stinere a cibis*. Temerarium videri possit primum ejus judicium: εἰ μὲν οὖν καὶ ἀλλαχόσε τοῦθ' ὑπέμεινεν ὁ θαυμάσιος ἐκεῖνος ἀνὴρ, δεδόσθω καὶ τοῦτο. *Sed & alibi hujusmodi culpæ adfinem fuisse admirandum illum virum, concedamus*. At nihil offendit hoc, quod sequitur: ὅρα δὲ, μήποτε περὶ ἓν στοιχεῖον, ἢ μίαν κεραίαν γέγονε τὸ σφάλμα. *Vide, num in una litera, aut apice error sit commissus?* Subjungit deinde duas ejusdem loci emendationes. Unam, qua levi mutatione, videlicet unius apicis adpositione, putat scriptum fuisse αὐτέχεσθαι, pro eo quod legitur, ἀπέχεσθαι. Alteram, qua majore audacia, ex composito verbo facit simplex, reji-
D ciendo præpositionem ἀπ tanquam superfluam. Paullo post, generali quadam excusatione hic defungi conatur: nimirum fieri non posse, ut in magno volumine describendo librarius non interdum erret; aut literam scribendo pro litera; aut etiam literam omittendo; aut denique litteram addendo, quæ abesse debeat. Verba ejus hæc sunt: ὅτι δὲ πολλάκις ἓν στοιχεῖον ἢ μετατοιχειωθὲν, ἢ παραλειφθὲν, ἢ προστεθὲν, τὸν νοῦν τῶν λεγομένων συνταράττει, δῆλόν ἐστιν ἐκ τοῦ φερομένου ἐν ταῖς Πράξεσι τῶν Ἀποστόλων. *Quod vero sæpenumero una litera vel transposita, vel omissa, vel denique adjecta sensum dictorum conturbet, ex eo quod in Actis Apostolo-*
E *rum legitur notum est*. Legantur exempla, quæ ibi adfert. Illud autem notetur: quod a librario peccatum fuerat, id magis adhuc corruptum putat a sciolo. τινὲς δὲ ἴσως μὴ νοήσαντες ἔγραψαν, καὶ καθίεται (pro καθιεῖται, quomodo scribere librarius debuisset, omisit ergo literulam ἰῶτα) κύριος βασιλεὺς εἰς τὸν αἰῶνα. εἶτα ἄλλοι ὡς διορθούμενοι, κάθηται ἔγραψαν. *Quidam forte non intelligentes, scripserunt*, καὶ καθίεται, & relaxat *Dominus rex in sæcula. Deinde alii, ut correcturi* (notandum quod dicit, librarios depravare, dum doctrinæ opinione corrigere student) κάθηται, sedet *scripserunt*. (Ita error ex errore nascitur). Denique subjungit Isidorus insignem æquitate & modestia
F sententiam. ταῦτα εἰπὼν, ἃ τὸν νοῦν τῶν γραφῶν οὐ μόνον οὐ λυμαίνεται, ἀλλὰ καὶ συνίστησι, βέβαιόν τε καὶ πάγιον ἀποφαίνει, καὶ τὴν δοκοῦσαν ἀσάφειαν διαλύει, καταπαύσω. τοῖς ἐντυγχανομένοις παραινῶν, αὐτοῖς φιλονεικίας συνιδεῖν. καὶ εἰ μὲν ὀρθῶς εἴρηται, τῷ θεῷ χάριν εἰδέναι· εἰ δὲ μὴ, τῷ γεγραφότι συγγνώμην νέμειν, τῷ μὴ ἀποφηναμένῳ, ἀλλὰ τοῖς ἐντυγχανομένοις ἐπιτρέψαντι τὴν ψῆφον. *Quum ea dixerim, quæ non*

solum S. Scripturæ sententiam non lædunt, sed etiam stabiliunt, firmamque & immotam declarant, apparentemque dissolvunt obscuritatem, finem faciam; lectores prius obtestatus, sine contentione ut hæc inspiciant; & si quid recte dictum, Deo gratias agant; sin minus, veniam scriptori faciant, nihil præfracte definienti, sed lectorum ea calculo permittenti. Hæc verba mihi usurpabo. Sententiam Prophetæ hoc loco, non modo non deteriorem feci, sed planam, & evidentem, ut toti illi capiti non parum luminis me intulisse fassuri sint pii atque eruditi viri, qui attento animo hæc legerint. Quod attinet ad vocem אֳנִי cui vocalem Kametzchateph supponendam arbitror pro vocali Chatephpathach; nulla me excusatione indigere puto: quandoquidem notum est, multa esse verba, quæ ob vocalium punctorum variationem diversas interpretationes receperint. Significatio navis, & quidem bellicæ, sequentium versuum commatis omnibus adeo bene convenit (sicut planum est ex mea paraphrasi, qua utrumque comparationis membrum exposui) ut hanc unius apicis mutationem universali quadam eruditissimorum hominum adprobatione receptum iri sperem. Ultimis enim tertii versus verbis duo dicit Propheta. Unum, quod Tyrus vocabitur navis bellica: alterum, quod eximia sit pulcritudine. Insequente versu caussam similitudinis adfert Propheta. Primum ejus, quod dixisset, comparari eam urbem posse cum navi; quia mari undique circumdaretur. Deinde, quod pulcram dixisset; quia ut in ædificanda nave naupegi, ita in Tyro exornanda architecti artem suam monstrassent. Longa & angusta fuit urbs Tyrus: & hac forma fuere naves longæ, id est, bellicæ, Veterum. Insula fuit urbs Tyrus, undique mari cincta: Præsidiariam, & tutelæ caussa ante portum urbis stantem, mari circumdari percipimus. Affabre factam fuisse navem Tyriam, non mirum. Sicut enim omnibus temporibus militari laude excellentes viri, armis illustribus corpus texere, quod vitæ honorique tutando induantur: Ita quoque naves bellicas fabre factas, & ornatas habuere, quod ad regni, ditionumque tutelam ædificarentur. Et credibile est, Tyrios tempore hujus prophetæ navem bellicam maximæ formæ habuisse, ad quam hac comparatione, propheta respexerit: sicut ducentis quinquaginta annis post, cum Alexander M. hanc urbem obsidione premeret, quinqueremem illa habuit, Herculi suo consecratam: cujus Arrianus *l.* II. mentionem facit his verbis. καὶ τὴν ναῦν τὴν Τυρίαν, τὴν ἱερὰν τοῦ Ἡρακλέους, ἥν τινα ἐν τῇ ἐπίπλῳ εἷλε, καὶ ταύτην τῷ Ἡρακλεῖ ἀνέθηκε. *Navem etiam Tyriam, sacram Herculi, quam navali incursione cœperat, Herculi consecravit.* Longa duo navis latera in belli usum ædificatam fuisse maxime demonstrant. Nec minus quam oneraria, malum habuit bellica. Remis solæ naves longæ aguntur. Quare certissimum navis bellicæ argumentum est multitudo remorum. Transtra in solis longis reperiuntur: nulla vulgo habuere onerariæ. Prætoriolum in usum prætoris, seu trierarchi ædificatur, ideoque in longa nave visendum. Ingens copia remigum, Sidoniorum & Aradiorum, meam opinionem extra omnem dubitationem ponit. Nec quidquam a propheta de nave illa dicitur, quod bellicæ non conveniat. Verba omnia LXX. Interpretum, & Auctoris Vulgatæ, (in quibus eminet verbum *transtra*) opinionem meam adstruunt: ut ex sequentibus annotationibus liquebit. Nunc porro id probabo, nomen אני quod generatim navem significat, sive bellicam, sive onerariam (quod etiam videre est ex *Esaiæ* loco c. XXXIII. *vers.* VI. quem col. 626. adduxi, ubi nomen אני tanquam commune & longæ, & onerariæ, determinatur per adjunctum nomen שיט ut solam longam, cujuscunq; formæ, denotent) absolute positum reperiri in significatione navis bellicæ. Primus locus est, *Deut.* c. XXVIII. v. 68. והשיבך יהוה מצרים באניות Interpretes LXX. καὶ ἀποστρέψει σε κύριος ὁ θεὸς εἰς Αἴγυπτον ἐν πλοίοις. Vox πλοῖον, tempore LXX. Interpretum, navem longam significabat: uti & postea Polybio, Diodoro, aliisque ea significatione usurpata legitur, qui onerariam vocant ὁλκάδα. Sed Atticis scriptoribus ναῦς est *navis longa*; πλοῖον autem, *oneraria*. Auctor Vulgatæ egregie: *Reducet te Dominus classibus in Ægyptum.* Admirabilis est hæc versio, sententiam Mosis ante oculos ponens: nimirum regem Ægypti omnes suas naves, longas & onerarias, missurum, ut Judæos in Ægyptum deportent. Quippe centum millibus hominum (cum sexies & amplius hunc numerum gens Judæa superaret) portandis, non solum opus est magna longarum classe, sed & onerariarum, quibus feminæ, & liberi, ac supellex omnis vehantur. Ex Targum Hierosolymitano derivata Latina videri possit, ubi adhuc clarius idem exponitur, בליבורניא ובאלפיא *liburnis & onerariis.* Liburnis vehentur viri, & robusti juvenes; qui remulco trahant onerarias, quibus feminæ, pueri, & impedimenta imposita sint. Vere ingeniosam hanc paraphrasin dicere possumus. Jonathan solum habet באלפיא, *navibus longis.* Alter locus est *Ezechielis* c. XXVII. v. 29. וירדו מאניותיהם כל תפשי משוט LXX. Interpretes: καὶ καταβήσονται ἀπὸ τῶν πλοίων αὐτῶν (δηλαδὴ πολεμικῶν) πάντες οἱ κωπηλάται σου. Auctor Vulgatæ: *Et descendent de navibus suis omnes qui tenebant remum.* Remorum mentio, sermonem esse de longis navibus, plane evincit. Tertius locus est *Dan.* XI. v. 40. באניות רבות LXX. Interpretes: ἐν ναυσὶ πολλαῖς (δηλαδὴ πολεμικαῖς.) Vulgata: *classe magna* Romana loquendi forma. Loqui Prophetam de navibus longis, ex toto versu, in quo de bellicis apparatibus sermo est, perspicitur. *Et in tempore præfinito præliabitur adversus eum rex Austri, & quasi tempestas veniet contra illum rex Aquilonis, in curribus, & in equitibus, & in classe magna; & ingredietur terras, & conteret, & pertransiet.* Accedit locus Josephi illius, quem supra col. 631. adduxi, ubi אניות magnas longas naves significat, quibus Antonii classis superbiebat.

Pinis de Senir) Ita vertendum arbitror. Nec tamen reprehendendos puto LXX. Interpretes; ex ea caussa, quod Syri, abietis inopia, in ædificandis navibus longis usi fuerint cedris. Hoc etiam ex sequenti commate perspicitur, ubi malum Propheta dolat ex cypresso, cum dubio procul abiegnus præstet. Ubi porro monendum: primum, nomen ברושים hoc loco, & II. *Paralip.* cap. III. v. 5. LXX. Interpretes transtulisse κέδρος. Hoc quidem loco, magno judicio fecisse id videri possint; quod universe Syri naves longas ex cedri ligno fabricarent: non ea ex caussa, quod cedri lignum putredini non esset obnoxium; quod hic adfert Hieronymus; sed, ut dixi, quod abiete carerent. Insignis hac de re Theophrasti locus est *Plantarum historiæ libro* V. capit. VIII. ἐλάτη μὲν, καὶ πεύκη, καὶ κέδρος, ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν, ναυπηγήσιμα. τὰς μὲν γὰρ τριήρεις, καὶ τὰ μακρὰ πλοῖα, ἐλάτινα ποιοῦσι, διὰ κουφότητα. τὰ δὲ στρογγύλα, πεύκινα διὰ τὸ ἀσαπές. ἔνιοι δὲ καὶ τὰς τριήρεις, διὰ τὸ μὴ εὐπορεῖν ἐλάτης. οἱ δὲ κατὰ Συρίαν καὶ Φοινίκην, ἐκ κέδρου. σπανίζουσι γὰρ πεύκης. οἱ δ᾽ ἐν Κύπρῳ, πίτυος. ταύτην γὰρ ἡ νῆσος ἔχει, καὶ δοκεῖ κρείττων εἶναι τῆς πεύκης. καὶ τὰ μὲν ἄλλα ἐκ τούτων. τὴν δὲ τρόπιν, τριήρεσι μὲν δρυΐνην, ἵνα ἀντέχῃ πρὸς τὰς νεωλκίας. ταῖς δὲ ὁλκάσι, πευκίνην. ὑποτιθέασι δὲ ἔτι δρυΐνον, ὅταν νεωλκῶσι

τῶ

τοῖς μὲν ἐλάττοσι, ὀξύνη (ὀξύϊνον) καὶ ὅλως ἐκ πίτυου τὸ χέλισμα. Egregius utique hic locus eſt de materia, ex qua Veterum naves ædificabantur. *Abies, pinus, cedrus, ut generatim dicam, ligna ſunt ex quibus naves fabricantur. Triremes enim, ac majores longas naves ex abiete, levitatis cauſſa, faciunt. Rotundas* (ſeu onerarias) *ex pino; quod non putreſcat. Quidam triremes quoque ex ea fabricant; quod abiete careant. Qui Syriam, Phœnicenque incolunt, cedro utuntur; quod pinus apud ipſos rarior ſit. Cyprii picea utuntur: Hanc enim illa inſula babet; videturque pino præſtantior. Atque bæc quidam ex dictis fabricant. Carinam triremibus quernam ſubjiciunt, ut quando ſubducitur, reſiſtere poſſit. Pineam autem onerariis: quin & quernam ſubjiciunt, quando ſubducuntur: minoribus tamen illa eſt ex oxya. Porro omnibus navibus ex bac fit teſtudineum munimentum.* Primo loco, tanquam aptiſſimam materiem, ex qua naves bellicæ fabricentur, ponit abietem; ob eam cauſſam, quod levis ſit. Secundo loco ponit pinum, ex qua alioqui onerariæ fiebant; quod non facile putreſceret. Tertio denique loco cedrum adfert, qua Syri utebantur; quod paucas pinos, & nullas abietes haberent. Confirmat idem Plinius *lib.* XVI. *cap.* XL. *At in Ægypto & Syria reges, inopia abietis, cedro ad claſſes feruntur uſi.* Et idem Theophraſtus *lib.* IV. *cap.* VI. Η Συρία κέδρον ἔχει, καὶ ταύτῃ χρῶνται πρὸς τὰς τριήρεις. *Cedrum babet Syria, eaque ad triremes ædificandas utuntur.* Quare ad uſum cum Syrorum gentis, tum Ægyptiorum reſpicientes LXX. non male tranſtuliſſe videntur, κέδροις ἐκ Σενείρ. *ex cedrina materie ædificarunt.* Reprehenſi enim alioqui fuiſſent, non modo a ſuis popularibus; ſed etiam ab Ægyptiis, ſi abietem, aut pinum, aptius quidem lignum; ſed quo vulgo carerent, appellaſſent. Contra autem reprehenſus a ſuis Romanis fuiſſet Vulgatæ Auctor, ſi *cedris* hic tranſtuliſſet: ac ſi naves longas ædificandas ſtatueret ex materie, qua & ipſi carerent, & quam omnes in longarum navium fabrica cum abiete non comparandam ſcirent. Omnis Græca, Latinaque antiquitas, celebrat abietem in navium longarum fabrica. Poetæ Græci & Latini abunde teſtimonia ſuppeditant. Et Virgilius, ut obiter hoc moneam, idem exprimere voluit *Æneid.* libro V.

—— furit immiſſis Vulcanus babenis
Tranſtra per & remos, & factas abiete puppes.

Non dubito verum verbum *factas* hoc loco, poetæ accuratiſſimo me reſtituiſſe. Ineptum enim eſt *pictas*, quod huc uſque illius locis ſententiam depravavit. Frigida nimis ſunt, quæ Servius, & reliqui Interpretes, vulgatæ lectioni explicandæ adferunt. Naves ex abiete factas fuiſſe ſignificare voluit, ideoque facile arſiſſe. Ob hanc igitur cauſſam recte vertiſſe videtur Auctor Vulgatæ. Deinde etiam, quod *Eſaiæ* cap. XLI. *verſ.* 19. ברוש LXX. verterint, ἐλάτην, *abietem*. Accedit, quod non minimi momenti argumentum cenſeri debet, eximiam illam navem Tyriam, ex aptiſſima materie fabrefactam videri: quandoquidem urbis negotiatricis mercatores toto mediterraneo mari commercia haberent; ut vel ex Italia, vel ex Græcia, aliiſque locis, ubi abietum copia eſſet, illas Tyrum deportandas curare poſſent. Nec ſumtibus parſuros fuiſſe Tyrios: qui ea magnificentia in hac nave ædificanda hic uſi leguntur, ut tranſtra eboris candore ſplendere vellent. Jonathanis paraphraſin ברתי מסניר interpretantur, *abietibus de Sanir*: ſed nulla certitudine. ברות inter decem cedri genera Thalmudici recenſent. Hieronymus hic nihil juvat, ut qui antiquæ rei navalis, quod ex aliis quoque locis perſpicitur, rudis fuerit. Ita autem ad hunc locum ſcribit. *Abietibus, ſive cedris de Sanir, navis Tyriæ tabulata cæduntur, quibus texitur atque compingitur.* Paullo poſt: *Abietibus, propter levitatem, juncturaſque tabularum mollius invicem ſe tenentium atque mordentium: ſive cedris, quod lignum imputribile eſt.* Cedris, an abietibus, uterentur, perinde ipſi fuit: quod non dixiſſet, ſi Theophraſtum legiſſet, & totius antiquitatis uſum obſervaſſet. Illud autem in tanta Interpretum incertitudine notandum eſt, quod cedro exteriore ſpecie admodum ſimilis ſit abies, uti notat Bellonius *lib.* XI. *cap.* CX. At ligna ipſa duritie, adeoque pondere admodum inter ſe diſtant. Hæc objici poſſunt, & forſan in eximia hac nave Tyrio locum habent. Mea tamen opinio qua ברושים puto melius verti *pinis*, nititur primum eo, quod *cedrus* ſit ארז. Deinde, quod hoc ligni e Libano abunde habere poterant: quid neceſſet fuiſſet in monte Senir cæſam, magno ſumtu ad littus Tyrium deferendam curare? Et illud juvat, quod ex opinione noſtra, navis illa Tyria in ſtatione ante urbis portum conſtiterit. Quare ligno imputribili opus erat, quale etiam eſt pini. Porro, ſi *abies* hic intelligi poſſet per *beroſchim*, Theophraſti auctoritatem & Plinii nullam fore; quæ tamen merito magna eſt. Jam & ipſi LXX. quinque locis *beroſchim* transferunt, πεύκας, *pinus*; *aut* πεύκινα ξύλα, *ligna pinea*. I. *Reg.* cap. V. *verſ.* 10. καὶ ἦν Χειρὰμ διδοὺς κέδρους καὶ πεύκας. Ubi tamen Vulgata corrupta videtur: *Itaque Hiram dabat Salomoni ligna cedrina, & ligna abiegna.* quippe *pinea* legendum pro *abiegne*. Et Phocas teſtantur, in Libano creſcere pinus. Λίβανος πεύκῃ, καὶ κέδρῳ, καὶ κυπαρίττῳ καταδενδρούμενος. *Libanus pinum, cedrum, cupreſſumque arbores babens.* In Joſepho puto mendum librarii eſſe, quando *lib.* VIII. *cap.* V. nunc legitur: ξύλα κέδρου καὶ πίτυος, *ligna cedri & piceæ*. Interpres tamen vertit: *cedri atque pinus materiem*. Recte quidem, ſi Græce eſſet πεύκης pro πίτυος. quas arbores Interpretes ex inſcitia non diſtinguunt. *Pini ligna* Hebræi ſunt עֲצֵי אַלְגּוּמִּים ſed illud admirabile, quod in monte Libano creviſſe dicantur, II. *Paralip.* cap. II. *v.* 8. וְשְׁלַח־לִי עֲצֵי אֲרָזִים בְּרוֹשִׁים וְאַלְגּוּמִּים מֵהַלְּבָנוֹן LXX. καὶ ἀπόστειλόν μοι ξύλα κέδρινα, καὶ πεύκινα ἐκ τοῦ Λιβάνου. Vulgata: *Sed & ligna cedrina mitte mibi, & arceuthina, & pinea de Libano.* Ecce πεύκινα & *pinea*; quæ *algummim*, & *almyggim* dicebantur Hebræis, nata in Libano. Hic non parva difficultas eſt, propter locum, ubi hæc ligna *almuggim*, quæ *tbyina* Vulgata quinque locis vocat, creviſſe dicuntur. Niſi ſacer codex eſſet, putarem hoc nomen אלגומים, ad explicandum alterum ברושים in margine adpoſitum, in ipſum textum irrepſiſſe. Quippe *beroſchim* ſunt πεῦκαι, & *almyggim* quoque; ſed *Indicæ pinus*. Pretioſiſſimum enim fuit lignum *almyggim*, candore & levitate excellens, quod ex India Hieroſolyma adportabatur navibus, quas navigationis Indicæ ſocii, Salomo & Chiramus, eo miſerant. Hoc diſcimus ex Joſepho, cujus verba *lib.* VIII. *cap.* VII. hæc ſunt: Κατὰ δὲ τὸν αὐτὸν καιρὸν κομισθέντων ἀπὸ τῆς χρυσῆς καλουμένης γῆς λίθου πολυτελοῦς τῷ βασιλεῖ, καὶ ξύλων πευκίνων τοῖς ξύλοις εἰς ὑποστηρίγματα τοῦ ναοῦ καὶ τῶν βασιλείων κατεχρήσατο, καὶ πρὸς τὴν τῶν μουσικῶν ὀργάνων

κατασκευὴν, κινύρας τε καὶ νάβλας, ὅπως ὑμνῶσιν οἱ Λευῖται τὸν Θεόν. πάντων δὲ τῶν πώποτε κομισθέντων αὐτῷ, κατ' ἐκείνην τὴν ἡμέραν ἐνεχθέντα, καὶ μεγέθει καὶ κάλλει διέφερον. ὑπολάβῃ δὲ μηδεὶς, ὅτι τὰ τῆς πεύκης ξύλα τοιαῦτα ἦν οἷα τὰ νῦν εἶναι λεγόμενα, καὶ ταύτην ὑπὸ τῶν πιπρασκόντων τὴν προσηγορίαν, ἐπὶ κατάπληξιν τῶν ὠνουμένων, λαμβάνοντα, ἐστι παραπλήσια. ἐκεῖνα γὰρ τὴν μὲν ἰδέαν ἐμφερῆ τοῖς συκίνοις γίνεται. λευκότερα δὲ ἐστι, καὶ στίλβοντα πλέον. τοῦτο μὲν, πρὸς τὸ μηδένα τὴν διαφορὰν ἀγνοῆσαι, μηδὲ τὴν φύσιν τῆς ἀληθοῦς πεύκης· ἐπεὶ δὲ τὴν τοῦ βασιλέως χρείαν ἐμνήσθημεν αὐτῆς, εὔκαιρον εἶναι καὶ φιλάνθρωπον δηλῶσαι ὑπελάβομεν, εἰρήκαμεν. Quæ ita verto; *Sub id tempus quum ex aurea quam vocant Terra pretiosæ gemmæ, & ligna pinea adportarentur; lignis ad fulcra templi ac regiæ usus est, & ad Musicorum instrumentorum fabricam; psalteria & nablia; quibus Levitæ divinos hymnos decantarent. Omnia quæ unquam ante allata ipsi fuerant, hæc & magnitudine & pulcritudine vincebant. Nemo autem existimet, iis quæ nunc ita dicuntur, & id nominis ab venditoribus ad percellendos emtores obtinent, vera pini ligni similia esse. Hæc enim specie ficulneis similia sunt, sed candore & splendore longe superant. Hoc, ne quis veræ pinus discrimen, naturamque, ignoret; quum usum pini in regiis operibus edisserere vellemus, explicare & tempestivum & humanum esse duximus.* Hic solus locus est, ex quo discamus, quod ligni genus fuerit, quod Salomoni ex Ophir, seu Terra aurea allatum est. Rarius fuit etiam Josephi ætate; curiosis tamen hominibus notum. Sed cum mercatores, lucri caussa, imperitis imponerent, vulgare pini lignum colore albo tingentes, ut candorem & splendorem pinus Indicæ mentiretur; ideo occasione hujus narrationis de operibus, quæ ex lignis almyggim, seu pineis, Salomo facienda curavit, monet curiosos lectores, quibus notis veram pinum Indicam discernant ab falsa impostorum. Primum illud ex ipsius verbis discimus, magnitudinem hujus ligni almyggim raram, ideoque in pretio fuisse. Dicit enim, majora fuisse quæ tum adferrentur, quam quæ unquam antea visa essent. Trunci igitur magni fuere, unde LXX. tribus locis transtulerunt, ἀπελέκητα ξύλα, *ligna rudia, non dolata*. Deinde, quod ad figuram attinet, similia fuisse lignis ficus; sed pulcritudine, quæ in candore & splendore spectabatur, longe superasse. Rerum naturalium solertes investigatores illud considerent, quod candori splendorem conjunctum habuit lignum *almug* Candida ligna etiam varia habet nostra Septentrio; sed splendorem natura illis negavit. Hic longiorem sermonem de candidis arborum lignis ordiri possem, & quam caussam habeant, & facultatem, declarare. Illud certum puto; & videant curiosi homines, quo candidiora ligna fuerint, eo esse rariora, adeoque leviora. Omnium autem lignorum pretiosissimum foret, si quod alicubi terrarum inveniretur, quod candidissimum simul esset & ponderosissimum. Itaque non modo ob candorem Musicorum instrumentorum fabricæ adhibitum fuit illud lignum; sed vel in primis ob levitatem, quæ facit, ut instrumenta majore sono resonent. Ligna thyina, citri fuisse videntur; de quibus in *Apocalypsi*. Sed Vulgatæ Auctorem falsum puto, quando Indicas pinus putavit esse ligna thyina; ita enim quinquies transtulit. Imperite de his quoque scribit Joa. Bodæus in *Commentariis in Theophrastum*, opere alioquin laudando: *Africam Græcis Homeri seculo ignotam fuisse, affirmare non ausim; maxime cum sacra Pagina doceat, Salomonem regem sapientissimum misisse in Ophir, id est, Africam, ut omnes fatentur Interpretes, indeque recepisse ligna* אלמגים, *quod* θύινα *Septuaginta interpretantur*. Ophir, non Africa; sed India fuit, Josepho teste. Non LXX. sed Vulgatæ Auctor, interpretatur ligna thyina. Absurdissima de hoc ligno est Rabbinorum sententia. ואלמגים כמו ואלגומים והוא
שקורין לו בלעז קוראל ויש כי שפירש אותו העץ שצובעים
בו שנקרא בלשון ערבי אל בקם שקורין לו בלעז בראזיל
Algymmim, *idem quod* almyggim, *est, quod vulgo* Koral *vocant. Est etiam, qui lignum quo tingunt, interpretetur; quod Arabice* elbekem *vocatur, &* *vulgo* Brasilianum. Elias Levita: בלא קוראלן וכן בלעז *Lingua Germanica*, Coralen; *& sic quoque peregrina*. Hæc quum nullo antiquitatis testimonio, aut ratione, nitantur, temeraria videri debent. Corallium lapis est, & ruber: almyggim, lignum candidissimum. Brasilianum lignum, rubrum est, & gravissimum; sed almyggim, candidum, &, ut plane arbitror, levissimum. Non dubito, quin, si Josephum, suæ gentis laudatum scriptorem, vidisset hujus figmenti auctor, illa deleturus fuisset. Certe si lignorum Norvagicorum aliquam notitiam habuisset, majore ratione scripsisset, שנקרה בלשון דנורואגיא גראן Nec tamen putare possum, primum auctorem illius interpretationis *Koral*, intellexisse Corallium, quod קורלין scribunt. Patria, & illius linguæ arbores, essent considerandæ. Ex his igitur planum est, *beroschim* Hebræorum esse, quas Græci πεύκας vocant; & Latini, *pinus*. Indicas autem pinus vocatas fuisse *almyggim*; *Indiaensche pynboomen*; aut *Indiaensche grenen*. Fateor tamen aliquam hic difficultatem, quod ad ligna *almyggim* attinet, mihi superesse, quam idem ille Theophrastus, cujus auctoritate maxime moti hæc statuimus, edisserit. Ita enim Theophrastus: Διαφέρει δὲ ἡ ἐλάτη τῆς πεύκης, καὶ κατὰ τὸ ξύλον, οὐ μικρόν. τὸ μὲν γὰρ τῆς ἐλάτης, ἰνῶδες, καὶ μαλακὸν, καὶ κοῦφον. τὸ δὲ τῆς πεύκης, δᾳδῶδες, καὶ βαρὺ, καὶ σαρκωδέστερον. *Nec parva inter abietem & pinum differentia est, ratione ligni. Quippe abietis lignum nervosum, molle, ac leve est: pini autem tedaceum, ponderosum atque carnosius*. Cum igitur lignum *almug* candidum admodum fuerit; candidius autem lignum sit abietis quam pini, adeoque levius; eo ferme adducor, ut quam πεύκην Josephus appellat, credam esse ἐλάτην Theophrasti. Nomina enim rerum admodum similium a diversis populis facile permutantur. Ita Arcades πεύκην vocabant, quam cæteri Græci πίτυν. & contra πίτυν, quam illi πεύκην. Hæc opinio etiam illam difficultatem tolleret, quod pini lignum adeo magnificæ navis fabricæ non adhibitum fuisse videatur, sed abietis. Illud tamen Josephi sententiæ stabiliendæ adferri potest, quod saltem partes quædam pini, ligno candidissimo constent, nec quidquam δᾳδῶδες habeant. Ideoque hæc res ulterius est indaganda. Certe si pinus fuere, harum in monte Senir natarum lignum melius judicatum fuit, quam earum, quæ in Libano crevissent. Quare lingua Belgica ligna *almyggim* potius verterem, *Indiaensche vvitte grenen*, quam *Indiaens-vueren-hout*, seu *vvit dennen-hout* 1. *Reg.* x. *v.* 11. *brachten uyt Ophir*, (een landschap in Indien) *seer veel Indiaensche vvitte grenen, ofte sangboomen-hout, ende kostelik gesteente*. Porro hoc loco notandum, Belgicos Interpretes, qui Vulgatæ Auctorem sequuntur, omisisse vocem *vvit*. vertere enim debuissent; *van vvit dennenhout*, (id est, *van vueren-hout*) *van Senir. Alle beyde boorten hebben sy getimmert van vueren-hout van Senir*. Abies enim est, *een vvit dennen-boom*: picea, *een rood dennen-boom*. Docti rerum naturalium investigatores, qui Syriæ loca adeunt, utilem nobis operam præstare possent, si ligna earum arborum, quæ in montibus Libano, & Senir, ut & in terra Baschan, crescunt, accurate ob-

ſervarent. Illi autem, qui in Indiam navigant, reperta terra, ubi arbores almyggim creſcunt, dubio procul etiam reperiſſent terram auriferam, Ophir olim adpellatam.

Utriuſque lateris omnes tabulas) את כל לחתים. Rabbini hic ita ſcribunt. בא כו לשון רבוי ולשון שנים להורות כי הרבוי הזה בתבונת השנים. ור"אבע כתב כי הטעם שיש ספינות יעשו אותן משני לוחות: *Hoc & pluralis, & dualis intelligitur, ut doceat, plurale forma duali contineri. R. A. Eſra ſcribit, ſententiam eſſe, quod naves ſint factæ ex duabus tabulis*. Prior argutia rem non explicat; & altera, rem plane abſurdam ſubjicit. Translatio mea perſpicua eſt. Cum enim ex mea ſententia propheta hic deſcribat navem bellicam, id eſt, longam; non difficile eſt colligere, cur duali numero utatur. Ne autem ſiniſtre de duabus tabulis ſolum hoc intelligeremus, addit voculam כל *col, omnes duas tabulas*. Omnes tabulas, quibus in utriuſque lateris fabrica, qua ferme tota longa navis conſtat, opus habent naupegi. Longæ navis ſpeciem concipere quodammodo lector poteſt, ſi naviculas, quæ hippulco per foſſas, in Hollandia præſertim, eunt, conſideret. Longiuſculæ enim cum ſint; quamvis rationem ſextuplam plurimæ non attingant, nullæ ſuperent; laterum binorum fabrica plurimum operis habet; parum autem rotunditatis circa proram & puppim. In LXX. Interpretum verſione nunc legitur, *ταινίαι σανίδων*. quod etiam ex vitioſo Græco exemplari Hieronymus in Latinum ſermonem tranſtulit: *tenues tabulas cipreſſinas*. Opinor illos Interpretes ſcripſiſſe: *τανεῖαι σανίδων*. *longas tabulas, & craſſas*. quod huic loco admodum convenit. Hoc verbi reperitur apud Theophraſtum *l.* IV. *cap.* I. ubi recte ita legit Rob Conſtantinus: *καὶ γὰρ δοκοὶ κάλλισαι, καὶ τανεῖαι καὶ κεραῖαι καὶ τανεῖαι καὶ κεραῖαι αἱ ἐκ τούτων. ἔτι δὲ ἱςοὶ τῷ μήκει διαφέροντες*. *Quippe trabes ex his optimæ, & tabulæ longæ, atque antennæ; præterea mali, inſigni longitudine*. Robertus, & cum ipſo Stephanus vertunt: *porrecta tigna; vel etiam ſimpliciter tigna. nam tigna in directum ſolent porrigi; trabes autem, & tranſtra, in tranſverſum*. Sed hæc diſquirere nunc non vacat. Theophraſtus dicit, abietes, quæ eo loco in Arcadia creſcunt, ad ſubtilia opera non adhiberi, ſed magis ad fabricam navium domorumque. Ex iis enim fieri trabes optimas, craſſaſque & longas tabulas (quarum uſus in ædificandis navibus) & antennas: præterea longiſſimos malos; ſed qui robore vincantur ab iis, qui in locis creverint, ad quæ ſol pervenire potuerit. Hoc nomine egregie hic uſi ſunt LXX. Addunt autem, ne quis ſiniſtre intelligat, *σανίδων*. Quod ſi verba, *ταινίαι σανίδων*, *tæniæ tabularum*, paullo inferius legerentur, juxta verba, *ἐξ ἐλέφαντος*, aut, *οἴκους ἀλσώδεις*, a multis forſan cum adprobatione retinerentur, ut qui *bracteas ligni* iis ſignificari opinaturi eſſent. Sed ad binorum laterum navis longæ fabricam requiruntur craſſæ & longæ tabulæ, præcipue abiegnæ. Nec puto, apud ullum Græcum, Latinumve ſcriptorem vocem *ταινία tænia*, ea ſignificatione, qua hic uſurpatur, repertum iri. Jonathan in ſua paraphraſi longius a vera ſententia abit: בְּנוֹ לָיךְ יַת כָּל נִשָׁלָךְ *fabricarunt tibi omnes pontes tuos*. Unde videmus, hujus loci ſententiam, quam hæc verba primario ſubjiciunt, eum non eſſe adſecutum. In Vulgata nunc legitur: *cum omnibus tabulatis maris*. Sed cum hujus translationis nullam mentionem faciat Hieronymus, qui contra diſerte ſcribit: *navis Tyriæ tabulata cædunt abietibus*: puto vocem *maris* corrupte legi pro *navis*. aut etiam ex præcedentibus verbis; *in corde maris ſita*; repetitam: melius enim abeſſet. Pariſina Operum Hieronymi editio, anni 1643. habet; *tabulatis malis*; ſed hoc inter typographorum errata, cujuſmodi millena in ea editione inveniuntur, quamvis admodum hic offendat, recenſeri debet. Porro opinari nequeo, Auctorem Vulgatæ vel in ſuo exemplari inveniſſe vocem לֻחֹתַיִם diviſam in duas, לֻחֹת יָם *tabulæ maris*; vel ita dividendam cenſuiſſe: quod hæ duæ voces ita conſtructæ ſententiam ſanam non abſolvant. *Tabulata*, vel *tabulæ maris*, inepte dicuntur: quippe non mare, ſed ſilvæ arbores producunt, ex quibus tabulæ ſecantur. Mira hic eſt Interpretum peregrinorum varietas. Lutherus vertit: *Sie haben alle deine tafelwerk aus fladern holtz vom Sanir gemacht. Omnia opera menſarum oblongarum fecerunt ex acere de Sanir*. Vox Latina, *tabulata*, Luthero errandi occaſionem præbuit, ut contra veterum Interpretum ſententiam de menſis hæc verba acciperet. Inde enim fecit *tafelwerk*. qui error ſtatim alterum traxit; ut, cum magnifica omnia viderentur, quæ hic narrat Propheta, menſam quoque eximii operis hic deſcribi putaret, cujuſmodi Germani cenſent, quas *fladern tiſche*, *menſas undulatas*, vocant. Si Lutherus Hieronymum hic conſuluiſſet, cujus hæc ſunt clara verba: *abietibus, ſive cedris de Sanir, navis Tyriæ tabulata cæduntur*: quibus majoris perſpicuitatis cauſſa addit; *quibus texitur atque compingitur*: hunc errorem vitare potuiſſet. Lutheri Verſionem vetus Belgica partim ſecuta eſt, partim mutavit: *alle u ſchutzwerk van dennen-houte*. Quid his verbis interpretari voluerit, vix aliquem intelligere puto. Noviſſima Belgica Verſio, etiam Tremellio ſuo, ac Junio præteritis; qui Vulgatæ interpretamentum hic retinent; novam opinionem excudit, ut de tabulis coaſſatis, quibus naves teguntur, hæc verba accipienda putaret. Quæ opinio, ſi de oneraria Prophetam loqui monſtrare poſſent, aliqua veri ſpecie hic adpareret. Sed & abſurde Prophetam in tegenda nave occupatum inducit, cum nondum alvus ejus ædificata eſſet. Anglica Verſio: *They have made ad thy shipboards of firtrees of Senir*: tabulas navis abiegnas recte expreſſit; ſed dualis ſignificationem hic nullam agnoſcit, ut ad duo navis latera adhibitas monſtraret. Verum ut videat lector, quanto majorem fabricandæ navis ſcientiam adeptus ſit noſter Propheta; fabricæ deſcriptionem conſideremus. Primum naupegos appellat; quos ob ædificandi artem celebrat. Deinde fabricandi initium illos feciſſe dicit, ab alvo navis, hoc eſt, ab utroque exteriori pariete, unde navis nomen accipit: quia hoc pariete abſoluto, in mari ſtare, atque ire poteſt. Hæc conſideratio firmandæ meæ ſententiæ admodum facit. Et reliquas navis partes fabricatas docet, prout maxime neceſſariæ videntur. Alvo enim ædificata, navis opus habet malo, ut ſecundo vento in altum evehatur. Sed quum navem bellicam deſcribat Propheta, quæ ventum commodum exſpectare ſemper nequit, ſed ſæpius repente proficiſcitur; ideo remos navi dolat. Laborioſum autem foret remigibus, ſtando remos tractare; itaque ſedilia & tranſtra fabricata docet. Denique prætoriolum, navis præfecto ædificat. Ecce ingenioſum Prophetam, qui magnificæ navis Tyriæ fabricam ordine adeo commodo deſcribit, ac ſi quid primo atque ultimo naupegis faciendum ſit, & conſiderandum, docere vellet. Abſoluta denique navis fabrica, deſcribit ea, quæ ad inſtruendam eam atque ornandam pertinent. Vela itaque aptat, & apluſtria; & denique remiges ex duabus urbibus accerſit. Munſterus quid hic explicet ignorat. Satius fuiſſet Vulgatæ Verſionem retinuiſſe, quam inepta illa protuliſſe: *aut duas extremitates, puppim & proram*. Quod ſcribit:

alii vertunt tranſtra: memoriæ peccatum eſt: quippe Vulgatæ Auctor קרשך vertit, *tranſtra tua*.

Cupreſſum de Libano tulerunt) Ita cum LXX. Interpretibus vertendum puto. κυπάρισσον ἐκ τοῦ Λιβάνου εἰλήφεισαν, τοῦ ποιῆσαί σοι ἱστόν. Hebræum ארז fere ubique LXX. transferunt, κέδρον. Solum quinque loca ſunt, ubi vertunt, κυπάρισσον. Cauſſa, cur hoc loco cypariſſum verterint potius quam cedrum, hæc eſt: quod cedrus, quamvis inſigni altitudine excreſceret; malo tamen inde dolando inidonea eſſet. Primum enim craſſiore caudice ſurgit, quam malo conveniat. Theophraſtus in Syriæ montibus tanta craſſitie cedros naſci ſcribit, ut tres viri exertis brachiis, manum extremitates jungendo, comprehendere inferiorem caudicem nequeant. Deinde multis circum ramis a non magna altitudine ſtatim creſcit: unde malo ineptior merito cenſetur. Cupreſſi autem recto caudice in inſignem altitudinem ſurgunt, præſertim in Creta. Sed & Phocas ſcribit, in Libano (unde malum delatum propheta ſcribit) creſcere cupreſſos. Quare Hebræo *eres* cupreſſum hic ſignificari, non puto dubitandum: ut optime & hic verterint LXX. Quos nec Hieronymus reprehendit, ita ſcribens: *cedro, ſive cypariſſo de Libano, malus ejus erigitur*. Quamvis, ad Romanorum uſum reſpiciendo, melius ſcripturus fuiſſet: *abiete, aut cypariſſo de Libano*. Porro vellem, eruditiſſimum inter Latinos Patres omiſiſſe hæc verba: *Cedrus de Sanir ædificata eſt tibi: tenues tabulas cypreſſinas de Libano tulerunt, ut facerent tibi malos abiegnos*. quibus corrupta LXX. Interpretum verba transfert. Illud tamen inde diſcimus, depravatam hujus loci ſcripturam, in LXX. Interpretum Verſione, valde antiquam eſſe. Malum igitur ex cupreſſo factum propheta docet, quod Syri abiegnos non haberent. Hi enim aptiſſimi ſunt, quod & recto caudice longiſſimi ſurgant, & ſint leviſſimi. Levitatis autem maximam rationem habebant antiqui in ædificandis navibus longis. Plinius *lib*. XVI. *cap*. XXXIX. *Navium malis antenniſque propter levitatem* (male ibi ſcribitur, *lævitatem*) *præfertur abies*. Theophraſtus *lib*. V. *cap*. II. ἔστι δὲ ἡ μακρότατον ἡ ἐλάτη, καὶ ὀρθοφυέστατον. διὸ καὶ τὰς κεραίας, καὶ τοὺς ἱστοὺς ἐκ ταύτης ποιοῦσι. *Abies & longiſſimo, & rectiſſimo caudice excreſcit. Quare antennas, & malos ex ea faciunt*. Hoc judicium & noſtro tempore pleræque gentes uſu comprobant.

E quercubus de Baſan fecere remos tuos) Ita transferendum videtur, ſi Hebrææ vocis interpretationem communem retinendam cenſeamus. Quippe & LXX. & Vulgata ubique pro אלון habent δρῦν, *quercum*. Hoc ſolum loco LXX. verterunt, ἐλατίνας, *abiegnos*. Optime quidem, ſi rem ipſam hic conſideremus: non tamen ſine opinione audacis translationis hoc feciſſe videri debent. Quippe ab coniferis arboribus ad glandiferas tranſeunt. ברוש videtur ſignificare coniferas leviores, abietem & pinum. ארז, cedrum, cupreſſum, & alias, graviores. אלון glandiferas comprehendere videtur, inter quas eminent quercus, ligno gravi. Difficultas autem hoc loco non parva eſt, quod remi nunquam facti legantur e ligno querno: præcipue propter ejus gravitatem. Theophraſtus non ſemel laudat remos abiegnos. Heſychius: ἐλάτῃσι, κώπαις· ὅτι ἐξ ἐλατίνων ξύλων. *Abietibus, remis: quia ex abiegnis lignis fiebant remi*. Quod & aliis duobus locis idem dicit. Catullus, *Cærula verrentes abiegnis æquora palmis*. Et abſurdum maxime videtur, cum ob levitatem, ad alvum navis inde ædificandam adſumeretur abies; remos, quos leviſſimos merito facere ſtudebant, non ex ea factos putare, ſed ex quercu, cujus lignum & gravius eſt, & labore flectitur, quod remigio incommodum eſt. Quare ex querno ligno, aut alio gravi, remos facere, nihil aliud fuiſſet, quam gravem alioqui remigum laborem, ſtudio graviorem reddere. Hieronymus hic nullam vidit difficultatem; quinimo probat admodum remos quernos. *Quanta*, inquit, *pulchritudo navis, & ſupellectilis ejus, ut remos haberet cedrinos; non undelibet, ſed de Baſan!* Hæc ſatis probant, parva navalis rei cognitione inſtructum fuiſſe ſanctum hunc virum. Cæterum pro *cedrinos* dubio procul Hieronymus ſcripſerat *quernos*. quod verbum in translatione Vulgatæ hic legitur: *quercus de Baſan dolaverunt in remos tuos*. Sed ne quid diſſimulem, quum abſurdiſſimum ſit, & contra omnem antiquitatem, remos ex querno ligno factos ſtatuere; opinari nequeo, eruditiſſimum Vulgatæ Auctorem hic lapſum eſſe; ſed potius puto, ab Hieronymo, aliove mutationem factam, qui vocis *allonim* ſignificationem, aliis locis probatam, etiam hic retinere voluerit. Optime igitur hic LXX. ſi rei navalis uſum ſpectemus, vertendum ἐλατίνους, *abiegnos* remos. Ut in eam opinionem aliquando venerim, LXX. illos Interpretes, cum in Pharo inſula celeberrimæ Legis tranſlationi incumberent, ex habitante ibi nautico genere inquiſiviſſe de lignis, quibus ad præcipuas longarum navium partes naupegi uterentur. Certe cum antiquitate hæc eorum translatio (qua cedrum ad alvum navis; cupreſſum ad malum; abietem ad remos, Syri & Ægyptii adhibuerunt) egregie conſentit: ut merito hic locus inter antiquiſſima de re navali Veterum teſtimonia ſit referendus. Rabbini, quod nullam antiquitatis notitiam habeant, juvare nequeunt. Novant tamen aliquis, & optimos Senes LXX. tacite reprehendunt ob interpretationem vocis *allon*, quam non tam *quercum*, quam *caſtaneam* eſſe opinantur. אלונים · הם הנקראים כערבי בלוט ובלעז קשטאנייר והערמין נקרא בערבי שיך בלוט כלומר מלך האלונים והוא הערמון אם כן האלונים נקראים גם כן ערמונים הנקראים בלעז קשטאנייר ומאותן עושים קרשים ולוחות וכל בנין *Allonium Arabico ſermone vocantur* belot, *& peregrino*, caſtanier. Armon *Arabice appellatur* Scheig belot, *id eſt, rex glandiferarum, ſeu caſtanea. Quare* allonim *quoque vocantur* armonium, *quas vulgo caſtaneas dicunt: unde tabulas, longas & craſſas, & omnis generis utenſilia conficiunt*. Sed & ratione, & totius antiquitatis teſtimonio vincunt hoc loco venerabiles illi Senes. Veterum nemo remos ex caſtanea factos docet. Deſcriptionem ipſarum arborum adferre Rabbini debuiſſent, ut ex notis foliorum, fructuum, ligni, arbores noſcerentur, & ab aliis diſcernerentur. Jonathan quoque *allonim* explicat per בְּלִיטִין. Ex ipſis Arabibus peregrinantes in Palæſtina exquirere deberent, quam arborem *belot* adpellent.

Tabulam omnem *tuam fecerunt ex ebore*) Mirum videri non debet, quod tranſtrorum mentionem facere voluerit Propheta. Hæc enim generali nomine remigum ſedilia omnia ſignificant, quæ bellicæ navis totam pene alvum occupabant. Multi igitur operis hæc tranſtra fuerunt, & præcipui uſus: ſed recentioribus Interpretibus magno offendiculo. Antiqua translationis LXX. Interpretum exemplaria legunt conſtanter: τὰ ἱερά σου ἐποίησαν ἐξ ἐλέφαντος. *templa tua fecerunt ex ebore*. Certiſſimum puto, corrupte hoc loco unum vocabulum legi. Nec minorem gratiam ab divinarum Literarum, quam ab antiqui-

tatis, ſtudioſis hominibus me initurum ſpero, ob reſtitutam veram hujus loci ſcripturam. Scribo igitur ζυγὰ, pro ἱερά. ut ſcripſerint illi LXX. τὰ ζυγά σου ἐποίησαν ἐξ ἐλέφαντος. *tranſtra tua fecerunt ex ebore*. Ubi primum notandum, vocem ζυγὰ æque ut illud nothum ἱερὰ, quatuor conſtare literis. Deinde detritæ literæ ζῆτα ſuperiorem partem mutatam videri in ſpiritum aſperum; mediam, abraſa ultima parte, retinuiſſe formam ἰῶτα. Tertio, literam ῡ facile tranſiſſe in ε̄. ut quæ in MSS. quibuſdam, non nimium diſcrepantibus figuris exaratæ inveniantur. Reſtat ultima litera γ̄, quæ ſuperiore ſui parte ſemicirculi rotunditatem ab imperito librario nacta, totam veræ vocis tranſmutationem abſolvit. Hujus vocabuli ζυγὰ ſignificatio unice huic loco convenit: ut plane putem, Latinæ translationis eruditiſſimum Auctorem, in corruptum Verſionis LXX Interpretum exemplar incidiſſe, in quo invenerit hoc verbum ζυγὰ, quod recte interpretatus eſt *tranſtra*. Nec nimirum repugnat Hebræum קֶרֶשׁ quod illi LXX. aliis quidem locis vertunt ϛῦλον, ſed Vulgatæ Auctor, *tabulam*. Tranſtra, ut & cætera navis ſedilia ſunt tabulæ. Et Rabbini non diſcedunt: לוח רוצה לומר קרש ספינתך והוא דרך כלל *Tabulam ipſi vocare placet* kæræs *navis tuæ; generali nomine*. Cæterum antiqua ejus vocis hæc depravatio videtur, quando & Theodoretus ita ſcriptum invenit; cujus hæc ſunt verba: ἀντὶ δὲ τοῦ, τὰ ἱερά σου, οἱ ἄλλοι ἑρμηνευταὶ, τὸ κέρας σου, τεθείκασι, κατὰ τὴν προειρημένων ἀκολουθίαν. τῷ γὰρ ἱςῷ, καὶ ταῖς κώπαις, καὶ τὸ κέρας ἀκολουθεῖ. Verto: *Pro*, templa tua, *cæteri Interpretes* (Aquila, Theodotio, & Symmachus) *poſuere*, antenna tua, *ſecundum ea quæ ante dicta ſunt. Quippe poſt malum, & remos, ſequitur quoque* antenna. Verti, ac ſi κεραία legeretur, loco κέρας. Cornua enim ſunt extremæ partes antennarum. Hic in eam opinionem venire aliquis poſſit, quod Aquila, & cæteri duo Interpretes, transferendo Hebræum קרשך per κέρας σου putarint, Hebræos in ſuam linguam tranſtuliſſe Græcorum κέρας, ex quo fecerint קרש *Kæræs*. Eaſdem enim hoc Hebræum literas, quas & Græcum κέρας, eundemque ferme ſonum habet. Sed ut abſurde quis illud opinaretur, veriſimilius tamen videri poſſit, quam quod Druſius putavit, Aquilam, & cæteros Interpretes, videri hic legiſſe קרנך *cornu tuum*, pro eo quod conſtanter in omnibus exemplaribus reperitur קרשך *tabulam tuam*. In quem errorem hic incidit Druſius, quod non viderit, κέρας illos poſuiſſe, ut ſignificarent κεραίαν, *antennam*. uti non minus Theodoretus quam Hieronymus hoc loco illam vocem acceperunt. Hieronymus, dubio procul ex Origene; ex quo & Theodoretus ſuperiora transſcripſit; hæc habet: *ut, poſtquam univerſam illius ſupellectilem deſcripſerit, malum, antennas* (τὰς κεραίας Origenem ſcripſiſſe potius arbitror, quam κέρας) *remos, vela, proram, carinam, funes, opertoria*, &c. Hæc produnt abunde, nec primum eorum auctorem, nec exſcriptorem in re navali verſatum fuiſſe. Illud quoque hinc, uti ex multis quoque aliis locis, conſtare poſſit, Auctoris Vulgatæ ſententiam non ſemper adſecutum eſſe Hieronymum. Tranſtra, & antennæ navium bellicarum commune nihil habent. Non ſanctos hoſce viros reprehendendi cauſſa hoc moneo, ſed ut noſtri temporis curioſi homines videant, quam multa nobis, poſteriſque noſtris relicta ſint, quæ aut in Veterum ſcriptis emendent, aut de novo inveniant; quando & Patrum eruditiſſimis non ſemper commodiſſimæ ſententiæ, & explicationes in mentem venerint. Laudem autem hæc res potius, quam vituperium meretur, ſi modeſte, & veritatis ſolius ſtudio ſuſcipiatur. Utilitatem certe maximam ſolertes veri inquiſitores orbi terrarum contulerunt. Quod ſi noſtra hæc (ut nihil de tot aliis locis nunc dicam, quæ in ſacris Libris feliciter emendavi) priſci illi Patres, Græci pariter ac Latini, legere potuiſſent; Chriſtianæ veritatis ſtudio, & eruditionis amore motos, cum gratiarum actione, & benedictione, ea ſuſcepturos fuiſſe, pii illorum labores perſuadent. Sed ut ad Prophetam noſtrum redeam, etiam Targum Jonathanis infeliciter hic laboravit: illa tamen verba; מִכַּכְשִׁין בְשֵׁן דְפִיל *tectæ* (tabulæ) *dente elephanti*; bene habent, & hic ſunt ſequenda. Adeo multo ebore diſtinxere tabulas ſuas, ſeu tranſtra tua, ut plane eburnea viderentur. Plinii verba huc adducenda ſunt ex *libri* XVI. *cap.* XLIII. *Excogitatæ ſunt & ligni bracteæ; nec ſatis: cœpere tingi animalium cornua, dentes ſecari, lignumque ebore diſtingui, mox operiri*. Nunc porro recentiorum commentatorum unum atque alterum errorem tangam. Multos, in Veterum ſcriptis non exercitatos, turbare hic poſſet Cornelius a Lapide, qui in hunc locum ita ſcribit. *Septuaginta vertunt* ἱερὰ, *id eſt, templa: quia ut Sex. Pompejus, templum eſt tignum tranſverſum, in quo ſedent remiges*. Si verum eſſet, Sextum Pompejum Feſtum ſcripſiſſe, templum non modo ædem ſacras ſignificare, ſed etiam tranſtrum; vanam merito emendationem meam, qua ζυγὰ ſcribendum docui pro ἱερὰ, omnes judicaturi eſſent. Non interrogabo tam abſurdæ ſententiæ defenſorem, quæ ſimilitudo ſit inter templum & tranſtrum; inter magnificum ædificium ſacrum, & tabulam, in qua remex ſedeat: ſed ſolum curioſum, eruditumque veritatis inveſtigatorem ducam ad locum, unde Feſti auctoritatem penitius inſpiciat. Paullus Diaconus, qui Feſti librorum epitomen fecit, hæc hbet: *Templum ſignificat, & ædificium Deo ſacratum; & tignum, quod in ædificio tranſverſum ponitur*. Sed mendoſus dubio procul eſt hic locus. Quippe verba; *& tignum, quod in ædificio tranſverſum ponitur*; ſunt explicatio vocabuli *tranſtrum*. Scriptura, quam Cornelius adfert, corrupta eſt, extruſis quibuſdam vocibus, & item aliis additis. Extruſa ſunt verba; *quod in ædificio*: addita; *in quo ſedent remiges*. Non poſſum videre, quid primum hujus ſcripturæ auctorem in hoc erroris impulerit, ut, ſi vel ſcriptum in Paullo ita repeeriſſet, crederet templum Veteribus etiam dictum fuiſſe, *tignum tranſverſum, in quo ſedent remiges*. Idem Paullus: *Contemplari dictum eſt a templo, id eſt, loco, qui ab omni parte aſpici, vel ex quo omnis pars videri poteſt, quem antiqui templum nominabant*. Hunc locum expendere debuiſſet Cornelius. Sed clarior adhuc eſt ſequens ipſius Feſti integer locus: *Minora templa fiunt ab auguribus, cum loca aliqua tabulis, aut linteis ſepiuntur, ne uno amplius oſtio pateant, certis verbis definita. Itaque templum eſt locus ita effatus, aut ita ſeptus, ut ea una parte pateat, anguloſque adfixos habeat ad terram*. Videndus quoque idem in *teſca*. Hæc, & præterea Varronis, Livii, aliorumque Veterum loca ſi legiſſet ac conſideraſſet, alium ſuæ ſectæ commentatorem, ex quo hæc ſumſit, aut interpolavit, caſtigaſſet potius, quam ut calculo ſuo illius errorem adprobaſſet. Sed de altero vocabulo, cujus explicationem priori temere hic adſutam habemus, videamus. Paullus: *Tranſtra, & tabulæ navium dicuntur, & tigna pro pariete in parietem porriguntur*. Hæc verba manifeſto errore laborant. Falſum enim eſt, tabulas quaſcunque navium, dici tranſtra. Veterum nemo hoc dixit. Deinde etiamſi legas, *qua a pariete*, falſum tamen eſt, tigna, quæ a pariete ædium porriguntur

in parietem , dici tranſtra . Scribendum puto : *Tranſtra , tabulæ navium dicuntur tranſverſæ , quæ a pariete* (navis videlicet, qui Græcis τοῖχος dicitur, & aliis Latinis, ſi recte memini, *paries* quoque) *in parietem porriguntur* . Poſterioribus verbis ſciolus, aut minus attentus librarius adſuit, *in ædificio* (quæ ſupra vidimus in voce *templum*) quod non niſi in ædificiis parietem inveniri putaret. Inſignis eſt Iſidori locus *lib.* XIX. *Tranſtra ſunt tabulæ, ubi ſedent remiges : quod in tranſverſo ſint, dicta : quæ Virgilius* juga *appellat*. Sed ponamus, Feſtum dicere : *Templum eſt tignum tranſverſum, in quo ſedent remiges :* Cornelio jam porro probandum incumberet, etiam Græcam vocem ἱερὸν reperiri, ut ſignificet δοκὸν, ἐν ᾗ κάθηνται οἱ κωπηλάται. Omnis enim hæc quæſtio (quod maxime hic notandum) oritur ex Græcis, τὰ ἱερά σου. quæ LXX. illi habent; non autem ex Latina illorum verſione, *templa tua*. quod Latinorum Interpretum nullus ea voce Hebræam hic reddiderit. Ubi ultimum hoc aliquis invenerit; ſcilicet τὸ ἱερὸν ſignificare quoque *tranſtrum*; locum illum Paulli, in Jeſuitæ hujus gratiam, integrum incorruptumque credemus. Liquet hinc, quam abſurdæ opiniones ex corrupto vocabulo ζυγὰ natæ ſint : inter quas etiam ſequens Druſii eſt referenda. *Templa tua*, τὰ ἱερά σου. *Videntur legiſſe* קרשך *per daleth. Id ſignificat, templum. Vulgo ſanctuarium, ſive ſacrarium reddunt*. Longe diverſus hic error eſt a ſuperiori. Ex corrupto Græco verbo, conjecturam facit corruptæ hoc loco ſcripturæ Hebrææ Sed qui totam hujus loci ſententiam, & ſermonis connexionem diligenter conſiderat, non difficulter colliget, remis longe rectius ſubjungi tranſtra, in quibus remiges ſedeant, quam templa, & ſancta loca, quorum ne minimam quidem mentionem hic facit Propheta. Ut quidem alter hic Druſii error non majori ratione nitatur, quam præcedens Cornelii. Videamus tertium, quem Vatabli Annotationes habent. *Doctus inter Hebræos exponit caſtrum, ſive caſtellum navis*. Quod ſi doctus ille inter Hebræos ſciſſet, tectas naves Veterum, utroque latere ad puppim, habuiſse turrem, ex qua unus atque alter defenſor, pro navis magnitudine, pugnaret; hoc vere ſtolido figmento triumphaſset. Sed hujus quidem ſomnii abſurditatem ex adjunctis verbis, *factum ex ebore*, ſtatim intelligimus. *Caſtrum tuum factum ex ebore*. in quem vero uſum? Num ut candido ſplendore hoſtium oculos percelleret? Nugaciſſimum hoc figmentum eſt, ne minima quidem veritatis ſuſpicione nixum.

Prætoriolum fecere *e lignis*, allatis *ex inſulis Græcorum*.) Nova hæc mea interpretatio multis videbitur. Sed ſpero doctos viros, ubi ſequentia legerint, judicaturos, opinionem meam, quam nunc vetuſtatis ſqualore purgatam in lucem profero, veram eſse, utpote quæ omnium antiquorum Interpretum auctoritatibus nitatur. In omnibus Hebræorum voluminum editionibus nunc legitur, בַּת אֲשֻׁרִים *filia greſſuum*. Ego ſcribendum cenſeo, בֵּית אֲשֻׁרִים *domus e lignis*. per quam domum intelligo, *prætoriolum*; ut Romani adpellarunt; quam nautæ Hiſpani vocant, *el alcoba de la nave* : Galli, *la chambre du navire*, Angli, *the cabin* : Belgæ, *de cajuyt*. In utroque vocabulo Hebræo mutationem factam ſtatuo. Primum lego בֵּית *domus*, pro בַּת *filia*. quatuor diverſarum editionum auctoritatibus motus. Prima eſt Jonathanis, qui diſerte in ſua paraphraſi vocem בֵּית habet. בֵּית חוּפָאָה לְאִתְשְׁרִת *domus operimenti, theatri forma*. Primum dicit בית *domus*. addit majoris evidentiæ cauſsa, חופאה *operimenti*; qua claſſis præfectus, ſeu prætor (quem *amiralium* in præcipua nave, & in cæteris *capitaneum* vulgo vocant) tegatur, a ſolis æſtu, de die;

A & noctu, a frigore : in quam nec pluvia, nec ventus intrare poſſit. Addit præterea verbum, quo formam hujus in puppi ædificatæ domus deſcribit; nempe quod *theatralis* fuerit. Altera auctoritas eſt LXX. Interpretum, quos etiam בית hic legiſse, adparet ex ipſorum translatione : οἴκους ἀλσώδεις, *domos ſilveſtres*, Hieronymo interprete; qui anagogica ſolum explicatione hæc verba illuſtrat. Tertia eſt Aquilæ, teſte Theodoreto; qui item vertit οἴκους ἀλσώδεις, *domos e lucorum arboribus*; id eſt. proceris. Ecce vetuſtiſſimos Græcos Interpretes, qui voce οἴκους, procul dubio Hebræum בית expreſserunt. Quarta auctoritas eſt Auctoris
B Vulgatæ, qui eandem ſcripturam בית confirmat admirabili quadam interpretatione, & vere Romana : quippe domunculam prætoris in maxima navi ædificatam, *prætoriolum vocat* : *& prætoriola de inſulis Italiæ*. Nemo ad noſtram uſque ætatem Vulgatæ puriſſimam antiquitatem hoc loco intellexit : ne ipſe quidem Hieronymus, ut poſtea videbimus. Prætorium Romani vocant, intelligentes tabernaculum prætoris. Diverſis autem magiſtratibus, auſpiciiſque Romanos bella geſſiſse conſtat. A prætorio imperio, prætorium tabernaculum nomen accepit. Multa cum in aliis aucto-
C ribus, tum in Livio, loca de hac ſignificatione habemus : quorum tria ex hujus XXX libro hic adferam. Primus eſt. *His ſermonibus circumſtantium celebratus rex* (Syphax) *in prætorium ad Scipionem eſt perductus*. Paullo poſt alterum hunc locum habemus. *Quos cum pariter amico* (ita ſcribendum cenſeo, pro *ambo*) *& benigno vultu excepiſſet, & egregiis laudibus, frequenti prætorio, celebraſſet*. *Frequenti prætorio* dixit, ut *frequenti concione*. Cum, præter legatos & quæſtorem, multi tribuni militum in tabernaculum Scipionis conveniſſent. Evidens maxime eſt locus tertius. *Ex prætorio, in tabernaculum ſuum confuſus* (Ma-
D ſiniſſa) *conceſſit*. Ex prætorio tabernaculo, quo ad Scipionem cum Lælio venerat Maſiniſſa, in ſuum tabernaculum conceſſit. Atque illud nomen retinuit imperatoris tabernaculum, in quod legati tribunique conveniebant, ut & de bello proſpere gerendo conſilia caperent, & majores militum cauſſas diſceptarent; quamvis imperator, non prætorio imperio, ſed aut conſulari, aut proconſulari, ut hic Scipio, aliove, bellum adminiſtraret. Hoc Feſtus docet. *Initio prætores erant, qui nunc conſules, & ii bella adminiſtrabant : quorum tabernaculum quoque dicebatur prætorium*. Sequentibus temporibus locum, ubi ſupremum juris tribunal eſſet, præſertim militiæ, prætorium fuit adpel-
E latum : unde *prætorio præfectus*. Iſidorus : *Prætorium, eo quod ibi prætor ſedeat ad diſcutiendum*. Hac de cauſſa quoque navis, qua *prætor*, tanquam dux præfectuſque claſſis, quem nunc *amiralium*, Arabico vocabulo dicimus, vehebatur, vocata eſt *prætoria*. etiamſi eſſet externæ gentis. Exemplum Livius *libro* XXXVII. ſuppeditat, ubi Eudami, præfecti Rhodiæ claſſis, *navem prætoriam* dicit. Tabernaculum in hujuſmodi nave prætori ædificatum, ab Vulgatæ Auctore hic vocatur *prætoriolum*. dubio procul uſitato tum apud Roma-
F nos loquendi more. Diminutiva autem forma; non modo, quod Romani, tempore quo Vulgatæ Auctor vixit, *triremes* ſolum haberent, quas fere *liburnas* vocabant, in quibus prætorium non niſi parvum eſſe poterat; ſed etiam, quod vel hepteris prætorium, comparatum cum imperatoris terreſtris tabernaculo, parvum fuerit. Hanc meam opinionem, quod prætoriolum ſit domuncula imperatoris navalis, etiam Græcorum uſu firmare poſſum, qui præfecti navalis, aut trierarchi domunculam vocabant σκηνὴν, *tentorium*. Quod

cum ex aliis, tum ex hoc Pollucis loco eſt perſpicuum. ἐκεῖ που (περὶ τὴν πρύμναν quod præcedit) καὶ σκηνὴ ὀνομάζεται, τὸ πηγνύμενον στρατηγῷ ἢ τριηράρχῳ. *Ibi* (circa puppim) *tentorium quoque vocatur, quod ſummo præfecto* (in prætoria) *aut triremis præfecto* (in aliis minoribus navibus) *figitur*. Proximæ veræ ſignificationi ſunt Gloſſæ Iſidori: *Prætoriola, domuncula in navi*. Sed cur non ſingulari, *prætoriolum*? Nec dubium eſſe poteſt, quin Gloſſarum illarum auctor reſpexerit ad hunc Ezechielis locum, a Vulgatæ Auctore ita verſum. Aliam ſignificationem apud Romanos non habet vox *prætorium*. nec diminutivum *prætoriolum* aliam recipere poteſt. B Quamvis Hieronymus hic contradicere videatur. *prætoriola*, inquit, *ſive cellaria, in quibus merces pretioſiſſimæ reponuntur*. Hanc Hieronymi gloſſam commoda explicatione juvare vellem. Si voculam *ſimul* adjunxiſſet: *in quibus ſimul merces*, &c. hoc modo illud excuſaremus, quod navis bellicæ præfecto magni pretii merces tradi poſſint, ut in prætoriolo ſuo illas reponat, & tranſportet. Sed meliorem eruditiſſimus ille Patrum explicationem adferre potuiſſet, ſi in mentem ipſi veniſſet, Prophetam hic loqui de nave bellica. Atqui ſatis adparet, ipſum hic intellexiſſe navem onerariam, *qua merces vehantur*. C Vir magnus hic ſcribit: *Prætorium, quod hic dixit Hieronymus, Hebræi* בת, *eſt conclave in navis prora*. quæ verba ibi non legi vellem. Cæterum uſus vocis בית in hujuſmodi ſermone nihil inuſitati habet, uti aliquis Orientalium loquendi modorum imperitior opinari poſſit. Ita enim dicunt, בית משכבה *cubiculum*. Ecce ſolum cubiculum, ubi dormit aliquis, *domus* dicitur: uti cubiculum prætoris in nave bellica, quod & Galli vocant, *la chambre du navire*. Ita בית קבורתא *ſepulchrum*. בית ספריא *Bibliotheca*. בית הנשים *Gynæceum*. locus domus, ubi ſolæ mulieres degunt D Unde etiam perſpicuum eſt, Hebræos, Syros, Chaldæos, prætoriolum in nave, aliter appellare nequiſſe. Hæc igitur ſunt, quæ probent, Prophetam ſcripſiſſe בית pro בת, quod nunc legitur. Vulgatæ translatio optima eſt. Paraphraſis Jonathanis, quod ad vocem בית attinet, veriſſima. Editiones tum LXX. Senum, tum Aquilæ, conjecturam meam plane confirmant. Quod ad alteram vocem attinet; quæ nunc vocali ſchurek notata legitur, אֲשֻׁרִים *greſſuum*; eam LXX. & Aquila legerunt cum vocali Zeri, אֲשֵׁרִים *ex arboribus proceris: ex arboribus lucorum*, quæ proceræ erant. Verterunt enim, οἴκους ἀλσώδεις, *domos e lignis lucorum*. E Theodoretus: οἴκους ἀλσώδεις, τουτέστι σανίσι κεκαλυμμένους. οὕτω γὰρ καὶ ὁ Ακύλας ἡρμήνευσε. *Domos e lignis lucorum, id eſt, tabulis tectas. ita enim & Aquila interpretatus eſt*. Theodoriti explicationem habent verba, *tabulis tectas*, commode ſatis adpoſitam, quod prætorio in puppi ædificando non niſi in tabulas ſectæ proceræ arbores adhiberi poſſint. Ego vetuſtam lectionem אֲשֵׁרִים ſine controverſia veriſſimam, pro altera אֲשֻׁרִים, quæ nunc omnia formis expreſſa exempla occupavit, reducendam, & cum plauſu quodam, & literati orbis gratulatione, antiqua ſede ſua reponendam judicavi. F Primum enim conſtructio verborum, qua Propheta utitur, iis punctis notatum hoc vocabulum poſcit. Bis autem eadem cum verbo עָשׂוּ eodem hoc verſu præcedit. Primum in his verbis: עָשׂוּ מְשׁוֹטָיִךְ אַלּוֹנִים *fecerunt remos tuos e quercubus*. Deinde, עָשׂוּ קַרְשֵׁךְ שֵׁן *fecerunt tranſtra tua ex ebore*. Tertio loco verbum עָשׂוּ repetere in eodem verſu Propheta noluit; quia facile, ut bis in proxime præcedentibus duobus membris poſitum, intelligitur. Plene enim foret, בַּיִת עָשׂוּ אֲשֵׁרִים, *domum fecere e lignis lucorum*. Sed & eadem conſtructio, quinti verſus initio adparet, בָּנוּ אֵת לֻחֹתָיִם בְּרוֹשִׁים, *ædificarunt utraque tabulata tua e lignis pini*. Jam, quod ad probandam hanc ſcripturam non parum facit; non ſcripſit Propheta, מֵאַלּוֹנִים עָשׂוּ מְשׁוֹטָיִךְ nec deinde עָשׂוּ קַרְשֵׁךְ מִשֵּׁן uti nec quinto verſu ſcriptum reperitur, בָּנוּ מִבְּרוֹשִׁים. Deinde ad probandam hanc ſcripturam אֲשֵׁרִים, faciunt duo loca Eſaiæ, ubi vocem אֲשֵׁרִים L X X. illi interpretati ſunt δένδρα. Prior eſt cap. XVII. verſ. 8. לֹא יִרְאֶה וְהָאֲשֵׁרִים וְהַחַמָּנִים οὐκ ὄψονται τὰ δένδρα, οὐδὲ τὰ βδελύγματα. Vulgata: *Non reſpiciet lucos & delubra*. Alter locus eſt cap. XXVII. verſ. 9. לֹא יָקֻמוּ אֲשֵׁרִים וְחַמָּנִים LXX. καὶ οὐ μὴ μείνῃ τὰ δένδρα αὐτῶν, καὶ τὰ εἴδωλα. Vulgata: *non ſtabunt luci & delubra*. Denique illud conſiderandum, quam magnifica fuerit illius navis Tyriæ fabrica; quod ſaltem ex eburneis tranſtris perſpicuum eſt; Prophetam hac voce אֲשֵׁרִים ligna procera, & levia intellexiſſe, quæ Syris & Ægyptiis rara, ideoque admirationi erant. Sed & luci ferme ex arboribus proceris, & non frugiferis fuere conſiti. Inſignis eſt Cyrilli Alexandrini hic locus. ἄλλο γὰρ τὸ ἀλσῶδες ξύλον. ἄλλο τὸ καρποφόρον. εἰς ἄλση ὅταν φυτεύωσι, ξύλα φυτεύουσιν οὐ τὰ καρποφόρα, οὐ συκῆν, οὐδὲ ἄμπελον. ἀλλὰ μόνον, τέρψεως χάριν, ἄκαρπα ξύλα. Verto: *Alia enim arbor eſt in lucis plantari ſolita; alia, frugifera. Quum in lucis plantant arbores, non frugiferas plantant, ut ficum, atque vitem: ſed, delectationis tantum cauſſa, arbores non frugiferas*. Nihil autem obſtat, quod hac reſtituta veteri lectione tria commata hujus ſexti verſus futura ſint; quandoquidem centenis aliis locis hujuſmodi variationem probare poſſum, ut in Hebræa S. Scripturæ lectione paullo diligentiori notum eſt. Quod ad lignum attinet, unde hoc prætorium ædificatum, aut quo ſaltem ipſius parietes tectos fuiſſe ſtatuamus, non male putabimus fuiſſe κυπάρισσον Μιλησίαν, *Mileſiam cupreſſum*, quæ antiquis temporibus ad hujuſmodi opera adhibita legitur. Miletus, vetus urbs Ioniæ, mari potens fuit tempore Ezechielis, & populoſa: quod ex tot coloniis, quas ad interni maris, & ponti, loca miſit, intelligi poteſt: ut per איי כתים *Græcorum inſulas* hic intelligendas putem. Aliam hujus loci explicationem, quam primo excogitaram, formis exprimendam librario dederam, eo conſilio, ut hanc, quam nunc prodo, ſecundæ editioni ſervarem: ſed, quod longe mihi verior hæc videretur, potius retractare, antequam ederetur, illam volui, & quaſi partum meum refingere, ne, qui forſan aliis, etiam hac in parte, non deformis judicari potuerit, nævo, ſaltem mihi, turpior adpareret. Cæterum & illud hic notandum, magnam dubio procul fuiſse navem, ac prætoriam, cum qua tam magnifica urbs compararetur: ſicut poſtea, Alexandri M. tempore, fuit illa Tyriorum quinqueremis, *Tyria* dicta. Jam magnum quoque prætoriolum prætoriæ navis eſſe debebat, in quod cæteri trierarchi ad præfectum claſſis convenirent, ut de navali ſua expeditione conſultarent, aliaque negotia, quæ in tantis remigum militumque copiis occurrere ſolent, deciderent. Deinde veriſimile videtur, locum in vulgari triremi, ubi ejus præfectus degeret, dictum ſimpliciter fuiſse אהל *tentorium*. Quin etiam credibile eſt, apud Romanos prætoriæ duntaxat navis, utpote in tota claſse maximæ, locum illum ad puppim vocatum fuiſse *prætorium*; reliquarum autem, utpote minorum navium, ſimpliciter *tentorium*. quemadmodum apud Græcos σκηνή. Ultimo loco hic adducam quatuor recentiorum interpretum opiniones. Prima eſt Lutheri, ita transferentis: *und die kœſtlichen geſtyle aus den Inſulen Chitim*. Ex præcedentibus clarum eſt

quod Vulgatæ Auctorem toto hoc difficili loco secutus sit Lutherus; sed non intellexerit: uti nec quisquam omnis recentiorum interpretum chori. Ipse, & docti viri, quos de difficilibus locis, ut ipse scribit, consulebat, putarunt, sicut Euangelistis prætorium est locus judicii, *das Richthaus*; ita prætoriola hic esse sedilia, quibus judices considerent: quæ propterea elegantia dicenda putavit: neque enim adjunctum *kœstlichen*, firmamentum aut ex Hebræo, aut ullo veterum Interpretum habet. Sed hanc sententiam latius nunc differere non vacat. Altera est Rabbinorum, qua duo commata, seu propositiones in unam contrahuntur. בת אשרים רוצה לומר ערת אשורים Filia Assyriorum: *Dicere vult, congregatio Assyriorum.* Prima vox ערת aliquo modo ad domus significationem, in qua cœtus fieri solent, tendere videtur. Sed adjunctum אשורים *Assyriorum* nulla commoda explicatione adplicare norunt. Auctores tamen Anglicæ translationis, cum antiquas hoc loco Versiones non intelligerent, hanc Judæi hominis sententiam ceteris recentiorum interpretationibus prætulerunt. *The company of the Ashurites have made thy benches of Ivory, brought out of the Iles of Chittim.* Hanc interpretationem & sequens Hebræa annotatio confirmat. אשרים במשמע. שם איש ופירושו ערת אשורים עשו לך קרשי שן שהביאו אותו השן מאיי כתים כי שם הפילים מצויים שעושים מעצם שלהם קרשים וכלים: Assyriorum: *Literalem sensum sequendo, nomen proprium est, quod ita explicant. Congregatio Assyriorum tabulas eburneas tibi fecit: quod quidem ebur ex insulis Chittiorum adportarunt: ubi elephanti inveniuntur, ex quorum ossibus* (dentem solum nominare debuisset) *tabulas, aliaque opera, conficiunt.* Prioris annotationis sententiam prima verba repetunt: cætera impudentis temeritatis plena sunt; quæ pluribus refutare operæ esse non debet. Alium eorum errorem nunc non tangam. Tertia opinio ab his duabus plane diversa est; quamvis etiam duas illas propositiones in unam contrahat. *Transtra tua faciebant ex ebore tritissimo* artifices *ex insulis Chittæorum.* In margine additur. *Etsi ebur ex dentibus elephantorum aliqua paratur arte; tamen illud demum germanum est ebur & præstantissimum, quod elephantes defodiunt in terram, & in ea per justum tempus pedibus tritum est. Quamobrem Hebræi hoc genus eboris, dentem filium gressuum nominarunt. Vide Plinium Naturalis Historiæ lib.* VIII. *cap.* III. Hanc sententiam multis examinare hic nequeo. Plinii verba hæc sunt. *Prædam ipsi in se expetendam, sciunt solam esse in armis suis, quæ Juba cornua appellat; Herodotus tanto antiquior, & consuetudo, melius dentes. Quamobrem decidaos casu aliquo, vel senecta, defodiunt. Hoc solum ebur est. cetero, & in his quoque, qua corpus intexit, vilitas ossea. Quanquam nuper ossa etiam laminas secari cœpere penuria.* Primum mihi explicari vellem quænam illa ars sit, qua ex dentibus elephantorum paretur ebur? Vel auctorum, vel librarii, mendum est in his verbis. Nulla arte humana opus est, quando natura opus suum perfectissime absolvit. Ipsi dentes sunt ebur. quo juniores, eo candidiores, eo pretiosiores. Deinde, quando dicunt, germanum esse ebur, & præstantissimum, quod elephantes defodiunt; primum, auctoritate Plinii nititur; alterum, de præstantia eboris, eidem adversatur. Sed nec hoc dicit Plinius; dentes casu, vel senecta deciduos, solum ebur esse; sed simpliciter dicit, dentes: ut opponat ossibus. Quippe cæteris elephanti ossibus, exceptis his dentibus, quos cornua Juba appellat, vilitas ossea. Monet Plinius lectores, ne se decipi patiantur, credendo, cum dentes ossa sint, cæteris quoque elephanti ossibus, quibus corpus tam vastum intexitur; & dentibus, quibus mandunt; pretium majus statui debere. Quod autem hi duo viri dicunt, præstantissimum ebur esse deciduos dentes; id Plinius sequentibus verbis refellit. quippe dentium candore, juventam intelligi: ideoque senecta saltem decidui non sunt præstantissimum ebur, quia non candidissimum. Quod: quod ad ea verba attinet: *& in ea* (terra) *per justum tempus pedibus tritum est*: nulla mihi videntur egere refutatione. Interrogandi enim essent hujus sententiæ sectatores, utrum ut pulchriores fiant, dentes suos elephanti defodiant; an vero, ut plane intercidant, nec in manus hominum atque usus veniant: quod posterius Plinius hic innuit. Nisi statuere quis velit, eo prudentiæ venisse hanc bestiam, ut, cum sciat, dentium suorum candorem in terra minui, usum eorum ejusmodi defossione plane tollere cogitet. Quod equidem verisimilius puto, quam ut defossione meliores fiant. Quod porro dicunt; Hebræos hoc genus eboris, ab elephantis defossi, pedibusque (elephantorum solum, an etiam aliorum animalium, dubium relinquunt) triti per justum tempus (quod aliis finiendum reliquerunt) nominare dentem, filium gressuum; crasso sub aere natis credendum relinquimus. Solo hoc, ab ipsis male intellecto Prophetæ loco nixi, tam absurdam sententiam Hebræorum genti, jam suis erroribus nimium gravatæ, adfricuere Tremellius & Junius. Quarta versio est Diodati, quæ a tribus superioribus longissime recedit, & non minus grandibus erroribus conspicua est. Præterquam enim versu 5. ab recepta verbi לחתים interpretatione recedit, fingendo novam, *tes navires*: etiam versu 6. primum vocem קרשך nimis audacter vertit, *tes lambris*. non solum sine ratione, sed etiam sine ulla veteris Interpretis, aut explicatoris, auctoritate. Deinde duas voces, בת אשים vertit, *de bois du boüis*, non minus inscite: quamvis Targum Jonathanis eum hoc loco sequi voluisse adpareat. Sed hic ad secundum hujus sexti versus membrum buxum retulit. Quippe verba קרשך שן explicat per hæc: תרעיך דפין דאשכרעין חפיין בשן *superliminaria portarum tuarum ex tabulis buxeis ebore distincta.* Ex his liquido adparet, ex omnibus interpretibus, quam vetustis, tum recentioribus, nullum fuisse, qui hujus loci sententiam plene sit adsecutus. Itaque quomodo translationes eorum legi vellem, hic porro adscribam. LXX. Senum, ex vulgari traditione, interpretationem ita juvarem. Τάδε λέγει κύριος, ὦ Σορ, σὺ κληθήσῃ πλοῖον, κάλλους ἐξαίρετον. ἐν καρδίᾳ θαλάσσης, αἱ ὅριά σου. οἱ οἰκοδόμοι σου, ἐπλήρωσαν κάλλος σου. κέδροις ἐκ Σενεὶρ ᾠκοδομήθησάν σοι αἱ τοιχεῖαι σανίδων. κυπάρισσον ἐκ τοῦ Λιβάνου εἰλήφεισαν, τοῦ ποιῆσαί σοι ἱστὸν. ἐλατίνας ἐκ τῆς Βασανίτιδος ἐποίησαν τὰς κώπας σου. τὰ ζυγά σου ἐποίησαν ἐξ ἐλέφαντος, οἴκους ἐκ ξύλων ἀλσωδῶν, ἐνεχθέντων ἀπὸ νήσων τῆς Χεττιείμ. Latinam, Hebræis verbis respondentem, hanc facerem. *Hæc dicit Dominus Deus: Tu, o Tyre, vocaberis navis bellica eximia pulchritudine. In medio* enim *maris sunt fines tui: architecti tui impleverunt decorem tuum. Pinis* (ex Romanorum usu *abietibus*, quod etiam retineri potest: quemadmodum *cedris*, ex usu Syrorum) *de Sanir extruxerunt utrinsque lateris contabulationem. Cupressum* (Syris & Ægyptiis; quemadmodum *abietem*, aut *pinum*, Latinis) *de Libano tulerunt, ut facerent tibi malum. Abietes de Basan dolaverunt in remos tuos: transtra tua distinxerunt ebore: prætoriolum* (Romana nomenclatura; sed Syra, *domum*) *fecerunt ex proceris lignis*, allatis *ex insulis Græcorum.* Gallicam translationem ita reformarem. *O Tyr, tu seras dite un navire de guerre, parfaite en beauté.* Car *tes confins sont au cœur de la mer; ceux qui t'ont bastie, t'ont faite parfaitement belle. De planches de pins de Senir ils*

ils fabriquerent tous les deux costes: ils prirent un cypres du Liban, pour te faire le mast. Ils firent tes avirons des sapins de Basan: ils firent tes bancs de rameurs embellis *d'yvoire,& la chambre* du capitaine *de cypres*, venus *des isles de Kitthiim*. Denique hanc Belgicam subjungam. *Ghy, o Tyrus, sult genoemt vvorden een oorlogs-schip, volmaekt van schoonheyt*. Want *in 't midde van de zee ziin uvve lantpalen: uvve bouvvmeesters hebben u seerr schoon getimmert. Van grenen hout van Senir hebben sy getimmert alle beyde ziiden des scheeps: een cypres hebben sy van Libanus gehaelt, om op u een mast te maeken. Uvve riemen hebben sy gemaekt van vueren uyt Basan: uvve roeye-baucken*, ingeleyt *met elpenbeen: de cajuyt* gemaekt *van cypressen uyt de eylanden van de Grieken*. Hæc ad illustrandum divini Prophetæ obscurum locum promere volui, occasione restitutæ a me triremium, longarumque navium fabricæ: nec spero quidquam hic scriptum esse, quod pium hominem offendere possit: sed potius profundæ Scripturarum scientiæ eruendæ, Interpretumque qua diligentiæ, qua infelicitati demonstrandæ, non inutilem me operam insumsisse, judicaturum curiosum juxta atque eruditum lectorem.

Sexta hujus meæ inventionis utilitas est, quod multis veterum auctorum locis, qua restituendis, qua explicandis, inserviat. Ex vetustis scriptoribus, quum Græcis, tum Romanis, qui de bellicis navibus mentionem faciunt, nemo ferme est, qui non, si vel librariorum inscitiam, aut temeritatem, effugerit, obscura tamen sententia lectorem fatiget. Sed & proximorum sæculorum commentarii, etiam a doctissimis viris editi, multa habent, quæ ex hac nostra doctrina feliciter emendari possint. In hoc velut pelagus nunc non evehar: sed, quum ad portum properem, Latinam interim versionem viri, inter illos, qui doctrinæ laude, proximo sæculo, claruerunt, dubio procul doctissimi, Isaaci Casauboni, examinare adgrediar. Polybium is ea perspicuitate, ac Romani sermonis elegantia transtulisse vulgo dicitur, ut nihil eo in genere perfectius prodierit. Laudi illi universim detrahere nolim. Ex nostra tamen sequentis historiæ translatione perspicuum erit, non solum in sententia Polybii exprimenda sæpius illum virum aberrasse; sed etiam in ipso sermone quædam barbara aut solœca deprehendi, quæ Romanis auctoribus adsuetæ aures ferre nequeant.

PUGNA NAVALIS

AD CHIUM; EX POLYBII

HISTORIARUM LIBRO XVI.

MARCO MEIBOMIO INTERPRETE.

Ὁ δὲ Φίλιππος, τῶν μὲν κατὰ τὴν πολιορκίαν ἀντιπιπτόντων αὐτῷ, τῶν δὲ πολεμίων ἐφορμούντων πλείοσι καταφράκτοις ναυσὶν, ἠπορεῖτο, καὶ δυσχρήστως διέκειτο περὶ τοῦ μέλλοντος. οὐκ ἐπιδεχομένων δὲ τῶν παρόντων αἵρεσιν, ἀνήχθη παρὰ τὴν τῶν πολεμίων προσδοκίαν· ἔτι γὰρ αὐτὸν ἤλπιζον οἱ περὶ τὸν Ἄτταλον προσκαρτερήσειν τῇ τῶν μετάλλων κατασκευῇ. μάλιστα δ' ἐσπούδαζε ποιήσασθαι τὸν ἀνάπλουν αἰφνίδιον, πεπεισμένος καταταχήσειν, καὶ τὸ λοιπὸν ἀσφαλῶς ἤδη κομισθήσεσθαι παρὰ τὴν γῆν εἰς τὴν Σάμον· διεψεύσθη δὲ παρὰ πολὺ τοῖς λογισμοῖς. οἱ γὰρ περὶ τὸν Ἄτταλον καὶ Θεοφιλίσκον ἅμα τῷ συνιδεῖν αὐτὸν ἀναγόμενον, εἴχοντο τῶν προκειμένων εὐθέως. συνέβη δὲ τὸν ἀνάπλουν αὐτῶν γενέσθαι διαλελυμένον, ἅτε πεπεισμένων τὸν Φίλιππον, καθάπερ εἶπον, ἔτι μένειν ἐπὶ τῶν ὑποκειμένων· οὐ μὴν ἀλλὰ χρησάμενοι ταῖς εἰρεσίαις ἐνεργῶς, προσέβαλλον· Ἄτταλος μὲν τῷ δεξιῷ καὶ καθηγουμένῳ τῶν πολεμίων· Θεοφιλίσκος δὲ τοῖς εὐωνύμοις. Φίλιππος δὲ περικαταλαμβανόμενος τοῖς καιροῖς, δοὺς τὸ σύνθημα τοῖς ἐπὶ τοῦ δεξιοῦ, καὶ παραγγείλας ἀντιπρώρους ποιεῖν τὰς ναῦς, καὶ συμπλέκεσθαι τοῖς πολεμίοις ἐῤῥωμένως, αὐτὸς ὑπὸ τὰς νησίδας ἀναχωρήσας μετὰ τῶν λέμβων, τὰς μεταξὺ τοῦ πόρου κειμένας, ἀπεκαραδόκει τὸν κίνδυνον. ἦν δὲ τῶν μὲν τοῦ Φιλίππου νεῶν τὸ πλῆθος τὸ συγκαταστὰν εἰς τὸν ἀγῶνα, κατάφρακτοι τρεῖς καὶ πεντήκοντα· σὺν δὲ τούτοις ἄφρακτα, λέμβοι

PHILIPPUS, quum quæ in hac obsidione machinatus fuerat, haud prospere cessissent: hostes [1] cum pluribus tectis navibus, quam ipse paratas haberet, in ancoris starent, incertus animi erat, quid porro consilii caperet. Sed quum præsens rerum status [2] cunctationem non admitteret, præter hostium expectationem [3] in altum processit. (Verebatur enim Attalus, ne ab agendis cuniculis abstrahi non posset.) Repente autem in altum evehi studebat, quod celeritate se evasurum confideret; & porro, præter terram, tuto Samum petiturum. Sed haudquaquam ad spem eventus respondit. Attalus enim & Theophiliscus, simul ut in altum procedere ipsum viderunt, extemplo rei agendæ intenti erant. Quod autem persuasum haberent, Philippum, sicut dixi, in urgenda obsidione permansurum, soluto ordine in altum evehebantur. Sed quum acri remigio uterentur, [4] Attalus invectus est in dextrum hostium cornu quod præcedebat, Theophiliscus, in sinistrum. Philippus temporibus se exclusum videns, [5] postquam iis, qui in dextro cornu erant, tesseram dedisset, [6] jussissetque in frontem dirigere, pugnamque ex propinquo fortiter cum hostibus conferere; ipse sub parvas insulas, in medio trajectu sitas, [7] cum quibusdam lembis se recepit, ut eventum prælii exspectaret. In pugna illa aderant, Philippi naves tectæ, tres & quinquaginta: [8] præterea apertæ, lembi & pristes,

A δὲ σὺν ταῖς τριήρεσιν ἑκατὸν καὶ πεντήκοντα, τὰς γὰρ ἐν τῇ Σάμῳ ναῦς οὐκ ἠδυνήθη καταρτίσαι πάσας. τὰ δὲ τῶν πολεμίων σκάφη, κατάφρακτα μὲν ἦν ἑξήκοντα καὶ πέντε, σὺν τοῖς τῶν Βυζαντίων. μετὰ δὲ τούτων ἐννέα τριημιολίαι καὶ τριήρεις τρεῖς ὑπῆρχον. λαβούσης δὲ τὴν καταρχὴν τῆς ναυμαχίας ἐκ τῆς Ἀττάλου νεὼς, εὐθέως πάντες οἱ σύνεγγυς ἀπαραγγέλτως συνέβαλλον ἀλλήλοις. Ἄτταλος μὲν οὖν συμπεσὼν ὀκτήρει, καὶ προεμβαλὼν ταύτῃ καιρίαν καὶ ὕφαλον πληγὴν, ἐπὶ πολὺ τῶν ἐπὶ τοῦ καταστρώματος ἀγωνισαμένων, τέλος ἐβύθισε τὴν ναῦν. ἡ δὲ τοῦ Φιλίππου δεκήρης, ναυαρχὶς οὖσα, παραλόγως ἐγένετο τοῖς ἐχθροῖς ὑποχείριος. ὑποπεσούσης γὰρ αὐτῇ τριημιολίας, παίουσα πληγὴν βιαίαν κατὰ μέσον τὸ κύτος, ὑπὸ B τὸν θρανίτην σκαλμὸν, ἐδέθη, τοῦ κυβερνήτου τὴν ὁρμὴν τῆς νεὼς οὐκέτι δυνηθέντος ἀναλαβεῖν. διὸ καὶ προσκρεμαμένου τοῦ πλοίου αὐτῇ, ἐδυσχρηστεῖτο, καὶ δυσκίνητος ἦν πρὸς πᾶν· ἐν ᾧ καιρῷ δύο πεντήρεις προσπεσοῦσαι, καὶ τρώσασαι τὴν ναῦν ἐξ ἀμφοῖν τοῖν μεροῖν, καὶ τὸ σκάφος, καὶ τοὺς ἐπιβάτας τοὺς ἐν αὐτῷ, διέφθειραν. ἐν οἷς ἦν καὶ Δημοκράτης, ὁ τοῦ Φιλίππου ναύαρχος. κατὰ δὲ τὸν αὐτὸν καιρὸν Διονυσόδωρος, καὶ Δεινοκράτης, ὄντες ἀδελφοὶ, καὶ ναυαρχοῦντες παρ' Ἀττάλῳ, συμπεσόντες· ὁ μὲν ἑπτήρει τῶν πολεμίων, ὁ δ' ὀκτήρει, παραβόλως ἐχρήσαντο τῇ ναυμαχίᾳ. Δεινοκράτης μὲν πρὸς ὀκτήρη συμπεσὼν, αὐτὸς μὲν C ἔξαλον ἔλαβε τὴν πληγὴν, ἀναστείρου τῆς νεὼς οὔσης· τὴν δὲ τῶν πολεμίων τρώσας ναῦν ὑπὸ τὰ δρύοχα, τὸ μὲν πρῶτον οὐκ ἐδύνατο χωρισθῆναι, καίπερ πολλάκις ἐπιβαλλόμενος πρύμναν κρούειν. διὸ καὶ τῶν Μακεδόνων εὐψύχως ἀγωνιζομένων, εἰς τὸν ἔσχατον παρεγένετο κίνδυνον. Ἀττάλου δὲ ἐπιβοηθήσαντος αὐτῷ, καὶ διὰ τῆς εἰς τὴν πολεμίαν ναῦν ἐμβολῆς λύσαντος τὴν συμπλοκὴν τῶν σκαφῶν, ὁ μὲν Δεινοκράτης ἀπελύθη παραδόξως· οἱ δὲ τῆς πολεμίας νεὼς ἐπιβάται πάντες, εὐψύχως διαγωνισάμενοι, διεφθάρησαν. τὸ δὲ σκάφος ἔρημον ἀπολειφθὲν, ὑποχείριον ἐγένετο τοῖς περὶ τὸν Ἄτταλον. ὁ δὲ Διονυσόδωρος, μετὰ βίας ἐπιφερόμενος εἰς ἐμβολὴν, αὐτὸς D μὲν ἥμαρτε τοῦ τρῶσαι. παραπεσὼν δὲ τοῖς πολεμίοις, ἀπέβαλε τὸν δεξιὸν ταρσὸν τῆς νεὼς, ὁμοῦ συρραγέντων καὶ τῶν πυργούχων. οὗ γενομένου περιέστησαν αὐτὸν πανταχόθεν οἱ πολέμιοι. κραυγῆς δὲ, καὶ θορύβου γενομένου, τὸ μὲν λοιπὸν πλῆθος τῶν ἐπιβατῶν ἅμα τῷ σκάφει διεφθάρη, τρίτος δ' αὐτὸς ὁ Διονυσόδωρος ἀπενήξατο πρὸς τὴν ἐπιβοηθήσασαν αὐτῷ τριημιολίαν. τῶν δὲ λοιπῶν νεῶν ὁ κίνδυνος ἐφάμιλλος ἦν. καθ' ὅσον γὰρ ἐπλεόναζον αἱ τοῦ Φιλίππου λέμβοι, κατὰ τοσοῦτο διέφερον οἱ περὶ τὸν Ἄτταλον τῷ τῶν καταφράκτων νεῶν πλήθει. καὶ τὰ μὲν περὶ τὸ δεξιὸν κέρας τοῦ Φιλίππου, τοιαύτην εἶχε τὴν διάθεσιν. ὥστ' ἀκμὴν ἄκριτα μένειν τὰ ὅλα· πολὺ δὲ τοὺς E περὶ τὸν Ἄτταλον ἐπικυδεστέρας ἔχειν τὰς ἐλπίδας. οἱ δὲ Ῥόδιοι κατὰ μὲν τὰς ἀρχὰς εὐθέως ἐκ τῆς ἀναγωγῆς ἀπεσπάσθησαν τῶν πολεμίων, καθάπερ ἀρτίως εἶπα· τῇ δὲ ταχυναυτεῖν πολὺ διαφέροντες τῶν ἐναντίων, συνῆψαν τοῖς ἐπὶ τῆς οὐραγίας Μακεδόσι. καὶ τὸ μὲν πρῶτον ὑποχωρούσαις ταῖς ναυσὶ κατὰ πρύμναν ἐπιφερόμενοι, τοὺς ταρσοὺς παρέλυον. ὡς δ' οἱ μὲν παρὰ τοῦ Φιλίππου συνεπιστρέφειν ἤρξαντο, παραβοηθοῦντες τοῖς κινδυνεύουσι· τῶν δὲ Ῥοδίων οἱ καθυστεροῦντες ἐκ τῆς ἀναγωγῆς, συνῆψαν τοῖς περὶ τὸν Θεοφιλίσκον. τότε κατὰ πρόσωπον ἀντιπρώρους τάξαντες τὰς ναῦς, ἀμφότεροι συνέβαλον εὐψύχως ὁμοῦ, ταῖς σάλπιγξι καὶ τῇ κραυγῇ παρακαλοῦντες ἀλλήλους. εἰ F μὲν οὖν μὴ μεταξὺ τῶν καταφράκτων νεῶν ἔταξαν οἱ Μακεδόνες τοὺς λέμβους, ῥᾳδίαν ἂν καὶ σύντομον ἔλαβε κρίσιν ἡ ναυμαχία. νῦν δὲ ταῦτ' ἐμπόδια πρὸς τὴν χρείαν τοῖς Ῥοδίοις ἐγίγνετο κατὰ πολλοὺς τρόπους. μετὰ γὰρ τὸ κινηθῆναι τὴν ἐξ ἀρχῆς τάξιν ἐκ τῆς πρώτης συμβολῆς, πάντες ἦσαν ἀναμὶξ ἀλλήλοις. ὅθεν οὔτε διεκπλεῖν εὐχερῶς, οὔτε στρέφειν ἐδύναντο τὰς ναῦς, οὔτε καθόλου χρῆσθαι τοῖς ἰδίοις προτερήμασιν, ἐμπιπτόντων αὐτοῖς τῶν λέμβων, ποτὲ μὲν εἰς τοὺς ταρσοὺς, ποτὲ

numero centum quinquaginta. Neque enim omnes, quæ Sami erant, paratas habere potuerat. Hostium autem naves tectæ erant sexaginta quinque; cum iis quas Byzantini miserant. præterea novem triemioliæ, ac triremes tres. Postquam Attalus sua nave pugnæ initium fecisset, repente proximæ omnes, non expectato signo, inter se concurrerunt. Attalus igitur quum gravi ictu octerem, quam indeptus fuerat, infra aquam vulnerasset, 9 defensoribus diu pugnantibus, tandem eam demersit. 10 Philippi deceris, quæ prætoria erat, casu quodam inopinato in hostium potestatem venit. 11 Quum enim sub proram ejus casu incidisset triemiolia, vehementi hanc ictu, medio alveo, sub scalmo thranitæ percutiens, hæsit. quod navis impetum gubernator retinere nequisset. Itaque navigio ab ea pendente. parvum sui usum præbebat, & difficulter ad omnem occasionem movebatur. 12 Quo tempore quum duæ quinqueremes impetu adortæ, navem ab utraque parte vulnerassent, cum ipsam, tum omnes ejus defensores suppresserunt. inter quos & Democrates erat, Philippi navarchus. Eodem tempore Dionysodorus & Dinocrates, fratres, & navarchi Attali, 13 quum ille concurrisset cum hostium heptere, hic cum octere; audacter navale certamen inierunt. Dinocrates enim, qui cum octere concurrerat, ictu extra aquam accepto, 14 quod hostilis navis prora erectior esset; quum contra hostilem navem sub carinam vulnerasset; primum separari ab ea nequiit, 15 quamvis sæpe, navem inhibendo, id conaretur. Quare, Macedonibus strenue pugnantibus, extremum periculum adiit. Postquam autem Attalus auxilio venisset, factoque in hostilem navem impetu, illas separasset, Dinocrates præter omnem spem solutus est: sed omnes hostilis navis propugnatores, post acre certamen, interierunt. navem, defensoribus orbatam, Attalus cepit. Dionysodorus, magna vi rostro cum heptere concursurus, percutere aberravit. 16 Inter hostes autem ablatus, dextram navis alam perdidit; 17 trabibus quoque, quibus turres sustinerentur, confractis. quo facto ab omni parte hostes eum circumvenerunt. Clamore igitur orto, & trepidatione, cæteri defensores omnes cum nave interiere. ipse cum duobus ad triemioliam, quæ subsidio venerat, enatavit. Cætera navium multitudo æquo Marte decertabat. 18 Quantum enim lemborum multitudine Philippus superior erat; tantum tectarum navium viribus præstabat Attalus. Iraque eo in statu erat dextrum cornu Philippi. ut de tota quidem re judicare adhuc nemo posset; spem tamen haud paullo majorem Attalus foveret. Rhodii initio, statim ut in altum procedebant, ab hostibus longius abfuere, sicut dixi; sed quod celeritate hostes longe vincerent, cum postremis Macedonis navibus pugnam inierunt. Primum quidem, facto in puppes navium abscedentium impetu, remos detergebant: at postquam Philippi naves simul se vertere incipiebant, ut periclitantibus subvenirent; Rhodiorumque eæ quæ postremo in altum evectæ essent, Theophilisco se conjunxerant; tunc directis in frontem navibus, utrique simul, tubis quoque & clamore alii alios hortantes, fortiter concurrerunt. Quod si lembos inter tectas naves non ordinassent Macedones, facili ac brevi pugna transactum fuisset. Jam vero hæc res Rhodiorum conatus multis modis impediebat. Postquam enim primo concursu navium ordo, quem initio fecerant, turbatus esset, omnes inter se mistæ pugnabant. 19 Unde nec per hostiles naves evehi facile, nec vertere suas naves poterant, nec omnino iis uti artibus, quibus aliis præstabant. quod lembi jam in alas incurrerent,

δυσχρηστεῖν ταῖς εἰρεσίαις· ποτὲ δὲ πάλιν εἰς τὰς πρώρας· ἔστι δ᾽ ὅτε κατὰ πρύμναν. ὥς τε παραποδίζεσθαι καὶ τὴν τῶν κυβερνητῶν, καὶ τὴν τῶν ἐρετῶν χρείαν. κατὰ δὲ τὰς ἀντιπρώρους συμπτώσεις, ἐποίουν τί τεχνικόν. αὐτοὶ μὲν γὰρ ἐν πρώρᾳ τὰ σκάφη ποιοῦντες, ἐξάλους ἐλάμβανον τὰς πληγάς· τοῖς δὲ πολεμίοις ὕφαλα τραύματα διδόντες, ἀβοηθήτους ἐσκεύαζον τὰς πληγάς. σπανίως δ᾽ εἰς τοῦτο συγκατέβαινον. καθόλου γὰρ ἐξέκλινον τὰς συμπλοκὰς, διὰ τὸ γενναίως ἀμύνεσθαι τοὺς Μακεδόνας ἀπὸ τῶν καταστρωμάτων ἐν ταῖς σταδίαις γιγνομέναις μάχαις. τὸ δὲ πολὺ κατὰ μὲν τοὺς διέκπλους παρασύροντες τῶν πολεμίων νεῶν τοὺς ταρσοὺς, ἠχρείουν. κατὰ δὲ ταῦτα πάλιν ἐκπεριπλέοντες, καὶ τοῖς μὲν κατὰ πρύμναν ἐμβάλλοντες, τοῖς δὲ πλαγίοις, καὶ στρεφομένοις ἀκμὴν προσπίπτοντες, οὓς μὲν ἐτίτρωσκον, οἷς δὲ παρέλυον ἀεί τι τῶν πρὸς τὴν χρείαν ἀναγκαίων. καὶ δὴ τῷ τοιούτῳ τρόπῳ μαχόμενοι, παμπληθεῖς τῶν πολεμίων ναῦς διέφθειραν. ἐπιφανέστατα δ᾽ ἐκινδύνευσαν τρεῖς πεντήρεις τῶν Ῥοδίων. ἥ τε ναυαρχὶς, ἐφ᾽ ἧς ἔπλει Θεοφιλίσκος. μετὰ δὲ ταύτην, ἧς ἐτριηράρχει Φιλόστρατος. τρίτη δὲ, ἣν ἐκυβέρνα μὲν Αὐτόλυκος, ἐπέπλει δὲ Νικόστρατος. ταύτης γὰρ ἐμβαλούσης εἰς πολεμίαν ναῦν, καὶ καταλιπούσης ἐν τῷ σκάφει τὸν ἔμβολον, συνέβη δὴ τὴν μὲν πληγεῖσαν, αὔτανδρον καταδῦναι. τοὺς δὲ περὶ τὸν Αὐτόλυκον, εἰσρεούσης εἰς τὴν ναῦν τῆς θαλάσσης διὰ τῆς πρώρας, κυκλωθέντας ὑπὸ τῶν πολεμίων, τὰς μὲν ἀρχὰς ἀγωνίζεσθαι γενναίως. τέλος δὲ τὸν μὲν Αὐτόλυκον ἐκπεσεῖν τρωθέντα μετὰ τῶν ὅπλων εἰς θάλατταν. τοὺς δὲ λοιποὺς ἐπιβάτας ἀποθανεῖν μαχομένους γενναίως. ἐν ᾧ καιρῷ Θεοφιλίσκος βοηθήσας μετὰ τριῶν πεντήρων, τὴν μὲν ναῦν οὐκ ἠδυνήθη σῶσαι, διὰ τὸ πλήρη θαλάττης εἶναι· δύο δὲ ναῦς πολεμίας τρώσας, τοὺς ἐπιβάτας ἐξέβαλε. ταχὺ δὲ περιχυθέντων αὐτῷ λέμβων πλειόνων, καὶ καταφράκτων νεῶν, τοὺς μὲν πλείστους ἀπέβαλε τῶν ἐπιβατῶν, ἐπιφανῶς ἀγωνισαμένους. αὐτὸς δὲ τρία τραύματα λαβὼν, καὶ παραβόλως τῇ τόλμῃ κινδυνεύσας, μόλις ἐξέσωσε τὴν ἰδίαν ναῦν, ἐπιβοηθήσαντος αὐτῷ Φιλοστράτου, καὶ συναναδεξαμένου τὸν ἐνεστῶτα κίνδυνον εὐψύχως. συνάψας δὲ τοῖς αὐτοῦ σκάφεσι, πάλιν ἐξ ἄλλης ὁρμῆς συνεπλέκετο τοῖς πολεμίοις, τῇ μὲν σωματικῇ δυνάμει παραλυόμενος ὑπὸ τῶν τραυμάτων· τῇ δὲ τῆς ψυχῆς γενναιότητι, λαμπρότερος ὢν καὶ παραστατικώτερος, ἢ πρόσθεν. συνέβη δὲ δύο γενέσθαι ναυμαχίας, πολὺ διεστώσας ἀλλήλων. τὸ μὲν γὰρ δεξιὸν κέρας τοῦ Φιλίππου, κατὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς πρόθεσιν, ἀεὶ τῆς γῆς ὀρεγόμενον, οὐ μακρὰν ἀπεῖχε τῆς Ἀσίας· τὸ δ᾽ εὐώνυμον διὰ τὸ παραβοηθῆσαι τοῖς ἐπὶ τῆς οὐραγίας ἐξ ὑποστροφῆς, οὐ πολὺ τῆς Χίου ἀπέχον, ἐναυμάχει τοῖς Ῥοδίοις. οὐ μὴν ἀλλὰ παρὰ πολὺ τοῦ δεξιοῦ κέρατος κατακρατούντων τῶν περὶ τὸν Ἄτταλον, καὶ συνεγγιζόντων ἤδη πρὸς τὰς νησίδας, ὑφ᾽ αἷς ὁ Φίλιππος ὥρμει, καραδοκῶν τὸ συμβησόμενον· συνιδὼν Ἄτταλος μίαν πεντήρη τῶν ἰδίων, ἐκτὸς τοῦ κινδύνου, τετρωμένην καὶ βαπτιζομένην ὑπὸ νεὼς πολεμίας, ὥρμησε παραβοηθήσων ταύτῃ μετὰ δύο τετρήρων. τοῦ δὲ πολεμίου σκάφους ἐγκλίναντος, καὶ ποιουμένου τὴν ἀποχώρησιν ὡς πρὸς τὴν γῆν, ἐπέκειτο φιλοτιμότερον, ἐγκρατὴς γενέσθαι σπουδάζων τῆς νεώς. ὁ δὲ Φίλιππος συνθεασάμενος ἀπεσπασμένον πολὺ τὸν Ἄτταλον ἀπὸ τῶν ἰδίων, παραλαβὼν τέτταρας πεντήρεις, καὶ τρεῖς ἡμιολίας, ἔτι δὲ τῶν λέμβων τοὺς ἐγγὺς ὄντας, ὥρμησε· καὶ διακλείσας τὸν Ἄτταλον ἀπὸ τῶν οἰκείων νεῶν, ἠνάγκασε μετὰ μεγάλης ἀγωνίας εἰς τὴν γῆν ἐκβαλεῖν τὰ σκάφη. τούτου δὲ συμβάντος, αὐτὸς μὲν ὁ βασιλεὺς μετὰ τῶν πληρωμάτων εἰς τὰς Ἐρυθρὰς ἀπεχώρησε· τῶν δὲ πλοίων, καὶ τῆς βασιλικῆς ἀποσκευῆς ἐγκρατὴς ὁ Φίλιππος ἐγένετο. καὶ γὰρ ἐποίησάν τι τεχνικὸν ἐν τούτοις τοῖς καιροῖς οἱ περὶ τὸν Ἄτταλον. τὰ γὰρ ἐπιφανέστατα τῆς βασιλικῆς ἀποσκευῆς, ἐπὶ τὸ κατάστρωμα τῆς νεὼς ἐξέβαλον. ὅθεν οἱ πρῶτοι τῶν Μακεδόνων συνάψαντες ἐν τοῖς λέμβοις,

A ut remigium inutile redderent: jam in proram interdum in puppim, ut tam gubernatorum quam remigum ministeria impedirentur. Rostris autem concurrentes, arte quadam usi sunt. [20] Cum enim naves suas prora altius in aquam depressissent, vulnera supra aquam accipiebant; sed hostes infra aquam feriebant, ut ictibus subveniri non posset. Raro autem huc deveniebant. Concursum enim navium omnino devitabant, quod in constratis navibus stantes Macedones, illis manu consertis pugnis strenue se defenderent. Sed identidem per hostiles naves evecti, [21] detersis remis, illas inutiles reddebant. Postea circumvecti, aliis puppim rostro B feriebant; aliis latus, vertentibus se invecti. Itaque aut vulnerabant aliquas; aut eorum quid, quæ ad navis ministerium necessaria erant, inutile reddebant. [22] Hoc modo pugnando plurimas hostium naves suppresserunt. Cæterum insignis fuit pugna, quam tres Rhodiorum quinqueremes sustinuerunt. Prætoria una, qua Theophiliscus vehebatur: altera, cui præerat Philostratus: tertia, cujus gubernator erat Autolycus; quæque vehebat Nicostratum. Hæc enim quum hostium navem percussisset, rostrumque in nave reliquisset; factum est, ut icta navis cum viris omnibus mergeretur; Autolycus C autem (qui cum suis, mari per proram intrante, ab hostibus circumventus initio strenue pugnabat) tandem ipse vulneratus in mare cum armis decideret, cæterique defensores fortiter pugnando interirent. Quo tempore Theophiliscus, quum auxilio cum tribus quinqueremibus venisset, navem, quod mari plena esset, servare nequiit; ex duabus autem hostium navibus, quas vulnerasset, defensores ejecit. Sed quum repente plures lembi, tectæque naves ipsum circumsisterent; plerique defensorum, post acrem pugnam, interiere. Ipse tribus acceptis vulneribus, quum mira audacia pugnasset, suam ægre navem servavit, posteaquam D ipsi succurrisset Philostratus, præsentemque pugnam viriliter cum ipso sustinuisset. Deinde suis navibus conjunctus alio rursus impetu cum hostibus concurrit. Quamvis autem corporis vires vulneribus debilitatæ essent; indefatigabili tamen animi generositate, multo quam antea illustrior, pugnam conferebat. Cæterum duas navales pugnas esse contigit, longe inter se distantes. Quippe dextrum cornu Philippi, quum, ut initio proposuerat, præter terram navigaret, haud longe ab ora Asiæ aberat: sinistrum autem, quod ultimis, se convertendo, succurrerat, [23] haud procul ab Chio pugnabat cum Rhodiis. Enimvero quum Attali E naves dextrum cornu longe vicissent, & jam parvis insulis adpropinquarent (sub quas Philippus se receperat, ut eventum exspectaret) Attalus conspecta suarum una quinqueremi extra pugnam, quæ vulneraretur, ac mergeretur ab hostium nave; cum duabus quadriremibus, illi succursurus, eo contendit. Cæterum quum hostium navis cursum flecteret, [24] tanquam ad terram fugeret, studio intentiore sequebatur, spe navis potiundæ. Philippus interim procul a suis abstractum videns Attalum, quatuor quinquiremibus, tribusque hemioliis adsumtis, præterea lemborum proximis, F eo festinabat. Via autem Attalo ad suas naves interclusa, coegit ipsum magna contentione naves in terram impellere. Quo facto, [25] rex ipse cum remigibus Erythras se recepit: naves autem, & [26] privatum omne regis instrumentum in Philippi potestatem venit. Hoc enim tempore arte quadam usus est Attalus: quippe [27] insigniora quæque instrumenti regii, supra tabulatum navis projicienda curavit. Quare Macedonum primi, qui lembis accesserant, quum poculorum multitudinem, palliumque purpureum, aliaque ad ea per-

συνθεασάμενοι ποτηρίων πλῆθος, καὶ πορφυροῦν ἱμάτιον, καὶ τῶν τούτοις παρεπομένων σκευῶν, ἀφέμενοι τοῦ διώκειν, ἀπένευσαν ἐπὶ τὴν τούτων ἁρπαγήν. διὸ συνέβη τὸν Ἄτταλον ἀσφαλῆ ποιήσασθαι τὴν ἀποχώρησιν εἰς τὰς Ἐρυθράς. Φίλιππος δὲ τοῖς μὲν ὅλοις ἠλαττωμένοις παρὰ πολὺ κατὰ τὴν ναυμαχίαν, τῇ δὲ περιπετείᾳ, τῇ κατὰ τὸν Ἄτταλον, ἐπαρθεὶς, ἐπανέπλει, καὶ πολὺς ἦν συναθροίζων τὰς σφετέρας ναῦς, καὶ παρακαλῶν τοὺς ἄνδρας εὐθαρσεῖς εἶναι, διότι νικῶσι τῇ ναυμαχίᾳ. καὶ γὰρ ὑπέδραμέ τις ἔννοια καὶ πιθανότης τοῖς ἀνθρώποις, ὡς ἀπολωλότος τοῦ Ἀττάλου, διὰ τὸ καταγαγεῖν τοὺς περὶ τὸν Φίλιππον, ἀναδεδεμένους τὴν βασιλικὴν ναῦν. ὁ δὲ Διονυσόδωρος ὑπονοήσας τὸ περὶ τὸν αὐτοῦ βασιλέα γεγονὸς, ἤθροιζε τὰς οἰκείας ναῦς, ἐξαίρων σύνθημα. ταχὺ δὲ συλλεχθεισῶν πρὸς αὐτὸν, ἀπέπλει μετ' ἀσφαλείας εἰς τοὺς κατὰ τὴν Ἀσίαν ὅρμους. κατὰ δὲ τὸν αὐτὸν καιρὸν οἱ πρὸς τοὺς Ῥοδίους ἀγωνιζόμενοι τῶν Μακεδόνων, πάλαι κακῶς πάσχοντες, ἐξέλυον αὑτοὺς ἐκ τοῦ κινδύνου, κατὰ μέρη ποιούμενοι τὴν ἀποχώρησιν, μετὰ προφάσεως, ὡς ταῖς οἰκείαις σπεύδοντες ἐπικουρῆσαι ναυσίν. οἱ δὲ Ῥόδιοι, τὰς μὲν ἀναδησάμενοι τῶν νεῶν, τὰς δὲ προδιαφθείραντες τοῖς ἐμβολαῖς, ἀπέπλευσαν εἰς τὴν Χίον. ἐφθάρησαν δὲ τοῦ μὲν Φιλίππου ναῦς, ἐν μὲν τῇ πρὸς Ἄτταλον ναυμαχίᾳ, δεκήρης, ἐννήρης, ἑπτήρης, ἑξήρης. τῶν δὲ λοιπῶν, κατάφρακτοι μὲν δέκα, καὶ τριημιολίαι τρεῖς· λέμβοι δὲ πέντε καὶ εἴκοσι, καὶ τὰ τούτων πληρώματα. ἐν δὲ τῇ πρὸς Ῥοδίους, διεφθάρησαν κατάφρακτοι μὲν δέκα. λέμβοι δὲ περὶ τετταράκοντα τὸν ἀριθμόν. ἥλωσαν δὲ δύο τετρήρεις, καὶ λέμβοι σὺν τοῖς πληρώμασιν ἑπτά. τῶν δὲ παρ' Ἀττάλου κατέδυσαν μὲν τριημιολία μία, καὶ δύο πεντήρεις, καὶ τὸ τοῦ βασιλέως σκάφος. τῶν δὲ Ῥοδίων διεφθάρησαν μὲν δύο πεντήρεις, καὶ τριήρεις, ἥλω δ' οὐδέν. ἄνδρες δὲ τῶν μὲν Ῥοδίων ἀπέθανον εἰς ἑξήκοντα· τῶν δὲ παρ' Ἀττάλου, πρὸς ἑβδομήκοντα. τῶν δὲ Φιλίππου, Μακεδόνες μὲν εἰς τρισχιλίους, τῶν δὲ πληρωμάτων, εἰς ἑξακισχιλίους. ἑάλωσαν δὲ ζωγρείᾳ, τῶν μὲν συμμάχων καὶ Μακεδόνων, εἰς δισχιλίους· τῶν δ' Αἰγυπτίων, εἰς ἑπτακοσίους. καὶ τὸ μὲν τέλος τῆς περὶ Χίον ναυμαχίας τοιοῦτο συνέβη γενέσθαι.

A tinentia instrumenta conspexissent, insequi destiterunt, ad hæc diripienda intenti. Itaque evenit, ut Erythras tuto se reciperet Attalus. Philippus, cujus res hoc navali certamine longe deteriores fuissent, hoc inopinato casu, quo illas Attali naves ceperat, elatus, & in altum rursus evectus, studio multo naves suas colligebat: & viros hortabatur, bono animo essent, ut qui navali prælio vincerent. Hoc enim, non sine veri quadam specie opinabantur homines, quasi Attalus periisset; 28 quod Philippus, navem regiam trahens, rursus altum peteret. B Dionysodorus, quid regi suo accidisset suspicatus, signo elato naves suas convocabat. Quas quum celeriter ad se recepisset, ad Asiæ stationes tuto navigavit. Eodem tempore illi Macedones, qui Rhodiis oppositi pugnaverant, jamdudum male resistentes, e prælio excesserunt; 29 partibus receptum facientes, eo prætextu, quod suis navibus cito succursuræ essent. Rhodii, postquam captarum navium alias puppibus religassent; 30 alias rostris suppressissent, Chium navigarunt. E Philippi classe periere in certamine adC versus Attalum, deceris, enneris, hepteris, hexeris: e reliquis, tectæ decem, & triemioliæ tres: lembi cum suis remigibus, quinque & viginti: & in certamine adversus Rhodios, suppressæ sunt constratæ decem; & lembi, ad quadraginta. Captæ sunt duæ quadriremes, & lembi cum remigibus, septem. Porro ex Attali navibus mersæ sunt, triemiolia una, & duæ quinqueremes. 31 captæ autem sunt quadriremes duæ, & navis regia. E Rhodiorum navibus demersæ sunt quinqueremes duæ, & triremes. Nulla capta est. D Rhodiorum ad sexaginta viri interierunt: at e classe Attali, ad septuaginta. Philippus Macedonum suorum ad tria millia desideravit; remigum, ad sex millia. Capti sunt tum sociorum, tum Macedonum, ad duo millia: & Ægyptiorum, septingenti. Hujusmodi exitum habuit navale prælium ad Chium.

ANNOTATIONES

QUÆDAM AD PRÆCEDENTEM HISTORIAM.

1 *Cum pluribus tectis navibus, quam ipse paratas haberet*) πλείοσι καταφράκτοις ναυσίν. addidi explicationis caussa, *quam ipse hoc tempore paratas haberet*. Quippe vox πλείοσι, quæ dubio procul ad ea, quæ præcesserunt, spectat, confirmatur quoque ex sequentibus verbis col. 658. *l.* 27. *In pugna illa aderant, Philippi naves tectæ*. Fortasse enim tot tectas naves unus Philippus habuit, quot simul Attalus & Rhodii. Sed quum illas, quas Sami habebat, parare nequiisset, ut cæteris conjungerentur; Attalus & Rhodii tectarum navium numero superabant Philippum. Hanc explicationem firmant ea, quæ sequuntur col. 660. *l.* 45. *tectarum navium multitudine præstabat Attalus*. Non vidit hoc Casaubonus, qui ita vertit: *multis cum navibus tectis*. Eum secutus est Rierius: *avec un grand nombre de vaisseaux de guerre*. quum vertere debuisset: *avec un plus grand nombre de vaisse aux converts qu' il n' avoit auprès soy*. νῆες κατάφρακτοι, Latinis *tectæ*, vel *constratæ* dicuntur, videlicet tabulis, super quibus defensores stabant, & sub quibus remiges sede-E bant. Tectarum ferme minima fuit quadriremis: apertarum maxima, triremis. Nulla unquam quinqueremis aperta fuisse legitur. Majorum navium, quæ σκάφη adpellabant Polybii tempore, minima fuit hexeris. Vulgares enim erant quinqueremes & quadriremes; quamvis quinqueremi quoque vox σκάφος adposita inveniatur. Apertæ igitur naves erant triremes ferme, iisque minores; ut triemioliæ, lembi, myoparones, pristes. Tectæ naves magno commodo erant remigibus, qui tabulis superne tecti, ab hostibus nullo telo lædi poterant. In apertis autem navibus, uno remigum læso, jam cæterorum quoque ministeria impediebantur, quod, quum ita arcte sederent, ut omnes simul procumbere & recumbere deberent, læsus unus illum motum turbaret; deinde lateris sui remigium debilius redderet. Duo autem erant, quæ apertas triremes commendarent. Unum, quod thranitæ, seu summo loco considentes remiges, sub adventum hostium ad pugnam facile consurgerent. Alterum, quod humiliores, adeoque leviores essent.

A Ex hac historia quoque illud discimus, Veteres tectarum, id est, majorum navium ferme solum rationem habuisse. Hæ enim exercitatis remigibus instructæ,& fortibus propugnatoribus armatæ,minora navigia, remigum maxime ministeriis impediendis apta, magno numero facile supprimebant.

2. *Cunctationem non reciperet*) ἐκ ἐπιδεχομένων ἢ τ̃ παρόντων αἵρεσιν, Casaubonus vertit: *Sed quoniam præsens status eligendi quod mallet facultatem ei non dabat*. Sequitur eum Rierius: *mais parce que l'estat present des affaires ne luy permettot pas de choisis ce qu'il eust le mieux aimé*. Si præsens rerum status non dedit potestatem eligendi, quod B optimum videretur, igitur coactus fuit Philippus; primum tollere obsidionem; deinde, in altum evehi. Atqui prius refellit Attali opinio; in cuniculis agendis perseveraturum Philippum: posterius Philippi spes; quod repentina profectione se præventurum putaret. Non cogi putandus est, qui certo consilio quid agit. Quare diutius manere eo in loco potuisset Philippus. Quum igitur Attalus putaret, Philippum in agendis cuniculis perrecturum, ut obsessum locum expugnaret; interim visurum, ut ceteras, quas Sami habebat, naves ad se reciperet: aut, ut constituta die, quando navale certamen secum initurus esset, illæ quoque Samo adessent, ut omnibus suis te- C ctis navibus adversus hostes pugnaret: aliud consilium arripuit Philippus, ita ratiocinatus. In continuanda obsidione inutilem se operam insumturum. Ad hoc usque tempus conatus elusisse obsessos: ad machinas, & opera, deveniendum fuisse. Quid facturos, postquam tam potentium amicorum classem, cum octo millibus armatorum, & viginti millibus remigum, advenisse senserint? Haud dubium esse posse, quin continuis, hinc eruptionibus, illinc valli oppugnationibus, milites & remiges suos, jam dudum continuis laboribus fessos, defatigaturi sint & absumturi: &, quum multitudine superent, in pugnis quoque fore superiores. Ubi desperatio semel D exercitum invaserit, quam spem reliquam esse? Agendo & audendo huc processisse: obstitisse conatibus fortunam, hostiumque virtutem. Quum hosti par non sit, ut qui pauciores magnas naves habeat, ideoque certamen cum victoriæ certa spe suscipere nequeat; optimum videri, ut navibus clam deductis, repente in altum evehatur. Hostes primum accessisse; paraturos omnia, ut obsessis auxilio veniant. Rhodios, qui diu domo abfuerint, multisque necessariis indigeant, in agros dilapsuros. Spem minime dubiam esse, se cum classe Samum, ad reliquas tectas naves perventurum, antequam hostes consequan- E tur. Si tamen adsequantur, & pugnare cogant, ingentium navium robore, lemborumque copia, & virtutem hostium, remigumque scientiam, elusurum. Agite igitur, inquit, o amici mei; hoc consilium exsequi conemur. Fortunæ, vestræque virtuti res meas trado. Ex his liquere possit, Græca verba non adsecutum hoc loco Casaubonum, (neque enim ἐπιδέχεσθαι est, *facultatem dare*, ut de ceteris taceam) &, quomodo emendanda essent, ignorasse. Scribendum puto, ἐκ ἐπιδεχομένων ἢ τ̃ παρόντων ὑπέρθεσιν: quod interpretando sum secutus. Putare quis posset, emendandum: ἐκ ἐπιδεχόμενος ἢ (ὁ Φίλιππος) τ̃ παρόντων (φίλων) αἵρεσιν: sed male. F

3. *In altum processit*) ἀνήχθη: quod perperam Casaubonus vertit: *classe est profectus*: &, eum sequens, Rierius: *il partit*. Græcum verbum, de re navali usurpatum, semper significat, ex portu, aut statione, *in altum evehi, in altum procedere, altum petere*: ut Romani scriptores id interpretantur. Sic iterum col.658. *l*.14. *ut in altum procedere ipsum viderunt*. Casaubonus male: *ut oram solvere Philippum senserunt*. Gravius adhuc postea peccavit, quando hæc verba, ποιήσασθαι τ̃ ἀνάπλουν αἰφνίδιον, vertit; *vela subito fecit*. Non solum, quod verbum *vela* hic locum non habeat (remis enim tali tempore, non autem velis utebantur) sed etiam, quod adversam sententiam hic loquendi modus proferat. Vela enim facere, in pugna navali, est, fugere, ex certamine discedere. *Vela subito fecit*, significat, *fuga repente evasit*. Itaque barbarus hoc loco sermo ille censendus est. Quæ sequuntur Rierii hæc verba: *& les autres preparatifs d'un siege*: inepte ab ipso adsuta, Græci codices non adgnoscunt.

4. *Attalus invectus est in dextrum hostium cornu*) Excidit vox κέρατι, ita reponenda. τῷ δεξιῷ κέρατι, καὶ καθηγυμένῳ. Quod quum non animadvertisset Casaubonus, vertit: *dextram classis hostilis partem*. Cum Latinis scriptoribus, etiam de navali certamine, melius dixisset, *dextrum cornu*. Hæc emendatio sequenti loco firmatur. δὺς τὸ σύνθημα τοῖς ἐπὶ τῦ δεξιοῦ (δηλαδὴ, κέρατος) col.659. *l*.43. τὰ μὲν περὶ τὸ δεξιὸν κέρας τῦ Φιλίππου.

5. *Postquam tesseram dedisset*) δὺς τὸ σύνθημα. Græcum vocabulum & signum significat, & tesseram. Polybius *epitome* lib. VIII. αὐτὸς δὲ διελὼν τὺς ἐπιτηδειοτάτυς ἐπὶ τ̃ πραγμάτων, ἐφῆκε διαρπάζειν τὰς τ̃ Ρωμαίων οἰκίας, σύνθημα δὺς, πολεμίυς νομίζειν τὺς ἀνεπιγράφους (plane scrib. πολεμίας νομίζειν τὰς ἀνεπιγράφους) Casaubono interprete: *Ipse partitus copias, quos norat maxime idoneos rei agendæ, ad diripiendas Romanorum domos dimisit; dato signo, ut quæ inscriptæ non essent, pro hostilibus eas haberent*. Ea significatione & in hujus pugnæ descriptione usurpatur col. 663. *l*.17. ubi scribo, ἐξαίρων τὸ σύνθημα, articulo addito: nisi enim certum fuisset signum, qui ceteræ intellexissent? Deinde Græcum σύνθημα significat verbum, aut sermonem, qui ante prælium militibus, remigibusque datur, ut amicos ab hostibus eo discernant. Necessaria hæc tessera erat etiam in navali certamine. Utriusque enim classis plerique, quum milites, tum nautæ, Græci erant. Lemborum ministerio repente ad omnes naves utriusque cornu tessera perferri potuit.

6. *Jussissetque in frontem dirigere*) Philippus, gravis armaturæ Macedonum suorum, qui in tectis navibus stabant, virtute fisus, ex propinquo conferta pugna se prævaliturum sperabat. Quum enim hostes, præsertim Rhodii, & navium celeritate, remigumque scientia, longe præstarent, utilius nihil adversus illa excogitari poterat, quam ut rostris maximo impetu impactis, ferreis porro manibus indissolubiles naves redderent, pugnamque ex propinquo cum hostibus fortiter consererent. Prudens hoc erat consilium Philippi. Verum quum res ipsi esset cum hoste, qui non modo celeritate navium, remigumque scientia niteretur, sed etiam virtute militum; haudquaquam ad spem eventus respondit. Hanc rem non satis expressit Casaubonus. συμβλέκεσθαι est, *ex propinquo pugnam conserere, luctari cum hoste*. Navibus enim per impacta rostra, & manus ferreas, hærentibus, transcendere alterutri nitebantur, ut eas occuparent.

7. *Cum quibusdam lembis*) Scribendum enim in Græco codice, μετὰ τινῶν λέμβων. Hoc non advertit Casaubonus, vertendo; *cum lembis*. Rierius, conjectando, melius: *avec quelques vaisseaux legers*: nisi quod vox *vaisseaux* hic tolerari nequeat. Ex sequenti narratione satis adparet, magnam vim lemborum in hoc certamine adfuisse. Fuere lembi navigia, quibus quinquaginta viri veherentur, uti existimo, præter remiges. Usitatum navigii genus, quum in pugnis navalibus, tum ad piraticam exercendam. Ex virorum numero, aliquo modo eorum magnitudinem ratiocinamur. Forsan sexaginta pedum longitudine fuerunt; & octo, latitudine. Quare his centum quinquaginta lembis vecti fuissent septem millia & quingenti viri. Lembis Illyrii maria olim infestarunt. Longe enim diffusa loca repentino ter-

terrore perculerunt, obfidionefque horum navigiorum viris aut fufceperunt; aut, amicis auxilia ferendo, fuftulerunt. Ita quondam Illyriorum rex Agro, urbi Mydioniæ, ab Ætolis obfeffæ, centum miferat lembos, cum quinque millibus virorum; qui profligatis Ætolis, fublataque illius urbis obfidione, cum maxima præda brevi reverterunt.

8. *Præterea aperte*) Numerus apertarum in Græco codice excidit. Quod noftra hac editione, relicto vacuo fpatio, indicatum. Col. enim 664. *l.* 28. ubi merfæ & captæ naves ab utraque parte recenfentur, fuppreffæ quoque tres triemioliæ Philippi memorantur. In translatione Gallica tres hic errores adparent. Primum enim verba, *τὸ πλῆθος τὸ συγκαταςὰν εἰς τὸν ἀγῶνα*, ad utramque claffem referre videtur Interpres; quum ad Philippi naves tantum referenda fint, ob cauffam prima adnotatione allatam. Deinde vocem *ἄφρακτα* male trahit ad fequentia verba, *centum quinquaginta lembos*. Denique vocem *galeres* ponit, pro *priftes*: quæ fatis magno difcrimine diftabant.

9. *Defenforibus diu pugnantibus*) *τῶν ἐπὶ τοῦ καταςρώματος*, hoc eft, *τῶν ἐπιβατῶν*. Quippe fub tecto navis fedentes remiges, fola, ad juffum gubernatoris, remigandi cura tenebantur. Non difcrevit hoc Gallus Interpres: *ceux qui eftoient dedans*.

10. *Philippi deceris*) Rierius: *le vaiffeau de Philippe*: navis formam non exprimendo: quod Gallica lingua forfan non male ita fieret, *le vaiffeau de Philippe de dix ordres*, feu, *de dix rangs*. exprimendo Romanos loquendi modos, *navis decem ordinum*, feu *decem verfuum*.

11. *Quum fub proram ejus cafu incidiffet triemiolia*) Cafaubonus hoc loco ita vertit: *Subierat ipfam trieremiola quædam navis: in hanc ictu violento impacta, circa medium alveum fub fcalmo fupremorum remigum (thranitas vocant) illigata hæfit*. Rierius: *Une petite galliote s'en eftoit approchée, & fe rompit en la choquant, mais comme elle fe prit par une des chevilles à laquelle on attache les avirons, elle y demeura fans qu'on l'en puft degager*. Ex hoc loco, & forfan multis aliis, fi quis cum Græcis conferendi laborem fufcipere velit, liquere poteft; hunc Gallum Interpretem tanto fcriptori transferendo parem non fuiffe. Non quidem magnifica ille promittit: quod nec fine rubore potuiffet, ut qui fæpe ne Latinam quidem Cafauboni verfionem, quam transferre ftuduit, intellexerit: tantum abeft, ut Græcum Polybii codicem, difficilibus locis contulerit: quod utique omni Interpreti, qui Græcum fcriptorem in quamcunque linguam, vertere fufcipiat, faciendum eft. Nunquam bona Græci auctoris interpretatio prodibit, nifi in Græca lingua æque verfatus fit Interpres, atque in illa, in quam vertere voluerit. Nec accurata folum illius fermonis cogitatione inftructus effe debet; fed etiam omni illorum literatura. Scientias omnes, & cæteram antiquam eruditionem, nifi longa exercitatione didicerit, utcunque fermonis alioquin peritus, puerili ingenio in plerifque difficilibus locis, qua interpetandis, qua explicandis, verfatus deprehendetur. Itaque dubium effe non poteft, quin folum eruditiffimus quifque, ad interpretandos Græcos, Latinofque fcriptores, ftudium fuum conferre debeat. Ut vel hinc adpareat, quam paucæ Græcorum auctorum verfiones extent, quibus fidere lector, in Latina lingua duntaxat exercitatus, poffit. Argumento effe poffit hic Polybius, qui virum nactus, utriufque linguæ peritia cum quibufvis fui fæculi doctiffimis hominibus comparandum, ita tamen male, non paucis locis, toga Latina veftitus incedit, ut nifi fuo, hoc eft, Græco veftitu illum confpicere daretur, quis, aut unde effet, quidve vellet, non intelligeretur. Quod fi doctiffimis viris tantam interpretandi negotium difficultatem peperit, quid de vulgaribus illis, Gallicis præfertim, Græcorum auctorum verfionibus, quæ Latinis quoque ab vulgo præferri folent, ftatuendum exiftimabimus? Vulgo tamen, qui aliquam vetuftarum rerum cognitionem ambit, & fæpe fallendi temporis cauffa veteres fcriptores legit, fatisfacere verfiones illæ poffunt. Sed ad Polybii hunc locum veniamus. Primum illud dicit Polybius: decerem illam, maximo impectu actam, laboraffe, ut triemioliam, quæ præter proram ejus tranfire vellet, devitaret. Deinde, quum gubernator illius deceris fruftra id conaretur, ictam fuiffe triemioliam media alvo, fub thranitæ fcalmo, ita ut roftro deceris navigium illud hæferit. Deceris illa, fi remigum jufto numero inftructa fuit, octingentos faltem habuit remiges: unde impetum tantæ navis æftimare licet. Hæc deceris forfan concurrere cum hoftili nave voluit: fed quum tantæ navis concurfum hæc devitaret, cafu triemioliam; quæ fortaffis, ob intercedentem aliam navem, non vidit ingentem illam decerem (alioquin enim facile evitaffet) aut, fi vidit, celeriter fe prætervecturam fperavit, proræ illius deceris objectam fuiffe. Deceris gubernator, quum triemioliam prætervecturam confpiceret, de navi fua follicitus, ne roftro illam feriret, laboravit. Hoc aliter facere nequiit, quam ut juberet remiges fuos omnibus viribus inhibere: id eft, ut contrario motu remigarent verfus puppim, eoque modo navis tantum impetum faltem frangerent. Neque enim tam brevi fpatio fieri potuit, ut deceris, gubernaculo obediens, ita in latus flecteretur, ut obliquum occurfum triemioliæ vitaret. Hac fpe fua fruftratus prætoriæ gubernator, ob parvum inter ipfam & triemioliam fpatium percuffit triemioliam. Hoc, quod maxime confiderandum hic eft, omifit Gallicus Interpres. Percuffa igitur ab deceris roftro eft triemiolia. Ubi duo porro notanda funt. Primum, quod mediæ navi, fecundum longitudinem, roftrum impactum fit: qui cafus admirationem habet. Sed maxime alterum mirabile, quod ictus ad tantam navigii altitudinem fupra aquam, videlicet ad duos femis pedes, pertigerit. Hæc res quum non parvam difficultatem habeat, ita eft explicanda. Primum enim cogitandum eft, mare ferme nunquam quiefcere. Deinde, in fretis, cujufmodi erat, ubi hoc navale certamen ftetit, inter Afiam & Chium infulam; propter æftum majorem, mare inquietius effe. Sed tertio, ponamus, ferena tempeftate, marique tranquillo, pugnam hanc factam fuiffe: at quadraginta millia remigum in utraque claffe, tantam vim, & quidem magnarum navium, huc illuc tendentium, occurfus vitantium, cum impetu magno concurrentium, remos inhibentium; iis viribus impulerunt, ut vel tranquillum ventis mare, fluctibus altioribus undaret. Itaque eo momento, quo triemiolia deceri objiceretur; & proram deceris fluctus parum attollere potuere, quando cum aliis cadentibus fluctibus triemiolia humilior facta effet. Quam rem mente comprehendere poffunt, qui agitato ventis mari, in Uliæ oftio, aut Teffeliæ, magnæ parvæque navis motum obfervarunt: tunc præfertim, quando ad magnæ latus parva navis fe adjungere laborat. Illa igitur triemiolia, media alvo percuffa, ea altitudine, deceri adhæfit. Hanc explicationem confirmare, ac clariorem reddere poffum, alio infigni ejufdem Polybii loco, ubi de re haud valde diffimili loquitur, *lib.* 11. *ὅτε δὲ προσεγγίσαντα καὶ δεξάντα, κατὰ τὰς ἐμβολὰς, ἐδυσχρήστευν τὰ τῶν ἀντιπάλων σκάφη, προσκρεμαμένων αὐτοῖς περὶ τὰς ἐμβολὰς τῶν ἐξηλιγμένων λέμβων· τότ᾽ ἐπιπηδῶντες ἐπὶ τὰ καταστρώματα τῶν Ἀχαϊκῶν νεῶν, κατεκράτουν διὰ τὸ πλῆθος τῶν ἐπιβατῶν*. Cafaubono interprete: *fed poftquam appropinquaverant adverfæ naves, atque impreffione facta fefe illis alligaverant, dum ipfæ impeditæ hærebant, ut ex quarum roftris vincti inter fe lembi dependerent: tunc*

Illyrii in tabulata Achaïcarum navium insilientes, ob classiarii militis multitudinem superiores evadebant. Hæc meliora fieri possent. Dicit rostrorum ictibus, navibus hæsisse lembos: ideo inutiles illas factas, difficulter se movisse: repetit, circa magnarum navium rostra hæsisse junctos illos lembos. Si istum locum expendisset Casaubonus, hic tam graviter labi non potuisset. Sed ipsa Casauboni verba aliquanto accuratius consideremus. Primum dicit, *subierat:* quod verbum Polybio adversum est: qui *casu objectam fuisse* dicit. Non consilio, sed casu, triemiolia in rostrum decertis incidit. Et absurdum valde esset, opinari, parvum navigium unquam studuisse, ut magnæ navis rostro feriretur. Nec enim, si vel hostilis illa triemiolia fuisset, nocendi animo illata, sperare potuit, se hæsuram; sed metuere debebat, ne sub aquam vulnerata, repente ipso ictu mergeretur. Deinde non consideravit Casaubonus eam partem navis, ubi rostrum esset, quo ictus fieret. Inde enim cætera haud difficulter adsecutus esset. Tertio admodum erat, quando triemioliam magnæ navis lateri hæsisse putavit: Ita enim sequentia verba transfert: *Itaque decertis, e cujus latere navigium pendebat, magnis incommodis affecta.* Ex quibus omnibus adparet, non perspexisse illum virum quid hic verteret: cujus, sicut dixi, præcipua caussa illa fuit, quod rostri locum, atque usum, in magnis navibus, non satis considerasset. Ita commodissima sententia versionem hanc Casauboni aliquando acceperam. Sed postquam ultima hæc verba; *deceris, e cujus latere navigium pendebat;* diligentius consideravi, longe aliam vidi, & adhuc ineptiorem prioribus verbis, sententiam subjici. *Subierat ipsam triemiolia quædam navis: in hanc* (decerem) *ictu violento impacta* (triemiolia,) *circa medium alveum* (deceris) *sub scalmo supremorum remigum* (ipsius deceris, *thranitas vocant*) *illigata hæsit.* Si triemiolia rostro suo impegit in decerem, & quidem circa medium deceris alveum, sequitur triemioliam e deceris latere pependisse: quæ sunt posteriora Casauboni verba. Hunc errorem imbibit Schefferus, qui lib. *de Militia navali* ita scribit: *Sed tollit dubitationem Polybius, quando de decere, seu navi decem ordinum Philippi; plagam accepit* ὑπὸ τὸν θρανίτην σκαλμὸν, *sub ordine thranitarum.* Concedamus, rostratam fuisse triemioliam. Altitudinem decertis considerandam propono, & humilitatem triemioliæ. Si summos thranitas, ut illi faciunt, deceris intelligamus, sub quorum scalmis, media deceri, triemiolia, rostro suo hæsit; sequitur fluctum aliquem, ad novem pedum altitudinem triemioliam illam sustulisse: qua tempestate certus sum, de navali certamine non cogitaturos vel accerrimos hostes. Deinde a fluctibus magis, quam ab remigibus ictus ille fuisset. Denique putandum, non omissurum fuisse Polybium monere, triemioliam fluctibus in dextrum aut sinistrum deceris latus ejectam fuisse, adeoque latus illud, fractis remis, debilitasse. Ex versione Rierii nemo hic Polybium intelliget. Primum enim Polybii sententiæ adversantur verba: *s'en estoit approchée:* quibus transfert Latinum *subierat.* Deinde, *se rompit en la choquant:* nusquam hoc dicit Polybius: Tertio, *elle se prit par une des chevilles à laquelle on attache les avirons:* hæc quis ineptissima esse negabit? Quarto, *elle y demeura, sans qu'on l'en pust degager:* præter Græci codicis fidem adsuuntur. Denique col. 659. *l.* 11. verbum τρώσαντας, *vulnerantes*, male vertit, *l'ayant brisée.* Aliud est vulnerare navem, seu ictu lædere; aliud frangere: quod non ita facile fieri potuit. Etiam Veterum naves aliquam firmitatem habuere, quamvis cum nostris hac quidem in re comparari non possent. Nisi vulnus rostro factum sub aqua esset (hoc enim exitium adferebat, mare intrante) non tantum non mergebatur, sed & pugnam cum hostibus continuare poterat. Cæterum ex hoc loco discimus, quæ sit navalis certaminis conditio: quando etiam maximæ naves, fabricæ robore, virtuteque militum inexpugnabiles, ab levi adeo caussa exitium inveniunt: & simul tanta remigum militumque copia, qui nullo virtutis suæ experimento facto miserabiliter, momento temporis, profundo merguntur. Hoc considerare deberent reges, ac quicunque potentes rerum arbitri, ne bello aut frivolam ob caussam, aut eam, quæ pacis tractatibus tolli posset, incepto, divinam vindictam, navali præsertim bello, ubi illa omnibus temporibus mirabilis & justa fuisse cognoscitur, experiri vellent. Sed & illud hinc perspicimus, grandiores naves in utramque partem plurimum momenti habere. Feliciter enim pugnantes, victoriæ maxima caussa merito censentur: adversa autem pugna, suis animos deprimunt; & hostes, alioquin debiliores, ad consequendam victoriam magnopere incitant: præsertim, si ipse classis præfectus, uti hic Democrates, simul pereat. Ut consilium, etiam olim usurpatum, vanum videri non debeat, ne classis præfectus semper maxima navi vehatur, sed hostium conatus eludendi caussa interdum minorem conscendat.

12. *Quo tempore quum duæ quinqueremes, impetu adortæ, navem ab utraque parte vulnerassent.*) Hæc verba evidentissime ostendunt, quæ fuerit actio, qua rostrum navis bellicæ alteram navem vulneravit, &, per vulnera intrante mari, mersit. Ingens hæc prætoria maxime impedita erat per triemioliam, ab prora ejus pendentem, ut movere se difficulter posset. Quod autem magna propugnatorum copia potens esset, hostes cum tanta nave certamen detrectabant: multo enim sanguine redimendam illam victoriam videbant. Quare consilio celeriter capto, antequam hostes hærenti navi auxilio venirent, & facto in triemioliam impetu illas divellerent, quæ quinqueremes ab utroque latere adortæ sunt. Rostris enim suis, magno impetu impactis, utrinque illam vulnerabant. Deinde remos inhibendo retro cedentes, denuo impetu illatæ, alia vulnera faciebant: ut tandem per multa vulnera intrante mari demergeretur. Ita enim, velut hirci cornibus, illatæ rostris naves, & retro inhibendo, ut majore rursus impetu concurrerent, vulnera dabant sub aquam, quibus subveniri non posset. Quo tempore duarum illarum quinqueremium propugnatoribus nihil aliud agendum incumbebat, quam ut conferti clypeis suis corpora defenderent ab hostibus, qui in extremo periculo constituti, omni telorum genere illos avertere studebant.

13. *Quum ille concurrisset cum hostium heptere*) Reposui πολεμίων pro πομεμικῶν, quod male in utraque Polybii editione legitur, & erroneæ sententiæ caussam præbere posse. Non video quid Gallico Interpreti errandi caussam hic præbuerit. Clariora sunt verba, quam ut difficultatem parere possint. Pro his verbis: *freres, l'un avec un vaisseau:* reponenda alia sunt in hanc sententiam: *freres attaquerent, l'un un vaisseau.*

14. *Quod hostilis navis prora erectior esset*) Omnium in Polybio corruptorum, ac intellectu difficilium locorum, hic facile primus est: ut aliquando majorem antiquæ navalis rei scientiam poscat, quam qua Casaubonus præditus ad interpretandum Polybium accessit. Ejus hæc est versio: *Dinocrates cum octere congressus, quia proram cum parte carinæ ad feriendum vehementer erexerat, quum in ea parte navis suæ, quæ aquis extabat, vulnus accepisset; hostilem vero contra infra aquam fauciasset.* Rierius ita transtulit. *Dinocrate ayant attaqué un vaisseau ennemy, le perça en un endroit où il faisoit eau, & l'ayant acroché avec le sien qui avoit esté percé un peu au-dessus de l'eau.* Tria sunt quæ his erro-

A ribus implicuere Caſaub. Primum enim comminiſci nequiit navis ſubſultationem, ab commoto fluctibus mari factam. Deinde non vidit ex Græcis Polybii verbis unum excidiſſe, vel maxime ad rem explicandam pertinens. Denique, quod verum Polybii verbum, pro corrupto *βίαχα* ſubſtituendum, excogitare non potuit. Ex his difficultatibus ut nos expediamus, illa explicatio, quam col 660. *l*.7. adduxi, hic repetenda eſt. Videlicet, proram hoſtilis octeris ab adſcendente fluctu ſublatam fuiſſe, ut roſtrum ſupra aquam aliquantum extaret: contra autem navem Dinocratis, prora profundius in aquam ſubſidiſſe; aut caſu, cum cadente fluctu: aut ſimul arte, ſubito multorum militum ad proram concurrentium impetu & pondere: ideoque neceſſario accidiſſe (quum B roſtra omnium navium, inferiori proræ parte ſub aquam ſtarent) ut navis Dinocratis ictum acciperet ſupra aquam; contra autem hoſtilis octeris ictum acciperet ſub aqua. Pono, navem Dinocratis, caſu, aut arte, prora profundius in aquam ſubſidiſſe. Utrumque fieri poſſe, nemo qui mobile admodum aquæ elementum conſideret, negabit. Primum enim, prora navem cum adſcendente fluctu attolli poſſe, & rurſus cum cadente fluctu ſubſidere, ut velut ſubſultare navis videtur; nemini ignotum, niſi qui commoto ventis mari navem progredientem non C viderit. At vero cœlo ſereno, quieto mari, fluctus quoſdam volvi poſſe, non omnes fortaſſis comprehendent, qui rei navalis nullam habent experientiam; qui fluctuum cauſam, & quid ſubitus grandis navis impetus efficere poſſit, ratiocinari nequeunt. Mare enim hic conſiderandum, ab centum octodecim grandibus navibus, quæ ab quadraginta millibus remigum impellerentur, motum fuiſſe. Et quamvis duobus locis: quum prope Aſiam, ab Attalo, & Philippi dextro cornu; tum non procul Chio, ab ſiniſtro ejuſdem cornu & Rhodiis, pugnaretur; ſimul tamen viginti millia remigum, plus D minus, ab utraque parte, uno loco, mare remis commoviſſe. Subitum earum navium fuiſſe impetum, (quod in antiquorum navali certamine celeritas fermè cauſſa victoriæ eſſet) quo huc illuc, & quidem non admodum lato freto, ferrentur; ut aut majorem hoſtilem navem duabus pluribuſve minoribus circumſiſterent, & momento temporis, interdum roſtris navem ſupprimerent, interdum defenſores ejus, brevi pugna vincerent, aut dejicerent; aut ut laborantibus amicis repente auxilio venirent. Hunc ſubitum navium bellicarum motum, ab remis factum, ſi ex rei natura perſpectum non haberemus, ex Virgilio diſcere poſſemus, E qui quinto *Æneidos* ita cecinit.

—— adductis ſpumant freta verſa lacertis.
Infindunt pariter ſulcos: totumque dehiſcit,
Convulſum remis, roſtriſque ſtridentibus, æquor.

Non facit Virgilius mentionem ventis commoti maris, quando ludicrum illud navale certamen fuit, inſtitutum. Tranquilla omnia erant, ut virtus remigum, & gubernatorum ſcientia, evidentior eſſet. Illud tranquillum mare remis divulſum fuiſſe dicit, ita ut magni fluctus volverentur, & inter altos fluctus mare dehiſcere videretur. Præterea naves quædam grandiores, roſtrorum ictibus merſæ, etiam fluctus quoſdam excitarunt. Sed ſi vel iſta omnia parum momenti facere viderentur, illud ſumere poſ- F ſem: navalis illius certaminis tempore, vento mare aliquanto commotius fuiſſe, & fluctus exciviſſe; qui fluctus ſubito tantarum navium impetu aucti ſint. Hoc nec negatur a Polybio: & credi debet, in freto eo factum fuiſſe, quod æſtu reciprocetur, & ponti exoneratione mare ſemper inquietum habeat. Hæc adferre volui, ut monſtrarem, naves etiam ſine adhibita arte, pugnæ tempore, ſubſultare potuiſſe; ideoque, quando duæ illæ naves roſtris concurrerent, fieri potuiſſe, ut altera ſupra aquam, altera ſub aquam vulneraretur. Hoc igitur primum eſt. Alterum, videlicet, navem arte quadam profundius prora in mare deprimi potuiſſe, indubitabile facit ipſe Polybius, ſequentibus paullo poſt verbis: *Roſtris autem concurrentes, arte quadam uſi ſunt. Quum enim naves ſuas prora altius in aquam depreſſiſſent, vulnera ſupra aquam accipiebant; ſed hoſtes ſub aquam feriebant, ut ictibus ſubveniri non poſſet*. Hanc proræ aliquanto altiorem in mare depreſſionem ita factam puto, ut plerique militum, in conſtrata navi ſtantium, curſu ad proram contenderent, ibique conferti ſtarent eo momento, quando ſua navis hoſtilem percuſſura eſſet. Sed & alio modo eandem proræ altiorem deſcenſum fieri potuiſſe, docere poſſem. Motus igitur ille cum impetu factus, & armorum gravitas, rem illam efficere potuerunt. Poſt factum ictum conferti illi milites in prora, rurſus loca ſua per totum navis conſtratum occupabant, ne mare per acceptum vulnus, quod illo navis poſitu neceſſario ſub aqua erat, intraret. Fieri autem hoc potuiſſe etiam in magnis illis navibus, inde colligi poteſt, quod anguſtæ fuerint, & admodum longæ. Octeris, longitudine CLXXX. pedum, habuerit latitudinem pedum XX. Nunc ad ipſa obſcuri hujus loci verba veniam: ubi primo conſideranda ſunt hæc, *ἀνασείρου τ̃ νεὼς οὔσης*. Pollucis inſignis eſt hic locus: *ἔδαφος τρόπις. τρόπιδες. τροπίδια, στεῖρα. τρόποι. τὸ δὲ τῇ στείρᾳ προσηλούμενον, φάλκις. ἀφ' οὗ ἡ δευτέρα τρόπις. καλεῖται δὲ οὗτος καὶ λέσβιον, καὶ χαλκίνης, καὶ κλεισοπόδιον. τὸ δὲ καταλῆγον αὐτοῦ ἐπὶ τὴν πρῷραν, προεμβολίς· τὸ δὲ ὑπ' αὐτὴν ἔμβολον. μέσον δὲ τ̃ προεμβολίδος καὶ τοῦ ἐμβόλου, ἡ στεῖρα καλουμένη*. Habent hæc aliquam difficultatem. Primum, vocabulum *τρόποι* hinc ejicerem. Deinde videri poſſit ſcribendum, *ἀφ' οὗ*, videlicet *προσηλουμένου*. Porro pro *οὗτος* (quod forſan natum ob præcedens *οὗ*) ſcribendum *αὕτη*, ſcilicet *ἡ δευτέρα τρόπις*. Pro *χαλκίνης* plane ſcribendum, *χαλκήρης*. Verum nec ita omnem difficultatem ſuſtulimus; ut potius putem, inſerta voce *ἔμβολος* hic ſcribendum: *ἀφ' οὗ ἡ δευτέρα τρόπις. ἔμβολος. καλεῖται δὲ οὗτος*. Ut hoc dicat Pollux, *ἔμβολον*, *roſtrum*, aliis nominibus vocari *λέσβιον*, *χαλκήρης* & *κλεισοπόδιον*. Et ſequentia admodum juvant: *τὸ δὲ καταλῆγον αὐτοῦ* (videlicet, *ἐμβόλου*) *ἐπὶ τὴν πρῷραν*. Roſtri (prout totum corpus ejus, ex ligno & ferro conſtans, eo vocabulo accipitur) ea pars, quæ proræ proxima eſt, vocatur *προεμβολίς*. Deinde ſequitur ipſa *στεῖρα*, lignum craſſum. Denique extrema ejus pars, ipſum ferrum, quod *ἔμβολος*, aut *ἔμβολον* ſpeciatim dicitur. Cæterum & Heſychii locus evidenter rem explicat, quando *στεῖραν* vocat, prominens ad proram lignum, circa carinam. *στεῖρα, τὸ ἐξέχον τ̃ πρῴρας ξύλον, κατὰ τ̃ τρόπιν*. Etymolog. quoque juvat, quod *στεῖρα* dicatur *ἀπὸ τ̃ στερροῦ*, *a robore, & firmitate*. Craſſum enim & robuſtum lignum illud eſſe debuit, quod & roſtrum ferreum, ſæpe multiplex, caperet; & totius navis impetum, ictum faciendo, ſuſtineret. A *στεῖρα* factum eſt *ἀνάστειρος*, quod ratione compoſitionis aliud nihil ſignificare poteſt, quam roſtri illud robuſtum lignum fuiſſe altius, & extra aquam elatum. Quare hæc Polybii verba, *ἀναστείρου τ̃ νεὼς οὔσης*, ſignificant, navem toto roſtri ligno extra aquam ſublatam fuiſſe: quod idem eſt ac ſi dixiſſet, *τ̃ στείρας τ̃ νεὼς ἄνω οὔσης*. Unde porro colligitur, hanc navem, quæ roſtrum non parum ex mari extans habuerit, alteri navi, cum qua concurriſſet, vulnus feciſſe ſupra aquam: contra autem ictum ab ea accepiſſe ſub aquam. Certiſſima hæc res eſt: ſed aliud tamen dubium, ex iiſdem verbis natum, habet: quod Polybii verba non declarent, utra harum navium roſtrum ſupra aquam elatus habuerit. Ex mea ſententia, ea fuit navis hoſtilis. Contra putavir Caſaubonus, Dinocratis navem fuiſſe: *quia* (Dinocrates) *proram cum parte carinæ ad ferien-*

dum e-

dum vehementer erexerat. Quod, ut supra explicavi, aliter fieri non potuisset, quam ut multitudo militum ad puppim cursu contenderet. Sed hanc rem plane non adsecutus est Casaubonus. Neque enim vidit, navis præpositum, qui magno impetu cum hoste concursurus, proram arte altiorem faciat, nihil aliud agere, quam qui flammæ vitandæ caussa caute incedens, in medium ignem stulta temeritate se injiciat. Hæc quum absurdissima sint, in eam aliquando opinionem veni, Casaubonum, quamvis Polybii sui editioni ipse adfuerit, forsan scripsisse *quæ*, pro *quia* quod formis expressum est: ut ad præcedens octeris ea particula referretur. Sed nec ea scriptura commodam sententiam absolveret, quod *proram erigere*, in navali certamine, stolidum videatur, utpote cum evidenti periculo conjunctum. Et tota sermonis connexio eam mutationem, quamvis ex parte meliorem sententiam adferret, rejicit. Deinde magnopere quoque in eo errat Casaubonus, quod contra Græci codicis fidem, ubi nihil hujusmodi reperitur, adjungit; *ad feriendum vehementer.* Quod non dixisset, si vel levi Mechanicorum scientia fuisset instructus. Ictus ille gravissimus fuit, qui prora navis minime sublata; vel arte, vel per fluctus subsultatione; æqua navis latione factus est. Præterea verbum ἔξαλον male transtulit: *in ea parte navis quæ aquis extabat.* Græcum enim significat, ictum illum, si navis sine subsultatione progrederetur, ea parte proræ fuisse, quæ aquis extaret. Fieri enim potuit (quum ob casu factam proræ depressionem, tum ob eam quæ arte fieret) eo momento temporis, quando Dinocratis navis vulnus supra aquam acciperet, eum proræ locum sub aqua stetisse. Denique expendendum relinquo, quid sit; *proram cum parte carinæ.* ac si alterutrum sine altero erigi posset. Gallica item versio paucis verbis multos errores condit. Primum enim, pro verbis, *un vaisseau ennemy*, scribendum fuisset, *un vaisseau de huit ordres.* Deinde falsam sententiam habet verbum, *le perca.* Neque enim vulnus, quod periculum adferre posset, accepit. Tertio inepta sunt, *où il faisoit eau.* Quarto, *& l'ayant acroché,* quin insulsa sint nemo, qui hæc nostra expenderit, negabit. Denique quod maxime hic considerandum veniebat, omittit: *quod hostilis navis prora erectior esset.* Ex his denique planum est, in Græcis verbis deesse vocabulum πολεμίας, ita inserendum: ἀνασείρυ τῆς πολεμίας νεὼς ἔσης. quod interpretando expressi. Eadem autem constructio, ναῦς πολεμία. πολέμιον σκάφος, sæpius hic reperitur. Nunc tandem ad alterum eo loco gravissimum mendum venio, quod certissimo remedio tollere possum, scribendo δρύοχα pro βίαχα (quod nihili verbum est, nulla significatione, & nusquam lectum) hoc modo: ὑπὸ τὰ δρύοχα, *sub carinam.* Quam emendationem, si, quæ hactenus explicavi, omnia expendantur, certissimam docti viri invenient, ut etiam sine dubitatione, reliquæ Polybii orationi inserendam existimaverim. Tribus solum locis, ne longior sim, illius vocabuli usum porro sum monstraturus. Polybii unus est *lib.* I. οὐ βυλόμενοι δὲ καθάπαξ εἴκειν, αὖθις ἔγνωσαν ἐκ τῶν δρυόχων, εἰκοσι καὶ διακόσια ναυπηγεῖσθαι σκάφη. *Sed qui semel decrevissent hosti non cedere, iterum naves ædificare* CCXX. *ab ipsis carinis, constituunt.* Non dicit, ἐκ δρυόχυ. sed ἐκ δρυόχων, plurali numero: sicut etiam isto Polybii loco scriptum fuisse, corruptum βίαχα ostendit. Alter locus est Pollucis, paullo ante adductus: δρύοχον. τρόπις. Tertius est in Archimeli epigrammate, quod habet Athenæus *lib.* v. narrans de ingenti illa oneraria, quam ædificandam curaverat Hiero.

Πῶς δὲ καὶ δρυόχων ἐπάγη σανίς; ἢ, τίνι γόμφοι
Τμηθέντες πελέκει, τὸν ἔκαμον τὸ κύτος;

Quomodo carinis impactæ sunt hæ tabulæ? qua securi clavis dolatis ingens hoc ædificium perfectum? Juvat etymologia verbi δρύοχα, quasi δρῦ ἔχοντα. quod Theophrastus *lib.* v. cap. VIII. scribat (quem locum supra, *col.* 640. adduxi) omnium longarum, hoc est, bellicarum, navium carinas fuisse quernas; ut, quando naves subducerentur, resistere possent. τὴν τρόπιν, τριήρεσι μὲν δρυΐνην, ἵνα ἀντέχῃ πρὸς τὰς νεωλκίας· τῶν δὲ ὁλκάσι, πευκίνην. qui locus maxime notandus est. Ex iis quæ hactenus explicavi, non difficulter intelligitur, quomodo acciderit, ut ictus; quo Dinocratis navis hostilem octerem percussit, sub hujus carinam factus sit; quo ictu octeris illa hæsit. Sed nullius periculi fuit hoc vulnus, quod eadem octeris, postquam ab ea divulsus esset Dinocrates, capta sit ab Attalo.

15. *Quamvis sæpe, navem inhibendo, id conaretur.*) Impingit hic Casaubonus: *quantumvis retro puppim inhibere sæpe esset conatus:* quum vertere debuisset: *quamvis sæpe, puppim inhibendo, id esset conatus.* Diversæ sententiæ sunt: *Conari puppim inhibere;* &, *puppim inhibendo aliquid conari.* Ad puppim inhibendam non opus erat conatu; quod id in proclivi esset: sed puppim inhibendo separationem velle facere navis suæ ab hostili nave, id certe erat conari rem difficilem, quam tum Dinocratis remiges exequi non poterant. Parvum in Græcis verbis mendum erroris caussam huic viro præbuit. Scribendum enim, πολλάκις ἐπιβαλλόμενος, πρύμναν κρέων. Intelligitur autem, ἐπιβαλλόμενος χωρισθῆναι. quod præcedit. Rierius rem non exprimit: nec, quid sit *remos inhibere* adsecutus est. Navium præfecti, qui magno impetu rostra alte impegerant, iisque ictibus hæserant, navium inhibitione, id est, puppim versus remigando, & retro navem impellendo, divelli studebant.

16. *Inter hostes autem ablatus.*) παραπεσὼν δὲ τοῖς πολεμίοις. Casaubonus: *quum præter hostes transcurreret.* Rierius magistrum sequendo: *passa au travers des ennemis.* Male uterque. πίπτειν non significat *currere*, sed *cadere. quum in hostes incidisset.* Sed qui potest dici transcurrisse præter hostes, cui alter remorum ordo detergitur?

17. *Trabibus quoque, quibus turres sustinerentur, confractis.*) Græcæ editiones, quum Basileensis, tum Casauboni, male habent, πυρσύχων. Scribendum enim sicut hic edendum curavimus. Hesychius: πυργοῦχος (Leidensis editio turpissimo mendo hoc vocabuli obscuravit) μέρος τι τῆς νεώς. Pollux horum tignorum usum egregie explicat. ἐὰν δὲ ἡ κατάφρακτον τὸ πλοῖον, ἐπιναυπηγοῦντα πυργοῦχοι· καὶ ἐπ' αὐτῶν (scrib. αὐτῶν) πυργίδια δύο, δεξιὸν καὶ εὐώνυμον, ὧν μέσον τὸ κατάστρωμα. *Si constrata fuerit navis, tigna supra ædificantur, & supra iis turriculæ duæ, dextra & sinistra, quarum medio constratum est.* Duobus illis auctoribus corrigere hoc mendi potuisset Casaubonus.

18. *Quantum enim lemborum multitudine.*) Græcæ editiones habent, οἱ παρὰ τοῦ Φιλίππου πολέμιοι. Sed jam olim recte animadverterat Fulvius Ursinus, pro πολέμιοι scribendum esse λέμβοι. quod vertendo etiam recte secutus est Casaubonus.

19. *Unde nec per hostiles naves evehi facile.*) Casaubonus: *ut neque libere inter ordines discurrere.* Pejus adhuc Rierius: *ny s'eslargir aisément.* Quid autem movit Casaubonum, ut scriberet, *inter ordines*, quum præcedenti versu navalis aciei ordinationem turbatam scribat Polybius? quum passim permistis navibus pugnaretur? Cautus esse debet

interpres, & rem diligenter inspicere, quam interpretari conetur. Librarii mendo Casauboni versio paullo post obscurata est: *malo in navim* (scripsit, *navium*) *remos impingebantur*.

20 *Cum enim naves suas prora altius in aquam depressissent.*) Casaubonus: *qui suarum navium proras hostibus continenter obvertentes, vulnera semper extra aquam accipiebant.* Rierius: *ils faisoient si bien qu'en abaissant toûjours leurs prouës vers l'ennemy.* Hic locus manifestissime ostendit, non incuria quadam, aut festinatione, toties in hoc navali certamine interpretando errasse Casaubonum; sed rem difficiliorem fuisse, quam ut Græcorum verborum sententiam adsequeretur. Quam autem rem mente conceperit, quum hunc locum verteret, comminisci nequeo. Rhodiorum certe artem, quam paullo ante multis explicavi, nullam, aut fatuam, iis verbis prodidit. Primum dicit, obvertentes proras: quod esset, ἀντίπρωρα τὰ σκάφη ποιοῦντες. Polybius autem hic scribit: ἐν πρώρᾳ τὰ σκάφη ποιοῦντες. Proras quidem hostibus opponere debebant Rhodii, si rostris ferire vellent. Sed hanc rem, utpote facile intellectam, hic significare noluit Polybius. Deinde verbum *continenter*, quod nullum in Græcis respondens habet, ineptissimam sententiam subjicit. Quæ enim connexionis ratio: Qui navis suæ proram continenter hosti obvertit, vulnus extra aquam accipit? Rierius conjectando ferme magistrum hic superasset. Sed verba, *vers l'ennemy*, quæ inscitiam ipsius satis produnt, omittere debuisset.

21. *Detersis remis, illas inutiles reddebant.*) Casaubonus: *remos illis detrahentes.* Adeo difforme hoc est mendum, ut, si vel librarii errore admissum esset (uti humaniter id interpretabimur) videre tamen nequeam, qui non formarum compositoris hunc tam insignem errorem, quicunque etiam corrigendo operi præfuit, emendarit? Forsan, antequam chartis formæ imprimerentur, non perlegit omnia folia ipse Casaubonus. Hujusmodi tamen errorum emendationes quædam in fronte ipsius operis positæ inveniuntur; inter quas etiam versionis loca quædam emendata referunt: ubi & hujus loci mentio fieri debuisset. Hic legi deberet, *remos illis detergentes.*

22. *Hoc modo pugnando plurimas hostium naves suppresserunt.*) Hæc verba incuria quadam omissa sunt in edita versione Casauboni: ideoque nec Rierii translatio quidquam habet, quod illis respondeat. Hinc igitur, sicut etiam ex multis aliis locis, perspicitur, Græco exemplari non usum fuisse Rierium, sed Latinam Casauboni versionem transtulisse.

23. *Haud procul Chio pugnabat cum Rhodiis.*) Basileensis editio habet: οὐ πολὺ τῆς Χίας ἀπέχον. At Casauboni: οὐ πολὺ τῆς Χίας ἀποχόν. In tam paucis verbis duo errores: quorum posterior, ἀποχὸν, turpior est eo, qui in Basileensi editione adparet. Nec comprehendo, cur Casaubonus, qui non pauca in sua editione correxit, quæ male habebat editio Basileensis (partim ex Fulvio Ursino, partim etiam ex libris Mss.) priorem, utpote manifestum, non emendarit; & alterum irrepere passus sit. Hic scribendum fuerat: οὐ πολὺ τῆς Χίου ἀπέχον. Hoc navale prælium ad Chium commissum est, unde & vocatur, ἡ περὶ Χίον ναυμαχία. Livius quoque *l.* XXXII. mentionem hujus pugnæ facit: quamvis omnes editiones male habeant *Cium.* quum scribendum sit, *Chium. Naves captivosque, quæ ad Chium navali prælio capta essent.*

24. *Tanquam ad terram fugeret.*) ποιουμένου τὴν ἀποχώρησιν ὡς πρὸς τὴν γῆν. Casaubonus vertit: *seque in terram recepisset.* Rierius: *& qu'il se retira vers la terre.* Quænam hæc oratio, aut sententia; *navis se in terram recipit?* Deinde neuter voculam ὡς expressit: *tanquam si terram peteret: comme s'il se retiroit vers la terre.*

25. *Rex ipse cum remigibus.*) Græca hæc sunt: ὁ βασιλεὺς μετὰ τῶν πληρωμάτων. Ubi vocem quis excidisse putare possit, ita reponendam: ὁ βασιλεὺς μετὰ τῶν ἐπιβατῶν καὶ πληρωμάτων. *rex cum militibus, nautisque.* Nautæ non solum contentissima sua opera navem in littus ejiciebant, adeoque ultimi ad fugam e navibus erant parati; sed ea quoque difficultate impediti erant, quod inclusi sub constrato navis sederent. Quod si igitur remiges fuga elapsi sunt, multo magis fugere potuere milites: qui interim, dum navis in terram ejiceretur, gravi armatura se facile liberarunt, ut ad fugam expeditiores essent. Remiges autem, qui tanta multitudine sub tabulato sedebant, & summum quatuor ostia in magnis navibus habuisse videntur, per quæ intrarent & exirent; tantillo temporis e navibus exsilire omnes non potuissent, nisi, dum ipsi summa contentione remis incumbunt, milites gladiis suis, aliisque telis, constratum effringerent, ut exilire omnes celeriter possent. Nisi constratum navis ita fabricatum ab quibusdam aliquis existimet, ut diversis locis aliqua ejus pars tolli commode posset, ut nautæ cito intrarent & egrederentur. Cæterum vix puto, Polybium, quando remiges effugisse dicit, hoc indicare voluisse, tanto magis, intellecturum lectorem, effugere potuisse navis defensores: a majori difficultate ad minorem ratiocinando. Quamvis huc trahi possit locus qui præcessit: τὸ λοιπὸν πλῆθος τῶν ἐπιβατῶν ἅμα τῷ σκάφει διεφθάρη. quando scribere debuisset: ἅμα τοῖς πληρώμασι καὶ τῷ σκάφει. Verum ut vocabulo σκάφει ibi videtur inclusisse remiges; sic hoc loco voce ὁ βασιλεὺς, omnes, qui circa regem erant.

26. & 27. *Privatum omne regis instrumentum.*) Græca priore loco habent, τῆς βασιλικῆς παρασκευῆς, *regius apparatus*: altero autem loco, τῆς βασιλικῆς κατασκευῆς, *regia fabrica, confectio, opus.* Prior scriptura negligentia quadam irrepsit, & forsan quibusdam in Græca lingua minus exercitatis tolerabilis videri possit: altera sine dubio falsa est: quod innumeris locis ex omni scriptorum genere monstrare possem: in quibus non pauca veræ lectioni simul restituerentur. Quibusdam locis, ut brevior sim, nunc ero contentus. Dionysius Siculus *lib.* XIX. de exitu prælii, quo Ptolemæus & Seleucus adversus Demetrium pugnarant: οἱ δὲ περὶ Πτολεμαῖον καὶ Σέλευκον, δόντες τὴν ἀναίρεσιν τῶν νεκρῶν, τήν τε ἁλοῦσαν βασιλικὴν ἀποσκευὴν, καὶ τῶν αἰχμαλώτων τοὺς περὶ τὴν αὐλὴν εἰωθότας διατρίβειν, χωρὶς λύτρων ἀπέστειλαν πρὸς Δημήτριον. *Ptolemæus & Seleucus non modo concessere hostibus, ut suos sepelirent; sed & captum regium instrumentum, & ex captivis eos, qui in regiæ aulæ ministerio erant, sine pretio ad Demetrium mittebant.* Recte hoc Dionysii loco scriptum invenimus, τὴν βασιλικὴν ἀποσκευήν. Sed his Polybii locis male reperitur, priore quidem τῆς βασιλικῆς παρασκευῆς. altero, τῆς βασιλικῆς κατασκευῆς. quum tamen de simili re loquantur Polybius & Dionysius. Egregius plane Polybii locus est *libro* I. ubi de Annonis expeditione adversus seditiosos milites. ἐκυρίευσαν δὲ τῆς ἀποσκευῆς ἁπάσης, καὶ τῆς τῶν πολιορκημένων παρασκευῆς, ἣν Ἄννων πρὸς τοῖς ἄλλοις, ἐκκομίσας ἐκ τῆς πόλεως, ἐποίησε τοῖς ἐχθροῖς ὑποχείριον. Casaubono interprete: *potiti sunt omnibus impedimentis, & obsessorum commeatu: quem Anno, quum ex urbe exportasset, ut & ipse in potestatem hostium veniret effecit.* Duo hæc verba, ἀποσκευὴ & παρασκευὴ, uno hoc loco recte usurpata leguntur; quamvis posterius male hic verterit Casaubonus: quippe pro *commeatu*, scribendum *apparatu.* ἀποσκευὴ est, *impedimentum, instrumentum.* παρασκευὴ, *apparatus.* Qui autem ille fuerit apparatus, paullo ante dixerat: κομίσας γὰρ ἐκ τῆς πολιορκίας παρασκευὰς, καὶ στρατοπεδεύσας πρὸς τῇ πόλει, ἐνεχείρησε προσβάλλειν πρὸς τὸν τῶν ὑπεναντίων χάρα-

κα. Hujus loci ſententiam Caſaubonus plane invertit: *Catapultis namque & tormentis, omnique oppugnandarum urbium apparatu Carthagine afferri juſſis, & ad oppidum Uticam caſtris locatis, vallum hoſtium adoriri cœpit.* Hunc doctorem ſuum ſequitur Rierius: *Car après avoir fait amener de Carthage toutes les machines, & tout l'appareil de guerre dont on ſe ſert pour prendre les villes, & s'eſtre campé aſſez près d'Utique, il attaqua les retranchemens des ennemis.* Duos, certe grandes, errores admiſit in vertendis paucis iis verbis Caſaubonus. Primum, quod ſcribat, apparatum illum Carthagine allatum fuiſſe. Contra enim ego, non Carthagine, ſed Utica adparatum illum elatum dico, ante cujus urbis portam caſtra locaverat Hanno. Quæ mea opinio primum eo nititur, quod hoc loco Polybius, non de Carthagine, ſed de Utica loquatur. Deinde ad eam firmandam hoc adfero, quod verbum, τ̃ πόλεως, non minus intelligendum ſit de Utica, quam ſequens, τῇ πόλει, quod etiam Caſaubonus de Utica accipiendum putavit. Denique, quod præcedentia verba hanc meam ſententiam plane confirment. Alter error, quem hic commiſit Caſaubonus, is eſt, quod putavit, verba, τὰς πρὸς τ̃ πολιορκίαν παρασκευὰς, hoc loco, quemadmodum multis aliis, transferenda eſſe, *oppugnandarum urbium apparatu*. Contra ego, hoc loco, ea vertenda cenſeo, *defendendæ urbis adparatu*. Quæ duæ ſententiæ maxime inter ſe pugnant. Meam interpretationem locus ille poſcit: quam & alio ejuſdem Polybii loco ſum firmaturus, ex *l.* XIV. τινὲς ᾗ παύπας μεϑ' ἐφαγαν μηκέτι φέρειν τὰς καιρὰς, τ̃ ᾗ πόλιν ὀχυρῶν, παρασκευάζεσθαι πρὸς πολιορκίαν. Caſaubono ipſo interprete, rei evidentia adducto. *Diſputabant alii, in occaſione tam præcipiti nullum ejuſmodi conſiliis eſſe locum; ſed ipſam urbem eſſe muniendam, & ad ſuſtinendam obſidionem omnia comparanda.* παρασκευάζεσθαι πρὸς πολιορκίαν, recte transfert, *ad ſuſtinendam obſidionem omnia comparanda*. apparatus defendendæ urbis, non autem oppugnandæ. Quare Caſauboni verſionem illam ita reformandam exiſtimo. *Catapultis enim teliſque, & cætero omni ad urbis defenſionem adparatu ex urbe* Utica *elato, caſtriſq; ad urbem poſitis, vallum hoſtium oppugnare cœpit.* Hinc certa eſt prior mea correctio, qua docui, pro *commeatu* Caſaubonum ſcribere debuiſſe *apparatu*. Unum præterea & alterum locum ſum adducturus. Polyb. *l.* I. de urbis Agrigenti expugnatione: ᾗ πολλῶν μεϑ σωμάτων, πολλῆς ᾗ κ. παντοδαπῆς ἐγένοντο κατασκευῆς ἐγκρατεῖς. Caſaubono interprete: *ac multis mancipiis, multoque omnis generis apparatu potiuntur*. Ita habet Caſauboni editio pagina XIX. fine. Inter emendationes errorum, fronte operis poſitas, hujus loci nulla fit mentio; quum tamen inter maxima menda hoc referendum eſſet. Quippe pro κατασκευῆς omnino ſcribendum, παρασκευῆς. quemadmodum recte habet Baſileenſis editio pagina VIII. v 43. Quin & ipſe Caſaubonus vertit *apparatu*. ut præter voluntatem ipſius hoc mendi irrepſiſſe videatur. Neque enim aut ex Ms. libro repoſitum eſſe κατασκευῆς credere poſſum; aut tanta inſcitia hic peccaſſe Caſaubonum, ut quid κατασκευὴ & παρασκευὴ differrent, ignoraret. Itaq; tunc; hoc Polybii loco, quos hac annotatione explicamus, concludo ſcriptum fuiſſe ἀποσκευῆς. Priore loco ſic: τ̃ ᾗ πλοίων, ᾗ τ̃ βασιλικῆς ἀποσκευῆς, ἐγκρατὴς ὁ Φίλιππος ἐγένετο. Hac loquendi forma idem Polybius uſus eſt *l.* II. de ſublata urbis Mydioniæ obſidione ſcribens: τ̃ ᾗ ὅπλων, ᾗ τ̃ ἀποσκευῆς ἐγένοντο πάντες ἐγκρατεῖς. *arma, cæteraque impedimenta omnia in poteſtatem eorum venerunt.* Altero loco: τὰ ᾗ ἐπιγενόμενα τ̃ βασιλικῆς ἀποσκευῆς. Libro *Judith.* c. VIII. v. 2. χωρὶς τ̃ ἀποσκευῆς, ᾗ τ̃ ἀνδρῶν, οἳ ἦσαν πεζοὶ ἐν αὐτοῖς, πλῆθος πολὺ σφόδρα. Vulgata: *præter præparationes virorum illo-*

A *rum, quos occupaverat captivitas, & abducti fuerant de provinciis & urbibus univerſæ juventutis.* Quid hic ſequutus ſit Interpres, fateor me non intelligere. Nimium diſceſſit ab Græcis verbis. Pro πεζοὶ videtur inveniſſe αἰχμάλωτοι. Belgica quoque translatio hic impegit: *behalven de Krijghs-ruſtinge, ende daar vvas een zeer groote menigte van mannen die onder haer te voet vvaren.* Duo in his verbis ſunt animadvertenda. Unum, quod ἀποσκευῆς, verterint, *Krijghs-ruſtinge*, quum vertere debuiſſent, *den tros.* Alterum, quod ſequentia verba disjungant, novamque ſententiam proferre ſtatuant; quum manifeſta in Græcis ſit illorum cum præcedentibus conjunctio. Idem

B enim eſt, ac ſi ita ſcriptum reperiretur: χωρὶς τ̃ ἀποσκευῆς, ᾗ χωρὶς τ̃ ἀνδρῶν. Evidens quoque eorum eſt ſententia: videlicet, præter centum ſeptuaginta millia armatorum, & duodecim millia equitum, magnam calonum turbam, & ſervorum, in caſtris illis adfuiſſe: illorum ingentem numerum, ſe non iniſſe. Hanc ſententiam habet ſolum vocabulum, ἀποσκευῆς. Cæterum commodam ſententiam reciperent ſequentia verba, ſi pro πεζοὶ legeremus, ψιλοί. πεζοὶ erant centum ſeptuaginta millia, ἄνδρες πολεμισαί. ſed, ni fallor, indicare voluit Scriptor ille, velitum præterea ingentem numerum adfuiſſe. Vertendum

C igitur: *behalven den tros, ende de licht-ghevvapende mannen, die een zeer groote hoop maeckten.* ἀποσκευὴ ſignificat *den tros, bagagie.* παρασκευὴ, *krijghs-ruſtinge.* Ita autem certa eſt hujus loci ea verſio, ut, ſi pro ἀποσκευῆς, quod nunc ſine variatione eo loco recte ſcriptum eſt, repertum fuiſſet, παρασκευῆς, non dubitaſſem id, tanquam ineptum hoc loco, rejicere. Hanc autem adfinium vocabulorum confuſionem; ut & hoc moneam, ab notarum, quas abbreviaturas vulgo vocant, damnoſo uſu, plerunque originem habuiſſe puto. Porro κατασκευὴ ſignificat, *maekſel, bouvvinge.* 2. *Maccab.* c. IV. v. 20. εἰς τὰς τ̃ τριήρων κατασκευάς. Vulgata bene: *in fabricam navium tri-*

D *remium: tot het timmeren van drie-riemers*, dat is, *oorlôghſ-ſchepen.* Male Belgica: *aen de toeruſtinge dar galeyen.* Creber hujus vocis uſus eſt apud Galenum in libris, περὶ χρείας τ̃ ἐν ἀνθρώπῳ σώματι μορίων, *de uſu membrorum humani corporis.*

28. *Quod Philippus, navem regiam trahens, rurſus altum peteret.*) Græce hic editum legitur: διὰ τὸ κατάγειν τὰς περὶ τ̃ Φίλιππον ἀναδεδεμένας τ̃ βασιλικὴν ναῦν. Caſaubonus vertit: *qui videbant Philippum regiam Attali navim, ſuis alligatam in portum deducere.* Edita Græca verba ſic recte vertit Caſaubonus. κατάγειν enim eſt, *in portum deducere.* Alia tamen Polybii videtur eſſe ſententia; videlicet, Phi-

E lippum cum capta regia nave, ab terra, ubi illam ceperat, ad ſuas naves, quæ adhuc pugnabant, in altum receſſiſſe, ut hoc facto animos illis adderet. Itaque pro κατάγειν, plane ſcribendum, ἀνάγειν. Hæc mea emendatio firmatur; primum, verbo præcedente, ἐπανέπλει. quum alioqui eſſe deberet, κατέπλει. Deinde eo, quod Philippus naves ſuas colligeret, quæ viſa capta Attali nave ad fortiter pugnandum rurſus animabantur.

29. *Partibus receptum facientes.*) Græca utraque editio transpoſita habet verba, ἐκ τ̃ κινδύνε, μετ᾽ προφάσεως, κατ᾽ μέρη ποιούμενοι τ̃ ἀποχώρησιν, ὡς. quæ, ut reſtituenda ſunt, edimus.

F 30. *Alias roſtris ſuppreſſiſſent.*) In Græcis eſt: τὰς ᾗ προδιαφθείραντες τ̃ ἐμβολαῖς. Caſaubon. *alias roſtrorum ictibus quaſſatas relinquentes.* Num roſtrorum ictibus quaſſari potuere naves? Ignoravit hic, ſicut tot aliis locis, quid ſcriberet, Caſaubonus. Ex hac certe verſione perſpicitur, roſtri actionem ipſum non comprehendiſſe: quam addiſcere potuiſſet ex *col.* 660. *lin.* 13. Naves illæ merſæ ſunt, mari per vulnera, ab roſtris facta, intrante. Neque enim vehementi illo concurſu facta concuſſio admodum no-

A cuit navibus; ſed vulnera roſtris data; per quæ, intrante mari, mergebantur.

31. *Captæ autem ſunt quadriremes duæ, & navis regia.*) Caſaubonus: *Attalus vero e ſuis deſideravit trieremioliam unam, & duas quinqueremes, quæ ſunt ſubmerſæ, & regiam ipſam navem.* Primum oblitus eſt Caſaubonus, non modo Attali navem, ſed etiam duas quadriremes; quas adſumſerat Attalus, laboranti ſuæ quinqueremi ſuccurſurus; captas fuiſſe ab Philippo. Deinde ſaltem ſcribere debuiſſet: *ſubmerſæ, & ſuam navem, quæ fuit capta.* quod tribus diverſis locis dicitur. Primus eſt: *τῶν δὲ πλοίων (δηλαδὴ, τῆς βασιλικῆς, καὶ τῶν δύο τετρήρων) καὶ τῆς βασιλικῆς παρασκευῆς ἐγκρατὴς ὁ Φίλιππος ἐγένετο.* Alter: B *διὰ τὸ ἀνάγειν τοὺς περὶ τὸν Φίλιππον ἀναδεδεμένην τὴν βασιλικὴν ναῦν.* Ultimus: *ἐγκρατὴς τῆς νεὼς ἐγεγόνει.* Denique verbum *κατέδυσαν* jungi nequit ſequentibus verbis, *καὶ τὸ τοῦ βασιλέως σκάφος.* quandoquidem falſam plane ſententiam gigneret. Quare hoc loco omiſſa ſunt hæc verba: *ἥλωσαν δὲ δύο τετρήρεις*, ita inſerenda: *μία, καὶ δύο πεντήρεις. ἥλωσαν δὲ δύο τετρήρεις, καὶ τὸ τοῦ βασιλέως σκάφος.*

Hæc in difficillimam Polybii navalis pugnæ deſcriptionem nunc edere volui; cætera, quæ ſuperſunt in hac ipſa deſcriptione emendanda, & caſtiganda in verſione Caſauboni, alio tempore C prolaturus. His perlectis ſpero judicaturum lectorem, antiquitatis peritum, interpretationem, quam ipſe edidit Caſaubonus, & caſtigatiorem fieri poſſe, & Romani ſermonis perſpicuitate aliquanto ornatiorem. Notas hujus viri in primum librum, quod poſt obitum ſint editæ, rigidius excutere nolim. An præſtare poſſim in cæteros, quantum ab illo fuit expectatum, mallem, ſi otium eſſet, in publicum prolato hoc ſcriptore, perpetuis commentariis illuſtrato, probare, quam vana pollicitatione doctos homines ſuſpenſos tenere. Wolfgangum Muſculum, qui ante Caſaubonum hæc interpretatus fuerat, adducere nolui; ne viro puerum, eruditione, adjungerem: qui, ſi non omnibus locis, quæ difficultatis aliquid habent, aberravit, non judicio, ſed felicitate id adſecutus cenſeri debeat. Laudes tamen, quas aliis commentariis meritus videri poſſit vir diligentiſſimus, & probus, deterere nolim. Nec Græci, nec Romani ſermonis ea peritia fuit; ut taceam antiquitatis cognitionem, qua inſtructus interpres eſſe debet; ut ad illum auctorem interpretandum feliciter, accedere poſſet. Gallicam interpretationem ſimul examinavi, ut errorem eximerem, non quidem doctis viris; qui iſtiuſmodi verſionibus legendis tempus impendere nolint; ſed vanis quibuſdam Gallici ſermonis admiratoribus, qui verſiones illas cæteris omnibus præferunt, quas nec in Gallia præſtantes eruditione viri valde exiſtimant.

F I N I S.



CONSTANTINI OPELII

DE

FABRICA TRIREMIUM

MEIBOMIANA

EPISTOLA PERBREVIS AD AMICUM.

CONSTANTINI OPELII
DE
FABRICA TRIREMIUM MEIBOMIANA

EPISTOLA PERBREVIS AD AMICUM.

NOBILISSIME DOMINE, AMICE SINGULARIS.



A Uærebas ex me nuper, num non ita pridem editum Marci Meibomii vidissem Librum *de triremium structura veteri*, avebasque scire, quod meum de illo esset judicium. Equidem vidisse illum nequeo negare, perlatum ad me Amstelodamo amicorum opera: at censorem agere hujusmodi Laboris, nosti abunde, quam a meis moribus sit alienum. Præterea res est non modo ardua difficilisque, sed & suscipi sine nota quadam sinisteritatis arrogantiæque difficulter potest. B Ego autem sic a prima pueritia sum institutus, ut mea facere parvi, aliorum celebrare ac attollere, neminis postremo conatus traducere aut vellicare animum inducerem. Quia tamen ea nostræ amicitiæ conjunctio, ut arctissime colligati, neuter voluntati alterius, si fuerit non inhonesta (& velle, nisi honesta, non solemus) sibi putet adversandum, ne nunc quidem eam Legem sine violatione officii deserere me posse video. Agam autem tecum, ut amicum decet, neque reticebo quidquam, quod, dum legi scriptum Meibomianum, reperi observatione dignum. Cum præsertim ferre graviter Meibomius non possit, si quo jure usus est adversus alios, eodem alii adversus ipsum etiam utantur. C Ecquid enim habet ejus liber totus, quantus est, a capite ad calcem, præter duram & perpetuam de viris maximis nostrorum, proximorumve ab iis temporum, censuram? Quis est, quæso, qui ei satis Græce intellexerit, qui Græca Latine satis expresserit? Scaligeri, Salmasii, Casauboni, tantum non sub ferulam a magistro Meibomio mittuntur. Ut de aliis nil dicam, quorum in operibus, præter meros errores, nihil potuit videre. Putes eo plane scriptum sine Librum illum, ut ostenderet, quam sit longe minor aliorum eruditio omnium, si cum illa vi acerrima ingenii Meibomiani conferatur. D Quanquam illa vis se pulchre prodat statim ab initio, ipsaque dedicatione. Quis enim, nisi ea prædītus, auderet Regibus Principibusque hodie suadere, ut rejecta consuetudine recepta, saltem non retenta unice, revocent in usum veteres triremes? Scilicet istis machinis æreis, & globorum ferreorum nimbis pulchre opponentur rostra, tridentique ferro pertundentur alvei, qui tot ictus fulminum contemnunt. O admirandam perspicaciam judicii, & cui assurgat merito, quicquid tendit ad potentiam in interno mari! Nec expectat aliud Meibomius. Hoc fine partem horribilis secreti reticendam sibi putat, donec veniat, qui eam millibus nonnullis armatorum aureorum extundat. Interea dum ipse pulchras fovet spes, videamus veteris structuræ novam explicationem, qua se orbem universum, eruditum certe, infinitis devinxisse sibi jactet modis Meibomius. Partes ejus, si quæ aliena sunt prætermittamus, duas admodum inveniemus esse, unam, qua ostendit, remiges non, sicut hactenus est creditum, sedisse alios sub aliis, thalamitas sub zygitis, zygitas sub thranitis, sed thranitas magis versus puppim, thalamitas magis versus proram. Alteram, qua docet, zygitas non in medio inter thranitas atque thalamitas suum habuisse locum, sed a latere ipsorum in medio navigii. Hæc sunt ista, quibus tollit omnem difficultatem, quam ad hunc diem pariebant explicationes aliorum, quibus Solem infert monumentis omnibus antiquis, & tot errores aperit etiam doctissimorum virorum. Itaque tantum non triumphans exclamat col. 586. *Post tot sæcula, quum jam inter res deperditas, omnium doctorum adsensu, velut subducta, staret triremis, ecce nunc, utinam feliciter, navali reserato, instructam paratamque conspiciendam omnium oculis exposui.* Cæterum sententiæ prioris, quæ thranitas facit propiores puppi, fundamentum unicum est Scholiastes Aristophanis, quem hoc tantum secretum, neminique ex eruditis perspectum, loco unico putat tradidisse. Verba ejus sunt *ad Poetæ Ranas*: Ησαν δὲ τρεῖς τάξεις τῶν ἐρετῶν, καὶ ἡ μὲν κάτω, θαλαμῖται. ἡ δὲ μέση, ζυγῖται. ἡ δὲ ἄνω, θρανῖται. Θρανίτης οὖν, ὁ πρὸς πρύμναν. ζυγίτης, ὁ μέσος. θαλαμίτης, ὁ πρὸς πρῶραν. Quæ verba sic exponit Meibomius: *Erant autem tres remigum ordines: quorum infimus erat thalamitarum; medius, zygitarum; supremus, thranitarum. Thranita igitur est, qui sedet ad puppim; zygita, medius; thalamita, proram versus.* Deinde addit: *Verba* ὁ πρὸς τὴν πρύμναν, & ὁ πρὸς πρῶραν *significanter admodum posita sunt, ut locum horum remigum designarent.* Col. 681. *thranita CD proximus est puppi; quod Scholiastes hic dicit,* ὁ θρανίτης ἐστὶ πρὸς τὴν πρύμναν. *Sed thalamita HL, qui post ipsum sedet, maxime horum trium recedit a puppi versus proram.* ὁ θαλαμίτης ἐστὶ πρὸς τὴν πρῶραν. *Si clarius hæc proponere voluisset, pluribus uti debuisset verbis.* Agnoscit ipse Meibomius, non esse usque adeo clara, quæ hic habet Scholiastes, utque fiant clara, pluribus utendum fuisse verbis. Ecquis ergo credat, verbis tam bre-

vibus, tam obſcuris Scholiaſtem tradere voluiſſe rem adeo ſcitu neceſſariam, ut ſine notitia ipſius tot ſcriptorum loca, ipſa etiam ſtructura veterum navigiorum nequeant intelligi? Verum videamus, quomodo hæc brevia obſcuraque verba Meibomius illuſtret. Primum ait, ὁ θρανίτης ἐςὶ πρὸς τὴν πρύμναν, Latine ſignificat, *thranita proximus eſt puppi.* At ego vellem videre litteram, ex qua illud *proximus* exſculpatur. Scholiaſtes dicit ſimpliciter, ὁ πρὸς τὴν πρύμναν, quod ſi verbum reddas, ſignificat eum, *qui* eſt *ad puppim*. Differunt autem iſta plurimum. Non enim ſtatim, qui propior vel proximus eſt puppi, etiam ad puppim ipſam eſt. Propior videlicet ac proximus per comparationem dicuntur, atque in reſpectu ad alios, qui minus ſunt propinqui. Poteſt autem hoc de iis quoque uſurpari, qui a re, cujus eſſe proximi dicuntur, abſunt quam longiſſime. Quomodo exempli gratia urbium Germanicarum proximam Conſtantinopoli poſſum dicere Viennam, facta comparatione cum Ratisbona, vel Auguſta Vindelicorum, vel ſimili alia urbe, quæ ab ea tamen diſtat ſpatio longiſſimo. At vero ad puppim eſſe ſimplicem ſignificationem habet, uſurpaturque de eo, qui non eſt alibi, ſeu in alia parte navigii. Qua ſignificatione quisquis ad puppim, & non alibi, ut puta in navi media, vel ad proram remigabit, is thranita erit. Atque ſic uſurpant illud πρὸς non uno loco Græci. Apollonius *Argonauticon l.* II. *v.* 222.

> Πρὸς δ' ἔτι πικρότατον κρέμαται κακὸν ἄλλο κακοῖσιν.

Colloquium vetus Puerile: Καὶ ἐςάθησαν πρὸς τὸν πίνακα. Quod ibidem redditur Latine: *Et ſteterunt ad titulum*. Quomodo Latini ſæpiſſime, *ſedere ad gubernacula reipublicæ*, *ad quartum lapidem prandere*, & id genus. Cæterum hæc explicatio, quam evincunt tamen ipſa Scholiaſtis verba, in totum eſt adverſa ſententiæ Meibomianæ. Thranitas enim is intelligit non eos ſimpliciter, qui ad puppim, verum eos, qui proxime ad puppim in reſpectu ad alios. Nempe ſi thranitæ, qui ſimpliciter ad puppim, totus ille verſus remigum, qui eſt puppi viciniſſimus, erit thranitarum, in quo tamen & zygitæ ſunt ex ſententia Meibomii, & thalamitæ. Verſum nunc appello ex mente Meibomii, ſeriem remigum ſingulorum, non a puppi ad proram navigii, ſed a ſummo ad imum ſedentium, cujus ſupremus eſt thranita, infimus thalamita. Quales verſus facit plures per illius longitudinem in quaque navi, alios puppi, proræ alios viciniores. E quibus proinde qui eſt puppi ante omnes alios vicinus, remiges omnes habebit thranitas, ſi thranitæ ex ſententia Scholiaſtis οἱ πρὸς πρύμναν, id eſt, illi, qui ad puppim ſedent. At Meibomius non vult verſum aliquem integrum & totum thranitarum, ſed in verſu aliquo eum dicit appellandum thranitam, qui in comparatione cum cæteris illius verſus proximus eſt puppi. Quod ſi quærat quis interpretationis hujus cauſſam, non inveniet aliam, quam quæ ſumitur ex verbis præcedentibus, in quibus thranita locum habuiſſe dicitur in ſummo. Putat nempe Meibomius, non hoc ſuffeciſſe ad conſtituendum thranitam, ut proximus eſſet puppi, ſed præterea fuiſſe neceſſarium, ut in verſu ſuo locum haberet ſupremum, atque ita omnem quidem thranitam proximum fuiſſe puppi, ſed non vice verſa omnem puppi proximum fuiſſe thranitam. Ut autem ita ſtatuat, cauſſa eſt ex eo, quia cenſet verba iſta omnia Scholiaſtis antea adducta inter ſeſe cohærere, atque eſſe unius ejuſdemque. Id quod ſecundum eſt, quo

A locum obſcurum illuſtrat. Hactenus nimirum viri docti omnes crediderunt, diverſa prorſus, ſibique e diametro oppoſita doceri verbis illis, ac iccirco non poſſe unum eundemque omnium eſſe auctorem. Bayfius, qui primus, ut opinor, verba ipſius produxit in medium, ſic ea de re: *Excogitanda nobis alia eſt ratio, quam ab ipſo enarratore Ariſtophanis hauriemus. Nec tamen fuiſſe eundem exiſtimandum eſt, cum ſecum ipſe ex diametro pugnet. Subdit enim, quod magis ſit nobis veriſimile*, θρανίτης οὖν, ὁ πρὸς τὴν πρύμναν, ζυγίτης, ὁ μέσος, θαλαμίτης, ὁ πρὸς πρῶραν. *Thranites igitur eſt is, qui ad puppim remigat, zygites, qui in media navi,* B *thalamites, qui ad proram. Ut navis ipſa per longitudinem dividenda ſit, ut qui remiges ſunt in prima parte ad proram, vocentur thalamitæ, qui in medio ſupra arborem, zygitæ, qui in tertia ad puppim, thranitæ dicantur.* Hæc Bayfius, nec potuit iſta verba intelligere, niſi prioribus, quæ remiges faciebat alios ſupra alios per altitudinem navigii, contraria, & iccirco non unius interpretis, ſed diverſorum. Pari modo Scaliger *ad Chron. Euſebii* num. MCCXXX. poſtquam enim primam partem Scholii ſupra adducti recitaſſet, ſubdit, *reliqua, quæ ſequuntur, ſunt illis optimis Scholiis infarcta ex fæce ſequioris ſæculi*, θρανίτης οὖν, ὁ πρὸς C τὴν πρύμναν, ζυγίτης ὁ μέσος, θαλαμίτης ὁ πρὸς πρῶραν. Neque alia Salmaſii, Palmerii, atque reliquorum de his Scholiaſtæ verbis fuit ſententia, quod ne ipſe quidem diffiteri Meibomius poteſt. Solet autem ex ſententia Philoſophorum, eorumque principis Ariſtotelis, haberi quid probabile vel ideo, quod omnibus, aut pluribus ita videatur. Quid vero Meibomius? *Scaliger, Salmaſius, Palmerius horum verborum ſententiam non ſunt aſſecuti, itaque accuratum hunc Scholiaſten reprehendunt, & tantum non convitiis lacerant.* Nempe quia hæc poſteriora putant eſſe alterius, mul- D tumque adverſantia rei veritati. Videamus igitur, an Meibomius intellexerit melius. Dicit Scholiaſtes is, qui poſteriora tradit, θρανίτης οὖν, ὁ πρὸς τὴν πρύμναν, id quod Meibomius ipſe ita explicat, *thranita igitur eſt, qui ſedet ad puppim*. Hæc quomodo cohæreant cum præcedentibus, nemo facile dixerit. Quid enim vult illud οὖν, ſeu *igitur?* qua ratione ſpectat ad ſuperiora? Num quia ordo thranitarum fuit in ſupremo loco navis, ideo neceſſe eſt, ut thranita ſederit ad puppim? Quæ autem cauſa poteſt fingi neceſſitatis hujus, & cur non æque ſedere potuerit verſus proram? Meibomius hic nihil habet, tantum ad imagines confugit Bayfianas, E & ea, quæ in *notis ad Vitruvium* tradiderit. Sunt autem iſta: *Ariſtophanis Scholiaſtes immerito a Scaligero reprehenditur. Nihil enim dici melius poteſt, modo recte ipſius verba accipiantur, quæ ita habent:* ἦσαν δὲ τρεῖς τάξεις ἐρετῶν, καὶ ἡ μὲν κάτω, θαλαμῖται. ἡ δὲ μέση, ζυγῖται. ἡ δὲ ἄνω, θρανῖται. Θρανίτης οὖν, ὁ πρὸς πρύμναν, ζυγίτης, ὁ μέσος, θαλαμίτης, ὁ πρὸς πρῶραν. *Facile hæc intelliguntur, ſi* τριήρους *forma, quam Bayfius habet pag.* 30. *& ex illo Snellius in* Hiſtiodrom. *præfatione diligentius inſpiciantur. Remigum enim certo ordine conſidentium numerationem a puppi incipere debemus. Eorum primus & ſupremus eſt ſemper* θρανίτης. *Tertius & infimus* F *conſidet* θαλαμίτης, *reſpectu* θρανίτου *verſus proram,* πρὸς πρῶραν, *remotior, magiſque abſcedens. Medius eſt* ζυγίτης, *elevatiore paulum loco, quam* θαλαμίτης, *depreſſiore, quam* θρανίτης. In his Notis jubet nos inſpicere imagines Bayfianas, & præcipue triremis. Fecimus non ſemel, diligentiſſimeque fecimus, ſed in eis invenimus nihil, quod magnopere juvare ipſum queat; ex adverſo animadvertimus non pauca, quæ Meibomii ſententiæ repugnant. Primum enim verſus tales nulli non

ſunt in eis, quales delineavit nobis Meibomius, qui nempe remiges habeant breviſſimis a ſe diſtantes intervallis, & a ſummo deſcendentes ad imum linea non recta, ſed obliqua. Sed nec verſus illi diſtant talibus tantiſque a ſe mutuo intervallis, ut in eiconibus Meibomianis. Deinde nominatim in triremi remus imi ordinis ſeu thalamitarum primus non abſcedit magis, nec remotior eſt a puppi, quam ſupremus ſive thranitarum. Recta enim linea ſibi mutuo incumbunt. Denique pleræque naves ejus nullos habent remos imi ordinis ſeu thalamitarum pertinentes magis ad proram in verſu ultimo proræque viciniſſimo, ut Meibomius appellat. Biremis prima, ſecunda, quarta, quinta remos ordinis inferioris non promovet ultra remos ordinis ſuperioris, ſed ordo ſuperior, ſive thranitarum procedit magis ad proram, & inferiorem ſeu thalamitarum remo exſuperat uno. Idem fit & in triremi Bayſiana. Equidem in paucis aliis aliter videas, verum ex hoc ipſo diſcas manifeſte, non fuiſſe perpetuum, quod vult Meibomius, neque thalamitas, ut ut aliquando fors extitiſſe ſemper proræ propiores. Jam ſi thalamitæ non fuerunt ſemper proræ propiores, ſi, quod ſupra eſt oſtenſum, æque longe proceſſerunt ad puppim, atque thranitæ, tota corruit Meibomii ſententia de verſibus obliquis, fitque falſum, quod eſt Scholiaſte viros doctos omnes, tanquam ſingulare, ipſique ſoli patens ſecretum, nec cuiquam intellectum hactenus docere adgreſſus eſt, quaſi thranitæ ſemper ſederint magis verſus puppim, thalamitæ ſemper magis verſus proram. Niſi velit dicere, verſum proræ proximum (verſum denuo hic appello, ſicut ipſe ſolet) thalamitam habuiſſe nullum, quod nec ex auctore aliquo idoneo probabit, & adverſum erit omnibus picturis ejus, in quibus ſunt expreſſi. Jam quia ne in Bayſianis quidem imaginibus, quod Meibomio prodeſſe queat, quid eſt quæſo cauſſæ, quod nos contra illas jubeat amplecti explicationem Scholiaſtis factam a Meibomio, tot viris doctis adverſam, qui verba iſta aliter intellexere? Mihi certe potiores illæ ſunt inventis omnibus Meibomianis, quippe quas eſſe probas, vereque antiquiſſimam compertum habeo. Adde, quod conveniant & nummi veteres. Nec enim ex tanto numero eorum eſt vel unicus, qui nobis verſus aliquos exhibeat Meibomianos, a ſummo deſcendentes ad imum per obliquum. Serie continua a prora ad puppim remos habent collocatos, quotquot ad hunc diem cum navium antiquarum imaginibus ſunt reperti. Fruſtra cogitatur de anguſtiore ſpacio, quam ut iſti ſic potuerint formari. Quiſquis enim graphices ſculptoriæque non omnino rudis eſt, intelligit abunde, haud futurum difficilius fuiſſe docto artifici, quales habuit antiquitas quam plurimos, ut ex ipſis illis nummis intelligitur, reddere Meibomianam ſpeciem remorum verſuumque in navigiis, quam quæ hodie in ipſis cernitur expreſſa. Fruſtra ergo thranitas Meibomius ſemper collocat verſus puppim, atque thalamitas verſus proram propiores. Qua de re ne ſuperſit dubium, conſtetque, non ex conjecturis tantum aliquibus non ſic ſtatuere, ſed auctoritatem quoque Veterum poſſe allegare, en tibi verba Suidæ in *vocabulo* θαλαμακεῖς. Θρανίτης, ait, ὁ πρὸς τῇ πρώρᾳ, *thranites, qui eſt ad proram.* Plane contrarium dat locum thranitæ, quam vult Meibomius, facitque vicinum proræ. Nec eſt cauſſa, cur rejiciamus Suidam, quando quicquid habet, hauſit fere ex antiquis interpretibus grammaticiſque, &, quod majus eſt, confirmant monumenta vetera, qualia ſunt Bayſiana. Vult tamen Meibomius ſuo credi Scholiaſti: quod libenter facimus, modo credat ipſe, verba ejus omnia unius ejuſdemque eſſe, per prædicta incredibile videri. Ac proinde ad interpretationis ab ipſo factæ fundamentum allegari fruſtra, quod futura inter ſeſe ſint pugnantia, niſi ad hunc modum explicentur, in quo tamen unico interpretationem iſtam ſuam collocatam robur habere intelligitur. Et quid quæſo eſt, quod cogat nos, ut unius ejuſdemque eſſe credamus? An, quod cætera omnia ſunt unius? Cur ergo toties illud ἄλλως occurrit, quod oſtendit, aliorum aliam de hoc illove loco fuiſſe ſententiam. Num, quod ſic inter ſeſe ſint connexa, ut non poſſint tribui diverſis? Atqui ſecus cenſuerunt docti omnes, oſtenditque manifeſte illud ἢ, de quo jam ante dixi. Sed ne dubitari poſſit longius, revera duos eſſe, quorum ibi adducuntur verba, docereque inter ſe pugnantia, maleque Meibomium viros doctos hanc ob ſententiam caſtigare, ſuamque venditare expoſitionem, dabo locum evidentiſſimum, qui hoc ipſum monſtret. Eſt is Suidæ modo laudatus nobis, qui ſic habet integre ad prædictum *vocabulum.* Ἦσαν δὲ τρεῖς τάξεις ἐρετῶν, ἡ μὲν κάτω, θαλαμῖται. ἡ δὲ μέση, ζυγῖται, ἡ δὲ ἄνω, θρανῖται. Ἢ θρανίτης ὁ πρὸς τῇ πρώρᾳ. Hoc ita verto: *Fuerunt autem tres remigum ordines, unius imus, in quo thalamitæ; alius medius, in quo zygitæ; alius ſummus, in quo thranitæ: vel thranita eſt, qui ſedet ad proram.* Nihil poteſt eſſe loco hoc ad conficiendum propoſitum negocium vel aptius, vel illuſtrius. Oſtendit enim manifeſte, duas pridem, & poſtquam in uſu eſſe deſierunt, de ordinibus remigum remorumque in triremibus & ſimilibus fuiſſe ſententias; aliquos dixiſſe, thranitas appellatos, qui remigarent in ſummo, thalamitas, qui remigarent in imo. Alios vero cenſuiſſe thranitas eos, qui remigarent in prora, & per conſequens thalamitas, qui remigarent in puppi. Hoc enim vult illud ἢ apud Suidam, quod ſic nectit ſententiam utramque, ut fuiſſe diverſiſſimas oſtendat. Res tam manifeſta eſt, ut exemplis hoc locutionis genus comprobare velle, nil ſit aliud, quam Soli lucem addere. Soletque Suidas ita loqui locis infinitis. Ut voce Ἀμοργίς. Ἀμοργὶς κυρίως ἡ λινοκαλάμη, ἐξ ἧς γίνεται ἐνδύματα, ἀμόργινα λεγόμενα. Ἢ ἡ τῆς ἐλαίας ὑποστάθμη. Item voce Ἀμφοῖν. Ἀμφοῖν ποδοῖν, ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν ὀρνέων ἀμφοῖν πτεροῖν, ἢ ἐκ τῶν νεῶν, αἱ ὀξυδρομοῦσαι ἀμφοῖν τοῖν ποδοῖν πλέουσιν. Atque ſic in aliis. Neque dubitari poteſt de ſcriptura loci noſtri, cum ſervetur omnibus in libris, recentioribus & vetuſtioribus, etiam Mediolanenſi mea, quæ eſt valde bona. Eat ergo nunc Meibomius, & dicam ſcribat viris ſummis, quod verba Scholiaſtis Ariſtophanici male intellexerint. Imo contra diſcat ipſe, ex perperam a ſe intellecto Scholiaſte prolapſum ſeſe in ſententiam, cujus nec ex libris, nec ex monumentis aliis veteribus adferri poſſit aliquod ſtabilimentum, ſed oſtendi potius contrarium. Quanquam cum quicunque ille fuerit, quem Suidas eſt ſecutus, thranitam collocet in prora, qui a Scholiaſte Ariſtophanis poſitus eſt in puppi, hoc ipſo declaretur, quam ſit anceps dubiaque hæc ſententia utriuſque, ac eorum omnium, qui remigum ordines in longum numerandos arbitrantur. Alios enim thranitas ſedentes facere in puppi, alios contra collocare ibi thalamitas. Scilicet, cum nihil veri tota in ſe contineat, fieri non potuit, quin alius in hanc, alius in aliam viam exerraret. Venio ad alterum Meibomii inventum Zygitas ſcilicet, quod ſediſſe ait in medio non reliquorum remigum, thranitarum puta & thalamitarum, ſed navigii, nec in ſedilibus, ut nauta cæteri, ſed jugis. Quo quidem invento tantum ſibi placet, ut ſe nequeat continere, quin

erumpat in hæc verba, *col.* 586. *Hoc, si in vitam rediret, Scaliger miraretur, se comminisci non potuisse. Nec puto fore quemquam, qui hæc lecturus sit, qui non miretur, rem, ut arbitrabitur, non difficilem, jam ante, bis ducentis annis post renatas litteras, a mille doctis ingeniosisque viris non fuisse occupatam. Sed hæc illustrium omnium inventionum natura est, ut postquam inventæ sunt, faciles adpareant; quæ immensa quadam animi contentione ex profundo naturæ aut oblivionis extractæ sunt.* Videamus ergo argumenta, quibus vult probare, ita rem se habuisse in triremibus antiquis. Primum sumit ex Eustathio, qui sic *ad Iliad.* 11. Θαλάμακες, οἱ καὶ θαλαμῖται οἱ ὑπὸ τοὺς θρανίτας τεταγμένοι ἐρέται. *Thalamaces, qui & thalamitæ, sunt remiges sub thranitis collocati.* Ex his verbis, quia dicit collocatos sub thranitis, nulla facta mentione Zygitarum, cum debuisset dicere sub Zygitis, si Zygitæ etiam ad triremis latus sedissent, concludit, Zygitas locum habuisse suum non ad latera navigii, sicut reliqui remiges solebant. Verum quis non videt aperte imbecillitatem argumenti. An enim eo Eustathii loco agitur de triremi ac remigibus in ipsa? unde autem hoc cognoscitur? Explicat Grammaticus ibi vocem ἡ θαλάμη. ab ea dicit derivatum thalamitam, qui sit sub thranita. Nulla ibi mentio triremis. Deinde si vel maxime thalamitam dicat esse sub thranita, inde tamen non continuo concludas, negare, sub Zygita quoque esse. Scilicet thranita est in summo: quisquis infra illum depressiore loco collocatus est, sive a latere navigii, sive in medio, is est vere ὑπὸ τὸν θρανίτην. Nam si propterea negandum esset, Zygitam fuisse sub thranita, quia sedit non directe sub ipso, sed a latere magisque intus, caussam velim audire, cur non idem dici possit etiam de thalamita, cum ne ipse quidem directe sederit sub thranita, verum magis versus proram. Est enim rei utriusque ratio plane similis. Postremo si quis diceret, Eustathium in animo habuisse biremem, qualis ipsi describitur Meibomio, tota vis Meibomiani argumenti misere collaberetur. Verba ejus ista sunt. *Biremis navigium est, binos habens remigum ordines, quorum aut uterque ad latus sedet, aut unus ad latus, alter in transtris.* Hic biremis habens ordinem remigum utrumque ad latus, non potest esse alia, quam in qua ordo unus thranitarum, alter thalamitarum, cum hæc duo genera ex sententia Meibomii semper sint ad latus, nec ad transtra, proprium zygitarum locum, pervenire unquam soleant. Erunt ergo in hoc genere navigii revera οἱ θαλαμῖται ὑπὸ τοὺς θρανίτας, citra ullam observationem, locique hujus explicationem singularem. Secundum argumentum sumit ex Polluce, qui zygitam ait occupare τὰ μέσα τῆς νεώς, id est, *media navis*, non τὰ μεταξὺ τοῦ θαλάμου καὶ θρανοῦ, id est, *id, quod est inter thalamum & thranum*, nec τὰ μέσα τοῦ τοίχου, id est, *media lateris*. Quis vero non miretur, Pollucem diligentissimum accuratissimumque scriptorem tam obscuro genere loquendi voluisse uti ad significandam rem tam singularem raramque in hoc genere navium, quod videlicet Zygitæ non sederint recta sub thranitis, nec ad tabulas laterum, sed magis intus in navis ipsius medio spatio. Obscurum profecto esse ne ipse quidam negare potest Meibomius, quando præter se a nemine sic esse intellectum atque explicatum ipse testatur. Quare nescio, annon longe tutius, acquiescere omnium aliorum sententiæ, quam arripere aliam unius, ex nuda quadam conjectura & novandi libidine profecta. Et dicit Pollux Zygitam medium tenuisse navis, non quod sederit magis intus nec recta sub thranitis, sed magis a latere, verum quod in medio earum partium, de quibus ante loquebatur. Μέσα enim sive media non possunt intelligi, nisi ex eorum comparatione, quorum esse media dicuntur. Porro hic ζυγὰ comparantur cum θαλάμῳ atque θρανῷ, quorum cum alterum superius sit, alterum inferius, τὰ μέσα quoque illo modo intelligi debebunt, & non in comparatione illius, quod est exterius versus tabulas laterum. Si sermo fuisset de utroque pariete, illique dicti essent extremi, tum secutum id, quod vult Meibomius, fuisset, τὰ μέσα τῆς νεὼς significare loca longius a lateribus remota. Denique τὰ μέσα τῆς νεὼς adeo hic accipi respectu latitudinis non possunt, ut si eo accipiantur modo, falsum sit, Zygitas in medio sedisse. Medium enim illud, ubi arbor est erecta, ubi ambulat hortator, ubi via ejus est inter remiges. At ibi Zygitæ non sederunt etiam ex sententia Meibomii, sed solum magis versus illud medium, qui locus proprie τὰ μέσα τῆς νεὼς, ut facit Pollux, dici nequit. Verba Meibomii, *col.* 579. *Transtrum, Græce* ζυγὸν, *voco in triremibus tabulam longiorem, medio navis per transversum positam, in cujus utraque extremitate remex sedebat. Vacuo medio spacio portisculus, hortator remigum, qui Græcis* κελευστὴς *est, incedebat.* Si transtrorum spatium medium fuit vacuum, si in eo ambulavit hortator, si Zygitæ sederunt in eorum extremis, qui possunt dici τὰ μέσα τῆς νεὼς Zygitarum loca ordinaria? Debent ergo aliter τὰ μέσα intelligi, loca nempe sive spacia, quæ non in latum, sed in altum sunt inter thranum & thalamium, ut dixi. Quod autem Meibomius stabiliendæ sententiæ suæ dicit, nullum Veterum Zygitam vocasse secundum, omnes medium, id primo recte factum, quum in remigibus non tam numeri considerentur, quam spatia sedendi atque loca, quorum quum dicantur quædam summa, in quibus remigent, quædam ima, superest profecto, ut dicantur quædam media, & cum quidam remigum dicantur sedere in summo, alii in imo, ut dicantur quoque aliqui sedere in medio. Deinde nec est verum satis, quod secundum negat dictum. Pausanias enim sedem zygitarum vocavit non mediam, sed secundam, quod cur non pertineat & ad zygitas ipsos, dari ratio sufficiens haud potest. Verba Pausaniæ servavit Eustathius *ad Odyss.* P. ubi legitur hoc modo: φησὶ γοῦν Παυσανίας, ὅτι ἐπεσφελίτης ὁ θρανίτης, σφέλας γὰρ τὸ ὑποπόδιον, ἔχει δέ φησιν οὕτως τὴν ἄνω ἕδραν. Τὴν δευτέραν ζύγιος, τὴν τρίτην, θαλάμιος. Habes his verbis apertissimis τὴν ἕδραν ζυγίου, id est, *sedem zygitæ* a Pausania vocatam δευτέραν, id est, *secundam*. In qua proinde qui sedit, vero consentaneum est, dictum quoque esse remigum secundum. Ut proinde ne hoc argumentum quidem juvare Meibomium possit. Tertium capit ex Hesychio, cujus locum ait esse prorsus insignem. Dicit Hesychius, Ζύγιος, ὁ τρίτος ἐρέτης. Hic, ait planissimum fit, Zygitam sedisse non inter thranitam & thalamitam, sed in navi media. Undecunque etenim incipias numerare, sive a thalamita, sive a thranita, Zygita nunquam erit tertius, sed semper secundus. Quare, cum Hesychio dicatur tertius, necesse est, intelligi seorsum a duobus cæteris, nec una cum ipsis ad parietem navigii, sed in medio sedisse. Posset merito hic dici, quod solet vulgo a Philosophis, posito absurdo uno, poni infinita. Semel eam venit in sententiam Meibomius, Zygitas non sedisse medios inter thranitas atque thalamitas, ideo auctorum loca omnia in hanc sententiam detorquet. Verba integra Hesychii sunt ista: Ζύγιος, Ζεύς, καὶ ὁ ὑπὸ ζυγὸν ἵππος, καὶ ὁ τρίτος ἐρέτης. Nemo est, qui cum verba istæc citra Mei-

bomianam persuasionem legit, non intelligat abunde, quid Hesychius intendat. Nempe τ̃ ἴτον vocat ἐρέτlω, sive *remigem tertium* zygitam, non quod ita vocaretur, sed intuitu ad duos cæteros, thranitam atque thalamitam, quos non nominat hoc loco. Quasi diceret, Zygita tertius est remex. Sunt enim præter eum adhuc alii duo, unus, qui vocatur thranita, alius, qui thalamita. Nunquam id in mentem venit Hesychio, quod Meibomius hinc colligit. Nulla hic ostenditur remigum series. Nemo eorum primus, nemo secundus dicitur, quod tamen debuisset, si monstrandum eo fuisset ex loco, quod Meibomius contendit. Et est plane falsum, zygitam dictum tertium, quod ex iis, quæ allata nobis ante sunt ex Pausania, est manifestissimum. Quin imo Zygita adeo non dici potest tertius, ut sit jure potiori primus. Est enim zygita remigum omnium antiquissimus, ut qui eo sedeat loco, quo sedebant remiges, priusquam ordines ulli in navigiis essent excogitati. Primo namque omnium cum naves fierent, in quibus remos ordine aliquo habebant collocatos, remi ponebantur ἐν τῷ μέσῳ τῆς νεὸς, juxta τὰ ζυγὰ, id est, *juga* sive *transtra*. Ideo remiges non alibi tum, quam ἐν ζυγοῖς, quod abunde constat vel ex Homero unico. Nota verba *Odyss.* N.

Αὐτὸς ἰὼν ἐξ νηὸς ὑπὸ ζυγὰ, μήτιν ἑταίρων
Βλάπτοι, ἐλαυνόντων, ὁπότε σπερχοίατ' ἐρετμοῖς.

Loquitur de Phæacum navigio Poeta, quod generis fuit antiquissimi. In quo cum remiges dicantur sedisse in ζυγοῖς, patet utique illos fuisse ζυγίας seu zygitas, licet tali nomine non appellarentur. Postea demum factum, ut ordo adderetur alius. Cujus rei causa, quia primis temporibus, cum remiges simul essent & milites, aut in pugna, aut in navigatione justo erant destituti numero ad alterutrum negocium conficiendum. Collocati ergo aliqui supra illos remiges antiquos in loco altiori, qui remigarent interim, si nulla impediret necessitas, sin vero vis ingrueret, pugnarent etiam in hostem, integro servato numero remigum reliquorum. Quod deinde longo tempore retentum est, ut ex Tacticis antiquis, præsertim Leone intelligimus. Atque ita & milites habebant, cum exigeret necessitas, & remiges, manentibus ad remos iis, qui in navis medio in ζυγοῖς sive jugis erant collocati. Non igitur zygitæ tertii, si originem attendas & initia eorum, verum primi. Tertii potius sunt thalamitæ, quippe qui postremo accessere. Postquam enim ædificatis majoribus navigiis, summi atque medii, qui dein thranitæ ac zygitæ dicti, non sufficerent, tertius adjectus ordo est thalamiorum. Atque hoc est, quod Basilius, auctor necdum editus, ait. Καὶ οἱ μὲν ἐπὶ τ̃ θράνης καθήμενοι, θρανῖται λέγονται, οἱ δὲ εἰς τὰ ζυγὰ ζύγιοι. καὶ θαλάμιοι δὲ εἰσιν, εἰ ἔχει τρεῖς εἰρεσίας ἡ ναῦς. hoc est, *Et qui quidem supra thranum locati, thranitæ vocantur, qui vero in jugis, zygii. Sunt vero & thalamii, si navis habeat tres ordines.* Non sunt thalamii, secundum Basilium, nisi in triremibus, aut plurium ordinum navigiis. Biremes habent non zygitas & thalamios, sed thranitas & zygitas. Thalamii ergo tertii & ultimi, non zygitæ. Zygitæ primi, illique soli in moneribus longisque navibus, licet sic non vocarentur. Zygitarum enim nomen non adhibitum nisi ubi navis plurium esset ordinum, & inter remiges facienda fuit differentia. Post zygitas thranitæ, qui zygitis juncti, faciebant bire-

A mem. Post eos utrosque tertii thalamii, qui cum prioribus duobus constituebant triremem. Ubi navis minor, quam triremis, ibi nulli fuere thalamii, ut Basilius nos docet. Locus Aristotelis, unde quartum affert argumentum, huc nil facit; nec enim de remis zygitarum agit, sed de digito manus medio. Ὁ μέσος, ait, μακρὸς, ὥσπερ κώπη μέσον νεώς. Pro quibus verbis cum legendum confidenter satis censeat Meibomius, κώπη κατὰ μέσον τῆς νεὼς, interpositis vocabulis duobus, ego mallem minima mutatione, κώπη ἡ μέσον νεώς. Quod de remo navis mediæ addit Aristoteles, ad remum zygitarum pertinere nusquam dicit, quip-

B pe quos non nominat vel verbulo. Et quæ possit esse similitudo inter digitos manus, & remos diversorum ordinum? Remi collocati sunt alii super alios in ordinibus istis: at digiti manus æquali serie junguntur, nec est superior unus, alter inferior. Magis ergo referunt ordinem unum simplicemque, ac remos in ejusmodi navigio, quale vulgo dicitur moneris. Jam si tales remos, quid quæso ii doceant de zygitis? Sed deceptus est Meibomius per τὸ μέσον τῆς νεὼς, quod putavit semper denotare locum zygitarum, qualem ipse formavit. Atqui μέσον non in latum modo, sed & longum potest accipi, quod miror ei non venisse in men-

C tem. Deinde nec advertit, etiam unius remos ordinis non fuisse omnes longitudinis æqualis. Docet manifeste Flaccus, *lib.* 1. *Argon.* quando de Ida in nave Jasonis, quæ non habuit nisi unum simplicemque ordinem:

—— breviore petit jam cærula remo.

Nec enim ejus remus vere diceretur brevior, nisi aliorum fuissent longiore. Pertinent huc quoque

D verba Athenæi, quando in navi Philopatoris nominat κώπας θρανιτικὰς τὰς μεγίστας, cum non fuerit nisi ordo unus thranitarum. Et hoc quidem vere proprieque pertinet ad intellectum Aristotelis. Videlicet quemadmodum in manu digiti junguntur una simplicique serie alii tamen aliis longiores, ita res habuit & in navigiis. Etiam unius ordinis remi non fuerunt æquales, verum alii longiores aliis. Nec huc facit, quod de navi media Meibomius adducit. Ea enim non in latum, sed in longum est intelligenda, plane sicuti in manu digitus medius est longissimus. Id quod alio quoque loco docet Aristoteles, quem si scivisset Meibomius,

E sine dubio attulisset apparatu maximo. Est is in *Mechanicis*, ubi mesonautas ostendit remos habuisse cæteris longiores. Quos cum accepisset pro Zygitis suis, quod jam alii fecerunt omnes, non profecto leviter probasset, sua quidem opinione, quod de remis locoque Zygitarum prodidit. Verum mesonautæ ibi non Zygitæ sunt, verum medii respectu longitudinis in quovis ordine, plane sicut digitus est medius in manu, id quod totus docet locus, alibique pluribus monstrari poterit. Quicquid sit, non possunt manus digiti, de quibus priore loco agit Aristoteles, comparari nisi remis

F in navigio unius ordinis. Res nimis clara est, nec est locus contradictionis, nisi apud eum, qui ex quovis, quidvis audet facere. Igitur quod dixi, locus ille sine caussa ad Zygitas, qui in istiusmodi navigio nunquam ita dicti sunt, & eorum remos longos, quodque hinc sententia Meibomii consequitur, sedem Zygitarum interiorem a latere remigum reliquorum est translatus. Quod vero in illius loci explicatione addit, repetitque *col.* 590. *Zygitæ remum fuisse longissimum*, id aperte falsum est, mi-

rorque ad tam manifesta figmenta Meibomium potuisse prolabi. Sed nimirum huc deduxit eum semel arrepta sententia de Zygitis ad latus reliquorum in navis medio sedentibus. Lucanus apertissime, de navi prætoria Bruti;

—— *summis longe petit æquora remis.*

Si remi Zygitarum fuissent longissimi, non *summis* scribere debuisset, verum *mediis*. Sed res est notissima, vel ostendat nobis Meibomius locum unicum idonei scriptoris, ex quo sine ambiguitate possit colligi, remos zygitarum cæteris, præsertim thranitarum, fuisse longiores. Hoc si poterit, victas ei præbebimus manus citra ullam diuturniorem moram. Ac hæc quidem argumenta sunt præcipua Meibomii, quibus novam suam triremium fabricam superstruxit. Inania plane, imbecilla, falsa, & ad præconceptam opinionem torta formataque, quod ex dictis quilibet intelligit. Præter ista sunt non pauca alia, quæ notari merentur. Ut primum, quod versus faciat in navibus unius solum remigis. *Monocrota* enim ait esse *col.* 570. *quæ simplicem remorum versum habent*, exque ipsis quædam, *cum unus remex aut uno remo naviculam ab uno latere impellit; quod fit in monoxylis, seu lintribus; aut duobus remis, singulis videlicet ab utroque naviculæ latere.* Non dicam, quod sit falsissimum, monoxyla & lintres omnes ab uno tantum fuisse impulsos remige, cum nonnulli fuerint majores, quam ut ab uno commode potuerint agi, de versibus res ad hunc diem inaudita est, posse illos cogitari remigis unius. Versus sane nihil aliud, quam quod Græcis στοῖχος, ipso teste Meibomio, *col.* 576. Jam quid στοῖχος? Respondet ipse σύστημά τι. Porro σύστημα corpus compositum ex pluribus, quod vel vocabulum ostendit. Si ex pluribus, qui quæso remex unus facere queat σύστημα & στοῖχον, sive versum? Frustra igitur finguntur στοῖχοι sive versus uno remige constantes. Deinde monocrota quis est quæso, qui usurparit unquam de monoxylis seu lintribus? Dicta sunt monocrota, ut dicrota. Porro dicrota naves ordinum duorum. Erunt ergo & monocrota naves ordinis unius, quales alias moneres Græci sunt vocatæ. Ideo Strabo *lib.* VII. Ἀπὸ μονοκρότου μέχρι δεκήρους. Sicut δεκήρης navis decem ordinum, sic μονόκροτος unius ordinis, neque unquam usurpavit quisquam de navigio, in quo unus tantum remigat. Nos profecto neminem hucusque vidimus sic usurpantem, nec laudavit quenquam Meibomius. Sequitur apud eundem *col.* 570. *Quinqueremis est navigium polycrotum, quod tres remorum versus seu ordines ad latus habet, duos autem in transtris.* Lubet primum quærere, quæ sit caussa, quod tres versus seu ordines habere quinqueremis debuerit ad latus, & non duos tantum, sicut quadriremis. Nam de quadriremi ipse, *quod duos versus remigum habet ad latus navigii, & totidem in jugis, vocatur quadriremis.* Cur ergo non & quinqueremis, quod versus duos ad latus, tres in jugis? Non poterit afferre verbum unicum scriptoris veteris, quo sententiam suam probet. Intelligo tamen, quid ipsum huc impulerit, nempe si fecisset remiges in jugis tres, infimus eorum factus esset thalamita, qui tamen secundum Meibomium non in jugo sedem habere, sed ad latus debet. Primum enim ei locum habet in latere thranita, sequitur post zygita in jugo, tum tertius, & ipse in latere, sicut thranita, deinde quartus zygita in jugo, postremo thalamita in latere. Si zygitas fecisset tres, aut duos eorum,

A aut omnes jungere inter sese debuisset, nullo intercedente remige laterali, quod est contra sententiam & descriptionem ejus, quando semper post lateralem unum collocat unum jugarium remigem; aut tertium in infimo collocare loco, id est, ex zygita facere thalamitam, quod apparebat esse absurdum. Non ergo hæc sententia, quæ tres laterales tribuit quinqueremi, & zygitas tantum duos, Veterum auctoritate nititur, sed opinione, quam de hisce navibus sibi ipse suoque ingenio Meibomius formavit. Jam ut concedamus ei, esse in ista navi versus laterales tres, quæ quæso erunt nomina remigum in eis? Zygitæ secundum ipsum sedent in jugis, nec ad latera navis pertinent, thranitæ sunt in summo, thalamitæ in imo. Quodnam erit nomen eorum, qui in versu laterali tertio sunt constituti? Idem dubium occurrit in navigiis plurium ordinum. Frustra dicet, thalamitis, aut thranitis posse adsociari. Quisquis enim non ad thalamum aut thranos sedet, nomine thalamitæ aut thranitæ nequit compellari. At eorum nemo, qui infra Zygitam primum remigat, sedet ad thranos, nemo igitur thranitis potest dici. Nemo eorum, qui supra zygitam ultimum remigat, sedet ad thalamum, nemo igitur potest dici thalamitis. Plura autem remigum apud Veteres vocabula non leguntur. Patet idem ex Hesychio. Nam θαλάμιος, ait, ἔσχατος. ὁ δὲ ἀνώτατος, θρανίτης. Debet esse ἔσχατος & ἀνώτατος, id est, *infimus & summus*, ut quis sit vel thalamita, vel thranita, non quoquo modo sedere in alto vel humili, ut plures fingi thranitarum thalamitarumve ordines non possint. *Col.* 575. in majoribus navigiis juga seu ζυγὰ, in quibus considebant zygitæ, dicit fuisse in medio, nec pertinuisse ad parietes. *In triremibus*, inquit, *pluriumque ordinum navibus hæc juga, seu transtra, medio navis posita erant, ab utroque latere ad pedes duos semis remota. Nam tabulas, in quibus remiges ad utrumque navis latus sedent, voco sedilia, transtra autem seu juga, quæ medio navis per transversum stabant, in quorum utraque extremitate remex sedebat.* Hæc tam prompte facileque profert Meibomius, ut putes olim in triremi veteri fuisse versatum, omniaque circino dimensum esse. Cæterum si caussam quæras, quare justa ista sic distinguat a sedilibus, & in medio navis collocet, ea nusquam aliqua comparet. Imo contraria occurrunt in præcedentibus, ubi monstrat, τὰ ζυγὰ pertinuisse de pariete in parietem, junxisse illos, & firmasse totam navem. Sed hoc dicit obtinuisse tantum in monocrotis, non in plurium ordinum navigiis. Quid ita? Quia sic Meibomio est visum, caussa certe nulla, nullum veteris, quo probet, testimonium ibi est adductum. Nempe semel tradiderat Meibomius, zygitas sedisse non ad latera, sed in medio: debuerunt igitur & zyga (ζυγὰ) in medio collocari. Verum miror, quod, cum ex scriptoribus probare vult, sedisse in medio, & ζυγὰ esse τὰ μέσα τῆς νεὼς, sive juga navis medias tenuisse partes, non intelligat, illud *in medio*, sive *medium* diversimode posse accipi. Est enim medium quoddam longitudinis in navi, cujus respectu prora & puppis duo sunt extrema. Est medium aliud altitudinis, cujus respectu thranos & thalamus sunt extrema. Est denique & medium latitudinis, cujus respectu duo parietes laterales sunt extrema. Non ergo sequitur, zygitæ dicuntur sedisse in medio a Veteribus, ζυγὰ sunt τὰ μέσα τῆς νεὼς, ergo hoc accipiendum est de medio, quod est latitudinis. Imo jam in superioribus ostensum est contrarium, & debere ista accipi de medio, quod est altitudinis. Frustra ergo nobis fingit juga Meibomius ad nullos pertinentia parietes. Sed nec illud satis pro-

bum, quod ζυγὰ, cum tranſtra notant, zygitarum ſint ſolorum. Nemo Veterum hoc prodidit. Euſtathius contra generatim, *ad Odyſſ. N.* Ζυγὰ τὰς ναυτικὰς λέγει καθέδρας. Longe igitur aliter res ſeſe habuit, hoc nimirum modo. Ζυγὰ ſunt dicta primum in moneribus, & minoribus adhuc navigiis tranſtra ſeu ſedilia nautarum. Structa porro erant ea in navis medio, reſpectu altitudinis, nec impoſita margini ſupremæ, quod non raro fieri ſolet hodie in ſcaphis, nec ad pavimentum navis collocata, ſed plane in medio, ita quidem, ut a pariete uno pertinerent ad alterum, utrinque eſſent firmata, ſic ut & ipſos ſimul parietes continerent. Poſtea cum extrui cœperunt naves ordinum plurium, licet tranſtra ponerentur alia ſuper aliis, manſit tamen vetus appellatio, ut ζυγὰ navis diceretur medium, ubi primum in muneribus tranſtra erant collocata. Atque ita & zygitæ dicti ſunt. Habuerunt equidem & thranitæ ζυγὰ ſeu tranſtra, verum quia non fuere in medio, ſed ſummo, iccirco non zygitæ dicti ſunt, ſed thranitæ. Idem accidit & thalamiis, quorum tranſtra fuerunt in imo. Zygitæ igitur dicti, non quod ſoli ſederent ἐν ζυγοῖς, ſed quod tenerent navis medium, ubi primis temporibus, & præſertim in moneribus ζυγὰ ſeu tranſtra conſueverunt reponi. Quod medium cum intelligatur altitudinis reſpectu, ſicut ſæpius eſt dictum, fruſtra ζυγὰ ſeu tranſtra illa introrſus in navigio, remota a parietibus finguntur. Et qualis, amabo, ſtructura illorum ζυγῶν, ut depinguntur a Meibomio? Inſiſtunt ſingula pedi unius in medio, vel duobus, quod quis ſuffeciſſe credat, non dicam ferendis duobus remigibus ſedentibus ad extremitates eorum, ſed ſuſtinendæ commotioni tam violentæ, quando inter remigandum ſurgebant, moxque adducentes remum recidebant in tranſtra. Deinde pedes illi ζυγῶν ubi collocantur? Quam alti debuerunt eſſe in navibus ordinum plurium? Poſtremo pedes illi nonne occupaſſent ſpacium omne ſub ζυγοῖς ſeu jugis, quod tamen in navigiis Veterum fuiſſe ſatis magnum, vel ex eo conſtat, quod qui remiges non eſſent, verum alias verſarentur in navi, degere ſub jugis ſolerent, ut vel Athenæus teſtis eſt, *l.* V. Quale vero illud, quod docet de verſibus *col.* 576. *& ſeq.* Vocat verſus, qui habent collocatos remiges a ſummo ad imum, more militiæ terreſtris, in qua στοῖχος (quod quandoque verſum notat) σύστημά τι καθ' ἐὐθεῖαν κείμενος, & in hac figura

B C D E F G
a b c d e f
g h k l m n
o o o o o o
o o o o o o
o o o o o o
K L M N O P

verſus dicit eſſe ſex a B C D E F G recta linea deſcendentes. Si hi verſus ſex, quo pacto ſupra *col.* 570. biremem eſſe dixit, qui verſus habet duos. *Si*, ait, ***unum verſum remigum habeat ad latus ſedentem; & item unum in tranſtris, dicrotum & biremis dicatur.*** Aut neceſſe eſt, ut ordines remigum intelligat in longum, ſicut intellexit Bayfius, aut ut verſus accipiat ibi, non a ſummo ad imum. Paulo poſt: ***Sin duos verſus habet ad latus ſedentes, unum in tranſtris, vocatur triremis.*** Item: ***Quod duos verſus remigum babet ad latus navigii, & totidem injugis, vocatur quadriremis.*** Si verſus locis hiſce ſic accipias, ut vult in ſuperioribus, plane aliæ ſicut triremes, quadriremes, quinqueremes, quam quales ipſe vult Meibomius. Triremis nempe erit, quæ habet verſus tres B C D, nullo habito reſpectu ad litteras ſingulis iſtis ſubjectas, ſive plures fuerint, ſive pauciores. Quadriremis, quæ habet verſus quatuor B C D E F. Quinqueremis, quæ quinque, B C D E F. Id quod omne ipſi Meibomio eſt adverſum. Non igitur ſic ſunt intelligendi verſus in navigiis, ſed potius in longum, ſic ut B C D E F G ſit verſus unus, a b c d e f verſus alius, & ſic conſequenter; nec a στοίχοις in militia terreſtri accepere hanc denominationem, verum a στοίχοις litterariis, aut στοίχοις arborum in hortis. Quod voluit & Servius, quando ad explicationem vocis *verſus* in *Æneido* V. ubi uſurpatur de navibus, affert locum Poetæ, in quo agitur de arboribus, *Ille etiam ſeras in verſum diſtulit ulmos*. Verſus ſane ſic, ut dixi, non ut tradit Meibomius, eſſe intelligendos, docet Livius quoque *libr.* XXXII. ubi navem ſedecim ordinum, ſive ἑκκαιδεκήρη deſcribit; vocat enim eam, *quam ſexdecim verſus remorum* agebant. Non ſunt hic verſus ſexdecim intelligendi ut B C D E F & ſic deinceps, verum ut B a g o o o k, & porro, donec numerus denarius cum ſenario abſolvatur. Neque aliud eſt ſentiendum de Græcorum στοίχοις. Photius de octere Ptolomæi: ἐν ταύτῃ γὰρ ἑκατὸν ἄνδρες καθ' ἕκαστον στοῖχον ἤρεσσον. Si στοίχους hic accipias, ut in ſuperioribus valebat Meibomius, navis fiet non octeris, quod diſertim tamen de ea prodit Photius, ſed hecatonteris, ſive navis centum ordinum, qualis nulla unquam viſa, vel ædificata eſt. Denique clariſſime Scholiaſtes Æliani. Μονήρεις καὶ διήρεις καὶ ἐφεξῆς κατὰ στίχους τοὺς κατὰ τὸ ὕψος ἐπ' ἀλλήλους. Facit verbis apertiſſimis στίχους ἐπ' ἀλλήλους, id eſt, *alios ſupra alios*, ut non poſſit eſſe στοῖχος unus B cum literis ſequentibus ad K, alter C ad L, tertius D ad M, ſic conſequenter, quod vult Meibomius; ſed unus B ad G, alter a ad f, tertius g ad n &c. Locus Virgilii, quem adducit, nihil docet tale, quod vult ipſe, ſed illi mens eſt alia, de qua hic dicendi locus non eſt. Illud tangam obiter, quod hic quoque verſum faciat remigis unius, ſicut fecit *col.* 570. nam *verſum triplicem* apud Virgilium dicit intelligendum, in quo unoquoque remi ſunt terni. Verba ejus *col.* 578. *Stans aliquis in A videt ſex verſus, qui omnes ſunt triplices, hoc eſt, quorum ſinguli habeant tres, exempli cauſa, remos a o b.* Si terni remi poſſunt facere verſus triplices, unus remus quoque faciet verſus ſimplices, quod eſſe falſum antea jam oſtendimus. Et docet vel vocabulum *triplex*, quod intelligi non poteſt, niſi de rebus tribus generis ejuſdem. Quomodo ſunt *Parcæ triplices* apud Ovidium, *murus triplex* apud Virgilium, & ſimilia. Triplex ergo verſus quoque, non qui remos, ſed qui verſus habet tres, intelligendus. Qui omnes cum conſtare ſinguli etiam debeant remis pluribus, cum verſus quilibet ſit στοῖχος atque σύστημα, ut alibi monſtratum eſt, liquet utique, explicationem loci Virgiliani a Meibomio factam non eſſe probam atque veram. Pergit *col.* 579. & θρανίτην explicat *ſellarium*. *Θράνος enim*, inquit, *ſella ſeu ſedile eſt*. Recte quidem vocem θράνος generatim dicit ſignificare *ſedile*, ſive *ſellam*, nam & Pollux, & Heſychius ſic explicant. At vero etiam in navi hoc ſignificare, quomodo probabit? Nemo certe Veterum hoc dixit ullo loco. Θράνος eis pars navigii, eaque unica & ſingularis, in qua thranitæ ſederunt omnes. Verba ſunt Pollucis evidentiſſima, τὸ δὲ περὶ κατάστρωμα, θράνος, οὗ οἱ θρανῖται. Aut igitur dicendum, thranitas unicum habuiſſe ſedile, quod Meibomius negabit ipſe,

aut θρανὸς non habendum pro ſedile in navibus. Θρανὸς mihi dictum videtur, quod in ſummo claudebat parietes navis, illo modo, quo Pollux dixit, θρανὸς ſignificare τὰ ξύλα τὰ κατακλείοντα τοὺς πλινθίνους τοίχους. Nam quod habet Etymologus, λέγεται θρανὸς καὶ ἡ μέση τῆς νεὸς διήκουσα σανὶς, ἀφ᾽ ἧς αἱ θρανῖται λέγονται παρὰ τὸ ἐν αὐτοῖς ἱζάνειν, huc non quadrat. Si enim ἡ μέση, quomodo thranitæ ſederunt in ſummo? Si ἡ μέση numero ſingulari, quid ita ſequitur ἐν ταῖς in plurali? Quicquid ſit, θρᾶνος in navibus non fuit niſi unicus, quod Veteres fatentur omnes. Sedile thranitarum non fuit unicum, ipſo teſte Meibomio, ſed thranita quiſque habuit ſuum. Qui ergo a θρανὸς, quatenus ſedile denotat, venire vel dictus eſſe poſſit thranitis? In eadem *columna* portiſculum inceſſiſſe ait in ſpacio medio ζυγῶν ſeu tranſtrorum, quæ a ſellis facit alia, *ſed* tantum *in apertis navibus*. Vellem ſcire, ubi ergo inceſſerit in tectis. An in eis nullus fuit hortator? At hoc dicere abſurdum. Tectas naves fuiſſe, quæ vocantur quinqueremes, non exiſtimo negaturum Meibomium. Saltem tectis navibus Romanos primum uſos eſſe in militia, negare non poterit, quia teſtatur clariſſime Polybius *l.* I. κατάφρακτον ſeu tectam unam Carthaginenſium, impactam littori exemplo fuiſſe Romanis, ad quod naves ſuas curarent ædificari. At vero in tectis illis ſuis navibus Romani habuerunt hortatores, eoſque in medio remigum. Polybius ipſe *dicto loco*, ut eſt verſus a Caſaubono: *Remiges ſedere ad remigia juſſerunt in littore, eodem ſervato ordine, ut ſi in navium tranſtris conſiderent, hortatore in medio locato.* Si hortator fuit locatus in medio remigum, ubi fuerit magis, quam in medio ſpacio ζυγῶν, idque non magis in apertis navibus, quam tectis? Dicas, quomodo incedere potuit, ſub cataſtromate? Quaſi hoc neceſſe fuerit. Poterat ſedere pari modo, ſicut remiges. Poterat ſedere altius, ut ab omnibus conſpiceretur. Poterat imo & ſtare, loco ejus ad hoc ſic aptato. Et ſtetiſſe videtur, propter iſta Polybii, μέσον ἐν αὐτοῖς στήσαντες τὸν κελευστήν. Dicit στήσαντες Polybius, unde conſtat, in conſtratis ſive tectis navibus ſtetiſſe. In *columna* 580. fingit *aſſulam*, in tranſtro quolibet, & ſedilibus, *ne natibus ultra ſedilis legitimam menſuram remex evagaretur, & inferiori remigi poſt ipſum ſedenti locum anguſtiorem faceret*. Sed eſt illa aſſula plane commentitia & nulla: Quod vel ex eo liquet, quia remiges, quotiens adducebant remum, recidebant impetu in ſua ſedilia, ut jam alii docuere, ſupraque memoravimus. Si enim illa aſſula fuiſſet, quantum eis attuliſſe damni putamus, cum id ſpacium in tanto motu tam ſollicite obſervare nequiverint. Sed nec quiſquam eſt inter Veteres, eos etiam, qui cum cura partes navium, minimas quoque, memorarunt, qui illius faciat mentionem verbulo. Idcirco eam tranſmittamus. *Ibidem* diſputat de ſedilibus, quam alta eſſe debuerint, ut poſſent commode in eis ſedere. Sed & iſta diſputatio eſt otioſa; nec enim ſederunt tam libere, nec tam porrectis pedibus, ut ipſe opinatur. Etymologicum Magnum: Κληῖδες αἱ τῶν ἐρεσσόντων καθέδραι. παρὰ τὴν κλάσιν τῶν γονάτων, ὃ ποιοῦνται οἱ καθεζόμενοι ἔνθεν καὶ ἔνθεν, οἱ ταπεινοὶ δίφροι. Non jam diſputo de vocis etymologia: illud oſtendo tantum, non ſediſſe tam commode remiges, ut vult Meibomius. Quod & Euſtathius confirmat, quando ait *Iliad. B.* Ἐστι μὲν γὰρ κληῒς ἡ ναυτικὴ καθέδρα παρὰ τὸ κλῶ, ἔνθα κλᾶται τὸ σῶμα συγκαμφθέν. Dicit in ſedilibus hiſce frangi quodammodo corpus, quia curvum inflexumque ſemper eſſe cogatur. Porro quoniam ſic curvi, genubuſque refractis ſedebant, ideo & tabella ſuppedanea excogitata fruſtra eſt, de qua agit in ſequentibus. Saltem nemo eſt, qui illius faciat mentionem ex antiquis. *Columna* 585. remiges, *indutos* ait *ſtrictis veſtibus & ferme linteis fuiſſe*, quod unde hauſerit, non patet. Pridem enim conſtat, apud Veteres fuiſſe nudos fere, atque ita eos monumenta quoque priſca exhibent. Quod ſi veſtem habuere, erat ea ex ulva paluſtri, pelle, aut pilis caprinis, minime vero ex lino. Quod probari poſſet pluribus, ſi hoc ageretur. *Col.* 586. *in octere ſummi remigis verticem ab imo navis abfuiſſe dicit, ſummum pedes undecim, in hexere nondum novem.* Si non altiores illæ naves fuerunt apud Veteres, quid ita de earum altitudine ſcriptores tradidere tam ampla atque ſpecioſa: Dio de Antonii navibus: εἴκασεν ἄν τις ἰδὼν τὰ γιγνόμενα τείχεσί τισι, ἢ καὶ νήσοις πολλαῖς καὶ πυκναῖς ἐν θαλάσσῃ πολιορκουμέναις. Florus de iiſdem: *Turribus atque tabulatis allevatæ caſtellorum & urbium ſpecie non ſine gemitu maris & labore ventorum ferebantur.* Erant autem, ut teſtatur idem, ſenum fere ordinum. Ita de hexere Lucanus *l.* III.

Celſior at cunctis Bruti prætoria puppis
Verberibus ſenis agitur, molemque profundo
Invehit, & ſummis longa petit æquora remis.

Unde quæſo moles hexeris hujus, quæ tam longe petit æquora remis, ſi etiam vertex ſummi remigis ab imo navis abfuit nondum pedes novem. Remos certe oportet vix pedes abfuiſſe ſeptem a navis imo, cum inter verticem remigis, & foramen, per quod remus exſeritur, ſpacium interceſſerit pedum minimum duorum. At vero navem, cujus ſeptem tantum octove pedum altitudo, quis appellet molem? quis cum caſtellis, urbibus, inſulis comparet? Locis veterum auctorum de altitudine priſcarum navium reſpondent picturæ Bayfianæ, quæ eas omnes exhibent ſatis altas, ſi cum longitudine comparentur. Ad poſtremum ſi ad proportionem hexeris, ſicut a Meibomio deſcribitur, formanda eſſet triremis, ſummi ejus remi ab aqua diſtare vix pedes quatuor poſſent. Quod quis quæſo ſibi unquam patietur perſuadere. *Col.* 587. invehitur in Schefferum, quod non intellexerit verba Scholiaſtis Ariſtophanei, quæ tamen quinquennio ante explicavit in *Notis ad Vitruvium*, & remiges, non eo collocarit modo, quo debuerit. *Si*, ait, *Schefferus horum verborum ſententiam aſſecutus eſſet, ordinem collationis, quem adhibuit, invertiſſet*. Nempe quia Schefferus in pictura, qua ſedentes exhibuit remiges, thalamitas fecit propiores puppi. Atqui hoc non ſic per omnia eſt verum. Habet enim thalamitam unum proræ proximum, quod cuivis picturam inſpicienti apertiſſimum. Deinde poteſt pro ſe allegare picturas Bayſianas, quibus rectius, opinor, tribuebat idem, quam commentis notiſque Meibomianis. Nec poſtremo male intellexiſſe verba Scholiaſtis Ariſtophanei vel ex iis conſtat, quæ a nobis dicta ſunt in præcedentibus. Quæ ſequuntur apud Meibomium, ſcurrilia ſunt, & ambitionis arrogantiæque vanæ plena, itemque indigna, quibus aliquid reponatur. Habet pro ſe Schefferus judicia de hoc labore ſuo pulcherrima virorum eorum, quorum nec auctoritatem, nec doctrinam vel jam conſecutus eſt Meibomius, vel ullo unquam conſequetur tempore. Quumque ipſe eum in non paucis improbet Schefferus. Quod ex eo conſtat, quia pridem novam, & diſſimilem priori, laboris ejus publice promiſit editionem. Quam ſi quæ humanitas in Meibomio fuiſſet, expectaturus erat, priuſquam judicio tam incivili peteret ea fortaſſis,

quæ Schefferus ipſe pridem habebat immutata. Sed Schefferum mitto, qui meo utique patrocinio non indiget. Venio ad *col.* 590. in qua dicit, omnes contendiſſe de loco infimo thalamitarum, ut qui haberet minimum laboris. At hæc ratio eſt nulla, niſi credamus, remiges omnes apud Veteres fuiſſe homines inertes ignavoſque, idque ſolum egiſſe, ut quam minimum laboris ſubirent in navibus Quod quale ſit, nemo non per ſe intelligit. Deinde fatetur ipſe Meibomius, thalamitas minimum accepiſſe mercedis. Quis ergo credat, contendiſſe de loco, ex quo nihil erat lucri? Imo contra, cum conſtet aliunde, cupidos fuiſſe nautas num morum, ideoque ſæpius de augmento ſtipendii ſui magnis egiſſe contentionibus, vero conſentaneum, maluiſſe illa occupare loca, unde plurima merces. Addit poſtremo, locum thalamitarum fuiſſe maxime contemtibilem. De tali vero certet nemo, niſi deſtitutus ratione. Sequitur apud ipſum in eadem *columna*, unumquemque voluiſſe ſedere in tranſtris, neglectis thranitarum thalamitarumque ſedilibus, & id eſſe ζυγομαχεῖν, vel ſaltem putatum eſſe Herodoto Grammatico. Rationes addit, quarum fundamentum in eo, quod ζυγὰ in navis fuerint interiori parte, remota a lateribus. Qua de re quid ſentiendum ſit, jam in ſuperioribus eſt indicatum. Nihil autem iſtiuſmodi ut fingamus neceſſe eſt, vel cogitemus: poteſt illud ζυγομαχεῖν intelligi de navi etiam unius ordinis, adeo non opus eſt ut confugiamus ad formandos in navis medio, & a latere thranitarum thalamitarumque zygitas. Nam & in unius ordinis navigio remigis unius fuit melior conditio, quam alterius, propter inæqualitatem remorum, de qua & in præcedentibus. Et hæc cauſſa, quare loca ſua caperent per ſortem, nempe ne quis ſibi factam poſſet conqueri injuriam. Quod non magis factum in plurium ordinum navibus, quam unius, exemplum Argo navis eſt, & de ea Flacci Apolloniique teſtimonium certiſſimum. Præterea in omni navi etiam unius ſimpliciſſimique ordinis fuerunt primi remiges, fuerunt ultimi, quorum illi magis, hi minus honorati. Nil ergo mirum ſi de eo loco inter ſe certaverint interdum, idque Herodotus ζυγομαχεῖν putarit eſſe dictum. Et hæc quidem explicatio conveniens eſt locis veterum Scriptorum, cum Meibomiana pro ſe allegare poſſit nullum. Nam de zygitis ſedentibus a latere cæterorum remigum & longiſſimis ipſorum remis neque vola eſt in eis, nec veſtigium. *col.* 596. ſcriptores Atticos ætate Xenophontis navem onerariam nominaſſe ait πλοῖον. Si hoc credit ipſe, aliiſque perſuadere cupit, factum ſemper, ſine dubio eſt falſus, quod vel ex loco Thucydidis, ejuſque Scholiaſte potuiſſet dicere, qui extat *libro primo.* Et Platoni πλοῖον σμικρὸν eſt, quod Cornelio Nepoti *navis triremis*, in *Vita Dionis*, quæ quocunque explicetur modo, oneraria non poteſt fuiſſe. Habet ibi & hoc novum, *magna hominum multitudini tranſportanda naves bellicas fuiſſe commodiſſimas, & in eis majorem hominum multitudinem collocari potuiſſe quam in onerariis.* Nam Græci quidem naves, quibus ferebatur multitudo, militatura non in navibus, ſed terra peregre diſſita, vocarunt ϛρατιωτίδας, ἱππαγωγὺς, ὁλκάδας, quas nemo unquam retulit inter longas & ad pugnam utiles, verum onerarias. Similia leguntur apud Latinos, quod jam alii, ipſe quoque Bayſius monſtrarunt. Quare vellem unico probaſſet loco ſcriptoris idonei, quod ſubdit; *nec dubium eſſe poteſt, quin leviores naves, τὰ ὑπηρετικὰ πλοῖα & triremes copiis, & magno populo tranſportando inſervierint.* Ego nuſquam reperire potui hoc factum, niſi fors inſe-

A ſtinatione vel neceſſitate alia. Extra quam multitudo militum terreſtrium ſemper eſt impoſita onerariis. Neque minus jucundum, quod ſequitur, Judæos captivos tempore Philopatoris impoſitos triremibus ſingulis trecentos Alexandriam deportandos. Fecerat *columna* 580. triremem longam pedes centum & quinque, latam pedes undecim. In hoc ſpatio primum prora & puppis cogitanda vacua, quia ipſo volente Meibomio iſta multitudo ſedit ſub tranſtris. Deinde ſubducendum ſpatium, quod occupant centum octoginta remiges cum ſedilibus & ſuppedaneis ſuis. Quo ſubducto vellem ſcire, ubi manſerint captivi trecenti. Quilibet B homo minimum deſiderat ſpatium pedum duorum quaquaverſum, licet ſtet erectus, majus vero, cum ſedet vel cubat. Faciamus ſtetiſſe omnes; requiſiviſſent ſpacium minimum pedum mille atque ducentorum; cum navis tota non habuerit majus, quam pedum mille centum quinquaginta quinque. Neque dici poſſunt alios collocatos ſupra alios in altum, cum ex deſcriptione facta *col.* 586. a Meibomio appareat, triremium altitudinem vix fuiſſe quinque pedibus majorem. *Col.* 614. ſic emendat locum Livii, ut ex lectione ejus veteri retineat pene nihil, inferciat ubique plurima. Quæ ſcripto- C res bonos emendandi ratio ſi locum aliquem inveniet, actum plane erit de ipſis, & pro Livio, Salluſtio, cæteris, neſcio quorum hominum commenta legentur. *Col.* 617. dicit, *ſcapham quoque, quæ a duobus aut quatuor impellitur, monerem dici.* Vellem videre locum alicujus Veteris, ubi talis ſcapha nominetur moneris. Longe aliud nos docent Scholia Æliani. Et eſt certiſſimum, ubi nulli ordines, ibi nec hac terminatione dictas naves. Apollonius Grammaticus apud auctorem *Etymologici Magni.* Ἀπολλώνιος τὰς ναῦς τὰς ἐχύσας δύο ἢ καὶ τρεῖς σίχας, διήρεις καὶ τριήρεις λέγει. Sicut jam διήρεις, ita & μονήρεις, quia σίχλω habent unam. D At quia ſcapham, quæ impellitur a remigibus duobus, ςίχλω ſive ordinem habere dixerit? Nemo ſane fecit Veterum, nec eſt navis minor, in qua ordo, ſive σίχη, quam remorum viginti. *Col.* 618. Dialecticos ait ſtatuere, hoc ſermone, *tradito naves longas*, intelligendum, *omnes* longas tradendas. Dialecticos equidem non legi omnes, in iis tamen, quos legi, tale nihil reperi. Contra puer audivi ſæpe regulam *de enunciatis*, ut appellant, ſeu enunciationibus, indefinitam æquipollere particulari. Quod & in ſermone communi obtinet. Si quis namque diceret puero ſuo, *da mihi veſtes meas*, an tam ſtolidus eſſet puer, ut putaret tra- E dendas omnes, eas etiam, quas quis forſan haberet repoſitas in ciſtis? Quare quid hic velit Meibomius, non capio. *Col.* 619. ὁλκάδα ſive *onerariam* explicat, *qua velis, non autem remis utitur.* Hoc ſi de uſu omni vult intelligi, plane falſus eſt. Agnoſcit ipſe *col.* 622. ubi fatetur, interdum onerariam parvam ædificatam, quæ etiam remis agi poſſet. Quanquam nec, quod ait de oneraria tantum parva, prorſus poſſit comprobari. Parva ſaltem non fuit, de qua Heliodorus *lib.* v. facit enim incolas Zacynthi admirari Κάλλος τι ἅμα καὶ μέγεθος τῆς ὁλκάδος illius *p. m.* 231. At illa remis etiam impellebatur, cum venti remiſiſſent flare. *Col.* 625. F Schefferi rationem collocandi remiges ait pæne eandem eſſe, quæ Palmerii. Puto parum diligenter inſpexiſſe Schefferum. Nam cum Palmerius remiges per obliquum a ſummo ad imum faciat deſcendere, ſicut facit ipſe etiam Meibomius, Schefferus hoc non facit, tantum ait. Veteres inter duos remiges ſuperioris ordinis interpoſuiſſe unum ordinis inferioris, ſpacii lucrandi cauſſa, & ne navis in immenſam altitudinem excreſceret.

Dicit autem hoc non ex ſpeculatione quadam animi, aut commento ingenii, ſed picturas ſequendo Bayſianas, in quibus remi ſic diſpoſiti apertiſſime cernuntur. Atque hanc ob cauſſam nec exiſtimat neceſſe, ut alii perpetuo viciniores puppi, alii viciniores proræ ſint, quod vult Meibomius, & velle Palmerius videtur, ſed putat alios aliis etiam recta linea fuiſſe ſubjectos, ſi ſpacium permitteret in navi. Quod ex quinqueremis ab eo delineatæ thalamita primo patet, qui thranitæ recta linea eſt ſubjectus. Quod ne ipſum quidem habuit ex conjectura nuda; ſed triremi Bayſiana, in qua remus thalamiticus puppi proximus recta linea ſubjectus eſt remo thranitarum, ut a quolibet videri poteſt. Sane qui obliqua faciunt ſedilia remigum, ut Palmerius, & cum ipſo Meibomius, illi multum ſpacii vacuum relinquunt ſuperne quidem in prora juxta thranitas, inferne vero in puppi, juxta thalamitas, quale nullum cernitur in antiquis monumentis, neque nominatur a ſcriptoribus, nec poſtremo uſum habet ullum. Itaque vix poſſunt obliqua illa ſedilia conſiſtere, de quibus tamen, quia dixi quædam etiam in præcedentibus, plura addere nunc nolo. *Col.* 629. ἑξήκωπον, πεντάκωπον, ἑπτάκωπον, vocabula reprobaſſe ait uſum remigandi Quod eſſe falſum docuerint ἑξίσκαλμον, πεντάσκαλμον vocabula, quæ apud Athenæum & alios leguntur. Eſt enim utrorumque ratio eadem, cum altera a remis, altera a paxillis, ad quæ illi remi religabantur, ſint formata: & ſicut ἑξίσκαλμον, ita ἑξίκωπον rectiſſime dicetur. Quæ etiam cauſſa eſt, quod apud Ariſtophanem ſonum ſive vocem edere dicantur ad ἕνδεκα κώπας unica in navi, quæ ad præmiſſum modum ἑνδεκάκωπον, aut ἑνδεκάσκαλμον vocari poterat. Si fuit navis ἕνδεκα κωπῶν, quam fuiſſe docet Ariſtophanes, cur non & ἕπτα, & πέντε, & ἕξ, & ſic ἑξίκωπον, πεντάκωπον, ἑπτάκωπον? Et habemus πεντάκωπον nominatim in *Gloſſis*, ubi explicatur per πεντήρη eo modo dictam, ſicut & ἑξήρης, quæ tot habet remos, non ordines. *Col.*651. *tectas naves Veterum utroque latere ad puppim habuiſſe turrem* ait, *ex qua unus atque alter defenſor pugnaret*. At eas turres extrui in puppi conſueviſſe, unde quæſo conſtat ipſi? Pollux quidem ſtatuit a lateribus, de puppe dicit nihil. Extat quidam nummus Goltzii, qui exhibet in prora. Arrianus docet, unam ſteriſſe in prora, aliam in puppi: Id quod firmat & pictura quædam Lafreriana, itemque nummus Neronis, viſus quondam mihi, in cujus una facie caput Neronis, in altera navis, cum turri una in prora, altera in puppi, ac inſcriptione, *ADVENTVS AVGVSTI*. Quid autem eſt, quod iſtis turribus unum & alterum defenſorem tantum dicat ſteriſſe? Num propter unum alterumque tantum turres erigere voluiſſe putamus? Et quæ iſta unius & alterius defenſio vel propugnatio? Plures exhibent prædicta monumenta, & Neronis Nummus, in quo licet parvo, armati tamen quatuor, unus etiam cum arcu. Verum hic ſubſiſto, neque cætera Meibomii excutio, cum non defuturi ſint, qui facient. Unum adjiciam, quod occurrit in pictura ejus, quam præfationi ſubjecit, *fig.* 3. Exhibet ibi quinqueremem, quam ait ſiſtere remiges, demiſſis remis. *Remos*, inquit in præfatione ad Lectorem, *non expanſos pingendos curavi, ſed extra foramina ſua protruſos, ita ut remigum manibus per foramina exſertis ad latus navis in navi firmiter teneren- tur, navis ſtabilienda cauſſa.* Liquet ex his verbis, credere Meibomium, ſi ſtabilienda fuit navis, remiges id feciſſe remis per foramina protruſis. Quod profecto mirum eſt. Qui namque potuerunt? Tentet aliquis perticæ paulo longioris partem trudere per foramen non ita magnum, ſi pars ejus reliqua per id jam ante promineat, non poterit hoc facere, niſi apprehenderit in parte illa extrema. Unde ergo tantum ſupra eminet ex remis in pictura Meibomiana? vel quomodo hoc remiges ſunt conſecuti manu unica, ut quem ante tenuerunt remum in extremo, quo protenderent per foramen, eundem poſt tenerent partem magnam infra illud extremum? Sed & quæ vis tenendi manu unica? præſertim ſi citatiores atque violentiores fluctus. Illud autem longe difficillimum Meibomio futurum, ut oſtendat, quomodo Zygitæ ipſius remos ſic protrudere valuerint. Sedebant illi ex ſententia ipſius longius a parietibus, intercedebant thranitæ uno loco, alio thalamitæ, una cum ſpatio inter hos & Zygitas. Qui ergo ſuis manibus ſic remos potuerunt protrudere? Neceſſe eſt, ut vel deſcenderint a jugis ſuis, quod quo fecerint, non apparet, cum ſit pavimentum nullum infra eos ſaltem ſuperiores, a quo ſuſtinerentur, vel thranitis thalamitiſve incubuerint toto corpore, quod eſt penitus abſurdum. Aut demonſtret rationem Meibomius, qua potuerit hoc expediri, ac nos liberet hac difficultate. Solebant tamen remos demittere, navis ſiſtendæ gratia. Verum non propterea neceſſe eſt, ut factum ſit remis ad perpendiculum demiſſis, uti pingit Meibomius. Nec hoc uſquam volunt Veteres, tantum ajunt demiſſos. Quod poteſt fieri, etiam cum demittuntur modice, retinenturque intra navim manu utraque. Atque ſic videmus fieri hodieque in navigiis, quando ſiſtuntur: modice demittunt remum tenentque quiete, etiamſi facere ad perpendiculum hoc poſſint. Sed, ut dixi, hic ſubſiſto. Poteram nonnulla adjeciſſe alia, ſed relinquenda quædam iis etiam, quos nominatim taciteve hic perſtringit. Mihi ſufficit, ſententiam aperuiſſe meam de præcipuis, quæ fabricam triremium Meibomianam concernunt, atque hactenus officio amicitiæ inter nos, & ſi non voto, petitioni tamen tuæ ſatisfeciſſe. Qua in re i Meibomii exemplum placuiſſet ſequi, multa potuiſſem addere alia, & quæ paucis ſum complexus, per amplas verborum ambages circumducere. Erat etiam occaſio nec inelegans, nec importuna inſectandi falſiſſima ejus dicteria, idque jure meliori, quam quo ipſe viros magnos citra ullum proſecutus eſt diſcrimen. Sed relinquo hoc latrandi ſtudium canibus Meibomioque, ſi per id ſe ſimilem eis facere, putat eſſe rem egregiam, & ad conſequendam famam glôriamque adprime idoneam. Nec eo minus intelliges, quantum æra diſtent lupinis, neque aurum eſſe, quicquid ſplendeat. Vale.

Tuus ex animo

CONSTANTINUS OPELIUS.

ISAACI

ISAACI VOSSII


DE

TRIREMIUM ET LIBURNICARUM

CONSTRUCTIONE

DISSERTATIO.

ISAACI VOSSII
DE
TRIREMIUM ET LIBURNICARUM
CONSTRUCTIONE
DISSERTATIO.



ERBA Vitruvii *lib.*I. *cap.* II. A hæc ſunt; *Symmetria eſt ex ipſius operis membris conveniens conſenſus, ex partibuſque ſeparatis, ad univerſæ figuræ ſpeciem, ratæ partis reſponſus: ut in hominis corpore e cubito, pede, palmo, digito, cæteriſque articulis ſymmetros eſt eurythmiæ qualitas, ſic & in operum perfectionibus.* Sic fere libri veteres, & recte. Quæ deinceps ſequuntur, ita ſunt reformanda; *Et primum in ædibus ſacris,* B *aut e columnarum craſſitudinibus, aut e triglypho, aut etiam e batere baliſtæ, foramine quod Græci περίτρητον vocant: navibus interſcalmio, quod εἰρεσία dicitur.* Βατὴρ in baliſta, quemadmodum eſt in lyra, eſt χορδότονον, ſeu capitulum quo nervi ſeu chordæ intenduntur. Ex *dipbeiaca*, quomodo Turnebus in ſuo reperit libro, vel *ipbeſiaca*, ut nos in optimo honoratiſſimi viri Joannis Cottoni codice ſcriptum invenimus, fecimus εἰρεσία. Vulgo repoſuerunt διπηχαϊκή, quam vocem merito explodit idem Turnebus in *Adverſariis* lib. xxv. cap. XII. Omnino abſurdus fuiſſet Vitruvius, C ſi poſito in omnibus navibus æquali interſcalmio duorum cubitorum, voluiſſet exinde navium colligere magnitudinem.

Non recte itaque viri docti interſcalmium interpretantur ſpatium quod duos remos ſeu duo remigum intercedit columbaria, illud quippe non majus in magnis, quam in minutis navigiis, ſed vero interſcalmium ſeu εἰρεσία, eſt ſpatium quod ſcalmum & remotiſſimum a ſcalmo interjacet remigem, ſive ut clarius & ſignantius loquar, quantum eſt τὸ ἔνυηκον κώπης, ut habet Heſychius, portio nempe remi maximi intra navem, tantum quoque eſt interſcalmium, unde tuto ſatis navium colligi poſſit magnitudo.

Quia hoc ſpatium, licet non totum, ut mox dicemus, occupant remiges, ideo εἰρεσίαν Græci dixere.

Adeo vero bene hæc ſibi conſtat ratio, ut ſi quis noſtra quoque ætate hanc teneat, nunquam peccaturus ſit in exigenda navium quæ remis aguntur magnitudine. Toto mari Mediterraneo hæc ſervatur proportio, ut data εἰρεσίας ſeu remigii latitudine, detur quoque non latitudo tantum & longitudo totius navis, ſed & omnium neceſſariarum navis partium proportio, & ipſorum quoque menſura remorum.

Ut vero cognoſcamus Veterum triremes ſeu plurium ordinum naves eadem conſtructas fuiſſe lege, ac noſtri temporis conſtruantur Liburnicæ, quas vulgo *Galeas* appellant, cognoſcitur ex menſura quæ plane eadem eſt, utpote cum longitudo ſepties major aut aliquanto amplior fuerit latitudine.

Navem quam deſcribit Lucianus, quæ quartam longitudinis partem latitudine occupabat, illa ad rem non facit, cum oneraria fuerit & ſolis ageretur velis, planeque hodiernis ſimilis onerariis, utpote quarum longitudinis quartam partem ut plurimum conſtituat latitudo.

Ne in triremibus ſeu longis navigiis tanta pro latitudine officeret longitudo, eadem ac nunc ratione utrinque procurrentibus in mare extra navem fulciebantur cataſtromatis, id eſt, tranſtris ſeu tabulatis firmiter latera navis continentibus, & ſimul utilitati remigum inſervientibus, qui tanto facilius regunt remos, quanto remotior eſt ſcalmus.

Veniamus nunc ad remos, & oſtendamus, quæ interſcalmii, eandem quoque remorum eſſe rationem, & dato remo, dari quoque magnitudinem & conditionem totius navigii. Nauticæ periti libenter, ut puto, hæc admittent. Eſt quidem verum magna quoque navigia minutis poſſe moveri remis, & quidem celerrime, ut ex iis quæ poſtmodum dicentur clarum fiet, ſed vero ut magni & enormes remi minutis aptentur navigiis, utique id fieri non poteſt. Expendamus itaque remorum naturam, & conſtitutionem, quæ noſtro hoc obſervatur ſeculo, ut videamus ecquid exinde antiquarum navium ſtructuræ lucis conferre poſſimus.

D Licet ut olim ita quoque nunc pro diverſa Liburnicarum menſura, diverſa quoque ſit remorum longitudo, ſemper tamen hæc fere ſervatur proportio, ut ſi qua Liburnica nonaginta quinque ſit cubitos longa, lata vero duodecim ſemis, huic adſignentur remi cubitorum XXIV$\frac{1}{4}$. In remorum vero ſtructura, hanc fere legem & menſuram obſervant. Sit remus AB longus cubitos 24$\frac{1}{4}$ vel ut vulgo loquuntur habeat palmas majo-



E res 48$\frac{1}{2}$. Intervallum ab A ad D, quod totum eſt intra navem, a medio nempe foro uſque ad navis coſtas eſt palmorum undecim, deſtinatum quinque remigibus, & aliquando ſex. Quod a D uſque ad ſcalmum C excurrit ſpatium palmorum 4$\frac{1}{2}$. vacuum eſt remigibus, cum experientia & ipſa doceant natura, nihil prodeſſe remiges, ſi nimium ſcalmo ſint vicini. Quod a ſcalmo uſque ad B ſupereſt remi, eſt palmorum nauticorum 31. Ad manubria ſeu capulos craſſus eſt in diametro digitos 9. Ab D vero uſque ad ſcalmum C paulatim fit craſſior, ita ut prope ſcalmum habeat 14. digitos in diametro, in ipſo ſcalmo digitos 9. Extra ſcalmum vero non plus quam quatuor digitos.

in diametro habet, servatque aliquandiu istam rotunditatem, donec tandem in palmulam exeat & ipsam novem latam digitis.

Hanc in construendis remis tenent proportionem omnes fere Mediterranei maris accolæ, & si quis ad libellam hanc exigat rationem, inveniet tantam singularum partium convenientiam, ut sine errore vix aliter construi possint, necesseque sit ut vel frangantur, vel minime remigio fiant idonei.

Veniamus nunc ad Ptolomæi Philopatoris quadraginta ordinum omnium quotquot in historiis memorantur longe maximam navem. Quoniam ut cæterarum partium, ita quoque mensuram remorum reliquit nobis Athenæus, cum scribit maximos thranitarum remos fuisse cubitorum 38, sive pedum 57.

Componamus hos remos cum remis hodiernis, & videamus quantæ molis singuli remi esse debuerint. Primo quidem illud constat, si quæ sit longitudinis ad longitudinem, eadem quoque institutur crassitudinis ad crassitudinem ratio, habituros nos remum prorsus similem hodierno quoad proportionem, verum non ejusdem roboris, rumpetur quippe pars mari imminens prope scalmum.

Hoc sic colligi potest. Cum in omni remigio tertia plus minus pars remi sit intra scalmum, adeoque in hac mensura conveniant plerique Nauticæ periti, ut raro vel unicum aberrent palmum, æquum est ut eandem quoque mensuram observatam fuisse credamus in istis triginta octo cubitorum remis, ita ut 38. pedibus ultra scalmum porrigerentur. Cum vero in illo quem descripsimus hodierno remo qui palmis 31. extra navem procurrit minimum tribuantur unciæ vel pollices tres in diametro prope scalmum, quærendum quanta istic fuerit mensura majoris remi. Sic itaque instituatur calculus; triginta & unum novem unciarum palmi, dant tres uncias in diametro, quantum dabunt pedes triginta octo. Verum cum in minori remo duo palmi prope scalmum inter navis costas intercipiantur, ubi nullum est rupturæ periculum quod ibi remus sit crassior, auferendi de hoc majori remo duo pedes, itaque ut supersint pedes 36. seu palmi 48. Fiet ita ut si 31. palmi dent uncias 3. diametri, ex 48. palmis emergant unciæ $4\frac{20}{31}$

Verum non sufficit hæc mensura, quominus remus ad scalmum non rumpatur. Licet enim trabes & quælibet longa corpora inæqualis magnitudinis similem inter se habeant proportionem, rumpi tamen majora nisi triplicatam habeant rationem, scite ostendit Galilæus secundo *de Motu* dialogo. Ut itaque recte instituatur calculus, sic pergendum Tres unciæ dant $4\frac{20}{31}$ quantum dabunt $4\frac{20}{31}$. Habebimus 7[illegible]. Tot ergo uncias in diametro habere debet remus triginta sex pedibus extra scalmum prominens, minus enim si habuerit, non se sustinebit, nec flagellando mari sufficiet.

Ea parte qua sedebant remiges servata eadem proportione crassitudo remi in diametro minimum esse debuit unciarum quindecim, sive pedis unius & quadrantis. Ne tamen tantæ molis noceret enormitas, quoque magis idonei essent in adducendo & intorquendo, notandum multum ab hac mensura auferendum, si quidem plumbum manubriis additum habuisse testatur Athenæus, & hac ratione redditum fuisse æquilibrium & factos tractabiles. Scalmos supremorum remigum in istac Philopatoris navi minus decem pedibus a superficie maris abfuisse. Id sic confici potest. Nullum bene constat remigium, si intervallum quod est a navi usque ad locum quo extremæ remorum palmulæ aquas feriunt, ad intervallum quo distant scalmi ab aqua, minimum non habeat sesquitertiam proportionem. Remi vero superiores in navi Philopato-

A ris exstabant extra scalmum totis triginta sex pedibus: si itaque ratione exigente ponamus illos cum dimitterentur propter obliquitatem uno pede minus abfuisse a perpendiculo summorum scalmorum, jam justum habebimus intervallum. Verum hac ratione fiet ut scalmi superiores novem tantum pedibus a mari abfuerint, quod Geometriæ gnari facile intelligent.

Videamus nunc quo pacto istæc quater mille remigum navis ad quadraginta potuerit excrescere ordines. Animus non est ea jam expendere quæ complures viri docti in Gallia & alibi de hac scripsere materia. B Verum quidem est illud quod monent remigum ordines per obliquos gradus fuisse dispositos, cum antiqua monimenta clare id ipsum evincant, sed cum præcipuus in eo consistat nodus, quo pacto in multorum ordinum navigiis superiores remi ab uno moveri & regi potuerint, negant quippe plurium remigum ad eundem remum concessam; non explicant sed augent difficultatem, præsertim cum hoc quoque addant, non magnam remi partem ab ipsa navi fuisse interceptam. Scio quidem nulla esse tam magna pondera quæ non virtute mechanica ab unoquoque moveri possint homine, sed & hoc quoque novi, quanto majora sint C pondera, tanto tardius moveri, & semel mota tardius inhiberi. Atqui inutiles sunt remi, si non celerrime percutiant, & celerrime reducantur. Nihil hic prosunt mechanicæ potentiæ, cum æterna maneat lex, ut si ab uno moveantur, quæ a decem debeant moveri hominibus, moveantur quidem, sed decuplo tardius, neque enim natura falli se patitur per compendia.

Ut autem sciamus quam multa incommoda & quæ prorsus fieri nequeant consequantur eorum opinionem, qui tantos remos singulis hominibus regendos committunt; videamus quantæ molis hac ratione superiores hujus navis remi esse debuerint. D Inter singulos remigum ordines, cubiti minimum intercessisse volunt spatium. Quadraginta ergo ordines dabunt quadraginta cubitos. Cum vero illi constituant pedes sexaginta, palam est remos istos non potuisse superficiem aquæ attingere, cum quinquaginta septem pedum longitudinem eos non excessisse constet ex Athenæo.

Ut autem justæ fiant mensuræ, non debuissent aquam modo attingere, sed ad istam sexaginta pedum a mari distantiam habere proportionem sesquitertiam, & longitudinem centum & octoginta pedum, & quidem extra scalmum. Crassitudo eorum minima prope scalmum esse debuisset quindeE cim fere pedum in diametro. Pars vero remi intra scalmos, longitudinem exigit nonaginta pedum. Quod si istam manubrii longitudinem crassitudine compensare velimus, nunquam tamen efficiemus, ut non plus quam mille remigum spatium, vel solum remi unius absorpserit manubrium.

Veniamus nunc ad remiges, & videamus quo ordine, quibus intervallis & ipsi & ipsorum remi, juga & sedilia collocata & disposita fuerint. Antiqua numismata, in quibus crebræ triremium & Liburnicarum visuntur imagines, parum hic juvant, cum in illis propter angustiam loci, non nisi F unicus expressus sit remorum ordo. In nummo tamen Gordiani Cæsaris, cujus ectypum transmissum sibi ab amplissimo D. Carcavi ostendit mihi præstantissimus D. Jo. Marshamus, duo comparent ordines.

At vero in columna Trajani & aliis marmoribus tres remorum obliquo ordine surgentium apparent gradus. Hoc argumento ductus Palmerius aliique viri docti, existimarunt antiquas plurium ordinum triremes & ipsam quoque Philopatoris navem, eadem ratione ad quadraginta remorum excrevisse or-

dines, unde quam multa, quæ fieri nequeant, A consequantur, jam ante monuimus. Ego vero nullas unquam naves fuisse existimo, quæ plures quam septem remorum habuerint ordines Sic quoque sensisse videtur Pollux, cujus verba, quæ vulgo male se habent, ad fidem optimi nostri libri emendata non pigebit adscribere. Η δὲ παρὰ τὰς θρανίτας ὁδὸς, πάροδος, παράθρανος· ὑπὲρ δὲ τῆς στείρας ἑκατέρωθεν παρατεινόμενοι τρόποι, πρῶτος καὶ δεύτερος ὁ καὶ θαλάμιος. ἑπτὰ δ᾽ ἐνίοτε ἀνίσταται ἡ τειήρης; ὧν ἕκαστος κατὰ τάξιν καλεῖται πρῶτος βόλος, καὶ δεύτερος, καὶ ἐφεξῆς.


Ut vero cognoscamus ne immensam quidem illam Philopatoris molem pluribus quam septem B instructam fuisse remorum ordinibus, pauca de diversis remigum dicemus intervallis.

In hodiernis itaque Liburnicis scalmi & remigum juga, si quando minimum tribus, cum vero plurimum, quatuor a se invicem distant pedibus. Ferdinandus tamen Oliverius Lusitanus, vir Nauticæ peritissimus, affirmat sufficere unam *goam*, seu pedes duos cum semisse, quantum nempe remigis corpus & extenta brachia & crura sibi vindicant. Quamvis enim instante portisculo & fervente lato, ut vocant, remigio, remus & corpus remigis duplum percurrant spatium, & plus quam quinque C pedum intercipiant intervallum; nihil tamen hoc officit, cum & procumbentes in priori, & decumbentes in sequenti jugo remiges hoc concedant spatium. Quia tamen nimiam remigum constipationem virosus pædor & sæpe pestis consequitur, prudentibus semper placuit trierarchis, ut non quidem ipsa juga, sed quod inter singula juga intercedit spatium, majus aliquanto habeat laxamentum.

In antiquis vero triremibus non eadem semper ratione consideranda sunt remigum intervalla. Nam si in directum & ad perpendiculum sibi invicem imminerent remi, sufficiebat spatium trium pedum, aut etiam duorum semis, quo remiges a D remigibus distinguerentur. At vero si obliquo clivo remorum surgerent ordines, septem minimum pedibus ejusdem ordinis remiges a se invicem aberant. Fieri hoc non potuit in octere Pontica, quam describit Memnon, in cujus singulis ordinibus centum fuisse affirmat remiges. Nam si illis intervallum septem pedum tribuas, habebis navem longam pedibus septingentis, etiam absque prora & puppi, latam vero pedes plus minus centum, neque enim alias mari ferendo fuisse idonea. Clare hinc conficias unico tantam navem hanc instructam fuisse remorum ordine, & singulis remis octonos adsedisse remiges. Aut si tres remorum fuere ordines, ita eos numerandos esse, ut primum ordinem constituat remus thalamiticus; secundum, tertium & quartum ordinem zygitarum remus; reliquos quatuor remus thranitarum. Sic quoque immensæ propemodum magnitudinis habebis navem, non tamen longiorem trecentis & quinquaginta pedibus, & forsan trecentorum tantum, si arctiori aliquanto quam trium pedum intervallo remiges constrinxeris.

Nec tamen propterea opus fuit, ut remiges magno supra verticem distarent spatio, cum in tam vasta navi & quadraginta fere pedes lata, satis fuerit loci, ut sine fori dispendio vel hac vel simili ratione collocari remiges potuerint.

At vero in Philopatoris navi, fieri non potuit ut talis remorum fuerit collocatio. Nam si trium tantummodo pedum ejusdem ordinis remos intercessisset spatium τὸ ἔγκωπον, sive pars remis destinata non nisi centum in tanta navi occupasset cubitos, vacuumque remis reliquum centum octoginta cubitorum fuisset spatium. Atqui in omnibus navigiis quæ remis aguntur, plus quam tres quartæ partes a remigibus tenentur, in hac vero Philopatoris navi sextam tantum longitudinis partem remis fuisse vacuam sic conficio. Ex Athenæo constat quinquaginta tantum remiges in singulis sedisse ordinibus. Inde facile colligas remiges istos per obliqua parallelogramma fuisse dispositos. Monuimus vero supremos remorum scalmos non plus quam novem a superficie maris absuisse pedibus. Quæritur jam cujus formæ & longitudinis ista fuerint parallelogramma. Si brevis nimis fuisse existimemus, pauciores habebimus remorum ordinis, & multa relinquentur loca vacua: si vero admodum fiant longa, tanto erunt angustiora remigum intervalla, quanto longiora fiant parallelogramma, fietque ut remi in scamna & scabella remigum impingant. Ut itaque justam habeamus mensuram, sit in figura apposita A B spatium novem pedum.



Videamus quot ſedilia nautica locus iſte capiat. In hodiernis Liburnicis ſingulis ſedibus vulgo tribuunt altitudinem pedis & dextantis, ſive unciarum XXII. Altius enim ſi ſedeant remiges, ſtant potius quam ſedent, & laborioſe ſurgunt, ſi depreſſiora fuerint ſedilia. Et nos iſtam ſequamur menſuram, ſed ea ratione, ut ſcabella, quibus ſuperiorum remigum innituntur pedes, quatuor unciis ſint depreſſiora ſedilibus, ita ut intervallum altitudinis inter ſingula ſedilia ſit unius cubiti, ſpatiumque novem pedum ſex contineat ſedilia.

Promoveantur jam in directum ſedilia eatenus donec ſecundi jugi remex ſedens in E planta pedis ſui contingat ſcabellum ſubjectum ſedili inferioris remigis ad D, & ſimiliter remex occupans ſedile F, contingat ſcabellum ſuppactum ſedili E, & ſic porro in G, H, I.

Satis hinc colligas in hac obliqua remigum collocatione juſtum quod ſingula juga intercedere debeat intervallum duorum eſſe pedum & trientis, ita ut ſpatium D K, quod baſin parallelogrammi conſtituit, ſeptem minimum abſumat pedes. Idem tamen ſic quoque efficias, ſedili remigis vulgo tribuitur latitudo ſemipedis; cui ſi addas ſpatium ſcabelli, habebis pedem integrum. Remus fervente remigio ad tres excurrit cubitos in directum. Remigis pectus novem occupat uncias, & totidem ſuperioris remigis genua ultra ſedile prominentia, quæ ſimul juncta pedes conficiunt ſeptem.

Sed & ipſe remorum motus manifeſte evincit, non poſſe iſtos arctiori quam iſtoc includi ſpatio. Verum cum haud parva occurrat difficultas in explicanda ratione, qua tot remorum ordines ſubſiſtere potuerint, adeoque non defuerint jam a ducentis pene annis, qui faboloſum eſſe exiſtimarint, quidquid Veteres de multiplici iſtoc remorum ſive obliquo ſive erecto conſurgentium providere ordine; non inutilem, ut ſpero, præſtabimus operam, ſi curſus & recurſus remorum in ſingulis perſequamur ordinibus, ut perſpecto & ſublato eo, in quem multi impegere, ſcopulo, commoda triremibus ſuccedat navigatio.

In eo itaque quod hic exhibemus diagrammate inferioris ordinis remex reclinatus ſedens in κ, promoveat remum a pectore α verſus β. Moveatur deinceps a β verſus γ, ubi mare ſubeat, cujus ſuperficiem ponamus eſſe B C. Uno nempe cubito, aut ſi mavis duobus pedibus, depreſſius eſt mare ſcalmo inferioris remigis. A γ deinceps reducatur remus ad α. Planum eſt ſpatium hic abunde ſufficere ad pulſandum fortiter mare.

Secundi ordinis remex ſedens in L promoveat remum a δ verſus ϵ, & inde uſque ad ς, ubi demum remus ſubibit mare. Et hic quoque in reducendo ad pectus remo, ictum poteſt infligere ſufficientem.


At vero tertii ordinis remex ſedens in M, & ducens remum a ζ verſus η, & inde ad θ, ubi demum remus ad juſtam menſuram ſubibit mare, & ipſe quoque validum ſatis in reducendo remo a θ verſus ζ infliget ictum.

Quartus autem remex ſedens in N eſt fere inutilis, cum immerſio remi, niſi ſimul ſubſequatur ictus, retardet potius quam promoveat navem. Planum quippe eſt, cum remus ducitur ab ι ab κ, & inde adſcendant ad λ, ubi demum ſubibit aquas, non poſſe, quando ab λ ad ι revertitur, ullam fieri percuſſionem commodam.

Quintus remex ſedens in o, cum promovet remum ab μ ad ν, prorſus erit damnoſus. Quippe ſi promoveat & attollat remum uſque ad ξ, ubi demum occurret mari, ictum infliget averſum & tam in promovendo, quam reducendo remo, retardabit navigium.

Si quis ſuperiores perſequatur remiges, tanto ſemper major occurret difficultas, & abſurditas, quanto quis altius faciat aſcendere ſummum remi manubrium. Itaque miror Palmerii & aliorum imprudentiam exiſtimantium quadraginta ordinum, qua ipſi voluere ratione, poſſe ſubſiſtere remigium, cum a tertio remige omnes prorſus fiant inutiles, & retardent potius quam promoveant curſum navigii. Nec quidquam proficiunt, cum non magnam remi portionem intra ſcalmos extitiſſe affirmant, nam ne ſic quidem tollitur difficultas, & creſcit abſurditas, cum tantas trabes ab uno rege potuiſſe contendunt homine, cum ne minuti quidem, ſi cum his comparentur, Liburnicarum remi, quidquam proſint, ſi unum tantummodo habeant rectorem, etiam ſi duodecim a ſcalmo remotus ſedeat pedibus. Quod ſi idem non niſi uno a ſcalmo abeſſe fingatur pede duodecima tantum ipſi ſupererit potentiæ pars, ac vix latum unguem promovebit remum, cum ſit æterna lex ſtaticæ, ut unus homo viginti a ſcalmo remotus pedibus tantundem habeat potentiæ ac habeant viginti homines, qui uno tantum a ſcalmo abſint pede.

Cum itaque tot & tanta in aliorum paſſim occurrant ſcriptis non incommoda tantum, ſed & quæ talia ſint, ut prorſus fieri nequeant ipſa reclamante natura, noſtram nunc proponamus ſententiam, qua omnibus iſtis difficultatibus ex æquo ſatisfiat. Sic ergo ſentio. Inferioribus tantum remis ſingulos aſſediſſe remiges, cæterorum vero ordinum remos, quanto altiores eſſent, quantoque longius diſtarent a ſcalmis, tanto quoque pro ratione longitudinis a pluribus adminiſtratos fuiſſe rectoribus. Gradus & ordines decem, quindecim, viginti, triginta & quadraginta remigum, quos memorant Veteres, non quærendos eſſe in totidem remorum ordinibus, ſed præcipue in ipſis remigum jugis ſeu ſedilibus, ad quæ per gradus aſcendebatur. Non enim ut fere ſemper fieri ſolet vulgo, mari parallela fuere remigum ſedilia, ſed ad legem fere tabulatorum navis depreſſiora prope ſcalmos, elevatiora vero in media fuere navi, ita ut qui in eodem jugo, medio eſſent propinqui foro, integro cubito eminerent, ſupra eos qui ſcalmis eſſent vicini. Hæc ſi admittantur, quod ſane æquum puto, omnia fluent feliciter, nec quidquam ſupererit incommodi. Ut hoc planum fiat reſumamus præcedens Schema, ſed ad hanc legem reformatum, ut remigum ſedilia paulatim aſſurgant.



Sit itaque ſuperficies maris CC. Scalmi primi remorum ordinis ſint ad B B, & ſic porro uſque ad A A, ubi ſunt ſcalmi ſexti remorum ordinis diſtantes a ſuperficie maris pedibus novem, ſinguli quippe ſcalmorum ordines ſingulis diſtant cubitis. Sit itaque inferior ſcalmus ad B, a quo abſit ſedile inferioris remigis pedibus quatuor, totidemque unciis ipſo ſcalmo altius, ſingulis quippe pedibus, ſingulæ addendæ ſunt unciæ. Si itaque ab hoc remige, ſive Thalamita, ducatur remus ab α ad β, & inde aſcendat ad χ, ſufficienter aquam ſubibit.

Secundi ordinis remex ſupremus remotus a ſcalmo pedibus ſeptem, totidemque unciis ſupra ſcalmum elevato inſidens ſedili, movebit remum per δ, ε, ζ.

Tertius remex decem unciis elevatior ſuo ſcalmo, & remotus ab eodem pedibus decem, cum ducit remum, deſcribet triangulum quale eſt θ, $\varkappa$, ι.

Similiter quarti ordinis ſupremus remex uncia & integro pede altior ſedens ſuo ſcalmo, a quo remotus eſt pedibus tredecim, promovebit remum ab μ ad ν, & inde ad ξ, ubi ſufficienter mergitur.

Quinti ordinis remex ſupremus ſedecim pedibus remotus a ſcalmo, totidemque unciis altius habens ſedile, cum ducit remum ab o ad ξ, & inde ad π, & ipſe poteſt promovere navigium, reducendo fortiter remum a π ad o.

Sed & omnium quotquot ſub tranſtris agunt altiſſimi ſexti ordinis remiges, & ipſi quoque promovent navem. Horum ſupremus & proximus medio foro, remotus a ſcalmo pedibus novemdecim, totidemque unciis illo altius habens ſedile, commodius etiamnum quam quinti jugi remiges, quo velit poteſt ducere remum, cum nulla occurrant ſcabella & ſedilia, quæ curſum remi impediant, quem libere a quocunque quod contingere poſſit puncto, in altitudine ρ conſtituto, poteſt reducere.

Ex hoc porro & ex ſuperiori digrammate manifeſte ſatis conficitur, remorum in continua ſerie ſurgentium ordines, vix poſſe ultra ſextum produci ordinem, non tantum quod remigium ſit inutile, ſi a puncto quod vertici imminet, aut huic
A vicinum ſit, adducendi ſint remi; ſed & quod ipſa natura non permittat, ut remi ad majorem excreſcant longitudinem, & etiamſi permittat, regendo tamen non ſint futuri idonei.

Ut vero ſciamus quot juga, & quot in ſingulis jugis ſederint remiges, redeamus ad maximos remos, quorum longitudinem quinquaginta ſeptem pedum fuiſſe conſtat. Cum in omni remigio inter Nauticæ peritos fere conveniat, ut tertia pars remi faciat interſcalmium, & nos hanc ſequamur legem, & ponamus a ſcalmo uſque ad ſummum remi capulum interceſſiſſe ſpatium pedum novemdecim. Sed cum ſcalmi nomine vulgo cenſeatur
B tota coſtarum & tedæ latitudo, quæ in tanta navi minimum duorum eſſe debuit pedum, rectius integrum addemus cubitum, incipiendo ab epiſcalmio, puncto nempe ubi fit decuſſatio.

Quæremus nunc quanta pars interſcalmii remigum fuerit vacua. Vulgo in Liburnicis ſeu Galeis, ſi interſcalmium fuerit ſeptemdecim ſpithamarum, decem cedunt ad capiendos quinque remiges, reliquum ſeptem ſpithamarum ſpatium vacat, cum experientia docuerit vanum eſſe remigum laborem, ſi nimium fuerint vicini ſcalmis. Olim in navigiis quæ uno tantum remorum eſſent
C inſtructæ ordine, eandem olim obſervatam fuiſſe legem ex Heſychio colligo. Ubi enim interpretatur Homericum iſtud Eφ' ἑπταπόδην, tranſtrum nempe, ſeu jugum, ſeu ſcabellum ſeptem pedum, quod ſufficeret quinque remigibus, hoc quoque addit ἑπτὰ ἐπὶ δώδεκα, quia jugum ſeptem pedum requirit interſcalmium pedum duodecim. Septem vero ſpithamæ, ſeu ut vulgo loquuntur palmi majores, tribus tantum unciis excedunt pedes quinque.

Cum vero in tam vaſtis remis ratio exigat majus intervallum, ponamus non quinque pedum, ſed quinque cubitorum fuiſſe ſpatium, quod infimos
E ejuſdem jugi remiges & epiſcalmia intercederet. Id ſi fiat, ſupererunt pedes duodecim ſemis, quod ſpatium decem continebit remiges, cum unicuique ſufficiant unciæ quindecim. Nimis longe a vero receſſit vir doctus, cum ad explicanda & contrahenda brachia unicuique remigi vix duos ſufficere

credit cubitos. In hodiernis Liburnicis cum laxe A ſedent, unum quiſque remex occupat cubitum, ſed vero ſæpiſſime quindecim tantum uncias. Hanc nempe methodum obſervant remiges, ut dum unus ſublatis ſuperne cubitis, alius iiſdem dimiſſis brachia expandant & colligant. Multo etiamnum id commodius fit, quando ſedilia per gradus creſcunt. Seſquiunciæ enim diſcrimen multam confert facilitatem, ut alter alterius brachia vel ſubeat, vel ſuperet. Qui enim ſic jugati ſedent, attollunt brachium qua inferior aſſidet remex, dum alterum ſuperiori ſubmittunt remigi.

Si quis tamen majus aliquanto ſpatium ſingulis velit largiri remigibus, auferendum de vacante B quod diximus intervallo, manente interim decem remigum numero, totidemque ſedilibus, ipſa mole & longitudine remi exigente hunc numerum.

In inferioribus quinque jugis non multum difficultatis, cum & remorum decreſcens proportio & ſedilium in unitatem deſinens ratio, numerum quoque remigum prodat manifeſte. Quo autem pacto diſpoſita fuere juga, Schema quod addidimus declarabit. Priſmata adjecta ſingulis jugis, ne in tanta declivitate incommode ſedeant remiges, ſingula notant ſedilia. Inferior ordo unum tantum continet remigem, ſecundus duos, tertius quatuor, ſequens ſex, quintus octo, ſextus & ſupremus eorum, qui ſub tranſtris ſint, decem ut diximus exhibet remiges, ita ut in univerſum ſex iſtæc juga triginta & unum contineant ordines. Spatium vero ſub jugis, ſignatum litera A, deſtinatum fuiſſe diverſorum manſionibus, & recondendo cibo nautico docet Athenæus; *Καὶ χωρὶς ὑπὸ τὰ ζυγὰ πλῆθος ἀνθρώπων ἕτερον ἐπισιτισμῶν ον ἐλίζον.*



Cum vero non ad perpendiculum, ſed gradatim ſurgerent remigum juga, duplicemque hac ratione haberent obliquitatem, alteram ad longitudinem, alteram ad latitudinem navis porrectam; non obſcurum ſimilia quoque fuiſſe illa quæ juga ſuſtinerent tigna, decuſſata nempe, clathrata & introrſum vergentia.

Aliquid tamen inter juga & iſtæc tigna relictum fuiſſe exiſtimo ſpatii, per quod *τοιχάρχαις*, id eſt, remigum in ſingulis lateribus ſedentium præfectis aditus ad juga pateret. Nec metuendum ne hac ratione medius navis forus nimis fiat anguſtus. Cum enim inter ſupremos remiges ſpatium pedum novemdecim ſuperſit, etiamſi duos cubitos tribua- D mus tignis utrinque ſuſtinentibus juga, & totidem obliquo *τοιχάρχων* adſignemus meatui, ſupererunt nihilominus pedes tredecim, quæ latitudo ſufficit, cum navis hæc tres foros habuerit, fueritque *τετράφορος*, mediuſque forus viliorum tantum hominum uſibus fuerit deſtinatus.

Veniamus nunc ad ſeptimum remorum ordinem, & ad illos qui ſupra tranſtra verſabantur remiges. Quamvis horum videri poſſit altior fuiſſe locus, quam illorum qui inferiores eſſent tranſtris, aliter tamen id ſeſe habet, cum ſexti & ſeptimi ordinis remi æqualiter a mari abfuerint, & utrorumque ſcalmi ejuſdem fuerint altitudinis. Ut hoc clarius intelligamus, dicendum nonnihil de tranſtris & cataſtromate.

Tranſtra itaque ſunt tigna navium quæ a pariete in parietem porriguntur, ut interpretantur grammatici. Græcis *θράνος* vel *θρῆνυς*, quod Heſychio eſt *ἡ ἐν τῷ μέσῳ πλοίου σανὶς ἀπὸ τοῖχον εἰς τοῖχον*. In primitiva tamen ſignificatione tranſtra ſuperiorum remigum dicta fuere ſedilia, cum inferiorum quæ minus erant alta *ζυγὰ* vel *juga* dicerentur. Græci *θράνυς* vocant ab inuſitato *θρᾶν*, ita ut *θράνος*, *θρῆνυς* & *θρόνος*, ejuſdem videantur eſſe originis. Hinc *θρανίζειν* & *θρανίσαι*, & ejecta more uſitato ſibilante litera, *θρανίται*. Hinc quoque *θράνιστρον*, unde tranſtrum, pro ſede ſublimiore. Quia vero iſta navium tigna & ſcabelli vicem præſtarent, & ſimul ſedem remigum ſuperſtructam haberent, hinc factum ut ipſa quoque tigna *θρᾶνοι* & tranſtra fuerint appellata. Tranſiit dein ad cæteros quoque architectos vocabulum, nam & ſuperiora tigna

na quæ ædificia continerent transtra a Latinis dicta fuisse, & a Gr. θρανὺς, docent Vitruvius & Pollux.

Servata itaque istac vocis acceptione transtra dicantur ea tigna, quæ non tantum a pariete ad parietem, sed & longe extra navem utrinque procurrunt, quæque non tantum remigibus usui sint, quo longius absint a scalmis, sed & omnino necessaria ad continendam & roborandam navium longarum infirmitatem. Cum enim triremes & longæ naves vix septimam & aliquando octavam tantum latæ fuerint longitudinis partem, qui fieri possit ut vel minimis pares fuerint tempestatibus, si eas hoc fulcro, & munimento caruisse fingamus? Flumina & stagnantes semper aquæ istiusmodi aliquando patiuntur navigia; sed vero nemo prudens infirmis adeo lateribus præditas naves mari commiserit, frangendas & lacerandas ad primam pelagi seditionem. Quamvis autem in antiquis nummis & marmoribus propter aspectum adversum non semper compareant istæ prominentiæ, comparent tamen in pluribus, & si quis vel primam quam Baysius exhibuit consulat figuram, desinet dubitare, utpote in qua etiam cantherii seu mutuli projecturam istam sustinentes manifeste visantur. Idem quoque colligi potest ex navi quam Archimedes construxit, in qua struppos & remorum scalmos convenienti spatio extra navis latera remotos fuisse testatur Athenæus; Ὑπῆρχον δὲ καὶ τῶν τοίχων ἑκατέρωθεν τρόποι προσεωσμένοι διάστημα σύμμετρον ἔχοντες. Et clarius postea; Ἄτλαντές τε περιέτρεχον τὴν ναῦν ἐκτὸς ἑξαπήχεις, οἳ τοὺς ὄγκους ὑπειλήφεισαν τοὺς ἀνωτάτω καὶ τὸ τρίγλυφον, πάντες ἐν διαστήματι βεβῶτες. Ut autem nunc, ita quoque olim prominens istud tabulatum prout vel proræ vel puppi esset vicinum alias aliasque habuit appellationes Vulgo quod puppi vicinum est jugum puppis, quod proræ, jugum proræ seu *rembatam* vocant Itali. Olim vero prominentes ad proram partes dictas fuisse maxillas seu alas testatur Pollux; τῆς δὲ πρώρας τὰ ἑκατέρωθεν καλεῖται παρειαὶ καὶ πτερά. Quæ ad puppim vero περίτονα. Τὰ δὲ περὶ τὴν πρύμναν προέχοντα ξύλα περίτονα καλεῖται. Hygin. in *Astron.* ubi de Argo agit, vocat *rejectum*, quod non erat mutandum. Architectis enim rejectus idem est quod projectus, projectura seu projectio, idemque omnino quod protectum, suggrunda, ἐκθέτης, ἐξώστης seu mœnianum.

Extrema vero hujus projecturæ tigna velut aures prominentia dicebantur quoque ἐπωτίδες, quas ad puppim collocat Demetrius Cubicularius, addens illis affixa fuisse gubernacula, quod nempe ipsa sic jubente ratione, istic essent scalmi seu fulcimenta gubernaculorum. Thucydides tamen & vetustiores Græci longe illo certiores testes, epotidas ad proram collocant. Sed nihil obstat quo minus utrumque verum sit, & utrasque eas partes quæ vulgo dicuntur *giogo di proda* & *giogo di poppe*, dictas fuisse epotidas, ita tamen ut in potiori significatu restrictum fuerit hoc vocabulum ad sola ea tigna, quæ ad παρεξειρεσίαν prope ancoras prominerent. Ut enim nunc, ita quoque olim ex firmissimo & solidissimo tigna hæc construebantur ligno. Itaque jubet Theophrastus *H. st. Plant. l.b.* v. cap. VIII. ut epotides & chelysma, quod vulgo appellant *il sperone*, fabricentur e fraxino, moro aut ulmo; τὸ δὲ χέλυσμα καὶ τὰς ἐπωτίδας μελίας καὶ συκαμίνου καὶ πτελέας· ἰσχυρὰ γὰρ δεῖ ταῦτ᾽ εἶναι. Ea vero ratione firmas esse oportebat epotidas, ne remi detergerentur. In conflictibus enim, ut complura docent exempla, quatuor præcipue erant loca in quæ rostra dirigebantur. Si enim naves essent ἀντίπρωροι, & adversis concurrerent frontibus, duæ præcipue ad proram impetebantur epotides, ut nempe iis confractis & detersis scalmis cessaret remigium: vel si circumveniretur navis, impetus a tergo in illas fiebat epotidas, quibus affixa erant gubernacula, ut & hac ratione detergerentur remi, & inutile redderetur navigium. Si quis veterum consulat scriptorum loca, vix unquam alias triremium partes impetitas fuisse inveniet, nisi eas quas diximus, qua nempe ancoræ extarent, vel qua essent gubernacula. Itaque & apud Polybium *lib.* XVI. ubi vulgo legitur ὑπὸ τὰ βίαχα, omnino scribendum est ὑπὸ τὸν οἴακα. Porro hoc detergendi remos artificio hodiernæ destituuntur actuariæ, utpote quæ rostris omnino careant.


Quod autem catastroma, σανίδωμα seu tabulatum attinet, id non una eademque semper accipitur ratione. Illud quidem constat transtris incubuisse tabulatum. Verum istud tabulatum non tota occupabat transtra, sed media pars patebat, quam propterea ἀσανίδον vocatam fuisse testatur Pollux, licet inepte vulgo legatur ἀσανίδον Idem quoque docet Demetrius Cubicularius; τὸ δὲ μέσον τῆς πρύμνης καὶ νεὼς μέχρι τῆς πρώρας ἀσανίδον. τὰ δὲ ἑκατέρωθεν τῶν τοίχων κατάστηγα, κατάστρωμα λέγεται, καὶ θρανὸς, καὶ σανιδώματα. Minime itaque dubitandum, quin in omnibus triremibus & actuariis mediæ semper partes fuerint apertæ. Ipsa quinetiam hoc exigit necessitas, neque enim fieri possit ut inopia respirationis non suffocetur tanta remigum multitudo, si perpetuo tecta tabulato delituisset in tenebris. Non autem solum tecta erat ea transtrorum pars quæ navi continebatur, sed & longe extra navem usque ad thranitarum scalmos excurrebant utrinque tabulata, incumbentia mutulis in quæ desinebant transtra. Quod autem Thucydides plerasque naves longas ante bella Persica caruisse affirmat catastromate, id intelligendum de ea catastromatis parte quæ navi includebatur. Nam certe ne antiquissimas quidem Græcorum naves transtris & tabulato extra navem procurrente fuisse destitutas, vel ipse satis docet Homerus. Sed & Eratosthenes & alii recte Argo navi tribuunt catastroma. Nec sane absque eo constare possit longarum navium remigium. Itaque cum negat Thucydides catastromatis antiquas Græcorum naves fuisse tectas, id ita accipiendum, ac si dixisset, non constratas, sed apertas fuisse omnes, quemadmodum sunt hodiernæ Liburnicæ, seu Galeæ quæ licet & ipsæ sint apertæ, habent tamen exterius catastroma, in cujus extrema projectura consistunt milites, quemadmodum & olim. Ipsa hoc satis declarant Thucydidis verba, cum scribit οὔπω διὰ πάσης εἶχον καταστρώματα. Et sane ne piscatorii quidem lembi, si pluribus essent instructi remigibus, carebant catastromatis, uti ex Alciphronis constat *Epistolis*.

Transtris & costis navium conserti erant mutuli usque ad scalmos porrecti. Ipsos autem mutulos sustinebant atlantes seu telamones, quemadmodum in navi Hieronis affirmat Athenæus, addens eos fuisse sex cubitorum, a summis videlicet scalmis usque ad mare totum remigii spatium occupantes. Telamonum autem seu atlantum eadem est ratio, ac Caryatidum, erant enim statuæ virorum seu mulierum, columnarum loco sustinentium mutulos & coronas. Idem vero notat ἄτλας & τλάμων, pro quo telamonem dixere Latini, accipiunturque hæc vocabula pro quibusvis ἀχθοφόροις, & qualibet re onus aliquod sustinente, sive sit homo, sive animal, seu quodcunque aliud. Telamonis seu atlantis figuram exhibet Polletus in *Antiquitatibus Nemausensibus*, quamvis ipse perperam de mimo acceperit, quorum tamen non est munus onera gestare. Caryatidis statuam memini me olim vidisse inter marmora Arundelliana, mulieris nempe stolatæ, manibus post occiput reductis, & elevatis cubitis & submisso nonnihil capite sustinentis pondus. Architecti hodierni manibus brachiisque demissis effingunt Caryatidas, quod tamen minime est concinnum.

Istiusmodi tamen signis quo minus instructæ

esse potuerint Philopatoris & Hieronis naves hæc obstat ratio, quod scalmi non nisi duorum pedum & trientis a se invicem abfuerint intervallo, a quo auferendum illud, quod motu suo remi describunt spatium, hoc vero licet prope scalmos sit exiguum, est tamen istiusmodi, ut vix quindecim unciarum relinquat locum telamonibus, qui pro ratione altitudinis plus quam duos pedes latitudinis exigunt: unde manifeste conficitur, non fuisse signa perfecta, sed mixti generis, quemadmodum hermæ, & qualia in antiquis marmoribus sæpe occurrunt, capite quidem humano & sublatis cubitis sustinentia mutulos, sed in quadratam desinentia columellam, superne latiorem quam ad imum scapum & mari vicinum fulcimentum. Istiusmodi porro telamones Thucydides vocat *ἀντηρίδας*, cum *lib.* VII. dicit

A Syracusanos naves suas ita fabricasse, ut breves quidem, sed ideo firmiores haberent proras; epotidas vero construxisse crassas & solidas, eoque fortiores quod & intra & extra costas navium suppactæ illis essent sex cubitorum anterides, ejusdem nempe mensuræ atque fuere telamones seu anterides in ea de qua diximus Hieronis navi: Καὶ τὰς πρώρας τῶν νεῶν ξυντεμόντες ἐς ἔλασσον, στιφρωτέρας ἐποίησαν, καὶ τὰς ἐπωτίδας ἐπέθεσαν ταῖς πρώραις παχείας, καὶ ἀντηρίδας ἀπ' αὐτῶν ὑπέτειναν πρὸς τοὺς τοίχους ὡς ἐπὶ ἓξ πήχεις ἐντός τε καὶ ἔξωθεν. Inprimis vero notandus est hic locus, quod & ex eo clare satis confici possit, thraniticorum remorum scalmos
B nunquam plus novem pedibus abfuisse ab aquæ superficie, & plerasque plurium remorum ordinibus instructas naves in hac convenisse mensura.



Redeamus nunc ad thranitarum remos, quorum ut diximus scalmi non erant altiores, quam fuere supremorum zygitarum scalmi. Sedebant nempe thranitæ in catastromate, non supra, sed ad latus potius superiorum zygitarum. Si enim transtra AB in medio patentia, nempe a C. usque D. Catastroma seu pars transtrorum tabulis utrinque constrata a D usque ad E, & a C usque ad F protendebatur. Scalmus superioris zygitarum remi ad A & B Scalmi thranitarum remi ad F & E, æquali a maris superficie intervallo distantes ac superiorum zygitarum scalmi. Sed & summa manubria remi zygitarum in G, H & thranitarum in I, K, æquali a mari aberant spatio, pedibus nempe tredecim semis. Eadem est ratio sedilium subjectorum remo thranitico a K ad L, & ab I ad M. Sed & quæ usque ad scalmos supersunt vacantia remigibus spatia cubitorum quinque seu pedum septem semis, & illa quoque fuere æqualia

Cum itaque ejusdem molis & magnitudinis fuerint remi superiorum zygitarum & thranitarum, superest ut totidem quoque his assedisse credamus remiges. Monuimus vero sex remorum ordines, triginta & unum continuisse remigum ordines, incipiendo ab infimo thalamita, usq; ad supremum zygitam. Si ergo parem thranitarum addamus numerum, habebimus in septem jugis quadraginta & unum remiges, per gradus in totidem assurgentes ordines.

Jam vero cum ex Athenæo constet quinquaginta remos in porrectum habuisse istam Philopatoris navem, altitudo vero septem fuerit remorum; clarum est trecentos & quinquaginta in unoquoque latere remos fuisse, ita ut septingentorum navis hæc fuerit remorum. Sed vero cum septem remorum juga continuerint gradus, sedilia & remiges quadraginta & unum, & hoc quoque patet in unoquoque latere fuisse remiges bis mille & quinquaginta, ita ut totum remigium fuerit centum supra quater mille remigum. Rotundo tamen numero dicta fuit

τῆς τεσσαρακοντήρης seu quadraginta ordinum navis, cum unum & quadraginta contineret ordines. Hoc confirmat Athenæus, cum plures quam quater mille in ea fuisse scribit remiges.

Transtra quod attinet, inter quæ movebantur
D superiorum zygitarum remi, illa septem a se invicem abfuisse pedibus, ex iis quæ jam diximus, satis, ut puto manifeste potest colligi. Monuimus quoque spatia subjecta remigibus in O & P, destinata fuisse cibo nautico & multis aliis usibus. Forum medium, ad quod per multos descendebatur gradus, quemadmodum & in navi Hieronis, est Q Reliqui duo fori, cujus partem occupabant thranitæ protendebantur a scalmis thranitarum, usque ad navis costas. Quia tamen propter occursum thraniticorum remorum incommodus istic esset transitus, alii utrinque superstruebantur fori, quorum licet non meminerit Athenæus, meminit tamen Plut. in *Vita* Demetrii, cum
E distinguit catastroma a foris, & dicit tria fere armatorum militum millia collocata fuisse ἐπί τε τῶν παρόδων καὶ τοῦ καταστρώματος. Superiores hos foros Græci antiquiores appellarunt ἐπηγκενίδας, recentiores καταπατητὸν, quod militum & transeuntium essent velut solum, pari ratione ac πίλμα vocabatur ea catastromatis pars, in qua inferiores consistebant milites.

Quam autem alte navis hæc mare subierit, licet certo affirmari non possit, minimum tamen ad viginti pedes infra maris superficiem fuisse depressam ex eo confici potest, quod utique profundius aquam
F subierit, quam Hieronis navis, longe illa minor, quam tamen non capiebat portus Syracusanorum, magnarum alias navium capax. Reliqua quæ ad hujus navis pertinent descriptionem, ex Athenæo per me licet ut unusquisque pro suo colligat captu, nobis enim ea dixisse sufficiat, quæ ad cognoscendos remigum ordines præcipue faciunt, unde & quid de omnium triremium & plurium ordinum remigio sentiendum sit certius aliquid in posterum statuere possimus. Quia tamen non desunt viri

docti, qui non obstante ea quæ consequitur absurditate, si tantæ molis remos singulis regendos permittamus remigibus; mordicus nihilominus suam tuentur sententiam; operæ pretium fuerit eorum excutere argumenta, & videre ecquid iis subsit solidi.

Quod itaque urgent thraniticos remos a singulis rectos fuisse thranitis, ideoque majus meruisse stipendium quam thalamitas, qui brevioribus utebantur remis, in eo omnino fallit illos ratio. Non enim ideo major thranitarum erat merces, quod graviores tractarent remos, hunc enim laborem plures inter sese partiebantur: sed quod in reducendo supra caput remo surgere cogerentur, & non sedentes tantum, sed & stantes remigarent; quod non faciebant thalamitæ, qui sedilibus suis semper erant affixi. Quamvis itaque plures eundem ducerent remum, quia tamen laboriosius erat eorum remigium, ideo ὀρθιοκῶποι dicti. Hesychius; Ορθιοκώπους, ἐξορθουμένους ἐν τῷ ἐρέσσειν ἐπιπόνως. Pari ratione νόμος ὄρθιος ἐπίπονος dicitur, quod a stantibus sublatissima caneretur voce.

Cum vero negant apud ullum veterem scriptorem occurrere mentionem remorum, qui a pluribus ducerentur remigibus; & tum quoque non recte sentiunt. Fefellit nempe eos quod nescierint vocem remi apud Græcos & Latinos, non tantum accipi pro instrumento, quod tractant remiges, sed quemadmodum navigium & pro navi & pro ipsa sumitur navigatione, ita quoq; remos poni non tantum pro remigio, sed & pro ipsis remigibus. Itaque apud Ciceron. v. *in Verr.* cum dicit Syracusanos piratarum multitudinem conjecisse ex ipso navigio, *quod erat factum sex remorum numero*, vix aliter interpretari possis, quam de sex remigum ad eundem remum sedentium ordine. Cum enim myoparones & cætera navigia piratica fuerint humilia & prorsus similia hodiernis galeis, absurdum omnino fuerit de sex remorum ordinibus in altum crescentibus locum hunc exponere, neq; enim solent ad pompam suas exstruere naves piratæ. Quod si sex tantum navem hanc instructam fuisse credamus remis, multo etiamnum hoc absurdius, & inde paucitatem potius quam multitudinem piratarum collegissent Syracusani. Superest itaq; ut de sex remigibus eundem regentibus remum locum hunc intelligamus. Quod si quis miretur sex remorum a Ciceron. dici navigium quod sex remigum contineret ordines, idem & jam miretur licet, quod triremis & quadriremis & plurium ordinum naves, nomen a totidem acceperint remis.

Hujus porro vocabuli in hoc significatu ignoratio, fecit quoque ut non intelligatur locus Manilii *lib.* v. cum dicit illum qui sub Delphino nascatur fore natatorem insignem, futurumque ut sit *Portu-no remus in ipso*. Quemadmodum vero hoc loco remum posuit pro remige, ita *libro primo* remigem posuit pro remigio, *& vagus in cæcum penetravit remige Pontum.* Sic enim habent optima exemplaria, quæ perperam mutata sunt a viris doctis. Recte itaque in optimis glossis legas; *Remix*, κωπηλασία. Eadem quoque ratione accipienda sunt alia quæ apud scriptores passim occurrunt loca, uti cum apud Livium *lib.* XXXIII. memoratur navis Philippi regis, *quam sedecim versus remorum agebant*. Cum enim natura, ut jam ostendimus, non patiatur ut tot remorum versus, vel obliquo, vel erecto ordine invicem sibi superstruantur, clarum est & hic quoque remos poni pro remigibus, & proinde locum hunc ita accipiendum, ac si dixisset, remos sexdecim continuisse versus seu ordines, cum vocibus istis promiscue utantur scriptores. Quandoquidem in magnis navibus plures semper sunt remiges, quam remi, credibile est navem hanc non nisi quatuor habuisse remorum ordines, ita ut inferiores remi unum, secundi tres, tertii quinque, supremi septem habuerint remiges. Verum hæc incerta.

Locus Flori ubi dicit Antonii naves a senis ad novenos excrevisse remorum ordines, eadem accipiendus est ratione, ut nempe per ordines remorum notentur ordines remigum, remis vel singulis, vel pluribus assidentium. Ut enim novem remorum fiat superstructio, id fieri non potest, & licet fingamus fieri posse, inutilis tamen futurus est tantus apparatus. Non me fugit ita interpretatos esse viros doctos locum Pausaniæ in *Atticis*, cum scribit nullum se majus vidisse navigium eo quod esset in Delo, utpote quod a catastromate ad novem porrigeretur remiges. Τὸ δὲ ἐν Δήλῳ πλοῖον οὐδένα πω νικήσαντα οἶδα καθῆκον εἰς ἐννέα ἐρέτας ἀπὸ τῶν καταστρωμάτων. Sed qui altitudines metiuntur, non a summo, sed ab imo incipiunt. Itaque reponendum censeo ἐπὶ τῶν καταστρωμάτων. Superiores nempe thranitarum remi novem continebant remiges. Hic est secundum Vitruvium legitimus modus colligendi mensuram navium, ex numero enim remigum qui superiores regerent remos, cognoscitur quoque mensura interscalmii. Ejusdem itaque mensuræ Deliacum istud possit videri navigium, ac maximæ in classe Antonii fuere naves, si verum sit superiores remos novem fuisse ordinum. Plutarchus tamen & Dion etiam decem ordinum naves Antonium habuisse scribunt. Verum cum non constet quanta fuerit remorum longitudo in his navibus, unde ipsarum mensuram & numerum remigum possimus colligere, intempestivum quoque est velle divinare, quot in his navibus fuerint remorum ordines, & quot singulis remis assederint remiges. Certius aliquid possimus affirmare de navibus C. Augusti, quæ aut omnes, aut certe pars major fuere Liburnicæ, quarum minimi remi erant trium, maximi sex ordinum. Ut vero hæc planiora fiant, non inutile erit, si de Liburnicarum structura nonnihil dicamus.

Licet antiquissimis temporibus ejusdem fere ac Liburnicæ conditionis constructæ fuerint naves, siquidem myoparones & cætera piratica navigia quoad remigium prorsus his fuere similia, nisi quod bello minus essent idonea, utpote aperta & rostris ut plurimum destituta; ignotum tamen fere fuit Liburnicarum nomen usque ad Augustum Cæsarem, a cujus demum temporibus propter insignem bello Actiaco navatam operam, tantam obtinuere claritatem, ut præter Liburnicas vix alias bellicis usibus destinatas fuisse communi omnium fere scriptorum constet suffragio.

Fabricam earum multum a triremibus discrepasse docet Suidas. Nempe cum pluribus triremes assurgerent remis, quorum alii aliis essent altiores; & experientia nihilominus doceret istam remorum altitudinem haud parum officere celeritati navium, simulque observarent, quanto vicinius mari esset remigium, tanto velocius moveri navigia: illud jam olim commenti sunt, ut missis pluribus istis thalamitarum, zygitarum & thranitarum ordinibus, ad unum eundemque redigerentur remum, illum quidem longe majorem, quam sint remi inferiorum ordinum in triremibus, sed longe minorem remo thranitarum, qui ut plurimum stantes remigabant. Verum hæc de illis Liburnicis accipi velim, quas Vegetius idoneæ vocat mensuræ, quarum remi a tribus, quatuor aut quinque agebantur remigibus, quales hoc quoque tempore justæ mensuræ vocantur Liburnicæ. Nam quod minutas attinet, quarum remi a singulis pulsabantur remigibus, aut etiam illas, quæ plures quam quinos in singulis remis haberent ordines; quantæ mensuræ remos habuerint, vel ipse remigum satis possit docere numerus. Cum vero omnium Liburnicarum, quotquot unquam exstructæ sunt, aut etiam exstrui possint, maxima

fuerit illa Caligulæ, quam ideo δεκήρη vocat Suetonius, quod in singulis remis denos haberet remigum ordines, necessum est ut ejusdem illi atque in navi Philopatoris fuerint magnitudinis. Pro ratione Liburnicarum, quæ multum discrepat ab illa triremium, instructa fuit hæc navis remis octoginta ab unoquoque latere, remigibus vero in universum mille sexcentis. Illa tamen remorum & remigum paucitas, si cum Philopatoris nave comparetur; nihil obest quo minus etiam celerius moveri potuerit illa altera, neque enim quicquam magis obest navium progressui, quam altitudo remigii, cum non possit valida fieri percussio, quando alte supra caput elevantur remi.

Liburnica etiam fuit illa Caii principis quinqueremis, quam memorat Plinius ubi de echeneide agit, quam quadringentos dicit habuisse remiges. Quadraginta nempe in unoquoque latere erant remi, & singuli a quinis regebantur remigibus.

Quod autem hæc Liburnica porrectius habuerit remigum, quam hoc tempore soleant habere Galeassæ, seu constratæ Liburnæ, quæ quamvis sex aut etiam plures ad singulos remos habeant remigium ordines, non pluribus tamen quam triginta utrinque instructæ sunt remis; inde apparet vel multo latiorem in hac navi fuisse medium forum, vel juga remigum multo fuisse arctiori compressa spatio, quam nostra ætate fieri soleat. Ego utrumque verum esse existimo.

Quas vero Vegetius describit Liburnicas, illas fuisse uno remorum instructas ordine, sed tamen plures habuisse remigum gradus eundem ducentium remum, id vel exinde confici potest, quod jamdiu ante Vegetii ætatem usus & fabrica triremium cessarit. Zozimus enim fere æqualis Vegetio, cum hic sub Valentiniano, alter vero sub Theodosio juniore floruerit, affirmat jam a longo tempore desiisse usum triremium, nesciri que earum fabricam, licet eam tradidisset Polybius. Verba ejus hæc sunt *lib.* v. Δοκοῦσι δέ πως τὰ πλοῖα ταῦτα ταχυναυτεῖσθαι πεντηκοντόρων οὐχ ἧττον, καὶ πολὺ τῶν τριηρικῶν ἐλαττούμενα, πλείστοις ἔτεσι τῆς τούτων ἐκλιπούσης δημιουργίας, εἰ καὶ Πολύβιος ὁ συγγραφεὺς ἐκτεθεῖσθαι πως ἔδοξε τῶν ἑξηρικῶν πλοίων τὰ μέτρα. Addit Vegetius Romanos artem texendi Liburnicas accepisse a Jadertinis Liburnis Quod eo magis notandum, quod ab iisdem Jadertinis construendarum harum navium rationem didicerint quoque Veneti. Quam crebra cum Jadertinis gesserint bella, notum est ex eorum historiis. Nec Adriatico tantum, sed & toto Mediterraneo mari quasi per continuam successionem mansit illa Liburnicarum fabrica, qualis sub Cæsare & Augusto maxime commendata fuit. Florentibus vero Venetorum rebus quantæ fuerint horum Liburnicæ seu galeæ,ut vulgo vocantur, vel exinde conjicias, quod in illorum commentariis nauticis memorentur etiam naves quæ a mille agerentur remigibus. Sed & constratæ & castellis erant munitæ. Harum vestigia in hodiernis etiamnum supersunt Galeassis, quæ & ipsæ constratæ sunt & castella sustinent lignea, ut minime dubitandum, quin ut Galea est Liburnica aperta, ita Galeassa tecta & constrata sit Liburnica. Itaque miror Photium Venetos appellasse κονδοσόλους, ac si classes ipsorum constitissent ex gondolis, omnium fere navigiorum minutissimis. Verba ejus in *Lexico* hæc sunt: Βενετικὸς ἀγὰς γένος, ἀφυκτοξάγοπος ξυχηνόθειξ, κονδόσολος, ὀλιγάληθος, ἀπληστίαστος χερσιαιοῖς, οὐκ ἔχων βάσιν ἐν γῇ ἐξάγειν. ἀλλ' οἰκῶν ἐν βορβόρῳ θαλάσσης· ἐκεῖσε κακῶς τὸν βίον ἔχει.

Quod autem Zozimus, in iis quæ paulo ante adduximus verbis, scribit Liburnicas celeritate cessisse triremibus, in eo omnino falli eum certo scimus Fuere & in Antonii classe triremes, sed omnium scriptorum consensu sola Liburnicarum celeritate victoriam retulit Augustus. Itaque recte de iis Suidas τὸ τάχος αὐτῶν ἄπιστον. Nullum apud antiquos vel triremis vel cujuscunque navigii habemus exemplum, quod velis remisque & stridentibus simul a puppi impulsum ventis, plus quam mille ducenta uno die confecerit stadia. Et tamen cum hoc affirmat Aristides, de Liburnica possit videri locutus. Artemidorus summam navis celeritatem vocat, si diei spatio nongenta absolvat stadia. Antiquiores Græci longe etiamnum minus dixere. At vero multo velocius nostræ ætatis aguntur Liburnicæ, quæ spatio unius diei mille & quadringenta percurrunt stadia. Sæpe contingit ut Neapolitano portu solventes Liburnicæ octodecim vel etiam septendecim horarum spatio Panormam adeant. Quin & unico die confecisse totum istud, quod Genuam & Massiliam interjacet, mare, a fide dignis accepi. Verum potuit adjumento esse qui a Genua in Galliam tendentibus favet plerunque æstus, quem licet non magnum hoc loco, libens tamen excluserim, cum sciam æstus beneficio etiam in hoc nostro Thamesi duabus horis triginta passuum millia minutis confici actuariis, & plura etiamnum sicubi æstus sit faventior. Ut itaque comparatio possit institui inter summam Liburnicarum & triremium antiquarum celeritatem, inquirendum est, quantus sit aut fuerit in mari tranquillo ad singulos remorum motus utrarumque progressus.

In hodiernis Liburnicis cum instante portisculo maxime fervet latum ut vocant remigium, ad singulos remorum ductus præterit Liburnica septem remigum juga, sive ut vulgo loquuntur *sette bancate*, id est, septem remigum sedilia. Cum vero remigum juga distent spithamis quinque semis, sive pedibus quatuor & sesquiuncia, clarum est hodiernas Liburnicas ad singulos remorum missus progredi pedes viginti octo & uncias decem semis.

Triremium vero maximus erat progressus cum celeustes vel portisculus indiceret πίτυλον, seu remigium ἐφ' ἕνδεκα κώπαις. Hujus celeusmatis non uno loco apud Grammaticos fit mentio. Desumptum nempe ex illo Aristophanis in *Equitibus*; Αἴρεσθ' αὐτῇ πολὺ τὸ ῥόθιον, παραπέμψατ' ἐφ' ἕνδεκα κώπαις. Cum pitylus ederetur naves dicebantur ῥοθιάζειν. Unde idem Aristophanes in *Babyloniis* apud Suidam; Ναῦς ἔστω ἐκ πιτύλων ῥοθιάζει σώφρονι κόσμῳ. Est vero pitylus sputum seu spuma maris quæ ex vehementi remorum percussione oritur, translate vero pro ipso sono, quem ista facit percussio. Inde est quod in Argo Navi apud Hyginum in *Mytholog.* Hercules & Idas ad pitylum sedisse dicuntur, qui velut robustiores, cæteros in edendo pitylo præirent. Porro ex hoc celeusmate cum portisculus imperaret remigium undecim remorum, apparet quantum in singulis remorum missibus profecerint triremes. Cum enim ex iis quæ jam diximus satis nisi fallor clare colligi possit, in triremium & plurium remorum oblique surgentium ordinibus spatium quod singulos intercederet remos fuerit pedum duorum & unciarum quatuor: hoc quoque conficitur, undecim remorum intervallum, addito etiam spatio quod undecimum & duodecimum remum interjacet, continere pedes viginti quinque & uncias octo. Atqui Liburnicæ, ut diximus, conficiunt pedes viginti octo & uncias decem semis. Tanto ergo Liburnicæ celerius moventur triremibus.

Multum ab hac celeritate absunt naves onerariæ seu rotundæ, quæ vento & solis promoventur velis, quarum maximam celeritatem, si exigas ad celeritatem actuariarum, quæ & velis & remis simul aguntur, invenies eas tertia fere parte tardius moveri. Quotidianis experimentis constat

nullam onerariam vento quantumvis favente tantumdem proficere, quantum actuariæ vel solo remigio. Quin & cessante remigio, solo ventorum beneficio celerius moveri actuarias seu Liburnicas, quam quascunque rotundas seu onerarias naves, & hoc quoque constat. Causa non aliunde petenda, quam ex earum constructione & fabrica, cum certum sit naves longiores semper esse velociores minus longis, si nullum subsit vitium quod earum retardet cursum. Atqui naves, quæ remis aguntur, omisso catastromate, & habita tantum longitudinis ratione ejus partis, quæ infra superficiem maris est depressa, tertia minimum parte longiores sunt onerariis, ita ut quam longitudinis ad longitudinem, eandem quoque celeritatis ad celeritatem habeant rationem.

Nec existimandum onerarias antiquorum pigriores fuisse hodiernis. Si enim exempla diurni earum progressus conferamus cum spatiis quæ nostri sæculi conficiunt onerariæ, æqualia & similia prorsus fuisse inveniemus, dummodo æstum excipias, qui, ut diximus, ad partes vocandus non est, cum sæpe contingat ut in oceano naves vento & æstu fervente plus quam quinquaginta leucas seu ducenta passuum millia diei noctisque conficiant spatio, cum tamen in maribus ubi nullus sit æstus raro sex passuum millia singulis percurrant horis. Quandoquidem vero tam in onerariis quam actuariis experientia docuerit alias aliis velocius moveri, multique causas quamobrem id fiat sedulo admodum inquirere fuerint conati, & ipsi quoque naupegi, si ingenui sint, suam hac in parte palam agnoscant ignorantiam, non erit forsan inutile, nostros quoque hic interponere sensus, & pro captu breviter declarare, quid demum illud sit, quod vel inhibeat, vel acceleret navium cursum. Licet vero plura sint quæ ad velocem navigiorum motum multum conferant, nam & velorum, & mali, & antennarum, & denique saburræ collocatio & dispositio, haud parum ad ταχυπλοΐαν faciunt; prætermissis tamen accessoriis omnibus, solum proræ, puppis, carinæ & inferioris alvei persequemur formam, quatenus hæc omnia efficiunt, ut vel tardius vel celerius moveantur naves.

Primo itaque observandum, quomodo fiat quod cum a quiete incipiat motus omnium corporum, eaque semel mota ex lege naturæ semper debeant accelerari, si nullum aliud occurrat corpus, quod motum vel sistat vel retardet; in navibus tamen contrarium contingat, utpote quæ e portu aut statione solventes, brevi supremum celeritatis suæ gradum acquirant, ad quem cum pervenere, non amplius accelerantur, sed eodem vento & æstu urgente, eandem quoque motus mensuram observant. Hujus rei causam ut habeamus, notandum, naves quando sunt in statione, altius aquam subire, quam cum moventur, & quidem quanto velocius moventur, tanto altius supra aquas exstare. Necessario hoc ipsum contingere, dum obstantes fluctus eluctari conantur, quilibet facile intelligit. Sed vero quanto altius surgunt, tanto quoque vehementius relabi & profundius aquam subire, ac propterea retardari, & hoc quoque necessum est. Hæc retardatio quamvis in omnibus sit conspicua, crebior tamen & manifestior in brevioribus quam longis apparet navigiis. Quanto enim brevior est navis, tanto sæpius mergitur & retardatur, quod secus se habet in longis navibus, quæ prolixiores tractus antequam deprimantur absolvunt. Vel solis id planum fiet oculis, si quis illam, quam cursu suo, quum subinde attollitur & deprimitur prora, persequatur lineam, ista quippe talis est in brevioribus navigiis.

A

At vero in longioribus navigiis hujusmodi lineam describit prora.

Facile hinc conficias propter crebriores in longiori linea proræ depressiones, tardius multo procedere breviores quam longas naves, quæ plures uno eodemque tractu secant undas, cum aliæ ad singulas impingant, attollantur, ac dein deprimantur.


B

Quod autem nonnunquam contingit ut brevioris carinæ naves prævertant longiores, id vel vitio longarum, vel convenienti aliarum tribuendum est fabricæ. Tum vero commodam navis habebit fabricam, si tacite & sine strepitu undas superlabitur. Nam si contingat ut prora vehementer ab undis verberetur, & multas excitet spumas, certum est vel ob hoc ipsum tardius moveri navem, eadem prorsus ratione qua videmus globos ferreos seu plumbeos e tormentis explosos, tanto longius ferri, quanto minori strepitu aerem permeant. Idem in sagittis aliisque projectitiis licet observare corporibus.

C

Ut vero naves molliter undas secent, id præcipue proræ efficit constructio. Si enim illa brevis sit & pene ad perpendiculum assurgat, ita ut recta & adversa fronte excipiat æquor, tarde omnino & pigre movebitur navis. Longa vero prora & oblique mari imminens, celeriorem faciet progressum, & quidem notandum quanto ea fuerit longior, tanto velocius ferri navigium. Si itaque navium proræ ita fuerint conformatæ ut in AB, segniter moventur. Si vero talis fuerit constructio ut in BC, celeriorem habebunt cursum. Celerrimum vero si qualem BD ostendit linea structuram habuerint.

D



E

Plurimum vero confert ad celeritatem ut linea BD non protuberet, sed introrsum vergat; hac enim ratione fiet, ut pauciores prora propellat aquas, & ut obstantes & relabentes undæ non retardent nec valide percutiant navigium, sed placide & sine multa spuma subterlabantur.

Si qua itaque navis, licet brevior sit, istiusmodi habuerit structuram, fieri potest, ut longiores celeritate superet, præsertim si recentis fuerit fabricæ, & alteræ vetustiores. Plerunque enim fieri solet, ut vetustate labefactentur navium carinæ, & ut prora & puppis prius elevatæ, paulatim collabantur & subsidant, ita ut carina a prora ad puppem, in rectam propemodum extendantur lineam.

F

Hoc autem si quando contingit, magnam celeritatis partem amittunt naves; si enim prora & puppis non sint elevatæ, nec inter superficiem aquæ & summitatem proræ justum satis jactationi & oscillationi navis relinquatur spatium, prora nimis alte deprimetur, & non tantum retardabit cursum, sed & ipsum sæpe submerget navigium, cum crebris experimentis constet, naves plurimas & præsertim longas in magnis tempestatibus, prora alte sublata eademque mox relabente aquis obrutas & absorptas periisse. Huic tamen incommodo puto posse succurri, si naves fiant ὀπισθοβαρεῖς, translata nempe ad puppem majori saburræ portione, ut

prora levior facta altius adſurgat, & minus periclitetur navis.


Certum tamen eſt longas iſtiuſmodi proras ut ad velocitatem navium plurimum conferunt, ita quoque firmitati eorum plurimum obeſſe. Experti id jam olim fuere Athenienſes in fatali contra Syracuſanos conflictu. Quippe cum celeritatis & agilitatis præcipuam haberent curam, pleraſque ſuas triremes longis inſtruxerant proris. Breves vero erant Syracuſanorum proræ, & ideo firmiores, & hac ratione confertim pugnando nec aperiendo latera eluſiſſe agilitatem navium Atticarum fuſe ſatis docet Thucydides. Sed cum alia celeritatis, alia vero roboris & ad bellicos uſus aptitudinis ſit ratio, hoc dixiſſe ſufficiat, multorum ſæculorum experientia conſtare, quanto curviores ſint carinæ & quanto longiori ſpatio ſupra aquæ ſuperficiem promineant prora & puppis, majuſque oſcillationi navium relinquatur ſpatium; tanto velocius ferri navigia.

Noſtra tamen tempeſtate non obſervatur hæc regula, ſiquidem ad commodam navigationem utile eſſe exiſtimant, ut puppis profundius aliquanto quam prora deprimatur. Ideo nempe hoc fit, ut gubernaculum tanto fortius ab undis adfligatur, quanto profundius aquas ſubit. Verum ſæpe contingit ut ne ſic quidem gubernaculo obediant naves, & licet obediant, eo ipſo tamen quod naves fiant ὀπισθοβαρεῖς, tardius moventur. Minus patiebantur id incommodi antiquorum navigia, utpote quorum gubernacula vel ad epotidas, vel aliquanto propiora extremæ erant puppi, uti videre eſt in nummis & antiquis monumentis, & quemadmodum in tectis etiamnum fit Liburnicis, quas *Galeaceas* appellant. Quod ſi quatuor eſſent gubernacula, non tamen ſimul iis utebantur, ſed duobus puppi vicinis naves regebantur ſi mare eſſet tranquillum: quod ſi puppis tempeſtate ſurſum & deorſum jactaretur, omiſſis longioribus altioris puppis gubernaculis, iis ſolis utebantur, quæ ad epotidas eſſent, quemadmodum Chabriam feciſſe docet Polyænus.

Quatuor gubernacula quæ in navibus διπρώροις & διπρύμνοις, ſeu ἀμφιπρώροις & ἀμφιπρύμνοις erant, illa huc non faciunt, cum unuſquiſque facile intelligat, ſi prora puppis fiat, & contra puppis vicem præſtet proræ, neceſſario gubernaculorum loca permutari, prout vel ad proram vel puppem moveatur navigium.

Cæterum ſi commodiſſimus gubernaculis eligendus ſit locus, non dubitandum quin is futurus ſit ille, qui remotior aliquanto eſt ab extrema puppi, quam qui nimium huic ſit vicinus. Hodiernæ onerariæ in magnis tempeſtatibus non obſequuntur gubernaculis, ſæpe æſtuum ferventium violentia impingunt in ſcopulos & importuoſa littora, quod tamen rarius fiet, ſi aptiori loco appoſita habuerint gubernacula.

Ut vero cognoſcamus quiſnam collocandis gubernaculis ſit commodiſſimus locus, quærendum ad quam navis partem maximus ſit aquarum allapſus. Illum non fieri ad mediam puppem, ubi vulgo ponuntur gubernacula, id ſic confici poteſt. Cum moventur navigia, propelluntur & ad proram coacervantur aquæ. Illæ vero cumulatæ procedente perpetuo navigio relabuntur in locum ſuum, id eſt, in cavitatem quam navis alveus ſuo efficit tranſitu. Quamvis vero etiam pone & a lateribus ad replendam iſtam cavitatem aquæ accurrant, ut in ſcripto *de motu marium* olim monui mus, a nulla tamen parte majori defluant impetu, quam a prora, ubi eſt maximus aquarum cumulus. Cum vero omnia deſcendentia quamdiu deſcendunt accelerentur, clarum eſt aquas ad utrumque navigii latus a prora puppem verſus delabentes maximam habere celeritatem, non ad mediam puppem, quam aquæ pone effluentes præcipue replent, ſed potius iſtic, ubi incipit curvatura puppis. Sit enim ea parte, qua maris ſuperficie ambitur navis circumferentia, quam πλοῦν ſeu πλέουσαν Græci vocant, iſtiuſmodi, at in ſequenti figura



A ſit prora, B puppis. Aquæ itaque motu navis congeſtæ & coacervatæ ad proram A, primo quidem ſegnius defluunt ad utrumque navis latus CC, deſcenſu vero ipſo augent celeritatem, donec perveniant ad DD, ubi intenſiſſimus eſt aquarum lapſus. Inde repulſæ occurſu aquarum pone relabentium declinant ad EE, ubi demum ſiſtuntur, & locum dant aquis a tergo & utroque latere venientibus. Sed vero conſtat gubernacula non ab inſequentibus, ſed ab affluentibus a prora regi undis, unde planum fit aptius collocari ad DD, quam ad B, quo vix attingunt ſubter labentes undæ, cum ad DD maxima fiat percuſſio & ſufficiens ad regendam totam navem, quæ quanto longior eſt, tanto facilius regitur, & quanto velocius procedit, tanto magis obſequitur gubernaculis, & hinc eſt quod longæ naves facilius & citius convertantur & circumagantur, quam minus longæ, & quod minutæ etiam cymbæ, majori egeant gubernaculo, quam quævis maximæ naves, cum enim non alte aquam ſubeant, nec multas propellant undas, utique etiam imbecillis eſt aquarum relabentium affluxus, quapropter regi vix poſſunt, niſi enorme habeant gubernaculum.

Quod vero dixi etiam mali collocationem nonnihil conferre ad celeritatem navigii, id exinde fit, quod cum malus vectis habeat rationem, ſi is admodum fuerit altus, & ventus ſumma impleat vela, contingat ut nimia fiat oſcillatio, & prora profunde nimium aquas ſubeat. Huic incommodo nonnulli hoc ſæculo a Sinenſibus edocti occurrunt, malum non ad perdendiculum erigendo, ſed efficiendo ut ille nonnihil puppim verſus inclinatus aſſurgat. Verum præter deformitatem aſpectus, inutile quidam exiſtimant hoc commentum. Multo enim commodius inquiunt vitio huic occurritur transferendo ſaburram, qua effici poteſt, ut quodcunque voluerimus navis habeat libramentum. Sed multa ſæpe id ipſum fieri prohibent, & ſæpe interclusus eſt ad ſaburram aditus.

De triremibus, Liburnicis & cauſa celeritatis navium, hactenus dicta ſufficiant. De partibus & appellationibus antiquarum navium & præſertim Græcarum earumque ſtructura & ſymmetria multa dicenda ſuperſunt, ſed ea alteri loco reſervamus, quando & Sericarum ſeu Sinicarum navium rationes & fabricam perſequemur. Ut in cæteris artibus ita quoque in naupegicis gens iſta omnes quam longiſſime poſt ſe relinquit mortales. Si copiam & abundantiam ſpectes, plures apud Seras, quam in toto reliquo terrarum orbe invenias naves. Si molem & magnitudinem quæras, vel in uno flumine centena numeres navigiorum millia majora quibuſvis Gallorum & Venetorum Liburnicis. Elegantiam & pulchritudinem vel inde conjicias, quod intus & foris auro picturata & ſplendidiſſimo Sinico incruſtata ſint glutine. Sive remis, ſive velis agantur, tanta eſt eorum

velocitas, ut nulla cum iis nostri orbis contendant A navigia. Licet ut plurimum unico, eoque arundineo instructa sint velo, majoris tamen illud utilitatis, longeque tutius, felicius & celerius eo navigant; ac fiat illis navibus, quæ tanto velorum instructæ sunt impedimento potius quam apparatu. In erigendo seu dimittendo velo nullus labor, nulla oritur molestia, cum totum sua sponte compositum & complicatum momento descendat, ita ut a perplexis & sibi mutuo implicitis rudentibus & nauticis funibus nullum unquam immineat periculum, cum malo tanquam cardini affixum velum quovis girgillo fit versatilius, & unico fune omnia peragantur. Robore & firmitate structuræ quantum nostri cœli præstent navibus vel inde colligas, B quod non tormentorum tantum ictibus, sed & quibusvis impune resistant tempestatibus, & quidem quod magis vetustescunt, tanto plus acquirunt firmitatis. Ideo nempe hoc accidit, quod cum instaurantur naves, novo integumento novisque tædis totas soleant præcingere, quas deinceps albo bitumine, *galagalam* ipsi vocant, perungunt. Adeo autem sæpe hoc iteratur, ut reperiantur naves quæ sex vel septem habeant præcinctiones, & hac ratione ad aliquot etiam sæculorum eas conservant perennitatem. Ut tam annosam attingant ætatem multum quoque id quod dixi confert bitumen, utpote quod admixto plumbo & scobe ærea eademque quam diutissime macerata & subacta efficiunt ut naves speculi instar reluceant, & nul- C lam fere vel cariem vel putrefactionem sentiant. Ut plurimum tamen in bellicis præsertim navibus, bituminatio hæc sola calce & arvina seu pinguedine perficitur balenarum, quæ compositio brevi arescit, & ferream sub aquis induit duritiem, & omnem prorsus arcet verminationem. Cum autem novæ præcinctiones seu nova fiunt operimenta, abraso veteri novum inducunt bitumen, punctionibus prius crebris veteres perforantes tabulas, ut bitumen firmius hæreat, cui deinceps novam D præcinctionem eadem ratione bituminatam e tenuibus aptant tabulis. Si enim non sint tenues & plures quam quatuor vel quinque fiant præcinctiones, nimio laborant pondere, & segniores ad progressum redduntur naves. Verum & huic incommodo, non tantum ampliatione veli, sed & multis etiam aliis occurrunt modis.

In tractandis quoque remis, longe aliis præstantiores sunt gentibus, cum continua & nunquam interrupta tot millium annorum experientia artes teneant penitus Europæis ignotas. Quædam apud illos naves quantumvis magnæ unico & semper sub aquis latente aguntur remo, & quidem tanta celeritate, ut plura quam centum passuum millia singulis absolvant diebus. Illa vero navigia quæ pluribus instructa sunt remigibus, octogenis puta vel centenis, raro siquidem, nisi in magnis admodum navibus, plures numerantur, licet brevioribus longe, quam vulgo apud Europæos fieri soleat, utantur remis, & singulis remis singuli adstent remiges, nihilo tamen segnius moventur, quam velocissimæ maris Mediterranei cursoriæ, & aliquando velocius. Et tamen nullam interioris alvei partem occupant remiges, cum fori sint extra navem, in quibus & nautæ & qui remos tractant citra vectorum versantur incommodum. Mediam navem occupant atrium, & varia circumcirca cœnacula, cubicula, popinæ, loca histrionibus & symphoniacis destinata, omnia specularibus instructa fenestris, delibuta auro & pulcherrimis undique distincta coloribus, tanta denique & tam multiplici figurarum ornata varietate, ut nulla quantumvis diuturna contemplatio afferat fastidium, & fatigentur prius oculi, quam satientur. Verum non desunt nonnulli, qui utut ingenium, industriam & scientiam Sinis concedant in parandis iis quæ ad voluptates & pacati regiminis utilitatem pertinent; nescire tamen eos inquiunt idoneas bellicis usibus fabricare naves. Sed qui sic sentiunt, committant se cum iis Sinis, qui insulam Formosam Batavis eripuere, aggrediantur si audeant eorum classes. De absentibus & longe dissitis, audacter & confidenter loqui pluribus solemne est: iidem vero si coram fuerint, vix jam quidquam mutire audeant. Batavi quidem, qui apud Indos versantur, quique hujus gentis in præliis navalibus virtutem magno suo cum damno sunt experti, non dubitant licet inviti, navigandi & artium nauticarum peritia Sinas omnibus aliis præponere. Nec aliter sentiunt Lusitani, qui florentibus etiam rebus suis, nunquam tamen classes suas ausi fuere cum Sinensium ut vocant committere Juncis. Illud quoque observandum, in navibus Sinicis, quod quamvis rimosæ fiant & multas admiserint aquas, non tamen merguntur, cum ab homine sedente, & tympanum costis navium appositum calcante, spatio unius horæ plus aquæ extrudatur, quam in nostris navibus etiam complures integro exhauriant die. Verum hæc pluribus alibi persequemur, hæc in antecessum de Sericis seu Sinicis navibus dicta sufficiant.

F I N I S.

JACOBI PHILIPPI TOMASINI,

EPISCOPI ÆMONIENSIS,

DE

DONARIIS

AC

TABELLIS VOTIVIS

LIBER SINGULARIS.

AD

EMINENTISS. PRINCIPEM

FRANCISCUM BARBERINUM,

S. R. E. CARDINALEM ET VICE-CANCELLARIUM.

EMINENTISSIMO PRINCIPI

FRANCISCO BARBERINO, S. R. E. CARDINALI ET VICE-CANCELLARIO,

DOMINO ET PATRONO BENIGNISSIMO.



ETERNI Numinis in genus mortalium beneficentiam inter cætera nihil magis oſtendit, quam hinc inde ſparſa Votorum varietas, quibus illi ſe meritorum non immemor animus paſſim obſtrinxit. Te vero, EMINENTISS. PRINCEPS, ſupra humanam conditionem de Republica Chriſtiana quam optime meritum, ac ſumma in dies promerentem, votis unanimes teſtantur omnes, quos URBANUM VIII. Patruum vere maximum religioſe imitatus rara publici exempli munificentia veluti fœcundo imbre recreas, & quotidie novis beneficiis exornas. Neque enim dignitatis amplitudo quicquam tuo erga literas earumque cultores ſtudio detrahit, aut ſummi honoris apex innatam celſiſſimi animi benignitatem minuit. Ut jure illa ſuavitas oris, illa flexanimæ vis facundiæ, illa placidi vultus gravitate & comitate temperata majeſtas, Te bonarum artium tutelam ac Muſarum præſidium perpetuo aſſerant. Quod igitur mei eſt in tua merita obſequii, exilem argumenti non penitus injucundi Tabellam ſublimi Honoris tui tholo, qua licet animi ſubmiſſione atque hilaritate denuo veteris nec vulgaris beneficii memor appendo. Cujus tenuitati ſi conſueta magnanimitate vires ſuffeceris, Numinis in morem ei animos addes, qui jam dudum ſe tuæ benignitati totum devovit. Salve, ingens Purpuræ decus, & Vale, Princeps Optime, quem ſingulari Dei munere maximum Eccleſiæ ornamentum agnoſcimus.

PATAVII KAL. SEPTEMB. MDCLIV.

E. T. R.

Devotiſſimus Cliens

JAC. PHILIPPUS TOMASINUS,

EPISC. AEMONIENSIS.

JACOBO PHILIPPO TOMASINO OCTAVIUS FERRARIUS,

IN GYMNASIO PATAVINO ARTIS ORATORIÆ PRIMUS INTERPRES,

S. D.

TU vero, Vir Clariſſime, torpentibus fatali inertia ingeniis, pulſiſque prope ac profligatis litteris, evaneſcens hoc decus Italiæ terræ aſſere. Summum olim certamen inter majores noſtros fuit, ne quid profuturum ſæculis diu lateret: nunc prorſus hac laude excidimus, & accuſatores antiquitatis bonis quoque literis inſultamus, ac veluti Grammaticorum ſordes ac purgamenta cum ſupercilio deſpicimus. Tu contra adniſus ſemper es, Vir Optime, & inſertis voluminum tuorum fœcunditati tot Virorum Illuſtrium non nominibus tantum, ſed & imaginibus, memoriam eorum ac figuras intercidere non es paſſus, ipſe quoque inter exempla futurus. Vale plurimum, & Salve.

PATAVII X. KAL. OCTOBRIS *MDCXXXVIII.*

V. C.

JAC. PHILPPO TOMASINO.

DONA Deum, TOMASINE, tuis quæ condita scriptis
Sacrilegas furum non timuere manus,
Non ullos metuunt casus, nec tela, nec ignes;
Nec tandem fera diripienda die,
Ingenii monumenta tui, sacra munera, spernunt
Fortunæ ac longi temporis invidiam.

J. BAPT. VERUS
J. V. D.

EIDEM.

HIC speculum Veneri, Phœbo fert ille pharetram;
Arma suo Marti Martia turba vovet:
Dat Victor spolia ampla Jovi, peplumque Minervæ
Reddit pro salvo nupta puella viro,
Agricolæ Cereri calathos, & pocula Baccho,
Uvida Neptuno lintea nauta dicat,
Argenti pateras confert, aurique talenta
Dives; inops grata vilia serta manu.
Templorum suspensa tholis tot dona Deorum
Munere restituis dum, TOMASINE, tuo;
B Æternis monumenta refers victura tabellis,
Æternus per te stat pietatis honos.
Docta sed hæc inter clarissima stemmata debet
Esse Palatino sacra tabella Deo.

MATTHÆUS VAYRA
Phil. & Med. Doct.

INDEX CAPITUM.

JACOBI PHILIPPI TOMASINI,

EPISCOPI ÆMONIENSIS,

DE

DONARIIS

AC

TABELLIS VOTIVIS

LIBER SINGULARIS.

AD

EMINENTISS. PRINCIPEM

FRANCISCUM BARBERINUM,

S. R. E. CARDINALEM ET VICE-CANCELLARIUM.

CAP. I.

OCCASIO OPERIS, ET NOMINIS RATIO.



THENAS Patavinas noctibus productioribus vix ad metam perduxeramus, animum mox subiit affinis ei labor novus circa Petri Aponensis Natales, & vitæ studia. Itaque concessimus in vicinum Urbis Patavinæ Aponum: ac ne quidquam nos effugeret, sese prompti viæ comites dabant Amici e multis Naturæ, & Antiquitatum peritis selecti, Jo. Weslingius Sacræ Militiæ dignitate equestri decoratus, atque in Patavino Gymnasio Anatomes Professor primarius, eique ex literis politioribus, quibus ille egregie instructus, grati admodum Gabriel Naudæus, Eminentiss. Cardinali JOAN. FRANCISCO ex Comitibus Guidiis a Balneo eo maxime nomine inter domesticos probatus, nostræque, ob antiquam fidem morumque facilitatem, necessitudinis ornamentum Jo. Rhodius. Singula attentius dum perlustramus, in conspectum venit Colliculus undique aquarum calentium venis fotus, cujus in cacumine fons non exiguus erumpens insigni fervore varie spargitur, partim in publicum solium magno laborantibus, qui undique accurrunt, auxilio, partim in ædes, quæ ab uno latere circumstant balneis privato urbanorum usui exstructæ: reliquum ea copia per alveum illabitur, ut ejus vi insignis magnitudinis mola perpetuo rotetur, cujus situm graphice expressit Claudianus:

Alto colle minor, parvis erectior arvis
Conspicuo clivus, molliter orbe tumet.

Relictis Thermis, Montem Ortonem per prata amœna, floribus undequaque consita, nullis obsita arboribus, petimus, prospectum montium virentium mire allecti. Ad montis radicem Templum magnifice exstructum Deiparæ Virgini sacrum præcipuo fidelium cultu celebratur. Ejus Iconem ante hoc fanum divinitus, ut fertur, olim in eligendo fonte inventam Cives Patavini summa veneratione crebriores frequentant: cujus Historiam alibi dabimus. Summum sacræ Ædis fastigium contemplati protinus introgredimur,

C *Hic omnis Templi paries, postesque sacrati*
Undique picturis fulgentes, undique signis:
Quæ suspensa tholo, variis e partibus orbis
VOTORUM posuere rei, DONARIA monstrat.

Adeo nimirum, Tabellæ Votivæ, Vestes, Enses, Scuta, Galeæ, Vexilla, ingentia Cetorum ossa, Carmina, diversorum Imagines, ac Statuæ undique in oculos incurrebant, quæ de more piorum fidelium diversis e locis huc adferuntur. Varia ex eo mentem subiit cogitatio. Unde obortus inter Nos de DONARIIS sermo. Quæ nempe, & qualia D fuerint ea? Numquid apud Veteres horum fuerit in Templis usus? Isne omni sectæ communis? Omni etiam tempori? Pulcherrima sane ab istis variæ eruditionis Viris tunc in medium prolata mihi in Urbem ad Musas reverso uberiorem de ea re a paucis ex professo memoriæ prodita investigationem excitarunt.

Profecto si rem ex fonte derivemus, populum Dei electum Jehovæ ex præcepto DONARIA obtulisse constat, *Deut.* cap. XII. vers. 6. *Offeretis in loco holocausta, & victimas vestras, decimas, & primitias manuum vestrarum, & vota, atque DONARIA.* Quod obsequentissime factum patet, E *Exod.* XXXV. vers. 29. *Omnes viri, & mulieres mente devota obtulerunt DONARIA, ut fierent opera, quæ jusserat Dominus per manum Moysis.* Mitto innumera in hanc rem sacri Codicis loca. Tabulas tamen depictas, quemadmodum & ceteras Imagines, Hebræis veteri mandato fuisse vetitas affirmavit mihi suæ Legis, & Antiquitatum Hebraicarum nostra ætate peritissimus Leo Mutinensis Rabbinus Venetus, qui addidit Judæos Orientales hujus ritus hodieque esse observantiores: quanquam & alia forsan subesse posset ratio, quod iis Imperio Othomannico subjectis id minime sit liberum: veluti apud Petrum Gyllium *Topographiæ Constant.* F lib. II. cap. XIII. videre est, qui ait Turcas acerrimos statuarum hostes.

DONARIA autem varia erant, eaque cunctis nationibus communia. Unde priscis proculdubio solemne erat, ingenti periculo, metu, vel labore pressis vota Diis suis Præsidibus nuncupare; quæ postmodum periculo illo, metu, vel labore defuncti solvere dicebantur, cum in eorum Templis, aut alibi Dona, Tabulasque Votivas suspendebant; quo scilicet insigne aliquod, tum suarum

miseriarum, tum grati erga servatores Deos animi monumentum ederent. Solos tamen Pythagoricos a supplicationibus abstinuisse, auctor est Jamblicus in *Vita Pythagoræ*. Providentiæ forsan divinæ fiducia, cujus imperio hæc inferiora geruntur. Quis enim viros sapientissimos a numinis cultu alienos fuisse credit? Placet hic Rom. Stoici illud *de Benef.* lib. IV. c. XXV. *Deos Vota nostra non exorant, sed monent*. Ea vero consuetudo qua occasione ad posteros potissimum fuerit deducta, ipsa luce meridiana clarius ostendit Horatius Od. V. lib. I. *ad Pyrrham*.

—— me tabula sacer
Votiva paries indicat uvida
Suspendisse potenti
Vestimenta maris Deo.

Qui enim naufragium fecerant, sui discriminis speciem in tabula exhibebant, eamque e pariete Templi suspensam una cum vestimentis, in quibus servati fuissent, Neptuno maris arbitro consecrare solebant. Eodemque more nostris nihil familiarius, nisi quod nostro ævo Divis Tutelaribus, vel Deiparæ, vel alii e cælitum numero cuipiam, is honor habeatur, quem illi fictis Numinibus impie deferebant. *Ea quippe licentia* (ut Cardinalis Baronii verbis utar) *Annalium Eccl.* ad An. XLIV. cap. LXXII.) *quæ Deorum delubra in Ecclesias Christianorum sunt laudabiliter commutata, alii quoque ritus a nobis benedictionibus expiati divino sunt cultui consecrati*. Ac licet nihil frequentius esset ea adulatione, qua infinitis titulis altaria Principibus olim erigebantur, eæ tamen Veteribus causæ fuerunt magis religiosæ, quæ Diis Votum in periculis conceptum urgebant. Poeta igitur amorem Pyrrhæ expertus, cum parum lætos, neque secundos successus habuisset, ut allegorice naufragium iis quidem se fecisse ostenderet, perspecta Pyrrhæ inconstantia, levitateque ad eundem scopulum navium suam non amplius appulsuram, scripsit. Hanc ejus mentem statuit Dionysius Lambinus, quo nemo apertius morem istum nobis ob oculos posuit. Ampliorem Donariorum usum ostendit S. Maximus *de Charitate* Centuria III. cap. VII. *A nobis offerri Deo Donaria sermo divinus præcepit, ut infinitam divinæ bonitatis copiam repræsentet, dum suscipit a nobis munera tanquam dona gratuita*.

Eaque prout res tulit & occasio, nunc publici, nunc privati Voti causa offerebantur. De quibus suo loco uberius. Atque ut hoc moneam, vocabantur *Tabellæ* hujusmodi *Votivæ*, sive quod votæ essent, aut ex voto suspensæ, sive quod depicta hominum Vota continerent: sicuti *votivas preces* appellamus, quibus aliquid cum voto poscimus. Quo modo Tibullus *lib. I. eleg.* III.

Ut mea votivas persolvens Delia voces
Ante sacras lino tecta fores sedeat.

Votivam quoque *Victimam* cum Venusiano *Epist.* lib. I. quæ per Votum est sacrificio destinata:

Pascitur in vestrum reditum votiva Juvenca.

Votivam pariter *Coronam* voto Diis immortalibus constitutam discimus ex Vitruvio *l.* VIII. *Hiero rebus bene gestis cum auream Coronam votivam Diis immortalibus quodam in fano constituisset*, &c. Cætera item *Votiva* dicuntur, quæ ex voto suscipiuntur, vel pro eo quod barbare dicitur *ad bene placitum*, hoc est, quæ pro voto & voluntate, vel voluntarie fiunt. Unde *Legationem Votivam*, & *Ludos Votivos* apud Ciceronem, aliosque legas. Sic Gallus erudite in Elegia: *Votivum vulnus* dixit. Seu & *Votivam rem* notare admodum gratam & jucundam, quæque votis fuerit petenda, *ad Trebellium pollionem* observavit hodie Criticorum Phœnix CLAUDIUS SALMASIUS, dignis-

A simus magni Scaligeri in Atheneo Belgico successor. Qualiter Propertius *lib.* II. *eleg.* XXIIX.

Votivas noctes & mihi solve decem.

Cynthia enim decem noctes puras Isidi pervigilarat. Unde Poeta tanquam ex penso spurcas totidem reposcit; quemadmodum Janus Meller. Palmerius erudite in *Spicileg.* notavit. *Munera* quoque ibidem vocasse videtur per Metonymiam Adjuncti,

Munera Dianæ debita redde choros.

Quo sensu audiendus *Carmine* LXV. Catullus:

Non ingrata tamen frustra munuscula Divis
Promittens tacito suspendit vota labello.

B Et *Carmine* LXVII.

Pristina Vota novo munere dissolvo.

Parum igitur firma quorumdam non infimæ notæ Grammaticorum distinctio, qui Munera hominum, Dona Deorum tradunt. Vellem isti antelignanum suum Nonium Marcellum paulo diligentius inspexissent, cujus hæc verba: *Dona consuetudine hæc habentur, quæ aut propitiandis Diis dantur, aut hominibus pro beneficiis redduntur*.

Votiva etiam *vocabula* D. Hieronymus scribit ea nomina, quæ boni ominis causa servi præsertim sumebant. Itemque *Votivæ* aures appellantur, quæ

C cupiunt aliquid audire. Plautus in *Casina Prolem.* vers. 29.

Aures votivæ si sunt, animum advortite.

Vota etiam DONARIA dicebantur, licet hac voce Cornelius, Servius Honoratus, Isidorus *lib.* XV. *cap.* V. & alii Grammatici interpretati sint locum, in quo dona reponuntur. Quos secutus in *Lexico Juris* Pandulphus Prateius: *Donum*, inquit, *quod Diis datur: inde ubi dona ponuntur, Donarium appellatur*. Servio itaque in XII. *Æn.* ceterisque ejus ordinis magistris modo laudatis parum æquus circa hujus vocis acceptionem Laurentius Valla *Elegant.* lib. I. c. VI. cum non modo Gellius probæ

D notæ literator *lib.* II. *cap.* X. hac appellatione locum significari ostendat; sed & Poetarum Latinorum optimus ejusdem sit animi III. *Georg.* v. 531.

Tempore non alio, dicunt regionibus illis
Quæsitas ad sacra boves Junonis, & uris
Imparibus ductos alta ad donaria currus.

Negare tamen non possum, quin ea potissimum sint DONARIA, quæ vel usibus sacris conveniunt, vel ornamento, & honori Divorum in Templis locantur. Qualia ἀναθήματα apud Herodotum in *Clio*; itemque in *Tabula Cebetis*, Polluci *lib.* I. *cap.* I. Pausaniæ passim, & aliis alibi, maximeque Græcorum Epigrammatum auctoribus *Anthologiæ*

E lib. VI (ubi cap. I. epigram. IV. cap. VIII. epigr. V. & VI. pro ἀναθήματα metri gratia per Syncopen ἄνθεμα) ἀπὸ τοῦ ἀναθεῖναι, ἀνάθεμα, hoc est, *a seponendo*, sive *suspendendo*, id nominis obtinuerunt, quod parietibus affigi solerent: licet alii distinctione satis subtili opinentur ἀνάθημα, quod ab Ecclesia Dei separatum; ἀνάθεμα vero, donum suspensum. Eaque publica, vel privata. Unde Artemidorus *Oneirocritic.* cap. Κοινὰ πόλεως ἀναθήματα, *communia Urbis* DONARIA publicis operibus accenset. In quem sensum Justinianus Imperator: DONARIA, inquit, *sunt ea, quæ ad ministeria Dei dedicata sunt*. Qualiter Corippus *lib.* IV.

F *num* II.

Et sua placandis nectunt Donaria Diis.

Et multis retro sæculis Lucanus *lib.* IV. vers. 517.

Non illic Libycæ posuerunt ditia gentes
Templa, nec Eois splendent Donaria gemmis.

Acron pariter, seu quisquis ille auctor, ex Porphyrione *ad laudatum Horatii locum*; Achilles Statius, (seu quemadmodum post Photium in *Bibliotheca* cum Gaspare Barthio in *Adversariis* censuit Leo Allatius amicus noster in *Dissert.*

Rhet. de Error. Magn. Virorum p. 93. Tatius) *de* A *Clitophontis, & Leucippes amoribus* l. I. in limine: *Cum in Deorum templis munera tholis suspensa contemplarer, tabulam animadverti pictam, terram, ac mare, nec non Europæ fabulam continentem.* Aurel. Cassiod. l. IX. *Variarum Epistolarum* XV. Manilius, Appianus, Herodianus, Etymologici magni Auctor, Harpocration, & hujus classis alii; Marcianus Capella *l.* I. Phalaris Agrigentinus *epist.* LXXXIV. apud quos DONARIA sunt *Votivæ* quædam *Tabellæ* accepti beneficii in memoriam appensæ; sicuti *Dona* sunt quæcunque usibus Ecclesiæ conferuntur, ex Tertulliano *Apolog.* c. XXVI. *Verum victimis templum donis gentem fœderibus bono-* B *rastis.* Quod nomen retinuerunt, quamdiu non profanabantur, ut ex Servio *ad* III. *Æn.* observavit Barnab. Brissonius *de Formul.* l. I. Quomodo Romulus Amasæus Anathemata apud Pausaniam ubique explicat. Quæ Julius Firmicus, libro *de Errore profanæ Religionis*, *Donaria* vocat. Et Suidæ Interpres de Simulacro Martis, quod in Arabia colitur, verba faciens: *Domus*, inquit, *tota est aurata, & Donaria multa.* Quam rationem etiam Hier. Volfius apud Suidam secutus. Anathemata vero ex Pythagoræ sententia Stobæi expositor *Oblationes, & impensas* vertit. Omnium C optime apud Porphyrium *de Abst.* l. II. Franciscus de Fogeroles vir sane eruditus *Votiva Donaria* reddidit: Strictius Plutarch. *de* EI, Ἀναθήματα ἱερὰ, Xylandro interprete, *Donaria sacra.*

Hæc ipsa etiam Munera appellat Justinus de Delphico templo *l.* XXIV. *Multa, & opulenta ibi Regum, populorumque visuntur munera, quæque magnificentia sui reddentium vota gratam voluntatem, & Deorum responsa manifestant.* Minucius Felix tamen videtur distinxisse, dum ait: *Omitto vetera, quæ multa sunt, & de Deorum natalibus, donis, muneribus.* Ad horum finem, & usum D non male Phalaris Agrigentinus loco pridem nominato hæc appellat χαριστήρια τῆς σωτηρίας, hoc est, *Munera pro gratiarum actione ob recuperatam salutem.* In veteri etiam Glossario est: *Donum*, δῶρον. χάρισμα. ἀνάθημα. χαριστήριον.

Donarium tamen pro Dote usurpari reliquit Alciatus *Parerg.* l. IV. c. XIII. Spolia etiam fuisse dicta *Donaria*, notat Cl. Vir Josephus Laurentius magni Lipsii discipulus *Polymathiæ* l. V. dissert. XX Huc spectat illud Symmachi *l.* VIII. *Epist.* XXVI. *ut in honore Numinum fieri solet, litationi addo Donarium.* Quodnam vero id fuerit, tradidit idem *l.* X. *epist.* XXXV. *Merito vobis solemnes pateras cum* E *quinis solidis, ut Numinibus integritatis offerimus.* In quem locum erudite observavit Philippus Pareus, Gentiles suorum Deorum honori pateras consecrasse, divinitatisque symbolo in veteribus quoque numis Deorum effigies sculptas, dextera pateram gestantes. Quo facit illud Plinii *l.* XXXIV. *cap.* VIII. *Simulachrum Boni eventus dextera pateram; sinistra spicam, ac papaver tenens.* Quem locum insigniter illustrat geminum ex ære signum apud Cl. Juris Professorem, variæque antiquitatis peritissimum, Joan. Galvanum patriæ nostræ, & Gymnasii decus, nostrique laboris fautorem; quorum unum Genii, dextera pateram, sinistra cor- F nu copiæ ferens; alterum Vestalis, haut dubiæ benignitatis argumento, pariter dextra pateram porrigens.

Minime vero tritum est, quod etiam hujus classis sit Θεωρία apud Platonem in *Phædone.* Quæ vox etiamsi a nonnullis vertatur *Spectaculum*, rectius tamen eo sensu DONARIUM interpretamur. Neque hic præteriverim quod *Antiquitatum Convivalium* lib. I. cap. XX. literis tradidit Stuchius: Convivia a populo in novi magistratus honorem apud Helvetios instituta ipsorum lingua idem significare, quod Latinis DONA, sive DONARIA. Hospitibus quoque advenis alicujus conditionis Magistratus in Helvetia passim vinum mittit. Quod in superiori quoque Germania fieri accepimus. Muretus *Var. Lect.* lib. XII. cap. V. *Vinum honorarium* dixit. Consuetudinem hanc non usque recentem esse patet ex Lexico Græco-Lat. veteri apud Glossarium vetus: ubi Ξένιον, τὸ δῶρον τὸ πεμπόμενον ξενίῳ. Metaphorice tandem DONARIA ingentis pretii, resque sumptuosissimas significasse patet apud Clementem Alexandrinum, dum l. II. *Pædag.* c. XI. sui ævi luxum taxat: *Vere turpia sunt illa sandalia, in quibus sunt aurea velut Donaria.*

His itaque sic præmissis, mea sententia tanquam genus commune, DONARIUM est; quicquid vel ex Voti obligatione, vel ex liberalitate Diis offerebatur. Cujus speciem frequentius constituunt TABELLÆ, quæ semper cum voto in Templis suspendebantur. In his nimirum supplices sortem suam; milites pugnas, & campos cruore sparsos; ægroti imaginem suam, partemque affectam; naufragi vestes madidas, tempestates, ventorum rabiem, quassatas rates, noctes & hiemes exprimebant. Donariis etiam nomen Donantis, & Dei cui daretur ascriptum fuit. Inde Plautus in *Rudente* Act. II. Sc. V.

Ut comprehendar cum sacra urna Venerea.
Nam hæc literata est, ea ipsa cantat quæ sit.

Sed ne quis verborum ambiguitate in ipso limine offendatur, antequam ulterius progrediar, præmonuisse velim, *Præire Votum* apud Veteres fuisse idem, quod solemni formula dictando Votum proferre. Disertim id tradit Plinius *l.* XXVIII. *c.* II. *Vidimus certis precationibus obsecrasse summos magistratus, & ne quid verborum prætereatur, aut præposterum dicatur, de scripto præire aliquem, rursusque alium custodem dari, qui attendat, alium vero præponi, qui faveri linguis jubeat.* Eodemque fere sensu a Poetis, & Oratoribus probatis accipi, VOVERE, *Vota concipere, facere, effundere, emittere, nuncupare.* Inter quæ postremum hoc omnium apud Veteres solennissimum fuisse patet ex Festo, apud quem *Vota nuncupata dicuntur, quæ Consules, Prætores, cum in provinciam proficiscuntur, faciunt: ea in tabulas præsentibus multis referuntur.* Testis Livius noster *l.* XXXV. *Ludos Jovi Donumque vovere Consulem, cui provincia Macedonia evenisset, Senatus jussit.* Apud eundem etiam sæpius legitur: *Consules paludati Votis nuncupatis in provincias profecti.* Votorum quippe nuncupatio erat, quæ peculiari ritu, tam a Proconf. quam a Conf. priscis in provinciam profecturis fiebat in Capitolio palam cum Voto vel Ludorum, vel Templorum, vel Congiarii, si salvi reverterentur; eaque Vota illis absentibus in Tabulas relata, ab eventu *Nominata*, & *Testificata* dicebantur. Quo etiam modo accipiebantur, *Vota suscipere, promittere, polliceri*, ac *destinare, assuescere votis*, itemque *Votis se obligare*, & *Votis necti*, ac *teneri*, id est, *Voti reum esse.* Voti autem reus dicebatur is, qui suscepto voto se Numinibus obligaverat; quod cum esset assecutus Voti compos dicebatur, itemque *Damnatus Voti*, vel *Voto*, id est, astrictus, & obligatus ad persolvendum Votum. His suffragatur Servius *in Virg. Ecl.* I.

Ut Baccho, Cererique tibi sic vota quotannis
Agricolæ facient, damnabis tu quoque Votis.

Quum tu, (inquit) *Deus præstare aliqua hominibus cœperis, obnoxios tibi eos facies ad vota solvenda: quæ antequam solvantur, obligatos & quasi*

A *damnatos homines retinent*. Cui etiam in Virg. *Æn.* v.

Vobis lætus ego hoc candentem in littore Taurum
Constituam ante aras Voti reus.

Voti Reus, id est, *debitor*; & *vota solventes*, *absolutos* dicimus. In quem etiam locum longe prius Macrobius *l.* III. *c.* II. *Satur.* ait: *Hæc vox propria sacrorum est, ut reus vocetur, qui suscepto voto se Numinibus obligat; Damnatus autem qui promissa vota non solvit.* Quamobrem non omnino probanda videtur Alexandri ab Alexandro sententia, qui *Genialium Dierum* l. III. c. XXII. *Consules*, inquit, *designatos ipsa die initi Magistratus in bellum profecturos*, B *concionem ad populum habere, Capitolium adire, ibique sacrificio perfecto vota effundere solere: tunc suscepto emissoque voto, cum se numinibus obligarent, rei voti appellati: cum autem voti compotes promissa exsolvissent, damnati voti dicti sunt.* Quibus verbis etiam adversatur doctissimus Tiraquellus *in hunc ipsum locum*.

Hinc natæ sunt hujusmodi sermonis formulæ: *Vota reddere, solvere, dissolvere, persolvere, exequi vota, liberari voti*, vel *voto*. Item *Votum ratum*, cum is, qui voti damnatus, sese exsolvit.

Atque inter has nonnullæ in Veterum monumentis certis duntaxat characteribus designantur. C Nimirum,

V. P. Votum posuit.
V. S. Votum solvit.
V. M. M. Votum merito Minervæ.
V. S. L. M. Votum solvit libens merito: vel, Voto soluto libero munere: vel, Voto solemni libero munere.
V. S. C. Voti sui compotes.
V. S. L. P. Votum solverunt loco privato.
V. S. P. L. L. M. Voto suscepto posuit libens lubens merito.
V. S. S. L. M. Votum susceptum solverent libentes merito.
D V. S. S. L. S. D. EX PRIM. Votum susceptum solverunt libentes Sacerdotes Deæ ex primis.
V. S. L. L. M. invenio apud Volf. Lazium l. II. cap. VI. *Com. Reip. Rom.* qui ita explicat: Votum solvit, locum legit memoriæ. Compotes autem Voti tabellas solvebant, id est, lacerabant, Diisque reddebant quæ promiserant, ut notavit Jac. Rutgersius *Var. Lect.* lib. v. cap. v.

Veteres etiam, quod a nemine hactenus observatum deprehendo, quodque uni Grutero in tam immenso *Inscriptionum* numero semel duntaxat occurrit, simpliciter hoc sensu usurpasse verbum E *dandi*, videre licuit Patavii M DC XXXVII. die XII. Maii, cum reficeretur collapsum apud Moniales S. Bartholomæi Templum; ubi columnæ lateritiæ Occidentem versus ad januam, qua in Cœnobium itur, subjecta fundamenti loco stylobata e vivo lapide quadrata, quinque spithamas longa, & duas cum semisse alta, aliunde, ut ex inverso situ apparebat, eo olim advecta: in cujus plintho prope strias hæc legebantur:

P. MULVIUS CILO DEDIT

Mulvius quis fuerit parum refert: nomen certe Romanum est. Quod ostendit adhuc Patavii apud F Contarenos vetus saxum, in quo,

MARCUS MULVIUS COMMODUS

Romæ quoque esse notavit Gruterus,

QUINTUS MULVIUS PLACIDIANUS

Isque CILO, id est, capite acuminato, a corporis forte vitio, ut Cicero, Pansa, Plautus, Scaurus, Varo, nominatus fuit. Festo namque auctore, *Cilo dicitur, cui frons est eminentior, ac dextra sinistraque velut rescissa videtur.* Qualem aliquando fuisse Flaminium ex numo argenteo videre est, quæ sic se habet:

C. FLAMINIUS CILO

Item ex Epigrammate Romæ in horto Conservatorum in Capitolio:

SVME. LIBENS. SIMVLACRA
TVIS. QVAE. MVNERA. CILO
ARIS. VRBANVS. DEDICAT
IPSE. SACRIS

Lapidem vero statuam sustinuisse ostendit ejus proportio, & fuisse Donarium ex ipsa inscriptione clarum est. Cujus rei judicium debeo Carolo Avantio Phil. & Medico curiosi ingenii Viro mihi amicissimo, cui eo libentius testes mihi addo Joan. Baptistam Verum, qui nuper universam *Venetorum Historiam* Latine in Breviarium contraxit, & Gulielmum Sohierum Virum Cl. quod monumentum hoc paucis admodum visum confestim exigente operis necessitate terra fuerit obtectum. Progredientibus hic operis postridie sub alia columna directo apparuit saxum aliud ejusdem magnitudinis cum hac Inscriptione:

SEX. POMPEIUS
SEX. F
DEDIT

Quod pariter occultatum ad uberiorem hujus significationis confirmationem libenter addimus.

Cum vero VOTA raro solverentur sine sacris, inde factum, quod passim in Veterum monumentis *dicare*, *dedicare*, *sacrare*, *consecrare* usu æquivalentia occurrunt.

CAP. II.

DE DONARIORUM MATERIA.

Cum igitur jam satis perspecta sit Donariorum ratio, superest ut ipsorum materiam investigemus. Eam quidem sumptibus honorabilibus fieri præcepit in *magnis Moralibus* Peripateticorum Princeps, Plato tamen sapientissime legibus moderata a moderatis hominibus exegit. Etsi vero de horum materia nihil certi constitui possit, cum procul dubio eam fortuna, & conditio mortalium variaverit, verisimile tamen est, ea magna ex parte fuisse testacea, quemadmodum hodie apud plebejos cerea. Quod persuadet ingens eorum numerus, quæ nostra memoria conspiciuntur effossa Nemi in fundo nobilium Marchionum Frangipanorum, atque ex Prænestinis, ubi olim Fortunæ Templum erat, vel etiam figlina, qualem Romæ fuisse, ubi libri, & sigilla venibant, tradit Turnebus in *Adversariis* l. XXIII. c. XXVIII. cujusmodi etiam quippiam de Murteto, loco Veneris cultu celebrato, scribit Julianus Aurelius *de Cognom. Deorum* l. II. c. IV. De Templo Dianæ Nemorensis copiose ac erudite ad Nos perscripsit V. C. Joannes Argolus; cujus hic integram damus Epistolam.

JACOBO PHILIPPO TOMASINO
SUO, V. CLARISSIMO

JOH. ARGOLUS

SALUTEM.

CUM *audirem*, TOMASINE, *Vir Clarissime*, *dudum Te* de sacris antiquorum Donariis *Libellum concinnare*, *cogitavi statim amice atq; lubenter, quo pacto Mercurii istius tui cumulo lapis meus accederet. At quia eruta e libris pauca habebam, quæ Te fugerent; non enim absq; turpi jactantia id foret; de Veterum monumentis quædam observata nuper, mittere decrevi. Cum enim Cardinalis* LÆLIUS BISCIA *Mecœnas meus, & literarum accerrimus, in Cynthiano prope Nemus Aricinum aliquandiu rusticaretur, donaretur præterea a Mario,*

Mario, ac Pompejo Frangipanis Marchionibus oppidi Dominis Xeniolis, hoc est, repertis ibi simulacris quibusdam, quæ VOTA *priscorum repræsentant;* A *imperavit mihi Princeps Eminentissimus, ut enarratas imagunculas, miltoq; sinopica delineatas, Tibi transmitti curarem: quod en facio, transmittoque.*



Nemorensi siquidem in oppido, quod Frangipanorum sub ditione familiæ est multa per sæcula excellentissimæ, cum hi Marchiones, ut sunt bonarum literarum, & antiquitatis perscrutatores, vetusta rudera si quid inveniretur, juberent tentari; ecce templum illud scilicet, de quo tot Auctores loquuntur, Dianæ Aricinæ prope lacum, quem Speculum ejusdem Deæ nuncuparunt, recluditur, passimque una sigilla figlina, passim statuæ inveniuntur, injuria temporis laceræ aliæ, aliæ minus læsæ, certe optimo lapide omnes, meliori manu; denique simulacrum Numinis ipsum, venatorio habitu succinctum, mutilum tamen, mancumque, & quod deterius est capite ancisum. Reperta Deæ statua quamvis non ipsa Orestis, sed recentior altera, Templi certitudinem fecit. Quamobrem cum observassem structuræ ordinem ejusdem ædis appellari apud Vitruvium Thuscanicum, Andreæ Sacchi persuasi Viro in Architectura & Pictura celeberrimo, nec non Francisco Quesnoyo Flandro eximiæ in sculptura experientiæ, ut rem examinarent, qui tamen confusos ordines potius, cum Corinthium sit ut plurimum non sine Dorico, observarunt; nec ita tamen, ut esse eum non pro certissimo habeam, quandoquidem neque ipse Vitruvius, si recte consulatur, simplex, aut purum fuisse Thuscanicum istud opus l. IV. *c.* VII. *suæ* Architecturæ *declarat. Adde, quod eisdem pene locis est, quibus Strabo, cæterique demonstrant, cum passim alia ædificiorum fundamenta seorsum appareant, nec ibi Nemus erat quondam, sed paulo longius, quæ ego L. Cæsaris, Juliiq; ejusdem nominis, & aliorum Principum Villas fuisse censeo, de quibus extat apud auctores mentio; Cum perinde ille amœno Frangipanorum secessu, seu Prætorio mavis novo opere obscurentur, substructo quidem ibi Palatio magnificis sane, ac* E *potentissimis Regibus apto. Quæ vero prope simulacrum reperta est basis, hisce literis notabatur:*

DIANAE
NEMORENSI. VESTAE
SACRVM. DICT
IMP. NERVAE. TRAIANO. AVG
GERMANICO. III. COS. PRAEF
EIVS. T. VOLTEDIO. MAMILIANO
QVESTORIB
L. CAECILIO. VRSO. II. M. LVCRETIO
F SABINO. II. AEDILIB. Q. VIBENNA. QVIETO
TIB. CLAVDIO. MAGNO
P. CORNELIVS. TROPHIMVS. PISTOR
ROMANIENSIS. EX. REG. XIIII. IDEM. CVR
VICI. QVADRATI. ET LANIA. C. F. THYO-
NOE. CONIVX
EIVS. VOTVM. LIBENS. SOLVERVNT

A *Capita, quæ hic mulierum vides corollis redimita, puellarum sunt, quæ ab Aricia accensis faculis ad Artemisium, hoc est, ad Nemus, Deæ pompam celebrantes procedebant. Quod Ovidius palam lib.* Fast. IV. *declarat.*

Sæpe potens votis frontem redimita corollis
Fœmina lucentes portat ab urbe faces.

Atque κατ' ἐξοχὴν *Urbem appellavit Ariciam ad honorem Regnantis Augusti, cujus mater Aricina fuerat. Hinc propter Virgilius & ipse Ariciam nuncupat* VII. Æneid. *si Servio credimus. Ea quidem Pompa Virginum tantummodo, & Puellarum, sed per licentiam ceteræ etiam farinæ mulieres recipiebat. Sane Cynthia Propertii intra* B *scorti famam murmur turbæ sibi provocabat:*

Cum videt accensis devotam currere tædis
In Nemus, & Triviæ lumina ferre Deæ.

Quæ faculæ inter spicatos fasciculos mediæ lucebant. Gratius vetustissimus Poeta:

Spicatasque faces sacrum ad Nemorale Dianæ
Sistimus.

Moremque ex fasce illo deductum arbitrarer, in quo simulachrum Dianæ involutum Orestes in Aricinum Nemus invexit, ut Hyginus meminit in Hippolyto. *Nam etsi* Facelinam Dianam *dictam hanc nostram putem,* Fascelem *etiam nuncupatam fuisse non dubitarim. Primum sane Lucillius probat, Siliusque:* C *hic* Sat. III.

Et Facelinæ templa Dianæ.

Iste lib. XIII.

Sedes Facelina Dianæ.

Alterum ex Hygini sententia ita Servius: Simulachrum sustulit, absconditumque fasce lignorum, unde & FASCELLIS dicitur, non tantum a fasce, cum qua pingitur, propter quod & Lucifera dicitur, in Ariciam detulit. *Lucifera autem Luna, quæ & Diana est. Cic.* de Natura Deor. *l.* II Dianam, & Lucinam eandem esse putant; Luna a lucendo nominata est. Eadem est enim Lucina, D ita ut apud Græcos Dianam, eamque Luciferam, sic apud nos Dianam Lucinam in pariendo invocant. *Vetus Inscriptio.*

SEX IVVEN. SVAVIS. DIANAE. LVCIF. LVNAE

Quod & Catullus demonstrat Car XXXV *& Varro lib.* VI. de Ling. Lat. *Advectam vero ab Oreste in hanc plagam, & Ovidius facit, & plurimi. Cum præterea Scythica illa loca, ubi quondam ea Dea fuerat, apprime respondeant iis, quæ prope Ariciam sunt, Cosmographis,* E *& ad Dionysium indicante Euthro:* Τὸ δὲ Κιρκαῖον πέδιον, διὰ τῆς τοῦ Κόλχου βασιλέως Αἰήτου ἀδελφὴν Κίρκην ἔπω καλεῖται, τὰς βοτάνας ἐκεῖθεν συλλέγουσαν. περὶ τούτου τοῦ πεδίου, καὶ ὁ γεώγραφος φησὶν, ὅτι πρὸς τῶν Ἀλβανῶν γῆν Κίρκης ἱερὸν, ἔνθα καὶ φιάλη τις Ὀδυσσέων δείκνυται, καὶ Κιρκαῖον ὄρος πολύεικον, νησίζον θαλάσσῃ καὶ ἕλεσιν. *Videlicet*, & Circæus Campus a sorore Ætæ Regis Colchorum Circe sic appellatus, herbas ibi veneficas colligente; in hoc fere campo, inquit Geographus, Albanorum populos versus Circes esse sacellum, ibique poculum quoddam ostendi Ulyssis, & Circæum montem frondosum, sed ad insulæ in- F star mari, ac paludibus circumfluum.

Altera quæ sequitur figura, urnulæ est, qua, ut puto, aquam ex Egeriæ fonte haustam, utpote lustralem, domi ad sacrum usum continebant mulieres. Plutarchus haud dubie Vestales Virgines, quæ in Alba, ejus rore in purgandis penetralibus fuisse usas, ita scribit: ὕδωρ ἱερὸν τῆς Ἑστίας παρθένοις ἀποδεῖξαι, ὅπως λαμβάνουσαι καθ' ἡμέραν ἁγνίζωσι, καὶ ῥαίνωσι τὸ ἀνάκτορον. Sacram vero undam accenseri Virginibus Vestalibus, ut inde haurirent, atque diebus singulis purgarentur, lustrarentque penetralia. *Aquæ miraculum Ovidius asserit, quod sine murmure laberentur per saxa; Martialis, quod ægros allevaret. lib.* Fastor IV. *Ovidius:*

Defluit incerto lapidosus murmure rivus,
Sæpe, sed exiguis haustibus, inde bibi.

Martialis epigr. XLVII. lib. VI.

Exsolvit votis hac se tibi Virgine porca
Marcus, furtivam qui bibit æger aquam.

Sacraque ac inviolabilis habebatur nativo per antrum topho emanans, quem Domitianum violasse putavit Juvenalis, dum ruditatem ingenuam marmorum fuco alteraret. Vasculum hoc certe illis perquam simile est, quibus nos in sacrariis nostris, ac privatis sanctuariis clavo suspensis utimur ad ἁλογιμένην *aquam, qua e cubiculo prodeuntes frontem una cum salutari signo irrigamus: qui etiam usus apud profanos viguit. Juvenalis:*

——— calidaque petitas
A Meroe portabit aquas, ut spargat in ædem
Isidis.

Neque non sine religione id factum, ut fontium sacrorum aquæ domi retinerentur, aut templis, aut simularentur saltem. Virgilius:

Sparserat & latices simulatos fontis Averni.

Urnulæ hæ igitur Dianæ a voti compote dicatæ; quia Egeria, cujus erat fons, non nisi Dianæ ministra credita est. Eodem loco Ovidius:

Nympha Numæ conjux ad tua sacra veni.

Operari est sacra ministrare, & sacrificare etiam apud Tacitum, quod eodem modo ῥέζειν *Græci dicunt; Latini etiam facere. Virgilius.*

Cum faciam vitula.

Manus ad volam lacera, ac rigens veluti dolore, videtur Aurigæ alicujus tracti, aut naufragi, qui Hippolyto votum deinde manus argillaceæ adtulerit. Hippolyto siquidem & numen erat in sanctiori puto Templi Nemorensis parte reposita. Fuisse cultum in Deum apud Græcos certe asserit Pausanias, eique ante nuptias capillum concedere devotum, appendereque solitas scribit puellas: ni & hoc votum Dianæ sospitatrici, ac medicæ ab Auriga fixum credamus. Antiqua inscriptio.

DIANAE OPIF. NEMORENSI. CAPVL. EIVS.
L. L ANTIO

Manus proculdubio ipsa figuli arte vulnus præmonstrat, ut nil dubium sit ἕλκωμα, *quæ in excussione aurigarum fiunt, nobis repræsentari, atq; ita votum esse pro restituta manui firmitate. Fractum hoc modo, ac discerptum Hippolytum omnes fere tradunt, nisi cum iis flemus, qui Hippolytum in cœlos evectum, atque ibi aurigam factum, neque laceratum velint.*

Fragmentum vero, quod sella quiescit, senatoriam exhibet personam, lato clavo, hoc est, limbo superhumerali ad pectus imum fluenti, juxta Horatii illud Sat. VI.

—— & latum dimisit pectore clavum.

cum reliqui limbi, qui essent equitum, non tam amplo sinu procidebant; unde Angusticlavii dicti. Erat vero clavus non de veste pars, sed ἐπωμὶς, *ut Græci vocant, nos superhumerale, si diis placet, diceremus vestimentum, quodque purpura* πλατύσημος *eisdem etiam dictum est. Tollebatur videlicet, & permutabatur non detracta interim veste, ut capitia Monachorum nunc solent, aut Cardinalium curtæ penulæ, quas vulgo* le Mozzette *vocant. Hinc Priscus ille Horatii in* Sat.

Vixit inæqualis: clavum ut mutaret in horas.

Ubi Acron: purpuram dicit, quæ in pectore extenditur Senatorum: *Græci* τὸ κολοβίωνα *vocant. Plagulam una cum illa equestri appellat Varro lib.* de Ling. Lat. VIII. *quod retis instar implicata, ac fluida dependeret. Eam Senatorum purpurei fuisse coloris vetus Persii Interpres ibi declarat:*

Et natalitia tandem cum Sardonyche albus.

Veste, *inquit*, candida, nondum purpureum adeptus indumentum, quod laticlavium dicitur; *clavo in ora cernis scutulatum limbum. Ita Festus signat in voce* Clavata: Clavata autem dicuntur vestimenta clavis intertexta. *Sic templum Dianæ, atque in ipso sigilla reperta sunt*, TOMASINE, VIR CLARISSIME. *Cerno Te licet sis jure religiosissimus, interim desiderio videndi Deæ idolum totum occupari, fervereque, & plusquam Actæonis passu ad cupiditatem contemplandæ Dianæ excitari. Sed ego chartulas, non argillas, non saxum, transmitto; non Orestes sum, qui tam grande simulachrum in humeris non prægrandibus, ac tandem Orestæis per longissima spatia tuis oculis bajulem. Delectare interim obsecro, quo possum, munere exili. Saluta plurimum meis verbis Joh. Rhodium Virum Doctissimum, qui de* ACIA *voti reus adhuc Musis, torquet puellas castissimas de hoc penso sollicitas, ac precare, ut ne glomum suum cum Penelopes tela tam desiderabilem amicis abscondat, ponatque tandem Dissertationi suæ eruditissimæ de* FIBULA *ipsam fibulam. Vale, & pro Diana Cassandram tuam, quam literis illustrasti, expecto Virginem pro Virgine. Romæ An.* M DC XXXVII.

Inde passim apud Antiquarios fictilia a voventibus olim suspensa reperiuntur. Imo non solum fictilia, verum & lignea primitus fuisse Deorum simulacra, quæ sæpe erant DONARIA, discimus ex Plinio: quod comprobat Seneca primam Romanorum simplicitatem indicans, *tunc per fictiles Deos religiose jurabatur*. Hinc fictilia signa fastigio Capitolino imposita fuere: & Juppiter fictilis, cui Templum dedicavit Tarquinius. De quo Juvenalis *Satyra* XI.

Fictilis & nullo violatus Juppiter auro.

De his intelligendus Martialis:

Sum fragilis, sed tu moneo ne sperne sigillum.

Plinius etiam *l.* XXXV. *c.* XII. Dianæ simulacrum ex ebeno visum tradit. Atque ut hanc rem in pauca contraham, crescente Romanorum opulentia præter Donaria ferrea virtute ac sanguine parta, signa etiam surgebant marmorea: ebeni quoque nitor visus aciem invitabat. Nec metalli pretium a liberalitate deterrebat animum. Frequenter nimirum statuæ fulgebant æreæ, eæque nunc simplices, nunc inauratæ, argenteæ, aureæ, quodque magis est, gemmeæ, vel gemmis distinctæ; atque hæ modo sessiles, modo pedestres, modo equestres, modo triumphales; item Colossi specie, qualis olim Herculis, Jovis, aliorumque, quas Plinius *l.* XXXIV. *c.* VI. recenset; iisque plerumque auctoris nomen insculptum erat. DONA præterea ex serico fiebant, qualia fuerunt signa, Vestes; item ex lana, ut purpura, quæ aliquando in Donarium Templis fuit sacrata. Ossibus tandem religionem accessisse, ex Oscillis patet. Animantia cæteraque superstitionis ludibria libens mitto, quæ suo quæque loco Lectori plenius erunt obvia.

VOTA vero in tabellis, ex corticibus, vel papyraceis, aut ligneis, sive argenteis scripta, signata, obsignataque Deorum Statuis cera affigebantur. Unde Claudianus de Aponi fonte:

—— *nulla manus, cujus non pollice ductæ*
Testentur memores prospera VOTA notæ.

Vel in genibus Statuarum cera obductis insculpebantur, seu inscribebantur Vota; quemadmodum Josephus Scaliger observavit *ad Propertii lib.* IV. *eleg.* VI. Hinc Prudentius:

Devotus cippo ficulni & stipitis unctor.

Hujus generis apud Philostratum videntur ἐπισφαγιζόμενοι τὰς εὐχάς. ἐπισφαγίζεσθαι autem idem quod veteri Juvenalis Interpreti *ad Sat.* X. est *Insignare*. Notavit idipsum *ad Apuleii Apologiam* Scipio Gentilis Num. DLIX. *Consuetudo Veterum Ethnicorum fuit, ut bene hic Colvius notat, Vota sua & preces in tabellis conscriptas cera consignare, atque in Deorum statuis affigere. Unde SIGNATA VOTA pro salute Imperatoris sæpe in Epist. Plin. ad Trajanum, & adsignata oratio apud Tertullianum, Lib. de Oratione, & crura Deorum vel genua incerare apud Juvenalem Satyra* X. *vers.* 54. *&* 55. *& saxa (id est, Deorum Statuas) illita ceris Prudentio l.* I. *contra Symmachum*. Supplicantes enim eorum genua veluti misericordiæ symbola tangebant, quorum flectendi erant animi, quod ea maxime essent obvia, vel ut *l.* XI. *c.* XLV. loquitur Plinius: *Ad hæc manus tendunt; hæc, ut aras, adorant, fortassis quia inest iis vitalitas*. De qua fortassis Horatius *Epod.* XIII.

—— *dumque virent genua.*

Quem adorationis morem non solis Phœnicibus (ut notat Scholiastes Euripidis *in Phœniss.*) sed omni fere populo communem fuisse constat ex Comico *Aul.* Act. III. Sc. III.

Atqui pol hodie non feres, ni genua confricantur.

Et paucis interpositis:

Nunquam hercle facerem, genua ni tam nequiter fricares.

Planius omnino Poeta divini operis *l.* IX.

Et genua amplectens effatur talia supplex.

Quia similitudine ardentissimam efflagitationem expressurus Junior Plinius *l.* I. *epist.* XVIII. *Visa est socrus mea advoluta genibus, ne agerem obsecrare.* Et Poeta *Æneid.* III.

Dixerat & genua amplexus, genibusque volutus.

Inde Fortunæ volubilitatem monstraturus Stoicorum Princeps *de Tranquillitate Animi* cap. XI. *Horæ momentum interest inter solium, & aliena genua*. Sed de his uberius, ubi singula Donariorum genera expendentur.

CAP. III.

DONARIORUM SPECIES DIVERSÆ.

Donariorum majestatem præ cæteris insigniter augent ex Voto erectæ sæpius sacræ Ædes. De quibus quamvis peculiare volumen Imperatori dicasse Eusebium *de Vita Constantini* l. IV. c. XL. referat Vir quidam eruditus, nihil tamen simile istic loci extat, quin *c.* XXXIX. ejusdem *l.* IV. *De multitudine Donariorum* inscripto, sensu plane diverso *sigillatim* (inquit) *jam oratione persequendi otium non datur*.

Constat sane non omnes gentes Templa Diis dicasse; & quidem multorum opinio est, Romanos more Persico centum & septuaginta annos sine Templis & Deorum simulacris fuisse. Cui sententiæ cur minus subscribam suadet Livius *lib.* I. asserens, quod Romulus Jovi Feretrio in Capitolio templum dicaverit: ibi enim *cum hostium spolia ad Quercum pastoribus sacram deposuisset, simul cum dono designavit templo Jovis fines, cognomenque addidit Deo; Juppiter Feretri, inquit, hæc tibi victor Romulus Rex regia dona fero, templum iis regionibus, quas modo animo metatus sum, dedico, sedem opimis spoliis, quæ Regibus ducibusque hostium cæsis me auctorem sequentes posteri ferent.* Huic cellas Junonis, & Minervæ fuisse additas, indicat e multis vetus Inscriptio ex voto facta in agro Mediolanensi:

IOVI. O. M
IVNONI
MINERVAE
Q. V. G. V. S. L. M.

Unde proculdubio conditoris exemplo inter cæteros honores Senatus hunc etiam Julio Cæsari decrevit, teste Dione *l.* XLIV. *ut optima spolia in templo Jovis Feretrii suspenderet, quasi sua manu Imperatorem hostium aliquem occidisset*. Tanto autem in præcio hæc fuit Aedes, ut Cæsarem Augustum præter consuetudinem Romanam huc Lauream intulisse notet idem *l.* II. secutus forsan majores hic etiam Victoriæ, Pacisque monumentum optimus Princeps sæculis extare voluit.

Jovi Statori Templum pariter ex voto Romulus condidit hac forma, ex Livio: *Hic ego Templum Statori Jovi, quod monimentum sit posteris tua præsenti ope servatam esse Urbem voveo*. Eum alii a sistendo, alii a stando nomen habere volunt. Sunt qui putant delubrum consecrasse Romulum, & hoc templum Jovi Statori a M. Attilio Regulo Consule in bello Samnitico votum, & postea extructum. De quo Livius: *Consul manus ad prælium attollens, voce clara, ita ut exaudiretur, templum Jovi Statori vovet, si constitisset a fuga Romana acies, redintegratoque prælio cecidisset, vicissetque Legiones Samnitium*.

De Templo Jovis Capitolini audiamus Tacitum: *Voverat hoc templum Tarq. Priscus Rex bello Sabino, jeceratque fundamenta spe magis futuræ magnitudinis, quam quo modicæ adhuc populi Romani res sufficerent*. Hoc ipsum J. Cæsar post suis muneribus adornavit. Suetonius: *Aedes sacras vetustate collapsas, aut incendio absumptas, easque opulentissimis donis adornavit, utpote qui in Cella Capitolini Jovis* XVI *pondus auri, gemmasque, & margaritas quingenties* H-S. *una donatione contulerit*. Hic Statua aurea Victoriæ conspiciebatur, & in hoc Fano Imperatores ad bellum ituri auream coronam in sinum Jovis deponentes, Vota nuncupabant. In hoc pariter extabant duæ coronæ aureæ, quarum alteram Galli Jovi Optimo Maximo consecrarunt, alteram Carthaginenses, ob partæ victoriæ in Samnites congratulationem Romam miserunt. Præter hoc Templum in Capitolio aliæ duæ Aedes Jovis fuerunt votæ a L. Furio Purpureone. Jovi item Victori Aedem vovit L. Papyrius Cursor bello Samnitico, Livius, & Q. Fabius, si legiones hostium fudisset, pauxillum mulsi, priusquam temetum biberet, sese facturum, idque votum Deis cordi fuisse.

Jovi etiam Tonanti Aedem Octavianus consecravit, Suetonio teste, *liberatus periculo, cum expeditione Cantabrica per nocturnum iter lecticam ejus fulgor perstrinxisset*. Jovi Conservatori Domitianus Ædem erexit, quod ipsum in seditione Vitelliana a furore hostium conservasset.

Saturni & Opis templum Tullium Hostilium eo etiam tempore vovisse, quo cum Sabinis bellum gereret, memorat Dionysius Hal. *lib.* III. Item Macrobius lib. I. *Saturnal.* cap. VIII. & lib. II. cap. VI.

Aedem Honoris, & Virtutis etiam M. Marcellus vovit, T. Livius *Dec.* III. *l.* III. Val. Max. *l.* I. *c.* I. Plutarchus in *Vita Marcelli*.

Junoni Reginæ ex spoliis de præda a Vejentibus parta Templum a Camillo Dictatore votum tradidit Livius.

Cæsarem Octavianum Apollini in palatio Templum dedicasse auctor est Dio *Hist. Rom.* lib. LIII. Ex quo ipso, *Libro* XLV. etiam constat ob perfectionem Fani Veneris ludos ex voto celebratos. Idem, Bruto & Cassio devictis, Templum Marti Ultori dicavit. De quo Suetonius in *ejus Vita* cap.

A XXIX. *Ædem Marti, bello Philippensi pro ultione paterna suscepto, voverat*. Et paulo ante: *Publica opera plurima extruxit, ex quibus præcipua, Forum cum Aede Martis Ultoris, Templum Apollinis in Palatio, Aedem Tonantis Jovis in Capitolio*. De AedeMartis indicium præbet Numisma argenteum insignis magnitudinis apud Cl. Galvanum, cujus iconem dedit Hubertus Goltzius in *Cæs. Aug.*

Isidi & Osiri extructam fuisse Aedem ostendit exiguum marmor Romæ Anno M DC. XXXIV. erutum hoc titulo:

B
PRO. SALVTE. DOMVS. AVGVSTI
EX. CORPORE. PAVSANIORVM. ET
ARGENTARIORVM. ISIDI. ET
OSIRI. MANSIONEM
AEDIFICAVIMVS

Nec postremo loco habendum quod scribit Festus: *Pietati Aedem ab Acilio consecratam ajunt, eo loco, quo quondam mulier habitaverit, quæ patrem suum inclusum carcere mammis suis clam aluerit*. De cæteris in Calendario Romano antiquo, quod post utilissimos Gyraldi labores suis scholiis eruditis. Petrus Ciaconius, & Paulus Manutius Pater, omniumque novissime Thomas Dempsterus evulgavit.

C Ejusmodi vero consecrationem Senatus auctoritate institutam patet ex Livio *l.* XLII. Alter e Censoribus M. Aemilius petiit *ab Senatu, ut sibi dedicationis Templorum Reginæ Junonis, & Dianæ, quæ bello Ligustino ante annis octo vovisset, pecunia ad ludos decerneretur, viginti millia æris decreverunt: Dedicavit Aedes, utramque in Circo Flaminio*. Et mox: *Idem dedicavit Ædem Larium per marinum in campo: voverat eam annis undecim ante L. Aemilius Regillus, navali prælio adversus Præfectos Regis Antiochi, supra valvas Templi tabula cum titulo hoc fixa est:* DUELLO MAGNO REGIBUS DIRIMENDO.

D At ne longior sim, id saltem monuisse operæ fuerit, omnia fere Templa ex voto erecta: nec ea semper intelligenda apud scriptores immensæ molis ædificia, sed Ædes sacras in speciem ex argento factas in fanis fuisse suspensas. Quod ex *Actor.* c. XIX. v. 24 facile est colligere. Ubi *Demetrius quidam nomine argentarius, faciens Aedes argenteas Dianæ, præstabat artificibus non modicum quæstum*. Cæterum fuerintne Ædes istæ, ut suspicatus est *in hunc locum* D. Chrysostomus *Homilia* XLII. Ædiculæ & coopercula, quæ *Ciboria* vocabantur; aut thecæ (quod putarunt quidam) in quibus signa Dianæ, aut characteres Ephesii, non hic disputa-
E bo. Templa fuisse aperte indicat textus ipse, qui habet ναὸς, hoc est, *Templa*. Aediculæ enim argenteæ, ad similitudinem Templi magnæ Dianæ, simulacra ejus continebant. Qualia vel ad collum, aut in pileis & vestibus fuisse gestata, non præter rem *ad hunc locum* opinatus fuit Cornelius a Lapide variæ lectionis Theologus. Quomodo intelligendus, ut suspicor, *in Verrem* Cicero, quando ait, Aedem Minervæ in Apollinis Fano politam. Ejusmodi igitur Aediculis continebantur Deorum signa, quæ Diis propria dicabantur. Hinc Minucius Felix in *Oct. Quid formæ ipsæ & habitus? nonne ar-*
F *gumenta ludicra & decora Deorum vestrorum? Vulcanus claudus & debilis*, &c. Et quidem ejusmodi Templa vere Ναὸς dixit *Sacræ Historiæ* Auctor, cum Diis consecrata essent. ὁ μὲν γὰρ Ναὸς, ἐστὶ θεῶν, ὁ δὲ Σηκὸς, ἡρώων: ut Ammonius in Libello *de similibus, & differentibus vocabulis* annotavit.

Horum vero dedicandorum veterem formulam ex Varrone omnis literaturæ peritissimus Josephus Scaliger suis *ad Festum Castigationibus* hanc recitat: TEMPLA. TESCAQ. INCITA. SVNTO. QVA. AD. EGO. CASTE. LINGUA. NUNCU.

PAVERO. OLLA. VETER. ARBOR. QVIS-QVIS. EST. QVAM. ME. SENTIO. DIXISSE. TEMPVM. TESCVMQ. ESTO. IN. SINISTE-RVM. OLLA. VETER. ARBOR. QVIDQVID. EST. QVOD. ME. SENTIO. DIXISSE. TEMPLVM. TESCVMQ. ESTO. IN. DEXTERVM. INTER. EA. CONREGIONE. CONSPITIONE. CONTVMIONE. VT. ETQ. RECTISSVME SENSI.

At multis retro sæculis Moises de Jacobo Patriarcha differens *Geneseos* cap XXVIII. v. 20. vovit etiam votum, dicens: *Si fuerit Dominus mecum, & custodierit me in via per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, reversusque fuero prospere ad domum patris mei; erit mihi Dominus in Deum, & Lapis iste quem erexi in titulum vocabitur* DOMUS DEI.

Cujus usum si spectemus, quid vetat quin ARAE loco fuerit, quæ non minori cultu quam Aedes vovebantur, nec minori privilegio sontibus pro Asylo erant: quod in hunc usque diem a populis cultioribus servatur? Patet id ex gemina Inscriptione veteri. Quarum primam dedit Wolfangus Lazius Polyhistor Cl. *Com. Reip. Rom.* lib. VI.

A cap. I. sed ob facilem ex affinitate inter se literarum commutationem sine sensu varieque corruptum. Ideoque emendatiorem ex Grutero hic repono:

IVNO. R. ET. MINER. SAC
GENIO. COH. III. BRIT. ARAM
T. FL. FELIX. PRAEF. EX
VOTO. POSVIT. L. M
DEDICAVIT. KAL. DEC
GENTIANA. ET
BASSO. COS

Alteram, quæ universum pene hujus religionis
B ritum continet, diversis scriptoribus hactenus mutilam e Saxo veteri exhibemus, quod Salonis in Dalmatia repertum, & V. C. Jo. Baptistæ Rhamusii cura, impensisque ad vetusti Codicis fidem suæ integritati restitutum, sub æneis Andreæ Naugerii, & Hieronymi Fracastorii iconibus hodie Patavii spectatur in pariete fornicis ad Portam prope Pontem S. Benedicti non longe ab ædibus Rhamusianis, ex duobus segmentis: quorum recentius legentibus minutiori charactere dexteram versus occurrit.

L. Helio Caesare Imp. P. Cœlio & ALBINO VIBVLLIO PIO CO
VII Idus OCTOBRES
Cn. Domitius Valens II. vir ID praEEVNTE C. IVLIO SEVERO PONTE
Legem dixit in ea verba quæ infra SCRIPTA SVNT

Juppiter optime maxime quandoque tibi hODIE, *HANC ARAM DABO DEDICABOQVE OLLIS LEGIB*
Ollisque regionibus dabo dedicaboque quas hic hODIE PALAM DIXERO uti infimum solum hujus ARAE ES
Si quis hic hostia sacrum faxit quod magmentum neC PROTOLLAT itcirco tamen brobe factum ESTO CETER
Leges huic arae eaedem sunto quae arae Dianae sunt iN AVENTINO Monte dictae Hisce Legibus hisce REGIONI
Sicuti dixi hanc tibi aram Iuppiter optime maxime DICO Dedicoque uti sis volens propitius mihi COLLEGISQ
Meis decurionibus colonis incolis coloniae Martiae iVLLIAE SALONAE Conjugibus Liberisque NOSTRI

Hanc Inscriptionem a Viris magnis diverse mutatam Laurentius Pignorius omnis Antiquitatis atque in primis patriæ scientissimus disertissima ad V. C. Abb. Albertinum Barisonum *epistola* suo nitori vindicavit. Ubi vir doctissimus Fulvii Ursini auctoritate, & antiqui lapidis indicio, excluso Imperatoris nomine, reposuit: AELIO. CAESARE II. Emendationi namque lucem præfert gemina in Panvinii *Fastis* Inscriptio. Prima est:

L. AELIVS. CAESAR. TR. POT. COS

Altera:

L. AELIO. CAESARI. DIVI
HADRIANI. AVG. F
COS. II. F

Nec minus vere, quæ perperam in saxo Patavino distincta leguntur nomina junxit Pignorius noster. COELIUM enim BALBINUM summæ auctoritatis fuisse satis indicat hæc Inscriptio:

P. COELIO. P. F
SER. BALBINO
VIBVLIO. PIO
X. VIRO. STLITIBVS. IVDIC
VI. VIRO. EQVIT. ROM
TVRM. QVINT. TR. MIL. LEG
XXII. PRIMIG. P. E. ADLECTO
INTER. PATRIC. AB. IMP. CAES
TRAIANO. HADRIANO. AVG
SALIO. COLLINO. QVAEST
AVG. FLAMINI. VLPIALI. PR. DE
FIDEI. COMISS. COS.
DESIGNATO
DECVRIONES. SVA. PECVNIA

Optime igitur pro ALBINO legendum censuit BALBINO. Nomini enim fissura lapidis primam literam ademit.

Et quidem cuilibet Aræ imminebat suus Tutelaris. Athenis tamen Ara erat DEO IGNOTO posita, ex *Act. Apostol.* cap. XVII. vers. 23. cujus hæc circumfertur Inscriptio:

ΘΕΟΙΣ ΑΣΙΑΣ ΚΑΙ ΕΥΡΩΠΗΣ
ΚΑΙ ΛΙΒΥΗΣ
ΘΕΩΙ ΑΓΝΩΣΤΩΙ
ΚΑΙ
E ΞΕΝΩΙ

hoc est, *Diis Asiæ, & Europæ, & Libyæ, Deo Ignoto, & Peregrino*. Hujus autem Dei nomine Athenienses omnium Numinum supremum intellexisse creduntur: qui in Ara Romana apud Transilvanos MAXIMUS legitur. Variam quidem ejus facti causam adferunt interpretes Theologi de Incarnatione, celsitudine, & incomprehensibilitate Dei. Petrus Garsias *Inst. Evang.* lib. IV. cap. VII. putat intellexisse Deum Opt. Maximum, quem Hebræorum appellabant, sibi occultum. Quid si hoc veluti argumento silentium indixerint prisci
F sapientes? Veteres enim Romani, teste Plinio *lib.* III. *cap.* V. arcanum Urbis nomen, sive Dei Tutelaris noluerunt innotescere, ne ipso cognito hostes carminibus & præstigiis, ut notat Plut. in *Quæst. Rom.* Deos evocarent. Ideoque vinctos tenebant, ne alio diverterent. Taceo Oblivioni antiquitus Aras fuisse dicatas. Carmen autem quo Dii evocabantur cum civitas oppugnaretur, ex Libro V. *rerum reconditarum Sammonici Sereni* a Macrobio lib. III. *Saturnal.* cap. IX. hic subdam. *Si Deus, si Dea es, cui populus, civitasque Carthaginensis est in tutela, teque maxime ille, qui Urbis hujus, populique tutelam recepisti, precor*

veneror que, veniamque a vobis peto, ut vos populum civitatemque Carthaginensium deseratis, loca, templa, sacra, urbemque eorum relinquatis, absque his abeatis: eique populo civitatique metum, formidinem, oblivionem injiciatis, proditique Romam ad me meosque veniatis; nostraque vobis loca, templa, sacra, Urbs acceptior probatiorque sit: mihi quoque, populoque Romano, militibusque meis præpositis suis ut sciamus, intelligamusque. Si ita feceritis, VOVEO VOBIS TEMPLA, LVDOSQVE FACTVRVM. Pittacus etiam Mitylene templis scalam dicavit donum, adumbrans repentinos fortunæ adscensus, & descensus, velut auctor Aelianus *Var. Hist.* lib. II. cap. XXIX.

Statuas porro certis incantationibus in confinibus Imperii sub terra defossas reperio, quæ barbaros intra suos limites continere credebantur. De quibus in *Heliogabalo* (vel ut in quibusdam numis *Elagabalo*) Spartianus, & in *Aureliano* Vopiscus. *Inventum certis locis sacrificia facere; quæ Barbari transire non possent.* Hinc apud Photium: *Historicus ait a Valerio quodam intellexisse de statuis argenteis magia excantatis ad prohibendum barbarorum accessum.* Quo spectat Codini relatio qui ait: *Thieneum fabricasse tres Ciconias, easque excantatas magia sibi obversas statuisse, quo facto, eam regionem non amplius Ciconiarum insultu laborasse.*

Celebris est inter multas Ara ab Atheniensibus peste laborantibus Apollini consecrata. De qua Bessarion in *Apologia Platonica* lib. I cap. VIII *Quia aliquando Athenienses Apollinis oracula sciscitati, quo pacto a pestilentia, qua maxime vexabantur, possent liberari, hujusmodi responsum acceperunt. Ita demum sospitem futuram civitatem, si illius Aram, cujus figura cubica erat, duplicarent.* Mitto Aram Veneri erectam, Musis pariter, Gratiisque a Dosiada sacratam: Aram quoque Pythiam Publilii Optatiani Porphyrii. De quibus uberrime Clarissimus nostri ævi Philosophus Fortunius Licetus.

Verum & Aris Statuas Deorum addidisse Veteres, ostendit marmor elegans apud Ædem Vici Civedati in agro Brixiensi:

MERCVRIO MAXIMO
CONSERVATORI ORBIS
C. SILIVS FVNDANVS
C. FIL. QVIR. XV VIR
SACR. FAC. STATVAM
ET ARAM CC
V. S. L. M

Palladia locis sacris olim ritu non admodum dissimili vota, docet in *Heliogabalo* Lampridius: *Signum quod Palladium esse credebat abstulit, & auro vinctum in sui Dei templo locavit.* Recte quidem credebat. Innumera enim Palladia in Urbe extabant, ut auctor est Strabo. Palladium vero fuisse ligneum sigillum constat ex Olympiodoro: *Palladium parvum signum ligneum, quod esse ajebant magia sacratum ad custodiendum imperium Trojæ.* Sic Jo. Antiochensis *de Principatu*: *Palladium in Troja sigillum erat ab Asio quodam Philosopho fabricatum in tutelam Urbis.* Imo reliquorum etiam Deorum simulacra in Votum coempta ostendit Rufus Festus Avienus:

Venditor insignem referens de marmore Bacchum
Expositum pretio fecerat esse Deum.
Nobis hunc quidam funesta in sede sepulcri
Mercari cupiens compositurus erat.
Alter adoratis ut ferret munera templis,
Reddebat sacro debita VOTA loco.

Effigies etiam Deorum Votis præpositas canit Val. Flac. *Argon.* lib. V.

—— —— Nec dona, nec Aræ
Defuerint tellure mea: veneranda fluentis
Effigies te Phasi manet.

A Aræ præterea loco Arca erat, quum non minus Arcæ, seu loculis defunctorum, quam ipsæ Aræ, ex Voto exstruerentur. Quod satis comprobat Inscriptio Romæ prope S. Apollinaris Ædem in Hortis quondam Card Rothomagensis.

COC .EIAE. NICE. DOMITIAE
F. CHRYSAE
VIX. ANN. XXIV. M. IIII. D. XXIIII
HERMES. COCCEIVS. BASS
ACT. CONIVGI. BENE. M
AETERNAM. TIBI. SEDEM. HERMES.
ARAMQVE
DICAVI
B NICE

Cætera, quæ nihil ad rem nostram, in laborioso Gruteri *Inscriptionum* opere curiosis patent.

Hinc fortassis ad Principum decus pro tumulis erecti antiquitus tot Mausolea, tot Obelisci, seu Pyramides. Rem tetigit Statius lib. V. *Silv.* III.

Atque utinam, fortuna, dares mihi Manibus Aras,
Par templis opus, aeriamque educere molem
Cyclopum scopulos ultra, atque audacia saxa
Pyramidum, & magno tumulum prætexere luco.

Defunctis vero Ara etiam dicari consuevit, quemadmodum ex veteri lapide ostendit vir Cl. Joan. C Meursius *de Funere* cap. cap. XXXI. Druso veterem Aram fuisse sitam scribit Tacitus II. *Annal.* Huic autem cupresso vittisque nigris, aut cæruleis decoratæ per Anniversarias exequias imposita fuisse munera colligo ex III. *Æneidos*:

—— —— stant manibus Aræ
Cæruleis mœstæ vittis, atraque cupresso.

Et *lib.* V. vers. 100.

—— —— socii, quæ cuique est copia, læti
Dona ferunt, onerantque Aras, mactantque juvencos.

Ubi Vaccam sterilem fuisse mactatam, ex Homero D II *Iliad.* manifestum est. Nigras etiam oves prægnantes, ex Euripide in *Hecuba*. Hinc Tibullus *eleg.* II. v. 64.

Concidit ad magicos hostia pulla Deos.

Alias cadavere rogo imposito, cum ignis subjiceretur, amici extrema Dona simul cremanda conferebant. Hujus rei manifestum est indicium apud Cl. Jo Galvanum, ubi in lucerna antiqui operis ænea ritus funebres eleganti artificio exhibente amicus quidam vasculum preciosi, ut videtur, odoris gestat. De quo, modo negotiorum moles permittat, non pauca antiquitatis ille condus ac promus in publicum adferet. Ita apud Euripidem E in *Oreste* Helena ad Electram:

Accipe inferias has in manibus & comas meas,
Pergensque ad sepulcrum Clitæmnestræ
Dimitte ibi mel cum lacte mistum, & vini spumam,
Et stans in summo tumulo dices ista:
HELENA SOROR DONAT TE HIS INFERIIS.

His etiam animalia defunctis olim cariora accessisse patet apud Homerum XXIII. *Iliad.* ubi gemini catelli pyræ imponuntur. Simile quid observasse F Ægyptios mihi persuadet, quod Vir egregius Jo. Wessingius e Pyramide exemptum cum cadavere humano, more gentis condito, dentibus eximie renidentibus catulum possideret. Sed cujus conspectum nobis invidit hibernæ navigationis tempestas, qua dubie jactati Nautæ pro superstitione recepta possessorem tardis precibus exorabant, ut carum illud longi itineris monumentum Neptuno furenti devoveret. *Cretenses* (inquit Julius Firmicus lib. *de err. Proph. Rel.*) *ut furentis Tyranni* (Jovis) *sævitiam mitigarent, festos funeris*

A *dies statuunt, & annum sacrum trieterica consecratione componunt, omnia per ordinem facientes, quæ puer moriens aut fecit, aut passus est.* Quibus eleganter subjungit idem: *sic in honorem tyranni a sæviente plebe Deus factus est, qui habere non potuit sepulturam.* Quo certe sarcasmo de inepta hac apotheosi nihil adferri potuit verius.

In funere quoque nonum *diem Voti instaurationem* habuisse annotat Donatus *in Phormionem Terentii*. Veteribus enim nonus dies ut nascentibus erat lustricus, ita mortuis festivus. Unde Novendiales feriæ apud Festum, quas Paulus ibidem a numero dierum dictas censet.

B Hucne referenda fuerit cogitent eruditi tabula marmorea cupressum continens duobus viris utrinque cinctam, cui præter duo nomina ΑΓΑΙΓΑΩ ΚΑΙ ΜΑΛΑΒΗΑΩ diversi inscripti erant characteres Græci, Hebraici, & Chaldæi, ut refert de Statuis Romanis Ulysses Aldrovandus in monte Quirinali apud Cardinalem Carpensem. Addo, sintne de simili Ara hæc Senecæ cap. XIV. *de Tranquillitate animi* intelligenda, ut suspicor; *Tumulus, in quo Cæsari Deo nostro fiebat quotidianum sacrum*.

FORA, & PORTICUS Diis eadem ratione a Veteribus consecrabantur, Dione teste *Hist. Rom.* C lib. XLIII. *Julius Cæsar etiam Forum, & Templum Veneris, quam sui generis auctorem ferebat, consecravit*. De Foro a Cæsare constructo Suetonius: *Nullum largitionis, aut officiorum generis publice, privatimque omisit, Forum de manubiis inchoavit: cujus area supra sestertium millies constitit:* quæ summa secundum Budæi calculum, vicies quinquies centena millia coronatorum efficit. Item, Forum Obsoniorum, & Gymnasium a Nerone dedicatum memorat idem Dio *lib.* LXI. & confirmat *Annal.* lib. XIV. Tacitus. De Porticu idem *lib.* XLIX. *Æmilius Lepidus Paulus Porticum, quæ Pauli dicitur in Consulatu suo dicavit*. In hanc D rem est prope Puteolos in saxo hæc Inscriptio:

IOVI VICTORI
TREBONIVS. GALLVS. COS
PORTICVM
EX. VOTO. FECIT
DEDICAVIT. X. KAL. MAIAS
APPIO. ANNIO. M. ATI... COS

Romæ etiam hæc videtur in basi quadrata, magna litera palmari oblonga, Anno MDLIV reperta in viculo fabrum ferrariorum, retro Pompeii theatrum, quam Pighius V. C. vidit, & exscripsit:

E

GENIO. IOVII. AVG
IOVIA. PORTICV. EIVS. A. FVNDAMENTIS
ABSOLVTA. EXCVLTAQVE
AELIVS.DIONYSIVS.V.C.OPERI.FACIVNDO

Cur autem Jovia Porticus, nisi quod vel rebus Jovi sacris, aut lætis & Jove dignis dicarentur? Silvano etiam sacratam fuisse Porticum ostendit tabella marmorea Lucii Fauni ætate Romæ eruta, quam in vinea Card. Carpensis in Quirinali vidit Smetius:

F

SILVANO. SANCTO
L. VALLIVS. SOLON
PORTICVM
EX. VOTO. FECIT
DEDICAVITQVE. K. APRILIB
PISONE. ET. BOLANO. COS

Eidem cum porticu, exedra & signum æneum dicata a C. Austumio Medico patet ex Inscriptione Romæ in Aventino in hortis Maximorum.

Æsculapio pariter & Hygiæ Porticum ex Voto dicatam fuisse, indicat marmor Albæ Juliæ apud R. P. Jesuitas:

AESCVLAPIO. ET
HYGIAE. P. AEL. SY
RVS. AVG. M. SEP. APVL
ET. VALE. SEVERA. CON
IVX. ET. AEL. SYRA. FIL
EX. VOTO. PORTICVM
PEDES. XXX
F

Quemadmodum vero Porticus frequentabant sapientum congressus, ita etiam BIBLIOTHECAS procul abesse noluerunt Veteres, ut ex præclaris ingeniorum monumentis dependens mortalium gloria in Deorum tutela esset. Suetonius in *Augusto* cap. XXIX. *Templum Apollinis in ea parte Palatinæ domus excitavit, quam fulmine ictam desiderari a Deo haruspices pronuntiarant. Addita Porticus cum Bibliotheca Latina Græcaque*. Ideoque hæc Bibliotheca Apollinis dicebatur. Latinæ Inscriptio Romæ in ædibus Maffejanis ad Agrippinas Thermas in tabella marmorea adhuc exstat:

SVLPICIAE
THALLVSAE
ANTIOCHVS. TI. CLAVDI
CAESARIS. A. BYBLIOTHECA
LATINA. APOLLINIS
CONIVGI. SVAE
BENE. MERITAE

Inde Horatius *lib.* I. *epist.* III.

Scripta Palatinus quæcunque reponit Apollo.

Græcæ etiam Bibliothecæ Inscriptio a Grutero refertur:

C. IVLIVS. C. L. PHRONIMVS
A. BYBLIOTHECA. GRAECA

Idem Imperator Bibliothecas in Palatio, teste Dione *Hist. Rom.* lib. LIII. perfecit, & dedicavit. Qui etiam Porticus & Bibliothecas a sororis nomine Octavianas dictas ex manubiis Dalmatorum extruxit, referente eodem *lib.* XLIX.

Libri quidem in Bibliothecis supra arbores plumbeas reponebantur, ut etiam Marlianus notat in *Topographia* ubi de Palatino monte agit, & sane Jo. Argolus variæ eruditionis laude dignissimus politioris literaturæ in Gymn. Bononiensi Professor fatetur se vidisse arborem plumbeam lauri specie cum foliis expansis, quibus nondum aurum decesserat, in vinea Ronciana in Palatino monte sita, erutam ea parte, quæ vergit ad Aventinum, de qua cum quid esset a doctis deliberaretur, ex arboribus ille unam esse censuit, quibus Libri Bibliothecæ imponebantur. Hanc ipsam cum post aliquot annos Romam reversus a Ronconis expeteret, arborem igne conflatam reperit. Bibliothecam in templo Trajani fuisse, Gellius *lib.* II. testis est: *sedentibus forte nobis in Bibliotheca Templi Trajani*. Bibliothecam vero Capitolinam templo Jovis contiguam arbitror, quam Eusebius tempore Commodi exarsisse scribit, atque Orosius repetit *lib.* VII. *cap.* XVI. Fuit & in Templo Herculis Tiburi, de qua Aulus Gellius *lib.* XIX. *cap.* V. *Bibliotheca Tiburti instructa satis commode erat* Et alia in templo Pacis ex eodem Gellio *lib.* XVI. *cap.* VIII. *Commentarium L. Ælii, qui Varronis Magister fuit, studiose quæsivimus, eumque in Pacis Bibliotheca repertum legimus*. Hæc tempore Imp. Commodi una cum Palatina conflagravit, ut scribit in *ejus Vita* Herodianus, & Galenus in *Vita propria* indicat, ibique multa a se scripta interiis-

ſe. Extra Romam pariter mos iſte adolevit. Ammianus *lib.* XXII. *Inter templa eminet Serapeum, in quo Bibliothecæ fuerant inæſtimabiles, & loquitur monumentorum veterum concinna fides, ſeptuaginta volumina millia, Ptolomæi Regis vigiliis intentis compoſito bello Alexandrino, dum diripitur civitas, ſub Dictatore Cæſare conflagraſſe.* De eodem Sarapeo Tertullianus *Apol.* cap. XVIII. *Hodie apud Sarapeum Ptolomæi Bibliothecæ cum ipſis Hebraicis literis exhibentur.* Sic Conſtantinopoli in S. Sophia Bibliothecam fuiſſe Nicephorus meminit, & paſſim nunc in templis Bibliothecas cernimus, eaſque fere apud Cœnobitas ſolum conſervatas lego. Plura in noſtro ad Bibliothecas Patavinas Prologuio.

CAP. VI.

DE LUDIS, DECIMIS, HECATOMBIS, ALIISQUE DONIS AD VOTA SPECTANTIBUS.

INter Vota autem diverſa nihil fere ſolennius, quam Ludi Diis nuncupati, quibus numina placari, aut falſis (ut eleganter D. Auguſtinus *de Civit. Dei* lib. XVIII. cap. XII.) eorum criminibus expiari crimina putabant. Eos autem Magiſtratus ad bellum iturus vovebat, Sibyllinis verſibus, Auguriiſve introductus: qui devictis hoſtibus Romæ fiebant. Quomodo autem hi voverentur, quibuſque ſolennitatibus, apud Livium *lib.* XXXIX. videre eſt. Inter eos fuerunt Ludi magni in honorem Jovis a Q. Fabio Maximo Dictatore pro victoria de Carthaginenſibus habita voti, æris CCCXXXIII. millibus, bobus Jovi CCC. &c. Hique Quinquennales erant, ut in Livio *lib* XXVII. Item Decennales, & Vicennales, qui decimo, vel vigeſimo Imperii anno fiebant.

Sæcularibus ludis initium reddidit Valerius Maximus *lib.* II *cap.* IV. qui memorat Valeſium quemdam, valetudine liberis peſte ad deſperationem uſque medicorum laborantibus reſtituta, Diti Patri Proſerpinæ hoſtias nigras immolaſſe, Ludos, & Lectiſternia continuis tribus noctibus, quia totidem filii periculo liberati erant, feciſſe. Quem poſtea ſecutus Val. Publicola, apud eandem Aram trinoctio Ludos fecit, quod indicat ſaxum in Terento campi Martii loco repertum.

P. VALERIVS
VOLVSI. F.
IGNIFERVM. CAMPVM
DITI. PATRI. AETERNAEQ
PROSERPINAI CONSECRAVEI
LVDOSQVE. EISDEM. DIEIS
POPVLI. ROMANI. SALVTIS
ERGO. FECEI

De his Ludis Livius noſter audiatur. *Eodem anno Ludos ſæculares Cæſar ingenti apparatu fecit, quos centeſimo quoque anno* (is enim terminus ſæculi) *fieri mos.* Hi ut decimo centeſimo quoque anno repetantur, tam commentarii Quindecim Virorum, quam Divi Auguſti edicta teſtari videntur.

Fuerunt etiam Ludi Victoriæ a L. Cornelio Sulla inſtituti bello civili, & alii propter victorias C. Cæſaris Aug. de quibus in Calend. Rom. ante laudato. Quo etiam ſpectabant Apollinares dicti, de quorum origine Livius *Decadis* III. *lib.* V. VI. VII. & X.

Juvenales Nero primus inſtituit, cum barbam poneret. Et præter hos fuerunt & *Juventutis*; quos Salinator Senenſi prælio forſan pro juventutis ſalute vovit.

Ludi præterea *Triumphales* poſt inſignes victorias fiebant. *Natalitii* etiam in Natalibus Principum celebrabantur. In quorum adulationem pro reditu pariter Ludos votivos factos fuiſſe invenio:

A ut pro reditu Auguſti indicat Inſcriptio effoſſa Anno MDXLVII. prope Agonem Romæ in area S. Apollinaris:

TI. CLAVDIVS. TI. F. NERO
PONTIFEX. COS. ITERVM
IMP. ITERVM
LVDOS. VOTIVOS. PRO. REDITV
IMP. CAESARIS. DIVI. F. AVGVSTI
PONTIFICIS. MAXIMI
IOVI. OPTIMO. MAXIMO. FECIT
EX. SC

Sacri pariter in honorem Templi; teſte Dione *lib.* LI.

B *Miſcelli* ex horum genere quinam fuerint, apud Eruditos dubitatum lego. Varii generis fuiſſe indicat nominis ratio: quod etiam pluribus placuiſſe video, eoſque communi ſententia inter Votivos recenſitos eſſe.

In tanta vero Votorum diverſitate, quibus gentes profanum religionis cultum oſtentarunt, nullum vel animi magnitudinem, vel fortunarum deſiderium, magis teſtatur, quam DECIMAE, quæ in acquirendis opibus majoris incrementi ſpe Diis vovebantur, atque in primis Apollini in pace, Herculi in bello. Xenophon in *Cyro* lib. I. *Pecu-*
C *niam de captivis collectam partiri, eamque quam Decimæ nomine, aut Apollini, aut Dianæ Epheſiæ voverant, conſecrandam Prætores acceperunt.* Duplex vero Decimarum genus eſt: unum ex vectigalibus navium: alterum ex agrorum fructibus, cujus apud Ariſtotelem mentio *Oecon.* II. & hic preſſior. Item, de Manubiis Ethnicos voviſſe Decimas, & reddidiſſe, ſignificat Callimachus *in Delum*, verſ. 281. *Decimas*, inquit, *tibi*, (Apollini) *btulerunt, qui ad auroram, veſperam, & meridiem, & qui ſupra Boreæ domicilia littus habent, valde longævum genus.* Quo ſpectat illud Herodoti in *Clio*: *Siſte ad ſingulas portas aliquot ex tuis ſatel-*
D *litibus cuſtodes, qui vetent exportari opes, ut earum Decimæ Jovi neceſſario reddantur.* Hujus pietatis inſigne exemplum in Æginetis recenſet idem in *Calliope*: *Collata autem pecunia decimam ſelegerunt, ex qua tum Deo qui Delphis eſt, tripos aureus ibi repoſitus, inſiſtens ſuper tricipiti ex ære colubro, proxime aram: tum Deo qui eſt in Olympia, æreus decem cubitorum Jupiter: tum Deo, qui eſt apud Iſthmum, æreus ſeptem cubitorum Neptunus. Hac parte ſelecta, ceteras inter ſe diſtribuerunt, pro ſuo quiſque merito accipientes.* At vero ut ſapienter Plutarchus *de Pyth. Oracul.* *Juſtitiæ DONARIA temperantiæ, magnanimitatis, dedicare Diis Re-*
E *ges, & Principes conveniebat; non aureæ, & luxurioſæ abundantiæ quæ obtingit peſſime viventibus.* Sed idem etiam feciſſe eos, qui in bellum erant profecturi, clarum eſt apud eundem, ex quo etiam conjicere licet, ejuſmodi donum publicis epulis fuiſſe locupletatum. Sic enim in *Craſſo* ipſe: *Indicia ejus avaritiæ hæc potiſſima cenſent, rationem quæſtus & facultatum amplitudinem. Nam cum ab initio non excederent ſeptuagies bis H-S. inde Rempublicam tractans, decimam facultatum ſuarum partem Herculi ſacraſſet, præbuiſſet etiam populo*
F *epulum, ad hæc ſingulis civibus Romanis teſſeram annonariam trium menſium de ſuo dediſſet, tamen antequam ad bellum Parthicum proficiſceretur, ſubducto ſecum fortunarum ſuarum calculo, reperit in cenſu millies ſeptingenties quater H-S.* Similis huic occurrit apud eundem in *Sylla* locus. Unde patet etiam extra bellum Decimas Herculi redditas. Auctoris verba ſunt: *Patrimonii ſui univerſi conſecrans Sylla Herculi decimam, præbuit ſplendidum epulum populo, tantoque exuberantior uſu apparatus fuit, ut quotidie magna copia cibariorum in amnem projiceretur,*

retur, vinum diffunderet quadraginta annis vetustius. Verum non patrimonii tantum decimam reddidit ille, sed universæ suæ substantiæ, sive facultatis. Plutarchi enim verba sunt: ἀποθύων ᾗ τ̃ ὠσίας ἁπάσης ὁ Σύλλας τῷ Ηρακλεῖ δεκάτlω, ut mirum sit, Xylandrum virum cæteroquin Græcarum literarum peritissimum hæc, quam loco superiori, angustius traduxisse. Has qui offerebant proprie dicebantur *pollucere*, hoc est, vovere, atque offerre.

Et eodem Plutarcho in *Probl.* ostendit Lilius Gyraldus erudito *de Diis Gentium* Opere in *Vita Herculis*, Romanos antiquitus Herculi fructuum Decimam solvisse. Causam reddit Plutarchus in *Quæst. Romanis: quod iis quoque Romæ Decimam boum Geryonis partem deposuit.* Tangit id etiam Cic. *de Natura Deor. lib.* III. Aliam rationem, quæ non displicet, addit Jacobus Nicolaus Loensis *Miscell. Epiph. l.* VI. *c.* I. quod *Decumana* maxima quæque dicerentur, unde & decima pars omnium proventuum Diis, Heroibusque dicaretur. De thure sigillatim Plinius *l* XII. c. XV. *Decimas Deo quem vocant Sabin mensura non pondere sacerdotes accipiunt: neque ante licet mercari.* Adeo verissima sapientissimi Pythagoræ sententia, quam in *Vita ejus* refert Laertius, thure & libis magis placari Deos, quam Hecatombis. De iis significantius Dio *lib.* XLII. *Tyriis omnia Herculis Donaria sustulit,* (Julius Cæsar) *quod conjugem, & filium Pompeii in fuga recepissent.*

Nec rarior in PRIMITIIS liberalitas, quarum solutio alacris, & non perfunctoria fuit. Plinius *lib.* XVIII. cap. III. Romanorum abstinentiam, & religionem commendans ait, *non degustasse eos vina, aut novas fruges, prius quam sacerdotes primitias libassent.* Romanæ mulieres, inquit Plutarchus *De vitando ære alieno*, mundum suum Apollini Pythio dederunt primitiarum loco: ex quo aureus crater confectus Delphos venit. Eas de fructibus Apollini Delio per Virgines fuisse missitatas indicat Julius Solinus; Laribus etiam, Calphurnius Poeta Siculus:

Hos quæ pomiferi Laribus consuevimus horti
Mittere primitias, & fingere liba Priapo,
Rorantes favos damus & liquentia mella.

De quibus erudite & plene Porphyrius *de Abstinentia lib.* II. interprete Franc. de Fogeroles. *Vetus sacrificandi consuetudo fuit per placentarum & fructuum oblationes, ut demonstravimus: unde voces* θυσία *primitiæ ex odoriferis plantis & fructibus:* Θυλὴ *arcula, in qua illæ primitiæ asservantur:* θυμίλη *ara, super qua primitiæ adolebantur;* θύειν *actus ille adolendi, a verbo* θυμιάω, *quod est suffire, &* θυμίασις *suffitus: sicuti etiam hodie* ἐπιθύειν, *idem quod* θυμιᾶν *significat.* Donarii genus istud merito effert Plutarchus *de Pythiæ orac. Ego autem Myrineos & Apolloniatas laudo, qui aureas messes huc miserunt; magis etiam Eretrienses ac Magnetas, qui hominum primitiis Deum donaverunt, ut frugum datorem paternum genitalem, ac humanum.*

Sed ante hos omnes Patriarcha Jacob *Geneseos* cap. XXVIII. vers. 22. *Cunctorum* (inquit) *quæ dederis mihi decimas offeram tibi.* Primitias etiam sic exigit Dominus a filiis Israel per Moisen, *Exodi* XXV. 2. & 3. *Loquere filiis Israel, ut tollant mihi primitias: ab omni homine, qui offert ultroneus, accipietis eas. Hæc sunt autem quæ accipere debetis; Aurum, & argentum,* &c. Et cap. XXXV. vers. 5. *Separate apud vos primitias Domino. Omnis voluntarius & prono animo offerat eas Domino: aurum, & argentum, & æs, hyacinthum, & purpuram,* &c. Itemque *Numerorum* cap. XXXI. vers. 26. 27. 28. & 29. *Tollite summam eorum quæ capta sunt ab homine usque ad pecus, tu & Eleazar sacerdos, & principes vulgi: dividesque ex æquo prædam inter eos qui pugnave-*

A *runt, egressique sunt ad bellum, & inter omnem reliquam multitudinem, & separabis partem Domino ab his qui pugnaverunt & fuerunt in bello, unam animam de quingentis, tam ex hominibus, quam ex bobus & asinis & ovibus, & dabis eam Eleazaro sacerdoti, quia PRIMITIÆ Domini sunt.*

Morem hunc ad posteros traductum ex Hebræorum monumentis ostendit Cl. Theologus D. Aloysius Novarinus *Schediasm. sacroproph. lib.* V. num. LII. *Agrippa Rex, licet magnus, magno tamen honori sibi ducebat, si ad montem domus accedens acciperet canistra Primitiarum super suos humeros, & deferret ad Sanctuarium.*

B Apud Athenienses pariter Primitiæ in canistris repositæ puellis ferebantur. Notat id Scholiastes Aristophanis *in Acharnen. Per festum Dionysii diem apud priscos Athenienses Virgines nobiles, quæ ad pubertatem accesserunt, tum primum canistros ferebant, qui canistri erant ex auro confecti, in quibus omnium fructuum impositæ erant Primitiæ.*

HECATOMBAS præterea, vel centenas cujusque generis victimas vovere primorum mortalium exemplo Græcis, & Romanis antiqui moris fuit, cum bellum essent inituri; unde apud Plutarchum Marius cum Cimbris pugnaturus lautas manus ad cœ-
C lum tollens Diis vovit se immolaturum centum boves; itemque quoties peste, & gravi morbo laborarent. Quod a Laconibus primum inventum fuisse tradunt alii. Cleones, auctor est Pausanias *lib.* II. pestilentia sedata æneum caprum Apollini pro Dono misisse.

De Hyperboreorum Hecatombis perquam lepide Lyricorum Græcorum Princeps Pindarus *Pyth.* Ode X. interprete meo judicio omnium optimo Erasmo Schmidio:

——— festis dapibus jugiter
Lætisque acclamationibus maxime Apollo
Gaudet: ridetque videns mactationem
D *Arduarum bestiarum.*

Cujusmodi Hecatombas Callimachi Scholiastes ὀνοσφαγίας appellavit. Quæ certe, quicquid Stuchio visum, neutiquam adeo ridiculæ, ut non innuant, Apollini ingenium rude literarum cultura fuisse consecratum, qui merito ejusmodi mactationem risit. Illud vero observandum, significanter admodum Poetam dixisse ὕβριν, quam vocem Henricus Stephanus Græcarum literarum alias scientissimus *insolentiam* vertit, Schmidius rectius *mactationem.* At vero longe major Græcæ vocis emphasis. Idem enim videtur significare quod Italis *strapazzo*, cui satis convenit *lancinatio:* ut recte
E apud Cornelium Celsum in *Proœmio lib.* I. loco *latrocinantis* medici, non sine vetustissimæ membranæ Florentinæ assensu, *lancinantis* substituerit V. C. Jo. Rhodius amicissimus noster in suis ad elegantissimum Auctorem *Emendationibus.* Etsi vero Κνώδαλον proprie *animal* significet *marinum*, abusive tamen hic pro terrestri usurpatur, cujus appellatio derivata παρὰ τὸ κνώσσειν, quod Scholiastæ Pindari est *dormire:* aptius, ut monuit Græcæ linguæ peritissimus Gulielmus Sojerus, *pigrescere*, cum isti animali propria sit pigrities: ad quam egregie allusit omnis scientiæ parens Homerus, dum Aja-
F cem a pugna tardo gressu recedentem Asino comparat *Iliad.* XI. ubi notat Eustathius Poetam manifestare τ̃ ἥρωος βέβαιον καὶ ἀκίνδυνον invictam Herois fortitudinem. Quod vero ab Interpretibus omissum video, ingeniose suggessit laudatus modo Amicus noster, bruta Diis ingrata peculiariter in sacrificium ipsis venisse. Quorsum enim Caper Baccho immolatus, nisi ut de vitium pernicie vindicta sumeretur? Unde Poeta elegantissime:

Vite Caper morsa Bacchi mactatus ad aras
Dicitur ultoris.

Causam reddidit Varro *De Re Rust. lib.* I. cap. II. quod pecudes quædam culturæ sint inimicæ. Inde Martialis festive de Hœdo *lib.* XIII. *epig.* XXXIX.

Lascivum pecus, & viridi non utile Baccho
Dat pœnas: nocuit jam tener ille Deo.

Quid si pro *jam* legatur *nam*, ut sit Redditio? Item, *lib.* III. *epigr.* XXIV.

Vite nocens rosa stabat moriturus ad aras
Hircus, Bacche tuis victima grata sacris.

Ex MS. Pirckhaim, Joannes Fredericus Gronovius V. C. *Observat. lib.* II. cap. XV. rescripsit, *victima grata satis*. Optime. De vitibus enim *Sata* recte proferuntur.

Quorsum & Minervæ porcus, nisi quod is Deæ ob immunditiem invisus? Veneri hercle graviori de causa. Festus: *Suillum genus invisum Veneri prodiderunt Poetæ, ob interfectum ab apro Adonim, quem diligebat Dea.* Sed etiam in rei gratæ memoriam Romani diversa animalium simulacra voti indicia reliquerunt. Æneam Lupæ infantium nutricis statuam inauratam in Capitolio visam sua ætate notavit Lactantius *lib. de falsa religione* cap. XX. qualis adhuc auri expers ibidem cernitur. Eandem cum Remo & Romulo consecratam Romæ cecidisse scribit Dio *Hist. Rom. lib.* XXXVII. Centaurum inibi Cic. *de Divinatione lib.* I. suo tempore ictum de cœlo memorat: & argenteum Anseris simulacrum observavit Virgil. *lib.* VIII. *Æneid.*

Atque hic auratis volitans argenteus anser.

Item in Capitolio in cella Junonis erat Canis æreus vulnus suum lambens; *cujus eximium miraculum* (inquit Plinius *lib.* XXXIV. cap. VII.) *& indiscreta veri similitudo non ex eo solum intelligitur, quod ibi dicatus fuerat, verum & nova satisdatione: nam summa nulla pars videbatur. Capite tutelarios cavere pro ea instituti publici fuit.* Æneam fuisse statuam Lupi apud Delphos tradit Pausanias, inter Locridem, & Phocidem Nicander lapideam; quali adhuc priscæ libertatis indicio superbit Senensium civitas Etruriæ delicium.

Nostrorum vero temporum consuetudinem dicandi in Templis exquisitæ novitatis belluas, aut ex remotis orbis partibus advectas, antiquissimum esse ostendit in *Adriano* e Xiphilino Dio *lib.* LXIX. *Eodem tempore Adrianus templum Jovis Olympii, in quo ipsius quoque statua posita fuit, Athenis ædificavit: jussitque in eo Draconem allatum ex India collocari.* Ad hanc Paulus Macuvius eleganter allusit *Emblem.* XXVII. hoc Tetrasticho:

Suspendit templis fertur Crocodilus in altis,
Arceat ut visu noxia monstra suo.
Sic terrere malos est consuetudo malorum:
Moribus improbitas sic inimica malis.

Animantibus in universi pulchritudinem a sapientissimo conditore productis, ne quid religionis pompa desideraret, AURUM mortalibus usibus charissimum successit. Hoc enim Diis quoque votum, testis mihi Livius noster *lib.* VIII. *C. Sulpitium Dictatorem auri ex Gallicis spoliis satis magnum pondus, saxo quadrato septum, in Capitolio sacravisse.* Duæ autem erant sacrandi auri causæ; Voti, & Triumphi, ex Tacito *Annal.* XVI. *Inque eam prædam etiam Diis cessere spoliatis in Urbe templis, egestoque auro, quod triumphis, quod votis, omnis P. R. ætas prospere, aut metu sacraverat.* Tale fuit Jasonis votum Palladi ac Junoni factum: quod eleganter expressit Valerius Flaccus *Argonaut. lib.* I.

—— vestris ego me tum vellera templis
Illa dabo, dabit auratis & cornibus igni
Colla pater, niveique greges altaria cingent.

Nec tamen hisce adversatur Pindari Scholiastes, qui contendit Marti olim sacrum fuisse aureum vellus. Sic enim Flac.

Effremit his quassatque caput, qui vellera dono
Bellipotens sibi fixa videt.

Sed & statuas ex omni metallo dicatas fuisse passim legere est. Suetonius in *Augusto* cap. XXXI. *Opera ejus manentibus titulis restituit, ac Statuas omnium triumphali effigie in utraque fori sui porticu dedicavit.* Auream Statuam & solidam primus hominum teste Plinio *lib.* XXXIII. cap. IV. sibi posuit Georgias Leontinus Delphis in templo; sicuti in Donarium Pompejus Magnus Vitem auream cum botro in templo Jovis Capitolini sacravit. Erat autem quingentorum talentorum auri titulum habens ARISTOBOLI FILII ALEXANDRI REGIS.

Inter Donaria etiam sacratas fuisse *Secures*, Plutarchus auctor est *lib. cur ævo suo Pythia non reddat oracula.* Bipennes item video, apud Pausaniam in dedicatione Tenedicarum Bipennium.

In magnis autem Reipublicæ periculis fuit moris apud Romanos VER sacrum vovere. Quod a Sabinis cœptum, Nonio Marcello teste, postea auctoritate Collegii Pontificum multis solennitatibus peractum, continebat quicquid ex suibus, ovibus, & agnis inter Calendas & Idus Maii editum fuisset. Item placandæ Deorum iræ indicere consueverant antiqui, Donaria Diis adferre, hostias mactare, epulas & Lectisternia parare. Ad convivia enim in templis Diis tamquam epulaturis, aut cubituris lecti sternebantur. Audiamus Livium fidissimum Rom. Hist. scriptorem *lib.* XXII. *Decretum, ut ea prodigia partim majoribus hostiis, partim lactentibus procurarentur: & uti supplicatio per triduum ad omnia pulvinaria haberetur*, &c. *Id Decem-Virorum decretum est. Jovi primum donum fulmen aureum pondo quinquaginta fieret: Junoni Minervæque ex argento daretur, & Junoni Reginæ in Aventino, Junonique Sospitæ Lanuvii majoribus hostiis sacrificaretur; matronæque pecunia collata, quantum conferre cuique commodum esset, donum Junoni Reginæ in Aventinum ferrent, Lectisterniumque fieret.* Etsi vero votis, cum ea exsolverentur, sacrificia accederent, de his tamen sigillatim tractare nostri non est instituti, cum in hoc argumento doctorum virorum diligentia nihil fere intactum omiserit.

Luci pariter Diis sacrati: Juvenalis *Satyr.* I.

Nulli non magis domus est sua, quam mihi Martis
Lucus.

Veteres id dixerunt, *lucum conlucare*. Cujus piaculi modum tradit Cato *de Re Rust.* cap. CXXXIX.

Neque Veteribus satis fuit, suis Diis Templa, Ædes, Aras, Ludos vovisse, sed eadem religione Numismata cælare consueverunt, capitibus Deorum & Dearum a tergo insculptis.

Ultra hæc omnia Veteres Diis etiam sacrabant Urbes, Thermas, Balinea, & reliqua opera: Item Cantharos, & aureas Cortinas. Apulejus *l.* IX. *Metamorph. Cantharoque & ipso simulacro, quod gerebam, altera die productum me rursum voce præconis vænui subjiciunt.* In hanc rem olim Inscriptio Ferrariæ:

T. VIBIVS
ZOTICVS. VI
VIR. AVGVSTAL
LIBERVM. PATREM
CVM. REDIMICVLO
AVRIFIC. ET. THYRSO
ET. CANTHARO. &c.

De Cortinis Suetonius *de Augusto* cap. III. *Aureas Cortinas Apollini Palatino dedicavit.* Quadrigæ etiam dicatæ templis. Propertius *lib.* II. *eleg.* XXXI.

Auro Solis erat supra fastigia currus.

Gemmas varias itidem, Picturas, Vasa summorum artificum, Clypeos, Arma, Trophæa, Vestes pariter, & Coronas ex auro & gemmis, plerumque Numinibus votas, & voto persoluto dicatas, invenimus.

Feriis etiam solemnibus, quibus sacratæ erant illæ, Diis pro amicis pecunia offerebatur. Inde Martialis *lib.* IX. *epig.* XXXII.

Quæ litat argento pro te, non sanguine, cæsa
Victima, jam ferro non opus esse docet.

Neque coronas solum & res materiales, sed homines Deo consecratos reperio. Unde Macrobius *lib.* III. *Saturn.* cap. VIII. *Cum cætera violari nefas, hominem sacrum jus fuerit occidi.* Ex quo more opinati fuere quidam exortam fuisse consuetudinem, Christianos se votis obstringere, & aliquando ereptos ex periculo sacris initiari, hoc est, a mundanis separari. Servius enim referente Macrobio *lib.* III. cap. III. *Religionem esse dictam tradidit, quæ propter sanctitatem aliquam remota ac seposita a nobis sit: quasi a relinquendo dicta.* Separationem vero a consecratione non fuisse diversam liquet ex *Numeror.* cap. VI. vers. 5. 6. & 8. Quod recte intelligit Tostatus de voto Nazaræorum, qui nihil aliud significant, quam *separatos*, ut notat idem *Quæst.* III. in locum modo adductum. Huc referri posse videtur votum Doctoris Gentium, qui *Epist. ad Romanos* cap. IX. *Anathema* fieri desiderat. Quod ex Budæo Cornelius a Lapide recte *separationem*, sive *secessionem*, hoc est, exitium interpretatur. Hinc vere S. Maximus *de Charitate* Centur. II. cap. XCIV. *Votum est sponsio proborum virorum, qui juxta promissionem se offerebant Deo.* Atque inde votis obstrictos, Deo votos & dicatos dicimus. Ab hoc voto parum dissidet eorum, de quibus egregie Plutarchus Dial. *De cohibenda ira: Ista pacta sive vota, ut non inelegantia, neque aliena a Philosopho probavi, cum per annum pollicebantur se velle re venerea & vino abstinere, Deumque continentia sua venerari: itemque per certum tempus mendacio vacare, ut animadvertere possent, quomodo & in jocis & in seriis omnibus veritatem tenerent.*

De Vestalibus multa hic addere supervacaneum erit, quandoquidem earum institutum accurate inter multos expresserit Dionysius Halicarnasseus non minimæ auctoritatis de Rebus Rom. scriptor. Habitum antiquæ Vestalis videre est apud laudatum virum Jo. Galvanum in statua ænea duorum fere palmorum; tunicæ nempe ad collum corrugatæ superinjectus est bardocucullus, qui thoracem tegit, non parum dissimilis ei, quo nostris temporibus sacrarum virginum Antistites utuntur. De Monialium nostrarum dedicatione eleganter Alcimus, Poeta fidelis;

Edidit ut quartam genitrix Prudentiæ prolem,
Teque dedit luci partu fœcunda supremo
Confestim Christo victuram dedicat uni.
At deinceps castum paribus servare cubile
Instituit VOTIS charo cum pignore mater,
Et quo principium tam sancti fœderis esses,
Te jam consecrat Christo, qui protinus ipsis
Accipit in cunis lactentia membra dicatis.

Nolo tamen hic præterire, Veteres vocasse eos *devotos*, qui pro aliorum salute morti tradebantur, dictique a Græcis ii sunt *ἀντίψυχοι*, tanquam animam pro anima tradentes, ut ait Aristides in *Sacris orationibus: quando dilecta anima pro anima, corpus pro corpore contribuitur.* Sic devotos pro patria Decios, sic Curtium, sic Scævolam, sic Codrum Atheniensium Regem, sic devotum ab Adriano juxta aliquos Antinoum accepimus: & in veteri Epigrammate legitur:

A quo vix avidus sistro compescitur Anser,
Devotusque sacris incola Memphitidis.

Tertullianus *Scorpiaces* cap. II. *devotamenta* vocat. Sic *Sacri* etiam qui jure in immortalitatem recepti sunt: quod *ἀπαθανατίζειν* Græci dixerunt. Capitol. in *Marco*: *Dati sacerdotes Antoniniani, & sodales, & Flamines, & omnia quæ de Sacratis decrevit antiquitas.* Idem in Septimio Severo: *eumque inter Divos sacravit.*

Devotum item hominem fuisse magicis artibus fascinatum docet Tibullus *lib.* I. *eleg.* V. vers. 41.

Tunc me discedens devotum fœmina dixit.

Clarius semet explicat idem *libri* modo adducti *eleg.* VIII. vers. 17.

Num te carminibus, num te pallentibus herbis
Devovit tacito tempore noctis anus?

Huic simile illud Suetonii in *Caligula* cap. III. *Clientelas diu vexanti, non prius succensere in animum induxerit, quam veneficiis quoque & devotionibus impugnari se comperisset.* Sic apud L. Apulejum *de Vir. Herb.* cap. VIII. *Devotus* dicitur *Defixus*; quamquam in vulgatis libris legitur *defectus*. Hujus loci videtur Veterum consuetudo, qua ad avertendam calamitatem publicam homo certis ritibus quam ridiculis conficiebatur. Unde Ovidius in *Ibi*.

Aut te devoveat certis Abdera diebus,
Saxaque devotum grandine plura petant.

Id in Saturnalibus factum scribit Porphyrius *lib.* II. *de Abstinentia: Ubi extra civitatis portas productus atque vino irrigatus coram magistratus consessu publice condemnatus mactabatur.* Eodem etiam auctore, *Phœnices in magnis cladibus vel bellorum, vel pestilentiæ sacrificant Saturno aliquem ex carissimis sorte vel suffragio electum.*

CAP. V.

DIVERSA VOVENDI RATIO.

SED ne singulis enumerandis immorer, videndum porro quomodo VOTA instituebantur. Enimvero ea cum de precatione, vel adoratione semper fiebant. Alii nempe Vota nuncupantes prius deprecari Numina, vel adorare consueverant: alii vovebant Diis, mox eosdem adorabant, eorum opem implorantes. Quos actus distinctos Græci uno vocabulo *προσδέχεσθαι* significarunt. Ratio autem ejusmodi solennitatis erat varia. Quidam enim humi more Persarum prostrati vota peragebant: alii inclinato ad terram capite, unde Hebræis *incurvare* nihil aliud est quam *adorare*, quod idem videtur sonare quod *odorari*: siquidem maxima fere adorationis pars in odorum incensionibus olim constituebatur; quamquam *Adorare* etiam quidam velint dictum ab ore, tametsi mente potius, quam ore fiat vera adoratio: alii capita pedibus Deorum subigebant, oculis pedes fatigabant: quod & hodie fieri videmus. Unde Apulejus: *Exosculatis vestigiis Deæ, quæ gradibus hærebat argento formata, ad suos discedunt Lares.* Osculabantur etiam Deorum dexteras. Lucretius *lib.* I.

—— portas propter ahena
Signa manu dextras ostendunt attenuari
Sæpe salutantum, tactu præterque meantum.

Nonnulli ritu apud nos frequentiori flexis genibus; Non pauci manuum protensione, & eleva-

tione, qualem ex antiquo marmore in *monumentis Auguſtanis* dedit Vir Conſularis Marcus Velſerus nunquam ſine laude nominandus. Ara non raro manibus tenebatur. Inde Virgil. VI. divini operis:

Talibus orabat dictis, araſque tenebat.

Romani, ex Pythagoræ inſtituto, capite velato ſedentes adorabant. Plautus in *Curculione* Act. III.

Quis hic eſt, qui operto capite Æſculapium Salutat?

Id eſt, adorat ac veneratur; alii *aperto*. Et quidem vittis, mitris, coronis capita velabant; & aliquando inter ſacra veſtes ad aures uſque attollere ſolebant, partim quidem ut eo geſtu & habitu humiliores ſe redderent, partim vero ne inter precandum triſte quid aut ignominioſum aliunde occurreret, quo animi religioſa attentio turbaretur. Saturno vero ſacra faciebant Romani aperto capite tamquam veritatis Numini, cui nihil obtegere poſſent; Honori Deo itidem, quia aperta & patens ſit gloria. Compreſſis etiam digito dexteræ labris, & oſculis, quod pauperum erat, teſte Luciano *de Sacrificiis*; quamvis & Principum id fuiſſe ex Suetonio notum ſit; qui de Claudio, *manu veneratus eſt.* Modum diſerte oſtendit Apulejus in *lib.* IV *Mileſiar.* de Pſyche: *Multi denique civium, & advenæ copioſi*, (quos eximii ſpectaculi rumor ſtudioſa celebritate congregabat) *inacceſſæ formoſitatis admiratione ſtupidi, & admoventes oribus ſuis dexteram, primore digito in erectum pollicem reſidente, ut ipſam prorſus Deam Venerem religioſis adorationibus venerabantur. Antiquis Græciæ*, inquit Plinius *Natural. Hiſt. lib.* XI. cap. XLV. *in ſupplicando mentum attingere mos erat.* Imo ſupplicantes ac vota concipientes barbam tangere ſolitos obſervavit Homerus. Turcæ vero adventantibus hodieque barbam tangere in veneratione habent. Nonnunquam vota fiebant preſſis Deorum genibus ac veſtibus. Hinc Propert. *lib.* II. *eleg.* XXVIII. verſic. 45.

Ante tuoſque pedes illa ipſa adoperta ſedebit,
Narrabitque ſedens longa pericla ſua.

Cui ſeſſioni Tertullianus *de Orat.* cap. XII. irreverentiæ crimen impingit. Sed & ſtando Vota fuiſſe concepta manifeſtat aperte Votum gemmæ inciſum, quod inferius dabimus; & numiſmata id ipſum oſtendunt. Interdum etiam ſupplicantes taciti vota murmurabant, ut Anna uxor Elcanæ *lib.* I. *Regum.* Inde Apulejus: *Tacitus preces in templo Deis alligaſti.* Cauſam attulit Seneca *de Benef. lib.* II. *Vota homines parcius facerent, ſi palam facienda eſſent: adeo etiam Deos, quibus honeſtiſſime ſupplicamus, tacite malumus & intra noſmetipſos precari.* Quo alluſit proculdubio Tibullus *lib.* IV.

—— *Natalis quoniam Deus omnia ſentis,*
Annue, quid refert, clamne palamne roges?

Hoc autem quo animi fervore peractum fuerit, teſtantur ſatis M. Tullii Ciceronis verba Act. VI. *in Verrem: Ibi* (Agrigenti) *eſt ex ære ſimulacrum ipſius Herculis, quo non facile quicquam dixerim me vidiſſe pulchrius, (tametſi non tam multum in iſtis rebus intelligo, quam multa vidi) uſque eo Judices, ut rictus ejus, aut mentum paulo ſit attritius; quod in precibus, & gratulationibus non ſolum id venerari, verum etiam oſculari ſolent.* Prudentius *contra Symmachum:*

Mox humeris poſitus nutricis, trivit & ipſe
Impreſſis ſilicem labris, puerilia VOTA
Fudit, opeſque ſibi cæca de rupe popoſcit.

Erudite, *cæca de rupe;* id eſt, de ſaxo, in quo Fortuna reſidebat.

Qua etiam animi puritate, oſtendit recepta Veteribus manuum ablutio; quam neque a Mario neglectam ſcribit Plutarchus. Hujus meminit Tibullus *lib.* II. *eleg.* I. verſ. 13.

Caſta placent ſuperis, pura cum veſte venite,
Et manibus puris ſumite fontis aquam.

Hebræi quoque veteri lege purificati ad Vota accedebant. *Judith.* cap. XVI. *Omnis populus poſt Victoriam venit in Jeruſalem adorare Dominum, & mox ut purificati ſunt, obtulerunt omnes holocauſta, & VOTA, & repromiſſiones ſuas.* Caute quippe Vota reddenda præcepit Tullius *de Legibus.* Munera vero cum manu offerrentur, veteres Græcos memorat Plin. *lib.* XXXV. cap. III. δῶρον appellaſſe Palmam.

Vota etiam publica, quæ pro Imperii æternitate, pro felicitate Principis, pro re feliciter geſta, nonnunquam pro ſalute Civium, verbis ſolemnibus concipi ſolebant, aliquando præeunte Pontifice Maximo conceptis verbis ex tabulis ſcriptis fiebant, annotante Plinio *lib.* VIII. cap. XXII. ne quid præpoſtere diceretur, ut ex Livio *lib.* VIII. patet. Hac tamen lege, ne interveniret luctus, quem inauſpicatum ac deteſtabilem exſecrabantur. De Decimis Herculi a Sylla oblatis Plutarchus: *Medio hoc epulo, quod multorum fuit dierum, deceſſit ex morbo Metella. Quia vero vetuerunt ſacerdotes ei illam adire, vel funere domum ejus pollui, miſit ei libellum repudii Sylla, juſſitque ſpirantem adhuc in aliud domicilium transferri. Atque hac in re leges curioſe ex ſuperſtitione ſervavit: at legem funerariam, quam tulerat ipſe, convulſit, nullo habito ſumptus modo.* Hinc perſpicua ſunt verba Capitolini in *Pertinace: Ælius Cæſar Votorum cauſa ab Adriano lugeri eſt vetitus.* Luctus igitur alienus erat a Votis, quibus omnino Dona & Victimæ accedebant. Hinc apud Veteres ſuperſtitioni & idololatriæ deditos celebrata fuere Taurilia Marti ſacra, Sueovetaurilia ex ovibus & ſue appellata; itemque Pulvinaria, Lectiſternia, Pervigilia, Supplicationes, Funalia, Pocula; & præſertim Diis Epulæ, Dapeſque opiparæ dicatæ erant, cum tamen nihil quicquam cibi, potioniſque ſumere potuerint eorum falſa numina, ſed ſacerdotes illorum guloſi & ebrioſi Idolis appoſita devorabant. Jovi Coronam, & Sceptrum, Phialamque cum cœna dicatam comprobat e multis hæc Inſcriptio:

I. O. M.
OB. PVLSOS. A. Q. SER
TORIO. METELLVM
ADQ. POMP.
IVNIA. DONACE
CORON. ET. SCEPTRVM
EX. ARG. MVNVS
ADTVLIT
FLAMINICAE. PHIA
LAM. CAELATAM
HIERODVLIS. COE
NAM. DEDIT

Epulum autem præter cœnam acceſſiſſe, ut cœna fuerit colonis data, populo epulum, ex titulo veteri non obſcurum eſt, qui Auximi in Piceno:

L. PRAESENTIO. L. FIL
LEM. PAETO
L. ATTIO. SEVERO
PRAEF. COH. I. AFR
C. R. EQ. IVDICI. SELECTO. EX
V. DEC. PR. AVXIMI. PAT. COL
AEDILI. II. VIR. ANCONAE
VIBIA. L. F. MARCELLA
FLAMINA. AVGVST
MARITO. OMNIBVS. EXEM
PLIS. DE. SE. BENE. MERITO
ET. IN. DEDIC. STATVAE
CENAM. COLON. ET. EPVL. POP. DED
L. D. D. D.

Huic lucem addit alia ibidem reperta, quam literis humanissimis Gabrielis Naudæi hodie apud Illustriss. Trivultios Mediolani extare intelligo:

AESCVLAPIO. ET. YGIAE
SACRVM
C. OPPIVS. C. L. LEONAS
VI. VIR. ET. AVG
HONORATVS. IN. TRIBV
CL. PATRVM. ET. LIBERVM
CLIENTIVM. ADCENSVS
PATRONIS. SANCTISSIMIS
COMMVNICIPIBVS. SVIS. D. D
QVORVM. DEDICATIONE
SINGVLIS. DECVRIONIBVS
--X. III. AVGVSTALIBVS.--X. II. ET
COLONIS. CENAM. DEDIT
L. D. D. D.

Sed hæc communis erat multis nationibus vota faciendi ratio: peculiariter Ponti, & Persarum Reges in montium jugis pyra extructa sacrificium voto præmittebant. Quod Euganeos vetustissimos olim egisse, testantur adhuc in hisce montibus Pa-
D tavinis inter Vicum Trium montium & Cœnobium Benedictinorum Prateleam cacumina, quæ a Viro Cl. & Patriæ studiosissimo Nicolao Campi S. Petri J. C. & Oratore disertissimo mihi nuper indicata etiamnum vulgari idiomate ARE appellantur. Atque ut Aræ Superis, ita Antra erant Diis Inferis destinata. Adde quod Athenienses, cum Diis libassent, & pæana cecinissent, cœlum suspicientes vota nuncupabant. Magos Parthorum Reges uti herba Nictegreto, quam inter pauca miratus est Democritus, ad vota suscipienda, scribit Plinius *Hist. l.* XXI. c. XI. Neque Mysi unquam, nisi equi
E litati extis depasti, vota fundebant. Berenice magno submissionis argumento vota Deo solutura pede nudo & raso capillitio ante Tribunal Hierosolymis supplicasse fertur. Hinc Nudipedalia apud Hebræos orta. De quibus Josephus *lib.* II. *de Bello Jud: Iis qui morbo, vel aliis calamitatibus implicabantur, mos erat primum orare per triginta dies, & abstinere vino, atque capillos radere: deinde nudis pedibus adire ad templum, hostiasque immolare. Ad hæc sacra, cum alias sæpius, tum id temporis præcipue recursum est, cum Nerone Principe, Florus Judææ Præses miserandum in modum gentem opprimeret, quæ ob ejus tyrannidem coacta est arma in
F Romanos ad extremum sumere, quo demum bello misera ferme tota deleta est. Igitur cum Judæi omnia prius humana, similiter ac divina experiri vellent, quam bellum tentare; postquam neque pretio, neque precibus potuerunt coercere sævitiam Flori, quippe qui, ne sua maleficia per accusationem Romæ patefierent, Judæos studio ad bellum suscipiendum stimulabat: Nudipedalia sacra VOVERVNT.* Quod etiam Pythagora traditum Lacedæmonii observarunt, qui nudis pedibus adorandum, & sa-

A crificandum accedere consueverunt. E diverso Ægyptiorum sacerdotes calceatos sacrificasse scribit Herodotus, & propter eos quidem calceos gestasse.

Vota tandem Persæ acerrime concipiendi morem habebant, quem describit Plutarchus: *Apud Persas genus supplicandi erat acerrimum & repulsæ securum, si supplex cum igne in fluvium descendens minabatur ignem se abjecturum, nisi impetraret, quod petebat.* Apud Romanos Vovendi formulam hanc dedit Livius *l.* XXXVI. *Si duellum, quod cum Antiocho Rege sumi populus jussit, id ex sententia S. P. Q. Romani confectum erit, tum tibi Jupiter P. R. ludos magnos dies* X. *continuos faciet,
B donaque ad omnia pulvinaria dabuntur de pecunia, quantam Senatus decreverit: quisquis magistratus eos ludos quando ubique faxit, hi ludi recte facti, donaque data recte sunto.*

Privata etiam VOTA ex istis familiari usu temporis progressu nata, peculiari variaque solennitate, semper tamen cum supplicatione, vel victima, sive sacrificio persolvebantur. Unde Valerius Max. *l.* I. c. I. *Prisco instituto rebus divinis opera datur, cum aliquid exposcendum voto.* Et quidem per eorum manus, qui vota faciebant, quemadmodum publica a sacerdotibus fiebant, Manilius *l.* I.

C *Delectique sacerdotes in publica vota*
Officio venere Deum.

Diebus id fiebat statutis, qui festi dicebantur. Idque vel horis matutinis, quibus Deos assidere templis & matutinis salutationibus adesse censebant, ut vere Apollonius Thyaneus scriptum reliquerit, primo mane cum Diis esse versandum; vel meridie, ut apud Indos; cujusmodi hostiam Festus atram appellari scribit.

Privatum Votum exhibet Gemmæ delineatio, quam ad me ex Museo Cl. Equitis Francisci Gualdi nobilissimus Jo. Baptista Casalis amicus noster transmisit, in qua spectatur Matronarum Votum.



Ara cum Idolo Æsculapii figura serpentis, Votum forsan pro salute cujusdam indicat. Huic matrona adstat amicta veste promissa, quam esse stolam suadet Ovidius *l.* III *de Ponto* eleg. III.

Scripsimus hæc illis, quarum non vitta pudicos
Contingit crines, nec stola longa pedes.

Ad cultum accedit capillitium cincinnatum & bene compositum. De quo Propertius *l.* IV. *eleg.* XII.

Mox ubi jam facibus cessit prætexta maritis,
Vinxit & acceptas altera vitta comas.

Pectus hic fascia etiam succingitur, quod in Virginibus ad gracilitatem corporis maxime factum indicat Terentius in *Eunucho*:

Haud similis virgo est virginum nostrarum, quas matres student
Demissis humeris esse, vincto pectore, ut graciles fient.

Manu præterea sceptrum gerit mulier, Imperatoris forsan aut triumphantis conjux; Aramque manu tangit. Vicinior ei altera Deos precari videtur. Reliquarum una Laurum tenet vel Olivam, altera coronam. Nunquid hic indicatur, quod est apud Hyginum.

—— dat vincenti præpes Victoria palmam.

Vere *Præpes*, ob inconstantiam sortis in bellis gerendis, & celeritatem eventuum.

VOTA vero non solum pro vario Deorum cultu, sed ex diversa quoque mortalium conditione in monumentis Veterum plurima occurrunt. Prima nempe Genii cura fuit: nec minori loco habita deinde fuerunt Natalitia; quibus jure succedunt Parentum Vota pro filiorum salute, ac libertate; atque his ipsis rursus Puerorum Vota, & nominatim Capillitia; itemque nubilium Virginum, imo Nuptarum Connubialia, Amatoria. Subditorum prætcrea in Principes bella suscipientes pietatem testantur passim militaria Anathemata. Nec Poetica munera, eorumve, qui se Musis dicarunt, Vota, aut Viatorum, sive Navigantium, atque in primis ipsorum Nautarum, qui inter mortales immensis laboribus vitam trahentes haud postremi, ut merito Rusticis, ceteræque Vinitorum, Pastorum, Hortos colentium, Venatorum, Aurigarum, Piscatorum, aliorumque Operariorum turbæ antistent. Artifices sua etiam producunt dona. Et quæ non Ægrotantium ac satiscentis tandem ætatis Vota! Ac ne quicquam omiserimus, Servorum, ac Gladiatorum in Deos cultum videbis: imo eorum etiam, quorum devotio, vel temeraria, vel scelesta, quodque in iis rerum divinarum tenebris minime mirandum, sæpe ridicula, atque ab omni honestate aliena. Vana hæc & profana fateor miseræ gentis deliramenta; sed tamen ad eruditæ Antiquitatis notitiam necessaria. Ista qui horres, moneo ad fidelium quæ cætera claudunt vota te serio convertas:

Et mage principio grata coronis erit.

CAP. VI.

LOCUS ANATHEMATUM.

CÆterum, Donaria modo columnis, modo parietibus, ac postibus, modo tholis, modo ædium fastigiis suffigebantur. Sed etiam Imperatorum Statuis, quemadmodum ex D. Ambrosii Sermone X. *in Psalm.* CXVIII. compertum est. Meminit etiam *l.*IV.*eleg.* XI. vers. 45.

Nunc spolia in templo tria condita, caussa Feretri,
Omine quod certo dux ferit ante ducem.

De Tholis Arnobius *l.* VI. *Multa Templa, quæ tholis sunt aureis, & sublimibus clara fastigiis.* Quid vero Tholus, ostendit Isidorus *Originum lib.* XIX. *Tholi* (inquit) *quasi brevia scuta, ubi ex ædificiis plures trabes coeunt.* Clarius adhuc Luctatius Placidius ad *l.* II. *Thebaid.* vers.734. *Tholium est in media templi camera locus, in quo VOVENTIUM primitiæ aut exuviæ figebantur.* Martialis *l.*I. *epigr.* LXXI.

Et Cybeles picto stat Corybante tholus.

Corybanticorum autem sacrificiorum ritus præ se tulisse Inscriptionem Tabularum, quæ apud Cretenses in columnis asservabantur, reliquit Porphyrius *de Abstinentia l.* II. Virgil.*l.*IX. *Æneid.*vers.411.

Dona tulit, si qua ipse meis venatibus auxi:
Suspendive tholo, aut sacra ad fastigia fixi.

Statius *Silv.*I. vers. 13.

——— tamen accipit omni
Exuvias Diana tholo, captivaque tela
Bellipotens.

Et *lib.* II. *Thebaidos*:

A

——— figamque superbis
Arma tholo, quæque ipse meo quæsita revexi
Sanguine, quæque dabis captis Tritonia Thebis.

Omnium optime Gulielmus Philander *in Vitruvii Archit. l.* IV. c. VII. *Tholus est testudinis umbilicus, id est, veluti scutum in medio tecto, quo trabes omnes conveniunt.* Unde Pantheon Dioni *l* LIII. vere θολοειδὲς describitur, id est, forma Tholi: quale etiamnum videtur. Idem Philander *ad l.* VII. c. V. adhuc planius: *Tholos intelligimus erectiores testudines Templis addi solitas.* In ornithorrophio etiam Tholum posuit Varro *de Re Rustica l.*III.c V. Alias Tholus Palladio teguriolum, ubi Monachi, aut Anachoretæ inclusi vitam agebant, quemadmodum ex *Hist. Lausiacæ* c. XLIII. notavit Ludov. della Cerda *Adverf. Sacr.* c. CLXXI. Tholum tandem locum, sive ædificium fuisse rotundum, in quo singulis diebus Senatores L. Prytanenses simul cœnabant, testis Julius Pollux. Quinam vero essent ii, præter Suidam docet idem aperte. Fuisse etiam locum in Balneis, observo apud Athenæum *l.* XI. c. XVIII. Sed & Æsculapii templum a Veteribus Tholon appellatum tradit Balduinus Ronsseus *Med.epist.* LXIIX. Lacunaribus pariter affigebantur Spolia. Propertius *l.*III. *eleg.* X.

B

C

Annibalis spolia, & victi monumenta Syphacis,
Et Pyrrhi ad nostros gloriæ fracta pedes,
Curtius expletis statuit monumenta Lacunis.

Fastigiis etiam Silius Italicus *l.* XIV.

—— Captivis fulgentia culmina rostris
Armaque fixa Diis.

Omniumque plenissime Statius *Thebaid. lib.* VII vers. 55.

D

Terrarum exuviæ circum, & fastigia templi
Captæ insignibant gentes, cælataque ferro
Fragmina portarum, bellatricesque carinæ
Et vacui currus, protritaque curribus ora.

Quam consuetudinem antiquissimam colligimus ex Herodoti *l.* III. *Æginetæ navali prælio victos cum Cretensibus diripuerunt, ac rostratas naves mutilaverunt, eaque rostra apud Minervæ Templum in Ægina affixerunt.* De rostris autem notanda Livii verba *l.* VIII. *Naves Antiatium partim in Navalia Romæ subductæ, partim incensæ, rostrisque earum suggestum in foro extructum adornari placuit; Rostraque id Templum appellatum.* Itaque Lipsius de *Milit. Rom. l.* V. c. XVII. *Rostra* erudite interpretatur Spolia marina.

E

Postibus etiam plerumque appendebantur. Virgilius *l.*II. *Æneid.* vers. 504

Barbarico postes auro, spoliisque superbis.

Et *lib.* VIII.

Multaque præterea sacris in postibus arma,
Captivi pendent currus, curvæque secures
Et cristæ capitum, & portarum ingentia claustra.

In Portis itidem Vota conspiciebantur. Propertius *l.* IV. *eleg.* III. vers. 17.

F

Omnibus, heu, Portis pendent mea noxia Vota.

Et nominatim Urbis. Idem in fine *elegiæ*:

Armaque cum tulero portæ votiva Capenæ,
Subscribam, SALVO GRATA PUELLA VIRO.

Item, in Porticibus. Juvenalis.

Legitime fixis vestitur tota Tabellis
Porticus.

Palatium quoque Principis Spolia exornabant. Ovidius *de Tristibus l.*III.eleg.I. Augusti domum describens:

Singula dum miror, video fulgentibus armis
Conspicuos postes, tectaque digna Deo.

Itemque Ducum. Sueton. in *Nerone* c. XXXVIII. *Tunc præter immensum numerum Insularum, domus priscorum Ducum arserunt hostilibus adhuc spoliis adornatæ.*

Limina tamen privata etiam ornabant affixa hostium spolia, *quæ nec emptori refringere liceret, triumphabantque etiam* (ut eleganter Plinius *Naturalis Historiæ l.* XXXV. c. II.) *dominis mutatis ipsæ domus.* Hujus enim ipsa ornamenta censebantur, quæ mutatis dominis semper manebant. Hinc Tibullus *l.* I. *eleg.* I. vers. 53.

Te bellare decet terra, Messala, marique,
Ut domus hostiles præferat exuvias.

Et Propertius *lib.* III. *eleg.* VIII. ad Mecœnatem, vers. 25.

Vel tibi Medorum pugnaces ire per hostes,
Atque onerare tuam fixa per arma domum.

Virgilius item *Æneid. l.* V. vers. 393.

—— *Et spolia illa tuis pendentia tectis.*

Qua autem solemnitate id factum memorat Diodorus Siculus *l.* VI. *Hostium spolia sanguine perfusa famulis tradunt in foribus domorum cum cantu atque lacbrymis affigenda, quemadmodum feras solent venatu captas.*

Verum ne incomposita multitudine Templis deformitatem adderent DONARIA, a Summo Pontifice aliquando submovebantur, aliquando concinnius disponebantur. Livius *l.* XL. *M. Æmilius Lepidus Pont. Max. Ædem Jovis in Capitolio, columnasque circa poliendas albo locavit: & ab his columnis, quæ incommode apposita videbantur signa, amovit; Clypeaque de columnis, & signa militaria affixa omnis generis dempsit.* Idem Cæsarem Augustum ex S.C. fecisse scribit Dio, ut veteribus ornamentis, quasi contaminata ea essent, detractis ex Ægyptiaca præda meliora & speciora reponeret. Secus enim Trophæa dedicata removeri nefas erat. Unde Statuas æneas apud Rhodios ob hostium memoriam visui parum gratas ædificio potius operire placuit, quam demoliri. Quem locum ipsi postea ἄβατον nominarunt, fortassis quasi Adytum: quo sensu hanc vocem in *Probl.* usurpavit Plutarchus. Sed abominanda quoque necessitatis amarissimæ lege refixa fuisse hæc ipsa indicat Valerius Maximus *l.* VII. c. VI. *Cannensis autem clades adeo urbem nostram vehementer confudit, ut M. Junii opera dictatura Rempublicam administrantis spolia hostium affixa templis, Deorum numini consecrata, instrumento militiæ futura convellerentur, ac prætextati pueri arma induerent: addictorum etiam, & capitali crimine damnatorum sex millia conscriberentur.* Qui locus (plurimum lucis adfert huic Virgiliano *l.* V. *Æneid.*

Et clypeum efferri jussit, Didymaonis artes,
Neptuni sacro Danais de poste refixum.

Eo Silius Italicus *l.* X. allusit:

———— *Ite, ite, ocyus arma*
Diripite, o pubes, templis. Vos atria raptim
Nudate, & clypeos in bella refigite captos.

Simile quid a Propheta Regio factum testantur Sacræ Literæ, quæ referunt ipsum gladium Goliath e templo adversus hostes deprompsisse.

At sensu longe diverso prophanos religionis errores taxans Julius Firmicus hoc consilium in publica commoda Principibus suggessit: *Tollite, tollite securi sacratissimi Imperatores ornamenta templorum. Deos istos aut monetæ ignis, aut metallorum coquat flamma. DONARIA universa ad utilitatem vestram dominiumque transferte. Post excidia templorum, in majus Dei estis virtute provecti.* Absit tamen quis credat hic Iconoclastis fenestram

A aperiri. Sincerum quippe numinis cultum severius suadere animus fuit. Verum, ut in publicos usus aliquando necessaria fuit ista DONARIORUM translatio, sic ad ornatum credibile est sæpius mutata fuisse ea, quæ Tabulæ specie Votum referebant. Horum nempe ingentem præ cæteris in dies crevisse numerum præter impendii facilitatem confirmabunt ea, quæ jam de iis peculiariter differemus.

CAP. VII.

DE TABELLIS VOTIVIS.

B NUllo Anathematum genere homines frequentius religiosi animi cultum olim testatos videmus, quam multiplici TABULARUM discrimine. Tabella autem erat parva tabula, in qua aliquid scriptum vel pictum erat. Et quidem *Scriptæ* apud Veteres Tabellæ erant, quæ *Epistolæ* dicebantur, ex forma, vel materia, atque argumento diversæ, *Sigillares* nempe, *Pugillares*, *Citreæ*, atque *Eburneæ*. De postremis graphice Auctor *Priap.*

Obscœnas rigido Deo Tabellas
C *Ducens ex elephantidos libellis.*
Dat donum Lalage.

Duplices item, *triplices*, & *quintuplices*, a foliorum numero: *Signatæ* pariter, *Testamentariæ*, *Matrimoniales*, *Censuales*, *ærarii*, *contractus*, *proscriptionis*, & hujus generis plusculæ. Inter pictas autem Tabellas, aliæ ad ornatum Ædium, & Villarum erant comparatæ. Unde Cic. *ad Gallum l.* VII. *Exedria quædam mihi nova sunt instituta in porticula Tusculani, ea volebam tabellis ornare.* Aliæ in Deorum venerationem, vel beneficii ab iis accepti memoriam: de quibus hic nobis sermo erit.

D Quædam nempe exhibebant exantlatos casus, ac labores. Unde Tibullus.

Picta docet templis multa tabella tuis.

Talis forsitan fuit Androdi Tabula apud Gellium, in qua Leonis a se curati miraculum extabat.

Aliæ superati periculi titulum solummodo referebant, quarum ex genere sunt qui velint fuisse Tabulam Horatianam, non autem ex illis, in quibus pictum naufragium erat. De quibus proprie Juvenalis *Satyr.* XIV.

———— *mersa rate naufragus assem*
Dum rogat, & picta se tempestate tuetur.

Ea plane de causa Adrianus Behotius *Apoph. l.* III.
E c. XVII. minus recte incessit Acronem, *qui* (ut scribit ille) *fortasse alibi sterilior hic luxuriari videtur, & uberius interpretamentum dare Horatii loco*; necnon reliquam omnem Interpretum manum, quæ de Tabula naufragii picta Poetam loquutum sensit. Tales forsan *Tabulæ literariæ*; unde Pamelius in Tertullianum *Tabularia* suspicatur diem festum, quo ipsæ Idolis dedicatæ.

Tertium genus ex reliquis prioribus conflatum erat. Historiæ nempe Inscriptiones addebantur, quæ voventium nomina, locum, tempus, & Voti occasionem, imo mercedem ipsam Diis solvendam carmine, vel soluta oratione exhibebant; nec inepte, quemadmodum erudite advertit Meur-
F sius, χαριστήρια vocantur. Est & in monumentis Arundelianis.

Ο ΙΕΡΕΥΣ ΑΡΧΙΔΑΜΟΣ
ΦΙΛΑΙΝΕΤΟΥ ΙΣΙΔΙ
ΟΣΙΡΙΔΙ ΑΝΙΟΥΒΙΔΙ
ΧΑΡΙΣΤΗΡΙΟΝ.

Seldenus ita vertit:

SACERDOS ARCHIDAMVS
PHILAENETI. F. ISIDI
OSIRIDI. ANVBIDI
DONARIVM

Unde Propertius *l* II. *eleg.* XXVIII.

Pro quibus optatis sacro me carmine damno.
Scribam ego, per magnum est salva puella Jovem.

Et Ovidius *Amorum l.* II. eleg. XIII. ad Isidem ut parientem Corinnam juvet:

Ipse ego thura dabo fumosis candidus aris,
Ipse feram ante tuos munera vota pedes.
Adjiciam titulum, servata Naso Corinna:
Tu modo fac titulo, muneribusque locum.

Nec aliud Titulorum nomine voluit Silius Italicus.

Belligeris hæc dona Diis, hæc tela dicavit.
Cernis adhuc titulos.

De his intelligendus venit Apulejus *Metam. l.* VI. *Videt dona pretiosa, ut lacinias auro literatas ramis arborum, postibus suffixas, quæ cum gratia facti nomen Deæ, cui fuerant dicata, testabantur.*

A Mos quoque fuit vetus ad memoriam posteritatis Titulos ædificiis, aliisque rebus inscribi, ac insculpi.

His accedit quartum genus, quod præter historiam, ac titulos, vestimenta, vincula, &c. id genus cætera dona exhibebat. Qualis est illa Horatiana, cujus antea memini.

Præterea in rei bene gestæ memoriam antiquitus, quemadmodum & nostra ætate, prælia terra marique feliciter exacta Templorum parietibus penicillo, vel scalpro effingebantur. Cujusmodi Tabula Victoriæ Asiaticæ a Lucio Scipione in Capitolio posita; itemque Ajax, & Medea: quibus publice

B Cæsar Dictator auctoritatem fecit, teste Plinio *lib.* XXXV. c. IV. qui addit. *Super omnes Divus Augustus in Foro suo celeberrima in parte posuit tabulas duas, quæ belli pictam faciem habent & triumphum. Idem Castores ac victoriam posuit, & quas dicemus sub artificum mentione in Templo Cæsaris patris.* Id etiam manifestat præsens Inscriptio ex Schedis Ant. Augustini.

C. MARIVS. C. F. COS. VII.
PR. TR. PL. Q. AVGVR. TR. MIL. EXTRA
SORTEM. BELLVM. CVM. IVGVRTHA. REGE. NVMID
GESSIT. EVM. CEPIT. ET. TRIVMPHANS. IN. SECVNDO
CONSVLATV. ANTE. CVRRVM. SVVM. DVCI. IVSSIT
III. CONSVL. APSENS. CREATVS. EST. IIII. CONSVL
TEVTONORVM. EXERCITVM. DELEVIT. V. CONSVL
CIMBROS. FVGAVIT. EX. IEIS. ET. TEVTONEIS. ITERVM
TRIVMPHAVIT. REM. P. TVRBATAM. SEDITIONIBVS
TR. PL. ET. PRAETOR. VI. QVI. ARMATI. CAPITOLIVM
OCCVPAVERANT. VI. CONSVL. VINDICAVIT
POST. LXX. ANNVM. PATRIA. PER. ARMA. CIVILIA
PVLSVS. ARMIS. RESTITVTVS. COS. VII. FACTVS. EST
DE. MANVBIEIS. CIMBRICEIS. ET. TEVTONICEIS. AEDEM
HONORI. ET. VIRTVTI. VICTOR. FECIT. VESTE. TRIVMPHALI
CALCEIS. PVNICEIS. . . . .
. . . .

Quod autem Veteres Templa picturis exornarent, indicat hoc saxum inter alia Romæ in hortis Julii III Summi Pontificis:

DIGNE. DOCTILOQVEIS. PICTVREIS. CONDECORAVIT
REGINAE. IVNONI. SVPREMI. CONIVGI. TEMPLVM
MARCVS. LVDIVS. ELOTAS. AETOLIA. ORIVNDVS
QVEM. NVNC. ET. POST. SEMPER. OB
ARTEM. HANC. ARDEA. LAVDAT

Hujus generis meo judicio apud Porphyrium *de Abstinentia l.* II. sunt ὑπομνήματα, hoc est, *Monumenta*. Talia autem memorat ibidem olim in Delo Hyperboreorum manipulos ferentium fuisse augusta & veneranda.

Tandem etiam in templis TABELLAE erant curationes morborum exhibentes. Receptum enim erat morbis liberatos in templo ejus Dei, qui opitulatus fuerat, mali auxilium notare. Qui mos usque ad Antonini Imp. ætatem non modo in Græcia, verum in Italia perduravit, uti patet ex Tabella marmorea, alta pedes II.s. longa pedes II. quam vidit & ex Jo. Metelli autographo descripsit Smetius, Romæ apud Bernardinum Maphæum Cardinalem olim asservatam, in qua leguntur quatuor curationes Græco idiomate. Has quidam, verbum verbo reddens, sic Latine vertit.

Hisce diebus. Cajo cuidam cæco, oraculum edidit, Veniret ad sacrum altare: & genua flecteret, deinde a parte veniret ad lævam, & poneret quinque digitos super altare; & elevaret manum, & poneret super proprios oculos. Et recte vidit, populo præsente; & congratulante, quod grandia miracula fierent, sub Imperatore nostro Antonino.

E *Lucio affecto lateris dolore, & desperato ab omnibus hominibus, oraculum reddidit Deus, Veniret, & ex tribomo tolleret cinerem, & una cum vino commisceret, & poneret supra latus. Et convaluit; & publice gratias egit Deo; & populus congratulatus est illi.*

Sanguinem removenti Juliano, desperato ab omnibus hominibus, ex oraculo respondit Deus, Veniret, & ex tribomo caperet nucleos pini, & comederet, una cum melle per tres dies. Et convaluit; & veniens publice gratias egit, præsente populo.

Utrobique doctissimus Mercurialis *Gymn. l.* I. c. I. *Tribomum* vertit *Aram*.

F *Valerio Apro militi cæco, oraculum reddidit Deus, Veniret, & acciperet sanguinem ex gallo albo, admiscens mel; & collyrium conficeret, & tribus diebus uteretur supra oculos. Et vidit; & venit; & gratias egit publice Deo.*

Hujus loci est in Apollinis Templo Odontagogum plumbeum, cujus meminit Cæl. Aurelian. *l.* II. *Tard. Pass.* cap. IV. salubri Medicis documento, ne quis dentes inconsulto eruat.

Tabellis etiam aliquando addita fuisse Deorum signa, indicat sequens Inscriptio Romæ in ædibus Marii Mellini:

PRO-

PRO. SALVTE
IVLIAE. VENERIAE
FILIAE. DVLCISSIMAE
DELICIAE. SVAE
TABELLAM. HANC. MARM
CVM. SIGNO. AESCVLAPI
IN. SOMNO. ADMONITVS
L. VALERIVS. CAPITO
AED. ANN. . . . . .
. . . .
D S. P. L. M. D. D. D

A Ejusmodi vero TABULAS marmoreas parietibus Templorum potius fuisse insertas, quam appensas certum est. Imo verisimile est in ipsis etiam parietibus signasse Veteres sua DONARIA, & VOTA. Unde Auctores operis jocosi hactenus Virgilio adscripti:

—— quidquid id est, quod otiosus
Templi parietibus tui notavi,
In partem accipias bonam rogamus.

B Ex his manifestum est, Ethnicis, ac ipsi potissimum Nautarum soboli VOTIVAS TABELLAS passim in usu fuisse, postquam aliquid discriminis evasissent. Ita præter Horatium, aliosque Vates, Tullius in *Epist. ad Atticum* lib. IV. *Nec enim me una ex hoc naufragio TABULA delectat*. Quo loci ad pictas omni procul dubio Tabulas respexit optimus orator; ad illas inquam, in quibus expressos videntes casus, quos ope divina salvi & incolumes evasissent, voluptate non minima caperentur jucunde acti laboris.

—— Vir enim inter dolores delectatur,
Quicumque jam valde multa passus est, & multa erravit.

C ut vere nostris verbis Poetarum Græcorum parens. Ne multis, ipsemet sibi Tullius Interpres, ac testis lib. III. *de Natura Deorum: Tu qui Deos putas humana negligere, nonne animadvertis ex tot TABELLIS pictis, quam multi votis vim tempestatis effugerint, in portumque salvi pervenerint?* Testatur idem Musa Venusina lib. II. *Serm.* Satyr. I. vers. 33.

Votiva pateat veluti descripta tabella
Vita senis.

D Rem bene explicat vetus Interpres his verbis: *Votiva TABELLA est, quæ ex voto posita est in templo, aut aliquo loco publico, in qua descripta, hoc est, depicta, fortuna alicujus. Ita solent naufragi suum naufragium TABELLA depictum circumferre, & in Templis alicui Deo consecratum suspendere.* Nec aliud sane Veteribus est *votum reddere*, quam votum TABELLIS hisce pictis dissolvere. Amabant enim illi non modo dona, quæ periclitantes voverant, sed & periculum ipsum in TABELLA depictum proponere, sive in Templis, sive alibi, ut apertius testarentur, quanto Deorum beneficio servati fuissent. Virgilius XII. *Æneid.*

E *Forte sacer Fauni foliis oleaster amaris*
Hic steterat, nautis olim venerabile lignum:
Servati ex undis ubi figere dona solebant
Laurenti divo, & votas suspendere vestes.

F Voto nempe promissas, non *notas*, ut passim est legere notissimo mendo. Factumque id a Latinis, ut notat Turnebus *Adverſ.* lib. VIII. cap. XVI. ritu priscæ superstitionis, præcipue Græcorum, qui in eadem arbore ante fana sua DONA solebant affigere. Quos imitatum fuisse Maronem eorum studiosissimum minime dubitarim. Causam moris habes ex arboris ipsius vivacitate, quæ tanta est, ut si multis configatur clavis, nihil tamen lædatur. Huc spectat illud Aristophanis in *Pluto*: *Oleastro affigam isti*. Quod nec diffitetur Theophrastus, ab Heinsio Viro Græcarum, & Latinarum literarum peritissimo recensitus, lib. V. *Hist. Plant.* cap. III. Illud ipsum in Oleastro, qui Megaris in foro stabat evenisse accepimus; Quo succiso urbem capi ac diripi oraculum erat; cui eventus quoque respondit. In hoc enim percisso repertæ ocreæ sunt, & alia quædam Attici ritus ea parte, qua primum affixa fuere, ad ramorum ambitum concavata, quæ longa ætas succrescente cortice occultaverat. Sed fuerit hic Virgilianus oleaster, foliis amaris, Fauno sacer, olim nautis lignum venerabile; ubi e naufragii discrimine erepti, aut ex ipso naufragio servati, quæ vovissent eidem Deo Capripedi dona, & vestimenta testimonio suspenderent. Longe salubrius Christianis hominibus hanc vitam miseram agentibus, & veluti mare quoddam vastum, undisonum, impetuosum navigantibus propositum est aliud lignum, & quidem *venerabilissimum* (verba sunt Jacobi Pontani *ad Virgilii versus*) *cui dona, vestesque salutis adeptæ indices suspendamus; Jesu Christo Salvatori sacrum, qui ab eo convulneratus, ac moribundus pependit, suaque morte naufragantibus incolumitatem, ac portum conciliavit. Cujus folia semper virentia, nec ut oleastri amara, sed dulcia potius, sicut ipse fructus longe dulcissimus.*

Crux fidelis, inter omnes arbor una nobilis:
Nulla silva tale profert fronde, flore, germine:
Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sustinet.

Fortunatus lib. II. *Carm.*

Fertilitate potens, o dulce & nobile lignum.
Quando tuis ramis tam nova poma geris.

Et infra:

Appensa est vitis inter tua brachia, deque
Dulcia sanguineo vina rubore fluunt.

Probiori igitur atque adeo longe sanctiori more Christi sectator uno verbo perge, & in solidæ pietatis studium in quo es, incumbe, proque oleastro priscæ superstitionis amantibus inaniter culto, ut Lactantius *de Passione Domini:*

Flecte genu, lignumque crucis venerabile adora
Flebilis, innocuo terramque cruore madentem
Ore petens humili lacrymis suffunde subortis.

Hoc enim (ut vere Julius Firmicus *de errore Prophanarum Religionum*) *Vitam immortali compage restituit*. De quo religiose idem: *Lignum Crucis Cœli sustinet machina, terræ fundamenta corroborat, affixos sibi homines ducit ad vitam*. Quid vero sibi vult, quod idem in eodem *Libello* refert? *In sacris Phrygiis quæ matris Deum dicunt, per annos singulos arbor pinea cæditur, & in media arbore simulacrum juvenis subligatur*. Simile quid in Paganis taxat Minutius Felix: *Tropbæa vestra victricia non tantum simplicis crucis faciem, verum & affixi hominis imitantur.*

Verum ut ad pictas TABULAS redeamus, earum quoque meminit Virgilius in *Catalectis ad Venerem:*

Non ego thure modo, aut picta tua templa TABELLA
Ornabo, & paucis serta feram manibus.

Neque omisit eas Tibullus *lib.* I. *eleg.* III.

Nunc-Dea, nunc succurre mihi, nam posse mederi
Picta docet templis multa TABELLA tuis.

Ubi *Nunc-Dea* Isis est, hasque voces junctim describendas optime animadvertit doctissimus Passeratius, & Janus Gebhardus, facem præferente Propertio *l.* II. *eleg.* II. XXVIII. vers. 17.

Io versa caput primos mugiverat annos:
Nunc-Dea, quæ Nili flumina vacca bibit.

Planior hic Lucanus:

A *Evolvam busto jam-numen gestibus Isin.*

Hinc Juvenalis naufragii mentionem faciens festive admodum & jocose Pictores Tabularum quæstu victum quærentes ab Iside pasci finxit *Satyra* XII. vers. 23.

——— Si quando poetica surgit
Tempestas, genus ecce aliud discriminis audi;
Et miserere iterum, quanquam sint cætera fortis
Ejusdem, pars dira quidem, sed cognita multis,
Et quam VOTIVA testantur fana TABELLA
Plurima: pictores quis nescit ab Iside pasci?

Quamvis enim qui naufragium evaserant, casum pictum in Templo Neptuni figerent, ut *ad hunc* B *Poetæ locum* notavit Britannicus; *de recepto tamen more ex Ægyptia superstitione in templo quoque Isidis, cujus sacra præcipua veneratione in Urbe colebantur, Tabellas ponebant, tanquam quæ mari periclitantibus opitularentur.* Et mox: *Quare non immerito Ægyptus navigium Isidis colit. Quin Europa in Tauro rapta fertur, id est, in navi Tauri figuram habente, auctore Fulgentio.* Rationem ex Hygini *Fabula* CCLXXVII. repetere licet: *Velificia primum invenit Isis: nam dum quærit Harpocratem filium suum, rate velificavit.* Nec solum Isis apud Ægyptios tempestatibus ac navigantibus Præses, sed tanquam multarum rerum inventrix colebatur. C Isis enim, παρὰ τὸ ἰέσθαι, *ab eundo*, nihil aliud est quam prudens naturæ progressus, ut eleganter notavit *de Rebus Ægyptiacis* Calcagninus.

Diana vero sub Isidis nomine ab Ægyptiis colitur, sicut Sol sub Osiridis; Cereremque eandem esse cum Iside, & Luna, ostendit præter alios Laurentius Pignorius in *Expositione mensæ Isiacæ*, maximeque id confirmatur elegantissima Inscriptione, quæ ad D. Mariam in Ara Cæli Romæ spectatur:

ISIDI
FRVCTIFERAE

D 

POSVIT

Ejusmodi cultus vestigium spectatur, in Nummo argenteo Isidis caput in Libello *Deorum, Dearumque* Abrahami Ortelii illustrato a Francisco Swertio, in cujus facie aversa hæc leguntur:

VOTA. PVBLICA

Apertius in marmore apud Isaram fluvium:

E ISIDI. AVG
FESTINVS
T. IVLI. SAT
VRNINI
C. P. P. SERA
RI. EX
VOTO

Et Romæ ad campum Martium in ædibus quondam Jo. Mangonii in Arula, quæ nunc in Monasterio S. Silvestri in Monte Quirinali:


ISIDI. SAC.
F CRESCENS
CAESARIS
VESPASIANI
EX. VISO. POSVIT

Sed ut ad primam redeam, quæ hic exactior est, quam apud Gruterum in magno *Inscript.* opere: nonnulla in ea videntur expendenda. Cur nempe Isidi Plantæ in Votum positæ? Numquid aliquis longa peregrinatione peracta ad patrios Lares reversus Deæ peregrinationis præsidi ob vitæ incolumitatem eos appendit; aut potius post multos viarum labores parato sibi prædio vitæ reliquum, longe forsitan ab Urbe, huic Deæ (ut Diodoro Siculo placet) tanquam *tritici, & hordei Inventrici* sub FRUCTIFERÆ titulo desideratæ quietis monumentum fixit. Quo spectare videtur illud Luciani in *Dial. Mort. Porrectis pedibus dormire.*

Aurei sunt in hanc rem Catulli versus:

O quid solutis est beatius curis?
Cum mens onus reponit, ac peregrino
Labore fessi venimus larem ad nostrum
Desideratoque acquiescimus lecto.
Hoc est, quod unum est pro laboribus tantis.

Huic non dissimile est insigne votum, quod Romæ apud V. C. Jo. Baptistam Casalem in marmore candido spectatur. Cujus speciem a Viro humanissimo transmissum hic exhibeo.



Sed Hygiæ non (ut quibusdam visum) Isidi, donum oblatum videtur, quod Hygiæ Æsculapii filii ope quispiam pedibus forsitan laborans sanitate recepta TABELLAM hanc appenderit: aut miles aliquis Romanus, sævitiam Annibalis evasit, dum cæteri captivi pedibus mutilati dimitterentur, quod a Valerio Max. *lib.* IX. *cap.* II. notatum reperio. Quam conjecturam non parum confirmat Pes æneus operis vetustissimi tibiæ integræ unitus, quia nulla certe Statua avulsus videtur, omnisque inscriptionis expers in Museo Cl. V. Joan. Galvani amicissimi nostri, qui omnino multis indiciis votum fuisse asseverat. Addo, literas H. D. nihil aliud significare, quam HYGIÆ DONUM. Neque enim H. Isidem indicat, cum vocabulum Isis sine aspiratione semper prolatum constet. Postremum vero peregrinandi metam præter hæc aversi pedis vestigia, quæ potius quiescentis videntur quam gradientis, demonstrat vox QUIE, antiquis fortassis usurpata pro QUIETÆ, vel QUIESCENTIS; quemadmodum in monte Sumano agri Vicentini Palæmonis Grammatici monumentum habet QUIES pro QUIESCENS. Oscorum quippe & Græcorum exemplo unius, aut plurium syllabarum, detractione prisci Latini nomina scribebant. Etenim Quiescentis Janæ, vel Quietæ Janæ factum Hygiæ donum, ac otii, valetudinisque recuperatæ post varia laborantis tædia Anathema isthoc Hygiæ a Jana dicatum fuisse, credibile est. Verum hac de re interiorum literarum periti judicent.

Alterum nunc TABULARUM usum in apertam A lucem proferam, a quo nec abeunt nostri. Et quis ille tandem? nisi VOTI causa tantum depictos in his TABULIS fuisse nautarum casus, sed & eorum ex numero, qui fracto naufragio amissis mercibus ad incita devenissent, se, suaque pericula, ventorum rabiem, sævitiam maris, merciumque jacturam ostendentes, calamitate ipsa propius ob oculos posita emendicando promptius æs corrogarent. Idque, ut non male ad primam Persii Satyram notavit Scipio Ferrarius, *ne omnibus suos casus narrare cogerentur*. Profusa vero in ejusmodi homines omnium erat liberalitas, qui veluti a Diis servati chariores videbantur. Antiquissimus sane, B exploratissimusque hic TABULARUM usus. Idem Vates ille Venusinus, qui viam nobis munivit ad usum TABULARUM alterum, quem diximus indicandum, clare etiam aperit *de Arte Poet. ad Pisones* vers. 20.

—— Quid hoc, si fractis enatet exspes
Navibus, ære dato qui pingitur?

Nec minus expresse Juvenalis *Satyra* XIII. v. 219.

—— fracta rate naufragus assem
Dum rogat, & pictæ se tempestate tuetur.

Ubi Scholiastes vetus. *Dum rogat) dum picturam naufragii sui portat in TABULA ferens casus sui historiam*. Ferebantur autem hæ TABELLÆ e col- C lo suspensæ. Unde Jo. Britannicus ad eundem locum: *moris erat, ut naufragi in Dabella ab humeris dependente ferrent pictum naufragium*. Prodidit hoc ante reliquos Persius *Satyra* I. vers. 88.

Men' moveat quippe, & cantet si naufragus, assem
Protulerim? cantas, cum fracta te in trabe pictum
Ex humero portes.

Hanc procul dubio intellexit Martialis *lib.* XII. *epigr.* LVII.

Nec fasciato naufragus loquax trunco.

TABULA quippe naufragii picti de fascia ex hume- D ris suspensa significatur; non pars mali cum velo, quod alii sentiunt; licet id mihi persuaserit nemo. Quæ TABULÆ ubi demum diu latæ fuerant, & ostensæ, Divis ipsæ quoque Præsidibus sacrabantur in eorum templis, ut bene Eruditiss. Raderus *ad Martialis epigr.* LVII. *lib.* XII. notavit. *Hoc enim factitabant prisci, uti emersi fluctibus vicatim, & oppidatim cogerent stipem, & tandem Tabulas ipsas, quas secum ferebant Neptuno, aut Castori, & Polluci nautarum numinibus consecrarent, quorum ope se testabantur naufragium evasisse.*

Nec solum Tabula titulum, aut historiam ali- E quando superati divinitus periculi continebat: sed & ipsa eorum qui naufragium evaserant Vestimenta suspendebantur; quod jam initio ex Horatio manifestavimus. Ad quem ritum alludens ita Venerem alloquitur Propertius *l. b.* II. *eleg.* XIV.

Has pono ante tuas tibi Diva Propertius ædes
Exuvias.

Eas ut credam concidisse nautas priusquam appenderentur, ne quis eas auferret, vix mihi persuadebit Hesychius: quamquam ei subscribat Casaubonus *ad Athenæum Animad.* lib. cap. XVII. Quor- F sum enim custodes Templis appositi? Et quid in vili veste, quod posset oculos in sacrilegium abducere? Quid etenim mirum, vestimenta ejusmodi fuisse lacera, quum nautæ plerumque pannosi? Putemne homines extremo discrimine liberatos ita voluisse Diis ludum facere? Eruditorum hoc esto judicium. Vellem sane Grammaticus dicti rationem attulisset. Sed abeat cum suis Tabulis hominum genus permolestum, expers, desertum, vagum, quod suis nos moribus hic detinuit fortasse diutius, quam par erat, aliorumque VOTA sigillatim perspiciemus.

CAP. VIII.

VOTA GENIO, ET LARIBUS DICATA.

At enim cum in tanta Voventium multitudine omnes cujuscumque ætatis, sexus, status, VOTA sibi congrua dicarint; eruditæ antiquitatis fide subnixi, non neglecto penitus naturæ ductu, dignitatis in primis seriem ubique sectabimur.

Et quidem ut a mortalium origine initium ducamus; GENIO Jovis & Terræ filio, tanquam Deo Natali, & Naturæ Præfecto, ab omnibus promiscue flores & unguenta fundebantur. Hinc Tibullus *lib.* I. *eleg.* VII.

Huc ades, & centum ludos Geniumque choreis
Concelebra, & multo tempora funde mero.
Illius e nitido stillent unguenta capillo,
Et capite, & collo mollia serta gerat.

Genii quippe Latinis dicti quasi Genitores, a gignendo, vel quod agant, & curent ut homines gignantur; vel quod homines genitos suscipiant ac tueantur, a Græcis dicti sunt δαίμονες: quod apud Ethnicos nomen fuit commune omnibus spiritibus tam bonis, quam malis. Genio enim procreandorum cura divinitus commissa credebatur, omnisque vitæ moderatio. Sic enim de ipso eleganter Martianus Capella de *Nuptiis Philologiæ* lib. II. *Quoniam unicuique superiorum Deorum singuli quique deserviunt, ex illorum arbitrio, istorumque comitatu, & generalis omnium præsul, & specialis singulis mortalibus Genius admovetur, quem etiam Præstitem, quod præsit gerundis omnibus, vocaverunt. Nam, & populi Genio, cum generalis poscitur, supplicant, & unusquisque gubernatori proprio dependit obsequium. Ideoque Genius dicitur: quoniam cum quis hominum genitus fuerit, mox eidem copulatur. Hinc tutelator, fidissimusque germanus animos omnium, mentes custodit*. Nec sine ratione; cum non solum prima rerum semina: sed etiam elementorum proportionem eo significari crediderint multi: verum & Genium homini semper læta, ac sana consilia suggerere. Genium autem inter nascentes mari præcipue adesse putabant Veteres, vel Lecti mensæ Deum, quemadmodum feminæ Junonem, quæ Dea est cubilis; notante *ad Catullum* Josepho Scaligero. Testisque mihi de Genio Tibullus lib. IV. *ad Cherintum*:

Magne Geni, cape thura libens, votisque faveto.

Et mox:

At tu Natalis, quoniam Deus omnia sentis.

De Junone pariter ibidem Carmine *ad Junonem*:

Natalis Juno, sanctos cape thuris acervos,
Quod tibi dat tenera docta puella manu.

Poetæ lucem affert Martianus Capella *loco supra citato*: *Ubi in conspectum nubentis Diva pervenit, atque, ut mos virginis erat, litavit aromatibus, Deam talibus deprecabatur. Juno pulchra, licet aliud nomen tibi consortium cœleste tribuerit, & nos a juvando Junonem, unde & Jovem dicimus, nominemus. Si te, Lucinam, quod lucem nascentibus tribuas, ac Lucesiam convenit nuncupari*, &c. De qua Ausonius:

—— Nono incumbens signo cunctantia matrum
Vota levat.

Præclare pro hac re Plutarchus in *Quæstionibus Romanis*: *Junoni nomen est a Juvenescendo, & Juno-*

nem vocant Lucinam, quasi Lucidam diceres: putantque eam in partubus auxilium ferre mulieribus, ut & Lunam. Facillime enim mulieres sub plenilunium videntur prolem eniti. Junoni vero Ciconiam quandam fuisse dicatam tradit Porphyrius *de Abst.* lib. II.

Nec hominum tantum, sed Regionum, Urbiumque peculiaris erat Genius; quem Symmachus *Urbis Numen*, Poeta *Tutelam* appellavit: cum quo facit Festus, qui ait: *Alii Genium esse putarunt uniuscujusque loci Deum*. Quod confirmat saxum vetus in Hispania:

DEO. TVTEL
GENIO. LOCI

Item Burdigalæ in Ara maxima:

AVGVSTO. SACRVM
ET. GENIO. CIVITATIS

Et vetus marmor Augustæ Taurinorum:

GENIO
MVNICIPI
SEGVSINI
IVL. MARCEL
LINVS. V. P.
EX. VOTO. POSVIT.

Inde adeo, ut Minucii Felicis verbis utar, *per universa imperia, provincias, oppida, videmus singulos sacrorum ritus gentiles habere, & Deos colere Municipes.*

Ejusmodi apud Veteres erant Dii Patrii, notante Servio *ad Virgilium*. In monumentis etiam Arundelianis legitur:

ΔΙΟΝΥΣΙΥΣ ΖΗΝΩΝΟΣ
ΤΟΥ ΘΕΟΔΟΡΟΣ ΒΗΡΥΤΙΟΣ
ΕΥΕΡΓΕΤΗΣ
ΘΕΟΙΣ ΠΑ
ΤΡΙΟΙΣ.

Extat in hanc rem insignis Velleii Paterculi locus lib. II. *Histori Romanæ*, licet is valde corruptus: *Post victoriam qua descendens montem Tifata cum C. Norbano concurrerat Sulla, gratus Dianæ, cujus num ni regio illa sacrata est, solvit; aquas salubritate in medend squ corporibus nobiles, ut potius agros omnes addaxit Deæ, hujus gratæ religionis memoria, & inscriptio templi affixa posti, hodieque testatur æ ea tabula.* Huic quidem manum admovisse Claudium Puteanum monet in *Scholiis* Aldus Manutius, nondum tamen adhuc is plane restitutus. Etenim pro *solvit*, sine dubio legendum *Votum solvit*, & pro *adduxit*, scribendum *addixit*.

Hujus generis est altera Inscriptio Viennæ in ædibus Volfg. Lazii.

FORTVNAE. CONSERV
GENIOQVE. HVIVS. LOCI
IN HONOREM IVN
TIBERINIACI. TR
MIL. LEG. X. G. PP
FECIT
T. CL. VALENTINVS
CORNICVLARIVS
EX. VOTO... VIC..
V KAL. IVN. AEMIL. II
ET. AQVILIN. COS

Templum Fortunæ, & Provinciæ Histriæ simul sacratum fuisse ex voto a Q. Cæsio Macrino, a C. Vibio Varo patre inchoatum indicant saxa duo elegantibus characteribus in oppido Rubini in Histria inventa, quæ cura Jacobi Tomasini mihi ex fratre nepotis amatissimi, & studiosi translata Patavium in nostris ædibus ad Pontem Tadorum spectantur. Hæc lineata diligenti studio Cl. Vir Eques Sertorius Ursatus erudite explicavit in *Monumentis Patavinis* nuper editis.

HISTRIÆ FANUM

AB. C. VIBIO. VARO. PATRE. INCHOATVM
Q. CAESIVS. MACRINVS. PERFECIT. ET.
DECICAVIT

FORTUNÆ FANUM

AB. C. VIBIO. VARO. PATRE. INCHOATVM
Q. CAESIVS. MACRINVS. PEREECIT. ET.
DEDICAVIT

Suos pariter Genios opinabantur antiqui esse Plantis, Fontibus, Ædificiis, Stabulis, Thermis, Mensæ, Libris, corporis membris. Vesaniam hanc merito ridens Prudentius:

Romam dico viros quos mentem credimus Urbis,
Non Genium, cujus frustra similatur imago;
Quamquam cur Genium Romæ mihi fingitis unum?
Cum Portis, Domibus, Thermis, Stabulis, soleati
Assignare suos Genios, perque omnia membra
Urbis, perque locos Geniorum millia multa
Fingere.

Ædibus quidem Veterum superstitione suos fuisse Tutelares, indicat false D. Augustinus *de Civitate Dei* lib. IV. cap. VIII. *Unusquisque domui suæ ponit Ostiarium, & quia homo est, omnino sufficit. Tres Deus isti posuerunt, Forculum foribus, Cardeam cardini, Limentinum limini. Ita non poterat Forculus simul fores, & cardinem, limenque servare.*

Domibus autem Ædiculus Deus peculiariter præerat, cæteris ædificiis Genius. Sic Romæ in saxo:

GENIO. LAVACRORVM. METELLI

Itemque in alio Blondi ætate Romæ invento:

GENIVM
THEATRI. POMPEIANI

Tertullianus etiam *de Corona* cap. XIII notat Deos, quos diabolus ostiis affinxerit: *Janum a janua, Limentinum a limine, Forculum, & caudam a foribus & cardinibus, & apud Græcos Thyræum Apollinem, & Ancelios dæmones.* De Mensa Statius *Silv.* lib. IV.

Castæ Genius, tutelaque mensæ.

Libris etiam Martialis festiva similitudine Genium tribuit, dum ait:

Victurus Genium debet habere Liber.

Nam & hic favor quidam veluti custos exigitur. Cui conjecturæ favere video Henricum Stephanum *lib. I. Sched.* XIIX qui Genii nomine non gratiam aut leporem, sed patrocinium a Poeta significari putat. Nec in re leviori diutius morabor: sola hic elegantia locum meretur Fontibus dedicatio:

GENIO
NVMINIS
FONTIS. SERMON
CHRYSEROS
CAESARIS
NOSTRI. LIB
GANGALA

Viventium certe præstat cultum & consuetudinem persequi, cujus potissimum causa noster hic labor susceptus est. Enimvero Senatui, Populoque Romano, ac Militiæ, suum fuisse Genium

A non minus ex Numis, quam ex Monumentis ipsis constat. Fuisse etiam Familiis, docet vetus Inscriptio olim Romæ visa:

GENIO. PATR
VALERIANAE
FAMILIAE
L. VALERIANVS
C. F . . . . . .
ARAM. CVM. OR . .
L. M. P

Is vero ita sacer erat, ut per ipsum religiosa fide B Veteres jurarent. Inde Apulejus *Metam.* lib. IX. *Adjurantes Genium Principis* contendebant. De Principibus id clarius est: quam ut probem. Quid enim vulgarius, quam Genius Augusti? Pro multis hic sufficit titulus, qui est Neapoli litera palmari:

GENIO. CAESARVM
DIOGENETVS. VILIC. FEC

Et Vicetiæ in ædibus Jo. Bapt. Macarelli:

GENIO . . . . . PRINCIPIS

Hæc vero Vota, cæteraque Genio publice soluta, C perspicuum est in via Appia, ex veteri saxo:

VOTIS PVBLI CIS	GENIO	VOTIS PVBLI CIS

Et quid fuerit dubii, corporis humani partes Genio etiam fuisse dicatas, cui omnes vitæ initium ac tutelam deferebant? Deum venerantes frontem tangere auctor est Servius non vulgaris doctrinæ Grammaticus.

FORTUNAM pari quoque jure quo Genium colebant mortales, *tamquam hæc opes & humanarum rerum regimen obtineat*, ut est apud Lactantium *l.* III. *c.* XXIX. Unde etiam teste Arnobio cum cornu fructibus & frugibus referto pingebatur. Eique peculiare Prænestæ Templum erat variis Donariis nobilitatum; quorum frequens copia quotidie eruitur, e quibus multa in Museo Eminentissimi Principis FRANCISCI BARBERINI cæterarum literarum atque imprimis antiquitatis amantissimi. Fortunarum etiam signa & Imagines plurimas tam ex ære quam ex marmore, ex terra quoque fictiles ibidem se vidisse memorat Franciscus Scottus in *Itinerario Italiæ*. De hoc Templo Silius Italicus *lib.* VIII.

——— *sacrisque dicatum*
Fortunæ Præneste jugis.

E multis Fortunæ Donariis singulare est in veteri fragmento marmoreo carmen Heroicum, ex quo effigies quoque Majorum Diis fuisse appensas colligimus:

Tu quæ. Tarpejo. colens. vicina. tonantis
Votorum. vindex. semper. fortuna meorum
Accipe. quæ. pietas. ponit. tibi. dona. merenti
Effigiem. nostri. conservatura. parentis

In Ædicula pagi Castagnari ditionis Vicetinæ columella aquam sustinens lustralem:

FORTVNAI
SATRIA. Q. F
PROCVLA
V. S. L. M

Genius quemadmodum vero Principis, ita & Fortuna colebatur. Hinc illud apud Conseranos.

FORTV
NAE. AVG
M. VAL
IVSTVS
EX
VOTO

Speciale magis est, Horreorum curam utrique fuisse creditam. Quod ex vetusto marmore Romæ effosso ostendit Lucius Faunus *Antiq. Rom. l.* III.

NVM. DOM
AVG. SACRVM. GENIO
CONSERVATORI. HORREORVM
GALBIANORVM. M. LORINVS
FORTVNATVS. MAGISTER
S. P. D. D

Parte aversa saxi eadem erant verba, nisi quod loco *Genii* repositum, *Fortunæ conservatrici*.

Hortos pariter in tutela Veneris fuisse, admonet Varro *de Re Rustica* l. I. c. I. & *de lingua Latina* lib. V.

Genii Votis merito subjicimus ea, quæ LARIBUS fiebant. Lares enim ex Varronis sententia Maniæ filios cum Geniis eosdem esse, non sine ratione statuebant quidam, existimantes unicuique nascenti duos esse Deos, alterum bonum, alterum malum; quamquam nonnulli Lares, bonos Genios; Lemures, malos voluerint. Genium tamen nomine a Laribus distinctum prodit saxum ad Nolam oppidum:

GENIO. ET
LARIBVS

Lares autem erant publici, & domestici: Et qui-D dem Publici ordinis diversi, quorum in Urbe Sacellum fuit, & Lucus. Hinc Lares Urbani, veluti Urbis custodes. De quibus Martialis *l.* III. *epigr.* XXXI.

Sunt tibi, confiteor, diffusi jugera campi;
Urbanique tenent prædia multa Lares.

Hos apud Ædem Vestæ servatos constat ex l. XV. *Annal.* Taciti: *Numæque Regia, & delubrum Vestæ cum Penatibus Populi Romani exusta.* Ita teste Livio L. Æmilius Regillus ædem vovit Laribus permarinis. Qui sic videntur appellati, quia in mari sibi adfuerant. Lares Hostilii etiam Romæ colebantur; qui hostes arcere credebantur, ut auctor est Festus. Lares Viales præterea viis præerant; E quos iter inituri invocare solebant. Unde *solemnia Compitalia*. De quibus Ovidius II. *Fast.*

——— *Geminosque parit, qui compita servant,*
Et vigilant nostra semper in æde Lares.

Sunt etiam Lares Rurales, ut Romæ sub porticu domus Conservatorum in Capitolio legitur,

VICO LARVM RVRALIVM

Horum nempe curæ cives Romani sua ædificia suburbana atque extra pomœria commendabant; quorum templum in Regione XIV. tradit Publ. Victor. Sunt pariter Querquetulani apud Varronem, a loco fortan: unde & Nymphæ Querquetulanæ.

F Et quidem Publica, iis sacram conferente symbolam Populo, a Principe instituta, elegans ostendit monumentum:

LARIBVS. PVBLICIS. SACRVM
IMP. CAESAR. DIVI. F. AVGVSTVS
PONTIFEX. MAXIMVS
TRIBVNIT. POTESTAT. XVIIII
EX. STIPE. QVAM. POPVLVS. EI
CONTVLIT. K. IANVAR. APSENTI
C. CALVISIO. SABINO
L. PASSIENO. RVFO. COS

Sed & Principi eadem a Populo reddita manifestat hæc Inscriptio Veronæ in Sermione Insula:

LARIBVS. AVGV
STORVM
DOMINORVM
NOSTRORVM

Imo prope Veronam fuisse Templum istis Laribus erectum inde constat, quod tertio ab urbe lapide in pariete Thermarum Calderianarum olim evidentissimum in saxo veteri esset hujus rei documentum; cujus quidem verba nobis dedit admirandæ diligentiæ exemplar Gruterus, qui nihil fere hujus generis in vasto *Antiquarum Inscriptionum* Opere omisit, sed mutilata ævi injuria. Inscriptio nobis auctior obtigit indicio Jo. Rhodii; apud quem in membranis reperitur Opusculum Aleardi de Pindemonte Veronensi Philosophi ac Medici suæ ætatis celeberrimi, quod aliquot supra ducentos abhinc annis cum Hieronymus de Pindemonte Philosophus pariter & Medicus Italice vertisset, coronidis loco inter alia Veterum monumenta hoc recensuit:

. . . .
FVNDAMENTA. MVROSQVE
A. SOLO. FACIVNDO. CVRAVER
IDEMQVE. PROBAVER. IN
TERRAM. FVNDAMENTA
ET. PED. ALT. XII. IN TERRAM
AD. IDEM. EXEMPLVMQVE. SVPRA.
TERRAM
DE. SVA. PECVNIA. LARIB. DANT
COSSO. CORNELIO. LENTVLO
L. PISONE. AVGVRE. CONSS
VOTO. SOLVTO

Domestici autem Lares censebantur Dii familiares, quibus facer focus: unde focum olim dixerunt Foculare, quasi Laris focum. Hinc Plautus *Aulul.* III. II.

Ego Lar sum familiaris ex hac familia
Unde exeuntem me aspexistis.

Hos ipsos Penates, Tutelares, & Præstites etiam appellabant, quod domum tuerentur, ideoque ante ipsos pellibus caninis indutos, canis vigil ponebatur; qui apud Plautum festive nominantur Dii *Patellarii*, quod in patella iis libaretur. Ausonius Popma tamen *de Diff. Verb.* lib. III. ex *Mercatore* Plauti hoc adfert discrimen, quod Lares omnium ædium communes; Penates singulorum proprii. Votum his factum extat in cippo prope arcem in Sabbaria Hungariæ:

LARIBVS
DOMEST
SAC
V. S. L. M.

Nec dubito, quin Lares Familiis proprii a Romanis magna veneratione colerentur. Sic enim Inscriptio vetus Romæ:

HYMNVS. CAESARIS. AVG
VOLVSIANVS
HERMAPHILI HYMNI. LIB. F
DECVRIO. LARVM. VOLVSIANORVM
SCANTIAE. PRISCAE. CONIVGI
CARISSIMAE. ET. SIBI

Auctarii loco esto, quod scite Martianus Capella *de Nuptiis Philol. & Mercurii* lib. I. fingat *Senatores Deorum, qui Penates ferebantur, Tonantis ipsius*; & cum iis *Lares in prima Cæli regione sedem habere*: unde *Lar cœlestis* apud eundem, pariterque *Junonis hospitæ Genius*.

CAP. IX.

VOTA NATALITIA

Postquam igitur genitale arvum prolem poscentium Votis desiderata fœcunditate respondisset, Natalitia, ab omnibus cujuscunque conditionis hominibus: maximeque a parentibus pro filiis, & versa vice, summa religione Genio ut Natali Deo celebrabantur, cum prima ortus nostri dies a Cælo nescio quid trahere videatur divinitatis. Idque statim a partu, & postea quotannis. Solemne autem erat ea peragentes hac formula salutare: *Hodie nate salve*. Hinc Plaut. festive in *Pseud. Hodie nate, heus, hodie nate, heus tibi dico nate, redi*. Amici præterea & Clientes olim, quemadmodum nostro ævo, die natali munera mittebant. Martialis *epigr.* LIV. *lib.* III.

Ut poscas Clyte munus exigasque
Unum, nasceris octies in anno.

Et Virgilius *Ecl.* III. vers. 66.

Phyllida mitte mihi, meus est Natalis, Jola.

Eodem respexit lepido de *Nupt. Philolog. & Mercur.* commento Martian. Capella l. I. *Ipsi ψυχῇ natali die Dii ad convivium corrogati multa contulerant* Plaut. in *Epid. Non meministi me inaurem ad te afferre die Natali*. Carmina etiam missa liquet ex Martiali, & Tibullo. Sed & libros, manifestat Censorini Libellus *de die Natali*.

Hoc porro tempore Junoni vitulo sacrificatum fuisse, auctor est Diodorus *Epigr.* lib. VI. cap. X. Et Genios Ethnici precabantur tamquam Deos Natalitios, easque preces hilarato mero facile ratas fuisse arbitrabantur. Tibullus *lib.* II. *eleg.* II.

Ipse suos Genius adsit visurus honores,
Cui decorent sanctas mollia serta comas.
Illius puro distillent tempora nardo,
Atque satur libo sit, madeatque mero.
Annuat & Cherinte tibi quodcunque rogabis.
En age: quid cessas? annuit ille, roga.

Vere Poeta, *satur libo sit, madeatque mero*. Die quippe Natali Genio litabatur, pulte ac mero, absque hostiis, ne manus ea die polluerent sanguine, qua mortales lucem accepissent. Puls autem primum natis alimentum præbet, parentum curæ vino pelluntur.

Natalitii autem Dii erant præcipue, Juppiter & Juno; etiam Neptunus, ex Pausania in *Laconicis*: *Non procul a theatro Lacedæmoniorum ædes est Neptuni Natalitii*.

Apud Persas præterea, Ægyptios, & Græcos annua Natalitia conviviis celebrabantur.

Natali porro die Imperatorum apud Romanos Sacra, etiam ante defunctorum statuas, & Votivi Ludi, non tamen Gladiatorii, fiebant. De his fortassis Julius Capitolinus in *Maximino*: *Natali Getæ filii minoris Severus militares dabat ludos, propositis præmiis argenteis, id est, armillis, torquibus, & baltheolis*. Sic a IV. Id Julias C. Julii Cæsaris; a IX. Cal. Jan. Titi Cæsaris; a IV. Cal. Decemb. Nervæ; ad IV. Cal. Novemb. Hadriani. Magnorum item Virorum Natalis non minus erat solemnis. Hinc de Mecænatis Natali Horat. lib. IV. Od. XI. *ad Phyllidem*:

Ridet argento domus: ara castis
Vincta verbenis avet immolato
Spargier agno.

Virgilii Natalem religiosius quam suum celebrasse Silium Italicum auctor est Plinius lib. III. *Epistolar.* Optime Seneca *Epist.* LXIV. *Quidni ego magnorum virorum Natales celebrem?* Officium sane animo ingenuo dignum, quod nunquam intermissum, nisi ignominiæ causa. Unde Suetonius *de Tib.* cap. LIII. refert, Diem Natalem Agrippinæ inter nefastos referendum suasisse. Quin Diem Natalem tanti fuisse video, ut annorum vice hominis ætatem eo indicaverint prisci. In hanc rem ab Aldo Manutio Pauli filio acceptam tradit Mercurialis *Gymn.* l. III. c. XII. hujusmodi Inscriptionem, quam Parmæ repertam habuit Cl. Vir Andreas Naugerius:

D. M.
L. AEMILI. VICTORIS
QVI. PRIDIE. NATALEM. SVVM
VICESIMVM. ET. SECVNDVM
PRVNA. IN. PENSILI. POSITA. VR
GVENTE. FATO. SANVM. IPSE
NECAVIT. SE. L. AEMILIVS
VICTOR. PRINCIPALIS. ET. AELIA
VENERIA. FILIO. PIENTISSIMO
ET. SIBI

Herophilus Lectulos pensiles excogitavit, quorum jactatu aut morbos extenuaret, aut somnos alliceret, ut auctor est Plin. *l.* XXVI. *c.* III. Die etiam natali quæ conspiciebantur Signa boni ominis tholis appendebantur. Ita Cornua bovis in templo Apollinis, tanquam patris nascentium, quum ex men te Aristotelis sol & homo generent hominem, p onebantur, ut autor Capitolinus in *Clodio Albino: Multa Imperii signa, quum esset natus, facta dicuntur; nam & bos albus purpureis ad plenum colorem cornibus natus est (quod mirandum fuit:) quæ tamen cornua in templo Apollinis Cumani ab eodem posita jam tribuno diu fuisse dicuntur.*

Imo etiam Deorum Dies Natalitii magna festivitate colebantur; ut Apollinis VII. Aprilis, Dianæ sexto die mensis ejusdem, Mercurii Id. Maii. Quo ritu Locorum etiam natales apud Ethnicos quotannis summa in veneratione erant. Ita die XX. Aprilis, tamquam Romæ Natali, Festa Palilia concelebrabantur: putabantque Veteres hisce diebus festivis vota nuncupata suos eventus feliciores obtinere. Sic etiam Statuarum Natalis solenni epulo & muneribus populo festivus erat. Nec minus Navigiorum: quod de Isidis navigio adfert Lactantius *l.* I. Nec de Urbium, & Templorum Natalitiis hic ego plura. De eorum dedicationibus fusius pereruditа *Epistola ad Cl. Virum Felicem Osium*, mihi dum viveret unice carum, eruditus noster Laurentius Pignorius. De privatis ædibus ex Homero refert Plato in *Alcibiade* II. Trojanos cum suburbanum ædificium molirentur, dicasse Diis immortalibus preciosa sacrificia boum. Felicem Victoriæ successum, veluti ipsius partæ natalitia, festivitate annua prosequebantur antiqui: nec ea consuetudine apud diversas gentes adhuc quicquam familiarius est.

Principibus sane hunc suæ venerationis cultum admodum placuisse notum est ex Suetonio in *Caligula* c. XXVI. qui *Coss. oblitis de Natali suo edicere, abrogavit magistratum, fuitque per triduum sine summa potestate Respublica.* Imo etiam Epulo fuisse auctum testatur Dion. *Hist. Rom.* l. LIV. *Natalem Augusti Julius Aug. filius tunc Prætor celebravit Circensibus, & venatione. Senatum etiam & ipsum Aug. ex decreto patrum epulo excepit in Capitolio.* Quod etiam servatum fuisse post illius mortem, idem auctor est. Hanc solennitatem plurimum illustrat vetus Inscriptio Augusto quondam Narbone erecta; quam e Viri diligentissimi Pauli Rhamusii autographo cum aliis ejusdem literaturæ a nobis conquisito hic exhibemus:

T. STATILIO. TAVR
L. CASSIO. LONGINO
COS. X. K. OCTOBR
NVMINI. AVGVSTI. VOTVM
SVSCEPTVM. A. PLEBE. NARBO
NENSIVM. IMPERPETVOM

Quod. Bonum. Faustum. Felixsque. Sit. Impe. Cæsari
Divi. F. Augusto. P. P. Pontifici. Maximo. Trib. Potest
XXXIII. Coniugi. Liberis. Gentique. Ejus. Senatui
Populoque. Romano. Et. Colonis. Incolisque
C. I. P. N. M. Qui. Se. Numini. Ejus. Imperpetuum
Colendo. Obligaverunt. Pleps. Narbonen
Sium. Aram. Narbone. In. Foro. Posuit. Ad
Quam. Quod. Annis. VIIII. K. Octob. Qua. Die
Eum. Sæculi. Felicitas. Orbi. Terrarum
Rectorem. Edidit. Tres. Equites. Romani
A. Plebe. Et. Tres. Libertini. Hostias. Singu
Las. Immolent. Et. Colonis. Et. Incolis. Ad
Supplicandum. Numini. Eius. Thus. Et. Vinum
De. Suo. Ea. Die. Præstent. Et. VIII. K. Octobr.
Thus. Vinum. Colonis. Et. Incolis. Item. Præ
Stent. K. Quoque. Ianuar. Thus. Et. Vinum
Colonis. Et. Incolis. Præstent. VII. Quoq
Idus. Ianuar. Qua. Die. Primum. Imperium
Orbis. Terrarum. Auspicatus. Est. Thure
Vino. Supplicent. Et. Hostias. Singul. In
Molent. Et. Colonis. Incolisque. Thus. Vi
Num. Ea. Die. Præstent
ET Pridie K. Junias. Quod. Ea. Die. T. Statilio
Tauro. Aemilio. Lepido. Cos. Judicia
Plebis. Decurionibus. Coniunxit. Hostias
Singul. Immolent. Et. Thus. Et. Vinum. Ad
Supplicandum. Numini. Eius. Colonis. Et
Incolis. Præstent
Exque. Iis. Tribus. Exquitibus. Rom
Libertinis. Vn
NARBONENSIS. A
NVMINIS. AVGVSTI. D
CAVIT
LEGIBVS. IISQ. I. S. S.
Numen. Cæsaris. Aug. P. P. Quando. Tibi
Hodie. Hanc. Aram. Dabo. Dedicabo
Que. His. Legibus. Hisque. Regioni
Bus. Dabo. Dedicaboque. Quas. Hic
Hodie. Palam. Dixero. Vti. Infimum
Solum. Hujusque. Aræ. Titulorum
Quæ. Est. Si. Quis. Tergere. Ornare
Reficere. Volet. Quod. Beneficii
Causa. Fiat. Jus. Fasque. Esto. Sive
Quis. Hostia. Sacrum. Facit. Qui
Magmentum. Nec. Protollat. Id
Circo. Tamen. Probe. Factum. Esto. Si
Quis. Huic. Aræ. Donum. Dare. Au
Gereque. Volet. Liceto. Eademque
Lex. Ei. Dono. Esto. Quæ. Aræ. Est
Cæteræ. Leges. Huic. Aræ. Titulisque
Eædem. Sunto. Quæ. Sunt. Aræ
Dianæ. In. Aventino. Hisce. Legi
Bus. Hisque. Regionibus. Sicuti
Dixi. Hanc. Tibi. Aram. Pro. Imp
Cæsare. Aug. P. P. Pontifice. Maxi
Mo. Tribunicia. Potestate. XXXV
Coniuge. Liberis. Genteque. Eius
Senatu. Populoque. R. Colonis
Incolisque. Col. Jul. Patern. Narb
Mart. Qui. Se. Numini. Eius. In. Per
Petuum. Colendo. Obligaverunt
Doque. Dedicoque. Vti. Sies. Volens
PROPITIVM

A

CAP. X.

PARENTUM VOTA PRO FILIIS.

NOn minore festivitate Veteres, cum liberos suscepissent, postes ornabant floribus, & coronas suspendebant in lætitiæ signum, & voti solutionem. Hinc Juvenalis *Satyr.* IX.

Tollis enim, & libris actorum spargere gaudes
Argumenta viri: foribus suspende coronas.

Infans enim non habebatur legitimus, nisi Pater præsens, vel absentis loco procurator, infantem terra levasset; sinuique imposuisset. Itaque tolle- B re infantem, est suum agnoscere, alere in spem familiæ, & hæredem habere. Propterea mox pergit Poeta:

—— dedimus quod famæ opponere possis.
Jura parentis habes, propter me scriberis hæres,
Legatum omne capis, nec non & dulce caducum.

Hinc Dea Levana præses audiebat nascentium, cui primo patres vota faciebant. Infantibus vero jam editis prisci diversos Deos ridiculos custodes præfecerunt: Vagitanum nempe, & Fabulinum, cum vagire & fari pueri inciperent; Cuninam, cum in cunis essent; Fascinum cum fasciis involverentur; C Ossilaginem, cum ossa eorundem inciperent firmari. Statilinum, vel Stabilinum, cum jam possent stare; Ruminam, vel Rumiam, cum lactarent; Edusam & Potinam, cum edere, & potare possent; tandem Paventinam, quæ pavores ab eis arceret. Iisdem præerant Janus, Opis, Nascio, sive Natio Dea, Vaticanus, Nundina, Carnea, Orbona, cum orbati parentibus essent, teste Arnobio lib. IV. *contra Gentiles*. Junoni etiam soboles commendabatur. Vetus est monumentum:

D

IVNONI. REGINAE
SACR
... LIC. SERENIANVS. V. C. ET. VARI
NIA.... ACCINA. C. F. PRO. SALVT
.... LIAE. SVAE. VARINIAE. SERE
NAE. DICAVERVNT

Quod huic deest ab ævi diuturnitate supplet altera ex horto Illustris. Cœsiorum, quibus eruditi magnam Antiquitatum partem acceptam ferunt.

E

IVNONI
REGINAE
PAEZON
AQVILIAES
BASSILLAES
ACTOR. CVM. PAEZVSA
FILIA. SVA. D. D

Omnium autem evidentissima est in Ara Capitolii in Domus Augusti conservationem olim erecta.

F

IVNONI
CONSERVATRICI
LIBERORVM. DO
MVS. AVGVSTI
D. D

Et vere Junoni honor iste deferebatur. Quæ namque prima Conjugum animos invicem conciliaverat, cujus nova mater senserat opem, a prolis cura fuisse alienam, iniquum videbatur. Quid vero quod pro filiis Vota Matronis soluta? Hujusmodi in ara legebatur Mediolani:

SECVNDVS. RV
FIANVS
PRO. NATIS. SVIS
MATRONIS
V. S. L. M

Eas apud Veteres religioso cultu habitas persuadent in primis tres Deæ sinu fructuum pleno huic Inscriptioni imminentes in ditione Juliacensi:

MATRONIS. VACALLI
NEHIS. TIB. CLAVD
MATERNVS. IMP. M
L. M

Eodemque fuisse loco crediderim reliquas omnes Matronas Romanehas, Aserchenehas, Rumaehas, diversas a loco, quarum titulos aspiratione, ut recte monuit Gruterus, ruditatis non expertes nostra sæcula saxis debent. Et sane nisi has divinis honoribus affecissent antiquitus, pro salute Cæsarum iis neutiquam Vota nuncupassent.

Fata vero prospera Pueris nuper editis cum voto concepta tabulisque obsignata ipsorum capitibus fuisse subjecta declarat D. Chrysostomus *in Epistolam ad Galatas*, easque impietatis plenas scribit, & Seneca *Epistola* LX. *Execrationes parentum* appellat. Ausonius:

Fatis verba notanda.

De quibus Tertullianus de Anima, *ultima die fata adscribenda*.

Filiosque ipsos tamquam Votivos Diis fuisse oblatos indicat Claudianus:

Uberibus sanctis immortalique Deorum
Crescis adoratus genibus.

Deorum quoque habitu vestitos constat, ut tutelam Deorum mererentur. Ita puer ille apud Herodianum, qui libellum, in quo cædes præscribebantur a Commodo, revelavit, Amoris habitu comparuit. Verus etiam Imperator Pueris alas & Noti, Austri, sive Boreæ nomen addidit, ut in *ejus Vita* notat Spartianus. Cujusmodi imaginum exempla adhuc in fragmentis lapidum occurrunt.

Nec parentum animos ulla res magis occupat quam Liberorum salus, de qua elegans Inscriptio.

VENERI. GABI
NIAE. ET. ALBAN
AE. SANCTAE
PRO. SALVTE. L
IVNII. PRIMIGENI
ED. SECVNDINO. FIL
L. IVNIVS. FELIX
PATR. CVPEDINIS
II. AER. P. S. POS

Tanta vero Puerorum apud Veteres cura erat, ut (quod notat Plutarch.) ad avertendam aciem malignam ac fascini plenam, iis turpicula res in collo quædam suspenderetur, teste Varrone *de Lingua Latina* lib. VI. quam forma genitalium virilium fuisse satis ostendit Priapus æneus uncinulo in ejusmodi usum paratus, quem in Museo Illustrissimi Viri D. GASPARIS THVILLERII nuper Christianissimi Regis Galliarum ad Serenissimam Remp. Venetam Legati videre licuit. Fascinum enim vocabatur pudendum virile, quod depelleret Fascinum, cujus averruncus erat Fascinus Deus. Etiamsi Hadrianus Turnebus *Adversar.* lib. IX. cap. XXIIX. affirmet Satyrion invidiam depellere, & Medicus longe doctissimus Hieronymus Mercurialis *de morbis puerorum* libro I. cap. I.

cap. I. opinetur olim infantium collo appensam fuisse eam Satyrii speciem, quæ vulgo Orchis femina dicitur. Quod procul dubio a Plinio accepit, qui videtur *lib.XIX.* cap. IV. id affirmare. Sed pace tanti viri non sermo est Plinio de puerorum fascino, sed de hortorum tutela. Sic enim ille: *In remedio Satyrica signa, quamquam hortos tutelæ Veneris*, &c. Satyrica enim signa hic deducta videntur a Satyris, quos nemo petulcos esse ignorat, ut ea signa nihil aliud quam verenda denotent.

Liberis autem sanitati restitutis, Castori & Polluci tamquam Diis magnis Votum esse factum indicat saxum:

CASTORI. ET. POLLVCI. DIIS. MAGNIS
SVLPITIA. Q. SVLPICII. F. VOTVM
OB. FILIVM. SALVTI. RESTITVTVM

Libertatis etiam redditæ pro filiis parentes vota exsolvisse marmor hoc Romæ prodit, quo pater Soli jucundissimæ lucis auctori pro filii restitutione divinitus veluti monitus tale monumentum statuit:

SOLI. SACR
C. DVCENIVS
C. LIB. PHOEBVS
FILIVS. ZENONIS
NATVS. IN. SYRIA
NISIBYN. LIBER
FACTVS. ROMAE
EX. VISV
V. S. L. M.

CAP. XI.

PUERORUM VOTA, ET POTISSIMUM CAPILLITIA.

INsitum teneris quoque puerorum animis fuisse Numinis cultum, satis prodit prima hominis ætas. Pueri nempe posita prætexta virilem togam sumpturi bullas Penatibus dabant. Persius *Satyr.* V. vers. 30.

Cum primum pavido custos mihi purpura cessit
Bullaque succinctis Laribus donata pependit.

His enim Diis commendatam fuisse pueritiam innuit Claudianus in III. *de raptu Proserpinæ:*

Infidis natam Laribus commisit alendam.

Bullas tamen aliis quoque Diis appensas fuisse, non obscurum est. Auream nempe ex catena aurea collo Veneris marmoreæ prope Nemausum inventæ alligatam se vidisse humanissimis ad me literis testatus est laudatæ memoriæ Nicolaus Fabricius Dominus de Peyresc, cujus nunquam sine dolore meminerim. Junoni item Bullam cum Scypho & Tripode dicatam constat ex Inscriptione Gruteri ad Hortos Bellajanos Romæ:

IVNONI. PLACIDAE
CONSERVATRICI. AVGVSTAE
CLAVDIA. SABBATIS
BVLLAM. D. D
ADDIT. ET. SCYPHVM. ET
TRIPODEM. FORTVNAE. AVG

Cæterum, Donaria Laribus congrua persequitur Calphurnius Poeta Siculus *Ecl.* II.

——*pomiferi Laribus consuevimus Horti*
Mittere primitias, & fingere Liba.

Libum autem cibi genus ex farre, melle, & oleo conficiebatur. Cujus inventorem alii putabant Liberum Patrem. Ovid. III. *Fastorum:*

Liba Deo fiunt, succis quia dulcibus idem
Gaudet, & a Baccho mella reperta ferunt.

Sed verius a libando nomen traxit, quod libaretur priusquam esset coctum.

Nec solis frugibus placasse Deos satis fuit. Procedente paulum ætate solebant juvenes COMAS caræ matris delitias rescindere, easque fluminibus ejus loci primitias offerre, notante Scholiaste Homeri, & Pindari *in* IV. *Odem Pythiorum.* Sic Ajax Telamonius Ilisso flumini crinem vovit. Adolescentes Romani Æsculapio. Statius *lib.* III. *Silv.* IV.

Accipe laudatos juvenis Phœbeie crines,
Quos tibi Cæsarius donat puer, accipe lætus.
Intonsoque ostende patri.

Theseus Apollini Delphico, consuetudine recepta adolescentibus, quam tetigit Martialis *lib.* I. *epigr.* XXXII. sed & Jovi, de quo Statius *l.* VI. vers. 197.

Juppiter hunc crinem Voti reus ante dicaram.

Sed & Apollini barbam, Baccho etiam crines oblatos indicat idem *Theb. lib.* VIII.

Ille genas Phœbo, crinem hic pascebat Iaccho.

Atheniensium vulgus Herculi capillos vovebat ex Hesychio; Comas pariter Juvenes *Horæ*, seu ut aliis visum *Hebæ* vovebant. Ea enim Dea est Juventutis, ut tradit Nonius Marcellus auctoritate Ennii:

Te, Quirine pater, veneror, Horamque Quirini.

Hanc nonnulli eandem esse volunt, quæ Horta, ab hortando dicta, qua mediante Juvenum animi ad honestas actiones exhortarentur, & incitarentur. De qua D. Augustin. *l.* VI. c. I. *de Civit. Dei: Juventas Dea cum Termino Jovi noluit concedere in Capitolio condendo*, quod comprobat Livius *lib.* V. quod Romani in omen traxerunt, fore, ut nunquam termini Urbis moverentur, nec unquam juvenilis vigor deesset. Hæc etiam Stimula fuit appellata ultra modum ad agendum stimulans, itemque Hora ἀπὸ τοῦ ὁρᾷν, *a videndo*, ut Deam providentiæ, seu res inspicientem significet, cui Agonius Deus, & Agenonia Dea, item Murea & Peta actionum Dii jungebantur. Hos Deos juvenes ad agendum excitare arbitrabatur Petronius: *cui Deo crinem vovisti Pharmace responde?* Carinus apud Martialem:

——————— *comamque*
Pergameo posuit Dona sacrata Deo.

Apud Stobæum *Serm.* VI. Deiphobum in Canoses, ut stigmata frontis comam se Deo vovere, legimus.

Quid vero Juvenes memorem? Anchises etiam quod mireris, apud Agathiam Scholasticum *Epigr. lib.* VI. cap. VI. epigr. II. venuste Comam quantumvis canam Veneri prioris ætatis reliquias dicat. Palladi Callirrhoe comam posuit cap. VIII. *epigr.* VI. Pamphilion capillos pingues, seu unguentis madidos Isidi, *epigr.* XII. Rationem hanc optime Jul. Pollux *l.* II. c. III. n. III. enarravit: *Nutriunt quidam comam in obliquum vergentem, aut super tergum, aut frontem; Fluminibus scilicet, aut Diis consecratam.*

Nec Juvenes tantum, sed VIRGINES etiam Voto interdum ab ipsa nativitate concepto crines Diis vovebant. Lucianus in *Syria Dea: Sed qui isti Dii, quibus VOTA capillitia.* Idemque Matronæ Romanæ Diis placandis observarunt. Livius *lib.* III. *Stratæ passim matres crinibus templa verrentes veniam irarum cœlestium finem pesti exposcunt.*

Ac ne cætera hujus generis Vota prætercam. Navigantes tempestate urgente fusis precibus comam evulsisse scribit in *sua Vita* Libanius. Imo capillos rescissos in fluctus ejiciebant votis Neptunum placaturi. Petronius *Satyr. Notavit sibi ad*

A *lunam tonsorem intempestivo inhærentem ministerio exsecratusque omen, quod imitaretur naufragorum ultimum VOTUM in cubile rejectus est.* Optimus suimet Interpres: *Audio* (inquit) *non licere cuiquam mortalium in nave, neque ungues, neque capillos deponere, nisi cum pelago ventus irascitur.* Unde quibusdam hodie etiam inter navigandum ungues præcidere inauspicatum putatur.

Servi etiam libertate donati capillos abscindebant. Nonius ccxxxv. *Qui liberi fiebant, ea causa calvi erant, quod tempestatem servitutis effugere, sicuti naufragio liberari solent.* Hac de causa mulieres apud Hebræos captivas abscissa coma libertatis gratiam consecutas esse ex *Deuteron.* xxi. colligitur. B Similiter & capitalis criminis reus absolutus radebatur apud Romanos antequam Capitolium ascenderet. Martialis:

Ad alta tonsum templa cum reum misit.

Item, qui peregrinationem suscepisset, Capillum alicui Numini devovebat, & domum reversus detonsum consecrabat. Papinius Statius *lib.* vi. *Thebaid.* vers. 608.

Flavus ab intonso pendebat vertice crinis
Arcados.

C Hinc Cæsariem apud Hom. *Iliad.* xxiii. in funere Patrocli Sperchio amni, si in patriam rediisset, devovet Achilles. In Creta hodie uxores comam rescissam in mariti funus projiciunt veluti extremum amoris Donarium. Quod in suis Observationibus Creticis, quæ apud me sunt auctoris manu exaratæ, notavit diligentissimus rerum exoticarum scriptor Honorius Belli: de quo ritu Ovidius in *Fastis*:

Mixta bibunt molles lachrymis unguenta favillæ,
Vertice libatas accipiuntque comas.

D Et clarius multo Propert. *lib.* i. *eleg.* xvii.

Ille meo caros donasset funere crines.

Alexander, ut in *Vita ejus* refert Plutarchus, mortuo Ephestione jussit Equos, ac Mulos radi. Idem a Persis in luctu factum memorat Herodotus *lib.* ix. Plura in hanc rem qui velit, Marcellum Donatum consulat *Dilucidat. in Sueton.* cap. lxvii. Et Desiderii Heraldi *Animad. ad Martial. lib.* ii. *epigr.* xi.

Non secus ac crines atque comæ BARBA Diis sacrabatur. Suetonius *de Nerone* cap. xii. *Barbam primam posuit, conditamque in auream pyxidem, & pretiosissimis margaritis adornatam Jovi Capitolino consecravit.* E Ubi cum Cœlio Rhodigino *lib.* xix. cap. ii. Lipsio, & Casaubono, malim *Capitolino*, auctoritate Dionis apud quem legitur: τῷ Διὶ τῷ Καπιτωλίῳ. Quod is cognomen accepit a celebri templo ipsi erecto in Capitolio. Cujus statuam marmoream cum ædicula capiti imposita se Romæ vidisse testatur Ulysses Aldrovandus in *Antiq. Rom.* pag. CXLVII. Græcos autem hoc Festum agnovisse, testis est Julius Pollux, *cum Ephebi primam barbam, & comam tonderent, cujus primitias Apollini, & Fluminibus consecrabant.* Quod ipsum Romani anno secundo & vigesimo Amicis convivio acceptis, in honorem Numinis cujusdam peragebant. F Quem ritu ante longe Nazaræorum fuisse liquet, *Num* cap. vi. & *Judicum* cap. xvi. Et postea veterum inter Ethnicos Sacerdotum, qui primos capitis, barbæque pilos Diis suis veluti primitias sacrabant. Quam consuetudinem secuti fortassis antiquiores de fronte Victimæ evulsos ante ipsius mactationem cum mola in ara villos cremare consueverunt, ut memorat antiquissimus Poeta Homerus, atque ex eo Virgilius vi. *Æn.* quæ prima dixerunt Libamina. Cæterum, quæ fuerit Neroni tantæ lætitiæ causa, optime persequitur Dio, interprete Jo. Leunclavio *Hist. Rom. l.* LXI. *Visis nonnullis portentis, aruspices respondere, interitum Neroni denunciari. Tunc sacrificia pro salute fecit. Post hæc celebravit festa alterius generis, quæ dicuntur Juvenalia, ea propter barbam ejus, quæ tum primum rasa fuerat, facta sunt: cujus pilos in sphæram auream conjectos, Jovi Capitolino consecravit. His Ludis interfuerunt multi, sed in primis nobilissimi Viri.* Cætera lectione omnino digna ad ingenii amœnitatem a curiosis lustrentur. Fortitudini quoque comam, & barbam vovisse veteres Cattos apud Tacitum video, qui *de Moribus Germanorum* ait: *Ut primum adolescentiæ crinem, barbamque submittere, nec nisi hoste cæso exuere votivum, obligatumque virtuti oris habitum.* Hoc unum addam, tantæ venerationis fuisse apud Veteres Comas, ut pro restitutione factâ sibi capillorum, Votum factum constet ex hac Inscriptione desumpta ex autographis Pighii:

MINERVAE
MEMORI. TVLLI
A. SVPERIANA. RES
TITVTIONE. FACTA
SIBI. CAPILLORVM

CAP. XII.

VIRGINUM VOTA.

VIRGINUM VOTA erant diversa, sicut etiam ætas. PUELLÆ namque pilas cum puppis, & strophiolis Veneri dicabant. Varro *Sesquiulysse*; quem Adrianus Turnebus *Astutissimum* interpretatur:

——— *Veneri*
Marinas pilas, reticula, ac strophiola.

Quæ tamen verba apud Nonium Marcellum in voce *Strophium* alio modo leguntur: *suspendit Laribus marinas molles pilas, reticula, ac strophia.* Strophiola vero fuisse corollas discimus ex Plinio *l.* xxi. cap. ii. apud quem strophia sunt coronæ tenuiores. Aliter Nonius Marcellus, sed quam eleganter: *Strophium est fascia brevis, quæ virginalem tumorem cohibet papillarum.* Inde Catullus *Carm.* LIX.

Nec tereti strophio lactantes vincta papillas.

Pupas etiam sigillaria, sive imagunculas, non obscurum est ex Nonio; quas a Virginibus fausto futuri matrimonii auspicio oblatas satis indicat Persius *Satyr.* ii.

Discite Pontifices in sacris quid facit aurum?
Nempe hoc, quod Veneri donatæ a virgine pupæ.

Provectioris ætatis Virgines Dianæ Zonam dicabant, ut procum invenirent; quemadmodum Callirhoe apud Agathiam Scholasticum cap. viii. *epigr.* xi. Qualiter etiam referente Pausania Trœzeniorum Virgines Zonam Palladi Apaturiæ, sicut crines Hippolyto, consecrabant. Forsan etiam ut conjugium esset fœcundum.

Quin, ut erudite monuit disertissimus Weslingius, se ipsas Fortunæ Virili, cui apud Portam Capenam Serv. Tullius ædem extruxit, offerebant Virgines Romanæ, ut si qua nævus corporis insideret, numinis benignitate viri notitiam effugeret. Clari de eo Nasonis versus:

Accipit ille locus posito velamine cunctas,
Et vitium nudi corporis omne videt.
Ut tegat, hoc celetque viros, Fortuna Virilis
Præstat, & hoc parvo thure rogata facit.

Et sane nihil aliud videtur velle nudæ virginis effigies, quem e signo fictili delineatam accepimus e Museo Eminentissimi Cardin. FRANCISCI

BARBERINI, qui magnum Patruum Summum Pontificem URBANUM VIII. literarum studio ac amore feliciter sequitur, cujus indulgentia Iconem magnitudine ectypo fere parem, parario nobilissimo Cassiano a Puteo Equite, hic præbemus.



Quid vero illa? Venerisne e Praxitelis statua, aut pictura Apellis desumpta? Uterque enim, ut Deam repræsentaret, Phrynes meretricis typo usus est; quam nudam nisi Cerealibus, Neptunalibusque solennitatibus videre difficile erat: quo tempore ea conspicientibus in honorem Numinum vestes, & comas solvens prosilibat, uti Praxiteles raptim illam efformavit. Inde Cl. J. C. Jo. Galvanus Antiquitatum peritissimus non injuria opinatus est, huic conjecturæ nihil obstare stolæ decus matronis peculiare, atque a meretricibus alienum, quod corruptis moribus ea cum impudicis communis fuerit. Quid si dixerim, puellæ Imaginem esse in Bonæ Deæ templo suspensam: quo exclusis omnino viris, ut se extra virilem conspectum ornarent, concedere solebant virgines? De quo Ovid. III. *de arte amandi:*

Quæ male crinita est, custodem in limine ponat,
Ornetur que Bonæ semper in æde Deæ.

Hujus insignem fuisse cultum Romanis ostendit vetus Inscriptio, quæ apud Martium Milesium Sarazanum Romæ videtur:

VOTO. SVSCEPTO
BONAE. DEAE
ASTRAPTON. CAESARIS. VILIC
AEDICVLVM. ARAM. SEPTVM. CLVSVM
VETVSTATE. DIRVTA. RESTITVIT

A Et uberius alterum votum ei factum, quod ex Grutero exhibeo;

BONAE. DEAE
SANCTAE
SACR
VOTO. SVSC
MERITO. LIBENS
TERENTIA
THALLVSA
FECIT

B

CAP. XIII.

NUPTARUM VOTA.

CUM jam puellæ ætate nubiles fierent, Veneri tanquam amoris matri vota sua fundebant. Est enim mutua virorum & mulierum effectrix Venus, ob voluptatem corporibus eos commiscens, ac colliquefaciens animos, cui Cupido filius tanquam matrimonii vinculum & Hymenæus addebatur; mox Virginensis Dea, quæ adhibebatur, cum virgini sponsæ Zona solveretur, forsan ut conjugium esset fœcundum. Videtur id significasse Festus, dum C inquit: *Cingulo nova nupta præcingebatur, quod vir in lecto solvebat, factum ex lana ovis, ut sicut illa in glomos sublata conjuncta inter se sit, sic vir suus secum cinctus, vinctusque esset. Hunc Herculaneo nodo vinctum vir solvit ominis gratia, ut sic ipse felix sit in suscipiendis liberis, ut fuit Hercules, qui* LXX. *liberos reliquit.* Omnes autem vota faciebant Diis Nuptialibus, ut fortunatum conjugium redderent. Hi indicio Plutarchi quinque erant, Juppiter, Juno, Venus, Suada, (vel, quemadmodum Turnebo *Advers. lib.* XIX. cap. XVI. placet, *Suadela*) Diana seu Lucina. Quibus superstitiosa antiquitas alios complures addit nomine ridiculos, D diversis nuptiarum ritibus. Qualis *Jugatinus*, quod conjuges conjungeret. *Interauca*, & *Domiducus*, cum sponsæ domum ducendæ essent. Erat hic cujus numine putabatur virgo matrona esse, & patriæ potestatis jugo soluto in mariti jus migrare. Item Domitius, ut in domo esset nova nupta *Manturnæ* Dea, ut sponsa cum viro maneret; nec ab eo discederet. *Cinxia*; unde Festus, Cinxiæ Junonis nomen sanctum habebatur in nuptiis, quod initio conjugii solutio erat cinguli, quo nova nupta erat cincta. *Tellumum, Rusona, Mutinus, Subigus Pater*, ut virgo a viro subigeretur: *Prema* Dea mater, quæ culta, ne subacta viro cum premeretur, E se commoveret. Accessit his Dea *Viriplaca* viris placandis præposita, quando odio a mulieribus dissiderent. De qua Val. Max. *l.* II. c. I. *Quoties inter virum, & uxorem aliquid jurgii intercesserat, in sacellum Deæ Viriplacæ, quod erat in palatio, veniebant, & ibi invicem locuti, quæ voluerant, contentione animorum deposita, concordes revertebantur.* Adde etiam fratres *Picumnum*, sive Martem Silvanum domesticum, ac *Pilumnum* mariti Genium; *Volumnum* ac *Volumnam*, a volendo sic appellatos, qui præstabant, ut conjuges bona vellent, & bene ac feliciter conjungerentur. Volumnum F autem conjectura non adeo levi in veteri Inscriptione, a Viro Cl. RENATO MORAEO Professore Regio, nec minus multiplicis doctrinæ quam usus Medico celeberrimo, Lutetia perhumaniter missa, putavit legendum V. C. Tristanus a S. Amando in *Comm. Hist. ad Num. Neron.* Quis enim VOLIANVS, admodum est obscurum apud Eruditiores, inter quos aliquando Magnus ille Lipsius. Nec ullus hic Volcano locus. Quid enim ipsi præ Jove aut Marte cum Imperatore fuerit? Apollinis vero & Neronis, aut Jani,

cognomina ex Græcis, Hebræis, vel Armoricis populis ingeniose nimis hic repetuntur. Credibilius est, Deo VOLUMNO in conservationem AUGUSTORUM fuisse positum hoc Monumentum:

NVMINI. AVGVSTOR
DEO. VOLIANO
M. GEMEL. SECVNDVS. ET. C. SEDATVS
FLORVS ACTOR. VICANOR. PORTENS.
TRIBVNAL. CVM. LOCIS. EX. STIPE. CONLATA
POSVERVNT

Sed hæc similiaque attigisse satis est. Ad rem nostram.

Horarum munus erat lectum Nuptis parare, id est, tapetibus, floribus sternere. Hinc Theocritus *Eidyl* XIX. cum de Europa Agenoris Phœnicum Regis filia ab Jove rapta:

Et Juppiter rursus aliam adsumebat formam,
Solvitque ei zonam, & illi lectum parabant
Horæ.

Pro faustis Nuptiis Laribus familiaribus supplicari solitum indicat Plautus in *Aulularia*:

Nunc thusculum emi, & hasce coronas floreas.
Hæc imponentur in foco nostro Lari,
Ut fortunatas faciat Natæ nuptias.

Et confirmat Varro *de Vita populi Romani lib.* I. *Nubentes ex veteri lege Romana asses tres ad maritum venientes solebant ferre, atque unum quem in manu tenebant, tamquam emendi causa marito dare; alium, quem in pede habebant, in Foco Larium familiarium ponere.* His jure Penates accenset Pontanus:

Pax colitur, coliturque thorus, castique Penates.

Nuptialibus autem Diis porca mactabatur, quum animal sit prolificum. Et potentiores quique viri in Hetruria nuptialibus conviviis, novæ nuptæ maritique Diis tutelaribus porcum immolabant. Quod etiam prisci Latini, & Græci in Italia faciebant. Unde sponsam ducturus, postquam omnia apparasset, spe frustratus sponsæ exclamavit:

Periit quidem sus, & talentum, & nuptiæ.

ut memorat Fort. Licetus Com. *de Gemmis* cap. CXIX.

CAP. XIV.

PARTURIENTIUM VOTA.

QUoniam vero nuptiarum effectus est partus, naturali ordine hoc loco de parturientium Votis dicendum. Hæc autem varia & multiplicia fuerunt, quandoquidem parturientium periculo nullum fere gravius; ut merito Phronesium apud Comicum:

Date mihi huc stactam, atque ignem in aram,
ut venerem Lucinam meam,
Hic apponite.

Puellam quidem jam gravidam zonam solito arctiorem in templo Dianæ Λυσιζώνυ, hoc est, *zonam solventis* deponere, Atheniensibus solemne erat. Mulieres etiam partu levatæ zonam Dianæ sacrasse auctor est in *Argonaut.* Apollonius. Latinis autem *zonam solvere* dicitur, quæ viro tradita, Græcis, quæ primum parit; notante *ad Catullum* Josepho Scaligero.

Sponsæ autem, cum utero ferrent, quibusdam Diis & Deabus vovebant, ut eorum prolem adversus Silvanum tuerentur.

Ad impetrandam vero partus facilitatem Junoni Vota solvebantur. Allusit ad hoc Propertius *lib.* IV. *eleg.* I

Idem ego cum Cinare traberet Lucina dolores
Et facerent uteri pondera lenta moram.
Junonis votum facite impetrabile dixi,
Illa parit, liberis est data palma meis.

Accedebant huic alii Dii, & Deæ, qui parturientibus præerant, qualis *Mena* mulierum menstruis præfecta: *Pertunda*, *Latona*, *Egerta*, *Lucina*, Nizii Dii; Et a Romanis, ex pariendi discrimine, maxime celebratæ Deæ, *Prosa* vel *Prorsa*, & *Posuerta*, a quibus mulieres auxilium expectabant.

Huc spectat, quod Suetonius Plinii Secundi auctoritate inscriptum refert in *Caligula* cap. VIII, OB. AGRIPPINAE. PVERPERIVM.

Puerperæ Votum eleganter exprimit Tabula figulina, quæ asservabatur olim in Museo V.C. Martii Miletii Sarazani, in cujus aversa facie foramen in medio, ut ea melius affigeretur.



Continet hæc obstetricem, quæ dextra mulierem sustinet fere nudam habitu dimisso; de quo Plautus in *Truculento*:

Eumque gero ornatum, ut ægra quasi puerperio cubem.

Eamque partus dolore afflictam; & pavidam verbis fortassis Ovidianis sic affatam:

Septem ego per noctes, totidem cruciata diebus
Fessa malis, tendensque ad cœlum brachia, magno
Lucinam ad nexos partus clamore vocabam.

Puero autem jam edito matrem ipsa consolari videtur, dum infantem gremio fovens, ut est apud Papinium *lib.* II. *Silv.* I. vers. 79.

——— raptum protinus alvo
Sustulit exultans, ac prima lucida voce
Astra salutantem.

Tabula vero ista Dianæ Nemorensi, quidquid de Nemorosa alii, omnino sacra fuit, tamquam parturientium adjuvæ. De qua cap. XV. Inventa quippe Nemi, ubi celebre olim Dianæ Templum. De qua Horatius *lib.* III. *Od.* XXII.

Montium custos, nemorumque virgo,
Quæ laborantes utero puellas
Ter vocata audis, adimisque letho,
Diva Triformis.

Vocandi autem formulam Terent. in *Andr.* Act. III. aperit:

Juno Lucina fer opem, serva me obsecro.

In quem sensum Abdias Babyloniæ Episcopus *l.* III. *Hist. Apostolicæ* (si modo is auctor est Libri, qui a Julio Africano Latine redditus, ejus nomine circumfertur) de quadam Calliope inter gravissimos partus dolores ita sororem alloquente: *Vade quæso, & invoca Dianam Deam nostram, ut misereatur mei: ipsa enim habet patrocinium obstetricandi.*

Utramque recte Comicum junxisse ostendit Tullius *de Natur. Deor. l.* II. *Ut apud Græcos Dianam, eamque Luciferam, sic apud nos Junonem Lucinam in pariendo invocant.* Vidit id longe prior in *Theæt.* Divinus Plato, ubi *Diana Acrilis* partuum tutelam suscepit. Quod idem comprobat Inscriptio ex *Collectaneis Veterum Inscript.* Cl. Viri Jo. Baptistæ Doni amici meritissimi nondum editis, mihi perhumaniter transmissa:

IVNONI. LVCINAI
PRO. FILIA. PARVA. LABORANTE
SVSCEPTO. VOTO
STATILIA. D. D

Hanc ipsam Junonem Lucinam fuisse Dianam Lochiam pererudita *ad Paulum Rhamnusium Epistola* ostendit Claudius Acantherus quondam Patavii linguarum, & Antiquitatum notitia eruditis admodum charus, quam in meis scriniis diutius latere nolui.

PAULO RHAMNUSIO
CLAVDIUS ACANTHERUS
S. D.

MArmor quod ad me curasti, V.C. pervetus illud quidem esse constat, sed utinam nobis fugitivi temporis injuria non invidisset integrum: haberent enim talium rerum studio dediti, unde forsitan animum plena voluptate explere possent: si tamen in tanta obscuritate conjecturæ locus esse ullus potest, ex eorum Epigrammatum genere hoc videtur quæ ἀναθηματικὰ *(quasi dicas alicui Deo inscripta) dicebantur; quemadmodum hic apparet de Laomedonte (quod est capitale nomen hujus Epigrammatis) qui quidem Laomedon, nescio quid* τῇ Λοχίᾳ, *hoc est, Dianæ Lochiæ (hæc præerat parturientibus, & est ea Juno Lucina Terentio)* ἐπεσκεύασεν *nempe excitavit, ob levatam forte difficili partu uxorem, vel amicam: sed caveo mihi apud te hac formula Pirrhonica: nihil, inquam, definio, ne dicas tibi non dictum: mi Rhamnusi mihi crede nihil quantivis ego mererem, ut integrum & incolume ad nos transmisisses hoc antiquitatis monumentum: sed habent & sua fata lapides: quæ porro a me quantum ingenio consequi & solertio potui, pervidebam, ea ipsa Latine a me habeto hunc in modum:*

Leomedon Gor......
extruxit.......
Lochiæ ob Epime---
nen —.——.——
——————
——————
octodecim

Cætera natatori Delphico committimus; si tamen aliquid sagacius subodoratus fuero, illud statim cognosces. Vale & me, quod facis, ama.

Ex ædibus nostris, Patavii, XVIII. Kalen. Januarii M. D XCI.

Junoni Feroniæ cultum in Diœcesi nostra Æmoniensi plurimum viguisse demonstrat saxum sequens characteribus Romanis in pago Villano inventum, quod Patavium transtulimus, in quo patet Bardiam L. F. secundum ædem, scilicet juxta ædem signum porticus posuisse:

IVNONI FERON
BARDIA L. F. SECVN
AEDEM SIGNVM POR
CVS D. P. S. D

Illud ex iis quæ supra diximus repetiisse juvat, ut Viri Genium colebant, sic Feminæ Junonem Natalem. Huc spectat, quod Joan. Seldenus *de Diis Syris* Syntagm. II. c. II. perquam erudite notavit, vetustissima consuetudine receptum fuisse, Junonem Lunæ titulo venerari, nec ab ea diversam Latinorum Lucinam, quæ Græcis Εἰλήθυια, & Ελειθώ, fortassis ex Arabico *Lilith*, quæ Dea parturientibus & nato ipsi non tam tutelaris erat, quam infensa & timenda, nisi supplicationibus placaretur. Cujus metu hodierni Judæi parietibus cubiculi hæc verba superstitiose inscribunt: *Adam, Chava, Chutz, Lilith*, sive, procul hinc esto Lilith.

CAP. XV.
CONJUGUM VOTA.

VEre quidem Romanæ Tragœdiæ Princeps in *Medea:*

Conciliat animos conjugum partus fere.

At quoniam non ubique ea matrimonii felicitas est, unum maritalis fidei vinculum superest Concordia, quæ mitigat ac diluit quicquid hic occurrit sævum. Cujus rei memores prisci inter alios Nuptiarum ritus Natalem avem, nempe Cornicem, Corcordis veluti conjugii symbolam non vulgari religione solicitabant. Quo alludens Tibullus *l.* II. *eleg.* II.

Vota cadunt. Utinam strepitantibus advolet alis,
Flavaque conjugio vincula portet Amor.

Magnum fateor marito solatium adfert Conjugis claritas, pietas, sanctimonia, innocentia, probitas, modestia, fides, pudicitia, prudentia, diligentia, tamque accurata prolis educatio, ut filios suos propriis uberibus educasse apud Veteres posteris in laude sit relictum. Beatitudinis tamen in hac vita summam esse, animorum consensum inter Conjuges, duraturis sæculo monumentis quidam testati sunt. Quid enim aliud sibi volunt hæc inter cætera saxis tradita longæ ætatis encomia? *Conjuges maritali concordia incomparabiles: conjugi amantissimæ.* Amplissima sane hæc mutuæ benevolentiæ occasio: ut merito conjuges pro se invicem vota susceperint. Quo modo Plutarchus auctor gravissimus tradit Artaxerxem TERRÆ pro uxore votum fecisse. Facti causam & rationem optime indicat Macrob. *lib.* I. cap. X. nimirum, *ab hominibus hos Deos,* (scilicet Saturnum, & Opem,) *quasi vitæ cultioris auctores haberi.* Cur vero Terra Opis dicta subdit idem, *quod ejus ope humanæ vitæ alimenta quærantur. Huic* (pergit idem) *Deæ Opi sedentes vota concipiunt, terramque de industria tangunt, demonstrantes ipsam matrem esse mortalibus appetendam.* Ei alias mense Aprili Romani Bovem gravidam mactabant, itemque Vaccas prægnantes, quarum vitulos a ministris exectos maxima Virgo cremabat; & Horatio auctore *Epist. l.* II. Porcum, vel Scropham. Unde Arnobius hæc sacrificia deridens *l.* VII. *Telluri Matri Scropha ingens immolatur fœta, ac Minervæ Virgini virgo cæditur Vitula.* Cur etiam Telluri plena sue sacrificatum, hanc rationem adfert *ad Festum* Jos. Scaliger; quod pecudis id genus, cum feritur, rostro semen fodiendo corrumpere soleat.

PILUMNO & PICUMNO mariti Cal. Martii, qui A mensis Picumno erat sacer, pro conjugii felicitate Vota faciebant. Picumnus enim cum fratre Pilumno conjugii curam gerere credebatur. Iste quippe pro stabiliendo regno civibus suis Sabinarum raptum concessit. Ille autem Romulo ejus rapinæ auctor ferebatur.

Dianam parturientibus auxiliarem esse jam pridem intelleximus. Quidni etiam Conjuges ipsius tutelam expectent? En egregiam pro hac sententia Inscriptionem, Anno M. D. LIV. ad lacum Nemorensem effossam:

DIANAE
NEMORESI VESTAE
SACRVM. DICT
IMP. NERVAE. TRAIANO. AVG
GERMANICO. III. COS. PRAEF
EIVS. T. VOLTEDIO. MAMILIANO
QVAESTORIB.
L. CAECILIO. VRSO. II. M. LVCRETIO
SABINO. II. AEDILIB. Q. VIBENNA. QVIETO
TIB. CLAVDIO. MAGNO
P. CORNELIVS. TROPHIMVS. PISTOR
ROMANIENSIS. EX. REG. XIIII. IDEM. CVR
VICI. QVADRATI. ET. LANIA. C. P. THYONOE
CONIVX
EIVS. VOTVM. LIBENS. SOLVERVNT

B

C

Sed quoniam nihil valetudine omnium optabilius pro stabilienda re familiari, jure Æsculapio suus hic defertur honos:

T. AVRELIVS. AVG. LIB
DIOSCORVS. VOTVM
AESCVLAPIO. SANC
TO. OB. PROCESSVS
SVOS. CVM. VALERIA
NICE. CONIVGE. ET
AVRELIS. DIOSCORIS
VICTORINAE. FILIS
D. D

D

Mercurius quam sit necessarius ad dexteritatem negotiorum, nemo magis experitur, quam qui familia auctus pro ea sedulus evigilat. Hinc quidem pro Conjuge sic ad Mercurium.

E

MERCVRIO
L. PVBLICIVS
L. F. BROCCO
PRO. SALVTE
CORNELIAE. MACRINIANAE
VXORI
V. S

Quod etiam fata ex voto produxerit Proserpinæ benignitas, ei merito monumentum statuetur.

PROSERPINAE
SERVATRICI
C. VETTIVS. SIL
VINVS. PRO. EV
NOIDE. PLAVTIL
LA. CONIVGE. SIBI
RESTITVTA
V. S. A. L. P.

F

Conjuges stabili cursu quod vitam ducerent, Panis Dei beneficium agnoscebant.

LVCIDO. PANI
C. QVINTIVS. MVCIANVS
ET. HERODIA. SYNNESIA
VXOR. DVLCISSIMA
V. S.

Atque hinc Fortunæ prosperitas ad universæ domus conservationem non minimis conjugum bonis annumerabatur.

DEAE. FORTVNAE. RED
PRO. SALVTE. APPII. SERGI
LATERANI. VOT. SOL.
SERGIA. EVTERPE

Tandem ut rem diffusam in pauca contraham, Diis Conservatoribus Vota solemniter nuncupata ostendit Inscriptio Salodiana:

DIIS. NN
CONSERVATORIBVS
PRO. SALVTE
ARIAE. SVAE
N. NONIVS
MACRINI. CONSECR

CAP. XVI.

VOTA AMATORIA.

ÆTernitatis desiderio innata mortalibus generationis necessitas tam durum quandoque etiam in vim Rationis mentemque exercet imperium, ut Antisthenes vere apud Theodoretum *Orat.* III. Amorem Dementiæ morbum dixerit. Cujus omnia quum sint admodum lubrica, atque ut eleganter Claudianus,

Jocundique metus, & non secura voluptas.

Venus amoris & generationis ac voluptatis Dea magnopere colebatur a Gentibus. Quam ut sibi propitiam experirentur, eidem VOTA fundebantur, ædes, aræ, templa, lucus insigni veneratione dicata fuerunt, adeoque ea ipsa variis titulis honestabatur. Hinc CLVACINAE Veneri templum vovit & extruxit Titus Tatius Rex, in ea fori parte, qua Romani, & Sabini armis depositis pacem inierunt.

Ædem Veneri CALVAE consecrarunt Romani a Gallis in Capitolio obsessi, cum ex mulierum capillis tormenta fecissent. Cujus historiæ meminit Jul. Capitolinus in *Maximino*.

ERYCINAE Veneri Romæ Q. Fabius Maximus Dictator Ædem vovit, cum e Sibyllinis Libris edictum esset, ut is voveret, cujus maximum imperium in urbe esset, Livio auctore *l.* XXII. Huic alia ædes ad portam Collinam vota a L. Portio Levinio consule, bello Ligustino, & ab eodem dedicata, eodem teste *l.* XL. Est & apud Georg. Gualther. Tabul. *Antiq. Sic.* CCCXCIX.

VENERI. ERYCINAE. V. S. L. M

In Eryce vero Siciliæ templum Veneris venerandum, & sanctum memorat Ælianus *Var. Histor. l.* I. c. XV. in quo Anagogia sacrificia certo tempore offerebant Erycini.

VICTRICI Veneri Ædem ædificavit Pompejus, referente Plutarcho in *ejus Vita*; cujus Victricis Veneris Imago in nummis antiquis visitur. Veneri item GENETRICI Templum ante pugnam Pharsalicam vovit Julius Cæsar, victoriaque potitus in foro suo posuit, eique spolia de hostibus dedicavit, ut thoracem de margaritis Britannicis: ubi etiam collocavit Oct. Augustus Statuam æneam D. Cæsari cum stella crinita supra caput ipsius fulgente; de quo Dio *l.* XLIII. Sed & huic Deæ Cestum dicasse Matronas ostendit Inscriptio Eboræ:

DIVO. IVLIO
LIB. IVL. EBORA
OB. ILLIVS. INMVN. ET. MVN
LIBERALITATEM
EX. D. DD
QVOIVS. DEDICATIONE
VENERI. GENETRICI
CESTVM. MATRONAE
DONVM. TVLERVNT

Hunc fuisse cingulum amoris ostendit Martialis:

Ut Martis revocetur amor, summique Tonantis
A te Juno peto ceston, & ipsa Venus.

Veneris CAPITOLINÆ meminit Suetonius in *Caligula*, & *Galba*. Item Veneri PLACIDÆ ædicula fuit in regione V. Veneri tandem ROMANÆ delubrum fuit in via sacra, quod inter singularia & admiratione digna loca memorat Marcellinus. Hinc Venus non inconcinne dicta fuit Alma, Augusta, Cœlestis, Felix, Invicta, Jovia, Vestina, Victrix, & Placida; quemadmodum ex Inscriptionibus satis constat. Item Lubentina: cui lucum dedicatum memorat Non. Marcellus.

Quin etiam Poetæ suos amores Veneri consecrabant. De quibus procul dubio audiendus in *Florilegio Epigram.* c. IX. *l.* V. Agathias Scholasticus. In hunc modum Chærestratus apud Erycium Puteanum amœnioris ingenii virum in Como tamquam a propitio aliquo Genio admonitus ingenti fiducia Votum fecit, si durum Myrtillæ pectus mitesceret, aureum se Cupidinem Paphiæ femoribus appensurum.

Præterire hic nequeo de *Donario* Veneri facto insignem Athenæi locum *l.* XIII. c. IV. *Chamæleon Heracleotes in Libro de Pindaro, vetustam legem Corinthi fuisse tradit, cum Veneri civitas magnis de rebus supplicaret, ut accirentur in supplicationum pompam meretrices multæ, quæ Deam precarentur, & post aliorum discessum in Templis permaneret.* Subdit idem. *Cum Deæ tabulam Corinthii dicassent adhuc extantem, in qua privatim erant meretrices depictæ, quæ supplicationibus Deam propitiaverant, & in ejus fano peractis supplicationibus substiterunt, adscripto hoc Epigrammate:*

Αἱ δ' ὑπὲρ Ἑλλάνων τε καὶ ἰθυμάχων πολιητᾶν
Ἔσταθεν εὔχεσθαι Κύπριδι δαιμονίᾳ,

Hæ pro Græcis & bellicosis civibus
Constiterunt, divæ opem Veneris imploraturæ.

Notat *in hunc locum* Casaubonus, *non solum concipiendis votis frequentes adfuisse de more prostituti pudoris mulieres, verum etiam postea sacris interfuisse, quæ voti sui rei Corinthii Deæ redd'bant.* Sed quod magis est, Veneri olim non solum mercedem, sed prostibuli quoque pretium, sive nummos in templum illatos scribit Herodotus: *Cum semel illic consederint, non prius domum regrediuntur, quam hospitum aliquis pecuniam mulieri in sinum injecerit, & cum eadem a fano seorsum abducta rem habuerit. Hospitem autem illum, qui pecuniam obtulit dicere oportet: Tanti ego tibi Deam Mylitam imploro. Mylitam enim Assirii Venerem appellant. At vero pecuniam illam, quantulacumque sit, non est fas rejicere: siquidem in sacrum convertitur usum.* Hujus originem ex vetustate nobis dedit Julius Firmicus, cujus hæc verba: *Audio Cinyram Cyprium, templum amicæ meretrici donasse, ei erat Venus nomen. Initiasse etiam Cypriæ Veneri plurimos, & variis consecrationibus deputasse. Statuisse etiam ut quicumque initiari vellet, secreto Veneris sibi tradito asse manum mercedis nomine Deæ daret. Quod secretum quale sit omnes taciti intelligere debemus: quia hoc ipsum propter turpitudinem manifestius explicare non possumus. Bene amator Cinyras meretriciis legibus servit; consecratæ Veneri a sacerdotibus suis stipem dari jussit, ut scorto.* Lud. Carrio *Emendat. l.* II. c. XIX. pro *asse manum* bene reponit, *assem unum*; cæteraque quæ præcedunt sic distinguit, *statuisse etiam ut, quicumque initiari vellet, secreto Veneris sibi tradito, assem unum*, &c. Sic enim clarior erit locus iste, ex quo lucem adferas licet Senecæ *de Providentia* c. V. *Non sunt divitiæ bonum. Itaque habeat illas & Ellius leno: ut homines pecuniam cum in templis consecrarint, videant & in Fornice.* Hanc vero pecuniam fuisse Decimam, expresse tradit Nicardus *Variorum Epig. l.* VI. cap. VIII. *epig.* IX.

Huic Deæ Lais præterea speculum dicat apud Platonem *ibidem* epigrammate I. & sequentibus.

Omnem tibi decimam accepti questus feram Venus.

De hoc Donario non minus eleganter, quam festive Ausonius *epig.* LIV.

Lais anus Veneri speculum dico, dignum habeat se
Æterna æternum forma ministerium.
At mihi nullus in hoc usus; quia cernere talem,
Qualis sum, nolo: qualis eram, nequeo.

Hunc ritum confirmat vetus monumentum:

IOVI. IVNON. MINER
ANTONIA. M. LIB.
APHRODISIA. SCYPHOS. H
VENEREVM. SPECVLVM
DONVM. DEDIT

Quo alludens Mart. Capella *de Nupt. Philol. & Mercurii l.* I. *Aniæ prænitens speculum, quod inter Donaria ejus adytis SOPHIA defixerat, clementi benignitate largita est.* Et uberius illustrat Donarium insigne e saxo Malace in Hispania VENERI Augustæ oblatum, in quo præter alia ornamenta, Phialam, & Tabulam argenteam, Tiaram, Anulum aureum, & Gemmam videre est.

VENEREM. AVG. CVM. PARERGO. ITEM. PHIALAM
ARGENT. AEMIL. RVST. F. ITEM. TABVLAM. AR
GENT. M. ANNIVS. CELCITAN TEST. S O. POST. MORTEM
AEMILIAE. ARTEMISIAE. VXORI. ET. HAEREDI. SVAE
PONI. IVS
AEMILIA. ARTEMISIA. TIRA. POS. EADEMQ
DE. SVO. ANVLVM. AVR. GEMMA MELIORE

Memorabile est, quod in literas retulit *de Alexandro Severo* Ælius Lampridius: *Quum quidam legatus uniones duos uxori ejus per ipsum obtulisset magni ponderis, & insitatæ mensuræ, vendi eos jussit: qui quum pretium non inveniren, ne exemplum malum a regina nasceretur, si eo uteretur, quod emi non posset, inauribus Veneris eos dicavit.* Veneri autem sacra facturas rosis & floribus coronatas fuisse accepimus, forsan quod amantes essent vincti, ut notat Athenæus. Quo ritu etsi nihil turpius, pessimum tamen, & verum perversi cultus signum, quod memoriæ reliquit Athen. *l.* XIII. c. XXVIII. Deorum, sive Templorum Donaria meretricibus fuisse oblata. Paulo æquius eorum institutum, qui ex muneribus meretriciis Divorum simulacra constituebant. Quos tamen *l.* VI. *adversus Gentes* Arnobius vere, & graviter damnat. Nec alienum erit, quæ de Proserpinæ raptu memorat J. Firmicus *Libro sæpe citato* huc transtulisse: *Hennenses, ut possent maternis luctibus ex aliqua parte invenire solatium, inferorum Regem virginem rapuisse finxerunt: & ut fides figmentum sequeretur, prope Syracusas eum per alium locum cum virgine emersisse jactarunt. Templum sane & raptori & virgini accurate collatis sumptibus faciunt, & annua in templo VOTA decernunt.* Proserpinæ autem vovebatur Porca. De qua Martialis *l.* VI. *epig.* XLVII.

Exsolvit votis hac se tibi virgine porca
Marcus.

Et cum ipsa sit sterilis, Vacca sterilis. Virgilius VI. *Æn.*

——— *ipse atri velleris agnam*
Æneas matri Eumenidum, magnæque sorori
Ense ferit, sterilemque tibi Proserpina vaccam.

Sed ut ad Venerem revertamur: Ægyptii Venerem sanctissime colunt, quam Uraniam appellant. Atque vaccam etiam venerantur, quia affinitatem cum Dea ipsa habere existimatur; ut auctor Ælianus *l.* X c. XXVII. Tradunt quidam huic antiquos dedicasse ex præstantioribus puellas, quæ ad ejus templum prostarent, ac veluti sacræ deinde Viris traderentur. Quod de Lydiis etiam prodit Herodotus. Has in *Pœnulo* Plautus *Clientas* vocat; & in *Rudente, Antistitam Veneris* appellat sacris Deæ præfectam. Huc facit quod D. Augustinus *lib.* IV. c. X. *de Civitate Dei* scribit, quod Phœnices donum dabant Veneri de prostitutione filiarum, antequam jungerent eas Viris. Quod de Cypriis narrat Justinus *l.* XXII. *Mos*, inquit, *erat Cypriis virgines ante nuptias statutis diebus dotalem pecuniam quæsituras in quæstum ad littus maris mittere, pro reliqua pudicitia libamenta Veneri soluturas.* Prostituendi feminas vulgo etiam fuit mos Augilarum in Africa, nocte qua nuberent, ut Herodotus, Solinus pariter, & Mela auctores sunt. Item Sicæ in eadem terra templo Veneris matronæ dotem quærebant vulgato corpore. Armenis similem fere morem fuisse narrat Strabo *lib.* XII. *Comana multæ ibi sunt mulieres corpore quæstum facientes, pleræque sacræ.* Qua de re uberius idem *l.* XVII. *Jovi, quem præcipue colunt, virgo quædam genere clarissima, & specie pulcherrima sacratur: quales Græci pallacas, hoc est, pellices vocant. Et pellicis more, cum quibus vult coire, usque ad naturalem corporis purgationem.*

Veneri autem Solon etiam ex prostitutarum capturis ædem erexit, in qua meretrices locavit, ne juvenes alienis uxoribus insidiarentur, teste Juliano Aurelio *de Cognom. Deor. l.* II. c. IV.

A quo non longe est locus ille subobscurus Martialis *l.* III. *epig.* LXXX.

Convivia quisquis Zoili potest esse
Sumenianas cœnet inter uxores.

Sumeniani igitur loci nomine est locus sub mœnibus, ut & suburbiorum nomine domus & viæ sub urbe significantur. Quare mulieres Sumenianæ erant illæ, quæ in Lupanaribus constitutis sub mœnibus turpem exercebant quæstum, tamquam in remotiori & secretiori urbis parte, quemadmodum hodie etiam sub ipsis oppidorum mœnibus hæ mulieres habitent. Sumeni igitur nomine publicum turpitudinis locum designat Unde idem Martialis:

At meretrix abigit testem veloxque feraxque,
Raraque Sumeni fornice rima patet.

Verum quoniam *nullius rei turpis merces decora est,* ut vere Tertullianus: missis hisce parum decoris, ad reliquos tendamus, ubi prius e Valerio Maximo *l.* VIII. c. XV. huic commemorationi adjecerimus, Sulpitiam Ser. Paterculi filiam, Q. Fulvii Flavi uxorem Senatus Libris Sibyllinis per Decemviros inspectis censuisse, ut Veneris VERTICORDIÆ, simulacrum consecraretur, quo facilius virginum mulierumque mentes a libidine ad pudicitiam converterentur. Ea vero, quæ Græcis Ἀποστροφία, & Urania, Romanis Venus erat VERTICORDIA, quod, ut refert Julianus Aurelius *de Gent. Deor. Cognominibus l.* II. c. IV. divina plane Romanarum mulierum quodam tempore in libidinem impotentius irruentium corda ad pudicitiam converterit. De qua scire Ovidius *Fastor.* IV.

——— *Venus verso nomine corda tenet.*

Hujus ferme generis mulierum Corinthi Votum Veneri factum, quod Plutarchus, *Com. de Herodoti malignitate, præclarum ac divinum appellat, quo petierunt ut Dea maritis ipsorum amorem pugnæ adversus barbaros emitteret.* Subdit idem: *Simonides fecit inscriptionem æneis imaginibus in Veneris fano positis, quod Medea condidisse perhibetur, ab aliis petens ut mariti amore Jasonis ipsam Venus solveret, ab aliis, ut is amore Thetidis Deæ liberaretur.* Hinc Veneris Cupidinem filium esse scribit antiquis, eique pariter Gratias, quas Græci Charites appellant, addit. Ipsum Poetæ ingeniose finxerunt Harpocrati Deo silentii Rosam consecrasse. Forsan quod ea silentii symbolum, cujus in amore vix magna est. Ovidii præceptum est *de Arte amandi:*

Præcipue Cytherea jubet sua sacra taceri.
Admoneo veniat ne quis ad illa loquax.

Adonis etiam Veneris minister esse fingitur, propter cujus necem Veneri sues immolatas legimus apud Græcos.

Veneri & Marti commune Templum fuisse cecinit Claudianus:

Mavors sanguinea qui cuspide verberat urbes,
Et Venus humanas quæ laxat in otia curas,
Aurati delubra tenent communia templi.

Pani Clavam & Cervinam pellem posuit Evius Venerem secutus c. IX. *epigram.* II.

Nicanoe etiam Priapo de mulierum præstantia judicanti pellem & aureum aqualem obtulit, postquam ipsa sua ornamenta abliguriisset.

Cæterum ne irrita essent Amantium desideria DIIS ANTELIIS, qui ante fores statuebantur, serta & unguenta cum adoratione sternebant, ut faciles sibi aditus impetrarent. Indicat id Athenæus *l* XV. c. II. *Cum domus (Amoris) sit Templum Amasiorum fores coronant.* Ideoque nonnulli in Amatorum Foribus sacrificant. Hinc Tibull. *l.* I. *eleg.* II. vers. 14.

——— *Cum posti florida serta darem.*

Et Plautus:

——— *Bibite festinæ fores,*
Potate, fite mihi volentes propitiæ.

CAP. XVII.

CONVIVANTIUM DONARIA.

Dissertationi a principali argumento aliquantulum remotæ locum dedit elegantissimus Ælianus, qui *Variar. Hist. l.* II. c. XIII. δαιτὸς ἀναθήματα, *Convivii anathemata* nominat, interprete Justo Vultejo; quæ fortassis rectius Donaria dicerentur. Cujus generis Chalcidensibus dicta fuisse συμβολάς, notat Isaacus Casaubonus *Animadv.* IV. *l.* VIII. c. VI. *in Athenæum.* Nimirum, tænias, corollas, unguenta, aliaque parvo parabilia; quæ invitati ad convivii Regem deferebant. Nonnunquam etiam e convivio discedentes oblata sibi dona relinquebant. Sic apud Justinum *l.* XVIII. *Missi a Senatu in Ægyptum Legati, quum ingentia sibi a Ptolemæo missa munera sprevissent, interjectis diebus ad cœnam invitatis aureæ coronæ missæ sunt; quas illi honoris causa receptas postero die Statuis Regis imposuerunt.*

Multa vero in Antiquorum conviviis intemperantius committebantur. Nam & in Sicilia Templum erat Voracitati sacrum Æliano teste *Variar. Hist lib.* I. capit. XXVIII. Athenienses quoque sic Regibus adulari consueverant, ut singuli Diis in conviviis libantes in Regis honorem duos cyathos effunderent, ut Casaubonus auctor *in Athen.*

then. Animad. lib. x. cap. VI. In sanitatem pariter Principum, Ducum, Magnatum, amicorum, & amicarum Veteres pocula hausisse, peculiari libello docuit Joannes Fridericus Matenesius. Quæ sanitatem ne offenderent, ad quosvis haustus Deorum, ac Heroum nomina invocabant.

Et primum quidem poculum Gratiis libavere, alterum Horis ac Dionysio, tertium Injuriæ. Hinc proverbio jactatum: Craterem primum Jovi, alterum Heroibus, tertium Jovi servatori dicatum. Elegantissime Apulejus *Florid.* lib. v. Sapientissimis supra mensam dictum esse primum craterem ad sitim pertinere, alterum ad hilaritatem, ad voluptatem tertium, quartum ad insaniam.

Ad convivium porro DONARIORUM alia ferebantur a convivis, alia a convivatore. Convivis post refectionem tradebantur domum ferenda, quæ *Apophoreta* Græcis appellata, quod nempe domum deferrentur. Quibus & Martialis Librum inscripsit.

Et quidem DONARIA convivarum, vel ad ipsum convivium spectabant, eaque symbola, collecta, comessalia; vel convivatori; aut mensæ ministris, ac famulis offerebantur. Convivatori a convivis dona nonnunquam exhibita, est apud Xenophontem l. VIII. *de Exped. Cyri*, ubi splendidissimum Seuthis Regis Thracum epulum describitur. Mos Thracum ibidem fertur, ut a Rege invitati, pro facultate dona offerant varia; aurea pocula scilicet, tapetes, equos, pueros, vestimenta ad conjugis usum, aliaque ex arbitrio. Moris est in hunc diem in Italia, Germania, aliisque cultioribus Provinciis, convivas ancillis, atque famulis, sive ministris pecuniolæ quidpiam relinquere.

Nec omittendum ad nuptiales epulas invitatos in Histria, remotis mensis sponsæ suum quemque munus apponere. Si quis hic etiam sacris initiatus agnatos, & amicos prandio admovet, non edulia modo varia conferunt; sed sub convivii finem a seniore Sacerdote invitati ad cohonestandum symbola quadam novum Christi ministrum, quivis aliquid nummorum illico expromunt, in futuram messem cerealia, vel vina pollicentur, & promissa diligentissime perficiunt.

Frequentiora vero, quæ a convivatore convivis DONARIA obtingunt. In Imperatorum Romanorum conviviis crebra fit apophoretorum, sive munerum convivalium mentio. Unum referam, quod Julius Capitolinus de Vero Imperatore scribit in *ejus Vita*: *Notissimum fertur tale convivium, in quo primum duodecim accubuisse dicuntur, cum sit notissimum dictum de numero convivarum: SEPTEM CONVIVIUM, NOVEM VERO CONVITIUM. Donatos autem pueros, qui ministrarent singulis: donatos etiam structores, & lances singulis quibusvis donatas, & vina aliena, vel cicurum, vel ferarum avium, vel quadrupedum, quorum cibi appositi erant. Donatos etiam calices singulis ad singulas potiones myrrhinos, & crystallinos Alexandrinos; data etiam aurea, atque argentea pocula, & gemmata. Coronas qu n etiam datas lemniscis aureis attextis interpositis, & alieni temporis floribus: data & vasa aurea cum unguentis ad speciem alabastrarum. Data etiam vehicula, atque mulæ cum mulionibus cum juncturis argenteis, ut ita de convivio redirent. Omne autem convivium æstimatum dicitur sexagies centenis millibus H-S. Hoc convivium postquam Marcus audivit, ingemuisse dicitur, & doluisse publicum fatum.*

Mitto alia DONARIA a conviviis Principum tradita. Italis etiamnum est receptum convivis ab epulis olfactoriola ex floribus præbere: aliquando cibaria, & post prandium tragemata, ac panes Martios, mulieribus apponi domum ferenda, aliaque similia etiam pretiosiora convivis in grati animi symbolum offerri.

Neque ingrato silentio prætereundum quod hoc anno supra millesimum sexcentesimum quinquagesimo secundo mihi contigit Veronæ, quo recreandi animi gratia concesseram. Ab Illustrissimis, & Reverendissimis illius amplissimæ Cathedralis Canonicis invitatus, ut eorum non ita dudum orbatæ suo præclari nominis Præsule operam meam commodarem Ecclesiæ sacris ordinibus impertiendis, & Sacro Chrismate Civibus inclytæ Urbis confirmandis, libentissime parui, postulante id præsertim Cozza Cozza Archipresbytero, & Sedis vacantis Vicario, Viro nobilissimo, bonarum literarum cultori, & ingeniorum æstimatore, amico ob studiorum communionem veteri. Lauto ab iis convivio eruditis, & sacris juxta sermonibus quum exceptus essem, in eximiæ voluntatis testimonium bina mihi vasa argentea floribus contextis artificiosissime naturam æmulantibus exornata dono obtulere. Munus profecto non sine rubore, ac ferme invitus tandem recepi, ea mente, ut tanti erga me studii monumentum esset. Inter eos primi tunc nominis adfuere natalibus, & religione præstantissimi, Archipresbyter Cozza Cottius J. V. D. Proton. Apost. Præp. D. Paulus Camillus Justus. Archidiaconus Franciscus Minius J. V. D. Jo. Baptista Quartus Abbas, D. Felix Seibanus, Andreas Sbadachius S. Theol. Doctor, qui epulum solemne sermonibus prudentiæ, ac amœnitatem condimentis varie ornarunt.

CAP. XVIII.

LEGATORUM DONARIA.

NOstra ætate regulorum quidam Britannicorum legationibus, & officiis amicitiam Augusti Cæsaris consequuti Donaria in Capitolio dedicarunt. Strabo *Geogr.* lib. IV. Consuevere nostris etiam temporibus Reges, ac Principes rariora, & quantivis pretii munera per Legatos invicem mittere. Sed & Legati hospitibus xenium reliquere. Quo modo Antidotum Apuleii Celsi ad Hydrophobiam ab hospite suo Zopyro Gordiense Medico, Legato e Creta misso, pro magno munere se hyænæ corium accepisse fatetur Scribonius Largus non ignobilis inter Latinos Scriptor *Composit.* CLXXII. cui nuper præluxit Rhodius noster. Hanc vero benevolentiam hospitum peculiari *de Tesseris hospitalitatis* libello commodius prosecuti sumus.

CAP. XIX.

VOTA POPULI PRO PRINCIPE.

VErum, dum sic varie hominum affectus agitat dulcis vesania, ad frugem oppido revocat animorum in Principes devotio. Hi quippe in terris Deorum vices gerunt, ac jura tenent, quos dira vis fulminis ingenti majestatis argumento sæpe innoxios transiit, quemadmodum eleganter Maro in Divino opere:

Ecce levis summo de vertice visus Iuli
Fundere lumen apex, tactuque innoxia molli
Lambere flamma comas & circum tempora pasci.

Populo itaque jure merito nihil erat antiquius, quam pro salute Principis cœleste numen soli-

citare; quo animi ſtudio id factum non obſcurum eſt apud Sueton. in *Caligula* cap. VI. cujus verba, ut ſubditis Principum venerationem injiciam hic libens adſcribo: *Romæ cum ad primam famam valetudinis attonita, & mœſta civitas ſequentes nuntios opperiretur, & repente jam veſperi incertis auctoribus convaluiſſe tandem percrebuiſſet: paſſim cum luminibus & victimis in Capitolium concurſum eſt, ac pene revulſæ Templi fores; ne quid geſtientes VOTA reddere moraretur.* Adeoque populi adulatio erga ſuos Principes crevit, ut, eodem Suetonio teſte cap. LIX. in *Auguſto*: *Nonnulli patrum familiarum teſtamento caverint, ut ab hæredibus ſuis, prælato victimæ titulo, in Capitolium ducerentur, VOTUMQUE pro ſe ſolveretur, QUOD SUPERSTITEM AUGUSTUM RELIQUISSENT.* Et ſubdit: *Quædam Italiæ civitates diem quo primum adſe veniſſet, initium anni fecerunt. Provinciarum pleræque ſuper templa, & aras, ludos quoque quinquennales pene oppidatim conſtituerunt.* Et in *Caligula*: *Ut vero in adverſam valetudinem incidit pernoctantibus cunctis circa Palatium, non defuerunt, qui pugnaturos ſe armis pro ſalute ægri, quique capita ſua titulo propoſito voverent.* Qui vero hic titulus, num verbena & infulæ; fortaſſe etiam ſcriptum Elogium? De his Juvenalis *Satyra* X.

Provida Pompeio dederat Campania febres
Optandas, ſed multæ Urbes, & publica VOTA
Vicerunt.

Ad quam adulationem alludit C. Tacitus *Ann.* lib. IV. *Cethego & Vitellio Varrone Coſſ. Pontifices, eorumque exemplo cæteri ſacerdotes, cum pro incolumitate Principis vota ſuſciperent, Neronem quoque & Druſum iiſdem Diis commendavere, non tam charitate juvenum, quam adulatione.*

Et quidem per quietem admonitos quoſdam pro ſalute Principum certis Diis voviſſe monſtrat vetus Inſcriptio Romæ in domo Alberinorum e regione Palatii della Valle:

NEMESI
SANCTAE
CAMPESTRI. PRO. SA
LVTE. DOMINORVM
N. N. AVGG. P. AEL. P. F
AELIA. PACATVS
SCVPIS. QVOD. COH. DOC
TOR. VOVERAT. NVNC
CAMPI. DOCTOR. COH. I
P. R. P. V. SOMNIO. ADMO
NITVS. POSVIT. ✠ I. T.

Par in Principum obſequium monſtrat Liberti Votum Silvano factum pro ſalute Auguſti ex quorundam ſententia: quod inferius dabimus, ubi de Agricolarum Votis. Interim omittere non poſſum geminum pro Auguſto Germanico Votum cum ſuis ſtatuis ab Ulyſſe Aldrovando Romæ in monte Quirinali viſum. Quorum prius ad Jovis ſimulacrum:

I. O. M. SACR
VOTO. SVSCEPTO
PRO. SALVTE
AVG. GERMANI
PONTIFICIS. MAXIMI
TR. POT
D. VETVRIVS. ANTIGONVS
D. VETVRIVS. SP. F. PHILO
D. VETVRIVS. ALBANVS
PATER. CVM. FILIIS
POSVIT

Alterum Deæ Syriæ in Vinea Card. Carpenſis:

DEAE. SVRIAE. SACR
VOTO. SVSCEPT. PRO
SALVTE
. . . .
. . . .
AVG. GERMANICI
PONTIFICIS. MAXIMI. TR. POT
D. VETVRIVS. ANTIGONVS
D. VETVRIVS. SP. F. PHILO
D. VETVRIVS. ALBANVS
PATER. CVM. FILIIS
POSVIT

Pro Principe Vota etiam ſoluta oſtendit ſuo exemplo Plinius Minor l. X. epiſt. XLIV. *ad Trajanum*: *Solemnia Vota pro incolumitate tua, qua publica ſalus continetur, & ſuſcipimus domine, pariter & ſolvimus, precati Deos, ut velint ea ſemper ſolvi, ſemperque ſignari.* Ad quæ Imperator: *Et ſolviſſe Vos cum provincialibus Diis immortalibus VOTA pro mea ſalute & incolumitate, & nuncupaſſe libenter, mi Secunde cariſſime, cognovi ex literis tuis.* Et alibi: *Agnoſco Vota tua mi Secunde cariſſime.* Diſerte magis Suetonius in *Octav.* c. LVII. *Omnes ordines in Lacum Curtii quotannis ex Voto pro ſalute ejus ſtipem jaciebant.* Stipes autem Diis dabatur. Seneca *de Benefic.* l. VII. *Diis poſuimus Domum & Stipem jecimus.* Livius *l.* XXV. *Prætor edixit ut populus per eos ludos ſtipem Apollini quantum commodum eſſet conferret.* Caſaubonus annotat ritum jaciendi Stipem in Lacum veteris fuiſſe ſuperſtitionis apud Romanos, qui loca hominum opinione ſacra hac ratione venerabantur. Plinius *lib.* VIII. *epiſt.* VIII. de Clitumno: *Fons exit & exprimitur pluribus venis, ſed imparibus, eluctatuſque facit gurgitem, qui lato gremio pateſcit purus & vitreus, ut numerare jactas Stipes & relucentes calculos poſſit.* Quænam hæc eſſet, manifeſtat Seneca *Natural. Quæſt.* l. IV. *In hac ora Stipem ſacerdotes, & aurea Dona Præfecti, cum ſolemne venit ſacrum, jaciunt.* Ex quibus colligo talos jactos a Tiberio Cæſare in Aponum fontem fuiſſe aureos, quemadmodum refert Suetonius in *Vita ejus* c. XIV. *Cum Illyricum petens juxta Patavium adiſſet Geryonis oraculum, ſorte tracta, qua monebatur ut de conſultationibus in Aponi fontem talos aureos jaceret; evenit ut ſummum numerum jacti ab eo oſtenderent: hodieque ſub aqua viſuntur ii tali.* Quidquid viri eruditi de æreis ſuſpicati fuerint.

Ratione non diſſimili, quamquam ſine ſuperſtitione, ritu a Majoribus accepto quotannis ſolemni die Aſcenſionis Domini Sereniſſimæ Reipublicæ Venetæ Dux, aqua luſtrali prius in mare profuſa, Annulum aureum a Patriarcha conſecratum e puppi Bucentauri in Undas projicit, hiſce verbis: *Deſponſamus te mare in ſignum veri, perpetuiq; dominii.*

Neque Diis tantum, ſed & Principibus ipſis oblatam fuiſſe Stipem docet Suetonius c. XLII. in *Caligula*: *Edixit & ſtrenas ineunte anno ſe recepturum. Stetitque in veſtibulo ædium Cal. Januariis ad captandas ſtipes, quas plenis ante eum manibus ac ſinu omnis generis turba fundebat.* Quam antea dari Imperatori Tiberius prohibuit. Dion. *l.* LVII. *ſequenti anno C. Cæcilius Rufus L. Pomponius Flaccus, conſulum nomen geſſerunt. Tiberius ſtrenam, a quibuſdam oblatam non accepit: eaque de re edictum propoſuit.* Et *l.* LX. ſub Claudio Imper. *Pecuniariam rem mirifice tractavit, nam & Strenarum oblationem, ſub Auguſto & Cajo uſurpatam edicto ſuſtulit.*

Quin ſubditi ſe Principibus devotos, & dicatos, ante alloquium præfari conſueverunt,

Unde vetus formula: DEVOTI NUMINI MAIESTATIQUE TUÆ. Quam consuetudinem hodieque receptam ab Hispanis originem duxisse refert Dio *l.* LIII. de Augusto: *Quum aliis alii modis immodice ei gratularentur, Sextus quidam Pacuvius omnium studia superavit, more Hispanorum se Cæsari consecrans: idemque ut facerent, aliis auctor existens.* Imo cum filio Cæsarem heredem ex æquo nuncupavit, ut ibidem refert idem. Extremi affectus ne dicam vesaniæ exemplum memorat Dio *l.* XLIV. *Unus ex Indis Zarmanus, sive ex sapientibus eorum unus, ac propterea vel gloriæ causa, vel senectutis secundum leges patrias, sive ut ostentaret se Augusto & Atheniensibus (Athenis enim venerat) mori volens, Deorum sacris, etsi (ut referunt) non legitimo tempore, initiatus in gratiam Augusti, inde se in ignem dedit.* Sed tanta fuit etiam de Principibus animi solicitudo, ut boni scriptores antiquitus suas cogitationes non sine solemni pro Imperatoribus voto evulgaverint. Quam præcipue pietatis notam in Oppiani *de Piscat.* lib. II. deprehendimus.

Nec minorem Principibus ipsis quam subjectis exsolvendi Voti curam fuisse, satis persuadent hæc Suetonii in *Caligula* cap. XXVII. *VOTUM exegit ab eo qui pro salute sua gladiatoriam operam promiserat: spectavitque ferro dimicantem, nec dimisit nisi victorem, & post multas preces. Alterum qui se periturum ea de causa VOVERAT, cunctantem pueris tradidit verberatum infulatumque, qui votum reposcentes per vicos agerent, quoad præcipitaretur ex aggere.* Hæc tamen majori fortassis ambitione, quam pietate facta. Vota enim a Veteribus summa religione servata in primis docent codicilli, qui defunctorum hæredibus voti exsolvendi necessitatem imponunt.

Tantum vero adolevit ista solennitas, ut pro Principis salute, incolumitate, & conservatione, non solum privati cives VOTA in adulationem Principum funderent, sed etiam Senatus Populusque Romanus publica vota institueret. Quod quidem pridie Nonas Januarii, & tertio Nonas Januarii factum scribit Plutarchus in *Cicerone*; Capitolinus in *Pertinace*: *Tertium Nonarum diem Votis ipsis milites Triarium Maternum Lascivium, Senatorem nobilem ducere in castra voluerunt, ut eum rebus Romanis imponerent.* Et Dio *l.* LIX. *Post Calendas Januarii die tertio pro salute Principis Vota suscipiuntur.* Sed etiam Vota Calendis ipsis Januarii fuisse facta, ex Cornelio Tacito lib. IV. *Annalium*, & Livio *l.* XXI. colligitur. Plures igitur dies Votorum fuere; tertius autem ante Nonas præcipuus. Votorum item memoriam publicis Numismatibus ex argento, auro, & metallo consignarunt. Hinc illæ Inscriptiones: VOTA PUBLICA SUSCEPTA PRO SALUTE, &c. Item si Imperator viveret, & eodem felici statu conservaretur, V. X. XV. & XX. Ludos se esse facturos promiserunt. Unde in Veterum nummis:

VOTA QVINQVENNALIA
DECENNALIA
XV
VICENNALIA ET
TRICENNALIA

Evidentissimum autem hujus consuetudinis monumentum in Arcu Constantini elegantissimo hodieque in foro Boario Romæ conspitur:

VOTIS. X. ET. VOTIS. XX.

Rationem reddit Dio *l.* LIII. de Cæsare Augusto: *Ei cum primum decennium exivisset, aliud quinquennium, atque eo circumacto rursum aliud quinquennium, post decennium, ac eo finito aliud iterum decretum est: ita ut continuatis decenniis, per totam vitam Imperii summam obtinuerit. Quam ob causam posteriores quoque Imperatores, etsi non ad certum tempus, sed per omne vitæ spatium iis Imperium deferatur, tamen singulis decennis festum pro ejus renovatione agunt, quod hodie etiam fit.* In hanc rem videntur Numismata multa, præsertim Balbinii, Pupieni, & Gordiani, in quorum aversa parte coronæ civicæ inscribitur:

VOTIS. DECENNALIBVS. S. C

Item Galienus Cæsar referente Trebellio Pollione celebravit *Vota suscepta decennalia.*

Idem factum pro corona Millesimi Anni, Saxum Romæ Anno M. D. XLIX. trans Tiberim ad D. Mariam repertum, indicat:

PRAESENTIAE
MATRIS. DEVM
P. SEPTIMIVS
FELIX
OB. CORONAM
MILESIMI
VRBIS. ANNI

Annuam porro votorum nuncupationem primam in principiis, secundam in Capitoliis recenset Tertullianus *de Corona* cap. XII. in hæc verba: *Tunc sibi Juppiter bovem cornibus auro decoratis vovemus esse futurum.*

Pro salute Principis vota fuisse facta testantur etiam innumeræ Inscriptiones, quæ passim variis in locis spectantur: ut vico Septabilis agri Atestini in tabula ænea:

I. O. M. D. D. SAC. PRO. SAL
DOMINORVM. NN. AVGG
IMPP. COLLICIVS. VETERA
AVGG. V. S. L. A

Innumeris præterea monumentis hujus generis Imperatorum nomina exprimuntur:

DEO. HERCVLI
PRO. SALVTE
DIVI. TRAIANI
&c.

IOVI. CVSTODI
QVIRINO. SALVATORI
PRO. SALVTE
CAES. NERVAE
&c.

Item:

I. O. M
PRO. SALVTE
IMP. L. SEPTIMII
&c. V. S.

PRO. SALVTE
ET. VICTORIA
IMP. CAES. L. SEPTIMII
SEVERI. &c. EX. VOTO

Et Albæ Juliæ legitur:

I. O. M. ET
IVNONI. REGIN
PRO. SAL. IMP. M. AVR. AN
TONINI. PII. AVG. MATRIS. AVG
M. VLP. MVCCIANVS
MIL. LEG. XIII. GEM
HOROLOGIARVM. TEMPLVM
A. SOLO. DE. SVO. EX. VOTO
FECIT
FALCONE. ET. CLARO. COSS

Et pro coronide hujus Capitis Ausonii Galli locus in *Gratiarum actione* pro suo Consulatu ad Gratianum Augustum: *Basilicæ olim negotiis plenæ, nunc votis, votisque pro tua salute susceptis*. Ex quo loco conjicitur, quod Basilicæ differunt a Templis, & Vitruvio auctore *l.* VI. *c.* I. *Erant illæ, loca venalium rerum, foris conjuncta, in quibus hyems potissimum publicæ conciones, & negotiantium conventus habebantur*.

CAP. XX.

VOTA PRO PATRIA, PRO IMPERIO, PRO CIVIBUS.

NIhil patriæ amore gratius, ut recte Poeta: *Dulcis amor patriæ*. Hujus enim beneficiis Cicer. auctore maximis obligati sumus, in quam tanta est vis & naturæ propensio, ut Ithacam illam in asperrimis scopulis tamquam nidulum affixam sapientiæ exemplum Ulysses immortalitati anteponeret, cujus hæc ad Circem verba apud Aristotelem l. II. *Oecon.* cap. penultimo: *nihil sibi dulcius videri posse, quam patriam incultam, & asperam*. Nec injusta Virgilii querela:

Nos patriæ fines, & dulcia linquimus arva.

Quare non immerito pro ea conservanda Vota quædam cæteroquin ab humanitate aliena facta leguntur, inter quæ primum sibi jure vendicat locum, omnis posteritatis memoria dignum M. Curtii Votum. De quo Livius noster *l.* VIII. *Eodem anno seu motu terræ, seu qua vi alia, forum medium ferme specu vasto collapsum in immensam altitudinem dicitur; neque eam voraginem conjectu terræ, cum pro se quisque gereret, expleri potuisse prius, quam Deum monitu quæri cœptum, quo plurimum populus Rom. posset. Id enim illi loco dicandum vates canebant, si Remp. Romanam perpetuam esse vellent, tum M. Curtium, juvenem bello egregium, castigasse ferunt dubitantes, an ullum magis Romanum bonum, quam arma, virtusque esset. Silentio facto, templa Deorum immortalium, quæ foro imminent, Capitoliumque intuentem, & manus nunc in cœlum, nunc in patentes terræ hiatus ad Deos manes porrigentem se DEVOVISSE: equo deinde quam poterat maxime exornato insidentem armatum se in specum immisisse, donaque ac fruges super eum a multitudine virorum ac mulierum congestas; lacumque Curtium non ab antiquo illo T. Tatii milite Curtio Metio, sed ab hoc appellatum*. Ita *equitis sui*, ut eleganter Minucius Felix, *vel mole, vel onere hiatum profundæ voraginis coæquavit*. Equitem vero pro Equo non sine exemplo dixit ille, quod latius probat Macrobius *Saturn.* lib. VI. cap. X. & Gellius *l.* XVIII. *c.* V.

Formulam hujuscemodi devotionis tradidit Josephus Scaliger in *Conjectaneis ad Varronem de Lingua Latina*:

IANE, IOVIS PATER, MARSPITER, QVIRINE, LASES, DIVI NOVENSIDES, DII INDIGETES: DIVI, QVORVM EST POTESTAS POPOLI ROMANI QVIRITVM, MEIQVE, DIIQVE MANES, SVB VOS FLACCO, VENERORQVE: VENIAM PETO, OBSECROQVE, VTI POPOLO ROMANO QVIRITIVM VITAM SALVTEMQVE PROSPERETIS. VTI EGO AXIM PRAE ME FORMIDINEM METVMQVE OMNEM, CELESTIVM INFERNVMQVE OMNIVM DIRAS, SICVTI VERBIS NVNCVPASSO: ITA PRO REPOBLICA POPOLI ROMANI QVIRITVM, VITAM SALVTEMQVE MEAM DIIS MANIBVS, TELLVRIQVE DEVOVEO.

Aliam nobis innuit Nonius ex *Æneade* L. Attii, ubi Decium filium exemplo patris se pro patria devoventem introduxerat. Verba sunt:

Patrio exemplo me dicabo: animam devorabo hostibus.

legendum *devotabo*. Aliam formulam dedit idem:

Te sancte venerans precibus invicte invoco,
Portenta ut popolo patriæ verrunces bene.

Romanæ constantiæ nihil cedit Græca, quam Plutarchus in *Parallelis* memorat. *Ad Celænas Phrygiæ urbem hiatu terræ cum aquæ illuvie orto, multorum domus una cum habitatoribus in profundum abreptæ sunt. Midas autem Rex oraculo accepto, si preciosissimum injiceret, fore ut hiatus coiret, auro argentoque injectis nihil profecit. Anchurus autem Midæ filius cogitans preciosius anima humana esse nihil in vita, amplexu dato genitori & uxori suæ Timotheæ, eques in hiatum sese dejecit. Cum autem in se coivisset terra, auream Midas in eo loco posuit Aram, eamque manu tangens Jovi Idæo consecravit*. Mitto cætera extremæ pietatis in patriam argumenta, quæ humanam prope fidem excedunt. Romanos die tertia ab Anni initio pro universa civium salute cum precibus vota fecisse, certum est. Quale ob cives servatos votum olim Convenis:

IOVI. O. M
OB. C. S
S. S
V. S. L. M

Cui nil cedit alterum pro salute Coloniæ, & ordinis Decurionum, populique Jovi Custodi & Conservatori oblatum, quod in basi Statuæ legitur Tuderti in pariete Templi D. Fortunati:

PRO. SALVTE
COLONIAE. ET. ORDINIS
DECVRIONVM. ET. POPVLI
TVDERTIS. IOVI. OPT. MAX
CVSTODI. CONSERVATORI
QVOD. IS. SCELEROSISSIMI. SERVI
PVBLICI. INFANDO. LATROCINIO
DEFIXA. MONVMENTIS. ORDINIS
DECVRIONVM. NOMINA
NVMINE. SVO. ERVIT. AC. VINDI
CAVIT. ET. METV. PERICVLORVM
COLONIAM. QVOQVE. LIBERAVIT
L. CANCRIVS. CLEMENTIS. LIB
PRIMIGENIVS
SEX. VIR. II. AVGVSTALIS. ET. FLAVIALIS
PRIMVS. OMNIVM. HIS. HONORIBVS
AB. ORDINE. DONATVS
VOTVM. SOLVIT

Imo aliquando pro salute Imp. Status, Civitatis, Tauropolium factum indicat Inscriptio ex Piersonio a Grutero allata:

PRO. SALVTE. IMP. ANTONINI.
GORDIANI
PII. FEL. AVG. TOTIVSQVE. DOMVS. DIVINAE
PROQVE. STATV. CIVIT. LACTOR.
TAV
ROPOLIVM. FECIT. &c.

Pro salute pariter Imperii Romani, & virtute Legionis Albæ Juliæ:

I. O. M
ET. CONSESSVI. DEO
RVM. DEARVMQVE
PRO. SALVTE. IMPERII
ROMANI. ET. VIRTVTE
LEG.XIIII.G.SVB.M.STATIO
PRISCO. CONSVLE. DE
SIGNATO. DEMONSTR
IPSIS. AQVAS. APERIEN
DAS. PER. L. AVRELIVM
TROPHIMVM. PO
NENTI. SIGNVM. IO
VIS. ET. ARAM. P. S. F

Hoc non prætereundum, Lacedæmones ad bellum profecturos Musis scarificasse, ut Musarum beneficio rei bene gestæ memoria apud posteros conservaretur.

CAP. XXI.

DONARIA DIIS OBLATA AB IMPERATORIBUS ANTE BELLUM, ET POST BELLUM.

Heroes etiam defuncti publicis muneribus honestati. De Alexandro Severo Ælius Lampridius mihi pag. 132. *Dona regia in templis posuit*. Et paulo post: *Quum quidam legatus uniones duos uxori ejus per ipsum obtulisset magni ponderis, & inusitatæ mensuræ, vendi eos jussit; qui quum pretium non invenirent, ne exemplum malum a regina nasceretur, si eo uteretur, quod emi non posset, inauribus Veneris eos dicavit*. Et mox: *Tunicis Persicis in Templo locatis*.

Reliquum est ut ad propria Imperatorum VOTA descendamus. Hi enim auctore Cicerone lib. *de Aruspicum responsis* periculosissimis bellis Diis vota fecerunt, ea ad Aras in ipsorum fano persolventes. Hinc Ovidius *Fast.*

Mens quoque numen habet, menti delubra videmus
Vota metu belli, perfide Pœne, tui.

Bellum enim, ut vulgo dici solet, eorum est, ubi *sani agonisant*: nec alia ratione Mars *cruentus*, rixæ *sanguineæ*, bella *horrida*, & *matribus detestata* vocantur, nisi propter pericula, quæ singulis non dicam diebus, sed momentis milites incurrunt, quoties in præliis congrediuntur. Quare ad cœlestium numinum opem recurrendum. Aristotele enim referente, *intrepidi sunt confidentes qui pii in Deum sunt*. Et alibi: *qui se bene habent erga divina audaciores sunt*. Hinc tot in castris Aras apud bonos scriptores legimus, tot ante bellum sacrificia & oblationes; imo Imperator Romanus commisso sibi bello, antequam urbe exiret, Martis sacrarium ingressus hastam numinis commovebat dicens, *Mars vigila*. Alios item Deos hostiis & votis deprecabantur, & præcipue Fortunam, ut sibi esset propitia, a qua potissimum incertos Martis eventus dependere opinabantur. Hinc Demosthenes in bellum iturus suo clypeo inscripsit: *ἀγαθὴ τύχη*, *bona fortuna*: & Cæsaris symbolum erat: *Virtute duce, comite Fortuna*. De qua vetus Inscriptio:

I. O. M
ET. FORTVNAE. SECVNDAE
CAES. &c.

Hinc tot emanarunt elogia Fortunæ Adjutrici, Tutelæ, bonæ, domesticæ, publicæ, salutari, conservatrici, obsequenti, Reginæ, Respicienti,

A Sanctæ, Opiferæ, Jovis Pueri Primigeniæ, Aug. Omnipotenti. Tandemque Reduci; cui potissimum Vota facta invenio, imo eidem Templum a Domitiano erectum fuit; itemque ei Aram Romæ consecratam ob Augusti reditum auctor est Dio *lib.* LIV. & Claudianus *de* VI. *Hon. Consul.*

Aurea Fortunæ reduci si templa priores
Ob reditum vovere ducum, non dignius unquam
Hæc Dea, pro meritis, amplas sibi posceret ædes.

Spoleti vetus Inscriptio legitur;

B
...FORTVNAE. REDVCI
...RVFVS. COL. DISP. SVMMAR
...OMNI. CVLTV. EXORNAT. DE. SVO. POSV
IT. IDEMQVE. DECRET. ORDIN. TEMPLVM
A. SOLO. SVMPTV. SVO. MAXIMO. CONLATO
PERFICIENDVM. CVRAVIT. CVIVS. DEDICATI
ONE. SINGVLIS. N. COLLEGIO. H-S. XX. N. DED
DEDICATVM. XII. KAL. AVG. ORFITO. ET. MAXIMO. COS
SI.QVI.CLIPEVM.PONERE.VOLET.DABIT.ARCAE.H-S.II. N

Votum huic e multis addo ex Pighio sequens:

C
FORTVNAE
REDVCI
C. TATIVS
SIMNI. LIB
EX. VOTO

P. Sempronius Consul ædem quoque primigeniæ Fortunæ vovit, auctore Livio.

Fortunæ Reduci fere Jovis præferebatur: utrique Statuam ex voto Romæ dicatam indicat sequens titulus in marmore:

D
IOVI. SERENO
ET
FORTVNAE. REDVCI
IMP. L. SEPTIMI. SEVERI
PII. PERTINACIS. AVG. ARAE
ADIAB. P. P
STATVAM. HANC
VOTO. SVSCEPTO
L. FORTVNATVS. QVINT
SOD. HADRIANAI
D. S. I. S. L. M

Nec solum pro reditu a bello vota fundebantur, sed etiam pro itu. Unde Divione in vetusto lapide colossi specie:

E
I. O. M. ET
FORTVNAE. REDVCI
PRO. SALVTE. ITV. ET
REDITV. FL. TIB
VETERIS
N
CARANTILLVS. SERV
ACTOR. EX. VOTO
POSVIT
V. S. L. M

F Ita Cæsar cum exercitu Romam petens equos consecravit. Auctor Suetonius in *ejus Vita* cap. LXXXI. *Proximis diebus equorum greges, quos in trajiciendo Rubicone flumine consecrarat, ac vagos sine custode dimiserat, comperiit pertinacissime pabulo abstinere, ubertimque flere.*

Jovi etiam Reduci, qui re bene gesta ex bello redierunt, arma dedicabant. Laodamia Protesilao apud Ovid. *epist.* XIII. ita scribit:

Dii precor a nobis omen removete sinistrum,
Et sua det reduci vir meus arma Jovi.

Et paulo post in *eadem Epistola*:

Et dives referas arma fac ista Jovi.

Et argenteum Numisma Augusti hisce literis. I. OPT. MAX. SACRVM VOTA PVBLICA SVSCEPTA PRO SALVTE ET REDITV.

Bellonam quoque dicitur Appius Claudius Cœcus in medio pugnæ discrimine inter prima signa manibus ad Cœlum sublatis ita precatus esse: *Bellona, si hodie nobis victoriam dederis, hic ego tibi Templum voveo.*

Mitto alia, ne eruditorum scrinia compilem. Sed audiamus Rutilium Claudium in *Itinerario* ob sui reditus lætitiam:

Festa dies, primosque meos dignata penateis
Poste coronato VOTA secunda colat.
Et ornent virides communia gaudia rami.

Reges præterea apud Græcos, vicinasque nationes amplo munere Deos honestasse, auctor est in *Clio* Herodotus scriptor vetustissimus. Verba ejus Valla interprete hæc sunt: *Giges ab oraculo Rex Lydorum confirmatus anathemata seu DONARIA ex auro & argento Delphos misit plurimum; præcipue crateres sex ex auro, quorum pondus triginta talenta fuit.* Donum vere regium, Diis dignum; puta, quod nostræ monetæ coronatos argenteos 18000. æquabat. Subjungit idem: *Midas quoque Rex Phrygiæ thronum regium valde spectabile propitio oraculo dedicavit.* Idem refert; Quod Crœsus Apollini Ismenio Clypeum aureum dono miserit.

Navem etiam Herculi dicatam ab Alexandro testis est Arrianus lib. II. *de Alexandri expeditione: Post hæc Alexander Herculi sacrificium fecit, & pompam cum exercitu armato misit; naves etiam Herculi pompam peregerunt, & tormentum, quo murum demolitus fuerat, in templo posuit. Navem etiam Tyriam sacram Herculi, quam navali incursione ceperat, Herculi dicat cum inscriptione.* Huic, quod proficiscentes expeditionibus sacris voverant, reversi cum manipulis libentes votum solverunt pro salute Imperatorum, ut Romæ hoc Saxum demonstrat.

HERCVLI. INVICTO
PRO. SALVTE. DD. NN. IMP. CAES. M. AVR.
ANTONINI P. F. AVG. ET
M. AVR. ALEXANDRI. NOBILISSIMI. CAE.
TOTIVSQVE. DOMVS
DIVINAE. EORVM. COH. X. PR. ✠ V. ANT
7. MARCIANI
MASCVLINIVS. VALENS. B. F. PR. DR. FEMININA
ET. AVR. FABIANVS. SIGNIFER. ET
VAL. FIRMINVS. OPTIO. 7. QVOD
PROFICISCENTES. EXPEDITIONIBVS
SACRIS. VOVERANT. REGRESSI
CVM. MANIPVLIS. LIBENTES
VOTVM. SOLVERVNT

Idem pariter pro Reditu Imp. Septimii Severi Romæ factum apud S. Jo. Lateranensem indicat titulus, proque aliis Imp. multæ Inscriptiones ab Eruditis congestæ, quas hic brevitatis studio omittimus. Imperatores Diis munera obtulisse certum est. Id in Imperii principiis fuisse factum docet Tertullianus *de Corona militis* cap. XII. *Ecce annua votorum nuncupatio quid videtur? Prima in principiis, secunda in Capitoliis. Accipe post loca, & verba.* HVNC TIBI IVPPITER BOVEM CORNIBVS AVRO DECORATIS VOVEMVS ESSE FVTVRVM. Melius legit Lipsius *facturum*. Ubi Jacobus Pamelius Imperii principia intelligit. Quamvis *Domum*, sive *Tabernaculum* Principis Lælius Bisciola *Horarum subcis.* Tom. I. lib. III. cap. XI. Quidni etiam Anni? cum annua Vota ob diem Imperii, quo Princeps assumptus esset ex Dione *l.* XXXVIII. Ejusmodi cultus vetustatem indicat Josephus *Antiq. Jud.* l. XIII. c. XVI. *Rex misit victimas, tauros auratis cornibus, & pocula tam aurea, quam argentea.* Ritum vero istum sugillasse videtur Plinius *Natural. Hist.* l. XXXIII. c. III. *Deorum honori in sacris nihil aliud excogitatum est, quam ut auratis cornibus hostiæ majores duntaxat immolarentur.*

Spolia vero inimicis erepta Imperatores in templis dicasse inferius, ubi de Triumphantibus, docebimus, & longum nimis esset Donaria ab iis post partam victoriam Diis oblata recensere. Quæ tanquam ἀκροθίνια πολέμου docte notat Desiderius Heraldus lib. I. digress. XIII. *ad Tertulliani Apologeticum.* Satis id ex Livio *l.* X. *Ædem Quirini a Patre votam filius Consul dedicavit, exornavitque hostium spoliis; quorum tanta multitudo fuit, ut non templum tantum, forumque his ornaretur, sed so... etiam colonisque finitimis ad templorum, locorumque publicorum ornatum dividerentur.* Donarii a Trajano Jovi Cassio facti apud Suidam mentio est, qui refert Trajanum dedicasse crateres argenteos & ingentia cornua inaurata. De quo Adriani *Epigramma* sic transtulit amicus noster Cl. V. Jo. [illegible]

Trajanus simulacra Jovi locat ista, dicatque
Rex hominum Regi munera cœlituum.
Pocula bina auro circumlita, quin bovis uri
Cornuaque auratus quæ tegit usque nitor.
At tu nimborum genitor concede Latino,
Sternat Achæmenius perfida colla jugo,
Ut tibi cernenti crescat geminata voluptas,
Inter rapta Getis, & spolia Arsaidum.

Vestes etiam e præda hostium reliquæ in Capitolio oblatæ, teste Lampridio in *Alexandro*. Purpuræ quoque Regiæ ibidem consecrabantur. Prolixius id prodidit in *Aurelio* Vopiscus: *Meministis fuisse in templo Jovis Opt. Max. Capitolini pallium breve purpureum lanesire, ad quod quum matronæ atque ipse Aurelianus jungerent purpuras suas, cineris specie decolorari videbantur ceteræ divini comparatione fulgoris.* Veneri Genitrici Thoracem dicavit Julius Cæsar. Cui pariter Augustus tamquam Veneri proprium Donarium Margaritam Cleopatræ, victo Antonio, sacravit, Macrobius *l.* II. c. XIII. Quo faciunt hæc Pausaniæ *l.* II. *Dona [illegible] digna [illegible], in eo Templo* (Junonis) *sunt: Primum Ara, in qua cælatæ Herculis, & Hebes nuptiæ, argentea omnia. Deinde pavo ex auro & fulgidis lapidibus, quem dedicavit Adrianus Imperator. Ea enim Junonis sacra avis habetur. Aurea deinde corona, & purpurea palla, Neronis dona.* Animantia etiam hostibus erepta Diis sacrata fuisse colligo ex Vopisco in *Aureliano: Fuit alius currus quatuor cervis junctus, qui fuisse dicitur Regis Gothorum: quo, ut multi memoriæ tradiderunt, Capitolium invectus est, ut illic cæderet cervos, quos cum eodem curru captos vovisse Jovi Optimo Maximo ferebatur.* Plura Diis ex bellis a Principibus oblata persecutus est Robertus Valturius *l.* XIII. *c.* XIII.

Consuetudinem hanc si altius repetamus, eam etiam antiquitus in populo Dei viguisse manifestat Propheta *Numeror.* c. XXXI. vers. 49. *Cumque accessissent principes exercitus ad Moisen, & tribuni, centurionesque dixerunt. Nos servi tui recensuimus numerum pugnatorum, quos habuimus sub manu nostra, & ne unus quidem defuit. Ob hanc causam offerimus in DONARIIS Domini singuli, quod in præda auri potuimus invenire, periscelides, & armillas, annulos & dextralia, ac murenulas, ut depreceris nostris Dominum.* David etiam de Bete & Beroth multum æris tulit, ex quo Salomon vasa Templi ænea fieri curavit, II. *Reg.* cap. VIII.

vers. 8. *Sed & omnia vasa aurea & argentea & ænea consecravit David Rex Domino cum argento & auro, quod tulerat ex universis gentibus tam de Idumea, & Moab, & filiis Ammon, quam de Philistæis & Amalech.* 1. *Paralip.* cap. XVIII. vers. 2. Quin senex Filio impensas ædificando Templo relinquit, *lib.* adducti cap. XXII. vers. 14. Cujus exemplum imitati Principes familiarum & Proceres, cap. XXIX. vers. 6. *Intulit igitur Salomon omnia quæ voverat David pater suus, aurum, argentum, & universa vasa posuit in thesauris domus Dei.* II. *Paralip.* cap. V. vers. 1. Quæ vero sacris usibus semel consecrata fuerant, alio traduci non potuisse, patet ex *Numer.* cap. XVI. vers. 37. ubi præcepit Dominus thuribula incendio erepta in laminas produci & affigi Altari. Quod in superficie parietum factum fuisse opinatur Tostatus Quæst. XXVI. *in hunc locum*.

DUCES etiam defuncti arma Diis, quos coluissent, suffigenda relinquebant. Parthenius ille moriturus apud Papinium lib. IX. *Thebaid.* in fine:

Hæc autem primis tela infelicia castris
Ure, vel ingratæ munus suspende Dianæ.

Sed & SIGNA Imperatorum titulis clara Templis affigebantur. Suetonius in *Vespasiano*: *Assensere cuncti, nomenque ejus vexillis omnibus sine mora inscripserunt.* Quod ad sua tempora durasse, apertius notat Nazianzenus Orat. III. *in Julianum*: *Vexilla Imperatorum Imaginibus, atque expansis texturis in variis tincturis, ac literarum picturis decorantur.* Et vere. Hæc enim maximo erunt in honore apud Romanos, & Deorum quasi sacræ ædes putabantur. De Imperatorum Imaginibus egregie Vegetius lib. II. *de Re militari* cap. V. *Legio Imagines Imperatorum, hoc est, divina & præsentia signa veneratur.* Minutius Felix: *Vexilla Castrorum quid aliud quam inauratæ cruces sunt, & ornatæ?* Vexillum apud Romanos in Janiculo servatum ostendit Dio *lib.* XXXVII. Vexillis autem nostris temporibus nihil frequentius in templis occurrit. Gladius certe Goliath Philistæi pallio involutus erat post Ephod, 1. *Regum* cap. XXI. vers. 9. Ephod autem Gedeon conflavit ex inauribus Ismaelitarum aureis, *Judicum* cap. VIII. vers. 26. & 27.

Nec minus Heroas fortitudinis fama celebres ejusmodi divinis honoribus afficiebantur. Quod ut credam suadet insignis, licet incognitus, Scriptor Græcus, cujus *Periplum Ponti Euxini* nuper nobis Latinum dedit Isaacus Vossius. Auctoris verba de Insula Achillis ob elegantis rei notitiam adscribere integra placuit. *Hanc Insulam dicitur Thetis filio suo concessisse, eamque inhabitare Achillem, cujus in ea est Templum, & simulacrum, jam olim effictum. Rari autem in hac Insula sunt homines, eamque capræ non admodum multæ depascuntur, quas, qui illuc appellunt, Achilli offerre dicuntur. Multa præterea alia dona in hoc Templo reposita sunt: ut phialæ, annuli, gemmæ pretiosissimæ. Omnia hæc Donaria Achilli dedicata sunt. Inscriptiones vero eorumdem, partim Romano, partim Græco sermone conceptæ sunt, alio alioque versuum genere, in laudem Achillis.*

CAP. XXII.

TRIUMPHANTIUM, AC MILITUM DONARIA.

ARmorum gloria qua creverat res Romana, cum virtute Ducum Militumque maxime pertinacia staret, ut Diis posterisque constans esset rei prospere gestæ memoria, TRIUMPHANTES e partis Victoriis Trophæa, Torques, Coronas, & Lauros, non minus ac Arma, & Scuta, Jovi, Laribus, Fortunæ, Herculi, & Marti, in templis affigebant.

De Lauro Statius:

——— *Laurumque superbam*
In gremio Jovis excissis deponere Pœnis.

De Coronis Plinius: *Inde natum, ut etiam Triumphaturis conferrentur in Templis dicandæ.* Et Livius *lib.* IV. *Dictator Coronam auream libræ pondo, ex publica pecunia, populi jussu, in Capitolio Jovi donum posuit.* Idem *lib.* XXXVI. & *lib.* XXXIII. *M. Claudius Metelius Torquem aureum magni ponderis de præda Bojorum, & Insubrum Jovi in Capitolio posuit.* Saguntinos Coronam auream Jovi Capitolino Romam misisse, testis idem *lib.* XXVIII. Quod Latinorum Legati prius fecerant: moxque Attalus, Philippus, aliique Reges. Imo centenæ Coronæ Fortunæ Primigeniæ dedicatæ, ut ex Inscriptione Prænestæ in palatio Episcopi;

———————— VOTORVM. MORE. SVORVM
CENTENAS ADICIT. MVMERO. CRESCENTE. CORONAS
FORTVNAE. SIMVLACRA. COLENS. ET. APOLLINIS. ARAS. &c.

Coronas præterea ex amarantho templis, aut Diis suspensas Artemidorus *de Insomniis* lib. I. cap. LXXIX.

Cum Torque & Velum oblatum, indicat saxum Neapoli in domo Comitis Matalomei litera coacta & afflicta, barbara;

EX. IVSSV. I. O. M. HELIO
POLITIANI. AVR. THEODO
RO. SACERDOTI. FILIO. CVRATOR
TEMPVLI. CEREMEI. IEASIVMD
ATAMPIANTE DONIS. TOR
QVEM ET VELVM SAC
ET. LVCOPHORIDE. SVO. POSVERVNT
CVRANTE. ACILIO. SECVNDO. TROD
IVLIVS . . . .

De cæteris optime Livius *lib.* XXXIX. *Triumphavit* (M. Fulvius) *ad* X. *Kal. Januarias de Ætoliis, & de Cephallenia. Aureæ coronæ centum* XII. *pondo ante currum latæ sunt, argenti pondo millia* LXXXIII. *auri pondo* CCXLIII. *tetradrachma Attica* CXVIII. *millia, Philippei numi* XII. *millia,* CCCCXXII *signa ænea,* CCLXXXV. *signa marmorea,* CCXXX. *arma, tela, cætera spolia hostium magnus numerus, ad hæc catapultæ, ballistæ, tormenta omnis generis: duces aut Ætoli & Cephallenes, aut regii, ab Antiocho ibi relicti ad septem &* XX.

Spolia porro hostibus erepta, quæ Silius Italicus *lib.* III. eleganter *Captiva dona* dixit,

Extra Clavigeri veneratus numinis aras
Captivis onerat donis.

Veteres in Templis collocasse confirmat vetus Inscriptio Romæ:

P. DECIVS. DECI. F
PRIMVM. COS
DE. SAMNITIBVS
TRIVMPHANS
SPOLIA. EX. IEIS
CERERI. CONSECRAVIT
ITERVM. ET. TERTIVM
CONSVL . . . .
. . . .

Eumque suorum temporum fuisse morem testatur Livius *lib.* X. *Decade* 1. *Cleominus, vix quar-*

ta parte navium incolumi nulla regione maris Adriatici prospere adita discessit. Rostra navium, spoliaque Laconum in æde Junonis veteri fixa, multi supersunt qui viderunt. Patavii monumentum navalis pugnæ eo die, quo pugnatum est, quotannis solenni certamine navium in flumine oppidi medio exercetur. Cujus adhuc apud nos annua durant memoria. Spolia vero capta in stipitibus fixa ideo *Tropæa* dicta scribit Non. Marcellus, quod hostium fuga Græce vocetur τροπή. Quorum exempla in Veterum numis, hodieque ex marmore in Urbe Romæ ante Capitolium. Cornelius Tacitus *Annal.* II. *Laudatis pro concione auctoribus, Cæsar congeriem armorum struxit superbo cum titulo.* DEBELLATIS INTER RHENUM ALPEMQUE NATIONIBUS EXERCITUM TIBERII CAESARIS EA MONIMENTA MARI ET JOVI AUGUSTO SACRAVISSE. Hæc autem ipsa magno invicti animi exemplo etiam prostrati quidam Romanorum Jovi statuerunt. Posthumium Albinum bello Samnitico Romani exercitus ducem gravi vulnere accepto intempesta nocte jamjam moriturum, hostibus occisis scuta ademisse, memorat Plutarchus in *Paral.* additque trophæum statuisse, manuque sanguine tincta inscripsisse: JOVI TROPHAEORUM VINDICI DE SAMNITIBUS ROMANI POSUERUNT. Quod suo sanguine fecisse Othryadem refert idem.

Id longe ante Romani Imperii fastigium fuisse receptissimum, patet ex *Gen.* cap. XII. ubi Sanctiss. gentium Pater Abraamus eorum quæ recuperaverat decimas obtulit. Et *Machabæorum* lib. I. cap. VI. *Antiochus audivit Civitatem Elimaiden in Perside nobilissimam & copiosam in argento & auro: templumque in ea locuples valde & illic velamina aurea, & Loricas, &, Scuta, quæ reliquit Alexander Philippi Rex Macedo qui regnavit primus in Græcia.* Josephus *Hist.* XIV. cap. XV. scribit circa omnem sacrarii orbem spolia barbarorum fixa, quæ Rex Herodes devovit, addens etiam, quæ & ipse ab Arabis cepit.

Etsi vero divinus Plato *de Legibus* decrevisset æs, atque ferrum duelli instrumenta, non Fani: Marti tamen dicabantur Arma, cujus munera, ut eleganter Oppianus *de Pisc.* lib. II.

Gladii, æneaque circa membra tunicæ,
Et Galeæ, & hastæ, & quibus (præterea) *gaudet Bellona.*

Viri etiam fortes sua arma Oraculis offerebant. Elicaon Antenoris filius Delphis pugionem æneum dedicavit, referente Athenæo *lib.* VI.

Sed & Arma aliquando Vulcano, Marti, & Palladi, præsente Duce, incendebantur, ex Livio *Decad.* III. *lib.* III. Ubi Marcellus hostiam Vulcano votam cremavit. Martis vero Galeam in sacrario Capitolino asservari solitam scribit Dio *lib.* XLI. Quinimo Victores spoliatis hostium cadaveribus, ac in acervum scutis aliisque armis collectis & postea incensis Vulcano sacrificium offerre solebant.

Manifestum satis est, in potestate eorum fuisse quorum auspiciis bellum gerebatur, signa in templis consecrata populis devictis auferre, Titulo *de jure Fisci*. Jure enim belli non secus ac homines, ita Templa, Sepulcraque in servitutem redigebantur, de quo legendus est liber Balthassaris Agale Juridici Belgicorum exercitus quæstoris, & alii. Loca enim capta non amplius religiosa & sacra esse putabantur. Legimus tamen sæpissime Victores religionis reverentia sacris pepercisse; quamvis Neronem magno impietatis & avaritiæ exemplo Donis exuisse templa, auctor sit Tacitus: etiamsi locus sacer adeo haberetur securus, ut in Templo pecuniæ, pactiones, fœdera, testamenta, ad securitatem deponerentur. Ita fœdus Smyrnæorum & Magnetum ad majestatem Seleuci Callinici Asiæ Regis tutius conservandam, columnis singulis incisum, & in fano Veneris Stratonicidis alibique apud utramque Rempublicam ex pacto sacratum, ex marmore Arundelliano publicavit Joan. Seldenus *pag.* XV. Qualiter Alexandrum in Cilicia apud Solem in delubro pecuniam locasse accepimus. Cæsar etiam lib. III. *de Bello Gallico*: *Ephesi a Fano Dianæ depositas antiquitus pecunias* testatur. Idem populum electum fecisse passim legimus in Sacris Literis. Sed audiendus est etiam Cicero lib. V. *Epist. Famil. Illud me non advertisse moleste ferrem, ut adscriberem te in Fano pecuniam meo jussu deposuisse.* Hinc Plautus in *Bacchidib.*

Nos ibi apud Theotinum omne aurum deposuimus
Qui illic sacerdos est in Dianæ Ephesiæ.

Notius est quam ut probem in æde Saturni Romanorum fuisse ærarium, imo Saturno æraria dicata. Ad quam consuetudinem præcepit noster J. Paulus Patavinus J. C. *ut ante litem contestatam præses jubeat in æde sacra pecuniam deponi.*

Nec inferior Dionysii Tyranni impietas atque Deorum irrisio, quam *de Natura Deorum* lib. III. recenset Tullius: *Dionysius, cum in Fanum venisset Jovis Olympii, aureum ei detraxit amiculum grandi pondere, quo Jovem ornarat ex manubiis Carthaginensium tyrannus Gelo: atque in eo etiam cavillatus est, æstate grave esse aureum amiculum, hieme frigidum: eique laneum pallium injecit, cum id esse aptum ad omne anni tempus, diceret. Idemque Æsculapii Epidauri barbam auream demi jussit, neque enim convenire barbatum esse filium, cum in omnibus fanis pater imberbis esset. Jam mensas argenteas de omnibus delubris jussit auferri; in quibus quod more veteris Græciæ inscriptum esset bonorum Deorum, uti se eorum bonitate velle dicebat. Idem victoriolas aureas & pateras, coronasque quæ simulacrorum porrectis manibus sustinebantur, sine dubitatione tollebat, eaque se accipere, non auferre dicebat: esse enim stultitiam, a quibus bona precamur, ab iis porrigentibus, & dantibus nolle sumere. Eundem ferunt hæc, quæ dixi, sublata de fanis in forum protulisse, & per præconem vendidisse; exactaque pecunia, edixisse, ut quod quisque a sacris haberet, id ante diem certam in suum quisque fanum referret; ita ad impietatem in Deos, in homines adjunxit injuriam.* Ælianus *de Animalibus* lib. X. cap. L. auctor est Amilcam Aphrum spoliato Ericynæ Veneris templo, cujus metu thesaurus tutus permansit, cum aurum, & argentum militibus distribuisset, gravissimis pœnis affectum, ac denique suspensum.

Nec tantum hæc post partam victoriam fiebant, quin Romani & alii bella gesturi de parte prædæ cum Numinibus paciscebantur. Ita Lucius Papyrius apud Livium *Decade* I *lib.* X. si hostem fudisset mulsi pocillum vovit; quamvis Plinius *lib* XIV. *cap.* XIII. pocillum vini scribat. Hinc Templum fuit Jovis Prædatoris, non quod prædæ is præesset, sed quia ex præda aliquid ei debebatur. Virgil. III. *Æneid.* vers. 225.

Irruimus ferro & Divos, ipsumque vocamus
In prædam partemque Jovem.

Ita Livio referente *lib.* IV. *Fabius Vibulano spolia in æde Jovis Feretrii prope Romuli spolia, quæ opima appellata sola ea tempestate erant, cum solenni dedicatione dono fixit.* Hæc autem ita rara fuisse tradit Festus, ut tria tantum nomini Romano contigerint.

Victis Pœnis Clypeum Asdrubalis invenit Q. Martius argenteum pondo CXXXVIII. qui supra fores Capitolinæ ædisque usque ad incendium primum

mum fuit teste Plinio; quamvis Livius *lib.* XXV. in templo fuisse malit. Antiquitatem hujus ritus ostendit Regum sapientissimus *Canticorum* cap. IV. *Sicut Turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis; mille Clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*. Hinc forte apud Suidam, *suspendere Clypeum*, est pacem agere. Apud Romanos primus Clypeos dicari instituit App. Claudius, qui Consul cum Servilio An. U. C. CCLIX.

Clypeos autem Votivos quamplures fuisse apud V. C. Villericum indicat Justus Ricquius in suo Comm. *de Capitolio Romano* cap. XV. Clypeique dedicatio comprobat ex Inscriptione Nemausensi:

D. M
CAIVS. DEDICA
TIONEM. ET
CLYPEI. SIMPI
DEDIT

Cui solennitati Epulum additum docet vetus titulus Nepete:

NESTORI
AVG. NEPETE
HIC. LVDOS. FECIT
ET. DEDICATIONE
STATVAE. PATRONI
QVAM. IPSE. POSVIT
ET. CLYPEI. SVI. ITERVM
MVNICIPIBVS. NEPESINIS
EPVLVM. DEDIT

Imo Hebræos Clypeum aureum perpetuæ Fidei argumentum Romanis vovisse narrat Josephus *Antiq. Jud.* lib. XIV. cap. XVII.

Pœnorum vetus inventum erat Cl. Virorum effigies in templo, curiaque dedicari: Auctor Plinius *lib.* XXXV. *cap.* III. Qui porro in hanc rem: *Suorum Clypeos in sacro vel publico privatim dicare prius instituit Ap. Claudius, qui Consul cum Servilio fuit Anno Urbis* CCLIX. Hinc Interpres Virgilianus *in* II. *Æneidos*: In Capitolio fuit Clypeus consecratus, cui inscriptum erat: GENIO VRBIS ROMAE, SIVE MAS, SIVE FOEMINA.

Clypei quippe rotundi specie Imagines illustrium Virorum ex auro & argento in templis suspendebantur. Suetonius in *Caligula* cap. XVIII. *Quas ob res inter reliquos honores decretus ei est Clypeus aureus*. Quod idem innuit Numisma argenteum & aureum Octavii Cæsaris Imperatoris, cujus altera in parte Clypeus hisce literis visitur. S. P. Q. R. CL. V. Videlicet, SENATVS POPVLVSQVE ROMANVS CLYPEVS VOTIVVS. Qualiter apud Senecam *epist.* CXVI. *Aurum, argentum suspensum*, intelligendum arbitror. Et Tacitus lib. II. *Annalium: Cum censeretur Clypeus, auro & magnitudine insignis, inter auctores eloquentiæ; adseruit Tiberius, solitum paremque ceteris dicatum*. Hic honos Germanico a Tiberio petitus. Hujusmodi longa avorum & proavorum serie spectabantur Anathemata. Silius Ital. *lib.* I.

——— stant marmore mutæ
Effigies, Belusque parens, omnisque nepotum
A Belo series, stat gloria gentis Agenor.

Disertius Poeta VII. *Æneid.* vers. 182.

Quin etiam veterum effigies ex ordine avorum
Antiqua ex cedro, Italusque paterque Sabinus
Vitisator, curvam servans sub imagine falcem,
Saturnusque senex, Janique bifrontis imago.

Ejusmodi Illustrium Majorum cultus ac imagines fuisse Lares in atriis collocatas, & ad aras Lararii constitutas, ex imagine ærea conjicit Marcus Zuerius Boxhornius *Quæst. Rom.* VI.

Nec sane infimi honoris loco censebatur Clypeum alicui erigere: unde e saxo, Clypeus decretus a Decurionibus cum statua habetur:

M. BAEBIO. M. F. Q. N. ARN. SVETRIO
MARCELLO. EQVO. PVCLICO
&c.
HVIC. DECVRIONES. FVNVS. PVBLICVM. STATVAM
EQVESTREM. CLIPEVM. ARGENTEVM.
LOC. SEPVLT

Nec solum in Clypeis Imagines Triumphantium, Imp. Virorum Cl. depictæ erant; sed & PARENTES præter proprias Liberorum etiam & Nepotum, qui in deliciis erant effigies in Templis locabant. Ita apud Suetonium in *Caligula*: infantis jam puerascentis insigni festivitate *effigiem habitu Cupidinis in æde Capitolinæ Veneris Livia dedicavit*. Quod antiquioribus Græcis etiam receptum fuisse ostendit incerti cujusdam Epigramma Libri sæpius indicati *cap.* IX.

Phryne volantem & arte factum bene amorem
Mercedem pro Liberis posuit Thespiadibus.

Cupidinis nempe statua Liberorum & Amoris precium ac monumentum erat. Adeoque, ut eleganter Minucius Felix, *sacra facta sunt, quæ fuerant absumpta solatia*.

Ab hoc loco minime alienum est, quod notat Macrobius *lib.* I. *cap.* XI. SIGILLA, id est, Fictilia hominum simulacra, Aræ Saturni in sacello Ditis suspensa, qualia nos supra indicavimus. Auctorem ipsum hic omnino audire operæ precium est, quod hujus religionis originem optime explicet: *Epicadus refert, Herculem occiso Gerione, cum victor per Italiam armenta duxisset, ponte, qui nunc sublicius dicitur, ad tempus instructo, hominum simulacra pro numero sociorum, quos casu peregrinationis amiserat, in fluvium demisisse; ut aqua secunda, pro corporibus defunctorum veluti patriis sedibus redderentur; & inde usum talia simulacra fingendi inter sacra mansisse. Sed mihi hujus rei illa origo verior existimatur, quam paulo ante memini retulisse. Pelasgos postquam felicior interpretatio capita non viventium, sed fictilia; & φωτὸς æstimationem non solum hominem, sed etiam lumen significare docuisset; cœpisse Saturno cereos potius accendere, & in sacellum Ditis aræ Saturni cohærens oscilla quædam pro suis capitibus ferre. Ex illo traditum, ut cerei Saturnalibus missitarentur, & sigilla arte fictili fingerentur, ac venalia pararentur; quæ homines pro se, atque suis piaculum pro Dite Saturno facerent.*

In Saturnalibus quippe Cives mutuo sibi dabant Sigilla, id est, simulacra ærea, argentea, fictilia; Rustici vero Oscilla, id est ossa, quibus oculi erant insculpti, ut hodie in tesserculis. Quid vero fuerint Oscilla tradit Junius Philargyrius in *Notis ad Georg.* lib. II. Virgilii, ubi refert ea dicta fuisse, *sive quoniam capita & ora hostiarum in summis perticis figebantur, sive quia hunc lusum Osci frequenter exercuissent, & per Italiam sparsissent*. Eaque sic dicta putat Isidorus *de Orig* lib. V. cap. XXVII. Quod cilleantur, id est, moveantur ora. Sigilla vero teste V. C. Salmasio *ad Trellium Pollionem* sunt Ζώδια, *hoc est, figuræ vel hominum, vel bestiarum auro vel purpura expressæ*. Sunt qui & Ligna fuisse putant. Pamelius *in Tertullianum de Orat.* fictilia affirmat. Nec male, si eorum usum consideremus, Turnebus *Adversar.* lib. XX. cap. XXIII. veluti suspendicula

interpretatur. Oscillum enim dictum, quod os cillere sit movere, notante *ad Festum* Josepho Scaligero, unde Virgilius;

Oscilla ex alta suspendunt mollia quercu.

Vel quemadmodum ex Cornificio adducit Festus, quod os cælare sint soliti personis propter verecundiam, qui Oscillis intervenere. Oscilla vero, ait apud Festum Paulus, *festa erant in honorem Bacchi, in quibus homines se per funes jactant.* Quod hodie apud plerasque nationes a pueris receptum idem est quod Italis *biscolare*. Ejus exercitii rationem docuit Mercurialis *Gymn.* lib. III. cap. VIII. & ulterius in suis *ad Festum Notis* ex Hygino tradit Antonius Augustinus. Oscilla nempe ab Atheniensibus sic facta, ut tabula interposita pendentes funibus se jactarent. Nulla tamen Oscillationis mentio apud Festum, ut scribit Lud. Vives *in D. Aug. de Civit. Dei* lib. XXVIII. cap. XIX. Istis simile quippiam memorat Festus. *Effigies viriles ex lana compitalibus suspendebantur in compitis: quod hunc diem Festum esse Deorum inferorum, quos vocant Lares, putarent: quibus tot pilæ, quot capita servorum, tot effigies, quot essent liberi, ponebantur: ut Divis parcerent, & essent his pilis & simulacris contenti.*

MILITES tandem, qui jam relicto armorum strepitu se quieti dederant Arma Diis vovebant. Ovidius lib. IV. *Trist.* eleg. VII.

Miles ut emeritis non est satis utilis armis
Ponit ad antiquos quæ tulit arma Lares.

Lucanus *lib.* I. vers. 239.

Rupta quies populi stratisque excita juventus
Diripiunt sacris affixa Penatibus arma,
Quæ pax longa dabat: nuda jam crate fluentes
Invadunt Clypeos, curvataque cuspide pila
Et scabros nigræ morsu rubiginis enses.

Qua ratione intelligendum illud Senecæ lib. *de Consolatione ad Albinam* cap. X. Lanceam in Capitolini Jovis gremio reposuerat. Quo alludit Horatius *lib.* I. *epist.* I. vers. 4. & 5.

Non eadem est ætas, non mens, Vejanius armis
Herculis ad postem fixis, latet abditus agro.

Neque his longius immorari consilium est, siquidem Armorum in Templis suspensio etiam in nostram ætatem transiit. Memoria dignum omnino arbitror, quod impensæ ac laboris compendio Armorum simulacra Diis appenderit antiquitas. Hujus generis est thorax æneus veteris formæ satisque elegans digiti longitudinem vix superans in Museo V. Cl. Jo. Galvani, cujus judicio peritiores merito in hoc genere plurimum tribuunt. Non tamen Arma Diis semper suspensa fuisse, Votum Apollini solutum satis ostendit, quod Patavii Scardeonis memoria extabat:

DEO. SANCTO. APOLLINI
PACI. ERO. EX. VOTO
CORTIS. PRAETORIAE. CENTVRIO
DASIELIVS
LIBENS. VOTVM. REDDIDIT

CAP. XXIII.

ERVDITORVM VOTA.

SED a Marte ad Musas, quibus hæc nostra postissimum dicavimus. Earum cultores POETAE, penes quos altioris sapientiæ mysteria erant LYRAM Apollini sacrabant. Sic Sappho in *Heroibus* apud Ovidium, ejusque imitatione Horatius *lib.* III. *Od.* XXVI.

Vixi puellis nuper idoneus,
Et militavi non sine gloria.
Nunc arma defunctum bello
Barbiton hic paries habebit.

A quo parum dissimile est marmor Romæ apud Illustriss. Cæsios cum simulacro Lyram tenentis & Plectrum hisce litteris:

EX. PRAE
CEPTO
I. O. M. D
PER
ACACI
VM
ET
OLYMPI
VM
PATREM

In basi ipsius statuæ leguntur

ANTONI. MARIANI. PATER. ET. FILIVS
SIMVLACRVM. APOLLINIS
STATVERVNT

Brutum, tradit, in *Annalibus* Manasses, cum filii TarquiniiDelpis Apollinem sibi muneribus conciliasset, virgam in baculo ligneo perforato auream tibiæ in modum abditam Phœbo veluti Donarium obtulisse. Conveniens numini minus placuisse docuit responsum futuro imperio favorabile.

Versiculos pariter Vates pro Votis sacrabant. Prudentius *Enchirid. Histor. Vet. & Novi Instrum.*

Nos citos Jambicos
Sacramus, & rotatiles Trochæos
Sanctitatis indigi,
Nec ad levamen pauperum potentes:
Approbat tamen Deus
Pedestre carmen, & benignus audit.

Circumfertur Votum Virgilii nomine pro suscepta *Æneide* ad Venerem:

Si mihi susceptum fuerit decurrere munus,
O Paphon, o sedes quæ colis Idalias,
Trojus Æneas Romana per oppida digno
Jam tandem ut tecum carmine vectus eat:
Non ego thure modo, aut picta tua templa tabella
Ornabo, & puris serta feram manibus:
Corniger hos aries humilis, & maxima taurus
Victima sacratos tinget honore focos.
Marmoreusque tibi, aut digne coloribus ales
In morem picta stabit Amor pharetra.
Adsis o Cytherea, tuus te Cæsar Olympo,
Et Surrentini littoris ora vocat.

Plutarchus *Symposiacon* V. Qu. II. memorat in Sicyonis thesauro repositum libellum aureum, dedicatum ab Aristomacha Ery.... poetria, quum Isthmia vicisset.

MINERVÆ Bito Plectrum posuit cap. VIII. *Epigram.* Quæ & ipsa in omnibus Bibliothecis dedicabatur. Unde Catullus *Carm.* I.

—— habe tibi quicquid hoc libelli est,
Qualecumque; quod o patrona virgo,
Plus uno maneat perenne seclo.

Ubi Scaliger substituit, pro eo quod in vulgatis legitur *Patrona*, Patrima: quamquam & receptæ lectioni locus erit, ut recte advertit doctissimus Paganinus Gaudentius *Additam. Critici* cap. XII. cum Minerva ingeniorum tutelaris habeatur. Plinius etiam *lib.* VII. cap. LVIII. memorat Delphicam tabulam æris in Palatio dono principum Minervæ in bibliotheca. Donaria vero Apollini Delphico dicata initio ænea fuisse, post a Gelone, & Hierone Syracusarum tyrannis aurea argenteaque omnia instituta notat Nicolaus

Leonicus *Var. Histor.* lib. II. cap. XCVI. Nec alia forsan de causa lineus ille thorax Minervæ Lindiæ consecratus carminibus fuit celebratus. Ait enim Ælianus lib. IX. *de Animalibus* cap. XVII. nec saxo rumpi, nec ferro discindi potuisse.

Megarenses huic etiam Deæ aureum Plectrum dedicasse scribit Plutarchus *de Pythiæ Oraculis*. Minervæ vero Delphicam Tabulam antiqui æris dono Principum dicatam in Bibliotheca affirmat multiscius rerum antiquarum Scriptor Plinius lib. *Natural. Hist.* VII. cap. LVIII. & Cicero *ad Atticum* lib. I. epist. IV. *Quod ad me de Hermathena scribis, per mihi gratum est, & ornamentum Academiæ proprium meæ, quod & Hermes commune omnium & Minerva, singulare est ejus Gymnasii.* Hermathena autem statua erat compacta ex Mercurio & Minerva. De qua Claudius Clemens plura in suo *Museo* lib. I. Sect. IV. cap. II. Minerva enim & Mercurius ingenii præsides: unde apud Gruterum in Propylæo Templi Hazakiensis:

MERCVRIO. ET
MINERVAE. DIS
TVTELARR. S

Mercurium quidem apud Veteres maxime cultum, eique Aram & Templum ex Voto positum indicant hæc Saxa: quorum unum apud Ingolstadium in ripa Fluminis Schutari:

MERCVRIO
TEMPLVM
EX. VOTO. SVS
CEPTO. CL. AV
GVSTANVS
L. L. M

Alterum Malacæ Hispaniæ, in basi:

L. SERVII. SPERATVS
DOMINO. INVICT. DON
LIBENS. ANIMO. POSVIT
ARA. MERCVRII

Sed & Minervæ seu Palladis Aventinæ Templum in Aventino monte vetustissimum Livius Andronicus Poeta Donariis honoravit, quæ ipsi Poetæ & Historici ob fabulas ab eo dicatas grati detulerant. Templi Minervæ MEDICAE, quod fuit in regione V. meminit P. Victor. Templum quoque Minervæ FLAVIANAE in VI. regione erat. Minervæ etiam construxit Pompejus Magnus Templum, de quo Plinius *lib.* VII. *cap.* XXVI. ubi Breviarium rerum in Oriente gestarum a Pompejo Magno erat. Item ædicula in II. regione, MINERVAE CAPTAE: aliaque templa & ædes plures Romæ fuerunt; ut Minervæ CHALCIDICAE, in nona regione ab Augusto dedicatum; Minervæ CATVLLIANAE. Minerva enim habita fuit rerum inventrix & artium, cui merito Opifices supplicant. Huic aures argenteas sacratas fuisse, patet ex antiquo Saxo Placentiæ:

MINERVAE. AVG
L. CALLIDIVS. PRIMVS
BRIXELLANVS. EX. ARG.
LIB. II. ITEM. L. CALLIDIVS
PRIMVS. AVRES. ARGENTEAS
V. S. L. M

Etsi vero auctore Servio *ad Eccl.* VI. Aures Memoriæ consecratæ essent, ut Frons Genio, Digiti Minervæ, Genua Misericordiæ; quum *Memoria* *uxor Jovis, Musarum mater*, ex Arnobio *lib.* III. culta Carthagine, ut tradit Idatius Episcopus in *Chronico*, cui teste Plinio *lib.* XI. *cap.* XLV. *in aure ima locus est*: attamen Minervæ meo judicio merito aures fuerunt votæ tamquam Deæ Sapientiæ, *cum doctrina & sapientia percipi auribus solis potest* ut Lactantius Firmianus lib. III. *de Falsa Sapientia* cap. IX. *oculis solis non possit*. Clypeum eidem Veteres dicarunt, quem etiam pictores ei addunt, quod armis præesset.

Carmina etiam Jovi Capitolino dicata memorat Suetonius in *Nerone* cap. II. *Pars carminum aureis literis Jovi Capitolino dicata*. Hæc enim ut vere Oppianus *de Piscat.* lib. II. vers. 26.

Dona Musarum & Apollinis.

Sed & Pegasum ab Aurora Jovi dicatum Græcorum auctoritate accepimus. Verum Apollini præcipue Viri eruditi sua vota fundebant, quod de Medicis comprobat vetus Inscriptio Aventicæ in Helvetiis:

APOLLINI. SACRVM
Q. POSTHVM. HIGINVS. ET
POSTHVM. HERMES. LIB
MEDICIS. ET. PROFESSORIB
D. S. D

Is enim Macrobio referente *Saturn.* I. cap. XVII. Citharœdorum Deus, Medicinæ inventor, Jaculator, & Vatum ac Vaticinii numen religiose a Romanis cultus (a quibus cognomina multa, itemque Ædes & Aras obtinuit) Cœlispex dicebatur, Medicus, Palatinus, Actiacus, Navalis & Parætonius, Sandaliarius, Sosianus, Tuscanicus, Delius, Diadematum. Ceteris missis, Palatinus præsertim vocabatur a templo celeberrimo, quod ei devictis Antonio & Cleopatra Augustus extruxit, in quo aureas, argenteasque statuas ac Donaria preciosa posuit. Descripsit hoc templum elegantissime Propertius, cujus aliquot versus adjiciam:

Tum medium claris surgebat marmore templum,
Et patria Phœbo charius Ortygia.
Auro solis erat suprafastigia currus,
Et Valvæ Libyci nobile dentis opus.
Altera dejectos Parnassi vertice Gallos,
Altera mœrebat funera Tantalidos.
Deinde inter matrem Deus ipse, interque sororem
Pythius in longa carmina veste sonat.

Pythium enim præcipue colebant, qui Musarum sacris initiabantur, sicut ἱσμένιον qui scientiam jam cum loquendi facultate comparaverant. Apollo quippe scientiæ Deus novem Musis præest. Asini Scythici cornu, quod solum Stygis aquam continebat, a Sopatro asportatum Alexander Macedo Delphos misit, ut Pythio dedicaretur, additis carminibus, quæ recenset Ælianus *de Animalibus* lib. X. cap. XL. Tripus etiam æneus Apollini dicatus, quia ex Pythagoricorum doctrina æs omni spiritui divini oris accinit, notante *ad Iliada* Eustathio. Sed & Apollini ac Dianæ vovit Theseus cum in Cretam ad Minotaurum duceretur. Hæ vero non solum Apollini erant sociæ & contubernales, sed & Herculi. Unde Romæ ad viam Appiam in saxo stat Hercules nudus, clavæ innixus; pellis ei leonina pendet ab humero sinistro, læva manus ostentat ramum populeum: hinc visitur sympulum & ara accensa, inde lyra & populus arbor, cujus ramis inferioribus dependent coronæ duæ, una laurea, altera populea: subscribitur:

| HERCVLI. MVSARVM. PYTHVS |

Altera Inscriptione Romæ comprobatur insuper Musarum cum Hercule societas:

HERCVLI
PACIFERO
ET. MVSIS
L. FAB. VALERIANVS
PR. PR. PROV. GALA.....
PROC. PROV. AFR.....
VIS... ADMONITVS
REDIENS......
V. S. D. S. L. M

Pythagoras (verba Ciceronis sunt *de Natura Deorum* lib. III.) *cum in Geometria quiddam novi invenisset, Musis bovem immolasse dicitur*. De quo Latina Xylandri Musa Commentario, *Ne suaviter quidem vivi posse secundum Epicuri decreta*, ex Apollodoto affert Plutarchus:

Pythagoras celebri diagrammate quando reperto,
Mactato fecit splendida sacra bove.

Quodnam vero id fuerit, addit idem: *sive id pertinet ad hoc quod in rectangulo triquetro longissimi lateris quadratum reliquorum laterum, quæ angulum rectum conficiunt quadratis in unum conflatis æquale esse demonstravit, sive ad quæstionem de area parabolæ*. At vero huic sapientiæ incrementum impendio testari placuit. Ita non paucis quadam discendi intemperantia vitam ipsam oppignerare minime durum fuit. Quæ enim Eudoxi vesania, quem memorat *ibidem* Plutarchus, *Phaetontis modo comburi vovisse, ea lege ut sibi ante liceret ad Solem adstanti figuram, & magnitudinem, formamque Astri perdiscere*. Saniori consilio Julius Frontinus *de Limitibus agrorum* cap. XXXV *Expugnandorum montium altitudines ut scirem, hanc mihi venerabiles Dii rationem monstrabant, quos ego in omnibus templis adorabam. At postquam magnorum Deorum experimenta religiosius colere cœpi, ad consummandum hunc librum velut ad Vota reddenda properavi*.

Atque ut ad nostræ ætatis mores descendamus, Veterum exemplo SCRIPTORES non modo libros, sed quibus eos seculo transmiserunt instrumenta, pietatem testari voluerunt: Divæ Hallensis appensus hodieque conspicitur CALAMUS scriptorius ex argento conflatus, quem æternitati vovit magnus ille LIPSIUS, cujus facundæ & fœcundæ scriptioni solidam antiquitatis notitiam debemus. Omnium optime qui Deo omnis sapientiæ fonti & largitori benignissimo in lucem missa ingenii monumenta nuncuparunt. Ut enim scite Porphyrius *de Abstinentia* lib. II. *E frugum manipulis & plantarum asparagis primitias solvit agricola, ita nos e cogitationibus ceterisque animi bonis primitias solvimus: nobis enim e suis gratificantes bonis dederunt contemplationem, qua ipsos intuemur & vere reficimur, & qua denique nobiscum conversantur conspicui & nostram illustrantes salutem*.

Inter quos nulla dies tacebit optimum & religiosissimum virum Aloysium Novarinum ex Congregatione Theatinorum Theologum, qui indefesso labore plurima hactenus incognita eruit, variaque eruditione sacras Literas ingeniose illustravit. Atque ut e multis paucos memorem, *Indicem scriptorum Universalem* eruditis utilissimum Fabianus Justinianus Deo Optimo Max. dicavit: D. Mariæ Virgini Dei Genetrici celeberrimus inter Hispanos Medicus Ludovicus Mercatus sua Consilia Librosque de *Puerorum cura* consecravit; A quem imitatus Petrus Castellus Medicus Romanus Cl. *Emetriam suam* Sanctiss. Individuæ Trinitati inscripsit. Christo Summo & Æterno Sacerdoti Cosmus Philiarius, Benedictus Fernandius Societatis Jesus *Commentarium in Genesim* pereruditum D. Virgini nuncupavit, cui pariter Nicolaus Ricciardus eruditissimus Theologus *suas Lucubrationes*. Cornelius a Lapide *Com. in Proverbia Salomonis* Deiparæ Virgini æternæ Sapientiæ Genitrici Votum appendit. Ne prætercam alios scriptores, qui Divis Tutelaribus suos labores sacrarunt: Georgius Ragusæus *Disputationes suas Naturales* Deiparæ Lauretanæ inscripsit, Librum laminis argenteis coopertum in ejusdem Sacrario appendit. Eidem dum hæc scribo Jo. Franciscus Birago B Professor Mediolanensis suum de *Hominis felicitate* Commentarium. Cui multo ante Albertus Brunus J. C. *sua Opera* dicavit, ut refert in *ejus Vita* Pancirolus J. C. Eminentissimus. Josephus Ballus Cl. Theologiæ Doctor subtilem *de Fœcunditate Dei* Commentationem D. Nicolao Patriæ Tutelari obtulit; itemque ingeniosum de *motu corporum naturali* Libellum Divo Dionysio Areopagitæ vovit. Joannes Baptista Casalis nobilis Romanus Opus de *Veteribus Sacris Christianorum Ritibus* DEO TRINO ET UNO VOVIT, Anno M. DC. XLVII. Ro- C mæ editum.

Et quid non MENTI, cui ista omnia, imo, si Aristoteli ejusque asseclæ Theophrasto credendum, immortalitatem ipsam omnis laboris precium debemus? Huic certe olim in Capitolio VIII. Id. Junii consecratam fuisse ædem, indicat vetus Calendarium, quod Livius *lib.* XXIII. a T. Otacilio Prætore factum memorat; eique Justitiam ab Augusto fuisse consecratam canit Ovid. III. *de Ponto*:

Justitia vires temperat ille suas.
Nuper eam Cæsar facto de marmore templo,
Jam pridem posuit Mentis in æde suæ.

D Menti Votum præterea erectum constat ex Lapide Veteri ad Ulpiam Trajanam:

M. SEPTIMIVS C. F.
MENTI. FIDEIQ. DEAB
PRAESENTIBVS
EX. VOTO. S. P.

CAP. XXIV.

VOTA LABORANTIVM.

E ATQUE ut ad eos transeamus qui operis ac laboribus vitam traducunt. *Viam inituri* supplicabant Herculi. Festus Pompejus *lib.* XIV. *propter viam fit sacrificium, quod est proficiscendi gratia, Herculi aut Sanio, qui scilicet idem est Deus*. Addit Paulus: *Profecturi viam Herculi aut Sanio sacrificabant*. Alii Jano: Quidam Sancto: Nonnulli Sango, item Fauno: quemadmodum notavit Gulielmus Stucchius *Antiq. Convival.* lib. I. cap. XXIX. ubi refert apud Romanos peregrinationis ergo, Sacrificia, Cœnas, & Vota simul fuisse facta. Sic reditum sibi quivis aliqua religionis specie pollicebatur: Quem sua pruden- F tia cum difficilem prævideret Tullius in exilium iturus, Minervam custodem, quam domi suæ privatim coluerat, in Capitolio consecravit; quemadmodum Dio *lib.* XXXVIII. memoriæ prodidit. Res pietatis plena! quam uberius testatur Plutarchus in *ejus Vita*: *Quæstor in Sicilia donum argenteum Diis consecravit, in quo initia inscripsit duorum nominum* MARC. TVL. *tertii vero loco ludens Cicero jussit artificem proxime illas literas incidere*.

Ritum hujus religionis indicat Apulejus initio *Floridorum*: *Viantium moris est, cum aliquis lucus*

aut aliquis locus sanctus in via oblatus est, VOTUM apponere, portum postulare.

A

Pro reditu pariter Herculi Vota fiebant. Sueton. de Tiberio: *Vota pro itu & reditu suo suscepi passus*. Idem in Caligula c. XIV. *Cum paucos post dies in proximas Campaniæ Insulas trajecisset, vota pro reditu suscepta sunt*. Rufi Senatoris Votum & Sacrificium pro Cæsare apud Senecam est, Tibull. *lib*. II. *eleg*. III.

At si pro dulci reditu quæcumque voventur
Audiat aversa non meus aure Deus.

Explicatius hac de re Catullus *Carmine* LXVII.

B

Atque ibi præ cunctis, pro dulci conjuge, Divis
Non sine taurino sanguine pollicita es,
Si reditum retulisset is, haud in tempore longo
Captam Asiam Ægypti finibus adjiceret.

Vide ut hæc cum iis consentiunt, quæ habet Cato suo loco laudatus, ubi Votum rem Divinam appellat. Nec solum Taurino sanguine, sed & humano Reditum Imperatori satis erat impetrasse. De quo Virgilius *Æneid*. II.

Sanguine placastis ventos & virgine cæsa,
Cum primum Iliacas Danai venistis ad oras
Sanguine querendi reditus animaque litandum
Argolica.

C

Est in hanc rem Inscriptio vetus apud magnum Lipsium *ad* II. *Annalium Taciti*; quam propter elegantiam huc transferri æquum fuit:

HERCVLI. DEFENSORI
PRO. REDITV. ET. ITV
D. CLODI. SEPTIMI
ALBINI. CAESARIS
D. CLODIVS. D. L
FELIX
ACTOR. CAE. N. D. D

D

Phœbi etiam exactis itineris difficillimi laboribus, non immemorem fuisse Dædalum, ostendit Maro *Æneid*.

Dædalus, ut fama est, fugiens Minoja regna,
Præpetibus pennis ausus se credere Cælo
Insuetum per iter gelidas enavit ad arctos.
Calcidicaque levis tandem superadstitit arce,
Redditus his primum terris tibi Phœbe sacravit
Remigium alarum posuitque immania templa.

E

Nec minori hic veneratione colebatur Mercurius, ut θεὸς ἐνόδιος, cui primitiæ in viis locabantur. Qua ratione Charinus etiam apud Plaut. in *Mercat*. LARES VIALES solicitat. Hermas autem Athenis Mercurio frequentius fuisse erectas constat ex Cornelio Nepote in *Vita Alcibiadis*, quod ante ipsum Thycidides scriptor antiquissimus *lib*. VI. attigit. Mercurio præterea ut Mercaturæ & Lucri præsidi, qui teste Oppiano *de Piscatione* lib. III. vers. 10. lucrosissimum inter homines ingenium ostendit, communia erant lucra, quæ præter spem in viis obtingebant. Unde Seneca *Epist*. CXIX. *Quoties aliquid inveni, non expecto donec dicas in commune*, hoc est, Lucri particeps. Ciceronis verba lib. XIII. *ad Atticum* epist. XIV. *ut legi tuas, tanquam* ἕρμαιον *arripui*: ἕρμαιον eruditi insperatum lucrum interpretantur. Huc facit Saxum Metis repertum M. D. XCIX.

F

MERCVRIO. NEGOCIATORI
SACRVM
NVMISIVS. ALBINVS
EX. VOTO

Ad lucrum vero non parum confert sermonis facilitas: unde Mercurio in sacrificiis propter facundiam Victimarum linguas fuisse oblatas constat. Mercurio autem ἕρμαιον Ἑρμοῦ κλῆρος, id est, *Mercurii sors*, quod secundum Suidam oleæ folium, quod in urnam conjectum in honorem ejus primum educebatur, H. Jun. *Anim*. II. v. Verum & Fortunæ non raro primæ debentur. Ita in Saxo apud Isaram flumen in Bojaria:

DEO. MERCVRIO
FORTVNAE
REDICI. SACRVM
AVR. MARCELLVS
DECIALI. FIL....
. . . . . .
. . .

Lepide apud Aristophanem Pluto Mercurium inducit conquerentem vinum sibi dari aquatum. Ei enim offerebatur Libatio temperata, quod merum rationi, & sermoni plurimum officiat.

Tandem qui laboribus anguntur Tutani opem implorasse docet Varro *Hercule tuam fidem* apud Nonium Marcellum Libro *de Proprietate serm.*

Noctu Annibalis cum fugavi exercitum,
Tutanus hoc, Tutanum Romæ nuncupor.
Hoc propter, omnes qui laborant, invocant.

Plinius etiam de hoc Deo *lib*. X. & uberius Josephi Scalig. *Conjectanea in Varronem de Ling. Lat.*

Exules autem si quidquam pro reditu voverint, nondum videre contigit. Quin his etiam animos moverit in patriam pietas minime dubito. Illud sane silere nequeo quod plerique tradunt, Hebræos dum Babylone exularent assidua patriæ memoria in annulis Hierusalem figuram gestasse.

CAP. XXV.

NAVIGANTIUM, ET NAUTARUM VOTA.

VERE nimis Romanæ fidicen lyræ lib. I. *Carm*. Od. III.

Illi robur & æs triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Primus, nec timuit præcipitem Africum.

Non vana igitur in *Medea* Tragici querela est:

Audax nimirum qui freta primus
Rate tam fragili perfida rupit,
Terrasque suas post terga videns
Animam levibus credidit auris
Dubitoque secans æquora cursu,
Potuit tenui fidere ligno
Inter vitæ, mortisque vias
Nimium gracili limine ducto.

Hinc navigaturi non sine ratione Aram in littore erigentes Neptuno ac Apollini taurum mactabant, atque ut est apud Poetam, nigram Hiemi pecudem, Zephyris Felicibus albam; exta demum in fluctus projiciebant, nec solvebant ante Numen exoratum. Veneris quoque auxilium implorasse accepimus; secundi vero auspicii loco erat in auguriis Cygnus, qui nunquam undis mergitur. Inde Homerus v. *Odyss*.

Ταύρους παμμέλανας ἐνοσίχθονι κυανοχαίτῃ.
Cyaneos crines taurus mactetur habenti.

Cujus imitatione Maro *Æneid*. v.

——— *meritos aris mactavit honores,*
Taurum Neptuno, taurum tibi pulcher Apollo.

Neptuno privatim pisces dicati. Manil. in II. *rerum Astronomicarum*.

Agnoſcitque ſuos Neptunus in æquore piſces.

Et quidem pro Nave peculiariter Votum edidiſſe Priſcos; colligo ex Oppiano *de Piſcatione* lib. IV. ubi, naufragi mentione injecta, doctiſſimi Ritterhuſii verbis ſic pergit:

Sed hoc quidem nautis probibeat Saturnius
Marinus (id eſt, Neptunus:) *naves autem per latum mare currant,*
[illegible]
[illegible]

Argo ſane poſt Colchicam navigationem cum incolumes Heroas delectos in patriam revexiſſet, fertur Palladi ab Jaſone conſecrata, atque ob ſervatos tot Deos, inter ſidera tandem translata. Quo autem ritu Diis Naves dicabantur memorat Apulejus XI. *Metamorph Tæda lucida & ovo & ſulphure ſolenniſſimas preces de caſto præfatus ore navim quam puriſſime purificatam Deæ nuncupavit.* Hucne facit ſaxum Romæ in arce Turnonis in fronte piſcem continens, & in baſi naviculam, ubi hæc in medio leguntur.

D. M
M. AVRELIO. ER
MAI [illegible] O
BENEMERENTI
QVEN. OMNES. SODALES
SVI. QVERVNT

Et altera Inſcriptio vetus in tabella ænea a Fulvio Urſino prodita:

SVB. L. ARRVNTIO. STELLA
NAVIS. HARENARIA. QVAE
SERVIT. IN. AEMILIANIS
REDEMPTORE
L. MVCIO. FELICE

Navigia vero eorum Tutelarium ſimulacra in puppe oſtendebant, a quibus potiſſimum ſecundos ſucceſſus expectabant, quandoque etiam in prora; qualiter Bucentaurus Venetus in fronte fert Juſtitiæ Statuam, moderati Imperii ſymbolum. Phœnices ea appellaſſe Patæcos auctor eſt Heſychius. Παταίκυς autem *Cælaturas* Joſ. Scaliger *ad Feſtum* exponit. Hæc vel erant picta; unde Ovidius *lib.* I. *eleg.* III.

——— *Puppique recurvæ*
Inſilit, & pictos verberat unda Deos.

Vel Statuæ forma. De quibus fortaſſis Perſius:

Ingentes in puppe Dii.

Utriuſque generis diverſa adhuc paſſim ſpectamus. Ita navi Alexandrinæ, qua D. Paulus ex inſula Mytilene Syracuſam vehebatur, Caſtorum inſigne erat, ex *Act. Apoſtolorum* cap. XXVIII. v. 12.

Vota vero Priſcos velis inſcripiſſe oſtendit Apulejus *loco* pridem *memorato: Hujus alvi felicis nitens carbaſus votum ingeſtans progerebat.* ubi Jo. Argolus pro *ingeſtans* non male legit, *ingens*.

Nautæ etiam referente Maximo Tyrio *Diſſertatione* XXIX. ſolebant Diis maritimis conſecrare temones in eminenti aliquo ſcopulo. Agamemnonem quoque Dianæ clavum dicaſſe, poſtquam ventos ipſius gratia compeſcuiſſet, canit Hymno *in Artemin* Callimachus. Huic affine eſt, quod notat Herodotus: *Apud Tænarum ingens Arionis Donarium ex ære, quod Delphinum refert, cui homo citharam pulſans inſidet.* Hiſtoriam attigit Oppianus *de Piſcatione* lib. V. verſ. 448. ubi de Delphini Philantrophia multa admodum præclara: in primis adverſus puerum Inſulanum de pietate Delphini narratio prolixa. Cui ſimillima de Jaſſenii puero apud Plutarchum *de ſolertia Animalium*.

Nautas vero adverſa tempeſtate jactatos ait Tullius lib. II. de *Inventione* Vota feciſſe Caſtori & Polluci, eorumque ſimulacra in Samothracia ante portum ſita fuiſſe, ut iis naufragio liberati Vota ſolverent, annotat Servius Latinorum Grammaticorum doctiſſimus. In hanc rem Romæ legitur:

CASTORI. ET. POLLVCI
SACRVM
OB. FELICEM. IN. PATRIAM
REDITVM. TOT. SVPERATIS
NAVFRAGII. PERICVLIS
.... EX. VOTO. CVM
SOCIIS
L. M. P
C. VALERIVS. C. F. AGELLVS
....

Erant magni a Veteribus forſitan ob diſcrimen vitæ *Dii magni* vocati, quemadmodum ex Inſcriptione *cap.* 10. a nobis allata planum eſt. Horum Seneca meminit lib. I. *Natural. Quæſt. In magna tempeſtate apparent quaſi ſtellæ velo inſidentes: adjuvari ſe tunc periclitantes exiſtimant Pollucis, & Caſtoris numine.* Ad quod reſpiciens Catullus Carm. LXIX. *ad Mallium:*

At veluti nigro jactatis turbine nautis
Lenius aſpirans aura ſecunda venit,
Jam prece Pollucis, jam Caſtoris implorata:
Tale fuit nobis Mallius auxilium.

Hinc lucem accipit ille idem *Carmine* IV.

Neque ulla vota Littoralibus Diis
Sibi eſſe facta cum veniret a mari
Noviſſimo hunc ad uſque limpidum lacum.

Neque abſurdum fuit, quod prodit *de Inventione* Cicero, Nautas voviſſe Dianæ ſe vitulum immolaturos. eam enim cum Iſide, cui ſupplicabant Navigantes, eandem eſſe jam ante abunde oſtendimus.

Nunquam vero frequentius, quam in ipſa jactatione tempeſtatis, Vota fiebant: imo tunc locus Voti proprius erat. Ovidius *Triſtium* lib. I. eleg. II. verſ. I.

Dii maris & Cœli, (quid enim niſi vota ſuperſunt?)
Solvere quaſſatæ parcite membra ratis.

Græcis autem, cum in mari procellis jactarentur, ſolennis erat exclamatio: ἔξω Γλαῦκε, id eſt, *Procul ſis Glauce.* Nautas in extremo diſcrimine conſtitutos non ſolum invocaſſe Dominum, ſed & Vota voviſſe refert *Jonæ* hiſtoria.

Atqui Ventorum is quoque impetus erat, ut ſummorum hominum Vota extorſerint, Spiritus nempe invicta res eſt: nihil enim erit, ut eleganter ex Virg. Seneca *Natural. Quæſt.* lib. VI. cap. XVII. quod

Luctantes Ventos, tempeſtateſque ſonoras,
Imperio premit, ac vinclis & carcere frænat.

De Circio idem *Natural. Quæſt.* lib. V. cap. XVII. *Divus certe Auguſtus Templum illi, cum in Gallia moraretur, & vovit, & fecit.* Hinc fortaſſis in *Symbolo* Pythagoras:

Ventorum flantium ſtrepitum adora.

Quamvis Jamblichus putet hic præcipi, non modo divina, ſed etiam divinorum ſimilitudinem colendam eſſe.

Capillos peculiari ritu detonſos fluminibus Deorum munere adſcriptos a Græcis oblatos tradit Pau-

sanias. Cujus rei indicium apud Athenienses Statuam adolescentis sibi comam demetentis ad Cephisum Bœotiæ fluvium narrat Philostratus Quem cultum *cap.* XI. jam attigimus.

Mare autem & aquas sub Neptuni nomine coluerunt Veteres. Huic nempe Opis & Saturni filio Jovis & Plutonis Fratri, maris dominium fuit commissum. Hinc Neptuno tot merito Vota, cui Argonautæ duos Tauros ob felix iter immolasse dicuntur; itemque niger Taurus Neptuno dicatus. E quibus Votis nondum publici juris factum in fluvio Velino, qui Reatum perluit, marmori incisum legitur, quod pridem submisit V. C. mihique amicissimus Gabriel Naudeus;

NEPTVNO
SACRVM
CANNIVS. NEPTVNI. DIALIS
VOTO. SACRAVIT

Cujus superstitionis vestigium adhuc refert ibidem fons Neptuni, de quo Albertus Leander in *descriptione Italiæ*.

Alterum addam, quod in Ecclesia Salodiensi apud Lacum Benacum visitur:

NEPTVN. AVG.
SACRVM
PRO SALVTE
L. SEPTIMII. SEVE
RIANI. PATRONI
L. SEPTIMIVS
FELICO. EX. VOTO

Amicos nempe navigaturos etiam Numinibus olim comendabant. Cujusmodi pro Virgilio Athenas solvente Horatii Carmen votivum *lib.* I. *O de* III. exstat. Ritum hunc confirmat vetus saxum inter Monumenta Comensia, quæ Benedicti Jovii Novocomensis Viri Doctissimi fato intercepta propediem vulgabuntur;

NEPTVNO ET
DIS AQVATILIB
PRO SALVT ET
INCOLVMIT SIM
QVART SECVNDIN

Est etiam Parentii in pila saxea ad portum:

NEPTVNO. DEISQ. AVG
T. ABIDIVS. VERVS
POST. SVPRAEFECT
CLASSIS. RAVENN
TEMPLO. RESTITVTO
MOLIBVS. EXTRVCT
DOMO. EXCVLTA
IN. AREA. D. D
CONCESSA. SIBI
DICAVIT

De hoc Templo *Historia nostra de Histria*. Capuæ itidem, ut notavit Georg. Gualther. *Tabul. Antiq. Sicil.* pag. 64.

NEPTVNO
SACRVM
. . . .
. . . .
VOTVM. IN SICVLO. FRETO
SVSCEPTVM. SOLVIT

Huic itaque jure commodata Nautarum Societas, quæ veluti Neptunia proles Præsidi Statuam varie ornatam erexerat hac Inscriptione insignem:

IN. H. D. D.
D. NEPTVNO. CON
TVBERNIO. NAVTA
RVM. CORNELIVS
ALIQVANDVS
D. S. D

Plutarchus refert in *Vita Pompeii* Neptuno tria fuisse templa opulentissima, quorum unum in Isthmo, aliud in Tænaro, tertium in Calabria, quæ Insula etiam Neptuno dicata fuit ob terræ motus, cui præses Neptunus. Ita Virgilius lib. V. *Æneid.*

——— en quatuor aræ
Neptuno.

Romæ etiam apud Tiberim, ubi nunc delubrum Divo Blasio Sacrum, in templo Neptuni Nautas olim Tabulas naufragii pictas suspendisse tradit Lucius Maurus in *Antiq. Rom.*

Vestem, quam initio ex Horatio ostendi eidem suspensam hic non repeto, contentus monuisse Nautarum habitum fuisse penulam coloris Veneti, sive thalassici aut cœrulei, quam induti, brachio dextero exserto, causeoque sive caputio, vel bardocucullo, veluti & nostra ætate, tecti incedebant. Vestes etiam iis adversus aeris injurias pelliceæ erant. Quo spectat Vegetii *de re Militari* lib. IV. montium, *in mari exploratores veste Veneta induendos*. Quin tumulo eorum, qui ad litus ejecti erant, fragmenta navium inferebantur, quæ essent veluti Manium Donaria. Lycophron, ex interprete:

——— bustum supra
Statuere cippum funebrem Argo navis
Transtrum revulsum Manium Donarium.

Comes Neptuno erat Portuum Deus, quem putabant eum esse qui Palemon a Græcis, & Portumnus Latinis dictus est. Huic Nautæ reduces a suis navigationibus sacrificarunt.

Vastum & miraculosum Neptuni apud Atlantes Templum centum Nereides Delphinis insidentes ornarunt, magni Platonis indicio. Canopum Menelai olim navarchum inter sidera locatum Ægyptii adorabant.

Plutoni præterea Inferorum Deo periculum maris qui evaserant Vota posuerunt. Quale in Hispania ad Castra Vicelliana Medelin.

PLVTONI
DEO. IN. LOCO
SVB. TERRA. COND
PERICVLO. OCEANI
LIBER. ARAM. POSV
IT. FAB. VICELIA
NVS. EX. VOTO

Tempestati etiam Deæ Minori; cui M. Marcellus a periculo navigationis in Corsicam & Sardiniam liberatus Ædem extra portam Capenam Cal. Junii dedicavit. De qua Ovidius in *Fastis*.

Te quoque Tempestas meritum delubra fatentur,
Cum pene est Corsis obruta puppis aquis.

Ita Minervæ Diomedes apud Mothonem Peloponnesi civitatem, quod ipsius auxilio sedata esset ventorum tempestas, delubrum ædificasse dicitur. Pausanias refert & Jovem a Lacedæmoniis cultum Evanemi cognomento, a prosperis ventis ducta appellatione.

Nec minus Ventis. *Naturalium Quæstionum* lib. V. cap. XVII. Seneca de Circio: *Divus certe Au-*

gustus templum illi, quum in Gallia moraretur, & vovit, & fecit.

CAP. XXVI.

AGRICOLARUM, ET VILLICORUM VOTA.

MORTALIUM innocentissimi, qui suis laboribus honestissimum vitæ lucrum sine ullius injuria sectantur, quum nullius prope rei magis quam bovis indigi viderentur, Marti Silvano pro hujus animalis valetudine annuum Votum faciebant: & soli quidem Viri, ut Cereri mulieres, quemadmodum ad Juvenalem observavit Autumn. Cujus rationem integram reliquit Cato *de Re Rustica*, cap. LXXXIII. ubi iterato *rem divinam* appellat. Martem vero, *Silvanum* orientalem in duorum aut plurium agrorum interfinio Josephus Scaliger intelligit suis *ad Festum Notis*. De quo in *Epodis* Lyricus:

Pater Silvane tutor finium.

Silvanus autem præcipuus inter Deos rusticos, a Silvis nomen sortitus, ab agrorum cultoribus summopere colebatur; cui præcipue pro pecorum valetudine, & agrorum fertilitate porcum immolabant. Quem morem tetigit Juvenalis *Satyra* VI.

——— *Cedere Silvano porcum.*

Et Poeta Venusinus ad vivum expressit *lib.* II. *Epist.*

Agricolæ prisci, fortes, parvoque beati,
Condita post frumenta levantes tempore festo
Corpus, & ipsum animum spe finis dura ferentem
Cum sociis operum, & pueris & conjuge fida,
Tellurem porco, Silvanum lacte piabant.

Hinc Tibullus *lib.* II. *eleg.* V.

Lacte madens illic superat Pan ilicis umbra.

Item, *lib.* I. *eleg.* X.

Hostiaque e plena rustica porcus hara.

Quæ postrema verba mihi magis arrident, quam quæ in nonnullis libris *Mystica porcus hara*. Sic enim Ovidius lib. III. *Amorum*.

— *& humili victima porcus hara.*

Hujus vestigium refert vetusti marmoris inscriptio sequens:

SILVANO. SACRVM. SODAL
EIVS. ET. LARVM. DONVM. POSVIT
TI. CLAVDIVS. AVG. LIB. FORTVNATVS
A. CVRA. AMICORVM

Expressius altera:

SILVANO
SANCTO. SACRO
LARVM. CAESARIS
N. ET. COLLEGI. MA
GNI. CN. TVRPILIVS
TROPHIMVS. VOTO
SVSCEPTO. ARAM
DE. SVO. D. D

Rem ipsam ob oculos ponit elegantissimum marmor niveum, cujus typum in humanitatem Viri Cl. Jo. Baptistæ Casalis Nobilis Romanis libens transferimus.



Hanc

A Hanc Tabulam Romæ quondam fuisse Horatii della Valle J. C. discimus ex Gruteri *Inscriptionibus*, ubi hæc ejus descriptio.

Stat hic Silvanus inter quercum, & palmam altera manu falcem putatoriam habens, altera ramum, cujus extremo nescio an nux pinea emineat.
A dextris, ad altare tibicen canit adstantibus duobus aliis.
A sinistris, duo item astant, quorum hic nescio quid vasculi utraque manu capiti impositum sustentat: Ille porcam ducit tergum vittatam.
subscribitur.

B SACRVM. SANTO. SILVANO. AVG. VOTO. SVSC. EX. VIS

Ita ille, qui magno huic *Operi* a Josepho Scaligero laboriose inchoato, & a Grutero feliciter confecto, symbolam contulit. Sed
non vidisse satis, juvat usque morari,
C ac singula dispicere. Tabula est marmorea duos fere palmos alta, sesquipalmum lata, cujus dorso quatuor insculptæ sunt cavernulæ, quibus dubio procul parieti appendebatur. Icones symmetria & habitu argumento rudiori decore conveniunt. Aræ astant voventes tunicati & incompti, quam sacra facturus solemni sacrificii ritu ad dexteram conversus dextera manu tangens erecto vultu preces fundit, Janum & Vestam, qui in omnibus sacris præcipua numina erant, atque in votis concipiendis primum compellabantur, obsecrans, ut per eos aditus ad cætera pateat, Jovis Opt. Max. D invocatione, de more adjecta. Interim agrestis puer pone quadratam aram distentis buccis geminam tibiam inflat, ne quid infaustum exaudiretur, vel, quemadmodum Plin. *l.* XXVIII. *cap.* II. ait, ne quid aliud exaudiretur: cujus generis expressius, ambiente genas ad canentis robur habena, tibia duplex decenter perforata conspicitur in effigie statuæ æneæ pedem altæ, quam e Cl. Viri Jacobi Gaffarelli Museo mihi aliquando communicavit Jo. Rhodius. Huc facit Apuleii monitum lib. I. *Floridorum: Primus* Hyagnis *manus in canendo discupedinavit; primus duas tibias uno spiritu animavit; primus lævis & dextris foraminibus acuto tinnitu & gravi bombo concentum musicum miscuit.*
E Antiquos autem magno nisu fistulam inflasse, non levem mihi præbet suspicionem, quod apud Festum inter veteres Grammaticos facile primum *Flator* idem sit quod Tibicen. Aræ adstat alius puer loro canem trahens venaticum, quod animalis genus in sacris mactatum primitus constat. Ex adverso vittatum (ut apparet) Porcum, veluti Silvano sacrum, minister litandum tenet, pone quem villicus pilam cervice gerens tundendis frugibus, quæ immolandæ erant. In medio Silvanus est, Forma reliquis conspectior inter Deos rusticos & domesticos habitus, quem ipsæ Inscriptiones unum e Laribus manifestant. F Recte nudus est, relicta apud Herculem veste, cum ejus vindictam effugeret. Capitis velamen certe obscurum est. Coronam e ferula & liliis ei tribuit Virg. *Ecl.* I.
Venit, & agresti capitis Silvanus honore
Florentes ferulas & grandia lilia quassans.
Pinu coronatum e tabulis quibusdam Romanis suspicatus fuit Gruterus: sed pineum forte conum cupressi loco transmisit, qui eas viro optimo communicavit. Arbores utrinque sitæ admodum mihi dubiæ. Palmam & Quercum Gruterus censet. Nec male. Utraque enim æternitatem notat, cui fortassis vovens, tabellam sacravit. Retusam is falcem dextra tenet silvis cædendis: sinistra ramum foliis viduatum; de quo Gratius in *Cynegeticis*.
— inculto Silvanus tramite gaudens;
e quo cupressi nuces surgunt, cujus ille primus sationem instituit; quicquid de pinea aliquando fructus forsan similitudine seductus censuerit Smetius vir doctissimus. Sic enim Poeta I. *Georg.*
Et teneram ab radice ferens Silvane cupressum.
Quod autem Silvano divini olim honores collati, causa non fuit plane nulla. Agricolæ quippe ut arvorum ac finium dominum colebant; Cives ut matronalis pudicitiæ insidiatorem; omnes vero ut conjugis conservatorem: nec Meursio *Critic. Par.* II. lib. II. c. I. diversus est a Marte Silvano Picumno, cui veluti Deo conjugali in puerorum natalitiis lectus in ædibus sternebatur. Priscis idem qui Pan habitus. Hinc vetus Glossa: *Silvanus*. Πὰν, θεὸς ὑλαῖος. Quæ confirmat Martian. Capella *de Nupt. Philolog. & Mercur.* lib. I. *Ipsam quoque terram, quæ hominibus invia est, referciunt longævorum chori, qui habitant silvas, nemora, lucos, lacus, fontes, ac fluvios, appellanturque Panes, Fauni, Foni, Satyri, Silvani*, &c. Inde varia encomiorum serie apud priscos, Dominus, Geminus custos, Salutaris, Domesticus Dendrophorus, Littoralis, Cælestis, Augustus, Sacer, Sanctus, & Sanctissimus Ædiculas, Templa, Signa, Collegia, Æditvos, Cultores, Sodales, Sacerdotes, Antistites meruit, & solemnia sibi Vota Cal. Martii Romæ instituta. Inter alia insigne hic ejus Elogium habes:

SACRVM. SANCTO. SILVANO. AVG. VOTO. SVCC. EX. VIS

Qui Votum hoc Liberti cujusdam pro salute Augusti susceptum putant Viri Antiquitatum notitia clari, ita explicant. *Sacrum Sancto Silvano Augusti voto successit ex visione*. Nec dubito, quin hoc sensu accipiam S. S. S. in veteris Statuæ fragmento eleganti, cujus typum Illustriss. Cassiani a Puteo Equitis benignitati debeo: cum aperte satis id commonstret Romæ in ædibus Eminentissimi Cardinalis a Balneis conspicuæ magnitudinis ac vetustatis marmoreum Silvani Signum sustinens stylobata, quam viri optimi Gabrielis Naudei cura delineatam sequenti *col.* damus. Sic in monumentis Arundelianis:
Libero Silvano Herculi
Diis. Sanctis. Ti. Julius Alexander
Et in Schol. Aldi Manutii ad Vell. Paterculum: *Herculi Sancto Sacr. D. Pomponius*, &c. At vero ne in re obscura quidquam gratis obtruderem, alios ingenio ac eruditionis fama præcellentes hic audire volui. Consultus inter eos Jo. Galvanus V. Cl. & rerum antiquarum diligens indagator adducta modo verba sic interpretabatur. *Sacrum Sancto Silvano Augusto voto suscepto ex visu*, vel *viso*. Silvano enim Augusti epitheton quandoque additum non minus, quam Apollini, aliisque numinibus, jam in confesso censet. Mihi tamen, salvo aliorum judicio, placet Silvano Augusti. Gruteri vero auctoritate *suscepto* legendum affirmat, quod *susc.* saxo insculptum fuerit; etsi aliter, artificis id mendum esse; itemque *ex visu*, sive *ex viso*, non *ex visione*, gemina edoctus Inscriptione, quarum una Romæ in Aventino:

SILVANO. SALVTARI
L. MANLIVS. SATVRNIVS
EX. VISO. POSVIT

Altera Augustæ Vindelicorum, a Viro Illustri Marco Velsero Urbis Duumviro in lucem producta:

PLVTONI. ET. PROSERPINAE
FLAVIA. VENERIA. BESSA
EX. VISV. AEDEM
D. S. P. V. I. S. L. M.

Addidit Vir doctissimus, Votum hoc Silvano factum fuisse, quod ex Antiquorum superstitione infantes recens editos, imo matrem ipsam incubi more præcipue infestare crederetur.



Docte profecto omnia. At vero, salvo meliore judicio, non desunt quibus magis arridet prior sententia. Nisi enim legamus Augusti, minus constabit cui votum id dicatum, vel a quo profectum. Scio equidem cæteris Diis cognomen *Augusti* additum fortassis jure originis, quam Imperator Augustus Æneæ munere sibi ab illis arrogaverat; hoc tamen epitheton discretionis aut proprietatis omnino non asseveraverim, quin potius esse ornatus cum multis commune. Ita enim ad Phœbum Tibullus *lib.* IV.

Sancte veni, tecumque feras quicunque labores,
Quicunque & cantus corpora fessa levant.

Tusculani quoque ad Benacum, quod vulgo Salodium, in Saxo quondam erat:

AVGVSTIS LARIBVS.

Nunquid his Silvanus abjectior non pari dignus titulo? Nec profecto est quod sculptorem erroris A insimulemus. Quanquam enim monumentum a vetustate varie affectum obscure monstret ç quod vulgo caudatum dicimus: utrumque tamen c c bono jure servari potest ac debet, ut est omnino in marmore. Pierius namque Valerianus in vetustioribus quibusdam Virgilii Libris ita scriptum vidit I. *Æn.*

Succepit ignem foliis, atque arida circum
Nutrimenta dedit.

Quam lectionem etiam tuetur Joannes a Meyen in *suis Annotationibus*, & J. Scaliger *Poet.* lib. IV. cap. XVI. Sic igitur optimo sensu legenda vetus Inscriptio:

B *Sacrum Sancto Silvano Augusti Voto suscepto ex visu.*

Voti autem, quod pro Bubus ut valerent Marti Silvano fiebat, integram rationem præcepit Cato *de Re Rustica* cap. LXXXVIII.

Prolixiores nos fecit materiæ difficultas, cui ita satisfactum arbitramur, ut eruditorum diligentiæ adhuc plurimum supersit.

Silvano jam succedit Ruris Custos PRIAPUS, cui proxima fere in vulgo juxta eum fides erat, quemadmodum olim in pago Roncone non procul a Salburo prædio nostro suburbano è veteri Saxo manifestum:

C *Villicus ærari quondam nunc cultor agelli,*
Hæc tibi perspectus templa Priape dico.
Pro quibus officiis, si fas est, sancte paciscor
Assiduus custos ruris ut esse velis.
Improbus ut si quis nostrum violabit agellum,
Hunc tu, sed tento; scis, puto, quod sequitur.

Superest, cætera Agrestium munera prosequamur, quæ strictim recenset Tibullus *lib.* I.

—— seu quis libaverat uvam,
Seu dederat sanctæ spicea serta comæ.
Atque aliquis voti compos liba ipsa ferebat,
Postque comes purum filia parva favum.

D Deo nempe pura placent munera, qualia potissimum sunt infantium. *Neque enim* (inquit Plato in *Alcib.* II.) *ejusdem est Dei natura, ut ducatur muneribus, quemadmodum improbus fœnerator. Etenim grave esset, si Deus ad* DONARIA *& sacrificia nostra respiceret potius, quam ad animum, utrum justus sanctusque sit. Ad quem equidem Deum arbitror multo magis attendere, quam ad multi sumptus pompas atque sacra.* Optime igitur Poeta filiolam inducit purum favum & sine cera offerentem. Adeo verum Poetæ illud *Fast.* II.

E *———— Pietas pro divite grata est*
Munere.

Hinc ante Epidauri Templum scriptum erat, ut notat Porphyrius *de Abstin.* lib. II.

Α'γνὸν χρὴ ναοῖο θυώδεος ἐντὸς ἰόντα
Εμφαμεν.

Inter odorati consistere limina templi
Casta mente decet.

Imo Deum aversari ostentationem, innuere videtur studiosa obscuritas Inscriptionis Templi Delphici, cujus foribus præfigebatur litera EI, sacri Donarii & spectaculi conditione, quemadmodum refert Plutarchus *commentario* in hanc rem peculiariter conscripto, ubi allatis diversorum hac de re F sententiis tandem aperte affirmat, Deum, qui EST, hic significari. Claudius Imperator etiam Donariis modum posuit, quum omnia Opera eorum essent plena, ut autor in *Claudio* Dio Cassius, *Histor. Rom.* lib. LX.

Quid vero *Sanctæ Comæ* nomine intellexerit Tibullus, ostendit vetus Numisma, in quo caput Cereris multiplici spica coronatur. Unde Diodoro Siculo teste, Ægyptii in æstate spicas offerebant Isidi, quam cum Cerere quidam eamdem

fuisse censet. At quoniam, ut vere Poeta lib. IV. *Fastorum*.

Pace Ceres læta est,

erudite Tibullus *lib. I. eleg. X.* versu penultimo:

At nobis Pax alma veni, spicamque teneto.

Atque hinc orta Græcorum Θεσμοφόρια, que Latinis Cerealia: de quibus Virgilius *Georg.* lib. I. versu 338.

In primis venerare Deos, atque annua magnæ
Sacra refer Cereri, lætis operatus in herbis.

Et mox:

Cuncta tibi Cererem pubes agrestis adoret,
Cui tu lacte favos, & miti dilue Baccho.

Rursus *Ecl.* V. vers. 69.

Ut Baccho, Cererique, tibi sic Vota quotannis
Agricolæ facient.

Item Tibullus *lib. I. eleg. I.*

Et quodcunque mihi pomum novus educat annus,
Libatum Agricolæ ponitur ante Deos.
Flava Ceres, tibi sit nostro de rure corona
Spicea, quæ Templi pendeat ante fores.

Hæc enim, ut vere Oppianus lib. II. *de Piscatione* vers. 19.

—— jugique boum, arationisque terræ,
Triticique fertilis fert honorem messis.

Quod autem Ceres ut mater maxima martalium colebatur, suadet sequens Inscriptio in Vico Fleri agri Brixiensis:

CERERI
MATRI. MAXIMAE
FRVGIFERAE
QVINTIVS
GEMELLVS
V. S. L. M.

Hæc enim frumentorum usum reperit. Ovidius in *Fast.*

Prima Ceres homine ad meliora alimenta vocato
Mutavit glandes utiliore cibo.

Præter messem porro Agricolæ etiam Cereri falcem dicabant; item Vomerem, & Lorum subjugium Tauros lignas, nec non stimulum, aliaque rusticationis instrumenta, *Epigram.* lib. dicto, cap. VII. Eidem pariter post messem primitias frugum offerebant, unaque Mulsum, & Lac Convivia insuper celebrabantur inter conjunctos, veluti auctor in *Cerealibus* Theocritus. Eidem etiam Porcam fuisse sacram, ex veteri numo, in quo cusa est Ceres cum porca, ostendit Joseph. Scaliger *ad Tibulli lib. I. eleg.* X. Occasionem patefecisse mihi videtur Hyginus *Fab.* CCVII. cujus hæc verba: *Ceres fruges serere, boves domare, & alumno suo Triptolemo fruges serere, demonstravit: qui cum seruisset, & sus, id est, porcus, quod severat effodisset, suem comprehendit, & duxit ad Aram Cereris, & frugibus super caput ejus positis, eidem Cereri immolavit.* Aliam causam affert Porphyrius *de Abstin.* lib. III. *Suem non alia de causa concessit Deus hominibus, quam ad sacrificium, ideo ejus carni animam tamquam salem miscuit.*

Causam hujus venerationis reddit J. Firmicus *citato opere*: *Tum ipsa dispensatio quod* (Ceres) *attulerat frumenta, tum quod colligendarum frugum tradiderat disciplinam, post mortem ob beneficium quod ex frugum copia nascebatur, & sepulta in eo loco est, pariter & consecrata. Amat enim Græcorum levitas eos, qui sibi aliquid contulerint, vel qui consilio aut virtute juverint, divinis appellare nominibus.* Porcam vero præcidaneam Cereri factam, priusquam messem inciperent coloni, ostendit Cato de *Re Rustica* cap. CXXIV. ubi universam hujus sacri formam recenset.

Cerealia porro dona aris imponi adhuc moris est apud agrestes in extremo Septentrione, qui nostra ætate Christianorum ritu vivunt. Hinc apud Romanos ludi Cereales dicebantur, qui in honorem Cereris a matronis pridie Idus Aprilis per dies octo celebrabantur. Cui etiam Romæ templum ex voto constructum Dionysio teste *lib.* IX. a Posthumio Dictatore: *Cum enim initio belli laboraretur victus inopia, & magnus metus esset, ne in totum deficeret, terra fructus negante, & bello, ne commeatus subveherentur, vetante, libri Sibyllini jussu Dictatoris inspecti sunt a suis custodibus, & monentibus oraculis, placanda esse hæc numina, votum fecit Posthumius, priusquam exercitum educeret, si imperii sui tempore felix proventus daret, qualis antea, templa se illis constructurum, & instituturum singulos annos sacrificia. Exaudierunt Dii, dederuntque magnum proventum frugum, tum arborearum, tum terrestrium, & Posthumius voti damnatus templum eis promissum reddidit.* Castimoniis autem Cereris qui operabantur, luctu carere solitos fuisse, monuit Jos. Scaliger *ad Festum*.

Zephyro etiam Vento ob eventilationem segetum Eudemus in agro Templum erexit.

Pani quoque Stratonicus Arator Fanum. Pani vero Lycæo Arcadiæ Deo Canis immolabatur, vel capra candida. Quam vero ob causam Canis, enarrat Plin. *Nat. Hist.* l. XXVIII. c. IV. *Catulos lactentes adeo puros existimabant ad cibum, ut etiam placandis Numinibus hostiarum vice uterentur his.* Ita Senex Cous lib. *de Int. Affect.* Lienosiis catulinam commendat. Sed ad rem. Alii ferunt votum fuisse Hircum, ex cujus pelle Sacerdotes Luperci flagella conficiebant, ut feminas alioqui steriles in Lupercalibus verberantes fœcundas redderent auctore Plutarcho in *Romulo*. Hinc Ovidius:

Excipe fœcundæ patienter verbera dextræ.
Jam socer optati nomen habebat avi.

Cur autem Veneri Uvam, Ficum, Olivam, ac Libum assignat Poeta *cap.* VII. *epigr.* XVII. causam non video aliam, quam quod ipsa sit fœcunditatis mater.

Agroteræ ab Atheniensibus trecentas capellas in sacrificiis immolatas ex voto Miltiadis, narrat Ælianus *Var. Histor.* lib. II. cap. XXV.

De cæteris Diis, quibus pro lætiori segete Vota nuncupabantur, ita D. Augustinus lib. IV. cap. VIII. *de Civitate Dei*: *Nec saltem potuerunt unam Segetiam talem invenire, cui semel segetes commendarint; sed sata frumenta quamdiu sub terra essent, præpositam voluerunt habere Deam Seiam. Cum vero jam super terram essent & Segetem facerent, Deam Segetiam*; (quam & Plinius *lib.* XIII. *Segestam* appellat) *frumentis vero collectis atque reconditis, ut tuto servarentur, Deam Tutilinam præposuerunt: præfecerunt Proserpinam frumentis germinantibus, geniculis nodisque culmorum, Deum Nodotum; involumentis folliculorum Deam Volutinam: cum folliculi patescunt, ut spica exeat, Deam Patelenam: cum segetes novis aristis æquantur, quia Veteres æquare hostire dixerunt, Deam Hostilinam: florentibus frumentis, Deam Floram: lactescentibus, Deam Lacturciam*; (quam a nonnullis *Lacticinam* scribi notavit *ad hunc locum* Eruditissimus Ludovicus Vives.) *Maturescentibus, Deam Matutam: cum runcantur, id est, a terra auferuntur, Deam Rucinam.*

Quin Villici Patronis tutelæ Votum dicabant, ut patet ex antiqua Inscriptione in erudito Cl. Lau-

rentii Pignorii, heu quondam nostri, *de Servis Commentario*.

Procuratores etiam Jovi pro incolumitate prædii Vota erexisse indicat præsens marmor in agro Brixiensi:

IOVI. O. M.
CONSERVATORI. POS
SESSIONVM. ROSCIOR
VM. PAVCVAELIANI. N. COS
ET. BASSAE. FILIORVMQVE
EORVM. EX. VOTO. L
ROSCIVS. EVBVLVS. NVTRIT
ET. PROCVRAT. CVM. ROSCIO
FIRMO. LIB. PROC. EOR.

At enim cum suos cuique agros integros esse conveniret, ii TERMINIS distinguebantur, qui fasciolis, unguentis, coronis ornabantur. Testis Flaccus Siculus: *Cum terminos disponerent, ipsos quidem Lapides in proximam terram collocabant; proxime ea loca, quibus fossis factis defixuri eos erant, & unguento velaminibusque, & coronis eos coronabant*. Neque tantum lapides ut terminos, sed tæniis & velaminibus Arbores ipsas ornabant Veteres. Stat. II. *Thebaid.*

——————— ac arbore casta
Nectere purpureas niveo discrimine vittas.

Idque additis Lucernis. Quo modo apud Prudentium *contra Symmachum*:

—— fumificas arbor vittata Lucernas
Accipit.

Statua pariter Termino erecta erat, e quadrato lapide, vel stipite dedolato, cincto, & coronato: unde Apulejus lib. I. *Florid. Vel enim colliculus sepimine consecratus, vel truncus dolamine effigiatus, vel cespes libamine humigatus, vel Lapis unguine delibatus*. Erant enim apud *Lapides terminales*, & *Arbores terminales*. Ovid lib. II. *Fastorum*:

Termine, sive lapis, sive es defertus in agro
Stipes, ab antiquis tu quoque numen habes.

Agros præterea lustrabant Antiqui magna religione: quam Cato *de Re Rust.* cap. CXLI. integre prosequitur.

CAP. XXVII.

VINITORVM VOTA.

Vinitor est cellæ vinariæ custos, & Vinearum pariter cultor & custos, Pign. *de Servis Com.* Huic Vindemiator sive Vindemitor, nec non & Putator associantur.

Bacchum depressos ad sordida hominum animos primum e mortalibus ad Deorum cultum erexisse, cecinit Ovid. lib. V. *Fastor.*

Ante tuos ortus Aræ sine bonore jacebant,
Liber, & in gelidis herba reperta focis.

In libatione enim sacrificiorum summa est, cujus Bacchus auctor perhibetur. Huic igitur, quod vinum ostendisset summum naturæ lætitiæque præsidium, Veteres extremum semper in cœna poculum in ipsius honorem delibabant. In primis vero ipsos Dionysii in templo memorat Philostratus in *Vita Apollonii* lib. II. cap. IV. Falces, Cophinos, & Torcularia, cæteraque Vindemiæ instrumenta partim aurea, partim argentea suspendisse. Baccho etiam erectam fuisse columnam hedera cinctam ex Euripide refert Clemens Alexandrinus lib. I. *Stromatum*. Hedera vero iis caput cingebatur, quicumque Libero Patri erant initiandi, ut ostendit Euripides in *Bacchis*. Hinc sacrificantium coronæ, quibus caput vinciebatur ad illius Dei imitationem, Bacchæ dicebantur, teste Nicandro: quæ non minus quam thyrsus sive hedera Baccho ipsi suspendebantur, *Epigram.* cap. V. Addit Porphyrius *de Abstin.* lib. III. Græcos Bacchi Statuæ cornua bovis affixisse. Ad quem morem respexit fortassis Poeta Venusinus, dum sic de Baccho venuste.

—— tunc pauper cornua sumit.

Eidem apud Græcos Satyrum posuit vitium sator, *Epigr.* cap. V. Et quidem vitium præterea totidem primitias, quot erant campi, *ibidem* cap. VII. Dionysios Bassaris Euronome Clavas ponebat, *cap. v. epigr.* III. Echinum Vinitor vinis nocivum Baccho vivum suspendit; Mortuum etiam: Lepori pariter Uvis infesto cerebrum elisit, quem Baccho victimam & munus obtulit. Sues ante privatas fores Ægyptios jugulare solitos in honorem Bacchi memorat in *Euterpe* Herodotus.

Notabile est, Veteres Baccho *Sobria* sacrasse, quæ Græci Νηφάλια, id est, *Sobria*, vocabant. Quibus sacris vinum bibere nefas erat. Scite enim Poeta *Anthologiæ* lib. I. Latinis verbis:

—— junctus Nymphis est Bacchus gratus, at ignem ardentem
Capies, hunc nisi miscueris.

Hæc autem prima & antiquissima apud multos sacrificia fuisse ex Theophrasto prodit Porphyrius *de Abstin.* lib II pag. 156. *quæ nihil aliud erant, quam ex aqua libatio*. Unde Clidemo auctore apud Suidam ei tempore tantum pluvio hostiæ immolabantur.

Votum Baccho factum refert vetus Lapis:

LIBERO. PATRI
SANCTO. SACR
SEX. CAELIVS
PRIMITIVVS. ET
PVBLICIA. ANTVLIA
VOTO. SVSCEPTO
D. D

Aram quoque erectam, patet ex Saxo Castuli in Hispania:

SACRVM
LIBERO. PATRI
C. CRESCENTIVS
EX. VOTO
ARAM. D. F. D. D.

Adde sacra triennalia Baccho facta. Quod tacite innuit Oppianus *de Venatione* lib. I. vers. 55.

οὐκ ἐθέλων τριέτηρα τὰ νῦν ὀριβάκχον ἤχῃ

Rittershusio sonant:

Nolo trieterium te nunc montanum Bacchum.

Censebatur ille montium Deus: quare colebatur potissimum autumni tempore, unde Poeta:

Tertia succedit Bacchi variabilis ætas,
Sentit adesse novos rustica turba Deos.

In Orgiis autem Bacchicis ovum fuisse consecratum legimus apud Plut. *Symp.* lib. II. Quæst. III. *ut exemplum omnia gignentis & in se continentis*. Baccho etiam sacram fuisse oblivionem notat idem *Symp.* lib. I. Quæst. I. quod nihil eorum memoria tenendum, quæ per vinum committuntur. Hinc Martialis lepide admodum *lib. I. epigr.* XXVIII.

Μισῶ μνήμονα συμπότην Πρόκιλλε.

Elegans in hanc rem Lindavi monumentum est, quamquam, ut vere judicavit Gruterus, suspectæ vetustatis:

DIIS. MAXIMIS
BACCHO. ET. SOMNO
HVMANAE. VITAE
SVAVISSIMIS
CONSERVATORIB
SACRVM

Philostratus de Vita Apollonii Tyanei *lib.* II. *cap.* I. narrat se accepisse, in Pamphylia Pantheram fuisse captam aureum torquem circa collum habentem Armeniis literis inscriptum hoc sensu: REX ARSASES DEO NISAEO. Regnabat autem illis temporibus in Armenia Arsaces. Pantheram vero Dionysii Dei habere symbolum tradit idem *Iconum* lib. I. in *Ariadne*: cui intercedit cum hac fera familiaritas, quod animal callidissimum sit, leviter & ut Baccha saliat, monente ibidem in *Tyrrhonis*.

Sacrificia demum ipsi cum tripudiis instituebantur: unde Dionysius Tripudii Deus appellabatur. Idque a mulieribus, quas in expeditione Indica socias ipsi credidit fabulosa vetustas, quæ ab vesanis clamoribus Baccharum cognomen meruere. Atque ut fertilitatis opinio festivitati accederet, ex altissimis arboribus Imagines quædam modo fictiles, modo ligneæ, Baccho similes suspendebantur, quæ a patuitate oris dicebantur Oscilla, ut longissime possent conspicere. De quibus jam nolo plura, quum *cap.* XX. ea pro argumenti ratione exposita fuerint. Observationem hic meretur, quod a paucis notatum ante vindemias lib. XII. cap. XVIII. *de re Rustica* præcipit Columella: *Sacrificia Libero, Liberæque, & Vasis presforiis quam sanctissime facienda.*

CAP. XXVIII.

VOTA NYMPHIS OBLATA.

Nymphas terrestres quorumvis animantium atque inprimis Bacchi nutrices, imo pratorum ac florum præsides censuerunt antiqui. Earum itaque cultus insignis erat, etiam Fontium nomine, ut est in veteri monumento Brixiæ:

FONTIBVS
DIVINIS
SACR.
M. ANTONIVS
SP. F. SILPHON
V. S. L. M

Utrosque junctim veneratus est Senex, cujus hi versus Uticæ legebantur:

SEX. POMPEIVS ∴ | ∴ COGNOMINE. PANDVS
QVOIVS. ET. HOC. ABAVIS. CONTIGIT. ESSE. SOLVM
AEDICVLAM. HANC. NYMPHIS. POSVIT. QVIA. SAEPIVS. VSVS
HOC. SVM. FONTE. SENEX. TAM. BENE. QVAM. IVVENIS

Et quidem maxima harum ratio apud Agricolas: unde Virgilius *Ecl.* v.

Hæc tibi semper erunt, & cum solemnia VOTA
Reddemus Nymphis, & cum lustrabimus agros.

Eam superstitionem Julius Firmicus *de errore Profanæ religionis* ita perstringit: *Ægypti incolæ aquarum beneficio aquam colunt, aquis supplicant, aquas superstitiosa Votorum continuatione venerantur.* In primis vero ea cum voto ipsis offerebantur dona, quæ ipsarum munere in hominum usus veniunt, Flores nempe varii purpureæque rosæ, ut omnia

A copiose rigarent, veluti est apud Leonidem *Epigram.* cap. VII. Muneris insuper loco mel erat, quod e floribus ortum, qui ipsis sunt in delitiis, ipsarum genio dignum. Unde & dulcissimæ appellatæ fuerunt, quemadmodum in Tabula marmorea ad radicem Capitolii:

NYMPHIS. LYMPHISQ. AVG
DVLCISSIMIS
OB REDITVM. AQVARVM
PLACIDE. PROSILIENTIVM

B Sacris ad hæc ipsarum, præter Capram, Lac, & Oleum, imo Vinum adhibebatur. Nec minus Statuæ, Aræ, Sacella, iis veluti humoribus dicata; ut non modo incendia, sed mala quæque averterent. Hinc Saxum Albæ in Palatio vet. Cancell.

PRO. SALVTE. DOMINI
NOSTRI. SANCTISSIMI
ANTONINI. PII. NYMPHIS
NOVIS. SACRVM. RVFFINVS
LEG. XIII. &c.

Et Saxopoli in Templo:

C
NYMPHIS. SALVTIFE
RIS. SACRVM
M. LVCILIVS. LVCILI
ANVS. AVG. COS. PRO
SALVTE. SVA. ET
L. ANTISTI...
SIMI. AVG. CON
V. S. M

Statuam & Fanum iis posita planum est ex Inscriptione ad Balnea Avinionis in agro Senensi:

D
NYMPHIS. SACR
L. TREBONIVS. PATERN
LIB. FORTVNATVS
VOTO. POSVIT
SIGNVM. CVM. BASI. M
ET. AEDEM. F. CVR

Aram quoque sacratam liquet ex veteri Epigrammate Romæ invento:

VNDIS. CYANEIS. DONVM. PLACAVILE. FECIT
CONTVCIVS. BLANDAS. PER. AQVAS. ARAM. VENERANDAM

E ubi *Placavile* pro *placabile*, permutatione B & V antiquis recepta. Sacellum itidem, inter alia satis comprobat pridem allata Senis dedicatio.

Cæterum, quia singularis aquarum tam in adversa quam secunda valetudine est necessitas: Inde Gruteri opera Veterum monumentis accepimus, non modo Magistratum, sed Medicos, & Aquarios, hoc est, aquarum custodes, forsan & qui aquæ gerendæ ministerium præstabant, Nymphis vota peregisse: Sed & Nymphas olim Sanctissimas Dulcissimasque vocatas Fontesque divinitatis titulo ornatos.

F Coronidis loco sit verus aquarum usus, quem prudentiæ plenum brevis exhibet titulus:

NYMPHIS. LOCI
BIBE. LAVA
TACE

Silentium vero præcepit Nympharum studio, quod & ipsa Nympha eleganti desiderat Epigrammate:

A HVIVS. NYMPHA. LOCI. SACRI. CVSTODIA. FONTIS
DORMIO. DVM. BLANDAE. SENTIO. MVRMVR. AQVAE
PARCE. MEVM. QVISQVIS. TANGIS. CAVA. MARMORA. SOMNVM
RVMPERE. SIVE. BIBAS. SIVE. LAVERE. TACE

Censores autem acta sua tabulis descripta publicis in æde Nympharum servasse innuit Cicero de Clodio sic verba faciens: *Qui Nympharum ædem incendit, ut memoriam publicam recensionis* B *tabulis publicis impressam extingueret*. At quid eæ Nymphis creditæ? nisi quod censura puræ mentis integritatem iis peculiarem exigat.

CAP. XXIX.

HORTOS COLENTIUM VOTA.

Quum nihil ad Hortorum ubertatem æque conferat ut aquarum undæ ac Fontes; præter Vota Nymphis facta, Veneri quoque veluti eorum tutelæ, si Veteribus fides, & florum C ac delitiarum matri, ut scite Plautus, frequentia offerebantur munera. Documento est Inscriptio in pariete hortorum Sallustianorum, ubi vestigia Templi Veneris augusta etiam tempore Smetii exstabant.

M. AVRELIVS. PACORVS
M. COCCEIVS. STATOCLES
AEDITVI. VENERIS. HORTORVM
SALLVSTIANORVM. BASEM. CVM
PAVIMENTO. MARMORATO
DEANAE
D. D. D. D

Hinc venuste, ut omnia, Musarum delitiæ Politianus *Eleg. de Violis*:

Formosæ o violæ, Veneris munuscula nostra,
Dulce quibus tanti pignus amoris inest.

Floribus pariter tres alios præficiebat Veterum vanitas, Forculum, Cardeam, & Limentinum, referente D. Augustino lib. IV. *de Civit. Dei* cap. VIII. Quin ipsa nominis ratio in argumentum est, Stirpes olim Numinibus dicatas. Parthenium quip-E pe Minervæ, quæ παρθένιος, id est, *Virgo* dicta, sacratum tradit Dioscorides *lib.* III. *cap.* CLVI. Minervæ autem cognomen debet Parietaria, quia monstrata somnio a Minerva. Ejus quippe munere Vernula Pericli Atheniensium Principi charus dicitur sanatus, cum e templi fastigio cecidisset, ut refert Plinius *Nat. Hist.* lib. XXII. cap. XVII. Nec plebeiis duntaxat animis ea insedit cura, sed & Viros maximos ac numinis loco habitos ad se traxit, qui florum loco gratos longe petitos odores suæque majestatis monumenta Diis sacrarunt. Plinii verba sunt *lib.* XII. *cap.* XIX. *Coronas ex cinnamo interrasili auro inclusas primus om-* F *nium in templis Capitolii atque Pacis dicavit Imperator Vespasianus Augustus*.

Priapo sua item Olitores organa; fructus simul Pani offerebant ex *Epigrammatum* lib. VII. cap. XIV. Priapus enim Hortorum custos vigil colebatur: unde vetus marmor perelegans:

HORTORVM. CVSTODI. VIGILI
CONSERVATORI. PROPAGINIS
VILLICORVM
DVM. TVA. POMIFERVM. CVSTODIA. PROTEGET. HORTVM
TERROR. ET. INFESTIS. FVRIBVS. INGVEN. ERIT
LAMPSACIOS. MELIOR. NON. IMBVET. HOSTIA. CVLTROS
QVAM. VENIET. NOSTRA. VICTIMA. CAESA. MANV

Versus me hercle sapidissimi. Quid enim significantius, quam cultros splendentes ac bene detersos dixisse Lampsacios? Lampsaci sane urbis nomen doctiores Grammatici non male, nec longe nimis petita notatione, duxerunt a λαμπαίω, quod nobis est *Splendeo*. Hujus Sacra VII. Cal. Augusti celebrabantur. Ad quæ alludit Prudentius *contra Symmachum*:

Hic deus e patrio prænobilis Hellesponto
Venit ad usque Italos, sacris cum turpibus hortos
Sinum lactis, & hæc VOTORVM *liba quotannis*
Accipit, & ruris servat vineta Sabini,
Turpiter adfixo pudeat quem visere ramo.

Item Floram quum Floribus præesset, Votis placabant. Hinc Florealia Festa, & Ludi Floreales impudico ritu persoluti, in quibus omnia semina spargebantur, ut Tellus veluti muneribus placaretur, sicuti *ad Persium Satyra* V. meminit Cornutus; & Ovid. *Fastor.* lib. V.

Convenere Patres: &, si bene floreat annus,
Numinibus nostris annua festa vovent.
Annuimus VOTIS, *Consul cum Consule ludos*
Posthumio Lænas persoluere mihi.

Nec tacenda hic dona, quamquam vilia, quibus Vota Vertumno facta ornabantur, de quibus Propert. *lib.* IV. *eleg.* II.

Insitor hic solvit pomosa Vota corona,
Cum pyrus inviso stipite mala tulit.

CAP. XXX.

PASTORUM VOTA.

Pales Dea Pastorum suos invenit cultores, qui pro incolumitate pecorum ei vovebant, unde etiam Festa Palilia apud Romanos invenio. Sic Caligula, Suetonio teste *cap.* XVI. *Decretatum fuit, ut dies quo cepisset Imperium, Palilia vocaretur, velut argumentum rursus conditæ Urbis*.

De Pastoribus in Melibœo Virgilius:

Hic arguta sacra pendebat fistula pinu.

Apud Tibullum pariter *lib.* II. *eleg.* V. fistula Pani Deo sacrata:

Pendebatque vagi pastoris in arbore VOTVM
Garrula silvestri fistula sacra Deo.

Nemesianus *ecl.* I. expressius:

Jam mea ruricolæ dependet Fistula Fauno.

Eidem ex armentis hœdum obtulit Biton *Epigram.* libri citati cap. VII.

Pastoritios Aphros inter Vota, & primitiarum loco, aurem pecudis præcidere, illamque cervice adversa supra domum abjicere: pro noctibus vero serta, unguenta, & coronas Veneri aut Cupidini dona fere tradit Herodotus *lib.* IV. Nec dubito, quin armentorum simulacra Diis suis obtulerit rudis simplicitas. Hujusmodi namque sunt omnino fictilia boum ac vervecum capita in Museo Viri eximii Jo. Baptistæ Casalis: quæ anathemata fuisse ansa mihi fidem facit iis apposita, qua commodius parietibus jungi poterant.

CAP. XXXI.

VENATORUM VOTA.

INTER varia ruris oblectamenta Venatio facile primas tenet Viro dignior, quam piscatus, aut aucupium. Præterquam enim, quod firma recte valetudini præsidia ministrat, artus laboris tolerantia, militiæ aptos reddit.

—— belloque animos incendit agrestes.

ut eleganter Poeta *Aen.* VII.

Imo Principum ac Heroum etiam genium ad magna invitat. Quid enim aliud significat Virgilianum illud:

—————————— pulcher
Insidiis cursuque feras agitabat Iulus.

Et post:

Ipse etiam eximiæ laudis succensus amore
Ascanius, curvo direxit spicula cornu.

Summa igitur cum ratione Amphitheatrum Venationis causa olim ædificatum fuit. Quod κυνηγετικὸν θέατρον appellavit. Dion.

Mythici exercitationis hujus originem in Nympham referunt, quæ venationi dedita cum in retia incidisset, si vim fere ipsam acriter insectantis evaderet, Dianæ Sacellum promisit. Quod voti rea ipsi postea extruxit, ut videre est apud Plut. lib. III. *Symp.* cap. postremo, & lib. *de Solertia Animalium*. Hinc Latinus Rex apud Maronem *Æn.* IX.

Tu Dea, tu præsens nostro succurre labori,
Astrorum decus, & nemorum Latonia custos.
Si qua tuis unquam pro me pater Hyrtacus aris
Dona tulit, si qua ipse meis venatibus auxi,
Suspendive tholo, aut sacra ad fastigia fixi.
Hunc sine me turbare globum, & rege tela per auras.

Expressius *lib.* II. *eleg.* XIX. Propertius:

Ipse ego venabor: jam nunc me sacra Dianæ
Suscipere, & Veneri ponere vota juvat.

Id est, *figere dona*. Sive, ut expressius in hunc locum eruditissimus Jo. Passeratius, vovere Capita aprorum, vel cervorum cornua.

Quænam hæc fuerint, exponit Leonides Alexandrinus libri *Epigram.* aliquoties laudati, cap. XIII. Pharetra nempe, Arcus, & Sagittæ. Credo etiam Retia, & Venabula. Quo alludens Claudianus IV. *Honor. Consul.*

—————— Tibi sæpe Dianæ
Mænalios arcus venatricesque pharetras
Suspendit puerile decus.

Hinc in veteri Inscriptione Jo. Marianus recte legendum censet TOXOTI: quod cognomen ab arcu & sagittis Dianæ frequens est: TOGOTI L. VIBIVS PRISCVS EX VOTO.

Verum & prædæ pars oblata. Huc facit Poetæ illud *Ecl.* VII. vers. 29.

Setosi caput hoc apri tibi, Delia, parvus,
Et ramosa Mycon vivacis cornua cervi.

Atque in primis Cornua. Unde Livius *lib.* I. *Bos in Sabinis nata cuidam patrifamiliæ dicitur miranda magnitudine ac specie (fixa per multas ætates cornua in vestibulo templi Dianæ monumento ei fuere miraculo) habita, ut erat res prodigii loco est.* Symmachus itidem *lib.* V. *epist.* LXVI. *Honori Numinum datur cornua sacrare cervorum, & aprinos dentes liminibus affigere.* Addit Interpres Aristophanis: *Consuetudo fuit venatoribus, partem prædæ, vel caput, vel pedem, affigere clavo in quadam arbore, in honorem Dianæ.* Religiose Agathocles Syracusanorum Tyrannus Dianæ consecravit cervum in venatione a se stratum, cujus monili inscriptum erat: Διομήδης Ἀρτέμιδι.

A Occasionem hujus ritus ex Scholiaste Pindari suis *in Anthologiam Notis* hanc tradidit Brodæus: *Creditum ab antiquis Dianam Idibus Augusti venatu abstinere, ideoque nec venari tunc, cessante Dea, licuisse, sed coronari consuetos canes facesque accendi spicatas, juxtaque suspendi quicquid erat venatoriorum instrumentorum.*

Dianæ vero sacra candidæ Cervæ immolatione peragebantur. Quamobrem de Iphigenia scite Ovidius.

Candida, quæ semel est pro Virgine cæsa Dianæ,
B *Nunc quoque pro nulla virgine cerva cadet.*

Huic quæ substituebatur Ovis Cervaria dicitur apud Festum. Sed & Dianæ ovum nuncupavit Simmia Rhodius: forsan quod ea cuncta gignat.

CAP. XXXII.

AURIGARUM VOTA.

NOn minima aurigantium gloria in Equis erat. Inde Hipponam Equorum providam Stabularii colebant, cujus simulacrum lo-
C cabatur in stabulis: unde Juvenalis *Satyra* VIII. vers. 152.

————————— jurat
Hipponam & facies olida ad præsepia pictas.

Ubi Adrianus Turnebus *Advers.* lib. XXIV. cap. IV. *Eponam* rescribit, contendens nec *Hippo*, nec *Hipponam* legi posse, sed in pulverulentis Bibliothecarum Juvenalibus *Eponam* reperiri. Qualiter Prudentius in *Apotheosi*.

Nemo Cloacinæ, aut Eponæ supra astra Deabus.

Et Plutarchus in *Parallelis* Ἐπόνων usurpavit. Quæ
D profecto conjectura omnino probabilis, cum geminam pro hac sententia videam Inscriptionem. Quid enim hisce clarius?

DEAE. EPONAE. M. OPILIVS. RESTIO &c.
V. S. L. M

Et:

CAMPES. ET. EPONAE
&c.
V. S. L. L. M

Sic igitur restituendus plane florentissimi Tertul-
E liani in *Apolog.* cap. XVI. locus, ubi hunc superstitionis ritum fanaticis istis merito exprobrat. *Vos tamen non negabitis & jumenta omnia, & cunctos canterios cum sua Epona coli a vobis.* Equona sane a Cl. Barthio *Advers.* l. XXXVII. cap. I. ingeniose reposita originatione Latina mihi non displicet, si aliquod ejus apud Veteres mihi vestigium occurreret.

Hanc coronis roseis ornatam Apulejus fingit lib. III. *de Asino aureo*: *Respicio pilæ mediæ, quæ stabuli trabes sustinebat, in ipso fere meditullio Hipponæ Deæ simulacrum præsidens ædiculæ, quod accurate corollis roseis recentibus fuerat ornatum.*

AURIGÆ autem non solum huic Deæ Vota sol-
F vebant, sed Neptuno etiam Equorum ornamenta, ceteraque quæ actoribus in ludis usui, dicabant. *Variorum Epigr.* lib. VI. cap. II. epigr. I. Ubi Neptunus auctore Lactantio *l.* VI. *cap.* XX. Circi præses erat, ut Deus Equestris Ἵππιος Græcis nominatus ab Equis, teste Porphyrio *de Abstin.* lib. III. Nominis rationem reddit Festus: *Vel quod Pegasus ex eo & Pegaside natus sit: vel quod equuleus, ut putant, loco ejus suppositus Saturno fuerit, quem*

pro Neptuno devoraret: vel quod tridentis ictu terra equum excierit: cui ob hoc in Illyrico quaternos equos jaciebant nono quoque anno in mare.

Atque eo in loco Mercurii Statuam ad Carceres positam fuisse innuit ibidem *epigram.* II. Ita apud Pindarum *Isthm.* Od. II. recte fingitur Neptunus Xenocrati Isthmiam victoriam præbuisse. Hinc facile intelligitur Hippocratis *de morbo sacro* locus: *Si auctiorem & vegetiorem vocem edat æger, equo similem esse dicunt, & ad Neptunum causam referunt.*

Ludi vero Circenses fiebant in honorem Neptuni, quem Censum appellant, quibus agitabatur Troja; Ludus scilicet Equestris adolescentiæ, cujus meminit in *Augusto* Suetonius: de quo intelligendum esse Libelli de Theriaca *ad Pisonem* Galeno ascripti auctorem non obscuris argumentis erudite conjicit Gaspar Hofmannus *Varriarum Lectionum* lib. VI. cap. V.

Sed & Venus ἔφιππος, hoc est, *Equestris* Æneæ jussu dicta fuit, cum ipse post longa navigationis tædia littori redditus tandem equum conscendens matrem Venerem tali effigie coluerit.

CAP. XXXIII.

PISCATORUM VOTA.

Veterum opinione Pisces in Deorum numerum relatos fuisse tradit Xenophon de Chalo fluvio verba faciens: *Erat is mansuetis piscibus refertus, quos Syri pro Diis habebant. Neque lædi eos patiebantur, sicuti ne columbas quidem.* Quem secutus Cicero *de Natura Deorum* lib. III *Piscem* (inquit) *Syri venerantur.* Noluerunt enim ut canit Ovidius II. *Fastorum:*

——— genus hoc imponere mensis,
Nec violent timidi piscibus ora Syri.

Verebatur scilicet natio hæc superstitiosa, ne, si hisce animalibus vescerentur, aliquod sibi membrum a vindicta Deæ Veneris intumesceret, aut ulceribus scateret, neve jecur tabesceret. Venerem autem, dum Typhonem fugit, in piscem conversam, indicat Manilius *Astronom* lib. IV.

Scilicet in Piscem sese Cytherea novavit,
Quum Babyloniacas summersa profundit in undas
Anguipedem alatis humeris Typhona furentem,
Insruitque suos squamosis piscibus ignes.

Ægyptios etiam piscibus abstinuisse, reliquit Lucianus; quod forsan Oxyrinchum & Crocodilum pisces numinum loco haberent. Ita de Lydis per allusionem apud Varronem *de Re Rust* lib. II cap XVII. Accius: *Loculatas habent piscinas, ubi dispares disclusos habeant pisces, quos proinde ut sacri sint, ac sanctiores quam illi in Lydia, quos sacrificanti tibi Varro ad tibicinem Græcum gregatim venisse dicebas ad extremum littus atque aram, quod eos capere auderet nemo.* Martialis etiam de Piscina Domitiani *lib.* IV. *epigr.* XXX.

Sacris piscibus hæ natantur undæ.

Quod igitur piscatu vivebat, apud Romanos non utique vile erat hominum genus. Etenim monente Festo, *Piscatorii Ludi quotannis mense Junio trans Tiberim fieri solebant a Prætore Urbano pro Piscatoribus Tiberinis, quorum quæstus non in macellum pervenit, sed fere in arcam Vulcani, quod id genus pisciculorum vivorum datum ei Deo pro animis humanis.* Quinimo sua etiam Utensilia, quæ *de Anim.* lib. XII. cap. XLIII. Ælianus persequitur eleganter. Piscatores *Artis Regi* vovebant cap. III. *epigram.* I. hoc est, Neptuno Nympharum & Fluviorum Patrono, quem Lubino interprete Architalassum vocat Philippus *epigram.* X. Mercurio itidem *epigram.* II. & III. Priapo vero Pisces suspendebant, *epig.* XII. quemadmodum & Pani Deo Cancrum Copalus, piscationis primitias, *epigr.* XIV. Neptuno autem Thynnorum piscatores præcipue Votum fecisse notat Claud. Ælian. lib. XV. cap. VI. *De Animalibus.*

Taceo præter insigne emolumentum hujus exercitii jucunditatem, quo delectati olim hodieque Viri Principes. Suetonius de Nerone notat, quod piscatus est rete aurato, purpura coccoque funibus nexis. Ingentem rei accessionem manifestat memoria sane dignissima vetus Inscriptio posita Piscatorum Patrono, quam procul dubio ille ipsorum Collegio debuit:

TI. CLAVDIO. ESQVIL. SEVERO
DECVRIALI. LICTORI. PATRONO
CORPORIS. PISCATORVM. ET
VRINATOR. QQ. III. EIVSDEM. CORPORIS
OB. MERITA. EIVS
QVOD. HIC. PRIMVS. STATVAS. DVAS. VNAM
ANTONINI. AVG. DOMINI. N. ALIAM. IVL
AVGVSTAE. DOMINAE. NOSTR. S. P. P
VNA CVM. CLAVDIO. PONTIANO. FILIO
SVO. EQ. ROM. ET. HOC. AMPLIVS. EIDEM
CORPORI. DONAVERIT. H-S. X̄. MILIA. N̄
VT. EX. VSVRIS. EORVM. QVODANNIS
NATALIS. SVO. XVII. KAL. FEBR
SPORTVLAE. VIRITIM. DIVIDANTVR
PRAESERTIM. CVM. NAVIGATIO. SCA
PHARVM. DILIGENTIA. EIVS. ADQVISITA
ET. CONFIRMATA. SIT. EX. DECRETO
ORDINIS. CORPORIS. PISCATORVM
ET. VRINATORVM. TOTIVS. ALV. TIBER
QVIBVS. EX. SC. COIRE. LICET. S. P. P

CAP. XXXIV.

ARTIFICUM DONARIA.

Diversa Artificum Collegia suos habuisse Deos tutelares, quibus suum quæque cultum præstabant, nullum est dubium. Fuisse tamen inter eos video, qui sui muneris memores exacto opere instrumenta, quibus usi fuissent feliciter, Deo cuipiam privatim dicabant. Ut e multis paucos recenseam, quorum jam mihi subvenit memoria. Textores, Radium, cæteraque ad Lanificium necessaria Minervæ sacrarunt *cap.* VIII. *Epigram.* Eidemque Minervæ artificiorum præsidi Epeum Heroa consecrantem Securim, qua ipse tum Faber lignarius Equum Durium dœdale fabricavit Trojanis exitialem, tum etiam Miles hostilis Urbis turritos muros ac vertices disturbavit, Simmia Rhodius suo *Poematio* inter Donaria celebrat. Qua de re in sui *ad Securim Epei commentarii* cap. XI. erudite admodum & diligenter primus nostri ævi Philosophus Fortunius Licetus. Ita Hippocrates Cous, qui a medendi peritia divinos honores meruit, membris fractis morisque feliciter restitutis, Pausania teste in *Phocaicis*, Apollini Delphico sceleton æneum gratitudinis monumentum dicavit.

CAP. XXXV.

VOTA PRO ÆGROTANTIUM SALUTE.

Inter cætera eorum frequentissima occurrunt Vota, qui morbis diversis corporisque vitiis affligebantur. Hi enim non secus ac naufragi ægritudinum imbribus varie jactati opem implorabant, receptaque valetudine non modo grati animi indicio Vota solvebant, verum qua etiam ratione id contigerat, tabulis significabant appen-

sis

fis Templorum parietibus. Tibullus *l.* I. *eleg.* III.

——— Jam posse mederi
Picta docet templis multa tabella tuis.

Etenim fidis Veterum monumentis accepimus, ægros in Æsculapii Fano non tantum in Divi Sospitatoris honorem, sed in Asclepiadarum quoque gratiam sua nomina parietibus affixisse, insculpsisse etiam columnis juxtaque addidisse mali speciem, etiam secretioris, qualis ridicula Voti solutio apud Auct. *Priap.* nec siluisse, quibus profecerant, auxilia: atque inde natum esse mirandum Hippocratis Coi Opus, quod ei consentiente tot sæculorum decreto divini cognomen peperit. Nimirum, quæ ille veluti oracula inde prodidit, summaque ratione in præcepta digessit, experientia posteris longo usu confirmavit. Adeo religio in magisterium transiit, sive quo parum firma sunt mortalibus valetudinis præsidia, aut jucunda, cum

non vivere, sed valere vita.

Argumento est Theriaca magni Regis Antiochi usu adversus omnia venena celebris, quam incisam lapide versibus in limine Ædis Æsculapii prodit Plinius *Nat. Hist. l.* XX. c. XXIV.

Conjecturam hanc Eruditorum confirmavit elegantissima Maphæorum Tabula marmorea, quam insignis Polyhistor Medicus Hieronymus Mercurialis *Gymnasticorum l.* I. c. I. reliquit, quatuor Inscriptionibus notabilem: Quarum prima Curationem meo judicio continet Homericam; Secunda & tertia Rationi & Experientiæ congruentem; Postrema verius Empiricam, quas supra cap. VII. dedimus.

Ægroti quippe ut olim apud Ægyptios & Babylonicos, referente Strabone *l.* III. & XVI. in publicis viis disponebantur, sic apud Romanos non modo in publicas porticus deferebantur, teste Suetonio in *Tiberio* c. XI. Cujus consuetudinis rationem Plutarchus, in Libello, *An recte dictum, latenter esse vivendum*, hanc optime reddidit: *Prisci ægrotos suos in publico ponebant, ut prætereuntium quivis, si quid vel ipse eodem mordo conflictatus, vel similiter laboranti opitulatus medelæ nosset, id ægrotanti significaret: ajuntque artem hoc modo experientia adjuvante crevisse.* Sed & in Templo Æsculapii ac Isidis dormiebant, ut vel ab oraculo curarentur, aut per insomnia acciperent monita de morborum curatione. Hinc in agri Bellunensis Vico Sebatione saxum:

ASCLEPIO
P. AELIVS. POLLIO
VISV. MONITVS
POSVIT

Et in marmore nuper apud Rhamusios Patavii, nunc Ateste in amœnissimo Illustrissimi Georgii Contareni omnis elegantiæ studiosissimi horto variis Antiquitatum monumentis splendido:

ISIDI
SACRVM
EX. MONIT
EIVS. D. D
L. VALERIVS
MEMOR
VI. VIR. AVG
L. D. P

Ita Galenus magnæ auctoritatis Medicus *de Cur. per sangu. miss.* c. XXIII. *Monitus per quædam insomnia, quorum duo perspicue mihi visa sunt, accessit ad dextræ manus arteriam.* Et reliqua. Mox:

A *Minister Dei Pergami diutino lateris cruciatu laborans liberatus est arteria in summa manu incisa, aggressus & ipse illud insomnii monitu.* Memorabilem hanc in rem Historiam reliquit Plinius *l.* XXV. c. II. *Insanabilis ad hosce annos fuit rabidi canis morsus, pavorem aquæ, potusque omnis adferens odium. Nuper cujusdam militantis in Prætorio mater vidit in quiete, ut radicem silvestris rosæ, quam cynorhodon vocant, blanditam sibi adspectu pridie in fruteto mitteret filio suo bibendam. In Lusitania res gerebatur, Hispaniæ proxima parte: casuque accidit, ut milite a morsu canis incipiente aquas expavescere,* B *superveniret epistola orantis, ut pareret religioni. Servatusque est ex insperato, & postea quisquis auxilium simile tentavit.*

In templo Æsculapii petebant immitti somnia, qua de re Apollonium etiam suum præcepisse scribit Philostratus, & qui Lacedæmoniis præerant, ut inquit Cicero, in Phasiphaæ fano, quod est in agro prope urbem, somniandi causa recumbebant. Jo. Franc. Picus Mirandulanus *l. de rerum Prænotione l.* IV. p. 499.

Eo accedit Plautus in *Curculione* Act. I. Scen. I.

Ideo fit, quia hic leno ægrotus incubat
In Æsculapii fano.

C Item Act. II. Sc. I.

Migrare certum est jam nunc e fano foras.

Plutarchus in *Lucullo*: *Troadem devectus cum Veneris in templo contubernaret, dormienti ferunt nocte Deam in somnis visam dixisse*, &c. Hinc scite Petronius: *Ipsa quidem illa nocte vexata tam periculoso inhorrui frigore, ut tertianæ etiam impetum timerem. Et ideo medicinam somno petii, jussaque sum vos perquirere.*

Laborantes quippe variis in Templis detinebantur, ut videre est apud Strabonem *l.* VIII. Medicos vero in Æde Pacis tantum disputasse remotis ægris, non sine ratione adversus Gyraldum *l.* I. *De Diis* D *Gentium* contendit Erudititissimus Mercurialis *l.* I. cap. XIII.

Æsculapio quippe insigne erat extra Urbem in Insula Tiberina templum a Romanis dedicatum, ut auctor est Livius noster *l.* X. dum ex Epidauro pestis levandæ causa ille summa cum veneratione eo translatus esset. Addit Suetonius in *Claudio* c. XXV *Ægra & affecta mancipia in insulam Æsculapii tædio medendi imposita.* Cur autem in Insula Templum ei dicatum, exponit Festus Pompejus *l.* IX. *In Insula Æsculapio facta ædes fuit, quod ægroti a medicis aqua maxime sustententur.* Extra pomœria volunt alii, ad majorem aeris salubritatem. Huic E Deo Socrates infirmus si convalesceret Gallum vovit, ut est apud Platonem in *Phædone.* Festus vero affirmat Gallinas Æsculapio fuisse immolatas. Causam tetigit fortassis Plutarchus *de Pythiæ Oraculis*, ubi ait: *Gallus nuper manu Æsculapii pictus matutinum tempus significat, & Solis ortum appetentem.* Hunc Urbis Messanæ tutelarem fuisse ostendit Georgius Gualther. in *Expositione Inscriptionis* ibidem repertæ, quam sic e Græco traduxit:

AESCVLAPIO
ET. HYGINAE
SERVATORIBVS
VRBIS. TVTELARIBVS

F Hinc lucem accipit in veteri fragmento elegans Romæ titulus,

PONTIFICIS VOTIS ANNVANT DII
ROMAE REIP. ARCANAQ. MORBIS
PRAESIDIA ANNVANT, QVORVM
NVTV ROMANO IMPERIO REGNA
CESSERE.

Huic nihil cedit vetus Inscriptio ad Urbem Regiensem in Provincia, qua Æsculapio Deo ex voto aureum torquem ex gemmis. Enchiridion argenteum, aliaque dona oblata fuisse, constat:

DEO. AESCVLAPIO. VAL. SIMPHORVS
ET. PROTIS. SIGNVM. SOMNI
AEREVM. TORQVEM. AVREVM. EX.
DRACVMCVLIS. †.... P. S. 7....
ENCHIRIDION. ARGENT. P. S.
ANABOLIVM. OB. INSIGNEM
CIRCA. SE. NVMINIS. EIVS. EFFECTVM
V. S. L

Febri vero inter alios effectus uni apud Romanos fabricatam fuisse Aram credibile est, quod nullus hoc ipso morbo vitæ infensior aut frequentior, ut vere nunc DIVÆ, nunc SANCTÆ, nunc MAGNÆ cognomen ei a Veteribus fuerit inditum. Zamosii indicio apud Transilvanos in Saxo est:

FERBI. DIVAE. FEBRI
SANCTAE. FEBRI. MAGNAE
CAMILLA. AMATA. PRO
FILIO. MALE. AFFECTO. P

Hujus quoniam ea vis erat, tribus in locis Romæ colebatur; in Palatio, in Area Marianorum monumentorum, & in summa parte Vici longi, quo remedia deferebantur: quemadmodum diligenter satis ex Val. Maximo observavit Andreas Fulvius *Antiq. Rom l.* I. p 65. & *l.* II. p. 101.

Nobilis hic mihi incidit Luciani historia, seu mavis fabula, quam in *Philopseude* de Statua quadam sic reliquit: *Multi ante pedes ejus oboli jacebant, ac alia quoque numismata nonnulla argentea cera ejus cruri affixa, laminæque ex argento, vota alicujus aut merces restitutæ sanitati eorum quos illa f. bre liberarat*. Plene profecto & curiose omnia, quæ ad superstitionis ritum spectant; quænam ea tamen fuerit, nulla mentio. Febris fuisse haud dixerim, quum solis ea Romanis in honore esset: quin potius Æsculapii, aut Hygiæ, cujus venerationem a Græcis institutam in confesso est.

Etsi vero, ut supra monuimus, a morbo superstites in templo Æsculapii genus morbi pictum suspenderent, & qui naufragium evaserant, casum pictum in Templo Neptuni figerent, ut ad hunc locum notavit Britannicus; de recepto tamen more *ex Ægyptia superstitione in templo quoque Isidis, cujus sacra præcipua veneratione in Urbe colebantur, Tabellas ponebant, tamquam quæ mari periclitantibus opitularentur*. Et mox: *Quare non immerito Ægyptus navigium Isidis colit. Quin Europa in Tauro rapta fertur, id est, in navi Tauri figuram habente, auctore Fulgentio*. Festus etiam; *navis Jovis tutela effigiem Tauri habuit*.

His addas licet, in Isidis templo, quod cum Serapide commune habebat, locatas quoque Tabellas ægrotantium, sed potissimum honori Serapidis, ut qui Medicinæ Deus, imo institor. Is enim revera primus pretio medicinæ artem exercuit, quæ primitus gratuita erat. M. Varro in *Eumenidibus*: *Ego Medicina Serapi utor*. Sic quidem legitur apud Nonium Marcellum c. VIII. *n.* 104. At doctissimus Turnebus *l.* III. c. VIII. *Adversf.* legit. *Ego Medicina a Serapi utor*. Idem M. Varro. *Hospes quid miras numo curaret Serapini? Quid? quasi non curet tantidem Aristoteles?* Huc quoque spectat, illud M. Tullii *l.* II. *de Divinatione*: *Quid convenit ægros a conjectore somniorum potius quam a Medico petere medicinam. An Æsculapius, an Serapis potest præscribere per somnium curationem valetudinis?* Eosdem certe Isidi cum Serapide habitos fuisse honores suadet vetus monumentum Albæ Juliæ in Transilvania erutum, cujus inscriptionem ad me Roma misit nobilissimus Vir Jo. Baptista Doni:

ISIDI. ET. SERAP.
SACRVM
EX. VOTO
PRO. FILIOLI. SALVTE
SVSCEPTA
SAVRANA. FECIT

Imo cognomen *Magni* meruisse indicat vetus fragmentum:

PRO. SALVTE. IMP. CAES
M. AVR. ANTONINI. AVG
PII. FEL. P. P
VOTO. SVSCEPTO
DEI. MAGNI. SERAPIDIS
TEMPLVM. COLVMNIS
. . . .
ORNARI
&c.

At quoniam nihil ad valetudinem magis confert quam animi hilaritas, hujus præses non inepte dicebatur Serapis: qua nominis appellatione Ægyptii hilaritatem significabant. Quæ enim Latinis erant *hilaria*, Ægyptii vocabant *Sairen*.

Quis tamen Serapis fuerit ab eruditis dubitatum non miror, cum varia ejus perhibeatur origo. Alii nempe, Suida teste, Jovem putabant, alii ut Archemachus Eubœensis & Heraclides Ponticus apud Plutarchum *l. de Iside & Osiride*, Plutonem, seu Proserpinam, alii Josippum, alii Nilum, alii Apin Regem Memphios, cui Alexander templum erexisse fertur. Mihi si quid in hac varietate divinandum fuerit, magis arridet Julii Firmici sententia, ut vero similior: quam propterea integram hic inserere libuit. *Joseph est Jacobi filius, qui ob pudicitiam in carcerem missus, ereptus post interpretationem somnii, fuit particeps regni: nam septem annorum collectis & servatis frugibus, alterius septenii egestatem divinæ manus providentia mitigavit. Huic post mortem, Ægyptii, patrio gentis suæ instituto, templa fecerunt, & ut justam dispensationis gratiam posteritas disceret, quomodo esurientibus & ementibus frumenta diviserat, cupitis super positus est. Nomen etiam, ut sanctius coleretur, ex primo auctore generis accepit. Nam quia Saræ pronepos fuerat, ex quo nonagenario Abraham indulgentia Dei susceperat filium, Serapis dictus est, Græco sermone, hoc est, ξαρὰς ἀπό. Sed hoc invito Joseph accidit, imo mortuo. Neque enim ad hoc facinus religiosus animus & Deo summo dicatus adduci potuisset, ut erroris illecebras ex nomine suo superstitiosis hominibus ipse præberet, præsertim cum sciret hæc esse in Dei sacrosanctis leg bus, ne quis hominum tale aliquid aut veneraretur, aut coleret*.

Unum hoc auctarii loco omnino adjiciendum censeo, valetudini restitutos non solum per morbum Vota sponte peregisse, sed etiam post recuperatas vires aliorum monitis munera Diis obtulisse. Quod ut credam, suadet egregius Hippocratis locus *lib. de iis quæ ad Virgines spectant*: qui Fœsio interprete sic habet: *Redeunte ad mentem homine, mulieres cum alia multa, tum vero etiam pretiosissimas vestes muliebres Dianæ consecrant, a Vatibus id jubentibus deceptæ*. En liberum optimi senis candorem, qui fucum ægris factum silere nefas duxit, ubi major erat medicinæ, quam opinionis necessitas. Quid vero Vatum nomine voluerit

Hippocrates, optime in ejusdem de *Victu in acutis* Librum notavit Galenus, ubi Augures fuisse ostendit. De quibus ad Hippocratis mentem egregie Columella *Rei Rust. l.* I. c. XII. *Aruspices vana superstitione rudes animos ad impensas compellunt*. At vero divine Hippocrates *l. de morbo sacro: qui incantationibus utuntur, meo judicio sceleratissimum, & maxime impium divinum numen faciunt*.

Quæ vero hæc fuerint dona, paucis circumspiciendum. Theodoretus *octava Therapeutica* narrat veterum Christianorum morem fuisse, qui convaluerant, partis affectæ imaginem ex auro & argento aliave materia illi sancto suspendisse, cujus ope se sanatos putabant, quod adhuc passim servari videmus. In hunc modum Philistæis Arcam Domini retinentibus auctores fuere Sacerdotes Anos aureos & Mures aureos cum Arca remitterent, ne ulterius in eos sæviret manus Domini, *Regum* I. c. VI. vers. 5. Simile quid fecisse fictorum Numinum cultores, testatus Icuncula Hydropici fictilis e Museo Eminentiss. Cardinalis FRANCISCI BARBERINI Principis nunquam satis laudati: quam eleganter & vere expressam hic addo.




Morbi speciem docte tangit Horatius *l.* II. *Carm.* Ode II.

Crescit indulgens sibi dirus Hydrops,
Nec sitim pellit, nisi causa morbi
Fugerit venis, & aquosus albo
——— *Corpore languor*.

Nec aliud indicare videtur caput ejusdem operis occipite cavatum e Jo. Bapt. Casalis Museo, quam mulierem oculi forsan captam hoc recepti visus monumentum Saluti appendisse.

Huc facit elegantissimus Macrobii locus *l.* I. c. X. *Duodecimo (Calendarum Januariarum) feriæ sunt Divæ Angeroniæ, cui Pontifices in Sacello Volupiæ sacrum faciunt, quam Verrius Flaccus Angeroniam dici ait, quod angores ac animorum solicitudines propitiata depellat. Masurius adjicit, simulacrum ejus Deæ ore obligato atque signato in ara Voluptiæ propterea collocatum, quod qui suos dolores anxietatesque dissimulant, perveniant patientiæ beneficio ad maximam voluptatem. Julius Modestus ideo sacrificari huic Deæ dicit, quod populus Romanus morbo, qui Angina dicitur, præmisso* VOTO *sit liberatus*.



Medicamenta quoque ipsa in templis suspensa, palam fit ex Aetio *Tetrab.* II. Serm. IV. c. CXIII. ubi describitur Collyrium nomine Testamenti, quod aurifex moriens templo Ephesio dicarat, quo ii qui a Medicis relicti essent in templo sanitatem consequerentur. Ab Adriano Cæsare inventum memorat.

AMICOS etiam pro se suisque Dona Diis obtulisse video. Unde Claudianus *l.* II. in *Stilicone*.

Hinc amor, hinc veris, & non fallacibus omnes
Pro te solliciti Votis.

Argumento est vetus Inscriptio S. Ægidii Oppidi Pasanelli in agro Fulginate a laudato Viro Jo. Baptista Doni ex suis collectaneis mihi transmissa:

EX. VOTO. DONVM
POSVIT. C. TETTIVS
FESTVS. PRO. SE
ET. SVIS. L. D. D. D

Certis ejusmodi vota Numinibus peculiariter solvebantur, atque in primis Jovi Optimo Maximo:

IOVI. O. M.
TERTIVS. BIVVO
PRO. SALVTE
PETRONII. MERVLAE
P. PETRONII. F
V. S.

Elegantius, Convenis in Saxo legitur:

IOVI
SALVTARI
VLPIANVS
GRAVI. INFIRMI
TATE. LIBERATVS

Soli pariter:

SOLI. AETERNO
SACRVM
PRO. SALVTE. P. VALERII. CRISPI
&c.

Item Minervæ votum pulcherrimum lego non longe a Trebia:

MINERVAE
MEMORI
COELIA. IVLIANA
INDVLGENTIA
MEDICINARVM
EIVS. INFIRMITATE
GRAVI. LIBERATA
D. P

Cui Deæ titulum MEDICAE attributum video Placentiæ:

MINERVAE. MEDICAE
CABARTIAE
VALERIA. SAMMONIA
VERCELLESIS. V. S. L. M

Item Dianæ:

DIANAE. SACR. PRO. SALVT
A. TAPETI. ANTONINI. TENAX
V. S. L. L. M.

Junoni etiam, Isidi, Herculi, aliisque Diis ac Deabus Vota leguntur fusa, quæ passim apud Gruterum extant.

Sed & pro iis, quorum deplorata videbatur Salus, Amici VOTA faciebant. Propert. *l.* II. *eleg.* IX.

Hæc mihi Vota tuam propter suscepta salutem,
Cum capite hoc Stygiæ jam peterentur aquæ,
Et lectum flentes circum staremus amici.

Clarius & magis in VOTI speciem Poeta Comicus in *Hecyra*:

—— male metuo, ne Philomenæ magis
Morbus aggravescat: quod te Æsculapi,
Et te Salus, ne quid hujus sit, oro.

Sic ægrotante Nicanore Aristoteles, ut tradit in *ejus Vita* Laertius, ex voto pro ejus incolumitate testamento jussit statui *Animalia lapidea cubitorum quatuor Jovi Servatori, ac Minervæ Servatrici in Stagiris*. Hujus generis videtur, quod Veronæ in veteri cippo est apud Comitem Justum. Ex quo patet votum ab alio factum pro eo exsolvisse amicum:

L. RENODIVS
Q. F
PLANTA
FLAMEN. VOVIT
MANISNAVIVS. POSVIT

Hujus generis votum indicat eleganti *de Vipera Commentario* Part. I. c. III. M. Aurelius Severinus multiplici doctrina celeberrimus Lycei Neapolitani Doctor.

Imo de publica salute Vota Diis soluta constat ex veteri marmore, cujus apud Luc. Faunum memoria:

SECVLO. FELICI. ISIAS. SACERDOS. ISIDI
SALVTARI. CONSECRATIO

CAP. XXXVI.

SENECTUTIS VOTA.

Fatali lege quicquid sub universo cœli ambitu est nihil durabile ostendit præter supremum Opificem, cujus nutu & arbitrio standum. Homo autem ut mentis consortio Deo proximus cæteris animantibus præstat, sic durum illud naturæ imperium fert gravissime, dum obrepente sensim ætate enervantur vires, ob iatiscentem calorem qui nectare suo defectus semetipsum conficit, quemque jure senium dixere sapientes, & quidem, ut ex Nævio Nonius Marcellus, Sonticum, hoc est, universo corpori perpetuo nocivum. Tagem eloquentiæ parens Tullius memorat puerili specie visum, sed prudentia senili. Mens tamen languente ad extremum corporis domicilio senio fluxa redditur, unde & in senibus fidem invenit decantata veterum Poetarum fabula de Tithono, qui senecta ætate repuerascens in cunis quievit. Senectus igitur naturalis quum nihil nisi squalor & tristitia, magni Aristotelis sententia vere morbus est, qui inevitabile mortalibus exitium accelerat. Nec alia de causa factum puto, quod senes Votorum adeo parci fuerint, ut ferme nulla vel certe rarissima eorum indicia, quam quod inter spem metumque hærentes dubii de oblectamentis vitæ puerorum modo in diem fuerint solliciti, puta quibus facto per exequias silicernio extremum illud VALE æquis auribus hauriendum erat: unde nobis etiam stilus hic arctior indulgendus. Eos tamen gravioris morbi vim præsentientes Lunæ lectum, & Cubiculi tegumenta vovisse auctor est Isidorus Scholasticus c. III ; . I.

Templa, quæ Senectuti tamquam præcipuo Numini apud Gades dicata memorat Arrianus *de Gestis Alexandri*, suis forsan etiam donis auxerunt.

CAP. XXXVII.

VOTA DIIS MANIBUS OBLATA.

Nulla gens adeo fera vixit aut barbara, cui jucundissimo cœli aspectu natura non indidit obscurum saltem immortalitatis sensum. Ut enim pie Seneca *Epist.* CIII. *Juvabat de immortalitate animorum quærere, imo credere.* Proinde sublato e vivis homine superstites amici nihil solennius habebant, quam Manes Votis prosequi, ut defuncti Inferos sibi Deos pacatiores invenirent. Etsi enim, Nonio teste, Dei Manes boni & prosperi Veteribus habiti, quod melior mors sapientioribus, quam vita probetur; sintque ut Apulejus *de Socratis Dæmone* censet, animæ melioris meriti, quæ in corpore nostro Genii dicuntur: quum tamen apud eos communi sententia receptum esset, locum sub terris pœnarum reperiri, variis nominibus sæva hæc Numina placare nitebantur. Quibus Mortam Lacedæmones, & Hispani; alii Parcas, quod minime parcentes, & Fata, Deasque fatales addebant. Ita Nemausi:

PARCIS
VALERIVS. HYER
V. S. L. M

Et Valentiæ Hispanorum:

FATIS
Q. FABIVS
NYSVS
EX. VOTO

Accessit his Funus, exsequiæ, Dea Libitina, Nænia, Orcus, Pluto, Sumanus; cæteraque Deorum ac Dearum turba, quam Romanæ Suadæ princeps Tullius *l.* III. *de Natura Deorum* longa serie enumerat. Porro quum soluta animo corpora non minus, quam animæ ipsorum tutelæ subesse crederentur, præter Votorum solemnia Manes lustrabant, maximeque istorum quibus sacra fuerant interdicta, quique inferorum cruciatibus devoti. Quemadmodum vero Diis Superis sacra facturi corporis ablutione purgabantur, ita cum Inferis litandum esset, satis actum videbatur, si aspersio sola contingeret. Inde apud Virg. mirandi operis *l.* II. sic ad patrem Æneas.

Tu genitor cape sacra manu, patriosque penates
Me bello e tanto digressum, & cæde recenti
Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero.

De eodem Proserpinæ apud Inferos ramum consecraturo sic Poeta *Æn.* VI.

Occupat Æneas aditum corpusque recenti
Spargit aqua, ramumque adverso in limine figit.

Ritum hunc prosequitur doctissimus Poeta;

——————*stant Manibus aræ*
Cæruleis mœstæ vittis atraque cupressu.

Epulæ etiam ad tumulos institutæ vetustissima consuetudine. Eæque mortuorum, ac vivorum. Quarum accuratam omnino rationem tradidit Joannes Kirchmannus *de funeribus Romanorum l.* IV. cap. V. Quo nomine mensæ in sepulcris ponebantur. Quibus Apium esse dicatum notat Plinius *lib.* XX. c. XI. Talia in Phegorii sacris erant sacrificia, quorum meminit Moses, & *Psalmo* CL. Propheta in hæc verba ait: *Comederunt sacrificia mortuorum.* Victimas Diis Manibus seu Jovi Stygio mactasse novendialibus feriis justa facientes tradit Cl. Seldenus operis eruditissimi *de Diis Syris* Syntag. I. cap. V. Quod sub occasum Solis factum notat Apollonii Interpres. Eaque sacrificia vino consperſa reperio. Mel etiam in sacris mortuorum profusum. Ita Suetonii fide Tib. Claudius Parentibus inferias publicas curavit; Caligula etiam matri fratrique inferias annua religione instituit. Diis etiam Inferis imperante Trajano superbo Ludos Taurinos fuisse institutos legimus, cum ex carne Taurorum populo divendita pestis ingens mulieres invasisset. Huic solemnitati dicatum fuisse tempus hibernum colligo ex Macrobio in *Som. Scip. lib.* I. cap. XII. *Quia in Leone sunt rudimenta nascendi, & quædam humanæ naturæ tyrocinia: Aquarius autem adversus Leoni est, & illo oriente mox occidit: ideo cum Sol Aquarium tenet, Manibus parentatur, utpote in signo, quod humanæ vitæ contrarium vel adversum feratur.* Annua vero parentalia facibus honestata meminit in *Augusto* Tranquillus. Quin etiam oscula urnis impressa ostendit Clariss. Barthius *Adversf. lib.* XLIV. cap. III. Extremum hoc officium eleganter sub persona Euryali tetigit Maro divini operis *l.* IX.

Sit qui me raptum pugna, pretiove redemptum,
Mandet humo solita, aut si qua id fortuna vetabit,
Absenti ferat inferias, decoretque sepulcro.

DONARIUM Manium supra cap. XXIII. attulimus, nec alieno labore nostrum hunc fundum ampliare animus est, ubi numerosa Epitaphiorum seges ab eruditis congesta curiosis satisfecerit: in quorum fronte nihil frequentius quam illud D. M. aut explicate DIS. MANIBUS. Quem titulum quandoque omissum suadet locelli marmorei prima facies, qui inter varias spectatæ magnitudinis arcas marmoreas effossus Patavii in hortis cœnobii ad S. Stephanum eruta, quum cellis ampliaretur: quo loco repositos fuisse olim demortuorum cineres testantur frequentiores urnæ in vicinia effossæ, quibus suam ædium aream in rei memoria exornavit Vir amplissimus Jo. Dominicus Sala nobilissimæ gentis suæ atque imprimis Gymnasii nostri decus. Monumentum illud in cœnobii hortis parieti insertum spectatur, cujus mihi titulum dedit generis splendore atque insigni rerum usu animique in omnes probitate inter nostros Patavinos conspicuus, atque ad publica natus, Ursatus de Ursatis Eques, sacri loci Protector:

M V. P V B L I C I V S
F E S T V S. D. D

Id monuisse operæ est, quod hisce sacris etiam intervenit supplicatio: quam refert veteris saxi fragmentum non ita dudum ad radices montis Vendæ inter Euganeos altissimi repertum, ubi nunc Castri novi pagus olim incolis frequens, in quo apud Illustrissimum, & Reverendissimum Petrum Contarenum S. Zenonis Abbatem hæc legebantur:

. . TAVRILI . . . . . .
PORCILIANO . . . .
POT. AVGVR . . . .
MARITO. SANCTIS . . .
AVLA. PLACIDIA. T
VXOR. PIENTISSI . . . .
ET. SOLEMNITE . .
SVPPLICAVIT
VIX. AN. LII. M. V. D

Addo & hoc quod scribit Josephus Scaliger *in Festum* ad vocem Nuculas: *In veteribus saxis mentio est sparsionis nucum, quam quotannis facere ad tumulum testatoris damnas est hæres ex eo testamento.*

CAP. XXXVIII.

SERVORUM, ET ANCILLARUM VOTA.

SErvos in censum venisse eorum, qui sese Votis obstrinxerunt, dubitari merito posset, nisi veteres hic nobis scriptores præluxissent. Quamvis enim subjectus tristi servitio animus nihil liberaliter agere, aut libere cogitare valeat: plurimos tamen ex iis, qui ne in sua quidem erant potestate, sua Diis, quamtumvis vilia, obtulisse dona, ex iis luce clarius est, quæ de Villicis cæterisque infimæ sortis hominibus ad nostrum institutum protulimus. De Libertis res planior est, quam ut quicquam anxie probemus: eorumque vota loquuntur passim saxa nobis bono fato relicta. Nec dubium est, quin lautiores servi pro sua conditione animum Diis gratum probaverint. Quin etiam infimi; quorum fortassis Anathemata fuere, quæ suo loco diximus, fictilia. Popularibus namque sacris cujuscunque conditionis nemo excludebatur. Ideoque nec Servi, ut homines, iisdem seminibus orti: maxime, quum frugi libertatem peculio, aut Domini liberalitate acquisivissent. Inde mancipia sui juris facta catenas Laribus, & Annulos ferreos Saturno suspendebant; in Templo forsan Libertatis, quod Senatus Rom. in Jul. Cæsaris gratiam publico decreto erexit. Quamvis ex vetustis *in Virgilium* Schedis Jos. Scaliger *ad Festum* observavit, Servos libertate donatos capite raso in templo Feroniæ pileum accepisse. De Catenis Horatius *lib.* I. *Sat.* V.

———— *donasset jamne catenam*
Ex voto Laribus, quærebat ——

De Annulis Martialis *lib.* III. *epigr.* XXIX.

Has cum gemina compede dedicat catenas,
Saturne, tibi Zoilus annulos priores.

Etenim Saturnus quum olim fuisset vinctus, quod certa lege naturæ connexa sint tempora, ut notat Macrobius *Saturn. l.* I. cap. VIII. Vinculis utique soluti ei merito compedes suspendebant.

Singulare est, quod de Crœso memorat Herodotus, præter Donaria maxima, tripodes aureos, &c. Delphos etiam misisse compedes suas per ludibrium, cum captus a Cyro falsitatem responsorum oraculo exprobraret. Hunc autem morem ex Hebræis opinor acceptum, apud quos Aaronis virga

consecrata in Tabernaculo fuit, in signum rebellionis filiorum Israel, *Numer.* XVII. *Dixitque Dominus ad Moisen: refer virgam Aaronis in tabernaculum testimonii, & servetur ibi in signum rebellium filiorum Israel. Fecitque Moises sicut præceperat Dominus.* Et Josephus *Hist. Jud.* de Agrippa Judæorum Rege: *Auream catenam, quam ei dederat Cajus adinstar ponderis ferreæ catenæ, in qua manus Regis fuerant obligatæ, ut tristis fortunæ memoriam revocaret, & testimonium de rebus melioribus perhiberet, in templo suspendit supra Gazophylacium, ut & maximum ejus indicaret casum, & simul ostenderet, posse eum, qui corruerit, denuo suscitari.*

Ac ne in solo sexu virili cogites inter servos exstitisse pietatem, accipe etiam ANCILLARUM, quarum Dii ac Deæ nominantur *Anculi* & *Anculæ*, ab antiquo *Anculare*, quod est servire. Imo, festum Ancillarum, ob liberatam ipsarum ingenio ab hoste patriam, Nonis Juliis a Senatu institutam, tam vulgo notum scribit Macrobius *Saturn. lib.* I. cap. XI. ut nec origo, nec causa celebritatis ignota sit. Ex earum numero nominatiores video, quæ delicatiorum matronarum crinibus fucandis olim adhibitæ Græco nomine ψέκαδες appellabantur: easque Veneri litasse docuit me superiore hieme saxum vetus traductum in porticum Cœnobii S. Felicis prope Vicetiam:

VENERI
SACRVM
CASSIA. I. L. PSECHAS

Nimirum, Venustatis Deæ forsan acum crinalem, pectines, speculum, cæteraque sui ministerii suspenderat: cujus conjecturæ indicia non obscura cap. XVI. dedimus.

CAP. XXXIX.

GLADIATORUM DONA, ET MUNIFICENTIA VETERUM IN GYMNASIUM.

SED de Servis ad Gladiatores transire me monet affinis hominum conditio. Quid enim hi nisi Animæ venales? Domino certe corpora animosque religiosissime addicentes *Auctorati* hac lege ludo gladiatorio se obstrinxerunt, ut *urerentur, virgis secarentur, ferro necarentur*, nec alio stipendio, quam solo cibo, eoque satis vili, quamvis validus firmandisque viribus aptus esset: ut vere ac eleganter Prudentius *lib.* II. *in Symmachum* cecinerit eorum *vulnera vendita pastu*. Qui postquam libertate ornati essent, rude simul & pileo donabantur, nec ferro amplius, sed rudibus tantum batuere tenebantur; *Rudiarii* exinde appellati. Hi vero, quoniam se Herculis virtutem æmulari putabant, Arma ad postem ipsi suspendebant. Cujus sagittas in Thurinorum urbe ad Apollinis, & Ferramenta, quibus Equus Trojanus compactus est, apud Metapontinos ad Minervæ consecrata, ex Trogo Justinus *lib.* XX. recenset. De hac etiam celebritate non male intelligi possunt Tertulliani verba *lib. de Resurrectione Carnis: Melior homicida laudem suam consecratione pensavit.* Gladiatorum cultro quantum tribuerit Veterum superstitio, ostendit inter Antiquos Scribonius Largus non infimæ sortis apud Romanos Medicus, utpote Cæsaris in Britanniam comes: cujus hæc verba Composit. XIII. *de Morbi Comitialis curatione: Hoc remedium qui monstravit, dixit ad rem pertinere, occidi binnulum cultro, quo gladiator jugulatus sit.* De quo uberius *Notis in hunc Auctorem* paucis hactenus cognitum Joannes Rhodius: ubi ex antiquo marmore veram cultri formam dedit. Armis nempe Veteres certis, quemadmodum hodieque vanum vulgus, vim peculiarem adscribebant. Ideoque Tacitus *Annal. lib.* XV. *Primas sibi partes expostulante Suevino, qui pugionem Templo Salutis in Etruria, sive ut alii tradidere Fortunæ Ferentano in oppido detraxerat, gestabatque velut magni operis sacrum.* Quæ de Gladiatoris jugulati jecinore ibidem refert laudatus modo Largus, & de ejusdem gentis sanguine Latinorum Princeps Celsus, Medicorum experimentis relinquimus. Etsi enim remedium non sine superstitionis nota derivatum videtur a maleficis, quos sanguinis humani potu delectatos tradit Jo. Franc. Picus III. *de Strig.* veluti & Dæmones ex Philostrato: causa tamen subesse forsan potest naturæ conveniens, quod sanguis per iram vulnerati accensus frigidas affectiones superet. Unde Aretæus se fatetur hoc ipso non plane nihil profecisse. Lanistis certe non infimus erat in Arena locus.

Gymnasii vero apud Græcos, & Romanos splendor atque dignitas vix aliunde conspectior est, quam ex veteri marmore e Græcia in ædes Illustrissimi Thomæ Comitis Arundelliæ traducto a V. Cl. Gulielmo Petræo; cujus hanc nobis dedit interpretationem Consultissimus Joannes Seldenus;

. . . .

Sub cujus prætura polliciti sunt; Cl. Bassus certaminum præses Nemesium Dearum palatium tegere, Fuscus, opus facere minarum VII. Chersiphron Asiarcha hortos ad palmetum, Lucius Pompejus in palmetum Minas V. Lucius Vestinus eam Palatii partem tegere quæ curiæ proxima & ostia ænea facere, Smaragdus Prytanis Fortunæ fanum extruere in palmeto, Claudianus Prytanis inaurare tectum loci ungendis Senatoribus destinati. Et alii in templi pulvinar *seu locum supplicandi*. Columnam cum capitulo tortili. Nymphidia sacerdos summa, Cl. Artemilla, Cl. Polla, Claudia Niceta, Theudianus Stephanephorus II. Fl. Asclepia, Isidorus sophista, Antonia Magna Minam I. Cl. Hedia Minam I. Cl. Charis Minam I. Cl. Leontion Minam I. Cl. Aurelia Columnas striatas, cum capitulis tortilibus, in Palmetum, LII. Qui nuper affuere Judæi Minam I. Metrodorus Nicanoris F. Dicenus in palmetum, Denariorum VIICIↃ. F. Murmus & Cilianus Minas II. & quæ accepimus a Domino Cæsare Adriano per Antonium Polemonem, secundum nempe Senatusconsultum, quo tempore bis æditui eramus, Certamen sacrum, Immunitatem, Theologos, Hymnorum cantores, Myriadas centum quinquaginta, Columnas in unguenti locum Synnadæas DCCCII. Numidicas XX. Porphyritas XC. Sed constructum est etiam Solarium in Gymnasio a Sexto Pontifice summo.

CAP. XL.

VOTA IMMANIA, AC NEFARIA.

TAntum religio potuit suadere malorum! At quid religio? Mera potius versatilis ingenii commenta, imo deliramenta animi deficientis a vero Dei cultu, quem quia deseruerunt Prisci, vere & ipsorum culpa eos in reprobum sensum dedit justissimus rerum arbiter. Inde non modo vanæ superstitionis plena hactenus vidimus in spe-

ciem pietatis Veterum VOTA, sed Immania quoque ac nefaria jam sequuntur, imo quod gravius, ab omni humanitate aliena. Quid enim crudelius, quam alieno & sæpe innocuo sanguine pacisci cum Diis, a quibus non nisi optima quæque expectanda? Mirum tamen quam se olim Nationes hodie etiam cultissimæ hac immani barbarie misere defœdarint! Armorum gloria rerumque celeritate in primis felix Cæsar *Comm.* VI. hanc in Gallis maxime notavit: *Natio est omnium Gallorum admodum dedita religionibus, atque ob eam causam, qui sunt affecti gravioribus morbis, quique in præliis, periculisque versantur; aut pro victimis homines immolant, aut se immolaturos vovent, administrisque ad ea sacrificia Druidibus utuntur, quod pro vita hominis, nisi vita hominis reddatur, non posse deorum immortalium numen placari arbitrabantur, publiceque ejusdem generis habent instituta sacrificia. Alii immani magnitudine simulacra habent, quorum contexta viminibus membra vivis hominibus complent, quibus succensis, circumventi flamma exanimantur homines. Supplicia eorum qui in furto, aut latrocinio, aut aliqua noxa sint comprehensi, gratiora Diis immortalibus esse arbitrantur. Sed cum ejus generis copia deficit, etiam ad innocentium supplicia descendunt.* Et mox: *Huic* (Marti) *cum prælio dimicare constituerunt, ea quæ bello ceperunt plerumque devovent.*

Simile quid refert de Gothis Jornandes cap. V. *Rerum Geth. Martem semper asperrima placavere cultura: nam victimæ ejus mortes fuerunt captorum, opinantes bellorum præsulem aptius humani sanguinis effusione placandum. Huic prædæ primordia vovebantur, huic truncis suspendebantur exuviæ: erat illi religionis præter cæteros insinuatus affectus, quum parenti devotio numinis videretur impendi.*

Rationem addit idem, quod Martem apud ipsos ortum putarent; unde recte Virgilius:

> *Gradivumque patrem Geticis qui præsidet arvis.*

Cui pariter Thulitæ primum hominem offerebant, quem e bello cepissent. Quinimo ex Philaroli Historia refert Porphyrius, *omnes Græcos æqualiter solitos victimas humanas mandare sacrificiis, antequam inimicos in bello aggrederentur.* Ea de causa fortassis, quia æstimabant mala a Malis Diis, quos humanis cædibus placari credebant. Unde D. Augustin. *de Civit. Dei lib.* II. cap. II. Cum præsertim *Labeo, quem hujuscemodi rerum peritissimum prædicant, numina bona a numinibus malis ista etiam cultus diversitate distinguuntur, ut malos Deos propitiari cædibus, & tristibus supplicationibus asserat; bonos autem obsequiis latis, atque jocundis.* Eodem ritu, tetra caligine detenti, Cimbri, Germani captivorum cruore Deos placare consueverant. Romulus quoque Acronem hostem Jovi vovit; de quo Propertius *lib.* IV. *eleg.* XI.

> ——— *spolium corruit ille Jovi.*

Votis etiam hostilibus accedit, quod Hector Ajaci internecionem vovisset. Procopius *lib.* II. *de Bello Gethico* memorat, Francos etiam Christum colentes ad suum ævum sacrificasse homines. Lipsius quoque *ad Tacitum* notavit ex *lib.* I. *Hist.* Dietmari, Normannos & Danos quotannis Diis suis nonaginta novem homines mactasse. Hunc ipsum Anglis fuisse morem innuit Sidonius Apollinaris *lib.* VIII. *epist.* VI. quod & Lituanos patrasse narrat Cromerus *lib.* XV. Livonos etiam intellexit fortassis Radevicus *lib.* III. cap. I. dum scribit, gentem Polonis finitam prope mare Balthicum a carnium humanarum esu non abstinuisse; quandoquidem nulla est hujus immanitatis in historiis Danicis memoria, maxime quum a Danis Vandalia, Livonia, & forsan Lituania, mitiores cum Christiana pietate mores habeat, cujus beneficio ejusmodi feritatem sublatam credimus. Mitiori consilio utensilia huic tutelari dicata legimus apud Plinium *lib.* XXXIV. cap. XIV. qui ait: *Videmus & Romæ scyphos e ferro dicatos in templo Martis Ultoris.* Romanos etiam Idibus Decembr. Marti equum immolasse narrat Plutarchus in *Rom.* quod Trojam equo captam crederent. Carmanitas vero eidem asinum sacrificasse scribit Strabo *lib.* XV. Quid autem hoc jumento ad prælium ineptius: nisi huic genti equis destitutæ haberetur familiare?

Porro Theutato etiam Gallos humanis hostiis litasse scriptum reliquit Cæsar *belli Gallici lib.* VI. Unde Lucanus *Pharf. lib.* I.

> ——— *Immitis placatur sanguine diro*
> *Theutatus.*

Theutatus vero Mercurius est, quemadmodum ex Tacito *de moribus Germanorum* liquet, quem Ægyptii Thoth appellarunt. Cæterum bello captivos, cum iis qui in acie occubuerant Victimæ loco vivos fuisse combustos significat Poeta, *Æneid.* XI. v. 81.

> *Vinxerat & post terga manus, quos mitteret umbris*
> *Inferias, cæso sparsuros sanguine flammas.*

Tauri apud Scythas Dianæ pro votis advenas, & præsertim naufragos, immolabant. Hanc consuetudinem antiquissimam fuisse non solum in hostibus, sed etiam in peregrinis, ostendit Plutarchus in *Parallelis: Post Ilii excidium Diomedes in Africam maris fluctibus ejectus est. Regnabat ibi Licus Martis filius, qui peregrinos de more patri immolabat.* Quod Busiris quoque fecisse traditur a D. Aug. *de Civit. Dei lib.* XVIII. cap. XII. Fortunæ Ultrici Rhamnienses in Eubœa gladio litasse Advenas e Veterum monumentis notavit Laura Cereta inter eruditas sui ævi mulieres Brixiæ clara, cujus pauca, quæ superfuere scripta, nunc ab injuria oblivionis asseruimus. Prudentiori quidem consilio & majori moderatione, ut refert Plut. *Inst. Lacon. Lacedæmonii, cum callido consilio hostem vicissent, bovem Marti mactabant: si aperte, gallum: Duces assuefacientes, ut non pugnaces modo, sed callidi etiam fierent:* hos tamen Dianæ Orthiæ sive Tauricæ humano sanguine litasse refert Pausanias. *Edito praeterea oraculo jussi sunt aram humano sanguine cruentare. Cum autem immolarentur quemcumque sors tetigerat, Lycurgus rem in adolescentum flagra commutavit.*

Arcadi Jovi puerum, Laodicei Minervæ Virginem sacrificabant, cujus loco sua ætate substitutam fuisse Cervam testatur Porphyrius. Apud Carthaginenses & Phœnices Principum Infantes, sicuti & apud Rhodios nobilium filios, mactatos ad Aras novimus. Carthaginensibus autem consuetudinem hanc Gelo sustulit, qui prælio victis noluit pacem ante concedere quam in quoque insertum esset conditionibus, eos finem facturos Saturno suos immolandi liberos, ut videre est apud Plut. Comment. *De iis qui sero a numine puniuntur.*

Dumeti quoque (verba Porphyrii sunt *lib.* II. *de Abstinentia*) *in Arabia singulis annis puerum sacrificabant, quo sub terra sepulto utebantur simulacri loco.* Curetæ Saturno pueros immolabant, Porphyrio ibidem referente ex Istro scriptore veteri: Baccho vivos homines alii: & apud Arcades puellæ ad necem flagellabantur. Et apud Ægyptios Heliopoli mactabantur Junoni tres homines explorati, non secus ac vituli, vegeti, & laudabiles. Hanc immanitatem a Judæis antiquitus migrasse e pluribus sacræ Script. locis patet. Hinc Rex Propheta

de iis conqueritur *Psalmo* CV. *Immolaverunt filios suos & filias suas Dæmoniis.* Ammonitarum vero Idolo Moloch talibus hostiis litabatur: de quo plura apud Judæorum Rabinos, quorum aliqui non combustos aut mactatos Pueros volunt, sed duabus pyris extructis, per illarum medium traductos solummodo, & ad eum modum februatos esse, sacerdotibus Molochi id peragentibus: sed vere non modo traductos, sed crematos in Idoli sacrificium pueros illos affirmamus.

Tantæ immanitatis originem hanc tradit Porphyrius *de Abstin. lib.* II. *Ab initio Diis primitiæ e fructibus solvebantur, procedente tandem tempore cum homines avitæ sanctitatis incurii, jam terra fruges non satis suppeditante, in tantam legitimorum alimentorum penuriam pervenerunt, ut omni humanitate deposita sibi mutuo insilirent, atque carnes comederent. Tum multis precibus Deum invocantes, ex se ipsis primitias primum solverunt, non solum quod pulcherrimum habebant Diis consecrantes, sed etiam, quod supereminet omnem pulchritudinem, suos contribules in victimas assumentes.* Hominem epulandi gratia tamen neutiquam sacrificatum tradit idem *loco* jam pridem adducto: ubi varios simul humanæ victimæ ritus persequitur: quos a Diphilo Cypriorum Rege, & Amosi cereos homines subrogante, nec non apud Carthaginenses ab Iphicrate, eversos scribit, tandemque ab Adriano Imperatore ex omni pene imperio sublatos. Ac licet Romani nihil barbaricum aut inusitatum facere consuevissent, incidente tamen bello Punico cum Annibale novos ejusmodi sacrorum ritus (ut vocat in *Marcello* Plutarchus) Sibyllini Oraculi jussu a Græcis acceperunt. Quorum etiam meminit Livius *lib.* XXXII. & Plin. *l.* XXVII. c. II. pariter & Lactantius Firmianus *de Falsa Relig. l.* I. c. XXI. *Nec Latini quidem hujus immanitatis expertes fuerunt: siquidem Latialis Juppiter etiam nunc sanguine colitur humano.*

Verum non Diis tantum humanis litare hostiis Græcorum mos fuit, sed defunctorum etiam Manibus itidem mactatis hominibus parentare solebant. Unde apud Homerum Achilles in Patrocli funere:

Bis sex nobilium Troum de sanguine natos
His ego mactabo manibus, tibi amice, tuisque
Manibus inferias, cinerum hic ad busta tuorum.

Idem Virgilius X. *Æn.*

——————— *Sulmone creatos*
Quattuor hic juvenes totidem quos educat Ufens
Viventes rapit, inferias quos immolet umbris,
Captivoque rogi perfundat sanguine flammas.

Nec sane defuerunt apud Romanos, referente Suetonio in *Caligula* cap. XIV. *qui depugnaturos se armis pro salute ægri* (Imperatoris) *quique capita sua titulo proposito voverent.*

Huc spectat illud Oraculi responsum de Callirrhoe Baccho immolanda, ut Clidonii delirantes restituerentur: de quo plenius Julianus Aurelianus *de Cognomine Deor. lib.* III. cap. V. Quam in istis profanis Religionibus consecrandi mortes hominum consuetudinem nefandam Julius Firmicus *de Errore profanarum Religionum* jure sic taxat: *Quid sibi vult ista persuasio, ut divinis rebus funesta calamitatis ordo societur? Miseri sunt qui profusione sacrilegi sanguinis cruentantur.*

Præter hæc Vota Immania, quæ cum sanguinis effusione fiebant, memorat & Vota nefaria Cicero *pro Cluentio*: *Quin etiam nocturna sacrificia quæ putant occultiora esse sceleratasque preces, & nefaria Vota cognovimus.*

CAP. XLI.

VOTA TEMERARIA, ET JOCOSA.

Tolerabilior apud Antiquos occurrit error eorum, qui præcipiti animo sine rationis consilio nescio quem sibi finxerunt numinis cultum ineptiis plenum. Inter quos primus merito Idomeneus Cretensium Rex, cum naufragus ex voto filium sibi obviam factum immolare Diis vellet, illumque perditum iret, a Cretensibus pulsus & patria ejectus fuit. De simili Agamemnonis Voto, qui Iphigeniam sibi natam Dianæ immolaverat, vere Tullius *Officiorum* III. *Promissum potius haud faciendum, quam tam tetrum facinus admittendum fuit.* Tale fuit Votum Jephtæ *Judicum* cap. XI. quo voverat *se immolaturum quodcumque reverterenti occurreret de domo ejus.* Quo nihil inferius est adhuc eorum institutum, quorum hæc verba in *Actis Apostolorum* cap. XXIII. *Devotione devovemus nos ipsos nihil gustaturos, donec occidamus Paulum.* Diris nempe se devoventes in necem Pauli Anathematis instar a Deo se deleri cupiebant, & fame interituros, nisi ipsum conficerent. Ferunt etiam Aratum Sicyonium, ne bello vinceretur, centena hominum capita se immolaturum vovisse.

Egregia est Pauli apud Festum observatio, qui ait: *Ver sacrum vovendi mos fuit Italis, magnis enim periculis adducti vovebant, quæcumque proximo vere nata essent apud se, animalia immolaturos. Sed cum crudele videretur pueros ac puellas innocentes interficere, perductos in adulta ætate velabant, atque ita extra fines suos exigebant:* qui Vernæ dicebantur, quemadmodum notavit Alexander ab Alexand. *l b.* III. cap. XXII. *Dierum Genialium.* Id tamen nisi fieret auctoritate Collegii Pontificum, non votum, sed inconsulta pollicitatio censebatur. Livius *Dec.* III *lib.* II. & IV.

Nec sanioris animi fuisse videntur Locrenses, quos refert Justinus bello pressos vovisse suas se filias festo Veneris prostituturos, si victores forent: aut Persæ qui se vivos homines defossuros vovebant. Quare Ametrix Xerxis uxor, ut gratiam Diis referret, quod in vita diu processerat, defossis sub terram vivis quatuordecim illustrium Persarum liberis Votum persolvisse dicitur; sicut e diverso, & magis ad humanæ naturæ & Regiæ conditionem narratur ab Herodoto *lib.* II. Laodicem uxorem Amasis Ægyptiorum Regis, cum maritus cum ea concumbere non posset, licet ipse cum aliis commercium haberet, vovisse Veneri, si sequenti nocte secum consuesceret Amasis, se statuam illi Cyrenas missuram, conceptoque voto maritum perquam varie eam dilexisse, quam Statuam ad suam usque memoriam incolumem fuisse testis est Herodotus in fine ejusdem *libri*, ubi subdit: *Cyrenæ Statuam Minervæ Amasis misit inauratam, & sui Imaginem pictura adumbratam: Lindum autem duo lapidea Minervæ simulacra, & thoracem lineum spectaculo dignum. Samum vero Junoni bifarias sui imagines, quas magno in templo post januam erectas ad suam usque ætatem,* memorat idem.

Ad Temeraria Vota etiam obscœna accedunt, quæ Veteres peregisse patet ex Prudentio de Ro. martyrio:

——— *metenda dedicat genitalia*
Numen reciso mitigans ab inguine.

Silendum minime Neronis Votum apud Suetonium in *illius Vita* cap. LIV. quo scilicet *sub exitu vitæ palam vovit, si sibi incolumis status permaneret, proditurum se parta victoria Ludis, etiam hydraulam & choraulam, & utricularium, ac novissi-*

mo

mo die Histrionem, saltaturumque Virgilii Turnum. Iniquum magis quam pium Cypselli Corinthii Votum, qui Jovi, modo civitate potiretur, quæ Corinthiorum essent omnia se oblaturum promisit, ut scribit Aristoteles in *Oeconomicis*. Lepidum est auctarii loco Catulli inventum *Carm.* XXVII. qui puellam finxit Annales Volusii Tardipedi Deo jocose vovisse.

Quid vero magis ridiculum, quam ignavos etiam patrocinium quæsivisse a Murcia pigritiæ Dea, quæ a Murcis, id est, truncatis pollicibus bello ineptis nomen accepit? Erat autem Vallis Murcia Romæ, ubi forsitan ignavi, & desidiosi sua dona offerebant. Fuit etiam Murcia secundum aliquos, Dea amoris: nec inepte; nam ignavi & marcidi, dum a Musis longe sunt spurcitiis & libidinibus vacant. Et quid istis ineptius, quibus tam charus Olerum esus, ut prodigiosum gulæ honorem meruerint; quem nec Plinius *lib.* XIX. *cap.* V. tacere voluit: *Ut est Græca vanitas, fertur in Templo Apollinis Delphis adeo ceteris cibis prælatus Raphanus, ut ex auro dicaretur, Betas ex argento, Rapum e plumbo.*

Amantium nugis adde illud extremæ stultitiæ votum Anacreontis, quo *Od.* XX. *amasiæ calceus* fieri desiderat, ut ejus planta teratur.

Est etiam apud Ælianum *Var. Hist.* lib. III. cap. XXVI. simulatum Anathema, quo Ephesum urbem funibus ad columnas Dianæ ligari suasit Pindarus ad securitatem, ne a Crœso spoliaretur. Mythologicum apud eundem *lib.* II. *cap.* XXIX. ubi scalæ templorum Fortunæ simulacra Ἀνάθημα Justus Vultejus hoc loco recte *Donum* vertit.

CAP. XLII.

VOTA SCELERATA.

Turpi demum exemplo sacris adhibita ingenii licentia in scelus conversa etiam criminis immunitatem ac tutelam apud Deos quæsivit. Nam Fures LAVERNÆ Deæ sua Vota faciebant, ut instituta sua furandi ac mentiendi fortunaret. Plautus *Cornicul.*

Mihi Laverna in furtis celebrastis manus.

Et Horatius:

Pulcra Laverna da mihi fallere.

Acro Porphyrio *in Horatium lib.* I. *Epist.* XVII. & Nonius Marcellus in voce *Laverna*, Festusque Pompejus hic adeundi. Erat autem Deæ imago caput sine reliquo corpore. Hujus Deæ lucus erat Romæ obscurus & abditus, ubi Fures prædam dividebant. Nec leviori probitatis injuria etiam Ara Fraudi ibidem erecta. De qua nolo plura, cum nefas sit crimen religione obvelasse.

CAP. XLIII.

DONARIA MULCTATITIA.

Indignitatis certe hujus mentionem intermisissem, nisi vigilantia magistratus detecta ejusmodi morum turpitudo severissimis legibus gravem sæpe mulctam produxisset: ex qua etiam DONARIA Diis constituta fuisse colligo apud Livium lib. X. *Ann.* ab V. C. MLVII. *Cn. & Q. Ogulnius ædiles curules, aliquot fœneratoribus diem dixerunt, quorum bonis mulctatis, ex eo quod in publicum redactum est, ænea in Capitolio limina, & trium mensarum argentea vasa in cella Jovis, Jovemque in culmine cum Quadrigis, & ad ficum Ruminalem simulacra infantium conditorum urbis sub uberibus Lupæ posuerunt, semitamque saxo quadrato a Capena porta ad Martis statuerunt. Et ab Ædibus plebeiis L. Ælio Pœto, & C. Fulvio Curvo ex mulctatitia item pecunia, quam exegerunt pecuariis damnatis, Ludi facti: pateræque aureæ ad Cereris positæ.* Et *lib.* XXXV. *De Mulcta Damnatorum Quadrigæ inauratæ in Capitolio positæ in cella Jovis supra fastigium ædiculæ.*

Ita res inique parta in bonos usus juste conversa sæpius culpæ notam diluit. Tolerabilior eorum noxa, qui usuris in publica commoda derivatis pœnam aviditatis anteverterunt. Egregium hujus facti monumentum ex antiquis Romanæ Urbis reliquiis Grutero suggessit Smetius, quod libens adfero, ut e tam opimis fortunæ mediocris redditibus potentiorum Quiritium opes sint conspectiores. Annum quippe censum adeo locupletem ex usuris centesimis: quo singulis mensibus e centenis nummis unus exigebatur, non minimæ sortis fuisse perspicuum est.

COLLEGIO
CENTONARIORVM
CVM.BASI.MARMOREA.ET.CERIO.LARIB
DVOBVS.AEREIS.HABENTIBVS.EFFIGI
EM.CVPIDINIS.TENENTES.CALATHOS
L. SEXTILIVS. SELEVCVS. DECVRIO. D. D
HOC.AMPLIVS.ARK.RET.P.COLLEGII.SS
DONVM DEDIT. —X—. V. VT. EX. VSVRIS
CENTESIMIS. EIVS. QVANTITATIS
QVAE. EFFICIT. ANNVOS —X—. DC. DIE
VIIII. KAL. OCTOBR. NATALI. DIVI
AVGVSTI. EROGENTVR. EX. ARK

CAP. XLIV.

DE SACRIS NOSTRI AEVI DONARIIS.

Sed jam satis superque de Profanis antiquorum DONARIIS ac TABELLIS Votivis Lectoris forsan ingenium ea fatigavimus prolixitate, quam præter expectationem auxit materiæ amplitudo ex ingenii humani vanitate nata, cui quicquid hic a vera pietate diversum videbitur imputandum dico ac edico; nec alia de causa prolatum, quam ut Veterum scriptis aliquid lucis fœnerentur. Superest, ut quæ mihi animum in hunc laborem excitarunt Sacra Divini cultus Anathemata in stili partem veniant. Sed coronidis loco, & strictim: cum nihil ferme a Bulengero hic omissum, quod in Anastasio desiderari posset, nec irrita plane mihi spes sit futuros, qui vastum illud argumentum aliquando in commune sint producturi. Quantum hic reconditæ eruditionis habeat V. C. Franciscus Bernardinus Ferrarius Doctor Ambrosianus, cultori jam orbi notius est, quam ut meritas eximii viri laudes ingenii mei culpa deteram. Nec memorabo quid ex Orientalis Ecclesiæ reliquiis in hanc rem conferre possit V. C. Leo Allatius, egregium mihi Amicorum par; quidve alii literarum Antistites hac in re valeant: ne videar eorum diffidere voluntati, quos in publicam utilitatem natos scio. Novi enim hæc non esse unius ingenii, sed multorum; & aliquando fore, ut sera dies nobis prolixiora det, quæ mihi attigisse satis fuit. Innumera quippe ac pene infinita sunt, quæ omni ætate a primo sacrosanctæ Religionis exortu per temporum vicissitudines, variis de causis ad nationum & cujuscumque ordinis conditionem Deo oblata passim apud Christianos templorum parietes, & columnarum fastigia veluti emblemata sacra exornant; maxime ea quæ preciosiora in sacrariorum armaria diligentius abdita servantur. Quæ peculiari Dissertatione a detractoribus vindicavit Joannes Thomeus Marnavitius Episcopus Bosnensis. Ecclesiæ opibus pio-

rum sane dono tantum longioris ævi cursu accessit, ut non solum vasa aurea atque argentea, cæteraque utensilia ad sacros usus in dies novo splendore creverint, sed prædia etiam Imperatoribus Christiano nomini non parum infensis plene concessa fuerint. Id quod ex Pii I. Papæ, & Urbani Primi Epistolis, atque Imperatorum Rescriptis accuratissimus rerum Ecclesiasticarum scriptor Romanæque purpuræ decus Baronius suis *ad Ann.* LVII. *Christi Annalibus* ostendit. Si tamen rem paulo altius repetere juvat: ne memorem quæ ex Veteris Instrumenti monumentis hic per diverticulum sparsim inserui, quid vetat quo minus Donariis accenseamus oblata Servatori nostro recens nato munera Sapientum, etiamsi ritu Ethnicorum viventes ex Arabia prælucente stella Hierosolymis Betlehemum descenderent, ut adorarent Christi Puerperia, ei tanquam novo Regi aurum, thus, ac myrrham obsequii symbola ferentes? Quid aliud dicatæ Christo rerum Primitiæ? Adrianus Imp. in suo sacrario Christi Imaginem habuit. Alexander Severus, Lampridio teste, Christo templum exstruere voluit, eumque inter Deos recipere, pag. mihi 129. Imo in suo Larario inter alios collocasse legimus ibidem pag. 123. *Usus vivendi hic fuit. Primum, ut si facultas esset, id est, si non cum uxore cubuisset, matutinis horis in Lario suo (in quo & divos Principes, sed optimos electos & animas sanctiores, in queis & Apollonium, & quantum scriptor suorum temporum dicit, CHRISTUM, Abraham, & Orpheum, & hujuscemodi Deos habebat, ac majorum effigies) rem divinam faciebat.* Pro *Apollonio* legit *Apollineum* Gutherius lib. III. cap. XXIX. *de Offic. Dom. Aug.* Quid memorem pio fervore aurum & argentum ad Apostolorum pedes positum? Ea profecto fidelium dona luculenta adeo fuerunt, ut non solum Ecclesiæ necessitati sufficerent, sed ut parentibus orbi, pauperes, advenæ, morbis afflicti, maritis viduatæ, cæterique egestate pressi iis ipsi abunde sublevarentur. Pietatem hanc indicat D. Chrysostomus Homil. XII. *in Epist. ad Hebræos*: *Hæc considerantes primitivæ illius Ecclesiæ Christi fideles, non modo decimam partem frugum, sed ipsas universas, ac etiam rura, ex quibus colligebantur, distrahentes, eorum pretia portabant ad pedes Apostolorum.* Nihil vero Ecclesiæ rem æque auxit atque cum ipsis divini cultus primordiis Decimæ in hæc usque tempora religiose apud omnes conservatæ. Quibus solvendis non minus jure quodam naturæ quam divinis præceptis [illegible] obstringi clarissimum est; imo pendisse eas olim Hebræos atque Ethnicos suo jam satis loco ostensum fuit. Syracusæ insigne donarium vidit Georgius Gualtherus hoc titulo:

ΑΝΑΘΗΜΑ ΙΖΡΟΥ ΒΑΠΤΙΣΜΑΤΟΣ
ΖΟΣΙΜΟΥ ΘΕΩΔΩΡΟΝ

Quæ sonant:

Donarium sacri baptismatis
Zosimi Deo donum.

Ex pertica oleastri arboris dona in templis suspensa refert Scholiastes Aristophanis. Chirothecas etiam unionibus ac gemmis intertextas in templo tanquam donarium appensas videre est apud Guagnium lib. III. *de Franc.* Sed ut rem omnem in pauca contraham, Ecclesiæ majestatem piorum Principum benignitati & munificentiæ deberi notissimum est iis, qui vel mediocriter in Veterum monumentis versati sunt. Ne longius abeam. Cui non occurrunt quotidie in divinos honores extructa splendide Templa, Sacella, atque in his Aræ, ornamenta sacra auro distincta, atque inprimis infulæ auro gemmisque stellatæ? Adde ingentis precii Vasa, Lampades, omnemque apparatum sacrum, ne dicam Oppida, & Arces ex argento ficta, Statuasque ex argento vel auro spirantes, quantivis omnia æstimii, quibus vivunt eorum nomina, qui non minus liberalitatis, quam pietatis memoriam posteritati reliquerunt. Fortunæ tamen exilitas neutiquam laudabiles eorum conatus oppressit, qui signis fictilibus, tabellis ligneis, urbium clavibus, triremium rostris, cippis, cujuscumque generis vestibus, vexillis, armis variaque supellectili beneficii divinitus accepti memoriam, & gravissimorum casuum argumenta in omnes mundi tractus sparserunt. Carolus Magnus sanxit *Capit. Franc.* lib. I. cap. LXXII. & LXXIII. contra Laicos bona Ecclesiæ subripientes. Quia juxta S. Patrum traditionem novimus, res Ecclesiæ vota esse fidelium, pretia peccatorum, ut patrimonia pauperum, cuique non solum habita conservare, verum etiam multa Deo opitulante, conferre optamus, &c. Refert ad Annum 789. *Chronici* Breviarium Coriolani. Inter cætera magnificentiæ exempla in primis nostra ætate præteritorum temporum memoriam superat URBANI VIII. Summi Pontif. regia liberalitas, qui D. Petri Basilicam Romæ æneis prodigiosi artificii columnis summæ Aræ tholum sustinentibus mirifice decoravit. Posteritatis quoque admirationem inter varia nunquam satis laudatæ pietatis monumenta meretur Serenissimæ Reipublicæ Venetæ munificentia, cujus maturo consilio, postquam bonorum precibus pacata esset justa divini numinis ira, quæ in universam prope Italiam non paucis retro annis pestilenti contagio exarserat, ut olim CHRISTI REDEMPTORIS tutela, ita pridem DIVÆ MARIÆ SOSPITATRICIS titulo sumptuosum jam e fundamento Templum exsurgit. Vetustatis autem devotionem multis modis excedit posteriorum temporum cogitatio, quæ sacris Ædibus fulgorem ad ditum maximi precii LUCERNAS Aris perpetuas adesse voluit. Inter eas facile primas meretur aurea, quæ dicato prius quod diximus, in Urbe Templo, a Venetis spectati operis & pretii in fano Lauretano suspensa est.

——— sic nox, splendorque diei
Fulget, & ipsa dies cœlesti illustris honore
Plus micat innumeris lucem geminata Lucernis.

Cujus perennitati luculentioribus impensis a prutentissimo Senatu ita prospectum, ut nulla unquam defectura videatur ejus Voti memoria. Verum, præter hæc religionis indicia, aliud etiam spectasse priscos sapientes satis ostendit Tabella in Saturni Ædicula inter alia munera olim pro delubro posita, quæ veluti totius vitæ humanæ imago & compendium Cebeti integri libri materiam sapientissimis Mascardi meditationibus non indigna præbuit. Altioris nempe cujusdam disciplinæ mysteria abdere voluerunt iis in locis, quibus prophanum & ignarum vulgus arceretur. Quod ego cum viris ingenuis dum ab hisce Musarum sacris arceo, Eruditis & Cordatis meipsum bonæ mentis DONARIUM voveo.

F I N I S.

VINCENTII ALSARII
LIGURIS
DE
INVIDIA
ET
FASCINO VETERUM
LIBELLUS.
AD
ROBERTUM TITIUM
BURGENSEM VIRUM ERUDITISSIMUM.

ROBERTO TITIO BURGENSI

VIRO DOCTISSIMO

VINCENTIUS ALSARIUS

S.



Diebus genialibus proxime elapsis cum a sævioribus studiis vacarem, Doctissime Roberte, libellum hunc de Invidia, & Fascino Veterum *inscriptum, animi potius gratia, quam ne minimum quidem gloriæ ex eo mihi eventurum sperans, confeci, quem cum nonnullis ex amicis legendum ostendissem, illico me rogarunt, ut eum quam primum in lucem ederem. Ipse ne, & erga amicos, & de me etiam bene meritos parum gratus haberer, illis morem gessi, ac typis describendum curavi. Tibi autem eum dicare volui, tum quia novi te hominem ab hoc invidiæ morbo penitus alienum, & sincera liberalique doctrina præ cæteris ornatum, tum etiam ut apud animum tuum aliquod meæ in te observantiæ signum testatum relinquerem. Nec illud ad hoc me movit, quod te hujusce antiquitatis ne minima quidem ex parte ignarum existimem, & propterea putare me aliquid novi tibi allaturum, esset hoc enim, tanquam, juxta Proverbium,* Sus Minervam, *cum sis Lectionum omnium helluo, ut tua ipsius opera testantur, verum de hoc alias. Æquo igitur animo atque hilari fronte meum hoc munusculum suscipe, pluraque in posterum a me (si vita suppetet, vix enim decimum nonum annum attingo) ac fortasse uberiora expecta. Vale.*

VINCENTII ALSARII *LIGURIS* DE INVIDIA ET FASCINO VETERUM LIBELLUS.



Legenti mihi librum Aristotelis *de Arte dicendi* secundum, occurrit statim locus ille, ubi de Invidia multa in medium Philosophus adducit. Refert enim Invidiam locum habere sæpius in fortunæ, quam in animi bonis. Sed contra usu experimur quotidie virtute præstantes viros acerrima laborare invidia, & quamvis soleamus iis invidere quos indignitate fortunæ, ad summas opes, summamque rerum opulentiam pervenisse videmus, attamen non in his modo constat Invidia, sed in virtute præditos maxime etiam declinat: Unde Plutarch. *Invidetur*, inquit, *iis potissimum quorum virtus crescere videtur. Itaque etiam Themistocles dicebat, se adolescentem nullum splendidum fecisse facinus, nondum enim sibi fuisse invisum. Sicut enim cantharides maxime adultis jam frugibus, & rosis florentibus incumbunt, ita invidia maxime adoritur bonos, & ad virtutem proficiscentes, atque gloriam.* Hinc etiam Horatius, *Carm.* lib. III. od. XXIV.

Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis quærimus invidi.

Hujs generis exemplum suppeditabit de Aristide Plutarchus, inquit enim *Aristides cum omnis virtutis, tum maxime æquitatis, & justitiæ apud populum periculum fecit, quæ ad summam semper utilitatem ac fructum referuntur, ex quibus Aristides* F *quamquam vir inops, & plebejus, regium tamen in primis, ac divinissimum Justi scilicet cognomen adeptus est.* Nihil igitur in hoc homine admirabilius, nihil præstantius, quam justitia, paupertatisque tolerantia: & tamen cum pauper esset *Justique* cognomen factis, & vita consequutus esset non odio potentiæ, aut divitiarum exilio illo decennali Atheniensibus usitato, quod ὀστρακοῖς fiebat, multatus est. Patet hoc exemplo Invidiam in res omnes

etiam tenuissimæ operæ declinare, cum videlicet quispiam, vel animi, vel ingenii, corporis bonis alium præstare ægre fert, & quodammodo iniquo animo videt, quibus ipse careat, ex quo etiam invidentiam dictam existimavit Cicero. Quibus omnibus manifesto (puro) liquet, non esse id, quod loco *de Arte Dicendi* citato scribit Aristoteles, perpertuo, neque usquequaque verum. Interim autem illud Pindari non est omittendum, *Nem.* ode VIII.

Ἅπτεται δ᾽ ἐσλῶν ἀεὶ,
Χειρόνεσσι δ᾽ οὐκ ἐρίζει.

Id est:

Attingit vero bonos semper, (invidia)
Cum deterioribus vero non contendit.

Idem in *Pyth.* ode XI.

Ἴσχει τε γὰρ ὄλβος οὐ μείονα φθόνον.
Ὁ δὲ χαμηλὰ πνέων, ἄφαντον βρέμει.
Id est:

Opus enim, seu *res valde secundæ, non parvam invidiam habent:*
Qui autem humilia spirat, & humi jacet, obscurum fremit.

Excitari autem plurimum solet invidia, cum immoderate quempiam utentem videmus his bonis quibus pollet: eaque multum esse in ore hominum. Ita enim apud plerosque comparatum est, ut alienis radiis putent suam lucem præstringi. Inter æquales autem potissimum versatur: non enim externi invident, sed aut qui eisdem studiis tenentur, aut qui eandem artem profitentur: de quibus Hesiodus pulcherrime meminit, cum *Figulum Figulo, Architectum Architecto, Poetam Poetæ invidiosum* cecinit. Ibi enim maxime disparilitas eminet, ubi similia conferuntur. Minime vero silentio prætereundum, Invidiam in eos, qui multum cæteris antecellunt, & præstant, esse imbecillam, unde Horatius *Carm.* lib. II. od. XX.

—— *invidiaque major*
Urbes relinquam.
Et *ibidem*, lib. IV. ode III.
—— *jam dente minus mordeor invido.*

Intelligebat enim eo pervenisse, ut sibi nemo posset invidere. Sic & Salustius, *Gloria invidiam vicisti.* E Id etiam commodum aperit Plutarchus *lib.* περὶ φθόνου καὶ μίσους, his verbis: Αἱ δὲ τῶν εὐτυχημάτων ὑπεροχαὶ καὶ λαμπρότητες, πολλάκις τὸν φθόνον κατασβεννύουσιν, οὐ γὰρ ἐοικὸς Ἀλεξάνδρῳ τινὰ φθονεῖν, οὐδὲ Κύρῳ, κρατήσασι καὶ γενομένοις κυρίοις, ἁπάντων, ἀλλ᾽ ὥσπερ ὁ ἥλιος, ὧν ἂν ὑπὲρ κορυφῆς γένηται, καταχεόμενος τὸ φῶς ἢ παντάπασι τὴν σκιὰν ἀνεῖλεν, ἢ μικρὰν ἐποίησεν, οὕτω πολὺ τῶν εὐτυχημάτων ὕψος λαβόντων καὶ γενομένων ὑπὲρ κεφαλῆς τοῦ φθόνου, συνεστάλη, καὶ ἀναχωρεῖ καταλαμπόμενος. Latine dicens. *Rerum secundarum præstantiæ, & exsuperantiæ, & fulgores sæpe invidiam extinguunt: non enim est probabile* F *quemquam Alexandro invidere, neque Cyro, rerum potitis, & omnium nationum dominationem consecutis. Sed quemadmodum sol, quorum super verticem versatur, lumen suum jaculans, aut prorsus ei umbram adimit, aut parvam efficit: ita postquam res secundæ ad magnam altitudinem pervenerunt, & ascenderunt ad invidiæ verticem, comprimitur, & coercetur illa, & summovetur a splendore rerum secundarum illustrata.* Quo & a Marone allusum putarim dum in *Georg. lib.* III. comme-

A morat magnitudinem rerum gestarum Augusti tantam esse, ut Invidia suum livorem in eas non sit ausura expromere:

Invidia infelix furias amnemque severum
Cocyti metuet.

Quod haud scio, an quisquam alius adhuc annotaverit. Non est illud Pindari, a multis posterioribus scriptoribus usurpatum. Invidiam miseratione meliorem, atque optabiliorem esse. Verba Pindari sunt hæc in *Pyth.* ode I.

B Ἀστῶν δ᾽ ἀκοὰ κρύφιον θυμὸν βαρύνει, μάλιστ᾽ ἐσλοῖσιν ἐπ᾽ ἀλλοτρίοις.
Ἀλλ᾽ ὅμως, κρέσσων γὰρ οἰκτιρμῶν φθόνος,
Μὴ παρίει καλά.

Hoc est:

Civium autem animos occulte gravat invidia,
Cum alienas virtutes audiunt.
Verumtamen melior miseratione invidia est;
Ne prætermitteres præclaras.

Ex quibus expressum est illud Epigramma Græcum *Anthol.* lib. I. cap. LXXXIII.

C Ὁ φθόνος οἰκτιρμοῦ κατὰ Πίνδαρόν ἐστιν ἀμείνων.
Οἱ βασκαινόμενοι λαμπρὸν ἔχουσι βίον.
Τοὺς δὲ λίαν δυστυχεῖς οἰκτείρομεν. ἀλλά τις εἴην;
Μήτ᾽ ἄγαν εὐδαίμων, μήτ᾽ ἐλεεινὸς ἐγώ.

Id est:

Invidia ex sententia Pindari, misericordia melior est.
Hi, quibus invidetur, opipare & splendide vivunt.
Eorum autem, qui miseri, & calamitosi sunt, miseremur: at quem me esse velim?
Neque valde fortunatum, neque valde miserabilem.

D Cum quibus congruunt illa Plautina in *Trucul.*

Mavelim mihi inimicos invidere, quam me inimicis meis.
Nam invidere alii bene esse, tibi male esse miseria est.
Qui invident, egent: quibus invidetur, rem habent.

Aristoteles distinguens τὸ νεμεσᾶν *indignari* ὑπὸ τοῦ φθονεῖν *invidere*, lib. II *de Moribus ad Nicomachum*, inquit, Ὁ μὲν νεμεσητικὸς λυπεῖται ἐπὶ τοῖς ἀναξίως εὖ πράττουσι· ὁ δὲ φθονερὸς ὑπερβάλλων τοῦτον, E ἐπὶ πᾶσι λυπεῖται. Hoc est: *Indignabundus*, seu *is qui ad indignandum propensus est, dolet eorum rebus secundis, qui eis indigni sunt: Invidus hunc superans rebus omnium secundis contabescit.* Idem propemodum scribit in *Rhetoricis* lib. II. Εἰ γάρ ἐστι τὸ νεμεσᾶν, λυπεῖσθαι ἐπὶ τῷ φαινομένῳ ἀναξίως εὐπραγεῖν, πρῶτον μὲν δῆλον ὅτι οὐχ οἷόν τε ἐπὶ πᾶσι τοῖς ἀγαθοῖς νεμεσᾶν..... ἀλλ᾽ ἐπὶ πλούτῳ, καὶ δυνάμει, &c. Id est: *Si enim indignari, est dolore affici ob ejus, qui præter dignitatem, & meritum videtur rem suam bene gerere, res secundas; primum quidem perspicuum est non licere ob omnia bona indignari.....sed ob divitias, & potentiam,* F &c. Ibidem eorum rejicit opinionem Aristoteles, qui invidiam aut eandem, aut parum sane diversam esse a nemesi, quæ tamen longe alia est, existimabant. Hoc in errore M. Cicero minime versabatur, imo vim utriusque nominis quam optime callebat. Nam *ad Atticum* scribens libro quinto, inquit: *Ut libet. Sed plane gaudeo, quoniam* τὸ νεμεσᾶν *interest* τοῦ φθονεῖν, quem locum male quidam explicant. Sic enim explicandus est. *Ut libet, sed plane gaudeo.* His verbis, Cicero se gaudere dicit

A propter Adversarii repulsam, declaratque, se sine culpa hoc facere posse, erat enim ille indignus eo honore, quem petebat, nempe Auguratu; quare repulsam illum tulisse merito potuit gaudere. Hirrium autem intelligit, quondam competitorem suum. De eadem autem re in epistola *ad M. Cœlium*. Hoc ideo vult Cicero si Auguratum Hirrius Adversarius meus obtinuisset, ego non immerito indignatus essem, neque propter meam indignationem, invidere ei honorem dicendus essem. Hoc declarans ait differre τὸ νεμεσᾶν, quod *indignari* Latine dicimus, ab eo quod est φθονεῖν, ut Græci dicunt, sive *invidere*, ut Latini. Hanc autem esse veram illius loci sententiam, B nemo puto infitias ibit; nam & eam agnoscunt Victor, Lambinus & alij doctissimi viri. Patet hinc igitur lapsum eorum qui interpretantur; *Interest*, id est, *utile est*, &c. illud *interest*, pro *differt*, est positum, ut *Academic*. II. *Qui illa visa, e quibus omnia decreta sunt nata, negant quicquam a falsis interesse*. Plutarchus præterea Libello περὶ ἠθικῆς ἀρετῆς supradictis consentanea scribit, his verbis Latine factis: *Quibus multo utiliores sunt affectuum alumni impetus, cum rationi præsto sunt, & virtutes adjuvant, ut animi excandescentia acuit, improbitatis odium ad justitiam valet, indignatio ad eorum, qui præter meritum fortunati sunt,* C *objurgationem, & monitionem excitat*. Hoc autem invidiæ morbo Plato maxime laboravit, aliorumque laudes iniquo accepit animo; quemadmodum ex Veterum scriptis copiose probari potest: siquidem inter eum, & Xenophontem tacitæ cujusdam æmulationis livorem extitisse Aulus Gellius auctor est lib. XIV. *Atticar. Noct.* cum nullibi Plato de ipso Xenophonte tanto viro meminerit: ejusdem vero discipulos, sectores loquentes induxerit: quod animi male affecti, atque insynceri argumentum præbuit, ut idem Gellius dicebat: sed hoc Gellii argumentum tamquam falsum Muretus refellere conatur *Variar. Lect.* lib. V. cap. XIV. qui tamen si animadvertisset de Abderite Democrito, qui Physica D exercuit (πένταθλος & ob eam causam dictus) idem etiam factum esse a Platone, sicuti Aristoxenus refert, illa forte contra A. Gellii vel, (ut alii volunt) Agelii sententiam, quippe qui in rerum antiquarum veritate perscrutanda, omnium prope scriptorum consensu, fuit diligentissimus, non protulisset. *Num cum Plato*, inquit Aristoxenus, *Locos quosdam tractaret, in quibus contra Democritum sentiebat, prudens tamen ac sciens, nusquam illum citavit; etsi alios fere Philosophos nominaret: tum,* E *quod est amplius, idem Plato quæcunque habere potuit Democriti Commentaria traditur collegisse, eaque cum cremari voluisset, ab Amyda, & Clinia viris Pythagoricis prohibitus est, asserentibus, eos Democriti libros non posse omnes extingui, cum apud multos passim exempla eorum servarentur*. Quam rem & Laertius Diogenes ex Veterum commentariis recenset. Qui autem invidus est suam ipse sibi fovet infelicitatem, quandoquidem Horatius, *lib.* I. *epist.* II.

Invidia Siculi non invenere Tyranni
Majus tormentum.

F Licet enim (dicit Horatius) Agathocles, Phalaris, & Dionysius Siciliæ Tyranni multa invenerint atrocissima tormenta ad homines cruciandos, & excarnificandos: nullum tamen est quod crudelius torqueat animum, quam invidi hominis contubernalis, & tabifica invidia. Et Plato lib IX. *de Legibus*: *Invidiam* ait *esse contubernalem gravem, ac molestam, maxime quidem primo loco ei qui invideat, secundo loco viris optimis, & clarissimis Civitatis*. Et Antist. invidiam præcipuum, & intestinum, invidi malum esse aperte satis ostendit: qui, ut refert Laertius Diog. lib. VI. in *ejusdem Vita*, dicere solitus fuit: *Sicuti ærugo ferrum, ita invidia animum hominis, ubi insita est, consumit*. Et proinde per translationem invidiam Æruginem vocavere: quasi sit tanquam æris, sic animi Ærugo. Martialis *lib.* X. *epigr.* XXXIII.

Ut tu, si viridi tinctos ærugine versus
Forte malus livor dixerit esse meos.

Id est, furore, & maledica invidia. Horatius *lib.* I. *Sat.* IV.

——————— *hæc est*
Ærugo mera.

Eleganter igitur Isocrates putavit inter maximos cruciatus invidiam annumerari deberi, quod ipsa habenti maximum supplicium sit, ut facile intelligi possit abunde pœnas luisse, qui alteri invidet. Propterea & Quint. Curtius: *Invidos homines nil aliud esse* scribit, *quam ipsorum tormenta*. Est enim invidia ex proximi commodo proveniens dolor, originem ex superbia ducens, sicuti interpretatur Augustinus. Cujusmodi etiam sint invidiæ faces, graphice exprimit Ovidius in illis verbis:

Pallor in ore sedet, macies in corpore toto,
Nusquam recta acies, livent rubigine dentes,
Pectora felle virent, lingua est suffusa veneno,
Risus abest, nisi quem visi fecere dolores.

Propterea autem quod Veteres existimabant, invidiam, iis, quibus invidebatur, esse damnosam, perniciosam, ac pestiferam, & ab ea iccirco Fascinum ut plurimum oriri, (solo enim obtutu, & aspectu invido, atque maligno invidos hominibus, & maxime pueris, nocuisse usu didicerant, natura namque ingenitum est, ut quæ unicuique maxime displicent, ea e medio tollere procuret) iccirco eam multis modis placare, atque extinguere studebant. Tribus autem potissimum remediis ad hoc fuisse usos Veteres illos comperio, quamquam & de aliis sim dicturus. Primum quidem Ridiculo aliquo spectatoribus objecto; deinde Fortunæ secundæ dissimulatione; & denique Casu aliquo adverso sponte suscepto atque contracto. Quorum libet mihi subjicere ex bonis auctoribus exempla. Ridiculi exemplum est, mentula, seu similis res aliqua turpicula, quam de collo puerorum ad Fascinum, & fascinantium invidiam repellendam suspendebant: hoc est quod apud Varronem legitur in libro *de ling. Lat.* VI. in his verbis: *Pueris turpicula res in collo quædam suspenditur, ne quid obsit bonæ scævæ causa*. Quocirca & Fascinum aliquando (liceat hac uti licentia) mentulam significare invenias, ut carmine obscœno apud Horatium, *Epod.* od. VIII.

Minusve languet Fascinum.

Ubi Porphyrio, sive quis alius fuerit qui illa *in Horatium Commentaria* ediderit: *Fascinum pro virili parte posuit, quoniam fascinandis rebus hæc membri deformitas apponi solet*. Nam objecta spectatorum oculis, risu commoto, effascinantium invidiam discutit, atque avertit. Hinc etiam in *Priapeis*:

Prædicaberis fascino pedali.

Et hæc explicans Cœlius Rod. in *Antiq. Lect.* scribit: *Lectum est apud Varronem in Italiæ com-*

pitis Liberi Patris sacra solita celebrari tanta turpitudinis licentia, ut in ejus honorem virilia colerentur pudenda, palam exaltante nequitia, nam Liberi Patris membrum, per dies festos magna celebritate plostellis per agros prius, mox & in urbem vectabatur. Lavinii integer mensis Libero dicabatur, quibus diebus unusquisque spurcissimis abutebatur verbis, donec per forum transveheretur membrum, cui inspectantibus omnibus mater familias honestissimam coronam necesse erat imponere. Sic Deus is propitiabatur, ad seminum proventus: sic ab agris fascinatio averruncabatur. Unde opinor turpi membro impositum nomen, ut fascinum ab effectu diceretur. Atque hæc omnia, ut patet, ex *Antiq. Lectionum* lib. IV. cap. VI. Cœlii Rhodigini. Verum & Fascinus Deus erat ejus depulsor, cujus rei causa curribus triumphantium subjiciebatur, ut Fascinum in autores rejiceret, eosdemque Fascinum recipere, & invidiam juberet. *Et Fascinus*, inquit Plinius, *imperatorum quoque non solum infantium custos, qui Deus inter sacra Romana a Vestalibus colitur, & currus triumphantium, sub his pendens defendit Medicus invidiæ, jubetque eosdem recipere.* Hortos præterea, & fores contra invidentium effascinationes dicare, ut Plinius refert, solebant, & in remedio erant Satyrica signa: etiam Satyrion invidiam depellebat. Et dignum scitu illud in hac mentione: Veteres Ferrarios fabros ante fornaculam solitos redicularia quæpiam appendere, invidiæ avertendæ gratia. Nam quæ turpia erant & ridicula ad avertendam illam pestem accommodata credebantur, obtutu, & aspectu invidentium ex obscœnitate, & miraculo turpitudinis avocatis, ut refert Plutarchus. Hujusmodi vero amuleta dicebantur *bascania*: est autem bascanus qui oculorum acie μαίνει, id est, *pernecat, corrumpitque* visa. Quod apud Cœlium Rhodiginum legimus. Varro quoque quinto *de Ling. Latina* lib. ea remedia *proebra* dicta esse docet, seu *probebra* a prohibendo: & item Festus: quæ Græci ἀλεξίκακα appellant. Fortunæ secundæ occultationis exemplum suppeditabit Catullus carm. *ad Lesbium*:

Dein cum millia multa fecerimus
Conturbabimus illa ne sciamus,
Aut ne quis malus invidere possit.

Hunc invidiæ livorem evitare facile poterimus, si nec venditemus, nec ambitiose nimis jactemus, minimeque cæteris nos præferamus. Inter omnia namque æqualitas maxime conciliat amicitiam, & tuetur, ostentatio autem ubique invidiosa. In cœtu etiam amicorum minime nobis plausores, & nostrarum buccinatores laudum appareamus. Hoc enim ita odiosum semper existimatum est, ut jactata sit apud Græcos Sententia: *Latendum esse dum vivimus, ut feliciter vivamus.* Alioqui qui se nimis exponunt, & quasi ad opinionem hominum ostentant, perpetuos habent persecutores eos, qui se in eodem bonorum genere optant esse quam clarissimos: a quo genere invidiæ diversum minime videtur, quod de Hadriano Imperatore legitur, qui non alia de causa magnos quosdam viros, & Architectos primi nominis perdidisse dicitur, nisi hac una, quod in his studiis, in quibus ipse primum se esse volebat, non poterat pati quempiam præstare: Quo & ambitu cum Nero laboraret Lucanum tradunt non tam ab eo fuisse necatum, quod conjurationis fuisset particeps, quam quod in Poeticæ studiis multum sibi nomen vendicasset. Et Diogenes Laertius scribit Demetrium Phalereum cum apud Athenienses clarissimus esset, & ipsum quoque ab invidia fuisse tentatum. Sic enim ille in *ejusdem Vita* lib. V. Σφόδρα δὲ λαμπρὸς ὢν παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις, ὅμως ἐπεσκοτίσθη καὶ αὐτὸς ὑπὸ τοῦ τὰ πάντα διεσθίοντος φθόνου. Ἐπιβουλευθεὶς γὰρ ὑπό τινων, δίκην θανάτου οὐ παρὼν ὦφλεν· οὐ μὴν ἐκυρίευσαν τοῦ σώματος αὐτοῦ, ἀλλὰ τὸν ἰὸν ἀπήρυγον εἰς τὸν χαλκόν, κατασπάσαντες αὐτοῦ τὰς εἰκόνας, καὶ τὰς μὲν ἀποδόμενοι, τὰς δὲ βυθίσαντες, τὰς δὲ κατακόψαντες εἰς ἀμίδας. Id est: *Verum cum apud Athenienses clarissimus esset, & ipse tamen ab ea quæ cuncta consumit invidia tentatus est. Quippe insidias passus a quibusdam mortis sententiam absens excepit. Non tamen ejus corpore potiti sunt: verum ipsius dejicientes imagines, ærugine ex industria fœdatas, alias quidem vendiderunt, alias summerserunt, aliasque in frusta conciderunt.* Hæc Laertius. Scipionem etiam Africanum ab hujusce invidiæ vi sic vexatum ferunt, ut & urbem relinquere ac ruri degere fuerit coactus. Plutarchus *de Administranda Rep.* Possem huc multa hujusmodi exempla ex Æliano, Dionysio Halicarnasseo, & aliis non paucis desumpta circumferre, quæ, quia doctioribus nota sunt, prætermitto. Illud unum dicam, quod si cupimus hanc evitare invidiam, danda est opera, quantum in nobis est, ut ea bona, quibus illustres sumus, non quidem abscondamus, (hoc enim prope impium esset) sed omni ingenio declinemus, neque superbe, arroganter, fastidiose nos geramus, rebusque partis intemperanter abutamur. Sic enim Cicero in *Philippicis* disputat Marcum Antonium non esse ferendum, quia majorem dominatum affectet, quam libera Civitas ferre possit, eoque adducit animos Civium, ut M. Antonio tanquam superbo tyranno invideant.

Extinguitur similiter invidia cum significamus præstantiam dignitatis, aut fortunæ, non ad nostram sed ad publicam utilitatem conferri. Sic Cicero significat se eloquentiam expetiisse ad reipublicæ dignitatem, & Civium salutem. Illud vero in primis observandum ad invidiam repellendam, quod toties diximus, ne ambitiose nimis jactemus, venditemusque, & minime cæteris nos præferamus. Nam & Pater ille Terentianus locupletissimum moribus filii testimonium putavit attulisse, cum dixit: *Nunquam præponens se aliis: ita ut facillime sine invidia laudem invenias, & amicos pares.* Quin & nobis non parvo erit adjumento ad invidentium effascinationem depellendam Apellem illum egregium pictorem imitari, qui cum apud Rhodios Protogenem in modica existimatione haberi animadvertisset, ejusque opera non adeo præclara existimari intellexisset, tantum abfuit ut ipse ea re lætaretur, aut sibi gloriæ quicquam ex alieno opprobrio accedere putaverit, ut palam profiteretur se magna pecunia Protogenis opera redempturum, quæ deinde pro suis ipse venditaret. Eoque actu, & famam, & quæstum Protogeni comparavit. Tantum igitur abest, ut alienis vitiis insultemus, aut virtutes nostras prædicemus, ut potius si forte contigerit, ut honorificos de nobis sermones audiamus, eos, quantum in nobis est, aut propulsare, aut supprimere debeamus, tum ut ambitionis nomen fugiamus, tum, ut minime invidiam provocemus. Proinde Catullus *loco citato*.

—— *cum millia multa fecerimus*, inquit,
Conturbabimus illa.

Ubi & multum dicit; quia multum non est numerus præfinitus. Ea namque fuit Veterum superſti-

perstitio, ut finitum numerum obnoxium Fascino crederent. Unde cum in culleum primam vini urnam indidissent, dicebant multa. Hoc enim & ad Fascinum depellendum faciebant. Notum enim, ut quæ nimium laudabantur, obnoxia fascino putabant Veteres. Unde Maro *Ecl.* VII.

Aut si ultra placitum laudarit, baccare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.

Qua de re infra uberius: nunc ad instituta pergamus.

Exemplum casus adversi extat apud Herodotum de Polycrate in *Thalia*, cui nihil acciderat, quod nollet, nisi quod annulum, quo delectabatur in mare sua voluntate de Amasis consilio abjecerat, ut Deorum invidiam (sic enim Herodotus) extingueret. Cum autem Fascinus teneris magis quam puberibus noceret. Unde Maro *Ecl.* III.

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

Facilius enim mali sensus, & noxa oculo transmittebatur, quem ὀφθαλμὸν βάσκανον, *oculum invidum*, Plutarchus appellat, causamque & ipse, & Alexander Aphrodisæus quærunt. Iccirco & Cuninam, quæ Dea erat, puerorum cunis additam ferunt, ut ab illis Fascinum arceret, ut Lactantius testatur in his verbis. *Et Cunina, quæ infantes in cunis tuetur, & Fascinum summovet.* Triumphantium mos etiam fuit, præter eum de quo jam supra diximus, ut in Bulla, quam in triumphis præ se gestabant, includerent remedia, quæ adversus invidiam pollere credebant. Putabant similiter, qui ter despueret in sinum, Fascinum posse avertere, ut ille apud Theocritum, *Idyllio* VI. vers. 39.

Ὡς μὴ βασκανθῶ δ', τρὶς εἰς ἐμὸν ἔπτυσα κόλπον.
Ταῦτα γὰρ ἁ γραία με Κοτυτταρὶς ἐξεδίδαξεν.

Id est:

Ut ne autem fascinari possem, ter in sinum meum despui.
Hæc enim me anus Cotyttaris edocuit.

Tale fere illud Persii *Sat.* II.

Ecce avia, aut metuens divum matertera, cunis
Exemit puerum: frontemque, atque uda labella
Infami digito, & lustralibus ante salivis
Expiat urentes oculos inhibere perita.

Præterea & Fescenini versus ad hoc fuere reperti, sic referente Festo Pompejo a Fascino dicti, quia Fascinum putantur arcere, veluti malorum ingruentium amuleta, quamquam nonnulli magis probent nominis morisque originem a Campaniæ oppido Fescenio, vel, ut alii malunt, Sabinorum, traxisse, ut Festus etiam ac Servius deducunt. Hi versus maxima verborum licentia constabant. De quibus sic Horatius *lib.* II. *epist.* I.

Fescenina per hunc inventa licentia morem
Versibus alternis opprobria rustica fudit.

Versum Fescenninum commemorat T. Livius *lib.* VII. *Annal.* Hujusmodi versus Fesceninos Augustum Cæsarem scriptitasse testis est Macrobius:

Habebant autem locum, tum in sponsos, tum in quosdam alios. Catullus in carmine, quod scriptum est *in Nupt. Juliæ:*

Nec diu taceat procax
Fescenina locutio.

Traxit autem originem hæc stulta Veterum opinio, ex eo, quod quæ nimium laudabantur Fascino obnoxia putabant, ut & apud Plinium legimus quorundam laudatione interire probata, arescere arbores, emori infantes. Scribit enim *l.* VII. *In eadem Africa familias quasdam effascinantium Isygonus, & Nimphyodorus tradunt, quarum laudatione intereant probata, arescant arbores, emoriantur infantes.* Unde illud apud Maronem *Ecl.* VII. jam *cit.*

Aut si ultra placitum laudarit, baccare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.

Tertullianus *de Virginibus velandis: Nam est aliquod etiam apud Ethnicos metuendum, quod fascinum vocant, infeliciorem laudis, & gloriæ enormioris eventum.* Iccirco ab illis a quibus id metuebant addi *Præfiscine* volebant. Quo verbo omnem invidiam se amoliri putabant. Valet enim præficisne, absque Fascino. Testificantes ea voce, non se fascinandi voluntate, sed laudandi animo sine livore ullo candideque sese loqui.

Insigne mihi videor apud Charisium hujusce rei exemplum & adscriptu dignissimum legisse. Ait autem Charisius *lib.* IV. *Institut. Grammatical. Præfiscini, Titinius in Setina, Paula mea amabo.* Ecce qui loquitur, Paulam puellam laudare parabat: altera sequitur mox persona quæ id meruit, & præfiscini, metu Fascini addi postulabat ad laudem: *Pol tu ad laudem addito præfiscini, ne puella fascinetur.* Huic quoque sententiæ Hieronymus Fracastorius in *lib. de Antipath. & Sympath.* adstipulari videtur, cum ita scribit: *Legimus & familias quasdam fuisse in Creta* (sed *in Africa* habet Plinii contextus) *quæ laudando fascinum inferebant, quod certe uti possibile recipiendum est. Existente enim natura quorundam (uti dictum est) perinde ac venenosa, & ejaculatis ex oculis eorum spiritibus perniciosis, nihil probibet non solum infantes, sed & grandiores fascino offici. Laudando autem maxime, quoniam laus propria lætitiam parit. Lætitia autem, ut diximus, dilatationem tum cordis, tum & spirituum facit, tum & totius faciei, & præcipue oculorum. Unde aditus quodammodo aperitur veneno; quod a fascinatore ejaculatur. Quare forte natum est illud, quod præfamur, cum aliquos laudare volumus, bene prius ominantes, verba nostra dicimus tibi non noceant: Quin & aliqui sunt qui dum laudantur faciem avertant non tantum, ut indicent molestam sibi esse laudationem: sed ut a Fascino caveant. Jam enim in opinione est per laudationem Fascinum fieri.* Apparet manifesto ex his Fracastorii verbis, causam, ob quam vim Fascini nimiæ laudes habere credebantur, spirituum esse dilatationem. Ita enim facilius anima in se nocumentum recipit. Quocirca opus fuit, tanquam optimo contra hujusmodi venenum amuleto spirituum evellere dilatationem, eosque prorsus constipare. Quam ob causam Baccaris coronam adinventam fuisse legimus; quam herbam odoriferam esse, & constrictivam (ut ita dicam) habere virtutem docet Dioscorides *lib.* III. c. XLVI. Quod item

confirmatur ab Athenæo, qui & ipse eandem huic herbæ virtutem tribuit lib. *Dipnos.* III. Corona ergo hacce herba contexta, meatus constipans, dilatationem prohibet, quæ a nimia laude nasci posset. Et hoc modo vim Fascini impedire & penitus abolere poterat. Hæc sunt, quæ mihi, præstantis ingenii vir, *de Invidia*, A *& Fascino*, tecum habere per ætatem licuit, quæ quidem, & parvi momenti esse, tibique notissima (licet non injucunda, ut spero) minime ignoro. Illud nobis sufficit, hæc te, qualiacumque sunt, æquo libentique animo suscepisse, spemque nostram tuis Literis esse confirmatam.

F I N I S.



JOANNIS SCHEFFERI,
ARGENTORATENSIS,
DE
ANTIQUORUM TORQUIBUS
SYNTAGMA.

VIRO AMPLISSIMO

JO. FREDERICO GRONOVIO

VT. VARIORVM. MVLTIPLICIVMQ.

CONSVMMATÆ. ERVDITIONIS. OPERVM.

QVIBVS.

PRÆTER. INGENII. FELICITATEM. SVMMAM.

IVDICIIQVE. POLITISSIMAM. RECTITVDINEM.

ETIAM. LABORVM. PATIENTIAM. INCREDIBILEM.

CUM. VTILITATE. INFINITA.

MAXIMORUM. MINIMORUMQ.

ORBI. PRIDEM. FECIT. NOTAM.

NOMEN. POSTERITATI.

QVANDIV. HONOR. ERIT. LITTERIS.

COMMENDAVIT.

ITA. HVMANITATE. CANDOREQVE.

PERPETVIS. SOLIDÆ. DOCTRINÆ. COMITIBVS.

AC. ICCIRCO.

VIRTVTIBVS. NOSTRO. SÆCVLO.

KARISSIMIS. CLARISSIMO.

PAVCAS. HASCE.

DE. TORQVIBVS. VETERVM.

PAGELLAS.

IOANNES SCHEFFERVS

IN. PIGNVS. ET. MONVMENTVM.

OBSERVANTIÆ. PERPETVÆ.

DO. DICO. CONSECRO.

INDEX CAPITUM.

JOANNIS SCHEFFERI, ARGENTORATENSIS, DE ANTIQUORUM TORQUIBUS SYNTAGMA.

CAP. I.

Torquis variæ originationes.



Orques sive torquis absque differentia promiscueque reperitur apud Veteres. Vocabulum Latinum est, a torquendo dictum, ut Grammatici ostendunt. Isidorus *l.* XIX. c. XXXI. *Dictæ torques, quod sint tortæ.* Scilicet tortorum funium imaginem referebant, ut post indicabitur. Unde funes ipsi aliquando dicti sunt *tormenta*. Idem auctor: *Tormenta a turtu dicta, sunt restes funesque.* Deducit a supino tortu; recte, ut opinor. Namque ut a jutu est jumentum, ab indutu indumentum, ita plane a tortu est tormentum. Alias origine viciniori, & ad nostram vocem propiori sono appellarunt *tortos*. Pacuvius apud Nonium hac voce: *Te in tenebrica sæpe lacerato fame clausum, & fatigans artus torto distraham.* Verba esse videntur alicujus, plagas alteri cum restibus minitantis, quod genus apud Veteres inter supplicia fuit servilia, & privatim usitata in militia navali, sicut demonstravimus in libris de eo argumento nuper editis. Quanquam non repugnem, si quis plane de tormentis velit intellectum, quibus fontes puniuntur, sicque expositionem Nonii præferat, cum & tormenti vox a funibus dicatur. Certe ut non funes restesque appellarint tortos, saltem torques sic appellavere. Glossæ veteres, quæ Cyrillo inscribuntur: *Torquis, torques, tortus.* Item alio loco: *Tortile, circulus, tortus.* Observa ex hoc loco, etiam *tortile*, ac *circulum* vocasse. Virgilius *l.* v. *Æneid.*

Flexilis obtorti per collum it circulus auri.

Quanquam circulus & torques nonnihil fuerint diversa, uti alias docebo. Ejusdem cum torto originis est *torus*, pro fune torto e loris. Cato *de Re Rustica* ut locis aliis, sic c. CXXXV. *Habeat funis lora in toros singulos novem.* Significat & lectum, quia olim ex herbis tortis fiebat. Servius initio *Æn.* II. *torus ab herbis tortis dictus est.* Per herbas juncos intelligit, vel folia arundinum, e quibus hodieque toros suos passim nautæ faciunt, funium instar primum tortis, mox in latitudinem idoneam confertis. Aliquando & stramentum adhibebant. Plinius *l.* VIII. c. XLVIII. *Antiquis torus e stramento erat, qualiter etiam nunc in castris.* Stramentum illud non reponebatur in sponda cumulatim, ut fit hodie, nec inferebatur sacco e centonibus, sed eo, quo prædixi, modo tortum aptabatur in usum lectorum, referebatque prorsus ejus rei effigiem, quam & Veteres olim, & nos hodie *mattam* appellamus. Ut sint imperiti plane, qui stuppa, fœno, aut lana rudiore infertum quid exponunt. Ex tortis enim juncis, aut scirpo, aut arundinum foliis fiebat, sicque deponebatur in terram, quod conveniens erat duræ antiquorum vitæ, atque ideo & postea longo tempore in castris, ut Plinius innuit, servatum est. Erratque vehementer magnus Scaliger in *Notis ad Varronem*, quando *toros* scribit vocatos, *quod toris, id est, funibus lecti tenderentur.* Id enim adeo insolens & inusitatum fuit apud Veteres, ut ingenti probro Alcibiadi verteretur, quemadmodum Plutarchus testis est. Nec lectorum nomen aliunde, quam ex stramento, herbis, frondibus in hos usus lectis; post quæ longo tempore transitum ad culcitas, id est, fartos aut inculcatos tomento centones, & reticula ex funibus, in quibus suspenderentur, ut vel ipse, quem prædixi, Varro docet. Torus ergo apud Veteres est lectus, quoniam ex herba torta: imo & capilli crinesve torti apud eos tori esse videntur. Apud Virgilium profecto leones gaudent *comantes toros cervice excutere*, quod ut de circulis eminentibus in cervice, sic & de jubis in ea tortis intelligi posse nec repugnat quidquam, & vocabulum *excutere* quodammodo ostendit. Deinde & in *Notis* a Grutero sub Cyrilli nomine ac Tullii Tyronis editis reperio continue excipientes sese istas voces: *Seta, setosum, setigerum, bispidum, torum.* Unde Veteres torum pro coronato, crinibusque tortis asperato usurpasse haud fortassis absque ratione conjecto. Nisi quis hic putet torum idem esse, & quod vulgo toruum scribimus. Quanquam & hoc ipsum id, quod dicimus, significasse proprie, vel inde credi potest. Torulus profecto, quod a toro nascitur, significavit. Colligimus ex Plauto, qui sic in *Amphitruone*, statim ab initio:

Meo patri autem torulus inerit aureus
Sub petaso.

Torulum hic varie exponunt. Calepinus parvum lectum, prodigiose admodum. Quomodo enim lectus sub petaso: igitur quia vidit non procedere, ad nescio quem interpretem ac criticum confugit, qui pro voce ista *trochulum* substituit. Lam-

A binus melius aliquanto, istis verbis: *Torulum videtur mihi Plautus pro parvula torque toruli ejus, qui est in arboribus, speciem præbente, posuisse, aut pro funiculo aliquo retorto, aut pro parvo nodo.* Funiculum etiam Scaliger exponit, nempe quia torus, ut prædixi, funis. Sed quis funiculus sub petaso? quo exemplo? in quem usum? Nec torquem magis probo. Nam torulus non a torque, sed a toro: & torques non sub petaso, sed in collo. Quare torulus nil potest esse, quam διαβεβοστρωμένόν τι, ut ex Archilocho Pollux nominat, hoc est cinnus parvulus intortus, qui vel referebat colore, vel implexum habebat aurum ritu veteri. Ita namque Græci consueverunt, Attici cumprimis, ut *ad Ælianum* pridem B demonstravimus. Convenit, quod fabula Amphitruonis a Plauto versa est ex Græco. Nec male signum hoc ab autore ejus Jovi tributum, cum cinnis illis vetustissimi Græcorum uterentur, ac nobilissimi: atque adeo & nobilitatem Jovis indicare posset, & vetustatem. Expresse enim τοὺς πρεσβυτέρους τῶν εὐδαιμόνων apud Græcos Atticosque hoc observasse Thucydides ait, & confirmat ex Homero Plinius *lib.* XXXIII. cap. I. quando *apud Homerum virorum crinibus aurum implexum* scribit. Torulus ergo Plauti, cinnus tortus, a toro, quod idem significare videtur. Varronem *intortum* appellasse puto. Ita C namque in Satyris, ut refert Nonius, voce *Rictum*.

Ante aures modo ex subolibus, parvoli
Intorti demittuntur, seu cincinnoli.

Sic hunc locum scribo, cum vulgo libri habeant *sed*, vel *sex*, ex quo Popma fecit *ceu*. Τὸ *cincinnoli* præcedentis *intorti* interpretatio est. Nempe cincinnus magis in usu, pro tortis crinibus, quam tortus, aut intortus, cum hoc quicquid denique in orbem flexum esset, significaret, a toro, quod natura sua signat quid rotundum. Unde apud Græcos quo- D que τόρος est, & τορεύω, & τόρνος, ut apud Latinos *tornus, tornare, tormina, torcularia*, & id genus, quoniam in his omnibus circulatio est quædam, aut rotatio in gyrum. Sed ad propositum est veniendum, notandumque, quod ut toros pro torquibus, sic & *tores* aliqui apud Veteres usurparint. Charisius *lib.* I. *Tores Servilius, ut etiam Flavius Pomponianus notat, aureus tores, pro torques.* Alias *monile* dicebatur hic ornatus. Ovid. *l.* V. *Met.* fab. I.

Indutus chlamydem Tyriam, quam limbus obibat
Aureus, ornabant aurata monilia collum.

E Versus sunt de Aty juvene. Unde patet nugatorium esse, quod habet Isidorus de differentia utriusque vocis, quasi torques proprie sit virorum, monile fœminarum. *Torques*, ait, *& bullæ a viris geruntur, a fœminis monilia & catellæ.* Sane Festus etiam: *Monile dictum est ornatus mulieris, qualem habuisse Eryphilam fabulæ ferunt.* Sed pugnare pro Ovidio ipsa ejus nominis origo videtur, si modo ea est, quam Grammatici vulgo tradunt. Dictam enim *a monendo* volunt, ut quomodo a caveo, cavile, sic a moneo sit monile. Quod cujuscunque modi sit, melius profecto est, quam quod habet Isidorus, qui *a munere* F deducit. Nam & Tertullianus *monile* pro monimento usurpavit in *Apologetici* cap. XVI. *Omnes illi*, ait, *imaginum suggestus insignes, monilia crucium sunt*: hoc est, crucis figuram repræsentant, atque ita crucis nos admonent, sicut amplius hoc expono in opere meo *de Re Vehicularia*. Quod si ergo a monendo est, idque quoniam admoneat virtutis, ut Grammatici exponunt, quomodo ad fœminas pertinere possit? Quare nihil aliud monilia, quam torques. Nec diversum segmenta, quoniam monilia. Servius *ad* I. *Æn. Monile, ornamentum gutturis, quod & segmentum dicunt: ut Juvenalis: segmenta & longos habitus. Licet segmentatas vestes dicamus, ut ipse. Et segmentatis dormisset parvula cunis.* Adscripsi integrum hunc locum, ut supplerem Isidorum, apud quem hæc verba mutila hodie leguntur, isto modo: *Nonnulli hoc & segmenta & longos habitus: licet & segmentatas vestes dicamus, ut ipsa, & segmentatis dormisset parvula cunis.* Scribe: *Nonnulli hoc & segmentum dicunt, ut Juvenalis, segmenta e. l. h. l. e. s. v. d ut ipse* (scilicet Juvenalis, non vero *ipsa*, quod est nihili.) Repetitio vocabuli *segmentum* effecit, ut membrum incuriosus & festinans scriba omitteret. Interim segmentum, uti vides, Servio & Isidoro monile, idque teste Juvenale, quem hic laudant. At vero Juvenali non est monile, si Scholiastem ejus audimus, sed vestis in collo fimbriis ornata. Sic namque *Sat.* II. *Segmenta fimbriarum, seu vittatas vestes.* & *Sat.* VI. *Segmenta vittæ pendentes de vestibus, intextæ auro.* Duplex genus segmentorum innuit, alterum dependens in vittis, alterum in fimbriis. Illud non existimo esse aliud, quam quod hodieque Hispanis est in usu, & apud nos in pueris retinetur. Tæniæ sunt tres quatuorve digitos latæ, pendentes ab utroque humero, quas *Flugel*, id est, *alas* nostro idiomate appellant. Alterum genus quod velut extremum in veste ambibat collum, latum, in altitudinem circum circa erectum, ornatumque auro, cujusmodi adhuc majorum temporibus in crebro usu fuit, antequam ex veste linea collaria fierent, ut ex imaginibus & picturis cognoscimus. Nec hodie penitus desiit, præsertim apud rusticos alicubi, qui in togis suis, aut indusiis servarunt. Idque segmentum olim dictum videtur, non quia circulari forma, ut putabat Galeottus *lib.* I. *de Homine*, sed quia aureis quibusdam lineis distinctum, ac quasi intersectum erat. Galeottus ita ait: *Segmentum hac notione ornatiorem torquem significat, quia collum circumit. Nam segmentum circulus est. Plinius* VI. *Plura autem sunt hæc segmenta mundi.* Bis hic peccat Galeottus: semel, quod segmentum putavit dictum quia collum circumit; iterum quia Plinii segmentum credidit signare circulum. Nam & alias id est, quod rescissum quasi est ab alio, & apud Plinium sic usurpatur, quia circulis quibusdam mundus sive cœlum in imaginarias dividitur & secatur quasi partes. Quare hactenus segmentum proprie torques non est, nisi quatenus alterum ejus genus ambit collum, & similitudinem nonnullam habet cum circulo, ut post ostendam. Et sic nec monile torques erit, quoniam monile segmentum, ut superius monstravi. Usurpantur interim promiscue hæ voces una pro altera, quoniam nec tanta in rebus fuit differentia, & uni fini omnia destinabantur. A Græcis torques dictæ sunt στρεπτοὶ, eadem originatione, qua apud Latinos torques. Nam ut hic a torquendo, ita illic a στρέφειν, *vertendo, flectendo* nominantur. Est enim integre στρεπτὸς ὅρμος, sicut Latinis torques circulus, vel catena torques. Quod alterutrum cum subintellectum sit vocabulum a Veteribus in nomine torques, factum ut genere ancipiti, modo masculino, modo fœminino efferretur. Plane sicut apud Græcos, qui & ipsi στρεπτὸν interdum masculine, aliquando neutraliter, subintellecto vel ὅρμος, vel ψέλλιον, aut alio simili vocabulo, usurpare solent. Per se enim & στρεπτὸν & torques nihil aliud significant, quam tortum quid, & flexum. Unde & hæ ipsæ voces rebus aliis accommodantur. Sic apud Virgilium torques vinculum est, quo sociantur jumenta & copulantur ad jugum, III. *Georg.*

—— Ipsis e torquibus aptas
Junge pares.

Torques nil hic aliud, quam circuli ex viminibus funium instar contortis, quales ubique rustici inter instrumenta sua habent. Unde ipse Virgilius *tenui de vimine circlos* nominavit in prioribus. Apud Plin. *l.* X c. XLII. & Apulejum *Flor.* II. torques in psittaco, est circulus coloris miniati in ejus collo. Sic in columba usurpavit Propertius *l.* IV.

Sed cape torquatæ Venus o Reina columbæ.

Et Iingem avem, quam alias motacillam vocant, *torquillam* dici *a torque quo collum insignita est*, ait Pierius *l.* XXXVI. c. XLIX. *Hieroglyph.* Jam ut torques, ita & στρεπτὸς varie usurpatur. Apud Athenienses placentæ genus designat. Harpocration. Πλακοῦντος εἶδός ἐστιν οἱ στρεπτοί. Nempe quia funium varie flexorum instar fuit contortum. Latini *scriblitam* appellasse videntur nomine ex illa ipsa Græca voce formato. Ad quam Græcam Germani propius *Streubas*, sive *Straubas* nuncupant. Meminerunt Scriblitarum Martialis, Plautus, & cumprimis Cato, ex quo & conficiendi ratio Veteribus usitata intelligitur. Nec fortasse aliud est genus, quod nonnunquam *tortam* vocant; nomen enim convenit: quid namque torta, nisi στρεπτός? Isidorus tamen *crustulam* exponit *l.* XX. c. II. *Crustula*, inquit, *diminutivum est a crusta: panis oleo conspersus, in medio concavus & tortus, hæc & torta panis.* Verba mihi hæc suspecta sunt. Quid enim *torta panis*? cur non *tortus panis*? an quia pars quasi panis, quæ sic appellatur, quomodo & crusta pars est? Si hoc, cur de pane integro exponitur? Puto mutila esse verba, intercessisseque nonnulla post *diminutivum est a crusta*. Utique quæ de pane concavo & torto scribit, magis videntur quadrare in spiram: cum concavitatem illam intelligere non possim, nisi quæ fit pane forma restis tracto, & composito in orbem, unaque parte leviter contorto, quod genus eleganter Sueci *Kringel*, tanquam flexum quid in orbem appellant. Hoc autem plane spira est, uti docet M. Cato *de R. R.* c. LXXVII. Sane spira placentæ genus apud Veteres, ut ex Catone discimus, cum torta genus sit panis, si fide dignus Isidorus. At τὸ *panis* apud Isidorum additum ex glossemate videtur, aut sic laxe accipiendum, quomodo Diogenes placentam appellasse *panem probe confectum* dicitur. Nisi potius illud *panis* additum dicendum, ut innueret esse tortam aliam, non panis, sed placentæ, quæ spira diceretur; nec forma, sed conficiendi ratione differat a torta. Atque adeo torta dicta sit Latine a torquendo, quæ a σπεῖρα imitatione Græca spiræ nomen habuit; a στρεπτὸς vero venerit vox scriblitarum, quæ & ipsæ a Veteribus non eo modo sicut hodie figura orbiculari plena, sed adinstar circuli in medio cavi facta videntur.

Cæterum ad torquem redeundum, quam & περιδέραιον Græci, & περιτραχήλιον, dixere. Phavorinus: [illegible], περιτραχήλιος κόσμος, ἀπὸ τ δέρῃ. Pollux: τὰ περὶ τῷ τραχήλῳ, ἢ περιδέραια. Collaria posses reddere. Alias & μανιάκας appellarunt. Glossæ: *Torques*, στρεπτοὶ, μανιάκαι. Suidas: μανιάκης, ὁ περιαυχένιος κόσμος. In Glossis aliis non μανιάκης est, sed μανίαξ, quod nescio an alias invenias. Μανίαξ, *tortile*, *circulus*. Polybius Gallicam appellat vocem. Verba sunt *Hist.* II. Καπιτώλιον ἐκόσμησε τοῖς μανιάκοις. τοῦτο δ' ἐστὶ χρυσοῦν ψέλλιον, ὃ φοροῦσι περὶ τὰς χεῖρας καὶ τὸν τράχηλον. Non exposuisset, nisi barbaram putasset vocem. At diu ante usurpavit Xenophon, ut plane Græca videatur. Quamquam & hujus tempore a Gallis invaluisse potuit apud Græcos. Quicquid sit, sive Græcam statuamus, sive Gallicam, patet errari ab iis, qui a *manu* derivant, cum vox Latina Græcæ Gallicæve dare originem haud potuerit. Præterea nec tam manuum, quam colli ornamentum fuit, ut in sequentibus ostendetur. Bochartus *l.* I. c. XLII. P. II. *Geographiæ Sacræ* a Chaldæo מניכא *menica* putat ortum, quod pro torque usurpari scribit *Danielis* V. *v.* 7. notavitque pridem in *Lexico suo* Munsterus. Sententiam illius sicut haud rejicimus, sic fortasse propius a Celtico (si, quod putat ille, Gallica vox est) *mannus* derivamus. Ut dictus sit μανίαξ, quia manis, hoc est, viris, iisque, qui se fortiter gessissent in bello, proprium gestamen fuit. Sane apud Scholiastem Theocriti μάννος pro torque reperitur geminata littera, quod proxime ad Celtarum vocem *manu*, quo vir significatur, accedit. Verba sunt *Idyl.* XI. Μάννος δ' ἐστιν, ὁ περιτραχήλιος κόσμος, τὸ λεγόμενον μαννάκιον. Ex hoc μάννος apud eundem sunt *μαννόφοροι qui torques ferunt*. Quanquam &, si Phavorino auscultamus, licet μάννος colli quendam significet ornatum, is non tam intelligendus sit de torque, quam segmento. Sic enim ipse de vocabulo μαννάκιον, quo Scholiastes ante dictus μάννον exponit. Μαννάκιον (ita scribit pro μαννάκιον a μανίαξ) τὸ τοῦ ἱματίου περιστόμιον. Hoc est, *maniacium ora est in veste*. Non potest ora alia intelligi, nisi ea, quam segmentum supra diximus vocari. Pollux hujus ipsius mentionem facit *l.* V c. XVI. inter τὰ περὶ τῷ τραχήλῳ κοσμήματα, *colli decora seu ornamenta*, & μάνον ἢ μόνον unica ν littera appellat. A quo posteriore μόνῳ Latinum *monile* ortum esse magis mihi persuadeo, quam a monendo, ut Grammatici Latini opinantur, contenduntque, dum ex suæ linguæ originibus derivare cuncta laborant. Ut sic proprie conveniat στρεπτὸς & torques; alterius, nec tamen diversi, generis sit μανιάκης, μάνος, μόνος, monile, segmentum, circulus; utrumque significet περιδέραιον ac περιτραχήλιον, cum utrumque pertinuerit ad collum. Ex quo & δειροπέδην dictam legimus apud Gregorium hoc sensu, Budæus certe torquem reddit. Inter περιτραχήλια porro etiam sunt ὁρμίσκοι, & ὅρμοι. Hesychius: ὅρμοι, λιμὴν, ἢ περιτραχήλιος κόσμος. Ὁρμίσκοι, περιτραχήλιοι κόσμοι γυναικεῖοι, ἢ μανιάκης, ἢ περιδέραια. Recte ait κόσμοι γυναικεῖοι, ἢ μανιάκης, quia μανιάκης ad fœminas non pertinebat. Ὅρμοι vero ad utrumque, & ad fœminas & ad viros. Pollux *l.* VII. c. XXIV. inter fœminarum ornamenta refert, ubi docte interpres *monilia* exponit. Glossæ: ὅρμος τὸ περιδέραιον, *monile*. Sed & Homerus fœminarum monilia ὅρμους nominat *Iliad.* Σ. & *Od.* O. & Athenæus *l.* VI. Helenæ περιτραχήλιον, vocat ὅρμον. At vero viris, ipsisque etiam Regibus tribuit Epiphanius libello *de duodecim gemmis*, capite *de Saphiro*: Διὸ καὶ ἐν τοῖς χλιδῶσι καὶ ὁρμίσκοις κατατιθέασι τοῦτο, μάλιστα οἱ βασιλεῖς. *Propterea & in armilis torquibusque reponunt, maxime Reges.*

CAP. II.

De Autore Torquium.

AUtorem torquium nemo facile, opinor, indicaverit. Quisquis fuit, non recentibus cum sæculis, sed vetustissimis vixisse necesse est. Nec enim apud nuperos, sed plane antiquissimos historicos, ipsumque etiam Mosen, mentionem eorum reperimus. Ita namque is, *Genes.* XLI § 4. de Pharaone Rege Ægypti: *Tulitq; annulum de manu sua, & dedit eum in manu ejus, vestivitq; eum stola byssina, & collo torquem aureum circumposuit*. De Josepho loquitur, Ægyptiorum Hermete, ut non pauci volunt, qui proinde vixerit iis temporibus, quibus apud Græcos vetustissimi Deorum. Huic Pharaonem Regem torquem dedisse ait, Græca Versio eandem rem exponens ita habet; Καὶ περιέθηκε κλοιὸν χρυσοῦν

περὶ τ

περὶ τὸ τράχηλον αὐτῦ Ubi κλοιὸν usurpasse autor ejus videtur pro eo, quod alias est μανιάκης. Hesychius: Κλοιὸς, παρατραχήλιος δεσμὸς, κολλάριον, ἤτοι μανιάκης. Est autem μανιάκης non torques proprie, sed segmentum, circulusve, ut præmonui, quare idem & de κλοιῷ judicandum videtur. Κλοιὸς sane a κλείειν, *includendo*, quia claudit, cui circumponitur. Quare & pro millis canum, aut bojis usurpatur. Phavorinus: Κλοιὸς, ὁ δεσμὸς, ὁ περιτιθέμενος τῷ τραχήλῳ τῶν κυνῶν, καὶ ὁ ζυγὸς, καὶ ὅσα τοιαῦτα, ὁ περιτιθέμενος τῷ τραχήλῳ. Nec aliter κολλάριον apud Hesychium intelligendum est. Conveniunt porro hæc omnia magis cum circulis, quam torquibus. Quia hæ rotundæ & ex filis, isti lati & ex una lamina, plane sicut bojæ, aut milli, aut alia ex ferro vincula, quæ collis circumdantur. Ut si Græcos sequi volumus, non tam torques fuerit, quod a Pharaone donatum est Josepho, quam annulus in collo, circulusve. At vereor, ut hac in parte Textum Hebræum rite exposuerint, sive Græci, sive Latini Interpretes. Nam in eo רביד *rebid* est, quod proprie quid cohibens significat, quomodo stragula coercent lectos. Igitur Cl. collega meus Christianus Ravius de veste explicat, quæ injicitur interiori, & hodieque auro argentove intexta datur legatis in Oriente, quando admittuntur in conspectum Regum. Cui hac in re consentio, nec vel circulum, vel torquem dedisse Josepho Pharaonem Ægypti Regem, qualem vulgo nos sic appellamus, puto. Palla fuit longior, ex pretiosiori veste circa collum auro argentoque decorata, quæ cum & collum clauderet, & humeros ambiret, præterea varii esset coloris, ob intextum aurum argentumve, hinc *rebid* vocata est.

Interea quis, nec inepte forsan, putet, id vestimenti genus circulis & torquibus dedisse ortum. Nempe ut nostri majores primum oram indusii paulo longiorem crispabant, mox promittebant longius circa collum in thorace, postmodum divisim gestare cœperunt (credo, ut sæpe mutari, mundioraque sordidioribus substitui commode possent) vocaruntque *collare:* ita plane antiquissimis temporibus primo pallas istas, ut expresse Curtius appellat, *lib.* III. cap. III. inter vestimenta Darii, distinguebant auro, mox separatim circulos collo circumdabant aureos. Quod eo mihi videtur probabilius, quia circulos hujusmodi reperio in imaginibus Isidis & Osiridis, quas mensa Pignorii exhibet. Illud enim, quod earum ambit colla, bene latum, & in quibusdam ad humeros pertinens, variis intersectum lineis, distinctum bullis, ductibusque pluribus serpentum specie ornatum, nihil aliud, quam quod dixi, repræsentat. Præsertque plane imaginem collarium, quæ ab illo ipso *rebid* apud Gallos *rabat* vocata esse, idem Ravius ex nescio quo vetustiori autore non improbabiliter conjectat. Utut sit, hoc palam est, pro torque cæteros Interpretes fere omnes accepisse, quod Josepho inter alia munera donatum est a Pharaone. Neque ibi tantum torquium mentionem faciunt, sed & ante, in historia Thamaris, maxime Græci. Nam cum eo loco Latina Vulgata habeat *armillam*, Septuaginta reddunt ὅρμισκον, Aquila στρεπτόν. Quanquam per στρεπτὸν hunc ipsum non torquem proprie, sed diversum quid, qualecunque denique, quod intortum est, indigitasse quis hic dixerit. In Hebræo certe פתיל *ftil* est, quod nil, nisi id, quod Græcis est στρεπτὸν per se significat. Igitur & ambigua illius est interpretatio, aliis de intorto quodam ornamento in collo, aliis de auro intorto in brachiis, aliis denique de vestimenti contorti quodam genere hic cogitantibus. Ravius, cujus hic judicium libenter sequor, de re nulla verius, quam fascia quadam, qua vel ligabant caput, vel succin-

A gebant vestes, intelligi arbitratur. Et faciunt alterum Suecus, alterum Germanus Interpres. Hic enim *gyrtel*, hoc est, Zonam, ille *hofuudbonat*, hoc est, capitis velamen reddit. Castalioni quoque *vitta* placuit hoc loco: & credibilius de ea, quam de Zona cingulove, maxime in eo, qui faciebat iter. Vitta tamen sive fascia non alia intelligenda est prædicti Ravii judicio, quam quæ Chaldæis Persisque fuit propria, & adhuc ab ipsis, *dulband* nomine usurpatur, decem pluresve ulnas longa. Juvat, quod jam olim ea fascia funis instar fuit torta, ut in cidaris imagine apud Goltzium in *Augusto*, & diademate Regum Numidarum, quorum hodieque B conspiciuntur Romæ imagines, seu statuæ, observamus. Nunc quoque varie in Oriente torquetur, præcipue a Turcis, uti notum est.

Hujusmodi ergo contortam in orbem fasciam arrhabonis loco petierat a Juda, acceperatque Thamar, non torquem aureum, cum in Sacro codice auri nulla hic reperiatur mentio. Adeo ne ex illo quidem loco torquium antiquitas asseri posse videtur. Nec cessat ideo res antiquissima esse, ut apparet primum ex prædicta Pignorii pictura, quæ desumpta est a vetustissima quadam tabula, reposita olim in templo Isidis. Deinde ex vetustissimo auctore librorum Sacrorum, qui *Vitas Judicum* apud He- C bræos continent. Illic enim expresse mentio fit torquis, quæ Hebræis vicinisque populis ענק *anaq* est, in collis Regum Madian & camelorum. Vixerunt illi tempore Gedeonis, id est, annis mille circiter, ducentis & quinquaginta ante Christum, unde de antiquitate ornamenti hujus judicari potest. Cum præsertim ibi quoque sic commemoretur, velut res bene nota tunc & usitata, quod sine observatione omittendum non est. Mihi sane nullum dubium; quin diu ante illa tempora gestaverint, saltem Reges. Juvat, quod armillarum mentionem fieri videam tanto ante tempore, vix autem verisimile bra- D chia tam diligenter exornasse, collum reliquisse nudum. Accedit gentium fere omnium mirabilis consensus in hoc ornamentum, qui vix esse solet, imo esse vix potest, nisi in rebus antiquissimis, & a primis hominibus inventis. Denique & in Moyse ad torques alluditur, quando legitur *Deuter.* XV. §. 14. העניק העניק לו *baaneq baaniq lo.* Hinc Rabbi David Kimchi in expositione hujus loci, *pones super collum ejus tanquam aneq.* Ego imitatione veri textus, sic Latine reddi posse autumo: *ornabis eum ornamento munerum de pecude tuo:* quomodo Cicero *lib.* VII. *Ep. ad Cæsarem* verbum ornare usurpat: *neque impedio, quominus etiam hisce eum ornes glo-* E *riæ insignibus.* Nimirum Sanctus Autor non ad liberalitatem tantum respexit, sed & honorem quendam eo loco, manumissumque voluit a se dimitti non modo cum subsidio nonnullo vitæ, sed & honore, in testimonium quasi bene administrati muneris, diligentiæ præstitæ ac fidei, & ex eo amicitiæ: quomodo Ægyptii Israelitis vasa aurea argenteaque & utensilia ideo commodasse leguntur, ad quos alludit. Et quoniam ad honorem quendam respexit, patet sane antiquissimis, etiam Moysis temporibus illud *anaq* inter insignia honorum fuisse relatum, adeoque notatum qualiacunque deni- F que colli ornamenta extitisse.

CAP. III.

Materia Torquium.

TOrquium non una apud Veteres materia; vulgo tamen fuerunt ex auro. Varro apud Nonium in *torques: Insignibus Martis torques aureæ.* Item; *torques aureæ multæ relatæ Romam.*

Florus *l.* I. c. XIII. *Aureum torquem barbaro inter spolia detraxit.* Quintilian. *l.* VI. c. III. *cum ei Galli torquem aureum centum pondo dedissent.* Nec aliud voluit Silius *lib.* XV. isto versu :

Hic torque aurato circumdat bellica colla.

Auratum quidem alias, quod est auro tectum. Unde prædictus Quintilian. *l.* VIII. c. VI. *cum dico aurata tecta aurea, pusillum a vero discedo.* Sed eo ipso loco per hypallagen figuram sic ostendit usurpari posse. Quomodo & Ovidius *l.* V. *Met.* Fab. I.

—— ornabant aurata monilia collum.

Aurata enim hic sunt tota aurea, plane sicut torques fuere. Dionys. Halicar. *l.* X. de Siccio: *Reportavi præterea torques aureos* LXXXIII. Xenophon *lib.* I. Κῦρος δ' ἐκείνῳ δῶρα, ἵππων χρυσοχάλινον καὶ στρεπτὸν χρυσοῦν. *Dedit ei Cyrus dona, frænum aureum & auream torquem.* Sicut hic στρεπτὸν χρυσοῦν, ita μανιάκην χρυσοῦν legimus apud Polybium in verbis, quæ superius adducta sunt. Josephus *l.* XI. cap. IV. vocat περιαυχένιον χρυσοῦν, ubi Darius pollicetur sapientiori ex custodibus corporis καὶ κίδαριν βυσσίνην, καὶ περιαυχένιον χρυσοῦν, *& cidarim rectam, & aureum colli ornamentum.* Sic Tertullianus *aureum cervicis ornamentum* pro torque. Virgilius *Æneid. l.* VIII.

—— tum lactea colla
Auro innectuntur.

Et *lib.* X.

Qualis gemma micat fulvum quæ dividit aurum
Aut collo decus, aut capiti ——

Jam quoniam ex auro fuere, hinc fulgent. Lucilius *lib.* XII. apud Nonium : *Conventus pulcher, bracæ, saga, fulgere torques* Tacito splendent *Hist.* II. cap. LXXXIX. *militum phaleræ torquesque splendebant.* Habuerunt tamen etiam *ex argento.* Testis Plinius *lib.* XXXIII cap. II. cujus verba alio loco adducam. Capitolinus in *Maximinis*: *Severus militares dabat ludos, propositis præmiis argenteis, id est, armillis, torquibus, & balteolis.* Forsan huc respexit Suetonius, quando ait *de Augusto*, cap. XXV. *Facilius phaleras ac torques, quicquid auro argentoque constaret, dabat.* Colligitur hinc sane, sicut alia, sic illas ipsas phaleras torquesque constitisse auro & argento. Torques *gemmeas* memorat Nævius apud Charisium, qui tamen versum ejus adducit ex Capro :

Collum marmoreum torquis gemmata coronat.

Legebatur versus hic in *Iliadis* ejus *lib.* I. Ex *ferro* narrat Strabo *lib.* III. in mulieribus Hispanis, autore Artemidoro : περιτραχήλια, inquit, σιδηρᾶ φορεῖν αὐτάς φησιν, *ajunt eas torques ferreas gestare in collo.* Meminit & Herodianus in Britannis *lib.* III. cap. XIV. τὰς μὲν λαπάρας καὶ τὰς τραχήλους κοσμοῦσι σιδήρῳ, *ventrem atque cervicem ferro exornant.* Erasmus Stella *lib.* I. *Ant. Boruss.* in Austrasiis, quos gentem esse Gothicam, suaque lingua Sudinos, id est (ut opinor) Suedinos sive Suedos appellari ait, *æreas* seu cupreas, vel ex *auricbalco* factas narrat. *Circulos*, ait, *ex ære vel oricbalco colla circumdabant.* Legimus & *eburneas* torques apud Strabonem *lib.* IV. inter ornamenta Britannorum : ταῦτα δ' ἐστὶν ἐλεφάντινα ψάλια καὶ περιαυχένια. *Sunt autem eburnea fræna & torques.* Casaubonus *ad hunc locum* conjectat ex Solino, non eburnea, sed eburneis similia fuisse, *ex dentibus mari nantium beluarum.* Quem refutat Salmasius in *Exerc. Plin.* easque ait significari, non quas sibi facerent ipsi Britanni, sed ab aliis vicinis acciperent. Mihi utrumque verum esse posse videtur. Certe si eburneas amarunt, & emerunt a peregrinis; si ex piscium ossibus ad eburneam claritatem capulos & alia, ut Solinus loquitur, formare potuerunt, quid prohibet credere, torques etiam ex illis ossibus eburneis similes factitasse? Superioribus profecto temporibus Indiæ quasdam gentes habuisse certum est. Quanquam in Indis hoc minus mirum, quo magis istiusmodi ornatui studuerunt. Observamus enim ex vilissimis quoque rebus, stramine, foliis arborum, ligno quodam atri coloris, (Hebenum indigitari puto) pennis avium, cumprimis psittacorum, cochleis ac testudinibus, pellibus ferarum, funium instar tortis, ut de ferro, ære, cuprove, quorum supra mentionem fecimus, nil dicam, ad postremum ne collo decus suum deesset, ex ipsis etiam hominum captivorum ossibus quid instar torquium gestasse. Ex *herbis* alias & floribus etiam Græci usurparunt. Alcæus apud Athenæum *l.* XV. c. V. Ἀλλ' ἀνήτω μὲν περὶ τᾷ δέραις παρθέτω ὑποθυμιάδας τις. Ita Casaubonus scribit. Sensus est : *At cervici Aneti plicatiles hypothymiadas quis apponat.* Hypothymiades hic circuli ex myrti ramis, vel aliis arborum foliis decore inter se consertis. Cujusmodi in statua Priapi nobis exhibet Boissardus, visiturque adhuc ad portam Flaminiam in vinea e regione hortorum Julianorum, si ei credimus. Hesychius : ὑποθύμις, στέφανος περιτράχηλος. Athenæus ipse : ὑποθυμὶς καὶ ὑποθυμιάδες στέφανοι παρ' Αἰολεῦσι καὶ Ἴωσιν, οὓς περὶ τοὺς τραχήλους περιετίθεντο. Florum in his contortis arborum ramis meminit Sappho : καὶ πολλαὶ δ' ὑποθυμιάδες πλεκταί, καὶ ἄνθεα περιδέραια. *multæ coronæ in collo, multæ torques ex floribus.* Sic Minutius Felix in *Octavio*: *Quis autem ille, qui dubitat vernis indulgere nos floribus, cum capiamus & rosam veris, & lilium, & quicquid aliud in floribus blandi coloris & odoris est : his enim & sparsis utimur, mollibus ac solutis, & sertis colla complectimur.* Vide ex floribus variis consertas habuisse coronas, quas gestabant in collo. ac proinde Plutarchus in *Symp.* III. περιδεραίους στεφάνους appellat. Nec se tantum sic ornabant, sed & Deos suos, uti patet ex Priapo, cujus supra feci mentionem, & Deorum aras. Non enim alias intelligo torques in eis, quas Virgilius laudat *lib.* IV. *Georg.*

Sæpe Deum nexis ornatæ torquibus aræ.

Folia arborum admixtis floribus conserebant, eisque sertis cingebant aras, uti hodieque ostendunt monumenta prisca & nummi : in quibus nulla fere ara cernitur, sine tali, ut Virgilius appellat, torque.

CAP. IV.

Torquium formæ, variæque species.

ANtiquissima torquium figura, ut vel nomen indicat, torta fuit. Isidorus *lib.* XIX. cap. XXXI. *Dictæ torques, quod sint tortæ.* Hinc apud Virgil. *lib.* V. *circulus obtorti auri.* & *lib.* VII. *fit tortile collo aurum ingens coluber.* Sed qua specie? Aurum prius ducebatur in fila quædam, ea deinde instar funium torquebantur in unum. Curopalates : στρεπτὸν δέ ἐστιν ἐληλαμένος χρυσὸς ἐκ τριῶν πεπλεγμένος καθάπερ σχοινίων, ὅπερ ἐφόρουν ἐπὶ τραχήλου. *Est autem torques, aurum ductum, implexum ex tribus quasi funiculis, quod gestabant de collo.* Effigiem torquium hujusmodi exhibet nobis Rationarium Imperii vetus, præsertim in imagine superioris Libyæ & Cariæ & Rhodope. Dixi torquium hanc antiquissimam fuisse figuram; alia enim fuit circulorum, licet & hi torquium nomine interdum veniant. At Lipsius ex annulis fuisse putavit, eo, sicut hodie fiunt, modo. *Istæ*, ait *lib.* V. *de Mil. Rom.* Dial. XVII. de torquibus, *contortæ & ex annulis aut catellis plexæ.* Videturque juvari a Lucano, dum hic *lib.* VII. de lorica :

—— qua torta graves lorica catenas
opponit.

Tribuit enim loricæ tortæ catenas, quæ Lipſio non niſi ex puris annulis inter ſe connexis. Ipſe *lib.* III. dicti Operis, Dial. VI. de ea lorica: *Non aliud fuit, quam circuli ſive annuli ferrei inter ſe nexi, more, quem hodie Galli & Germani ſervamus. Imo origo a Gallis.* Si catenæ illæ ex hujuſmodi annulis, & ob catenas lorica torta, quid prohibet, quominus & in torquibus conſertos inter ſe fuiſſe annulos ſtatuamus? Verum alia omnino fuit ratio ejus loricæ, quam deſcribit Lucanus; alia ejus, de qua loquitur Lipſius. Hæc revera circulos habebat integros ſerie continua inter ſe connexos, & inventa primum eſt a Gallis, ſicut recte ex Varrone probat. Ea vero, quam deſcribit Lucanus, adeo non a Gallis fuit, ut ejus etiam meminerit Homerus *Iliad.* E. & Φ. quem haud dubie Lucanus expreſſit. Sic autem Homerus:

Αἷμα δ' ἀνηκόντιζε διὰ στρεπτοῖο χιτῶνος.

quod Homero στρεπτὸς χιτὼν, id iiſdem verbis Lucanus *loricam tortam* appellavit. Quæ ergo inter hanc & illam differentia? Ea puto, quod hæc ipſa haberet funes, ut ſic dicam, ferreos ex continuis filis in orbes volutis, ſicut torques veteres fuerunt, qui deinde funes inter ſe conſerti erant hamis. Unde & hamatæ hæ loricæ dicebantur. Virgilius *Æneid. lib.* III.

Loricam confectam hamis auroque trilicem.

Quid eſt *trilicem loricam?* quæ conſtat ex loris tribus in unum funem contortis & conſertis hamis, quomodo hodieque Germani *Zuilich*, *Trilich* appellamus veſtem non ex ſingulis, ut fit vulgo, ſed duplicibus triplicibuſve filis in unum contortis textam. Quod ergo alias faciebant ex loris, id interdum faciebant & ex filis ferreis. Interim illa ipſa fila quando torquebantur, flectebantur in circulos, non quidem integros ac diſcretos, ſed ſerie continua ex eodem filo inter ſe connexos. Hinc circulorum etiam in his apud Veteres mentio. Euſtathius *ad Il.* έ. στρεπτὸν χιτῶν νοῦσι ἐπὶ θώρακος κρικωτοῦ, ἔτι ἁλυσειδωτοῦ. Sidonius, in *Panegyrico ad Anthemium:*

—— Nec ſutilis illi
Circulus impactis loricam texuit hamis.

Vocat circulum, non circulo alio, ſed hamis ſutilem, quod non quadrat in iſtud alterum genus, ut vel ipſe vidit Lipſius. Quare ſicut alias ex loris pluribus tortis faciebant loricas inter ſe conſutis licio, ſic etiam ex torquibus ferreis, hamis ferreis inter ſe junctis, quarum torquium ferrearum circuli propterea a Sidonio *ſutiles* vocantur. Nec enim vere ſutiles illi circuli, quorum alter alterum continet, ſed qui a re alia, ut ſunt hami, conſuuntur.

Fuerunt ergo torques veteres vere tortæ ex uno pluribuſve filis, habueruntque ſuos, non quidem diſcretos, verum ſerie continua junctos annulos, in quo a catenis vulgo dictis differebant, atque ideo & a catenulis, ſeu catellis, quæ inter præmia & dona militaria referuntur. Catellæ ex annulis vel ſingulis, vel binis inter ſe cohærentibus figura, qua barbare numerum octenarium deſignamus, factæ erant: at vero in torquibus annuli omnes inter ſe cohærebant ex filo uno procedentes. Unde & torques rotundæ craſſioreſque inſtar funium, catellæ laxiores fuere. Quo factum eſt, ut torquibus poſtponerentur, jungerenturque fibulis, etſi fibularum uſus fuerit in veſtimentis, catellarum in ornando collo. Heſychius: ἀλύσιον, τὸ περὶ τὸ τράχηλον πλόκιον. Licet autem craſſiores eſſent torques, proprie ſic dictæ, duræ tamen & immobiles fuiſſe non videntur, ſed libere pendulæ, inque eo diverſum quid habuiſſe a circulis, qui ipſi ſæpe torques ap-

A pellantur. Contra, quam putavit Argolus *ad* II. *Onuphrii de Ludis Circ.* cap. IX. ubi torques a Latinis proprie circulos dictas eſſe refert. Virgil. *lib.* V. *Æn.*

—— It pectore ſummo
Flexilis obtorti per collum it circulus auri.

Non *circulum* ſimpliciter, ſed *flexilem* appellat, quod non intelligitur, niſi eo modo, ſicut dixi. Juvatque additum verbum *ire*, de quo Servius: *rei inanimatæ dedit motum, dicendo it.* Nec enim vel motum eleganter dediſſet, vel hoc verbo uſus eſſet, niſi illæ ipſæ torques mobiles fuiſſent. Puto
B ex hoc ipſo eſſe, quod Iſidorus dicat dependere. *Torques*, ait, *ſunt circuli aurei a collo ad pectus uſque dependentes.* Pendet ſane proprie, quod durum, & quocunque modo ſuſpenſum eſt: dependet autem, quod flexile: quomodo apud Virgilium *ſordidus ex humeris* Charontis *nodo dependet amictus*, vel quod pendet in re flexibili, ut apud eundem galea *dependet ramis.* Hujuſmodi ergo erant torques. At circuli rotundi quidem, ſed duri fuere craſſioreſque, ex una maſſa, figura orbiculari; quales annuli, quibus circumdant colla ſontium, qui & ipſi *torques* inde dicti. Gloſſa. *Boja, torques damnatorum.* Boja annulus eſt, ſive circulus, quo colla vel
C pedes delinquentium *nodantur*, ut Pacatus noſter loquitur. Ita enim ſcribendum exiſtimamus, non *nudantur*, ut eſt in vulgatis, neque *annulantur*, uti vult Gruterus. Nempe Virgilium ſuum eſt ſecutus, qui *lib.* IV. *Æn.* cecinit:

—— crines nodantur in aurum.

Tales ergo annuli iſti honorarii etiam fuere, ſive circuli. Ita ſane pictos habemus apud Gruterum in *Inſcriptionum Opere* pag. 1030 Dubium nullum eſt, quin circulos repræſentent figuræ illic exhibitæ. In quibus porro id notabile, quod non continue in orbem redeant, ſed ab una parte ſint aperti, hicque orbiculum, illic uncum habeant, qui orbicu-
D lo ceu fibulæ innecti, iterumque poteſt eximi. Oportebat nempe tales eſſe, quia ſtrictius ambiebant collum, cui circumdari haud potuiſſent, niſi a parte una patuiſſent. Et quoniam uncos iſtiuſmodi habuere, hinc fortaſſis eſt, quod cecinit Propertius *lib.* IV.

Torquis ab inciſa decidit unca gula.

Non obſtat, quod appellat torquem: nam & ſic generaliori voce appellabantur, quoniam id ipſum in circulis aurum erat tortum aliquando, præferebatque velut ductus ſtriaſque in ambitu, ad modum funis. Et loquitur de Viridomaro Celta ſive Gallo Propertius. De Gallis autem Diodorus clariſſime
E *lib.* V. Περὶ τοὺς αὐχένας κρίκους παχεῖς ὁλοχρύσους φοροῦσι. *Circa collum circulos craſſiores ex ſolido auro geſtant.* Eadem in circulis figura retenta eſt in Britannis & Pictis, licet in alia materia. Unde Herodianus *loco*, quem ſuperius laudavimus: τοὺς τραχήλους κοσμοῦσι σιδήρῳ, non στρεπτοῖς ἐκ σιδήρου, tanquam de ſolidiori re; cujuſmodi plane fuiſſe torques eorum ex vetuſtiſſimo *Angliæ Chronico* delineata monſtrat effigies Picti apud Theodorum de Bry in *Hiſtoriis Indicis.*

Cœterum ut a torquibus, ſic & a circulis hiſce diverſa fuerunt, quæ monilia Veteribus ſunt dicta. Nam cum torques eſſent mobiles & ex an-
F nulis, circuli ſolidi & rotundi vel ſimpliciter, vel cum flexuris ſtriiſque, monilia paulo erant latiora, nec tam rotunda, quam plana, collumque arctiſſime ſtringebant. Quod ex eo intelligimus, quia Iſidorus dicit appellari *ſegmenta.* Hoc vero proprie eſt latum quid, ut in veſte limbus, ex purpura, auro, argento, gemmis contextum: quod quia lineis aureis ſecantibus ſe decuſſatim, aut argenteis fere diſtinguebatur, hinc ſegmentum dictum eſt, ut ante docui. In ejuſ-

dem Glossis puto *Baen* vocari. Ita enim habent. *Baen est lamina auri ab aure ad aurem, qua familiares Regum utebantur. Ornamentum colli ex auro & gemmis, quod alio nomine torques potest dici.* Vulcanius pro *Baen* scribit *Baream*, quia lamina sic dicitur Hispanis. Ego sicut pleraque illius autoris, ita hoc Germanicum existimo, & vel contracte, vel corrupte positum pro *band*, quod fasciam, aut vinculum, cui simile est, significat. Isidorus ait & *serpentum* appellari. Puto tamen inter ista hanc fuisse differentiam, quod monile ex auro esset solido gemmisque; segmentum ex purpura intertexto decussatim auro argentoque; Serpentum pariter ex purpura, auro, argento, sed metalli filis non decussatim intersecantibus se, verum flexis sursum deorsum, modo, quo serpentes reptare, reptantesque pingi solent. Sic enim interpretor Isidorum quando de Serpento: *Hoc etiam serpentum dicitur, quia constat ex amphorulis quibusdam aureis, gemmisque variis in modum facturæ serpentis.* Ait *in modum serpentis*, quod non aliter accipio, quam de ista auri gemmarumque dispositione, quam prædixi. Ille enim proprius serpentis modus, ut clarius quondam præmissum indicabat verbum, nunc corruptum in *facturæ*, quod nil hic significat. Sed & τὸ *amphorulis* suspectum est, mallemque *textum torulis* pro *ex amphorulis* legere, cum præsertim texendi vox in his sit frequens, & de segmento, quod non multum differebat, usurpavit Scholiastes vetus Juvenalis *Sat.* VI. Nisi quis plane ex amphorulis quibusdam compositum fuisse, vel amphorulas res qualescunque, mutuo se velut ansis continentes interpretandas esse arbitretur. Quomodo hodieque torques Equestres ex consertis inter se rosis, cochleis, crucibus, fasciis, ignitabulis, aliisque rebus plurimis fiunt. Quo pertinet, quod in *Onomastico* veteri Argentoratensi στρεπτὸν exponitur *interrasile*, quodque dracunculorum mentionem apud Veteres observamus, eorumque certum numerum in torquibus. Inscriptio vetus apud Gruterum pag. 70.

DEO ÆSCVLAPIO VAL. SYMPHORVS. ET. PROTIS. SIGNVM. SOMNI. ÆREVM. TORQVEM. AVREVM. EX. DRACVMCVLIS. Δ. P. S. 7. — :: — &c.

Neque alia opinor *murenarum* fuit species, unde Isidorus eis tribuit *auri metallum in virgulis lentescens in similitudinem murenæ serpentis.* Et in Cantico *murenulæ vermiculatæ argento* dicuntur. Quomodo Wilramus in *Paraphrasi*:

Auri murenas argento vermiculatas.

Jam ut aurum argentumque in murenulis & serpentis instar anguium, in segmentis instar crucium fuit dispositum, sic in *phaleris* instar stellularum seu claviculorum prominebat. Et in hoc a murenulis monilibusque phaleræ differebant, multoque magis a torquibus. Torques erant rotundæ ac tortæ, phaleræ planæ ac latæ; torques erant ex puro auro, phaleræ claviculos tantum aureos habebant. In quo & differebant a cœteris, segmentis dico, & monilibus, & serpentis, cum hæc ipsa vel ex solido essent auro, vel id alia effigie in funiculo aut fascia haberent dispositum. Hesychius: Φάλαρα, ἐστραγαλίσκος ὃ ἐπὶ τῆ περικεφαλαίας, ᾗ παραγναθίδες χαλινόν. Puto autem esse a φαλὸς, quod est a φάω, & propter splendorem ita dici, sive lumen in istis claviculis aut stellulis Sane apud Homerum est φαλερὸς, ex eadem origine, pro illo, quod spuma bullisque albicat. Unde conjicio phaleras nil aliud fuisse, quam cingula quædam claviculis aureis velut bullis ornata. Ita sane pictæ reperiuntur phaleræ equorum in *Notitia Imperii*: & Pancirollus *ad Insignia Viri Ill Præf. Præt. per Illyricum. In impresso pro fasciis au-*

A *reæ phaleræ cernuntur, hæ sunt ovales orbiculi & auro distincta lora. In M S. purpureæ tæniæ dorsa ac pectora collaque equorum complectuntur.* Quemadmodum ergo qui phaleris hujusmodi ornati, ita ipsi quoque equites. Hinc fulgere dicuntur Silio *lib.* XV.

—— *phaleris hic pectora fulget.*

Fulget phaleris proprie, quia fere ex auro bullæ istæ in cingulis fuere. Dico fere, nam & ex argento habebant. Hinc apud Athenæum χρυσοφάλαροι ᾗ ἀργυροφάλαροι *lib.* V. qui aureis aut argenteis phaleris sunt ornati.

Sed a phaleris ad torques revertendum est. Earum, sicut dixi, antiquissima figura fuit torta ex
B quibusdam auri funiculis: Sed apud Persas, Græcos & Romanos. Nam apud alias gentes alia earum reperitur species. Alilei Cassandrinique Arabici populi ex auri, quod purum e terra effoditur, Græcisque ἄπυρον vocatur, particulis nulla arte elaboratis conficiebant, solum in funiculo inter lapides pellucidos dispositis, ut Agatharchides testatur. Verba postea adducam. Aliæ gentes aurum deformabant in effigies quarundam sæpe bestiarum, uti supra de Serpente demonstratum est. Ita cancros aureos in modum torquis contextos apud Indos memorat Cortesius. Gladios aureos invicem cohærentes, balteo subnexo militari pro torque veteres Sueciæ Re-
C ges usurpasse Mennexius autor est. Item geniorum imagines, cruci duplici distinctas. Quanquam in posteriore falsus mihi videatur, & deceptus imagine mergitis (*Vvasam* Sueci vocant) proprii familiæ Gustavianæ symboli. Est enim apud me nummus ab Erico Rege ante annos fere nonaginta cusus, cum ejusmodi ex mergitibus & geniis alternatim compositis torque, insignia Regni Suecici ambiente. Daniæ quoque Reges alias quam vulgari specie usurpant torques, usurparuntque. Saxo *l.* V. de Frothone: *Habebat torques ejus nexilia bullarum cælamina, interstitaq; Regum simulachra, quæ ad interio-*
D *ris fili ductum nunc contrahi, nunc dirimi possent.*

CAP. V.

Bullæ in torquibus suspensæ.

TOrques sæpe non gestabant solos, sed alio quandoque decorabant ornamento Veteres, quod bullam appellabimus. Ornamenti hujus usus antiquissimus, & apud Ægyptios quoque notus. Apud illos quippe Judices e lapidibus preciosis gestabant bullam istiusmodi in torque, quam vocabant *veritatem.* Diodorus Siculus *lib.* I. Ἐφόρει δ' ἀρχιδικαστὴς περὶ τὸν τράχηλον ἐκ χρυσῆς ἁλύσεως ἠρ-
E τημένον ζώδιον τῶν πολυτελῶν λίθων, ὃ προσηγόρευον ἀλήθειαν. Τῶν δ' ἀμφισβητήσεων ἤρχοντο ἐπειδὰν τὴν τῆς ἀληθείας εἰκόνα ὁ ἀρχιδικαστὴς προσθεῖτο. *Gestabat judex summus in collo ex aurea catena pendens e lapillis preciosis simulachrum, cui veritas nomen. Hoc a judiciorum principe assumptum disceptandi lites auspicium erat.* Ælianus non ex pluribus, sed una tantum gemma istam ait fuisse imaginem. Ita namque *lib.* XIV. *c.* XXXIV. Εἶχε δὲ ᾗ ἄγαλμα περὶ τὸν αὐχένα ἐκ σαπφείρου λίθου, ᾗ ἐκαλεῖτο ἄγαλμα ἀλήθεια. *Habebat circa collum imaginem ex sapphiro gemma, quæ vocabatur veritas.* Sed ipse peculiariter ad imaginem respexisse videtur, Diodorus etiam ad reliqua ejus
F ornamenta, quæ ex gemmis aliis potuerunt fuisse. Id plane observandum est, quod ex sapphiro fuerit illa imago. An ex superstitione quadam, tanquam hæc gemma pravis resisteret affectibus, quibus vacuum esse judicem oportet? Fr. Rueus *lib.* II. *de Gemmis. Devotionem, pietatem, constantiam, pacis ambitionem, deorum munera, opimaque, quod ad hanc vitam spectat, beneficia invitare conciliareque fertur Sapphirus. Addunt & contra iracundiam, invidiam, fraudes, & tristitiam prodesse.*

A *Adeo contra effrenes animi mores efficax est credita.* Sed forte ex hac ipsa Ægyptiorum consuetudine ista de gemma opinio est exorta: quemadmodum ornamentum ipsum sumptum ab Hebræis. Idem enim fuit, quod apud illos Sacerdos summus gestabat. Et arguit primum, quod ex gemmis fuit: deinde, quod *veritas* nominatum est. Ita namque interpretantur Septuaginta id quoque, quod in rationali Sacerdotis Urim & Thumim est. δήλωσιν & ἀλήθειαν, *doctrinam & veritatem* appellant. Accedit, quod hoc ipsum nihil præter gemmam, nominatimque adamantem fuisse, cum Suida, etiam Epiphanius opinatur, *l. de* XII. *gemmis*. Εἰς μέσον δὲ τούτων ἦν ἡ δήλωσις, ὅς ἦν ὁ δηλωθεὶς ἀδάμας τὸ χροιὰν ἀερίζων. *In medio horum erat claritas* (supra B aliorum interpretationem secuti *doctrinam* vocavimus) *quod erat jam dictus adamas colore aerem referens*. Dicit adamantem eum fuisse coloris aerei, quod haud male quadrat etiam in sapphirum, sive & hic Sapphirus intelligatur, sive loco adamantis Ægyptii Sapphiro sint usi. Nam ut Arias Montanus inquit in Aarone, *Hebræi quoque ajunt Sapphiros quosdam esse albos, eosque adamantes vocari, quosdam vero cœlestem referre colorem, inter album & cœruleum, & hos stricte ita dici*. Atque istiusmodi quidem bulla apud Ægyptios in torquibus usi judi- C ces. At milites scarabæos gestabant ex, vel in gemmis sculptos, si Pignorium audimus. Ita enim is, in *Mensa Isiaca*: *Ægyptiorum bellatores e gemma lapideve scarabæos elaborabant, in eum videlicet usum, ut filo trajectos gestarent. Cujusmodi e Sarda vidi apud amicum meum Edmundum Bruzium.* De iisdem etiam Casalius Parte II. c. X. *de urbe & Imp. Rom. Reperiuntur plurimæ veteres & diversimodæ gemmæ, effigie scarabæorum ac variis hieroglyphicis elaboratæ, quas duces strenuis bellatoribus tradebant, ut filo trajecto ad brachia seu ad collum ge-* D *starent*. Habent consentientem sibi Ælianum, qui sic scribit *l.* X. *Hist. Anim.* c. XV. Αἰγυπτίων οἱ μάχιμοι ἐπὶ τῶν δακτυλίων εἶχον ἐγγεγλυμμένον κάνθαρον. *Ægyptiorum bellatores in gemmis insculptos habebant scarabæos*. Ita puto locum hunc vertendum, & δακτύλιον de gemma ipsa accipiendum. Cum præsertim hoc testentur, quos supra laudavimus, ipsas etiam effigies earum gemmarum exhibeant. Quanquam utrumque habuisse potuerunt. Nam & de annulo confirmat Plutarch. *l.* de *Iside & Osir.* τοῖς μαχίμοις κάνθαρος τῇ γλυφῇ σφραγῖδος *Bellatores* E *scarabæum annulo insculptum habuere*. Pierius præter Ægyptios, Romanis etiam hoc tribuit *l.* VIII. *Hierogl.* c. XX. *Erat*, ait, *& signum Romanorum militum scarabæus*. Sed hoc ego nusquam observavi. Antiquioribus temporibus nil eorum torquibus appensum puto: ante pauca demum sæcula institutum, cruces, fascias, divorum imagines, & id genus appendere. Ex quibus hodie eminet vellus aureum, quod Germani mei corrupte *das gulden flus*, pro *vellus* vocant. Est id arietis ex auro simulachrum, decoratum gemmis, suspensumque in torque, quod ipsis Imperatoribus Regibusque magna pompa fastuque dant Hispani. Autorem habet F Philippum Bonum Burgundiæ Ducem, qui ante duo circiter sæcula floruit. Hæ bullæ militares hodie. Veteres nec Germani, nec Romani habuere, nisi solus Imperator, neque is, nisi triumphans, si Pierium audimus. *Erat*, inquit *l.* XLI. c. V. *& triumphantium gestamen bulla, quam in triumphis præ se gestabant, inclusis in ea remediis, quæ adversum invidiam pollere credebantur*. Ac fortasse huc respexit Isidorus *l.* XIX. cap. XXXI. ubi scribit: *Torques & bullæ a viris geruntur*. Nam alias falsum est, cum frequentius gestarint pueri, nonnunquam & puellæ, ut post ostendetur. Sane pro Pierio est Macrobius, e quo habere sua existimo. Verba sunt in *l.* VI. *Sat. Pro concione laudavit, & bulla aurea prætextaque donavit insignien puerum ultra annos fortem præmiis virilitatis & honoris. Nam sicut prætexta magistratuum, ita bulla gestamen erat triumphantium, quam in triumpho præ se gerebant, inclusis intra eam remediis, quæ crederent adversus invidiam valentissima.* Notandum quod de remediis ait, inclusis intra bullam. Patet enim hinc, intus fuisse cavam, atque adeo & claudi & aperiri potuisse. Nec aliæ, opinor, bullæ puerorum, ut quos Priscus ad formam istarum primus puero, eique filio suo indulsit, *unde postea deductus mos, ut prætexta & bulla in usum puerorum nobilium usurparetur*, sicuti prædictus author loquitur. Auream profecto pariter fuisse docet Propertius *lib.* IV.

Mox ubi bulla rudi demissa est aurea collo.

Et Asconius *in Verrinam* III. *bulla suspendi in collo infantibus ingenuis solet aurea.* Cavitatem, vocabulum ostendit. Bulla enim omnis intus cava; & si cava non fuisset, pilam rectius, aut pomum appellassent. Quanquam & iccirco appellare maluerint bullam, quod licet rotunda esset, non tamen esset per omnia, similior bullis, quam pilis. Isidor. *l.* XIX. c. XXXI. *Dictæ bullæ, quod sint similes rotunditate bullis, quæ in aqua vento inflantur.* Vult, rotundas quidem esse bullas, sed rotunditate illa, quæ est in bullis aquarum. Hæ autem dimidia tantum parte sua tales, reliqua plana incumbit aquis. Hoc est, quod Plutarchus ait in *Quæst. Rom.* Ορα μὴ καὶ τοῦτο διὰ τὸ σεληνίων φοροῦσι. τὸ γὰρ φαινόμενον σχῆμα τῆς σελήνης, ὅταν ᾖ διχόμενος, οὐ σφαιροειδὲς, ἀλλὰ φακοειδές ἐστι καὶ δισκοειδές. *Vide annon bullam quoque propter lunam gestent. Lunæ enim figura, cum dimidiato fulget orbe, non est globi similis, sed lentis aut disci formam præ se fert.* Luna, ait, ex altera parte, qua lumine destituitur, plana est, ex altera, qua opposita est soli protuberat, atque ita lentis sive disci præfert figuram, non rotundi undiquaque globi, id enim tum demum fit, cum lucet pleno lumine. Talis ergo & bullarum puerilium figura fuit. Existimarunt aliqui, non rotundam, sed oblongam habuisse figuram. Sed non ea mens Plutarchi, uti vel ex disci similitudine apparet: quem non oblonga, verum circulari forma, plana ab una parte, ab altera rotunda fuisse Hieronymus Mercurialis docet. Quemadmodum nec lentis ista est figura, verum sicut disci circularis, cujus figuræ respectu etiam sol ipse, qui utique non oblongus, δίσκος Alexandro in *Probl. secundo* nuncupatur. Unum obstat, quod Macrobius in bullis cordis memorat figuram, ejus vero non rotunda species. Verum si quid video, longe aliud is innuit. Verba sunt *in Somnium l.* I. c. VI. *Nonnulli credunt ingenuis pueris attributum, ut cordis figuram in bulla ante pectus annecterent, quam inspicientes, ita demum se homines cogitarent, si corde præstarent.* Non dicit Macrobius bullam habuisse formam cordis, sed in bulla eam formam ante pectus fuisse annexam. Quod de sculpta vel quocunque modo expressa in bulla cordis effigie intelligendum arbitror. Certe nisi locum sic interpretemur, aut falsa erunt, quæ Macrobio traduntur, aut reliquorum omnium testimonia, ipsius quoque nominis similitudo ratioque collabentur.

Porro bulla proprie patriciorum fuit primis temporibus. Macrobius. *Putant Priscum instituisse, ut patricii bulla aurea cum toga, cui purpura prætexitur, uterentur, duntaxat illi quorum patres curulem gesserunt magistratum.* Deinde cum prætextatis omnibus communicatus est is honos Festus. *Bulla aurea insigne erat puerorum prætextatorum, quæ dependebat eis a pectore, ut significaretur ætatem alterius regendam consilio. Dicta autem est a Græco*

A
ſermone βύλη, *quod conſilium dicitur Latine: vel quia eam partem corporis bulla contingat, id eſt, pectus, in quo naturale manet conſilium.* Puto mutila hæc verba eſſe, vel a breviatore corrupta. Quo enim pertinet illud *vel*, niſi ei aliud ſimile reſpondeat? Deinde illa, *id eſt, pectus*, ex gloſſemate Interpretis videntur inſerta loco plane incommodo, indeque factum, ut in ſequentibus pro *in qua*, *in quo* ſcriberetur. Sed & ipſa nominis derivatio placere nequit. Quomodo enim a βύλη, bulla? debuiſſet *bula* eſſe. Scio quidem, quid hic notet Scaliger, Terentinos nempe pro βύλη, βόλλα dicere. Sed id primum notat ſine aliqua authoritate. Deinde ut hoc

B
concedamus, quomodo a βόλλα, *bulla* potius, quam *bolla*? ſicuti ex ἀμβόλλα apud Latinos factum eſt non *abulla*, ſed *abolla*, uti ipſe obſervat. Sed nec cordis in bulla opus figura fuerat, ſi nomen admoneret, quod ſignificare figura debebat. Ergo verius a bulla aquarum nomen accepiſſe putamus. Aſconius: *Bulla ſuſpendi ſolebat aurea infantibus quaſi bullientis aquæ.* Plutarchus in *Romulo*. Καὶ παῖδας αὐτῶν τὴν καλυμένην βύλλαν ἀπὸ τοῦ σχήματος, ὅμοιον πομφόλυγι περιδέῤῥαιόν τι. Cœterum ut patriciorum pueri bullas aureas, ſic reliquorum civium, geſtabant lora. Unde Juvenalis *Sat.* V.

C

> —— *Etruſcum puero ſi contigit aurum*
> *Vel nodus tantum, & ſignum de paupere loro.*

Scholiaſtes vetus ibi: *Antiquitus nobilium pueri bullas aureas habebant, pauperum de loris, ſignum libertatis.* Habebant de loris, ait, ſed quid? bullas cenſeo, illuc enim referri videtur. Hinc apud Aſconium: *Bulla ſuſpendi in collo infantibus ingenuis prætextatis ſolebat aurea, libertinis ſcortea.* Bullam ſcorteam expreſſe vocat. Id quoque notandum eſt, quod plebeiis quoque bullas tribuat aureas, ſolis libertinis ſcorteas relinquat, cum prædictus Scholiaſtes Juvenalis non tam his, quam plebeiis omnibus, ſive iis, qui non eſſent nobiles, aſſignaverit. Nem-

D
pe ſic creviſſe ambitio videtur, ut quod primum omnibus commune fuit, exceptis eorum filiis, qui curulem geſſiſſent magiſtratum, id deinde ad libertinos ſolos relegaretur. Illud dubium eſt, an, cum bulla horum fuerit ſcortea, imaginem tamen aureæ retulerit? Juvenalis ſane *nodum* vocat, unde magis eſt, ut de illo conjectemus. Geſtabantur nihilo minus in torque aurea plerumque, etiam ab his, ut puto. Etenim ſi torquium geſtamen non promiſcuum fuiſſet, fruſtra cautum eſſet de bulla. Plutarchus profecto promiſcue in *Vita Sertorii*: τὰ χρυσᾶ περιδέραια, ἃ Ῥωμαῖοι βύλλας καλῦσι, *torques aureæ, quas Romani bullas vocant*. Simpli-

E
citer ſic vocat, abſque diſtinctione patriciorum aut libertinorum. Et obtinuit ſuperioribus adhuc temporibus. Pierius *l.* XLI. c. V. *Noſtræ etiam ætatis mos eſt, ut ſi quis torquem catellamve geſtare voluerit, neque tamen equeſtri, vel, ut ajunt, militari, aut alia quapiam dignitate cui geſtamen illud competat, ſit inſignitus, ligulam ex loro geſtamini ejuſmodi alligare compellatur.* Itaque miror, quid voluerit Scholiaſtes vetus Juvenalis, quando in ſuperiori loco *ſignum* explicat *corrigiam parthicam, unde ſolet bulla pendere*. Quid enim *parthica corrigia*? ut

F
de corrigia ipſa nihil dicam: corrupta omnia videntur, atque talia, quæ exponi, niſi melioribus codicibus intervenientibus, haud poſſunt.

In bulla porro id notandum, quod amuletum quoddam intra ſe habuerit, maxime ea, qua ornati erant triumphantes. Quale illud fuerit, conſtare puto nemini. Conjecto tamen de re magica: uſitata enim talia Veteribus fuere. Pueri profecto habuere, quod vocabant faſcinum. Pignorius in *Menſa Iſiaca*: *Hinc Neuroſpaſta apud Lucianum, & remedium præbiave in collo pueris res turpicula, Faſcinus videlicet, quem infantium cuſtodem appellat Plinius.* Addit ibi ſpeciem ex lapide lazuli. Manus eſt, pollicem inter indicem digitum & medium protendens, atque ita præbens ſpeciem virilis membri. Alluſit ad id Cario apud Plauti *Militem* Actu V. Sc. I.

> *Faciam*, inquit, *quaſi puero in collo pendeant crepundia.*

Verba ſunt ad mœchum, cui virilia ſe exſecturum minitatur. Quod ait, *pendeant in collo*, eo reſpexit partim ad conſuetudinem torquium puerilium, partim ad modum recepti in talibus ſuppliciis, præſertim apud ſeveriores. Quomodo apud Suetonium legimus *de Cajo*, c. XXXII. *quod ſervum ob detractam lectis argenteam laminam, carnifici confeſtim tradiderit, ut manibus abſciſſis, atque ante pectus e collo pendentibus per cœtus epulantium circumduceretur.* Amuleta interim talia hodieque geſtare alicubi infantes ex torquibus & catenis modo aureis, modo argenteis, alia atque alia figura conſueverunt. Nec infantes tantum, ſed & fœminæ delicatiores. Adhibentur aliquando in ipſis etiam beſtiis. quomodo nunc quoque Turcæ ſervant ſuum *maili* ſive *muſca*, quo contra ictus telorum ſe equoſque putant defendi. At vero in puerorum torquibus, addita & γνωρίσματα, hoc eſt, talia, unde noſci conditio aut fortuna eorum poſſet, qualia ſæpe & a noſtris appendi ſolent infantibus, in lavacro ſancto ab amicis donata. Quanquam apud Veteres iis potiſſimum legantur appenſa, qui exponebantur; eranţque interdum annuli, interdum monilia ipſis faſciis illigata, ut ex *l.* X. Heliodori, & *Eunucho* Terentii obſervamus. Cæteri habebant παίγνια, quæ tametſi & ipſa ſæpe appellentur γνωρίσματα, inter ea tamen & iſta id diſcriminis fuiſſe arbitror, quod omnia quidem παίγνια eſſent γνωρίσματα, non vero γνωρισματα omnia παίγνια. Παίγνιον enim proprie, quo infantes ludunt: cujuſmodi in *Rudente* Plauti Act. IV. Sc. IV. nominantur enſiculus, ſecuricula, ſicula, manicula, ſucula. Una voce alias *crepundia* vocantur, quanquam & hæc id proprie denotet, quod crepitu ſonat, & a ploratu ad ſilentium revocat infantes. At vero neutrius generis fuerunt, quorum meminit Heliodorus, & γνωρίσματα appellat. Sed monilia & annuli ad ipſos puerorum parentes pertinentes, & hactenus γνωρίσματα, quia inde partum expoſitum cognoſcere licebat. Interim & παίγνια, γνωρίσματα, cum ob alias ratis, tum præcipue, quia in eis parentes nomina ſua inſcripta habebant. Clariſſime in ſupra dicto Plauti *loco*.

> *P. Enſiculu' eſt aureolus primum litteratus. D. dice dum*
> *In eo enſiculo litterarum quid eſt? P. mei nomen patris.*
> *Poſt altrinſecus eſt ſecuricula anceps, item aurea,*
> *Litterata: ibi matris nomen in ſecuricula eſt.*

Ex his ergo inſcriptis nominibus & liberi parentes, & hi liberos agnoſcebant. Unde illa puellæ apud dictum Comicum, *o mi parentes, hic vos concluſos gero*, de crepundiis, intra ciſtulam concluſis. Illud amplius apud Plautum notari mereatur, quod inter illa ipſa crepundia memorentur quoque bullæ. Ita namque dicta puella: *Et bulla aurea eſt, pater quam dedit mihi.* Accedit, quod puellæ data dicitur, quæ alias propria fuit puerorum. Poſſis profecto hinc conjectare, quaſi promiſcue infantes cujuſcumque ſexus uſurparint. Niſi dicamus puellarum bullas alterius fuiſſe ſpeciei aut figuræ.

Habuerunt enim Veteres & quas *lunulas* vocarunt. Gloſſæ Vulcanii: *Lunula, bulla in ſimilitudinem lunæ dependens.* At has Hieronymus mulieribus aſſignat, quod notandum eſt. *Habent*, ait, *mulie-*

res in lunæ similitudinem bullas dependentes. Inter ornamenta muliebria recenset quoque Esaias c. III. §. 18. & ex eo Tertullianus *de cultu fœminarum* : *Nullam*, inquit, *de conchylio vestem Esaias increpat*, *nullas lunulas reprobat*, &c. Errant, qui fibulas exponunt, ut *ad Tertullianum* fecit Fevardentius. Revera enim bullæ fuerunt in torquibus, ut Hieronymus testatur. Et in *Esaiæ* loco Græci habent *μηνίσκους*. Jam vero de his Hesychius: *Μηνίσκοι, πέταλα, περιτραχήλια, μανιάκια, περιδέραια.* Latinum lunularum nomen pridem in fœminarum ornamentis usurpavit Plautus in *Epidico* Act. V. Sc. I. ubi parum recte Lambinus *lapillum seu gemmam rotundam*, instar Lunæ exponit, nisi ad hoc ipsum genus respicit, quanquam & in universum potius ex auro, quam ex gemmis fuisse existimem. Tales ergo istæ puellarum bullæ fuerint, non undiquaque rotundæ, sicut puerorum, vel quacunque denique alia specie. Invenimus enim & *Liliola* in torquium genere, quæ aliter non intelligo, quam de bullis ejus figuræ. Glossæ Benedicti: *Leliolum περιαυχένιον*. Vitiosum Vulcanius vocabulum arbitratur, & in *collarium* mutandum. Sed quid opus? cum qua ratione lunula, ea liliolum apte intelligatur.

CAP. VI.

Magnitudo torquium, pondus, pretium, numerus.

Torques non unius ejusdemque vel magnitudinis, vel ponderis fuisse per se patet. Ut enim in cœteris, sic in torquibus pro ratione dignitatis, fortunarum, ingeniorum variatum. De iis, qui virtutis aut honoris caussa dabantur, expresse notatum invenimus apud Veteres. Scilicet quo cujusque major erat virtus, hoc majus merebatur præmium. Elegantissima est Inscriptio in opere Gruteri *pag.* 96. in qua torquis majoris nomen, quod intelligi sine cogitatione minorum non potest. Verba hæc sunt:

IANO. PARI.
AVG. SACRVM.
C. IVLIVS. C. F. SER.
ÆTOR. ÆD.
DONATVS. AB. TIB. CÆS.
AVG. F. AVGVSTO. TORQ.
MAIORE. BELLO. DELMAT.

Torquem majorem hic expresse appellari cernimus, ejusque velut certæ ac peculiaris fieri mentionem. Etenim si solam attendisset magnitudinem, *maximam*, vel *ingentem* potius, & aptius scripsisset ejus auctor. Nunc cum majorem vocet, velut in relatione ad minorem, probabiliter conjicitur duo torquium militarium fuisse genera, alterum majorum, quod dabatur in majori facinore, alterum minorum, quod dabatur in minori. Ac fortasse minores torques, quæ catellæ dicebantur. Pretium profecto earum fuit exiguum, unde fibulis conjunguntur. Livius *l.* XXXIX. *C. Calpurnius donavit equites suos phaleris, Quinctius alter prætor, suos catellis ac fibulis*. Minus laudabilis, ut ex narratione videas, Quinctianorum fuit opera, igitur minore præmio ornantur, id autem sunt catellæ ac fibulæ. Pretiosiores ergo torques vulgo ita dictæ, ac proinde etiam majores. Sed & ideo catellæ minores, quia ex tenui filo erant formatæ, rarumque habebant aurum: contra torques majores, quia crassiores. Quanquam magis eo inclinem, ut in ipsis torquibus proprie sic dictis fuisse illam majorum minorumque differentiam existimem. Differebant sane pondere, unde conveniens est, & ma-

A gnitudinis fuisse discrimen. Sic apud Pollionem legimus in *Vita Claudii*, Valerianum Claudio adhuc Tribuno destinasse *torquem libralem unam*. Apud Livium vero *l.* XLIV. *c.* XIV. Romanos Gallis misisse *torquem aureum duo pondo*. Contra illos ipsos Gallos Augusto dedisse quandam pondo centum Fabius est autor *l.* VI. *c.* IV. *Divus Augustus*, ait, *cum ei Galli torquem aureum centum pondo dedissent*. Hæc maximi ponderis, quæ a nobis apud Veteres observata est. Neque unquam cuiquam arbitramur datam majorem. Non profecto in militia, in qua librales inter maximas existimamus fuisse. Suadet locus supra a nobis adductus, in cujus verbis nominatim B expressum pondus rem supra vulgarem consuetudinem fuisse, reliquasque torques infra hoc pondus substitisse ostendit. Quanquam vero ponderis fuerint minoris ac fortasse tantum dimidii, non tamen ideo viles fuere. Habet nempe libra Romana drachmas nonaginta sex, scriptula ducenta octoginta octo, quorum singula ex Plinii sententia pro denariis quatuor argenteis accepta, faciunt summam mille, centum, quinquaginta duorum denariorum, quæ fere exæquat summam centum Imperialium, seu nummorum uncialium, quos *thaleros* nuncupamus. Ut sic torques etiam C vulgares quinquaginta circiter Imperialibus constiterint. Unde mirum non est, si inter minora dona præcipuum obtinuerint locum. Errat enim Lipsius, quando cum catellis, torques quoque phaleris postponendas putat. *Postponit*, inquit *l.* V. *de Mil. Rom* dial. XVII. *catellas phaleris, & minoris habet. Idem judicium de torque*. Imo non idem judicium, quia nec catellæ eædem non torquibus. Et profecto aliud Inscriptiones veteres ostendunt, in quibus semper inter minora dona primum locum torques obtinent. Dabo ecce ex pluribus istas:

TI. CLAVDIO. T. F. VITALI. &c.
D DONIS. D. TORQVIB. ARMILLIS.
PHALER. &c.

Et paulo post:

IN. LEG. I. MINER. MER. DONIS. D.
TORQVIB. ARMILLI. PHALER.
M. VETTIO. M. F. AN. VALENTI.
MIL. COH. VIII. PR. BENEF. PRÆF.
PR. DONIS. DONATO.
BELLO. BRITAN. TORQVIBVS. ARMILLIS. PHALERIS.

E Vides semper torques ante armillas phalerasque poni, adeo catellis anteferri non possunt, ut quæ a Livio etiam phaleris postponuntur, verbis quæ ex *libro* ejus trigesimo & nono antea retulimus. Eundem in donis istis ordinem & autores observarunt. Val. Maximus *l.* III. *c.* II. de Sicinnio: *Præferebantur aureæ coronæ octo, civicæ* XIV. *murales tres, obsidionales una* (Habes majora dona primo loco; sequuntur minora) *torques* CLXXXIII. *armillæ* CLX. *hastæ* XVIII. *phaleræ* XXV. Torques hic inter minora dona locum primum occupant. Idem apud Gellium observare licet *l.* II. *c.* XI. Et quo pacto phaleris F postponi possint, quæ totæ aureæ non fuerunt? Præferuntur itaque, & merito præferuntur torques ut phaleris, sic etiam catellis.

Porro etsi pretium earum fuit tantum, quia tamen major aliquando virtus, hinc pro ejus magnitudine sæpe auctum numerum earum observamus. Ita Probus quidem apud Vopiscum donatur torque aureo uno, at præfectus turmæ Cassianæ apud Hirtium duobus. Verba sunt in VI. cap. XXVI. *turmæ Cassianæ Præfecto donavit torques aureos duos*. Duos ait, quodque notandum est, ex una causa

donasse torques. Hinc forte tantus ille torquium numerus inter Sicinnii dona. An & in cœteris, quæ dabantur in pace, hoc obtinuerit, ignoro. Unam certe datam, nusquam duas eodem tempore invenio. Et puto in his magis auctum pondus, quod in bello non potuit, in quo paratæ non erant, nisi vulgares.

CAP. VII.

Torques a quibus datæ, quibus concessæ.

TOrques dare, nisi Principi aut Regi, usitatum apud Veteres fuisse puto nemini, gestare profecto nemini, nisi qui a Principe obtinuisset, saltem apud Persas. Hinc istæ Regum Persicorum pollicitationes passim in S. Literis de torquibus: & verba Tertulliani, torques apud Persas, Ægyptios, Babylonios prætextæ, vel trabeæ, vel palmatæ, vel coronæ comparantis, quæ comparatio esset nulla, si gestare, vel gestandas donare omnibus promiscuum fuisset. Accedit Procopius, qui de ornamentis aureis, inter quæ & torques, hoc confirmat in genere. Οὔτε, ait, *l.* I. *de bello Persico*, *δακτυλίῳ, χρυσῷ, οὔτε ζώνῃ, οὔτε περόνῃ χρῆσθαι, οὔτε ἄλλῳ οὔτῳ οὖν θέμις, ὅτι μὴ ἐκ βασιλέως ἀξιωθέντι.* Non dubium est, his postremis torques etiam includi. Firmatque Xenophon, *Pæd* I. ubi expresse de donis regiis & torque: *οὐ γὰρ δὴ ἔξεστιν ἐκεῖ ταῦτα ἔχειν, ᾧ ἂν μὴ βασιλεὺς δῷ. nec fas est ea cuiquam gestare, nisi cui rex dederit.* Et hinc interpretatio Achmetis, torquem per quietem visum de futura dignitate exponentis.

Cæterum hoc quidem domi observatum, & in pace. Num etiam in bello? arbitror. Apud Romanos præfecto Cæsares dabant. Testis Hirtius de Julio c. XXVI. *Bell. Hisp. Cæsar ob virtutem turmæ Cassianæ præfecto donavit torques aureos duos.* De Augusto Suetonius: *Dona militaria aliquanto facilius phaleras & torques, quicquid auro argentoque constaret, quam vallares & murales coronas, quæ honore præcellerent, dabat.* De Tiberio, Claudio, Vespasiano, Trajano, Hadriano extant Inscriptiones plurimæ in amplissimo earum *Opere* a Grutero concinnato. Attulimus jam ante unam, in qua mentio fit hujus rei: clarius idem discitur ex his Inscriptionibus, quarum altera extat *p.*429. altera *p.*443.

Q. ALBIO. Q. F. HOR. ILLICI. LEG. XX. V. V.
CORNICVLARIO. PR. PR. DONIS.
DONATO. AB. DIVO TRAIANO. AVG.
TORQVIBVS. ARMILLIS.
PHALERIS. BELLO. PARTHICO.
C. NVMISIO. C. F. SCAPT. NVMMERIO. NAVILIANO. SENIORI.
EQV. ROMANO. &c.
DONATO. AB. IMP. CÆSAR. T. VESP.
AVG. TORQ. ET. ARMILLIS.

Firmant quoque apud Pollionem litteræ Valeriani, quibus Claudio etiam absens assignat torquem. Liris vero adhuc reipublicæ temporibus jus torquis dandæ fuit apud summos belli duces. Quo respectu Seneca *l.*I. *de Benef.* c.V. *Imperator aliquem torquibus, murali, & civica donat.* Sed & sub Tiberio quandoque concessum per imaginem quandam libertatis. Tacitus III. *Annal.* cap. XXI. *Rufus Helvius gregarius miles, donatus est ab Apronio torquibus & hasta. Cæsar addit civicam coronam, quod non eam quoque Apronius jure Proconsulis tribuisset, questus magis quam offensus.* Datæ autem sicut dona cœtera, in concione, præmissa laudatione solenni. Vopiscus expresse de Probo; *publice in concione donatus est armillis aureis duabus, torque aureo uno.* Quod si forte Imperator meritum alicujus ignoraret, aut dissimulare vellet, etiam petitas existimo ab iis, qui se dignos eo præmio reputarent; idque formula solenni, IMPERATOR, TORQVE ME DONA. Intelligimus ex verbis Fabii *l.* IX. c. IV. *Eluditur ridiculum ridiculo, ut D. Augustus, cum ei Galli torquem aureum centum pondo dedissent, & Dolabella per jocum, tentans tamen joci sui eventum, dixisset: Imperator, torque me dona, Malo te, inquit, civica donare.* Apparet profecto, solennia hæc in militia fuisse cum militum, tum Imperatoris verba.

Porro qui sic torque donatus esset ab Imperatore, is gerendæ torquis jus habebat. Unde & ad nostra tempora translatum videtur, ne cui torquem, nisi Equiti, aut singulariter ea ab illo, qui jus habet, donato gestare liceat. Gestare dico aperte, ac sine nota quadam. Nam cum ligula etiam aliis nonnunquam concessum supra demonstravimus. Sine ea olim nemini fas erat gestare ex viris. Fœminarum alia fuit ratio, in quibus tamen ipsis solenniores quasi *torques sponsalitias* reperio. Dabant eas sponsi, sicut hodieque solent pluribus in locis. Ita enim vel in Sacris Litteris observamus. Christus ipse ad Ecclesiam Sponsam suam *Ezech.* XVI. *ʃ.* II. *Ornavi te ornamento, & dedi armillas in manibus tuis, & torquem circa collum tuum.* Et in *Cantico* c.I. § II. *Murenulas aureas faciamus tibi, vermiculatas argento.* Testatur idem Achilles Tatius *l.*II. *Ἐωνητο δὲ καὶ τῇ κόρῃ τὰ πρὸς τὸν γάμον· περιδέραιον μὲν λίθων ποικίλων. In sponsæ ornamentum comparata necessaria omnia, monile variis lapidibus distinctum,* &c. Nec alia de caussa Pygmalion apud Ovidium *l.* X. *Met.* fab. VIII. statuæ suæ

Dat digitis gemmas, dat longa monilia collo.

Dabant forte & amici tempore nuptiarum inter cætera dona nuptialia. Videtur enim ostendere Medea exemplo suo, de quo Seneca Tragicus:

—— gemmis est & auro textili
Monile fulgens, quodque gemmarum nitor
Distinguit aurum, quo solent cingi comæ
Hæc nostra nati dona nubenti ferant.

Firmat Venus, dum hoc ipsum facit, & Mariæ Honorii sponsæ torques seu monilia ipso nuptiarum tempore donat. Claudianus *de Nup. Hon.* vers.282.

Dixit, & ornatus, dederant quos nuper ovantes
Nereides, collo membrisque micantibus aptat.

Infantes torques suas accipiebant fere a parentibus, die natali. Observamus ex *Rudente* Plauti Act. IV. Sc. IV. ubi Palæstra:

Et bulla aurea est, pater quam dedit mihi, die natali.

CAP. VIII.

Torques ob quas caussas usurpatæ. Torques dignitatis.

PRimus Torquium videtur usus, ut indicium sint certæ alicujus dignitatis. Olim profecto, & ab initio non nisi Regum Principumque gestamen fuere. Unde Reges ipsi ex sententia quorundam Anakim ab hoc ornamento dicti apud vetustissimos Hebræos. De Assyriorum Regibus nominatim discimus ex edicto Abimelarodachi apud Josephum *l.*X.c.XII. *Δώσω στρεπτὸν περιαυχένιον χρύσεον, καὶ πορφυρᾶν ἐσθῆτα φορεῖν, ὡς οἱ τῶν Χαλδαίων βασιλεῖς.* Interpres non satis evidenter; *Daturum se ei torquem aureum, & purpureæ vestis usum, quali Chaldæorum reges utuntur.* Debuisset potius: *Dabo ei*

pote.

A *poteſtate gerendi torquem aureum & purpuram, qualibus reges Chaldæorum utuntur*. In *Daniele* ipſo, unde ſua Joſephus hauſit, ſcriptum eſt in Vulgata hoc modo: *Purpura veſtietur, & torquem auream habebit in collo*. In Græca iſta: ϗ ὁ μανιάκης ὁ χρυσοῦς ἐπὶ τ̃ τράχηλον αὐτ̃. Quibus in verbis apparet ex collatione Joſephi articulum appoſitum ſignificare torquem certum, nempe eum, qui dono dari a Rege conſuevit. At is ſimilis Regio, ut Joſephus oſtendit. Habuerunt ergo ſuos certoſque torques reges Aſſyriorum. Ab his acceperunt Medi, niſi quod diverſa nonnihil eſſent forma, magiſque ſimilia iis, quæ apud Ægyptios uſurpabantur. Curopalates: *Ad collum pendebant de lineis*
B *dicta pilaticia, ea ſunt opus e margaritis cum fimbria, in longitudinem minus ſpithama, in latitudinem autem palmo, quæ Rex Medorum geſtabant*. Tranſiit poſtea res ad Perſas. Apud hos enim proprium primariumque geſtamen regum fuiſſe verbis expreſſis teſtatur Cornelius Nepos, *Vita Datamis*, cap. III. ubi de Thyo, qui ſtatuerat regnum Perſicum invadere: *Poſtero die* (Datames) *Thyum, hominem maximi corporis, terribilique facie, quod & niger, & capillo longo barbaque erat prolixa, optima veſte contexit, quam ſatrapæ regii gerere conſueverant: ornavit etiam torque, atque armillis au-*
C *reis, cæteroque regio cultu*. Regio cultu inquit, ut ſcias ſolennem eum Regibus Perſarum fuiſſe. Et factum inſtitutumque id a Datame, ut ornatu iſto cœpta Thyi conatuſque argueret, quod obſervatum in hoc crimine Veteribus videtur. Ita enim poſt nonnullos alios Clemens quidam, qui ſe Daniæ regem fecerat, a Rantzovio corona plumbea ornatus ſublatuſque in crucem eſt, teſte Beutero *Vita Ranzovii*. Chriſtus ipſe purpura & corona exagitatus eſt. Unde illud Barlæi:

Spinea regalem tibi cingit adorea frontem.

Torques ergo, ut unde digreſſus ſum, eo revertar,
D ſolenne Regum apud Perſas inſigne, quod miror a diligentiſſimo Briſſonio in opere *de Regno Perſico* prætermiſſum eſſe. Joſephus *lib.* XI. *cap.* VI. de Mardocheo, qui ſub Artaxerxe vixit: Ενδύε) τ̃ πορφύραν, ἣν ὁ βασιλεὺς ἀεὶ φορῶν διετέλει, ϗ περιτίθεται τὸ περιαυχένιον: *induitur purpura, qua rex perpetuo ſolet uti, torques quoque collo ejus circumdatur*: nempe quali rex ſolebat uti, quod ex præcedentibus repetendum eſt. Author verſionis veteris libelli *de Vita Eſther*, pro torque ſcribit *coronam*, quod notandum. Ita enim cap. VI. in conſilio Hamanis, qui honorem eum, inſcius tamen, Mardocheo conciliabat: *debet indui veſtibus re-*
E *giis, & accipere regium diadema ſuper caput ſuum*. Et poſt cap. VIII. de Mardocheo: *fulgebat veſtibus regiis, coronam auream portans in capite*. Puto hoc ortum ex generaliori vocis Hebraicæ (nam Græci prorſus omiſerunt) ſignificatione: prave tamen redditum ab Interpretibus, cum non coronas dare bene meritis, ſed torques conſueverint Perſæ. Sane coronæ vocabulum in hoc loco etiam Caſtalio ſervavit, & *coronare* de torquibus reperitur apud claſſicos autores. Nævius:

Collum marmoreum torquis gemmata coronat.

F Unde quis & ibi torquem ſignificare exiſtimet. Porro torques etiam Cæſarum geſtamen fuit apud Romanos. Obſervamus ex antiquis eorum nummis apud Stradam, & nominatim Firmi Cæſaris, Maximiani, Juſtiniani, Conſtantini, & aliorum. Curopalates quoque inter inſtrumenta ornatus Imp commemorat. Quanquam ab initio non uſurparint: unde & in Heliogabalo Herodianus reprehendit, *lib.* V. *cap.* XI. quod ſpreto Romano aut Græco habitu incedere ſit ſolitus περιδεραίοις τε ϗ ψελλίοις κοσμέμενος, *torquibus & armillis redimitus*. Niſi forte non tam torques, quam monilia intelligat, quomodo & Politianus reddit. Sane monilia magis ad fœminas pertinebant, reprehenditur autem hic ornatus in eo ut muliebris. Ita namque idem paulo poſt: Indignabantur cernentes περιδεραίοις ἢ χρυσίνοις ἐσθῆσί τε ἁπαλαῖς ἀνάνδρως κοσμέμενον, *monilibus molliſſimoque veſtitu haudquaquam viriliter ornatum*. Quicquid ſit, ne torques quidem primis temporibus uſurpaſſe certum: cum earum plane nullam nec Poetæ, nec Hiſtorici in eis faciant mentionem. Illud invenimus, quod cum coronandi aliquando eſſent, nec ad manus haberetur diadema aliud, per feſtinationem in aliquibus adhibitæ ſint torques. Ammianus Marcellinus *lib.* XX. *Maurus nomine quidam, poſtea Comes, tunc haſtatus abſtractum ſibi torquem, quo ut draconarius utebatur, capiti Juliani impoſuit*. Alius Marcellinus Comes in *Chronico*, & ex eo Jornandes *de Succeſſ. Reg.* in Juſt. *Hypatium torque aureo redimitum pro diademate, locaque Imperatoris jam capientem* interfecit. Ammianus iterum *lib.* XXIX. *Tigavias venire juſſerat cum Tribunis, e quibus unus torquem pro diademate capiti impoſuit Firmi*. Sidonius Apollinaris *Carm.* VII. *verſ.* 574.

Aggere compoſito ſtatuunt, ac torque coronant
Caſtrenſi mœſtum, donantque inſignia regni.

Intelligas ex his locis, per tumultum tantum, & in caſtris hoc fuiſſe receptum. Alias nullus in Imperatoribus torquium uſus, vel inter inſignia eorum locus. De Juſtino primum omnium memorat Corippus *lib.* II.

Armati manibus ſacrati circulus auri
Impoſitus collo, imperium ſublime dicavit,
Quod faciens ter, tor dextram cum munere tendens
Auguſti, Juſtine, locum tibi confero dixit.

Ante hunc Juſtinum nihil iſtiuſmodi de torque lectum eſt, vel circulo, ut Corippus vocat. Cum quo conſentio, & circulos potius, quam torques proprie ſic dictos ad hanc rem uſurpaſſe puto. Nam cum lati ſint, & ſolidi, utriuſque rei vicem obire potuerunt, & torquis in collo, & diadematis in capite, cum præſertim diademata quoque apud Veteres ſolida fuerint & lata, ut in Commentario *de Veteri Upſalia* prolixe oſtendemus. Apud Gallos quoque Regum fuiſſe geſtamen non dubito, cum ſe vulgo ſic ornaverint. Et exhibetur eorum alicujus effigies a Lazio cum torque, libro *de Migr. Gent.* Propertius expreſſe de Viridomaro, Rege duceque Gallorum:

Torquis ab inciſa decidit unca gula.

Non aliud obtinuit apud Germanos Britannoſque. De Britannis Dio *lib.* LXII. ubi de Bunduica regia ſtirpe orta, plebemque concitante adverſus Romanos: ϗ ςρεπτὸν μέγαν χρυσοῦν ἐφόρει. *Ferebat & magnum torquem aureum*. De Suecis & Danis ex Olao colligitur & Saxone, verba alio loco adferemus. Et hi quidem primi, qui torques uſurparunt. Ab his conceſſi ſunt & aliis: ut primum apud Ægyptios Judicibus, quorum inſigne torquem cum bulla, cujus nomen erat veritas, Diodorum memorare ſupra vidimus. Et innuit Tertullianus lib. *de Idol.* cap. XVIII. quando ait: *Purpura illa, & aurum, cervicis ornamentum, eodem modo apud Ægyptios, & Babylonios inſignia erant dignitatis, quo modo nunc prætexta, vel trabea, vel palmatæ, & coronæ aureæ*. Habuerunt & Medorum Judices. Curopalates in *Off. Conſtant.* p. m. 106. *Ad collum autem Judicum pendebant de lineis duo quædam dicta pilaticia, ea ſunt opus e margaritis cum fimbria, in longitudinem minus ſpithama, in latitudinem au-*

tem palmo, quæ Rex Medorum gestabat, similiterque Judices. Est hæc Pacii interpretatio, qui & in *Notis* Græcum πιλατίκια exponit *disquisitionis & accuratissimæ cognitionis monimentum, quam a Judice opus est adhiberi antequam judicet, aut ferat sententiam: quia Pileata Orientalibus est rerum ignotarum & obscurarum disquisitio & pervestigatio.* Conveniunt hæc plane cum iis, quæ de Ægyptiorum Aletheia disseruimus. Itaque & σιτάνια illa, quæ Pacius *lineas* exponit, de torquibus accipienda putamus. Cum præsertim constet primores Medorum torquibus fuisse usos. Persæ torquibus honorabant suos Immortales; eo enim velut solenni gestamine insigniri consuevisse alio loco demonstrabitur. Apud Romanos torque, velut nota dignitatis ac officii, utebantur Duces militares. Curopalates: Ἐφόρουν πάλαι οἱ στρατηγοὶ στρεπτὰ τὴν τιμὴν τούτων ἐδήλουν. *Gebastant quondam duces torques, quæ honorem ipsorum demonstrabant*. Sic de Tribuno quodam Ammianus Marcellinus *l.* XXIX. *cap.* XXVI. *Tigavias venire jusserat cum Tribunis, e quibus unus torquem pro diademate capiti imposuit Firmi*. Imponit torquem suum Tribunus, ex quo gestasse apparet. Nisi quis dono accepisse putet eum, cujus meminit Marcellinus. Utut sit, Draconarii seu vexilliferi solenniter habuerunt. Marcellinus iterum *lib.* XX. *Maurus nomine quidam, postea Comes, tunc hastatus abstractum sibi torquem, quo ut draconarius utebatur, capiti Juliani imposuit*. Observa, quod addit: *quo, ut draconarius utebatur*. Inde enim patet, solennem eum fuisse draconariorum ornatum. Paulus Warnefridi, quem vulgo Diaconum appellant, *lib.* XI. eandem rem describens: *Cumque corona deesset imperialis, unus signa portantium torquem quem habebat in collo, sumens, Juliani capiti circumposuit*. Hinc apud Prudentium Hemetrio & Cheledonio, qui ambo draconarii fuerunt, cum ducerentur ad supplicium, torques exuuntur. Versus ejus sunt in *Peristephano*, quos deinde adducemus. Torques quoque inter solennia Præsidum in Provinciis gestamina fuerunt, si Pancirolo credimus. Is enim ita lib. I. *Varior.* cap. X. *Præsides provinciarum præter alia ornamenta torque etiam aureo collum circumdabant*. Atque hinc fortasse factum, ut & apud Germanos nostros indicium essent dignitatis Equestris. Conspiciuntur enim etiamnum paulo vetustiores Equitum imagines cum torquibus. Et quia potestatis dignitatisque alicujus certæ signum erant & nota, ideo qui potestate ista sua privabantur, exuere prius cogebantur torques. Curopalates: *Tyranni primum auferebant zonam & torquem honoratis martyribus Christum confitentibus, postea dedebant eos tortoribus*. Prudentius eo loco, quem superius nominavi:

Ite signorum magistri
Et vos tribuni assistite
Aureos auferte torques.

CAP. IX.

Torques virtutis & fortitudinis.

Ostendimus hucusque, qui solenniter, ob rationem muneris aut dignitatis gestare torques sueverunt. Præter eos accipiebant aliquando & alii. Ac primum quidem omnium viri sapientia præstantes, utilesque reipublicæ consilio. Tales enim antiquissimis temporibus torquibus ornari solitos docuerit exemplum Josephi, vel si vulgatam interpretationem rejicimus, dictum regis Salomonis, quod est cap. I. *Prov* §. 8. *Audi fili mi disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ, ut addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo*. Ostendit sane clarissime, ob sapientiam torquibus ornari suevisse. Unde & Castalio locum hunc sic reddidit: *Nam ea* (disciplina seu Sapientia) *capiti tuo gratiam, colloque torquem præstabunt*. Vulgata Græca: στέφανον γὰρ χαρίτων δέξῃ σῇ κορυφῇ, καὶ κλοιὸν χρύσεον περὶ σῷ τραχήλῳ. Nec impedit, si quis filio hæc scripta dicat, adeoque Regi futuro. Nam & Regibus ipsis non tam ob dignitatem, quam ob sapientiam, qua sibi dignitatem illam primi compararunt, torques fuisse in usu demonstratur. Scilicet quæ coronarum, ea quoque torquium est ratio: ergo sicuti coronæ perfectionem quandam denotabant Veteribus, ut ostendimus in *Notis ad Ælianum*, ita plane & torques. Qui ergo singularis absolutæque erant sapientiæ, vel ipsi fiebant Reges, vel aliis, cum Reges essent, torques donabant. Hinc illud apud Assyrios regis Balsasari edictum *Dan.* cap. V. *Quicunque legerit scripturam hanc, & interpretationem ejus manifestam fecerit, purpura vestietur, & torquem aureum habebit in collo*. Et illi simile promissum Darii apud Josephum lib. XI. *Ant.* cap. IV. de quo ita Autor: *Darius post brevem in lecto quietem a somno relictus, nec valens redormiscere, cœpit fabulari cum tribus satellitibus, & qui proponendam a se quæstionem verius ac prudentius solverit, ei præmium fore promisit usum purpuræ, & aurei poculi, & tiaræ byssinæ, & torquis aureæ*. Est ejusdem generis, quod apud Ægyptios Judices solenniter habuerunt torques, ut superius monstratum est. Nimirum & ipsos sapientia virtuteque eximios esse, reliquosque præstare oportet. Nec aliam ob caussam apud Judæos opinor gestasse Sacerdotes. In torque enim seu catena aurea ut apud Ægyptios sapphirus gemma, sic apud illos rationale suspensum fuit. Moyses *Exod.* XXVIII. vers. 12. *Facies in rationali catenas sibi invicem cohærentes ex auro purissimo, & duos annulos aureos, quos pones in utraque rationalis summitate, catenasque aureas junges annulis, qui sunt in marginibus ejus*, &c. Videntur ad exemplum hoc, ex eadem certe caussa usurpasse etiam sacerdotes Gallorum Germanorumque, quos Druides appellavere. Strabo *lib.* IV. de ipsis: χρυσοφορεῖ τε γὰρ περί μὲν τοῖς τραχήλοις στρεπτὰ ἔχοντες, *gestant enim aureos circum colla torques*. Convenit, quod sicut Ægyptii sapphirum, Judæi rationale, sic illi anguinum in eis haberent suspensum, de quo multa dicimus *in Veteri Upsalia*, nemini adhuc observata. Post Sacerdotes virosque sapientes potissimum viri bello strenui ac militares torques meruerunt apud Veteres. Apud Persas sane ita honoravit Mithridatem Artaxerxes, quod stratum equi, quo Cyrus ab ipso interfectus, usus fuerat, ad ipsum attulisset. Ite enim Sparamixe ad Mithridatem apud Plutarchum *Vita Artaxerxis*: Ὡς καλὴν ἐσθῆτά σοι ταύτην, Μιθριδάτης, ὁ βασιλεὺς δέδωκε, καλὰ δὲ στρεπτὰ καὶ ψέλλια. *Ut elegantem hanc tibi vestem, Mithridates, Rex donavit, & elegantes torques & armillas*. Apud eosdem integra cohors eorum, qui Immortales dicebantur, sic erat ornata. Curtius *lib.* III. *cap.* III. *Persæ Immortales vocant ad decem millia, cultus opulentiæ barbaræ non alios magis honestabat. Illi aureos torques, illi vestem auro distinctam habebant*. Sollicitat hunc locum vir doctissimus Henricus Ernstius in *Notis ad Valerium Grammaticum*, proque *aureos* torques, *autem* ex Codice Mediceo scribendum putat. Sed haud dubie vitiosus est is Codex. Nam & Herodotus in respectu ad eos torques *lib.* VII. χωρὶς δὲ χρυσόν τε πολλὸν καὶ ἄφθονον ἔχοντες ἐνέπρεπον. *Præterea auro multo copioso erant conspicui*, de istis Persarum Immortalibus. Frustra est, qui ad vestes solas referre volet, cum τὸ χρυσὸν sic sæpe Græci absolute, pro torquibus utantur, quomodo &

χρυσοφορεῖν, de iis, qui torques gestant, usurpare notatum est. Itaque & eo ipso loco Herodotus: *κόσμον δὲ πλεῖστον παρείχοντο διὰ πάντων Πέρσαι, καὶ αὐτοὶ ἄριστοι ἔσαν*. Quæ sane verba nemo ad vestes solas retulerit, cum Persarum ornatus præcipue constiterit in torquibus. *Præcipuo*, ait, *inter omnes cultu erant decori, & iidem præstantissimi omnium*. Observa, quod *ἀρίστους*, id est, *optimos*, fortissimosque vocet. Apparet enim, id quod dixi, torques fortium virorum fuisse præmium. Diodorus Siculus *lib.* XI. Προσέπεμψε τοὺς τῶν Περσῶν ἐπιλέκτους, *ὀνομαζομένους Ἀθανάτους, καὶ δοκοῦντας ταῖς ἀνδραγαθίαις προτεύειν τῶν συστρατευομένων*. Idem observatum apud gentes alias, præcipue Romanos. Ambrosius in *Inst. Virginis*, cap. XIV. *Victores solent sæcularium præliorum, strenuorum virorum donatis torquibus honorare cervices*. Ad Romanos respicit, quibus hoc in usu fuit. Unde inter solennia præmia, quibus apud eos virtus honoratur, apud Tacitum *Annal.* II. cap. IX. Flavius torquem memorat. *Aucta stipendia, torquem & coronam, aliaque militaria dona*. Suetonius in *Augusto* cap. XXV. *Dona militaria aliquanto facilius, phaleras & torques, dabat*. Extat quoque pulchra apud Gruterum Inscriptio, quæ torquem virtutis causa datam expresse confirmat:

M. LICINIO. MVCIANO...
.. DONIS. DONATO... ob vir
TVTEM. ET. FORTITVDINEM.
BELLO. DACICO. AB. IMP. TRAIANO.
CORONA. VICTRICI. PVRA. HASTA. TORQVIBVS. ARMILLIS. PHALERIS.

Pertinebant autem ad omnes, qui se fortiter gessissent in prælio extra ordinem, & peculiari se ostentassent virtute. Ita legimus de pedite apud Tacitum *Annal.* III. cap. XXI. *Rufus Helvius gregarius miles, donatus est ab Apronio torquibus & hasta*. In Inscriptione veteri apud Gruterum *pag.* 1096.

L. LEPIDO. L. F. AN.
PROCVLO.
MIL. LEG. V. MACEDON.
. . . .
DONIS. DONATO. AB. IMP.
VESPASIANO. AVG.
BELLO. IVDAICO. TORQVIB.

Peditem fuisse necesse est, quia erat Legionarius. non enim Legio, nisi peditum. De equite testimonium est in alia Inscriptione apud Smetium, *pag.* 52.

C. ARRIO. C. F. COR. CLEMENTI.
MIL. IX. COH. PR.
EQVITI. COH. EIVSDEM. DONIS.
DONAT. AB. IMP. HAD.
TORQVIBVS. ARMILLIS. PHALERIS. OB. BEL. DACICVM.

Confirmat & quæ a Grutero adfertur, *pag.* 443. Nec milites solum, sed & Præfecti eorum ita honorati. De tribuno Probo Vopiscus: *Bello Sarmatico jam tribunus cum multa fortiter fecisset, publice in concione donatus est armillis aureis duabus, torque aureo uno*. De Claudiano, tribuno adhuc legionis Quintæ, Pollio ex litteris Valeriani, ad Procuratorem Syriæ: *Huic salarium dabis, torquem liberalem unum, cassidem inauratam unam*, &c. De Præfecto turmæ Equestris Hirtius *de bel. Hisp.* cap. XXVI. *Cæsar ob virtutem turmæ Cassianæ Præfecto donavit torques aureos duos*. Meminit generatim etiam Vegetius *lib.* II. *cap.* VII. ubi a torquibus illis cognomentum meruisse, TORQVATOS di-

A ctos esse ostendit. *Torquati*, ait, *duplares, torquati simplares, quibus torques aureus solidus virtutis præmium fuit: quem qui meruisset, præter laudem interdum duplices consequebatur annonas duplares duas, simplares unam*. Sensus est, torquatos duplares duas, id est, duplas consecutas annonas, simplares unam. Peccat Pierius, quando ex hoc ipso Vegetii loco scribit lib. XLI. *Hierog.* cap. XXXI. *torquem aureum solidæ virtutis præmium fuisse traditum est a Vegetio, quem qui meruisset, præter laudem duplas consequebatur annonas*. Non perpetuum hoc fuit, sed in melioribus tantum observatum. Igitur nec in Inscriptionibus antiquis, ubi
B torquium, ibi statim mentio fit duplicis annonæ. Imo in unica tantum observamus apud Gruterum *pag.* 357.

C. ANTONIO. C. F. FLAVINO. VI.
VIRO. IVN.
HAST. LEG. II. AVG. TORQ.
AVR. ET. AN. DVPL. OB. VIRT.
DONATO.

Deinde & in eo peccat, quod virtutis solidæ hoc asserat fuisse præmium. Nec enim de virtute solida, sed torque aureo solido sermonem apud Vegetium esse manifestum. Hi ergo milites torquati.
C Unde Calvinus: *Torquati milites, quibus torques virtutis præmium fuit*.

Porro torquibus viros bello strenuos donandi consuetudo etiam apud gentem Germanorum valuit, maxime in Equitibus, quos strenuos fortesque torquibus ornari solitos priscis temporibus res nota est. Regula ordinandi militem Sancti Sepulchri (qui militum Ordo antiquissimus putatur) apud Mennenium in *Equest. Ordin. Symb. Deinde osculetur eundem, ponens more majorum torquem aureum cum cruce pendente, in collo ejus*. Ait, *more majorum*, ut vetustissimam sciamus fuisse consuetudinem in creandis Equitibus. Et confirmant
D veteres imagines, galeæque in insignibus Equitum antiquissimæ cum torquibus. Conspicitur hodieque Rudolphus equo insidens cum torque in admirandi operis templo apud Argentoratenses meos. Statua ea anno MCCXCI. id est, ante annos trecentos quinquaginta facta est, ut Schadæus peculiari libello de eo opere testatur. Hinc in *Lexico* Calvinus, loco quem superius adduxi: *Torquatos puto recte appellaveris, qui ab Imperatoribus virtute meruerunt jus militare. Germani tales* Ritter, *Itali equites auratos appellant: forte quod olim equites splendidi epitheto insignivit Hirtius, nimirum ab auri fulgore & virtutibus. Cecidere, inquit, eo prælio splendidi ac illustres viri nonnulli Equites Roma-*
E *ni. Quem secutus in Historia Tacitus Illustres Equites pariter appellavit teste Catanæo*. Vides, ut ipse quoque in genere Equitibus asserat torques datas, hincque torquatos appellatos putet, item auratos. Quanquam aurati Mennenio dicantur non a torque aureo, sed aureis calcaribus. *Hi*, ait ab initio dicti opusculi, *sive milites sive Equites appellare libet, Auratorum nomen hodie, ab auri præcinctura, vel auratis calcaribus invenere*.

Porro sicut Veteres honore torquium afficiebant, qui se strenue gessissent in militia contra hostes, ita & illos, qui id ipsum fecissent in ludis mili-
F taribus. Itaque hoc fine propositas inter cætera præmia etiam torques a ducibus observamus. Capitolinus in *Maximinis*: *Severus militares dabat ludos, propositis præmiis argenteis, id est, armillis, torquibus, & balteolis*. Observa torques hic datos, sed argenteos. An quia cives fuere, quibus isti ludi dati? Civibus enim torques argenteos donari solitos Plinius testatur *lib.* XXXIII. *cap.* XI. *Auxiliares & externos torquibus aureis donavere, at cives nonnisi argenteis*. Falli Plinium hoc loco putat

Lipsius *de Mil.* lib.v. cum saltem Asprenati torques aureus donatus legatur ab Augusto. Sed forte ad vetustiora tempora Plinius respexit, quibus hoc blandimento magis devincire sibi auxiliares volebant. Itaque sequitur: *Idem, quod magis miremur, coronas ex auro dedere civibus*. De institutis Veterum eum loqui manifestum est. Legimus tamen & Sicinnium aureis torquibus donatum apud Dionysium Halicarn. *lib.* x. Πρὸς δὲ τούτοις, ait, ὀγδοήκοντα μὲν καὶ τρεῖς χρυσοῖς στρεπτοῖς περιαυχενίοις. Vixit is Dentatus Sicinnius haud multo post exactos reges, uti ille ipse Plinius testatur. Nisi forte Dionysium generalior vox torquium decepit, & is alios quam aureos ignoravit. Constanter enim Latini omnes tot torques simpliciter, non tot aureos torques accepisse memorant, quod observandum. Sane torques aureos antiquioribus temporibus datos adhuc quæro in Scriptoribus, nec usquam invenio. Nam quod est apud Silium *lib.* xv.

Hic torque aurato circumdat bellica colla.

Id non expresse de cive dictum. Quicquid sit, torques non aurei, sed argentei in ludis militaribus solenniter propositi videntur. Itaque velut singulare in Maximino notatur, quod ob raram in eis virtutem ab Imperatore donatus fuerit torque aureo. Prædictus Auctor: *Ille more solito septem fortissimos uno sudore vicit, solusque omnium a Severo post argentea præmia, torque aureo donatus est*. Nec forte alio referendum Asprenatis Exemplum, de quo Suetonius in *Aug.* cap. XLIII. *In hoc ludicro C. Nonium Asprenatem lapsu debilitatum, aureo torque donavit*. Casaubonus in universum hic non torques, sed galeas & hastilia donata ait. *In solatium debilitatis*, inquit, *bonos hic eximius Nonio habitus; nam cæteri pueri qui Trojam luserant galeis hastilibusque, talibusque solum præmiis affecti. Bæbius Macer: Cæsar Augustus pueris qui luserant Trojam donavit galeas & bina hastilia*. Sed Bæbius de ludo tantum temporis illius loquitur, præterea torques non excludit. Etiam illud *aureo* apud Suetonium nescio quid expressioris significationis, quasi alios quoque torques, sed non aurei dari consueverint, in se continere videtur. Certe torques, etsi non aureos fortasse datos in ejusmodi ludis observamus etiam ex Sidonio *Car.* XXVIII. vers. 42. ubi de quodam optime se gerente in curriculo quadrigarum, sed ferocia equorum cursusque dehiscentis ruina in summum vitæ periculum adducto, postquam multa de ipsius casu, ita postremo claudit:

Hic mox præcipit æquus Imperator
Palmis serica, torquibus coronas
Conjungi, & meritum remunerari.


Imperator, quem hic innuit, Valentinianus est, cujus saltem temporibus ea consuetudo fuit. Ideo enim conjungi torquibus coronas jubet, quia torques ut solitum præmium insolitam virtutem non satis æquabant.

Similiter & luctantibus interdum torques dati. Trebellius in *Claudio*: *Fecerat hoc etiam adolescens in militia, quum ludicro Martiali in campo luctamen inter fortissimos quosque monstraret. Nam iratus ei, quia non balteum, sed genitalia sibi contorserat, omnes dentes uno pugno excussit. Quæ res indulgentiam meruit, pudore vindictæ: Siquidem tunc Decius Imperator, quo præsente fuerat perpetratum, & virtutem & verecundiam Claudii publice prædicavit, donatumque armillis & torquibus: a militum congressibus facessere præcepit, ne quid atrocius, quam luctamen exigit, faceret*. A militibus etiam ad gladiatores pervenisse torques videntur, Gladiatoriorum sane torquium mentionem facit Capitolinus, quos nescio an alios, quam

A hos vel ex argento vel auro, virtutis caussa dari solitos intelligere debeamus. Sic autem verba ejus sese habent, ubi de rebus Commodi: *Toga armaque gladiatoria gemmis auroque composita, & machæras Herculaneas, & torques gladiatorios, vasaque eluto auro, ebore, argento citroque composita*. Sane cum hic inter machæras, arma, aliaque id genus gladiatoria instrumenta referantur, cogitandum num non quid ejusmodi hinc innuatur. Forte laqueus, vel quid aliud ex fune, quo adversarium capiebant. Nam alias inter gladiatorum præmia torquem legere non recordor, neque Lipsio in diligenti *Saturnaliorum* opere notatus est.

B Cæterum nec hic Romani soli virtutem militarem in ludicris honorare torque consuevere. Fecerunt enim & Sueci. Testatur exemplum Atisli Regis, qui Rolsonis virtutem tali munere prosecutus est. Saxo *lib.* II. *Dixguntur hinc animositatis inde munificentiæ pacta, priorque Rolvo virtutis experimentum edere jubetur. Qui cum igni applicaretur, parmulam parti, quæ acrius urgebatur, objecit*, &c. *Rolvo patientiæ consummatione laudatur. Posthæc Atisli munera requiruntur. Ferunt illum collatis in privignum opibus ad ultimum ingentis ponderis torquem, quo donum cumulatius redderet, expendisse*.

C Post fortitudinem in bello, dexteritatem in ludis militaribus, animositatem, patientiam, fides quoque coli torque suevit apud Veteres. Exemplum Mardochei docet apud Autorem *Vitæ Esther*: qui quoniam factam contra Artaxerxem detexisset conjurationem, hinc ab eo cum aliis muneribus, tum torque aureo donatus est. Servavit & Frotho III. Daniæ Rex in Gotuvara, teste Saxone *lib.* v. *Cum enim in legationem, requirentem summam fidem, eam misisset, aureo torque prolato, legationis præmium pollicetur*, sicut Saxo loquitur. Eandem ob caussam Medicis olim datæ ac Histori-
D cis videri possunt. Alludit sane eo, quanquam alia nonnihil mente, Lucianus lib. *de Consc. Hist.* ubi ait: Ἢ φοβεῖται Ἀρταξέρξην, ἰατρὸς αὐτοῦ ὤν, ἢ ἐλπίζει κάνδυν πορφυροῦν, καὶ στρεπτὸν χρυσοῦν, καὶ ἵππον τῶν Νισαίων λήψεσθαι, μισθὸν τῶν ἐν τῇ γραφῇ ἐπαίνων. *Si vel Artaxerxem metuit, medicus ejus existens, vel sperat candyn purpuream, & torquem aureum, & equum ex Nisæis illis aliquem se accepturum, mercedem laudum earum, quas scriptis inserit*, scribere verum in Historia non poterit. Datas utique his talibus torques ostendit. Quanquam forte magis amicitiæ ac honoris caussa sæpius quam fidei. Quod & in aliis observatum, præsertim genti-
E bus vicinis. Sic apud Tacitum mittuntur Germanis lib. *de Mor. Germ.* c. XV. *Gaudent præcipue finitimarum gentium donis, quæ non modo a singulis, sed publice mittuntur: electi equi, magna arma, phaleræ torquesque*. Ex eadem caussa Romani miserunt Gallis, de quo Livius *lib.* XLIV. *cap.* XIV. & Galli Augusto, de quo Fabius l. VI. c. IV. Sed & legatis vicinarum gentium ex hac caussa dono datæ apud Veteres, quæ consuetudo hodieque fere obtinet per Europam. Persis etiam solennis fuit. Ælianus noster *lib.* I. *cap.* XXII. *Munera, quæ Rex dono dabat, venientibus ad se legatis, sive ii ex Græ-
F cia, sive aliunde advenissent, hæc erant: unicuique Talentum Babylonicum argenti præstantissimi, præterea phialæ duæ argenteæ, quarum quæque talenti precium habebat. Conficit autem talentum Babylonicum septuaginta duas minas Atticas. Item armillas & acinacem dabat, & torquem*. Sic hunc locum exponendum dixi in *Notis*. Ad torques amicitiæ caussa dari solitas etiam sponsalitiæ sunt referendæ, de quibus ante disseruimus. Hinc S. Agnetis in *Martyrio incerti*, quod legitur apud Barthium lib. XXXI. *Adv.* cap. XIII.


TAB. V
Ex Schedis.
TAB. VI.
Apud Em.mum Card. Chigium.
TAB. VII.
In Museo Io. Petri Bellorii

Hic mea ditavit armillis brachia, pectus
Crystallis, collum torque, decore genas.

Eadem apud B. Ambrosium in *Vita ejus: Collum meum cinxit lapidibus pretiosis*. Loquitur ut virgo, Christo desponsata. Qualem iccirco B. Cyprianus abstinere vult a gestamine torquium, ne magis desponsata videatur mundo, quam Deo. Verba sunt *de Hab. Virginum: Ne inferant auribus vulnera, nec brachia includant aut colla de armillis & monilibus pretiosa catena*. Sunt & eæ hujus generis, quæ fere ad filias perveniunt testamento matrum: quia & sponsalitiæ illæ, & amoris erga natas indices. Ministratur exemplum hujusmodi legati a Scævola in *l.* 16. *ff. de auro, argento*. Ubi mater: *ornamenta mea omnia filiæ meæ reserventur*. Ornamentorum enim voces torques & monilia comprehendi Paulus docet *l.* 32. *§.* 7. *ejusdem tituli*. Apud Anglos solenne, legibusque statutum videtur, ut ad filias, non filios, hæc pervenirent. Leges Anglorum & Werinorum *Tit.* VI. *§.* 6. *Mater moriens filio terram, mancipia, pecuniam dimittat, filiæ vero spolia colli, id est, murenas, nuscas, monilia*, &c.

CAP. X.

Torques ostentationis & luxuriæ.

AB usu & honore facilis est transitus ad superbiam & abusum. Itaque cum torques signum essent dignitatis ab initio, ac virtutis, paulo post, promiscue usurpari fueverunt, etiam a mulieribus. Peccat enim Isidorus, quando *l.* IX. *c.* XXXI. proprium virorum gestamen torques fuisse ait. *Torques*, inquit, *& bullæ a viris geruntur, a fœminis vero monilia & catellæ*. De catellis sane affimat Horatius *l.* I. *epist.* XVII. ibi enim de muliere usurpat:

Nota refert meretricis acumina, sæpe catellam,
Sæpe periscelidem raptam sibi flentis ——

Ornamentum colli, non canem Meliteam, ut Xylander mavult, hic intelligi, additum de periscelide confirmat. Unde & Inscriptiones quædam inter alia ancillarum & libertarum vocabula memorant A CURA CATELLÆ aliquas. Easdem tamen catellas inter dona militaria refert Livius, ut superius indicatum est. Quemadmodum monilia Ammianus Marcellinus *l.* XXIII. ubi de Persis: *Armillis monilibusque aureis & gemmeis utuntur*. Idem facit & Ovidius, ut ex præcedentibus constare potest. Contra torques usurpavit in mulieribus Interpres vetus Bibliorum, *Ezechiel*. c. XVI. vers. II. *Ornavi te ornamento, & dedi armillas in manibus tuis, & torquem circa collum tuum*. Christi verba sunt ad Ecclesiam. Frequentius tamen monilia in mulieribus leguntur, credo, quod aurum simplex haud sufficeret earum luxui, sed addendæ gemmæ essent. Talia enim proprie monilia. Medea exprimit apud Senecam *Act.* III. *Sc. ult.*

—— *gemmis est, & auro textili*
Monile fulgeas ——

Apud Virgilium quoque l. I. *Æneid.*

—— *colloque monile*
Baccatum

circumdat Regina Dido, quod fortasse minus mirum in Regina, plus in cæteris, de quibus ob hanc caussam Plinius *Nat. Hist. l.* XXXIII. *c.* III. *Inserta margaritarum pondera e collo dominarum auro pendent, ut in summo quoque unionum conscientia adsit*. Insertas auro margaritas intelligit, quæ

A dependent e monilibus ex uncinis. Non enim infixa tantum habebant isthæc talia, sed & pendula e monilibus circum circa, sicut observamus in effigie mulieris, quam ex Sarcophago Probi in *Roma Subterranea* exhibet Antonius Bosius. De insertis loquitur Paulus in *lege* 32. *§.* 2. *ff. de Auro: Putavit sibi legari & ornamenta & monilia, in quibus gemmæ & margaritæ insunt*. Nec alia *lumina lapillorum, quibus monilia variantur*, ut Tertullianus vocat c. XI. *de Hab. Mul.* Puto & nudas habuisse gemmas in filo, adinstar margaritarum, quas lineas appellant, loco monilium. Easque intelligi a Juvenale *Sat.* VI.

B *Quum virides gemmas collo circumdedit.*

An & a Claudiano? buando *in Ruffinum:*

—— *cuicunque monile*
Contextum gemmis ——

Corallia sane vix aliter gestarint, quæ Seneca *monile* vocat *pelagi rubentis, Herc. Oet.* hoc est, Indici Oceani, seu Maris Erythræi, ut in libris *de Militia Navali* demonstratum est. Alia insertarum

C gemmarum fuit ratio, quippe quæ nude quidem & ipsæ, verum libere dependebant a monilibus aureis, ut dixi. Sicut hoc ipsum observatum est in mamillarum ornamentis, de quibus Paulus in sæpe dicta *lege* 32. *Legavit quædam ornamentum mamillarum ex cylindris triginta quatuor, & tympanis margaritis triginta quatuor*. Cylindri hic smaragdi sunt vel gemmæ aliæ, pendulæ ex auro in quo inclusæ illæ margaritæ extabant. Et hoc ornamentum, ob quod Messalina, scortum nobile apud Juvenalem *Sat.* VI.

—— *nuda papillis*
D *Constitit auratis* ——

Non aliæ auratæ papillæ, quam ornamento istiusmodi mamillarum, cujus Paulus mentionem facit, decoratæ, quoniam ut monile, ex auro gemmisque fuit. Monile tamen aliquando legitur ex solo auro, quomodo *aurata monilia* ex hac causa Ovidium dixisse alias monstratum est. Et hoc forte genus antiquissimum, sique Tertulliano credimus, ab ipsis Angelis hominum, cumprimis fœminarum corruptionibus primitus excogitatum. Ita enim Vir Sanctus lib. *de Habitu Mulier. Illi, qui ea constituerunt, damnati in pœnam mortis deputantur:*

E *illi scilicet Angeli, qui ad filias hominum de cœlo ruerunt, ut hæc quoque ignominia fœminæ accedat. Nam cum & materias quasdam bene occultas, & artes plerasque non bene revelatas, sæculo multo magis imperito prodidissent, siquidem & metallorum opera nudaverant, & herbarum ingenia traduxerunt, proprie & quasi peculiariter fœminis instrumentum illud muliebris gloriæ contulerunt: lumina lapillorum, quibus monilia variantur*. Lapillorum quidem & ipse mentionem facit, sed ut magis respiciat ad aurum, cujus inventores esse contendit. Porro cum hujusmodi monilia fuerint, cur pretio-

F sa dicantur, in aperto est. Ambrosius lib. I. *de Virg. Pretiosa pendent collo monilia*. Nec vulgariter pretiosa fuere. Tertullianus enim *dicto loco* de iis: *Saltus & insulas tenera cervix fert*. Itaque nec mirum, si inter formæ lenocinia adhibebantur. Manilius lib. V. *de Cassiopea:*

Hinc lenocinium formæ, cultusque repertus
Corporis, atque auro quæsita est gratia frontis
Perque caput ducti lapides, per colla, manusque.

De his lenociniis accipio Tertulliani verba libro *de Pallio*, ubi ait de matronis: *Immundiorum cer-*

A *vicem monilibus consolantur*. Jam qui formam commendabant, nulla sibi satis absque eis formosa videbatur, imo una alteram nitebatur superare, hinc quotidiana luxuriæ incrementa, de quibus Plinius *l.* XXXIII. *c.* III. *Habent* (aurum) *fœminæ in armillis, digitisque totis, collo, auribus, spiris: discurrunt catenæ circa latera, & inserta margaritarum pondera e collo dominarum auro pendent*. Nec apud fœminas tantum hic luxus mansit; transiit & ad viros, ut in Heliogabali exemplo superius ostensum est. Ab utrisque venit ad infantes, in quibus insanire solent delicati parentes. Igitur & illi torquibus ornati, talibus cumprimis, e quibus B dependerent crepundia. Hesychius. γνωρίσματα, τὰ συνεκτιθέμενα τοῖς παισὶν ἔξω τῶν περιδεῤῥαίων. Duo in infantibus agnoscit & recenset ornamenta; primum περιδέῤῥαιον, id est, monile seu torques ex auro, vel argento, vel gemmis, coralliis, chrystallo, unde hodieque solet fieri. Deinde ἔξω τῶν περιδεῤῥαίων, id est, quod in extremo ejus appensum fuit, γνώρισμα dictum, a Latinis *monimentum*, de quo ante vidimus. Donatus *ad Eunuchum* Act. IV. Sc. VI. *Monimenta sunt, quæ Græci dicunt γνωρίσματα*. Alias & παίγνια vocarunt, quæ propter hoc ipsum, quia e torque pendebant, ab Hesychio δέραια vocantur. δέραια, C inquit, περιτραχήλια, παίγνια. Aristoteles in *Poetica* περιδέραια vocavit. Nec infantes solum, sed & pueri puellæque adultiores suas in torquibus gestabant bullas. Plutarchus in *Sertorio*: Τὰ χρυσᾶ περιδέραια, ἃ Ῥωμαῖοι βούλλας καλοῦσι. *Torques aureas, quas Romani bullas appellant*. Non potuisset περιδέραια vocare, nisi in torquibus habuissent, ut proinde Perottus verissime: *Bulla torques, e qua bulla propendet in pectus*. Torques ornatus, ostentationisque caussa etiam adhibiti a Juvenibus, quos iccirco reprehendit Boetius l. I. *de Discip. Scholar.* c. II. *Gemmatis*, ait, *colla monilibus, Parthorumque cingulis ventrem castigatum plebi osten-* D *dunt*. Quin imo ipsa servitia sic ornata, ut B. Ambrosius conqueritur lib. *de Jejun.* c. XIII. Ita enim conviviorum ministris: *Succincti sunt auro, & Babylonicis lumbos suffulti baltheis: aureis torquibus nitent colla*, &c. Quare cum in omni sexu, ac fortuna, in maximis ac minimis hic luxus fuerit, quid mirum, si Deos ipsos sic colendos putarunt? De Ægyptiorum Diis supra testati sumus ex Pignorio. De diis Romanorum docet Livius *lib.* XXXIII. c. XXII. *Ex torquibus* (*Gallorum Bojorumque*) *unus magni ponderis in Capitolio Jovi donum positus*. Polybius *Hist.* II. *Capitolium exornavit signis militaribus & maniacis*. Varro *de Vita Popu-* E *li Rom.* l. I. *Torques aureæ multæ relatæ Romam, atque consecratæ*. Similiter Catumandus simulachrum Deæ Massiliensium coluit. Justinus *l.* XLIII. c. V. *Torque aureo donata dea in perpetuum cum Massiliensibus amicitiam junxit*. Servarunt & Germani eam consuetudinem. Hinc Florus *l.* II. *c.* IV. *Vovere de Romanorum militum præda Marti suo torquem*. Nec belli tantum prospere gesti caussa hoc factitatum, sed sæpe ex privatis caussis. Sic Inscriptio vetus exstat, quæ Æsculapium ita honoratum ostendit. Proposita est inter alias a Gru- F tero *pag.* 70.

DEO. ÆSCVLAPIO. VAL. SYMPHORVS.
ET. PROTIS.
SIGNVM. SOMNI. ÆREVM. TORQVEM. AVREVM. &c.

Similis huic est Inscriptio alia, data nobis a Capaccio in *Historia Neapolitana* ex ædibus Octavii, Cæsaris Consiliarii.

EX. IVSSV. I. O. M.
HELIO. FOLITANI. AVRELIO. THEODORO. SACERDOTI.
FILIO. CVRATORI. TEMPLI.
CREMELIENSIVM.
. . . AD. AMPLIANTES. DONIS......
. . . TORQVEM. ET. VELVM. SAC.....

CAP. XI.

Torques in qua parte corporis, & quando gestatæ.

Torques in solo gerebantur collo, a quo dependebant in pectus. Isidorus: *Torques sunt circuli aurei a collo ad pectus usque dependentes*. Petrus Mosellanus, vir haud contemnendæ eruditionis, in *Notis ad A. Gellium* ait esse *colli ornamentum, & summi pectoris*, in quibus verbis illud *summi pectoris* notandum puto. Videtur enim non longe demissos, sed circa papillas & thoracis sinum finitas credidisse. Et autorem habet verborum suorum vel ipsum Virgilium, qui sic lib. V. *Æneid.*

—— *it pectore summo*
Flexilis obtorti per collum, it circulus auri

Vides hic per *pectus* non simpliciter, sed *summum* definiri spacium, ad quod pertinebant. Quare in re diversæ torques a phaleris fuisse videntur. Sane & hæ ornarunt pectus, at non pectus summum. Silius Italicus *l.* XV.

—— *Phaleris hic pectora fulget*.

Phaleræ non minus in pectore, quam torques: hæ tamen minus demissæ. Quo sensu verum esse potest, quod ait Lipsius lib. V. *de Mil. Rom.* Dial. XVII. *Phaleræ demissæ ad pectus pendebant, torques stringebant magis & ambiebant ipsum collum*. Nam si collum arcte ambivisse torques putavit, errasse vel ex præcedentibus manifestum. Arcte ambire magis circulorum, & adhuc magis monilium fuit proprium. Quanquam inter phaleras torquesque & illa fuisse differentia videtur, quod cum torques ab utraque colli parte demitterentur in pectus, phaleræ demissæ essent tantum ab altera, & sub ala seu brachio, more balthei, clauderentur. Extant enim primo quædam in columna Trajani imagines, cum tali ornamento, quod phaleras fuisse puto. Deinde imitatur Liber Pater in serto ex floribus, cujus effigies est in tabula marmorea Romæ, & cum ab aliis, tum a Luca Guarinoni eruditorium bono publicata, quam inter alia rariora Antiquitatum monumenta servo. Catenas quoque aureas, viri præsertim militares hodie sic gestant, gestaruntque olim fœminæ ad imitationem forsan phalerarum. Non enim aliter *discurrentes circa latera catenas* apud Plinium *l.* XXVIII. *c.* III. possum intelligere, quam de istiusmodi gestandi ratione, quam prædixi.

Porro quoniam collum torques ambiebant, hinc a Græcis περιδέραια vocatæ sunt, quod & ante diximus. Quanquam apud Suidam observem non περιδέραια, sed περιδέῤῥαια duplici litera scribi: περιδέῤῥαια, περιτραχήλια, κόσμια. Nec hoc absque authoritate fieri putandum, Nam & Herodianus *lib.* V. περιδεῤῥαίοις τε καὶ ψελλίοις κοσμούμενος. Et nescio, an non sic sit scribendum. Origo enim alias vix convenit, quam facit Autor Etymologici. Περιδέραιον, ait, περιτραχήλιος κόσμος, ἀπὸ τοῦ δέῤῥη Αἰολικῶς, ὃ σημαίνει τὸν τράχηλον. Si a δέῤῥη deducendum nomen, utique περιδέῤῥαιον scribendum erit. Attamen subjungit

ipse. Ὁ δὲ Ὦρος Μιλήσιος, ἐξὼ τ̄ αι διφθόγγου γράφει καὶ δι᾽ ἑνὸς ρ. ὃ μᾶλλον πιστέον. Non intelligo, quo illud *αι* pertineat: est enim in *περιδέῤῥαιον* hæc diphthongus. Puto plane scripsisse *περιδέῤῥεον*, non *περιδέῤῥαιον*, qui a *δέῤῥη* deducebant, sicque utrobique apud Suidam & Etymologicum scribi oportere. Quanquam & cum hoc posteriore faciam, vulgatamque scriptionem retinendam putem. Est enim *δέρη* vel *δέρης*, quod Latinis collum. Hesychius: *δέρη, τράχηλος, αὐχήν. δέρης, τράχηλος.* Et hinc *περιδέραιον*, quia collum ambit. Xenophon *lib.* I. *Habuerunt Medi* *στρεπτοὺς περὶ τῇ δέρῃ*, *torques circa collum*. Non autem ambiebant tantum, sed & in anteriore parte propendebant in pectus, sicut dictum est. Hæc fortassis caussa, cur & *περιδέραια* vocarentur, quasi succollaria quis diceret, quia sub collum dependebant. Etymol. *ὑποδέραια, περιτραχήλια*. Hesychius: *ὑποδέραιον ὑποδείριον, καὶ περιτραχήλιον.*

Gestabant autem torques istas quædam gentes perpetuo, quædam certis tantum temporibus. De Persis non est dubium, quin semper gestaverint. Itaque & in bellis mentio earum apud Scriptores. Idem observamus in Armeniis. Nam apud Appianum Romani torques eorum calcant in prælio, in quo victus est Tigranes, l. I. *de bell. Mithr.* Fuit & Gallorum ista consuetudo Germanorumque. Hinc apud Florum *l.* IV. *c.* XII. legimus Drusum victorem, *equos, pecora, torquesque* Cheruscorum, Suevorum, & Sicambrorum divisisse: & apud Polybium *Hist.* II. ex Gallis *neminem in primis cohortibus sine maniacis* aureis stare consuevisse. Sed, quod observandum est, in primis cohortibus, vel, ut ipse ait, *τῶν τὰς πρώτας κατέχοντες σπείρας*, qui sine dubio, præstantissimi ac nobilissimi fuere. Apparet ergo, licet frequentem, non tamen promiscuum apud illos hunc cultum fuisse, quod & de reliquis gentibus credendum puto.

Nemo, nisi qui aut ratione muneris debebat, aut ob virtutem promeruerant, torques gestabat. Solis forte ditioribus exceptis, quos fere transversos agit spectata vulgo divitiarum magnitudo, in luxum omnem ac lasciviam contra ipsas quoque leges. Apud Romanos vero non gestasse pu o. Monumenta certe nulla docent, nec in imaginibus vetustis apparent. Præterea singulari privilegio indultum legimus Torquato, ut gestare torquem ei jus esset, cujus privilegii ratio est nulla, si quicunque tandem meruissent torquem, gestare eam suevissent. Privilegium fuisse singulare Torquato posterisque ejus datum discimus ex Suetonio *Vita Caligulæ* c. XXXV *Vetera*, inquit, *familiarum insignia, nobilissimo cuique ademit: Torquato, torquem; Cincinnato, crinem*. Vides, ut insigne vocet, quod sine tali privilegio intelligi non potest. Itaque reliqui non gestarunt, nisi publicis in pompis, hoc est, ludis, aut triumphis. Polybius expresse de omnibus hujusmodi donis: *Qui adepti sunt ejusmodi dona, præter gloriam in exercitu & domi etiam famam, cum redierint in patriam, ludos pompasque conspicui ineunt; quoniam solis iis licet ornamenta hæc gestare & imponere, qui ab Imperatore virtutis caussa, donati sunt*. Solis iis, ait, licuisse: ergo cæteris nil licuit hujusmodi in pompis, multo minus reliquis congressibus. Licuisse autem istis innuit Tacitus *Hist.* II. c. LXXXIX. ubi de ingressu Vitellii triumphi more adornato; *Militum phaleræ torquesque splendebant*. Clarius Valerius *l.* III. *c.* II. in exemplo Siccii: *Novem triumphales Imperatorum currus secutus, totius civitatis oculos in se numerosa donorum pompa convertit. Præferebantur enim aureæ coronæ octo, civicæ* XIV. *murales* III. *obsidionalis una, Torques* CLXXXIII. *Armillæ* CLX. &c. Observa, ne tum quidem, nisi forte unam aut alteram gestasse, sed curasse sibi ab aliis anteferri, quod & Lipsio notatum est. Sed quid? Num & in bello & extra urbem fecere? Contrarium enim Vopiscus docere videtur, in literis Aureliani, ubi Imperator: *Miles stipendium in baltheo, non in popina habeat. Torquem, brachialem, & annulum apponat.* Dicit *apponat*, quod Salmasius exponit, *induat*: quomodo contrario sensu *ponere* & *deponere* annulum, usurpamus pro exuere. At vero nulla alia sunt monumenta, quæ hoc evincant aut doceant. Apud Tacitum profecto *Annal.* II. c. IX. Flavius Arminio fratri suo quærenti de præmiis a Romanis acceptis *torquem & coronam* non demonstrat, sed *memorat*. Nec forte quæsivisset Arminius, si ornatum iis conspexisset. Deinde Sertorius expresse apud Plutarchum: *Τοὺς ἄλλους οὐκ ἀεὶ τὰ μαρτύρια τῶν ἀριστείων περιφέρειν, ἀλλὰ ἀποτίθεσθαι στρεπτὰ, καὶ δόρατα, καὶ στεφάνους. Alios non perpetuo gestare virtutis suæ testimonia, sed deponere torques, bastas, coronas*: quæ verba non magis de tempore pacis, quam belli, ipsorumque præliorum intelligenda videntur. Igitur magis est, ut deposita ad signum torque locum eum accipiam. Nam ad signa etiam alias pecunias, & stipendii partem deponebant, veluti ad deos templumque, ut ostendit pluribus Vegetius *l.* II. *c.* XX. meminitque Suetonius in *Domitiano* c. III ubi ait: *Noluit quenquam plus, quam mille nummos ad signa deponere*. Ut sic *apponere* apud Vopiscum sit *ponere ad signa*, sicut loquitur Vegetius, quando ait: *Decem folles, boc est, decem sacci per cohortes singulas ponebantur*: vel *deponere ad signa*: quomodo Suetonius hoc effert. Sane vix credibile est, cum tam solliciti Veteres fuerint de stipendio, neglexisse tam pretiosa dona. Itaque mea quidem sententia ne in bello quidem gestabant, nisi cum reversi essent domum triumphantes.

Id plane mirum, cur, cum neque foris, neque domi torques gestaverint Romani, extra dictum tempus, phaleras gestare voluerint. Habuisse enim vulgo videor colligere ex verbis Plinii, quæ sunt *l.* XXXIII. *c.* I. *Tanta*, ait, *Senatus indignatione exarsit, ut annulos ab eo abjectos fuisse in antiquissimis reperiatur Annalibus. Fallit plerosque, qui tum & Equestrem ordinem id fecisse arbitrantur: est enim adjectum boc quoque, sed & phalera posita, propter quæ nomen equitum adjectum est*. Dicit expresse, ut a Senatu annulos, sic ab Equitibus phaleras fuisse positas. Verba enim ista, *sed & phalera posita*, sunt ex iis ipsis Annalibus antiquissimis, quas Plinius allegat: quibus ait ostendi non annulos quoque ab Equitibus ut a Senatoribus, sed phaleras solum positas, vel, ut supra inquiebat, abjectas, contra quam nonnulli eum in Annalibus locum explicabant, & propter phaleras, de quibus mentio fiebat in sequentibus, in præcedentibus eorum Annalium verbis cum Senatorum, etiam Equitum adjectum nomen. Sic enim locus Plinii intelligendus est, quem obscurum nonnihil facit illud *quæ*, haud dubie vitiosum, cum ad nihil præcedentium referatur. Itaque & in *quas* a quibusdam mutatum est, ut phaleras respiciat. Sed sine ambiguitate puto Plinium nec hoc, nec illud, verum una voce *propterea que* scripsisse, conjunctionemque postea a sciolo mutatam esse in pronomen. Quicquid sit, si positæ phaleræ, & positæ ut annuli, sicut annulos gestari consuevisse palam est. Nisi & hoc restringamus ad ejusmodi tempus, quo videlicet cum ornamentis hujusmodi incedere fueverunt. Ut posuerint in proximis puta ludis, aut spectaculis, aut simili alia solennitate.

CAP. XII.

Quibus in universum gentibus Torques fuerint in usu.

NOn est ornamentum aliud, in cujus usum tot simul conspirarunt gentes, ut jam patet ex iis, quæ hucusque disseruimus. Id autem credo factum, quia nudo fere collo olim incessere, sicut hodieque fit in Oriente locis plurimis. Antiquissimis temporibus ac forte primis Ægyptii usurparunt & Chaldæi, itemque Hebræi, ut ex Sacris Litteris, Diodoro, Æliano, aliisque cognoscimus. Ab his acceperunt Persæ, sicut pluribus ostendit Barnabas Brissonius in eruditis *de Persarum Regno* libris. Sic apud Ælianum *l.* XIII. *c.* XL. legitur στρεπτὸς Περσικὸς, non aliam ob caussam. Persis conjuncti sunt Medi; igitur & illi usurparunt. Agathias *de Bello Gothico* l III. ex versione Christophori Personæ: *Non enim scuta duntaxat, thoracesque, & pharetras eorum, qui ceciderant, quidam gestabant, sed aureos etiam circa collum torques, & ex auribus pendentia ornamenta, ac ejusmodi cætera effæminatorum varia & supervacanea opera, quibus Medorum primores præcipue decorantur, ut spectatiores cæteris sint, & a vulgaribus aliis noscitentur.* Omnes titulo Ægyptiorum & Babyloniorum complexus est Tertullianus lib. *de Idol. Purpura*, inquit, *& aurum cervicis ornamentum eodem modo apud Ægyptios & Babylonios insignia erant dignitatis.* Torques etiam gestarunt Arabes; maxime Atilei & Casandrini. Agatharchides apud Photium: *Aurum perforatum inter lapillos pellucidos alternatim circa manus gestant & colla.* Item Armenii, hinc Romani eas calcant in prælio, Tigrane cum Armeniis superato, sicut supra ostendi. Verba hæc sunt: ψέλια καὶ περιαυχένια περιοδεύοντες ἐκτείνουν ἐπὶ σταδίους ἑκατὸν καὶ εἴκοσιν. *Armillas ac torques calcando continuarunt cædem per* CXX. *stadia.* Gestarunt Parthi. Unde illud Horatii lib. III. Car. od. VI.

Jam bis Monæses & Pacori manus
Non auspicatos contudit impetus
Nostros, & adjecisse prædam
Torquibus exiguis renidet.

Torrentius hoc loco: *renidendo gaudere se ostendit, quod Torquibus ante exiguis non leve ex præda pondus adjecerit.* Ergo & ipsi torques habuere. Parthis proximi sunt Scythæ, ex quibus Gothi. In his narrat Saxo. Ita enim de Atillo Rege Sueciæ, *l.* II. *c.* XX. *Dona in præsentes plurima erogavit, & inter cætera torquem aureum ingentis ponderis collo Rolvonis, ad ostendendam ejus claritatem, appendit.* Et paulo post de Roderico: *Rogatus pretiosum torquem, qui virtutis & victoriæ præmium proponebatur, in alterius manus deponere, mox armillas & torquem, ut erat in navigio collocatus, ingenti excussas jactu, postulanti porrigere statuit.* Firmant hoc ipsum nummi veteres apud Gorlæum *pag.* 42. in quibus videas vultus Gothorum cum torquibus. Gothicos enim nummos esse dubitavit nemo, qui litterarum Runicarum ductus in tot Sueciæ Daniæque saxis monumentisque oculis usurpavit. Ac in primo quidem nummo plane scriptum puto AS vel AHS, AH litteris inter se conjunctis contextisque, antiquissima cum Gothorum tum multarum aliarum gentium consuetudine, de qua peculiari opusculo, Deo annuente, aliquando agemus. Est autem illud AS vel AHS summi apud Gothos numinis vocabulum; quod Asum, Aasum, Ahasum appellasse accurate in *Upsalia antiqua* demonstrabo. Videntur & cæteri nummi quid hujusmodi præferre, nisi putemus litteras initiales continere finialesque vocabuli, quod in latere altero consignatum est. Sane in primi nummi ista facie *Hliti* nomen legi videtur, quod Latinis *Parvum* significat: Errant enim sine dubio qui de Cliti Macedonico vocabulo vocabulo hic cogitant, cujus qui quæso usus esse apud Gothos potuit? Gothos quidem Latinis aliquando usos esse nominibus ex Jordane, vel Jornande intelligimus, at Græcis nunquam. Igitur cum Cliti Macedonicum sit nomen, frustra de eo hic disseritur. Neque mirum est in Hlito spiritum præfigi. Ita enim consuevisse Gothos veteres præter infinita alia testimonia vel ex Hludovici & Hludus vocabulis apparet, quæ sic scripta in vetustis Saxis monumentisque reperiuntur. Est proinde Gothicum nomen, Gothica effigies in prædictis nummis, quæ cum ornata sit torque, torquium gestamen apud Gothos in usu fuisse manifestum est. Et mentionem facit B. Brigitta in *litteris ad filium*, quas ex vetusto codice communicavit mecum juvenis doctissimus, Laurentius Bureus. *Duskalt hafa bratz itinu brysti*; hoc est, *pectus tuum bractea ex auro gemmisque adornabis.* Item alio loco: *Huad forspan or bratz er, dat i basen i cdert bryst. quale ornamentum ex auro gemmisque pectori præfixum geritis.* Ubi *bratz* est bulla, e torque in pectus dependens. Nisi potius fibulam intelligat, qua vestimenta claudere solebant. A Gothis veniendum ad Danos, nam & hos gestasse certum est; ostenduntque verba Saxonis, supra a me adducta. Sunt & alia apud eum loca, quæ nos neutiquam dubitare patiuntur. Juncti his Germani, de quibus paria observamus. Videtur equidem obstare Tacitus, quando in libello *de eorum Moribus* carere ait auro argentoque, nec inter cætera illorum ornamenta torques recenset. Ipse tamen aliter, alio in loco: *Gaudent præcipue finitimarum gentium donis, quæ non modo a singulis, sed publice mittuntur, electi equi, magna arma, phaleræ torquesque.* Ita Florus nominatim memorat in Cheruscis, Suevis, Sicambris, quæ haud dubie Germanicæ fuerunt gentes. *Cherusci equos, Suevi aurum & argentum, Sicambri captivos elegerant: sed omnia retrorsum. Victor namque Drusus equos, pecora, torquesque eorum, ipsosque prædia divisit ac vendidit.* In Borussis veteribus, & Sudinis Stella l. I. *Antiq. Boruss. Vestium cultus apud eos fuit, ut mares lanea, fœminæ linea tunica uterentur, circulosque ex ære vel orichalco colla circumdabant.* Gallorum fere proprium hoc gestamen fuit. Unde Suidas *in* Τορκουάτος. Στρεπτὸς ἐπιχώριος κόσμος Κελτοῖς. *Usitatus vulgo apud Gallos ornatus torques fuere.* Strabo in descriptione Galliarum: Χρυσοφοροῦσι, περὶ τοῖς τραχήλοις στρεπτὰ ἔχοντες, *gestant aureos circum colla torques.* Similia habet Diodor. l. IV. *Antiq.* Virgilius *Æneid.* VIII.

Aurea cæsaries illi, atque aurea vestis,
Virgatis lucent sagulis: tum lactea colla
Auro innectuntur ——

Hinc Plinius *lib.* XXXIII. *cap.* I. *Gallos cum auro pugnare solitos, Torquatus indicio est.* Aurum non intelligit aliud, quam torques, unde Torquati cognomentum plane sicut supra Græcos aliquando χρυσὸν usurpare dixi. Eadem cum Plinio habet Polybius *Hist.* II. *In primis*, ait, *cohortibus neminem cerneres maniacis sive torquibus aureis armillisque non ornatum.* Nominatim de Insubribus & Alpinis firmat Florus *lib.* II. *cap.* IV quando de eorum torquibus tropæum Jovi erectum scribit. De Boiis, qui a Polybio inter Gallos recensentur, Livius *lib.* XXXVI. *cap.* XL. *P. Cornelius Consul triumphavit de Boiis; in eo triumpho Gallicis carpentis arma signaque & spolia omnis generis transvexit, &*

aureos torques translulit MCCCCLXX. Gestarunt & Belgæ. Hinc Propertius *l.* IV. de Viridomaro.

Torquis ab incisa decidit unca gula.

De Britannis observatum est ex Strabone in superioribus. Etiam Herodianus meminit. An Hispani usurpaverint, ignoro, hactenus sane non lego. Gothos in Hispania gestasse nummi docuerint, de quibus ante disseruimus. Sunt enim in Hispania cusi, absque dubio, cum illic Gothi rerum potirentur. De Romanis ambigi non potest. De solis Græcis nihil istiusmodi observo. Quin imo barbarum gestamen vocant. Herodianus de Britannis; Τὰς μὲν λαπάρας καὶ τὰς τραχήλους κοσμοῦσι σιδήρῳ, καλλώπισμα τοῦτο καὶ πλούτου σύμβολον νομίζοντες, ὥσπερ τὸν χρυσὸν οἱ λοιποὶ βάρβαροι. *Ventrem atque cervicem ferro incingunt, ornamentum id esse ac divitiarum argumentum æstimantes, perinde ut aurum cæteri barbari.* Per χρυσὸν torques intelligit, & τοὺς λοιποὺς βαρβάρων ait æstimasse, quod opinor non dixisset, si Græcorum ea fuisset consuetudo. Strabo quoque reprehendit, velut muliebres,& istam Gallorum rationem vocat ἀνόητον καὶ ἀλαζονικόν τι, *lib.* IV. Sane Julius Pollux Grammaticus diligentissimus in solis mulieribus recenset. Ex quo mihi persuasissimum est, nullum earum, nisi in his apud Græcos fuisse usum. Quod forte factum odio Persarum Græcis semper imminentium. Nam reliquæ omnes fere in Oriente gentes habuerunt. Ipsi quoque Indi, apud quos hodieque nihil est vulgatius.

CAP. XIII.

Torques brutorum, rerumque inanimatarum.

LUxus, de quo dictum est in præcedentibus, ab hominibus transiit ad bruta animantia. Torquibus & illa exornata memorantur. Primum autem de militaribus vix est mirum, quandoquidem quæ in bello juvissent ad victoriam, ea præmiis quoque visa sunt digna. Hinc ab initio equis habitus is honor, ut variis ac pretiosis monilibus ornarentur. Virg. *l.* VII. *Æn.*

Aurea pectoribus demissa monilia pendent.

Claudianus de equo Honorii:

Luxuriant tumido gemmata monilia collo.

Vides vere pretiosa monilia, ex auro gemmisque. Sic Apulejus *de Deo Socratis: Nec enim in emendis equis phaleras consideramus, & balthei polimina inspicimus, & ornatissimæ cervicis divitias contemplamur, si ex argento & auro & gemmis monilia variæ gazæ dependent, si plura artis ornamenta capiti & collo circumjacent.* Erat hoc solenne in equis Imperatorum, & exemplo equi, quem describit Claudianus, apparet. Plutarchus de Equo Pompeii in *Sertorio:* χρυσῷ κεκοσμημένον, καὶ φαλάρων ἀνάπλεων, *auro ornatum & phaleris plenum* ejus equum diruerunt. χρυσὸν non aliter intelligit, quam ut supra dixi, de torquibus & monilibus. Monilia ista appensas habebant lunas sicut hodieque nos in frontalibus equorum, & Hungari Turcæque in collis usurpant. Meminit Statius *Theb.* IX.

—— nemorisque notæ sub pectore primo
Jactantur niveo lunata monilia dente.

Sunt & hi de Imperatorio equo versus. Quanquam non ipsi solum, sed & alii in suis equis usurparint. Quomodo apud Gellium *l.* V. cap. V. Antiochi *equitatus frenis, ephippiis, monilibus, phaleris præfulgere* dicitur. Ab equis res devenit ad Elephantes. Nam & hi ornati torquibus, monilibusque, ut qui ipsi quoque a Veteribus adhibiti ad bella. Occurrit aliquotiens apud Veteres. Unus locus memorabilis est apud Philostratum de Elephanto Alexandri, Soli dedicato. Verba sunt *lib.* II. *de Vita Apoll.* cap. VI. ex interpretatione Zenobii Accioli: Esse autem illi torques aureos circa dentes, seu cornua libeat appellare, & in torquibus litteras Græcas insculptas hæc verba referre: *Alexander Jovis filius, Ajacem Soli, hoc enim Ajacis nomen ipse Elephanto imposuit.* In Græco pro torquibus est ἕλικες, quod de circulis aureis exponendum puto, quia additur περὶ τοῖς ὀδοῦσιν, nec enim illud περὶ, nisi de circulo, qui cornu sive dentem ambit, intelligitur. Observa autem additos huic circulos in dentibus, ne scilicet excuteret, libertati suæ relictus & in sylvas missus, ut fiebat in hujusmodi dedicationibus. Cæteri gestabant in collo, velut equi, cum ornarentur.

Post elephantos etiam in camelis hunc ornatum legimus, quippe qui & ipsi usurpati in bellis. Augustinus *Quæst. ex utroque Testam* cap. CXV. *Reges Median camelis delectantur ad sessum, ita ut & colla eorum aureis exornent torquibus.* Hausisse hoc ex Sacris Litteris videtur. Nam *lib. Jud.* cap. VIII. legimus de Gedeone: *Et interfecit Zebea & Salamana, & tulit ornamenta ac bullas, quibus colla regalium camelorum decorari solent.* Apparet solenne ornamenti genus fuisse apud istos sicut phaleræ moniliaque equorum apud Romanos & vicinos populos. Eodem loco: *Fuit pondus postulatarum inaurium mille septingenti sicli, absque ornamentis & monilibus, & veste purpurea, & præter torques aureas camelorum.* Appositas habuisse bullas etiam existimo, quoniam ex *Glossis* Isidori, ut Vulcanius emendat, legimus *bullas ornamenta regalium camelorum.*

Ab his etiam ad cæteras bestias translatum est, quas domi alebant, & peculiariter amabant. Sic in canibus περιδέραια legimus. Xenophon in *Cynegetico.* Κυνῶν ὁ κόσμος δέραια. Latini milla & collaria appellant. Etiam in feris cicuratis fuit receptum. De Leone mansuefacto Philostratus Lemnius *Vita Apollonii lib.* V. cap. ult. Κοσμήσαντες τὸ θηρίον στρεπτῷ καὶ ταινίαις παρέπεμπον εἰς τὴν Αἴγυπτον. *Ornantes feram torque & tæniis miserunt in Ægyptum.* Idem de Panthera cicurata exemplum nobis servavit. Refert in *Eclogis* Photius: *Accepi*, ait, *in Pamphylia pantheram captam fuisse* (στρεπτῷ ἅμα, ὃν περὶ τῇ δέρῃ ἔφερε) *aureum torquem circa collum habentem, Armeniis litteris hujusmodi inscriptum: Rex Arsaces. Deo Nysæo. Regnabat autem temporibus illis in Armenia Arsaces. Is, ut opinor, feram eximia præ cæteris magnitudine Baccho sacravit.* Verba observatu digna, quæ ostendunt, non ornatus tantum, sed & notitiæ caussa eis impositas torques. Unde & a Græcis γνωρίσματα sunt appellatæ. Nempe si ad feritatem suam essent casu aliquo reversæ, ac aufugissent, per signa ea recognosci repetique poterant, ut ostendit Grotius II. *de Jure Belli* cap. VIII. §. 3. Deinde dedicationis quoque caussa, ne quis rem sacram inscius violaret, sicque incurreret in iram Dei, quem in ea re violasset. Hoc enim exitiosum Veteres putabant. Ut in cerva Dianæ ab Ascanio vulnerata pluribus docet Virgilius. Sic Diomedes fecit, de quo Autor *Mirabilium auscultationum: In Peucetinis ajunt templum esse Dianæ, in quo locatum est celebre illud æreum sertum* (χαλκῆν ἕλικα autor ipse vocat, de quo diximus in præcedentibus) *inscriptione hac insignitum: Diomedes Dianæ. Id narrant ab eo collo cervino appositum accrevisse, itaque deinceps hoc pacto inventum ab Agathocle Siculorum rege in Jovis templum locatum.* Non aliæ torques, quas Alexandrum cervis pluribus indidisse refert Plinius *lib.* VIII.

cap. XXXII. *Vita*, inquit, *cervis in confeſſo longa, poſt centum annos captis cum torquibus aureis, quos Alexander Magnus addiderat, adopertis jam cute in magna obeſitate.* Meminit & Ovidius *l.* X. *Metamorph.* fab. IV.

Ingens cervus erat, lateque patentibus altas
Ipſe ſuo capiti præbebat cornibus umbras:
Cornua fulgebant auro, demiſſaque in armos
Pendebant tereti gemmata monilia collo.

Porro non quadrupedes ſolum, ſed & aves iſtiuſmodi torquibus ex prædictis cauſſis ornarunt. Supereſt imago ejus rei in *Addendis* Pignorii *ad Tabulam Iſiacam*, ibi namque avis neſcio quæ, forſan Ibis, cum torque conſpicitur in monimento, cujus inſcriptio eſt ADELFII. Et quod *γνωρίσματα* attinet, teſtatur Grotius *loco* antea *laudato*, & nos ipſi in cygnis apud Batavos frequenter obſervavimus. Forſitan & piſces ſic ornati. Ælianus ſane *lib.* XII. *Hiſt. An.* cap. XXX. *Sunt*, ait, *& piſces in templo Jovis Labrondæi, ubi fons nitidus, monilibus, & aureis inauribus ornati.* Similis ille, temporibus Ferdinandi I. captus in ſtagno Hailprunnenſi, qui circa branchias habuit circulum ex ære Cyprio. Niſi quod inſcriptum eſſet illi circulo, quis eum primus ſtagno immiſiſſet. Voſſius pluribus *lib.* IV. *de Idololat.* cap. III. Etiam inanimatæ res ſic apud Veteres ornatæ. De arbore Platano legimus apud Ælianum noſtrum *lib.* II. cap. XIV. Multiplicem & pretioſum ornatum ex ea ſuſpendiſſe Xerxem, *στρεπτοῖς καὶ ψελλίοις τιμῶν τοὺς κλάδους αὐτῆς*, *torquibus & armillis ramos ejus venerans.* Ad poſtremum ipſa etiam ſepulchra ſic decorata. De ſepulchro certe Cyri legimus apud Arrianum *lib.* VI. quod condita in eo fuerint, *καὶ στρεπτοὶ, καὶ ἀκινάκαι, καὶ ἐνώτια χρυσοῦ τε καὶ λίθων κολλητά*, *torques, acinaces, inaures ex auro & gemmis.* Vulcanius liberius ſic reddit; *torques quoque, & armillas, & inaures, aliaque ornamenta ex auro & gemmis compoſita*, cum nec de aliis, nec de armillis quidquam ſit in Græco.

F I N I S.



MICHAELIS ANGELI CAUSEI DE LA CHAUSSE,

PARISIENSIS,

DISSERTATIONES TRES.

I. DE VASIS, BULLIS, ARMILLIS, FIBULIS, ANNULIS, CLAVIBUS, TESSERIS, STYLIS, STRIGILIBUS, GUTTIS, PHIALIS LACRYMATORIIS, ET DE MANIBUS ÆNEIS VOTA REFERENTIBUS.

II. DE MUTINI SIMULACRIS.

III. DE ÆNEIS ANTIQUORUM LUCERNIS.

ILLUSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO

D. LEONI POTIER DE GESURES

PROTONOTARIO APOSTOLICO DE NUMERO PARTICIPANTIUM,
ABBATI D'ORILLAC, ET DE BERNAY, &c.

MICHAEL ANGELUS CAUSEUS DE LA CHAUSSE

FELICITATEM.



HANC mearum in res antiquas annotationum partem eruditis tuis oculis propono, ILLUSTRISSIME, ET REVERENDISSIME DOMINE, illamque nobilissimo tuo nomini dedico; exiguum sane pro tot, & tantis in me collatis beneficiis munus: sed quid de meæ fortunæ tenuitate expectandum. Majora præstarem, si desiderio æqualis foret potestas; majora certe, meis tamen obligationibus semper imparia. Tu me singulari complecti dignaris benevolentia; Tu me immeritis cumulare gratiis non desistis; Te consiliatore humanissimo ad SERENISSIMUM CENOMANENSIUM DUCEM opusculo meo favorabilis conceditur accessus. Etsi meliore vultu me respexissat fortuna; quid aliud Tibi pro maximis illis tuis in me meritis præstare possem?

—— Grates persolvere dignas
Non opis est nostræ.

Publicas tamen licet agere, palamque me tot Tibi titulis arctissime devinctum prædicare; summam tuam affabilitatem, humanitatem, comitatem, doctrinam, variasque, ac præclaras nobilissimi tui ingenii dotes luci, & altitudini natalium conjunctas ubique commendare; vota pro tua incolumitate, necnon vitæ prosperitate rependere; faustaque Tibi omnia a D. O. M. precari. Nihil ultra meæ tenuitati conceditur. Vale ergo, ILLUSTRISSIME, ET REVERENDISSIME DOMINE, Teque satis ad maxima quæque vocantibus præbe.

INDEX TABULARUM.

MICHAELIS ANGELI CAUSEI DE LA CHAUSSE,

PARISIENSIS,

DE VASIS, BULLIS, ARMILLIS, FIBULIS, ANNULIS, CLAVIBUS, TESSERIS, STYLIS, STRIGILIBUS, GUTTIS, PHIALIS LACRYMATORIIS, ET DE MANIBUS ÆNEIS VOTA REFERENTIBUS.

DISSERTATIO.

ARTICULUS PRIMUS.

Tria Vasa, fictile videlicet hetruscum, æneum, & marmoreum.

TABULA I. II.



Ulta vasa fictilia hetrusca observantur in Museis variis figuris depicta: unum hic exhibemus pulcherrimum, in cujus priori parte tria numina repræsentantur, Diana cum galea & scipione, Hercules cum clava, & Mercurius cum caduceo: in altera vero tres figuræ, quarum prima urceum tenet; secunda cornu ceras dictum, quo Sileni, aliique Liberi Patris sequaces ad bibendum utebantur; tertia utramque manum velatam habet. Harum figurarum quatuor larvatæ sunt: larvæ autem erant dedicatæ Baccho, qui fuit author lusus scenæ, ut & musicæ theatralis, dramaticæque poeseos. Hic Deus præerat etiam, & comessationibus, unde imagines in hoc Vase delineatæ videntur alludere ad cænam Augusti secretiorem, quæ vulgo δωδεκάθεος vocabatur, in qua convivas Deorum, Dearumque habitu, ipsumque pro Apolline ornatum discubuisse narrat Suetonius in *ejus Vita* cap. LXIX.

TABULA III. IV.

MUsas novem exhibet elegans Vas æneum victoris forte in musicis, aut poeticis ludis præmium: Vasa enim in certaminibus ludisve victoribus data plurimi declarant nummi Tripodes, Vasa, Palmas, & Coronas referentes. De Musis multi scripsere; unus instar omnium nobis erit Ausonius earum inventa, & munera his versibus complexus *Edyll.* XX.

Clio gesta canens transactis tempora reddit.
Melpomene tragico proclamat mœsta boatu.
Comica lascivo gaudet sermone Thalia.
Dulciloquis calamos Euterpe flatibus urget.
Terpsichore affectus citharis movet, imperat, auget.
Plectra gerens Erato saltat pede, carmine, vultu.
Carmina Calliope libris heroica mandat.
Urania cæli motus scrutatur, & astra.
Signat cuncta manu, loquitur Polyhymnia gestu.
Mentis Apollineæ vis has movet undique Musas.
In medio residens complectitur omnia Phœbus.


TAB. III.
In Museo I. P. Bellorii.
TAB. IV.
In Museo I. P. Bellorii.


TAB. I.
Ex Schedis
TAB. II.
Ex Schedis

TABULA V.

SEquitur Vas marmoreum huic simile, quod Pocillator *Tomo* v. *pag.* 793. manu gerit. Illius extremitas in caput animalis quamdam Cervi similitudinem referentis terminatur: superior vero pars ansata, & striata est in modum cornu effícta, forte in memoriam Veterum, qui ante inventionem poculorum cornibus boum ad bibendum utebantur. Hic mos vigebat apud Germanos ætate Julii Cæsaris scribentis *lib.* VI. *Bell. Gall.* Vasa cornea effingi apud eos ex Uris agrestibus, quæ fere in Hercynia sylva nascuntur. Constat autem Veteres poculis diversimode effigiatis delectari solitos, teste Juvenale *Sat.* II. *Vitreo bibit ille priapo.* De quibus plura vide *loco cit.* in Pocillatore. Sed quidni dicere liceat vas istud Dianæ sacrificiis inserviisse? Cervos enim huic Deæ sacros nemo nescit.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Bullis, Armillis, Fibulis, Annulis, Clavibus, Tesseris, Stylis, Strigilibus, Guttis, & Phialis Lacrymatoriis.

TABULA VI.

TUllus Hostilius tertius Romanorum Rex debellatis Hetruscis ea omnia, quæ insignia erant Magistratuum Hetruscorum, primus, ut Romæ haberentur, instituit; de quorum numero fuit Bulla aurea, quam victores in triumpho præ se gerebant, inclusis intra eam quibusdam remediis adversus invidiam, ut putabant, valentissimis. Sed postea Tarquinius Priscus acto de Sabinis triumpho filium suum annos quatuordecim natum, quod hostem manu percusserat, Bulla aurea, prætextaque donavit; quæ deinde in usum puerorum nobilium, & ingenuorum usurpatæ sunt. Libertinorum vero filiis, qui ex justa dumtaxat matrefamilias nati erant, ut prætextam, & lorum in collo pro Bullæ decore gestarent, concessum est. Author est Macrobius *lib.* I. *Saturn.* cap. VI. Sic Juvenalis *Sat.* V.

——— Hetruscum puero si contigit aurum,
Vel nodus tantum, & signum de paupere loro?

Scribit Festus Bullam dictam a Græco sermone βȣλὴ, id est, *consilium*, quasi puerilis ætas alterius regenda sit consilio. Illam in figuram cordis formatam esse refert Macrobius pueris ante pectus dependentem e collo, ut eam inspicientes ita demum se homines cogitarent, si corde præstarent: rotunda tamen observatur in marmoribus antiquis huic aureæ, quam hic exhibemus, similis, non autem cordiformis, ut describitur a Macrobio. Ephebi Bullam auream, ut & alia donativa natali die accipiebant. Plautus in *Rudente* Act. IV. Sc. IV.

Et Bulla aurea est, pater quam dedit mihi natali die.

Gestabantque illam usque ad XV. annum, ut recte probat Octavius Ferrarius *lib.* II. *de Re Vestiar.* cap. I. id est, completo XIV. anno Laribus eam suspendebant. Persius. *Sat.* V.

Bullaque succinctis Laribus donata pependit.

Tunc vero deposita prætexta togam virilem, puram, sive liberam ante eosdem Lares sumebant, si credendum Propertio *lib.* IV. *el.* I.

Mox ubi bulla rudi dimissa est aurea collo,
Matris & ante Deos libera sumpta toga.

Huic Bullæ aureæ inscriptum est Catuli nomen, forte Q. Luctatii, qui Collega C. Marii in quarto ejus Consulatu anno ab Urbe condita DCLII. cum eo apud aquas Sextias in Gallia Cimbros fudit, Cimbricique triumphi particeps fuit: deinde ab eodem Mario propter civiles dissensiones mori jussus, accensis carbonibus ore, ut Porcia Bruti conjux, haustis se suffocavit; vel multo igni percalfacto cubiculo recenti calce illito se inclusum peremit, ut narrat Valerius Maximus *lib.* IX. *cap.* XII. Scribit vero D. Augustinus *lib.* III. *de Civit. Dei cap.* XXVII. Catulum hausto veneno manibus inimicorum se substraxisse. Fuit autem adeo nobilis Q. Catuli prosapia, ut Ser. Sulpicius Galba, qui Neroni successit in Imperio, statuarum titulis PRONEPOTEM Q. CATULI CAPITOLINI semper adscripserit. Suetonius in *Galba* cap. II. Hæc Bulla aurea extat in celeberrimo Museo Emin. Cardinalis Chigii dignissimi Nepotis sanctæ memoriæ Alexandri PP. VII. Principis Litteratorum Fautoris, in omni scientiarum genere, ut & in antiqua historia versatissimi: solebat enim Summus ille Pontifex, cum ab onerosa gravissimarum rerum cura jucundo & utili otio aliquantulum cuperet sublevari, ad rei antiquariæ studium tanquam in hortum amænissimum divertere, plurimosque non dedignabatur penes se habere rarissimos maximi moduli nummos, qui nunc in nobilissima ejus pariter Nepotis Excell. Augustini Chigii Farnesiorum Principis gaza custodiuntur.

TABULA VII.

1. 2. SEquuntur duæ aliæ Bullæ, parvulæ quidem, & æreæ, sed propterea non contemnendæ: utraque, ut præcedens, intus vacua est, includendis iisdem remediis apta; prior caput Palladis sculptum exhibet, quæ Dea ingeniis præesse dicebatur. Ovidius *lib.* III. *Fastor.*

Pallada nunc pueri, teneræque ornate puellæ,
Qui bene placuerit Pallada, doctus erit.

Altera quoddam phallum videtur referre, quo fascinatio credebatur averruncari. De phallis *Tomo* v. *pag.* 770. in Baccho.

3. Armillæ erant ornamenta aurea, vel argentea in circuli modum efformata, quæ viri militares ab Imperatoribus donata gerebant: dictæ autem armillæ ab armis, teste Festo, *quod antiqui humeros cum brachiis armos vocabant, unde arma ab his dependentia sunt vocata.* Armillas sinistro brachio gestari solitas docet Livius *lib.* I. *Sabini aureas armillas magni ponderis brachio lævo habuerunt.* Illas civibus tantum, non autem externis, donatas legitur apud Plinium *lib.* XXXIII. *cap.* II. Mulieres etiam eas gestasse docet Festus. *Armillæ genus, quod mulieres gestare solebant in brachio sinistro.* Sic etiam Plinius *lib. cit. cap.* III. de usu auri in mulieribus. *Habeant fœminæ in armillis, digitisque totis, collo, auribus, spiris,* &c. Earum imaginem hic damus descriptam ex antiqua argentea, quæ in Museo Jo. Petri Bellorii asservatur.

4. Duo fibularum genera recensentur: una erat instar annuli, quæ Adolescentulorum, & Cantorum pudendis adhibebatur; illis quidem ne puerilis ætas Veneris usu in virilitatem citius præcipitaretur, teste Plinio *lib.* XXXIII. *cap.* XII. his vero ne vox coitu asperior, deteriorque fieret. Juvenalis *Sat.* VI.

Solvitur his magno Comœdi fibula: sunt quæ
Chrysogonum cantare vetent.


Utrique autem infibulabantur filo quodam tum æneo, tum argenteo, præputio sive cuticula glandis velamine trajecto. Altera vestiaria, cujus hic exhibemus imaginem, oblonga in modum arcus efformata acu nervi figuram exprimente, qua chlamydes, palliaque aperta tunicæ injici solita, ne humeris defluerent, nectebantur; qualis in marmoribus nummisque antiquis observatur, & de qua Ovidius *lib.* XIV. *Metam.* Picum in avem conversum describens.

Purpureum chlamydis pennæ traxere colorem,
Fibula, quod fuerat, vestemque momorderat aurum,
Pluma fit, & fulvo cervix præcingitur auro.

Scribit Alexander ab Alexandro *lib.* II. *cap.* XXIX. Aurelianum Imperatorem gregariis militibus, ut per omne tempus militiæ fibulas haberent aureas, privilegium dedisse. Aurea pulcherrima extat hic Romæ apud Illustriss. Marchionem Raggium, cui inscripta sunt hæc verba, JULIANE VIVAS, forte ab hoc Imperatore alicui militi donata.

5. Antiquitus apud Romanos annulus ferreus bellicæ virtutis erat insigne; ætate vero D. Augusti, illoque decurias ordinante majorem judicum partem in annulo ferreo fuisse scribit Plinius *lib.* XXXIII. *cap.* I. Annuli etiam distinguebant Equites a plebe, cui annulorum aureorum usus interdictus erat. De illorum origine, ac dignitate differere mei non est propositi: dicam solummodo Veteres gestasse Deos in annulis sculptos, ut & amuleta, Idola Ægyptia, Serapidem, Isidem, Harpocratem, Canopum, &c. quem morem non in fœminis tantum, sed & in viris Plinius vituperat. Unum ferreum hic exhibemus cum Serapidis imagine extantem apud Jo. Petrum Bellorium, qui ad hunc Plinii locum *lib.* XXXIII. *cap.* III. illustrandum mire facit. *Jam vero etiam Harpocratem, statuasque Ægyptiorum numinum in digitis viri quoque portare incipiunt.*

6. Multæ Claves antiquæ in Museis observantur, ex quibus unum selegimus parvulam, & ejus plane formæ, quam hic damus. Clavium custodiam penes servos fuisse testatur Seneca *lib.* II. *de Ira cap.* XXV. *Quid enim est*, inquit, *cur tussis alicujus, aut sternutamentum, aut musca parum curiose fugata nos in rabiem agat, aut versus calix, aut clavis negligentis servi manibus elapsa.* Etenim januæ, cellæ, arcæ, bibliothecæ, vestimenta, omniaque domus supellectilia servorum curæ commissa erant, quæ omnia a Janitoribus, Cellariis, Arcariis, Libertis a studiis, vestiariis, & supellecticariis seris, & clavibus cohibebantur. Carcerum Janitores Clavicularios appellatos fuisse scribit Cujacius *lib.* x. *Cod. tit.* 65.


C M
H R


TAB VIII.
In Museo I. P. Bellorii.
FRVCTVS
SEXTI
S·P·K·FEB·
M·SIL·L·NORB·COS·
TESSERAM·PAGA
NICAM·L·VERA
TIVS·FELICISSI
MVS·PATRONVS
PAGANIS·PAGI
TOLENTINES·HOS
TIAS·LVSTRET·TESSR
AER·EX·VOTO·L·DD
V·ID·MAS·FELICIT
TAB. IX.
In Museo I. P. Bellorii.

TABULA VIII.

1. HÆc Tessera Paganica Tolentini urbis, & coloniæ Piceni, quæ nunc etiam *Tolentino* vocatur in Marchia Anconitana, ab Ill. J. Pilippo Tomasino Æmoniensi Præsule sub finem libri, quem *de Tesseris hospitalitatis* edidit, ut & a CL. V. Jacobo Sponio in *Miscel.* sect. IX. fol. 301. descripta est, mutila quidem apud hunc, apud illum errata, sed ab utroque absque figura exhibita. Illa primum Fulginii extabat in Museo Ludovici Jacobelli; cimeliarchio deinde Cardinalis de Maximis accessit; nunc vero apud Joannem Petrum Bellorium asservatur, ubi eam & delineavi, & exscripsi. Tabula est ænea hac delineata imagine paulo grandior, cui superstat dimidia muliebris figura numen placatura, vel potius urbis Genium repræsentans; ad cujus forte sedandam iram, vel implorandum auxilium ob aliquod grave imminens periculum L. Veratius hostias lustrales, æreamque tabulam voti memoriam referentem in aliquo templo affigendam Paganis Tolentini municipii libens dono dedit.

2. En alia Tessera quadrilatera ex osse, alicui Gladiatori rude jam donato concessa, ut spectaculis, ludisve interesse posset spectandi gratia, non autem pugnandi: huic enim servile nomen inscriptum est, tempusque ludi M. Sileno, & L. Norbano Coss. celebrati, quem Fructus Sexti Kal. Februar. spectavit.

3. Hæc Tessera eburnea duobus piscibus signata convivalis erat, cujus meminit Lampridius in *Elagabalo* his verbis. *Sortes sane convivales scriptas in cochlearibus habuit tales, ut alius exhiberet decem camelos, alius decem muscas, alius decem libras auri, alius decem struthiones, alius decem ova pullina, ut veræ sortes essent, & fata tentarentur: quod quidem & ludis suis exhibuit, quum & ursos decem, & decem glires, & decem lactucas, & decem auri libras in sorte habuit.* Liv. etiam *lib.* IX. de quadam convivali Tessera mentionem facit, qua ostensa milites ad prandium admittebantur. *Consul extemplo tesseram dari jubet, ut prandeat miles.*

4. Tesseræ lusoriæ erant oscilla sex laterum æqualium quibusdam punctis distincta, quæ jaciebantur talorum instar, de quibus Julius Capitolinus in *Ælio Vero*: *Post convivium lusum est tesseris usque ad lucem.* De illis loquitur etiam Cicero lib. I. *de Divin. Quid est enim sors? idem propemodum, quod micare, quod talos jacere, quod tesseras: quibus in rebus temeritas & casus, non ratio & consilium valet.* Tesseras alias eburneas nostris similes, viridique encausto illitas vidi apud Joannem Petrum Bellorium; sed illa in eodem Museo asservata his multo grandior est, habetque foramen rotundum, in ea parte, quæ quatuor punctis signata est, ut videre liquet in hac imagine magnitudinem ejus, formamque referente. Plura de Tesseris forent dicenda, sed cum erudit. Vir Illustriss. Raphael Fabrettus librum de Tesseris, ponderibus, aliisque miscellaneis quamprimum editurus sit, ubi multa de suo proprio Museo vulgabit; ea tantum hic exposui, quæ delineatarum explicatione juvare possunt.

TABULA IX.

1. STylus instrumentum ferreum, cujus mucrone antiquitus in cereis pugillaribus scribebatur, teste Plinio *lib.* XXXIV. *cap.* XIV. *Stylo scribere institutum est, ut vetustissimi authores prodiderunt.* Ejusdem vero planitie scriptum abradebatur, ut innuit D. Hieron. *ad Domnionem: Stultus ego qui me putaverim hæc absque philosophicis scire non posse, qui meliorem styli partem eam legerim, quæ deleret, quam quæ scriberet.* Stylus recondebatur in thecam grapharium appellatam, de quo Martial. *lib.* XIV. *ep.* XIX.

Hæc tibi erunt armata suo graphiaria ferro:
Si puero dones, non leve munus erit.

Pugillares autem, in quibus ducto per ceram stylo scribebatur, erant tabellæ ex citro, seu buxo, vel ebore confectæ, quibus cera colorata superinducebatur. Ovid. lib. I. *Amor.* el. XII.

Ite hinc difficiles funebria ligna tabellæ:
Tuque negaturis cera referta notis.
Quam puto de longæ collectam flore cicutæ,
Melle sub infami Corsica misit apis.
At, tamquam minio, penitus medicata rubebas;
Ille color vere sanguinolentus erat

Fiebat etiam ex membranis, ut docet Martialis *libro citato ep.* V.

Esse putes ceras, licet hæc membrana vocetur.
Delebis, quoties scripta novare voles.

Variis nominibus appellatos fuisse Pugillares, Duplices nempe, Triplices, Quintuplices scribit idem Poeta in principio *libri supradicti*.

2. Strigiles sic dictæ a stringendo seu radendo erant instrumenta quædam curva ex ferro, argento, vel auro, & aliquando ex hebeno, quibus Veteres utebantur ad radendas sordes corporis post balnea, sudoremque abstergendum. Persius *Sat.* v.

I puer, & strigiles Crispini ad balnea defer.

Illæ sæpe ungebantur, ut minus læderent: scribit enim Suetonius in *Aug.* cap. LXXX. hunc Imperatorem callos quosdam habuisse per pectus, atque alvum ex assiduo, & vehementi strigilis usu plurifariam concretos ad impetiginis formam. Oleum autem conservabatur in gutto (*num.* 3.) seu ampulla illud guttatim fundente. De strigilibus inunctis & gutto loquitur Juvenalis *Sat.* III.

——— Domus interea secura patellas
Jam lavat, & bucca foculum excitat, & sonat unctis
Strigilibus, pleno componit lintea gutto.

TABULA X.

ANtiquitus mos erat mulieres pretio conducere in funeribus mortuum ubertim deflentes, lachrymasque reponentes in vasculis, sive phialis vitreis, quæ deinde cum ossibus, cineribusque adhuc calentibus, necnon odoribus simul in urna claudebantur: unde hæc dicendi formula in antiquis Lapidibus sæpe insculpta, CVM LACRYMIS POSVERE. Quinque phialas lacrymatorias hic exhibemus, quarum media scalptum habet in fundo Mercurium cum petaso, & talaribus alatis, caduceum gestantem. Hic Deus apud Lucianum in *Mortuorum Dialogis* passim introducitur animas eorum, qui e vita excesserunt, ad inferos deducens. Eadem narrat de illo Pausanias in *Arcad.* ut & Petronius Arbiter *Satyr.* cap. C. *Mercurius, qui animas ducere, & reducere solet.* Sic etiam Virgil. lib. IV. *Æneid.*

Tum virgam capit: hac animas ille evocat orco
Pallentes, alias sub tristia tartara mittit:
Dat somnos, adimitque, & lumina morte resignat.

Ex quibus liquet repositas fuisse in istis phialis Præficæ, aliarumque mulierum pretio deflentium lacrymas, mortuique cadaver sive ad rogum, sive ad sepulturam cum uberrimo fletu comitantium. De illis Lucillius *Sat.* II.

————— Mercede quæ
Conductæ flent alieno in funere Præficæ.


ARTICULUS TERTIUS.

Manus æneæ vota referentes.


TABULA XI.


HÆc Manus ænea, cujus magnitudo, diversaque signa hieroglyphica hic exhibentur, in celebri Museo Jo. Petri Bellorii asservata votum quoddam pro salute prolis a conjuge susceptæ Serapidi solutum repræsentat. Sed a quonam? prorsus ignoratur: etenim in ea nulla extat nominis mentio; licet tamen ex artificis industria, votique nobilitate conjectare, eam ab aliquo & opibus, & ingenio pollente, Romano forsan, etiamsi Ægyptiorum numini consecratam, cum in Urbe cunctæ populorum subactorum religiones reciperentur, & maxime Ægyptiorum, qui doctiores, & sapientiores habebantur. *Hæc tamen Ægyptia quondam, nunc & sacra Romana sunt*, ait Minutius Felix in *Octav.* Quidquid sit hanc Manum Serapidi ex ejusdem numinis imagine dicatam fuisse constat, & forte Deum Matri Isidi, sive rerum naturæ parenti, cujus in pompa manus præferebatur, ut narrat Apulejus lib. XI. *Metamorph.* forsan quod hæc Dea manum sacram in pompa ostentasset. Votum autem pro masculina sobole solutum indicat manus dextra, siquidem illa masculæ virtutis symbolum est. Nunc ad obscuriora, & primum ad interiorem Manus partem deveniendum. Illa tres digitos pollicem, indicem, & medium elevatos, reliquos duos annularem, & minimum contractos ostendit, eo modo, quo Veteres significabant verba se velle facere ad populum. Apulejus lib. II. *Metamorph. Ac sic aggeratis in cumulum stragulis, & effultus in cubitum, subrectusque in torum porrigit dexteram, & adinstar oratorum conformat articulum,*


TAB XI
Apud I P Bellorium


TAB XII.
Apud I P Bellorium


TAB . XIII.
In Museo Barberino .
CECROPIVS


TAB XV.
Apud P. A Roland Magnum


TAB XIV.
In Museo Barberino
AC·VOTV

duobusque infimis conclusis digitis cæteros eminentes porrigit, & infesto pollice clementer subrigens insit. Qui gestus est etiam Episcoporum populum benedicentium. Indici, & medio subjecta est imago Serapidis, sive Osiridis, quem Æsculapium a quibusdam vocatum scribit Tacit. *l.* IV. *Hist.* c. LXXXIV. ut diximus *Tom.* V. *p.* 778. in explicatione imagunculæ Æsculapium cum modio in capite repræsentantis. Accipiebatur etiam Serapis pro Sole, teste Macrobio lib. I. *Saturn.* cap. XX. cui medendi potestas ideo attribuebatur, *quia temperatus Solis calor morborum omnium fuga est*, inquit idem Macrobius, subjungens Apollinem, qui idem est cum Sole, aspellentem mala intelligendum esse: unde non mirum est, si votum pro salute pueri Æsculapio, Soli & Apollini, sub Serapidis imagine solvitur. Infans in amplexu matris talari veste obtectæ, ut decebat pudica matrona, in lectulo decumbentis in ima parte cernitur: adstat Ibis symbolum Lunaris Genii, & præsidis in humidum elementum, per quam Ægyptii Lunarem vim solebant designare, Isidi sive Lunæ sacra, ad cujus rationem eam ova fingere scribit Ælianus totidem videlicet diebus, quod crescit, & decrescit. Sic etiam per Scarabæum Solem indicabant, ut docet Porphyrius apud Eusebium lib. III. *Præp. Evang.* cap. III. Κανθάρυ δὲ ἀμαθὴς μὲν βδελυχθείη ἂν ἀγνώμων ὑπάρχων τῶν θείων. Αἰγύπτιοι δὲ ἐσέφθησαν, ὡς εἰκόνα Ἡλίυ ἔμψυχον. κάνθαρος γὰρ πᾶς ἄῤῥην, καὶ ἀφιεὶς τὸν θορὸν ἐν τέλματι, καὶ ποιήσας σφαιροδῆ, τοῖς ὀπίσθιοις ἀντιπαναφέρει ποσὶν, ὡς Ἥλιος ὐρανὸν, καὶ περιόδον ἡμερῶν ἐκδέχεται Σεληνιακήν. *Jam vero Scarabæum*, inquit, *stultus forte quispiam detestetur, utpote divinis in rebus hospes, & peregrinus: at hunc Ægyptii quasi vivam, ac spirantem Solis imaginem venerari solent. Nam & Scarabæus omnis mas est, & semen in paludem immissum, ac sphæricam in figuram conformatum postremis pedibus in aversam partem convolvit, Solis in cælo motum æmulatus, integramque Lunæ dierum conversionem expectat.* Mirabiles enim hujus insecti operationes Solaribus similes apparent, de quibus erudite loquitur Ruellius lib. II. *de Stirp.* his verbis. *Quin & Scarabæus omnis cognitum animal totidem digitis, aut potius pedibus innititur, quot diebus mensis constat, in quibus exoriens Sol suos prosequitur cursus: is Solis & Lunæ coitum nobis aperte demonstrat; quandoquidem e bubulo stercore pilulam ab ortu ad occasum rotando versans in orbis imaginem effingit, quem in viginti & octo diebus facto humi scrobulo adobruens tantisper celat, dum signiferum ambiens Luna intermenstruum revertens sileat, aperto tum orbiculo novam prolem edit, nec aliam nascendi novit originem.* Et sic per Scarabæum nil aliud indicatur, nisi mascula quædam virtus Solis, quem Veteres mundi animam, rerumque satorem appellabant; & de quo, ut scribit Macrobius lib. I. *in Somn. Scip.* cap. VI. vitam omnia mutuantur. Unde sicut Osiridem censebant esse virtutem quandam generativam, ita & Isidem vim naturæ fœmininam totius susceptricem generationis. Etenim Sole, & Luna præcipue vita nostra moderatur, teste eodem Macrobio *lib. cit. cap.* XX. & utriusque luminis beneficio hæc nobis constat vita, qua fruimur. *Sol* (inquit ille lib. I. *Sat.* cap. XIX.) *auctor spiritus caloris ac luminis, humanæ vitæ genitor & custos est: & ideo nascentis Dæmon, id est, Deus creditur. Luna* τύχη, *quia corporum præsul est, quæ fortuitorum varietate jactantur.* Scribit Firmicus Maternus lib. II. *Mathes.* omnem substantiam corporis humani ad potestatem Lunaris numinis pertinere; unde dux nascentium vocabatur, & a parientibus solebat invocari. Quoniam tamen illa non prodest sine Solis aspectu: hinc Scarabæus in media manu positus est, in ima vero parte Ibis Lunam indicans, quæ virtute, & calore Solis fota cum eo ad generationem rerum omnium perficiendam concurrit; horum enim astrorum influxu tota natura sustinetur, sicque per scarabæum & Ibin pueruli generatio videtur innui. Scarabæus etiam, ut favorabile amuletum, animi fortitudinem designabat; Ibis vero vim quandam malorum averruncativam, eratque Ægyptiis salubritatis symbolum, & augurium, quoniam clysterem, qui apud eos in frequentissimo usu erat, reperisse putabatur. Per mensam sive tripodem Serapidis imagini subjectum, & dolabram vel gladium in pollice voventium sacrificia pro salute pueruli designantur: gladius ad sacra Mythræ, qui idem erat cum Serapide & Sole, potest etiam referri; & forte pueri pater Mythriacis sacris initiatus, fictumque & mimicum passus martyrium idem augurabatur filio; de hoc simulato martyrio consule Tertullianum lib. *de Cor. Milit.* & lib. *de Præscript.* Diogenem gladio verba comparavisse narrat Valerianus *lib.* XXII. ille symbolum erat eloquentiæ & principatus, quæ bona puerulo ominabantur; ut & sapientiæ & divinationis scientia per tripodem significata; tripus enim Apollini sacer erat, & aureus videbatur in aditu templi Apollinis Delphici, de quo mentionem facit Herodotus in *Calliope*. Mors etiam gladio indicabatur, infanti forsan diuturno morbo minitata, sed a qua Deorum ope sacrificiis per tripodem designatis propitiatorum liberatus erat.

T A B U L A XII.

ALtera Manus facies plura refert signa hieroglyphica; & primum Rana occurrit in medio digito posita, quæ sine pedibus nascitur, pedesque deinde posteriores assumit, teste Horo *lib.* II. Infans, qui ætate nimium tenera, tum vi morbi impeditus se movere non potuerat, convalescens paulatim incepit progredi. Crocodilus autem in media manu repens, animal perspicacissimum, & linguæ usu carens, si fides Plinio *lib.* VIII. *cap.* XXV. silentium sapientibus Deæque Isidi gratum, ac quamdam in rebus providentiam puero forte ominatur. Scribit Valerianus *lib.* XXIX. Crocodilo tergus monstrante hominem invictum significari: propterea quod ille adeo sit superne corticosus, ut contra omnem ictum invictus habeatur. Puerum tandem amissam salutem recuperasse Serpens solitus Æsculapii typus denotat: illi enim, qui medicina utuntur, velut infirmitatis pelle deposita renovantur ut Serpentes; narrat Plin. *lib.* XXIX. *cap.* XXIV. Serpenti multa inesse remedia, unde ille in antiquis numismatibus salutis symbolum est. Mense vero Septembri puerulum convaluisse ex Libra conjicitur, quo tempore dies noctesque æqualiter procedunt. Virgilius lib. I. *Georgic.*

Libra diei somnique pares ubi fecerit horas.

Et quidem in ſeptimo infirmitatis menſe, manum enim in hunc modum compoſitam indicare numerum ducenteſimum docet Valerianus. At teſtudinis exemplo animalis tarde incedentis, domoque numquam egredientis infans paulatim quidem pedibus uſus eſt, ſed ob debilitatem ex morbo contractam domi diutius manere coactus fuit. Votum Serapidi, & Iſidi ſolutum denotat urnula in utriuſque ſacris adhiberi ſolita, ſiquidem illam in hujus Deæ pompa illatam refert Apulejus lib. XI. *Metam.* cymbii anſati mentionem faciens. Urna etiam Oſiridi ſacrata erat, utpote humidæ naturæ Domino. Plutarchus *de Iſ. & Oſ.* Καὶ τῶν ἱερῶν ἀεὶ προπομπεύει τὸ ὑδρεῖον ἐπὶ τιμῇ τοῦ θεοῦ. *Et ante ſacra in pompa ſemper præcedit vas aquarium in honorem Dei.*

T A B U L A XIII.

SEquitur altera Manus ænea extans in nobiliſſima pinacotheca Barberina: illa duplo grandior circiter eſt, quam hæc imago; ſed præcedente, quam expoſuimus, eo pretioſior, quod in ea plura ſigna hieroglyphica continentur, voventiſque nomen patet ex inſcriptione, CECROPIVS. V. C. VOTVM. S. *Cecropius voti compos votum ſolvit.* Quiſnam fuerit Cecropius ille, nil apud Scriptores reperitur; forſan a Cecropide Athenienſium Rege, ſeu potius a Tribu ejuſdem nominis, ex qua oriundus erat, hanc traxit denominationem. Votum autem pro ſalute pueruli factum hæc manus dextra haud dubie repræſentat: illa digitos eo modo compoſitos habet, quo jam in præcedentis explicatione diximus, & quia tædioſum eſset eadem repetere, ad alia progrediamur. In imo partis manus interioris exhibetur puer in amplexu matris ſtolatæ more pudicarum matronarum, in lectulo decumbentis, pro cjus ſalute hoc votum Ammoni ſalutari Genio, Iſidi rerum naturæ parenti, & ſalutis auctori Æſculapio factum fuiſse videntur indicare caput arietinum, nux pinea, & Serpens, ſive Draco manum ambiens. Ammon fæcunditatis, & generationis Genius habebatur apud Ægyptios, qui ab eo vitam rerum omnium fæcundam, cælorumque benignitatem concedi putabant: hinc illius nomen tanquam favorabile amuletum laminis inciſum, & pectori affixum gerebant, tantumque huic nomini tribuebant, ut ſola illius invocatione magni bonis ſe repleri crederent; ut docet Kircherus lib. v. *Obel. Pamphil.* fol. 494. Hæc ſuperſtitio viguit etiam apud Romanos, qui Ammonem naturæ conſervatorem exiſtimabant, ut legitur in Salonini nummo Arietem exhibente cum hac epigraphe: AMMONI CONSERVATORI. Nux pinea Deum matri Iſidi propria fuit. *Quid ſibi vult illa pinus* (inquit Arnobius lib. v. *adverſ. Gentes*) *quam ſemper ſtatis diebus in Deum matris intromittis ſanctuario? nonne illius ſimilitudo eſt arboris, ſub qua ſibi furens manus & infelix adoleſcentulus intulit, & genitrix Divum in ſolatium ſui vulneris conſecravit?* Huic Deæ non modo puerorum tutela, ſed & valetudinis cura adſcripta fuit, teſte Diodoro *lib.* I. cujus hæc ſunt verba. Φασὶ δ' Αἰγύπτιοι τὴν Ἶσιν φαρμάκων τε πολλῶν πρὸς ὑγείαν εὑρέτιν γεγονέναι, τὸ σύνολον πολλὰ μηχανήσασθαι. διὸ καὶ νῦν τυχοῦσαν ἀθανασίας, ἐπὶ ταῖς θεραπείαις τῶν ἀνθρώπων μάλιστα χαίρειν, καὶ κατὰ τοὺς ὕπνους τοῖς ἀξιοῦσι διδόναι βοηθήματα, φανερῶς ἐπιδεικνυμένην τήν τε ἰδίαν ἐπιφάνειαν, καὶ τὸ πρὸς τοὺς δεομένους τῶν ἀνθρώπων εὐεργετικόν. *Iſin multa ſanitati hominum pharmaca inveniſſe Ægyptii tradunt, utpote, quæ ſcientiæ medicæ fuerit peritiſſima, adeoque multa ſolerter excogitaſſe. Quam ob cauſam nunc quoque ad immortalitatem elata, ſanatione hominum maxime gaudeat; & in ſomnis, ſi quis opem expetierit, manifeſtam numinis præſentiam, promptamque indigentibus bene merendi facultatem exhibeat.* Et paucis interjectis. Κατὰ γὰρ τοὺς ὕπνους ἐφισταμένην διδόναι τοῖς κάμνουσι βοηθήματα πρὸς τὰς νόσους, καὶ τοὺς ὑπακούσαντας αὐτῇ, παραδόξως ὑγιάζεσθαι, καὶ πολλοὺς μὲν ὑπὸ τῶν ἰατρῶν διὰ τὴν δυσκολίαν τοῦ νοσήματος ἀπελπισθέντας, ὑπὸ ταύτης σώζεσθαι, συχνοὺς δὲ παντελῶς πηρωθέντας τὰς ὁράσεις ἤ τινα τῶν ἄλλων μερῶν τοῦ σώματος, ὅταν πρὸς ταύτην τὴν θεὸν καταφύγωσιν, εἰς τὴν προϋπαρξασαν ἀποκαθίστασθαι τάξιν. εὑρεῖν δ' αὐτὴν καὶ τὸ τῆς ἀθανασίας φάρμακον, &c. *In ſomnis enim adſiſtentem ægrotis remedia contra morbos ſubjicere, eique morigerantes nec opinato convaleſcere. Multos etiam a Medicis propter morbi difficultatem diſperatos ab hac ſalutem accipere, plurimoſque oculis prorſus captos, aut alia corporis parte mutilatos, ſi ad Deæ hujus opem confugerint, in priſtini vigoris integritatem reſtitui. Invenit illa immortalitatis pharmacum,* &c. Æſculapio quoque ut ſalutis authori ſacratum fuiſse hoc donarium indicat Serpens manum ambiens, ſolitus hujus Dei typus, de quo multis in locis egimus, & diffuſe loquitur Macrobius lib. I. *Saturn.* cap. XX. Triplex etiam infirmitatis pueruli ſtatus præmiſſis tribus hieroglyphicis forte deſignatur. Nux pinea in apice pollicis principium fuiſſe lethale videtur innuere; ferunt enim pinum ſemel amputatam nova germina numquam emittere. Sole deinde Arietem ingrediente morbus declinavit; Ammon etenim omnium ſaluti credebatur proſpicere. Serpente vero felix morbi exitus optime indicatur: ſiquidem convaleſcentes, infirmitatis pellem exuere dicuntur, novamque induere ut Serpentes. Folium ficus in pollice poſitum arboris omnium plantarum ſucci pleniſſimæ ob humoris copiam ſymbolum irrigationis, & fœtationis perhibebatur apud Ægyptios, teſte Plutarcho lib. VI. *Sympoſ.* quæſt. x. & maxime in opuſculo *de Iſ. & Oſir.* ubi hæc ſcribit. Οὐ μόνον δὲ τὸν Νεῖλον ἀλλὰ πᾶν ὑγρὸν ἁπλῶς Ὀσίριδος ἀπορροὴν καλοῦσι. καὶ τῶν ἱερῶν ἀεὶ προπομπεύει τὸ ὑδρεῖον ἐπὶ τιμῇ τοῦ θεοῦ. καὶ θρίῳ βασιλέα καὶ τὸ νότιον κλίμα τοῦ κόσμου γράφουσι, καὶ μεθερμηνεύεται τὸ θρῖον ποτισμὸς καὶ κίνησις πάντων, καὶ δοκεῖ γεννητικῷ μορίῳ τὴν φύσιν ἐοικέναι. *Non ſolum autem Nilum, ſed omnem ſimpliciter humorem defluxum Oſiridis vocant: & ante ſacra in pompa ſemper præcedit vas aquarium in honorem Dei, & ficus folio regem, ac meridionale mundi clima pingunt, interpretanturque folium ficus irrigationem, & fœtationem hominum, videturque natura ſimile genitali membro.* Ficum apud Athenienſes ſacram appellatam fuiſſe docet idem Plutarchus lib. VII. *Sympoſ.* quæſt. IV. & forte Cecropius ex Tribu Athenienſi oriundus eandem pro hac arbore venerationem conſervaverat. Ficus alba ex felicibus arboribus habebatur, ſi fides Macrobio lib. III. *Saturn.* cap. XX. Per Tripodem Suidas ſignificari dicit triplicem temporis præteriti, præſentis, & futuri differentiam Soli rerum omnium moderatori convenientem, quam Ammonem exiſtimatum fuiſſe refert Macrobius lib. I. *Saturn.* cap. XXI. Tripus etiam Apollini dicatus & ſapientiam, & divinationem deno-

tat. Cymbium ansatum in pompa Isidis illatum memorat Apulejus lib. XI. *Metam.* Urna quoque Osiridi, sive Serapidi sacra erat, utpote humidæ naturæ Domino, unde in ejus sacris semper ferebatur vas aquarium, ut diximus; Serapidem autem, & Jovem, qui ipsissimus est cum Ammone, eundem esse declarat Apollinis oraculum apud Julianum Imperatorem *Orat.* IV.

Εἷς Ζεὺς, εἷς Ἀίδης, εἷς Ἥλιός ἐστι Σάραπις.
Unus Jupiter, unus Pluto, unus Sol est Serapis.

Meminit Apulejus in supradicta Isidis pompa alterius vasculi huic similis, quod exhibetur in hac imagine, *in modum papillæ rotundati, de quo lacte libabant*, quod symbolum videtur fuisse fœcunditatis Niloticæ. Simpulum refert aliud tertium vasculum, quod Festus describit, *Vas parvum non dissimile cyatho, quo vinum in sacrificiis libabatur*; & simile sæpius in museis observari diximus *Tom.* V. *pag.* 313.

TABULA XIV.

IN exteriori manus parte quædam exhibentur signa, veluti Crocodilus, Rana, Testudo, & Libra, de quibus in præcedentis manus expositione pro ingenii nostri modulo egimus; unde nunc superest, ut ad reliqua procedamus. Anguis, vel potius Vermis oculis, ut videtur, orbatus in digito indice primus occurrit, qui forte puerum vexans, ejus morbi causa fuit. Flagrum in sacris Isidis usurpatum scribit Apulejus lib. VIII. *Metam.* Erat etiam illud divinationis symbolum apud Veteres, teste Suetonio in *Aug.* cap. XCIV. Ciceronis somnium referente his verbis. *M. Cicero C. Cæsarem in Capitolium prosecutus, somnium pristinæ noctis familiaribus forte narrabat: puerum facie liberali, demissum cœlo catena aurea, ad fores Capitolii constitisse, eique Jovem flagellum tradidisse: deinde repente Augusto viso, quem ignotum adhuc, plerisque avunculus Cæsar ad sacrificandum acciverat, affirmavit ipsum esse, cujus imago secundum quietem sibi observata sit.* Potest etiam flagrum referri ad Lupercalia in luco Junonis, quæ eadem credebatur Isis, sub monte Exquilio XV. Calen. Martii celebrari solita, ubi novæ nuptæ palmas Sacerdotibus Lupercalibus verberandas offerebant, existimantes talia verbera fœcunditatem afferre. Ovidius lib. II. *Fastor.*

Nupta quid expectas? non tu pollentibus herbis,
Nec prece, nec magico carmine mater eris.
Excipe fœcundæ patienter verbera dextræ,
Jam socer optati nomen habebit avi.

Terga quoque verberanda præbuisse docet idem Poeta *lib. cit.*

Ille caprum mactat; jussæ sua terga maritæ
Pellibus exsectis percutienda dabant.

Quod innuit etiam Plutarchus in *Romulo*. Αἱ δ' ἐν ἡλικίᾳ γυναῖκες οὐ φεύγουσι τὸ παίεσθαι, νομίζουσαι πρὸς εὐτοκίαν καὶ κύησιν συνεργεῖν. *Mulieres adultæ (inquit) non declinant verbera, proficere ea ad conceptionem, & partum ratæ.* Puerulі mater ad sterilitatem avertendam flagrum hujusmodi forsan exploraverat. Serpens cristatus, sive Draco manum ambiens Æsculapio salutis numini sacer habebatur, siquidem, teste Eusebio lib. I. *Præp. Euang.* cap. VII. Philonis ex Sanchuniatone verba referente, Taautes Draconis, Serpentumque naturæ aliquam tribuebat divinationem, & apud Phœnices, & Ægyptios hoc animantium genus in sacris mysteriis adhibebatur, salutis corporis, & animæ ferens symbolum, ut tradit idem Eusebius *lib.* III. *cap.* III. Enimvero cætera reptilia crassioris & terrestris substantiæ sunt; Serpens vero spiritalissimum est animal, vi & copia spiritus abundans, igneam naturam habens, maximamque præ se ferens celeritatem; cum neque pedum, neque manuum, neque alterius exterioris membri adminiculum habeat. Præterea diuturnæ admodum vitæ est, corporis enim imbecillitatem non solum exuit, verum etiam majora corporis & virium accipit incrementa, & nisi vi quadam percussum fuerit, morte naturali minime extinguitur, nam ad reviviscendum herbam quamdam nosse narratur. Illud Phœnices bonum Dæmonem, Ægyptii vero Cnephum nuncupaverunt. Isidi quoque Serpentem consecratum docet Ælianus, narrans hujus Deæ simulacrum quodam Aspidum diademate coronatum ab Ægyptiis effingi, Serpentemque in ejus pompa ferri solitum. Per cornucopiæ frugibus, & fructibus refertum fœlicitas, & abundantia, per caduceum prudentia, & eloquentia, pax, & concordia, ac in negotiis gerendis sagacitas puerulo forte ominabantur: etenim cornucopiæ, & caduceus harum rerum indicia sunt; sic in æreo Vitellii nummo exhibetur duplex cornucopiæ caduceo intermedio pacem, & concordiam, omniumque rerum abundantiam ex adventu Imperatoris proventuras indicans. Pertinet etiam caduceus ad hominum genituram, teste Macrobio lib. I. *Saturn.* cap. XIX. *Argumentum caducei ad genituram quoque hominum, quæ Genesis appellatur, Ægyptii protendunt.* Mercurialem caduceum a tertio sacrorum Antistite in pompa Isidis illatum recenset Apulejus lib. XI. *Metam.* sic etiam thyrsos, & hederas in Osiridis solemnitatibus memorat. *Nam proxima nocte*, ait, *vidi quemdam de sacra-*

tis linteis intectum, qui thyrsos, & hederas, & tacenda quædam gerens ad ipsos meos Lares collocaret. Osiris idem habebatur cum Dionysio, sive Baccho, & apud Ægyptios hedera Osiridis planta vocabatur. Tibiæ in sacris Ægyptiacis usitatæ meminit idem Apulejus *lib. cit. Simphoniæ dehinc suaves, fistulæ, tibiæque modulis dulcissimis personabant.* Et mox: *Ibant & dicati magno Serapidi Tibicines, qui per obliquum calamum ad aurem porrectum dextram, familiarem templi, Deique modulum frequentabant.* Tibia sacris peragendis dicata parentum vota pro salute videtur innuere, siquidem in Matris Deum, sive Isidis solemnitatibus tibiam sonari solitam scribunt Seneca in *Agamemn.* vers. 686. & Sidon. Apollinaris *Carm.* IX. vers. 202. Sic etiam Ovid. lib. IV. *Fastor.*

Protinus inflexo Berecynthia Tibia cornu
Flabit, & Idææ festa parentis erunt.

Tibias in sacrificiis, sacrisque peragendis forte ad iratos Deorum animos demulcendos (ut loquitur Arnobius lib. VII. *advers. Gent.*) usurpatas fuisse patet ex antiquis nummis, & toreumatibus sacrificia exhibentibus, necnon inscriptionibus apud Gruterum *pag.* 175. & 269. in quibus de Tibicinibus Romanis, eorumque & Fidicinum collegio, qui S. P. P. S. id est, *qui Sacris Publicis Præsto Sunt*, mentio reperitur. Tibiæ cantum in curatione morborum introductum fuisse testantur multi authores; sic Democritus apud Gellium in lib. cui titulus est *de pestibus*, *refert plurimis hominum morbis medicinam fuisse incentiones tibiarum.* Tibicinibus vesci in Capitolio permissum fuisse declarant Censorinus *de die Nat.* cap. XII. ubi de musica loquitur, & Livius *lib.* IX. narrans Tibicines in æde Jovis, ut antiquitus, vesci prohibitos Tibur uno agmine abiisse; deinde vero iis, qui sacris præcinerent, in hac æde jus vescendi restitutum. Ex quibus patet tibiarum cantus tam in sacris Cybeles, sive Isidis, quam in curatione morborum, cui præerat Æsculapius, adhibitos esse, nec non Tibicines sub tutela, ac præsidio Jovis, qui idem habebatur cum Ammone, latuisse, quibus Diis hanc votivam manum dicatam demonstravimus. Tibiam autem, & Thyrsum in festis circumferri solitos nil aliud denotasse tradit Kircherus lib. IV. *Obel. Pamph.* Hier. XIX. *Nisi plantationem vitis, & musicæ inventionem, hoc est, vitæ liquorem, & harmoniam rebus singulis inexistentem, qua suprema mens mundum, & quæ in mundo existunt, locupletavit.*




TAB. V.
In Museo I.P. Bellorii.
TAB. II.
Apud M. A. Causeū de la Chausse
TAB. IV
Apud I.P. Bellorium
TAB. VI.
TAB. III.
Apud Ill. Raph. Fabrettum
Apud E. P. Burghesium.
ΣΩΤΗΡ
ΚΗΣΜΟΥ
TAB. I
Apud Ill.mum Raph. Fabrettum

MICHAELIS ANGELI CAUSEI DE LA CHAUSSE, *PARISIENSIS*, DE MUTINI SIMULACRIS *DISSERTATIO.*

TABULA I.



UONIAM hujus Dissertationis titulus, necnon imagunculæ in illa explicatæ severioribus oculis, aut scrupulosioribus in re antiquaria fortasse parum versatis immodestiores possunt primo intuitu apparere; ne videar oblitus modestiæ viro ingenuo dignæ, ridiculas Ethnicæ superstitionis reliquias dilucidaturus, pudicas aures dictis violare; priusquam illarum expositionem aggrediar, pauca tum de scriptoribus, qui similes protulerunt, tum de utilitate, quæ ex veterum morum declaratione, pravorumque castigatione nobis redundat, delibare proposui. Ac primum ut scrupulosis, quorum virtutem veneror, quantum in me est, satisfaciam, nonendos illos censeo viros pietate illustres, moribusque integerrimis obscæna Veterum Idola, in quibus eruditionis aliquid reconditum est, nec despuisse, nec ab eruditis spernenda existimasse, clarumque Sacerdotem Joannem Baptistam Casalium virtute, ac doctrina conspicuum æream Mutini Lucernam in suo Museo asservasse, quam deinde vulgavit in opere suo *De veteribus Ægyptiorum ritibus*, Romæ edito, ubi hæc verba leguntur cap. XXVI. *Effigiandas curavi plures, ex meis Lucernis æreis, quæ varia continent symbola, nempe Canem, Bovem, Sphingem, Mutinum, seu virile membrum, ac etiam Lunam, quæ est signum Dianæ*. Sed non solum harum typos exhibuit, verum etiam de Baccho, Priapo, Mutini Idolo, Symboloque obscæno integra quatuor scripsit capita, IX. nempe XII. XIII. & XIV. libri *de profanis Romanorum ritibus*, qui supradicti operis partem alteram conficit; quarum superstitionum expositionem Catholicæ nostræ Religioni utilem arbitratur, hæc ajens in *præfatione* operis ad Lectorem: *At quamvis multa in epitomen redacta sint ex Ægyptiorum, & Romanorum superstitione (quorum mentes succum nequitiæ perbiberunt) non erit ab hoc, inquam, proposito abhorrens; nam ex horum detestatione magis veritas Catholicæ Religionis roboratur*. Quin etiam Joannes Macarius Canonicus Ariensis Abraxam seu Apistopistum, & Joannes Chifletius Canonicus Tornacensis Philippo Quarto Regi Catholico, & Sereniss. Principi Joanni Austriaco a sacris Oratorii Abraxam Proteum, seu multiformis gemmæ Basilidianæ portentosam varietatem exhibuerunt, suisque eruditis notis illustrarunt, Censoribus, ac Superioribus annuentibus, Antverpiæ impressis, in quibus varia simulacra virilibus erectis conspiciuntur. Similiter Fortunius Licetus in libro *De reconditis Antiquorum Lucernis* pudibundas aliquas Lucernas protulit, quarum explicationes *ad emendationem, & ad exemplum, ne veteres improbitates noceant præsentibus Lectoribus*, se aggressum esse profitetur. Sic etiam Leonardus Augustinus recolendæ semper memoriæ Alexandri PP. VII. Antiquarius inter suas gemmas, quas Romæ Superioribus, ac studiosis omnibus plaudentibus edidit, eidemque summo Pontifici dedicavit, plurimas vulgavit, phallica sacrificia, nec non Mutini, & Abraxæ imagunculas referentes, quod opus litteratis adeo pergratum fuit, ut ab annis tribus vel circiter denuo Romæ prælo excussum fuerit. Vanum, ac superfluum foret alios modernos authores recensere virtute, ac doctrina præstantes, qui similes imagunculas exhibuerunt, abditumque illarum sensum mysticis involutum hieroglyphicis, suis eruditissimis notis dilucidaverunt. Arnobius quoque, Lactantius Firmianus, Minutius Felix, D. Augustinus, aliique sancti Patres obscænos Veterum mores retulerunt, falsorumque numinum simulacra quibuscumque scrupulis ex animo evulsis descripserunt. Quippe profana illa priscæ superstitionis monimenta, turpesque illæ imagines, quas Ethnicos errore cæcutientes populi adorabant, eo magis sanctissima nostræ Religionis mysteria summo cultu, summaque veneratione digna prædicant. Unde Theodosius Imperator idololatriæ reliquias volens suis acerrimis, & justissimis edictis extirpare, fœdiores Idolorum statuas conservari, palamque collocari jussit, quod Theophilus Alexandriæ Præsul Imperatoriis mandatis obtemperans laudabili studio, ac diligentia geri, & perfici curavit. *Hanc potestatem nactus Theophilus* (inquit Socrates lib. V. *Hist. Eccles.* cap. XVI.) *plurimus in eo erat, ut Gentilium mysteria ignominiæ exponeret, & Mithrion quidem repurgavit, Serapion vero subvertit: Mithrii mysteria homicidiorum gratia detestanda publice ostentavit: Serapidis vero, & aliorum plane ridicula ostendit, Priapos per medium forum asportari jubens*. Et deinde: *Subversa sunt itaque templa, statuæ vero in ollas, & alios Alexandrinæ Ecclesiæ usus, Imperatore Deos ad sustentandos pauperum sumptus largiente. Cunctis itaque Diis confractis Theophilus unam statuam cujusdam dei integram servari jussam publice prostituit, ne temporis progressu Gentiles tales se Deos adorasse negarent: quam rem Ammonium Grammaticum vehementer moleste tulisse scio dicentem, quod statua illa non esset una cum aliis conflata, sed ad deridendam Gentilium religionem servata*. Audiendus quoque Sozomenus similia narrans lib. VII. ejusdem Hist. Eccl. cap. XV. *Sub id temporis Alexandrinus Episcopus templum Bacchi, quod Alexandriæ erat, in Ecclesiam mutavit. Dono enim illud ab Imperatore petitum acceperat. Expurgatis autem simulacris illius, & adytis apertis, data opera Paganorum mysteriis illudebat, & spectacula illa, Priapos*

etiam, & si quid aliud in illorum adytis absconditum erat, quod ridiculum esset, vel videretur, proponebat, ac in publicum ostentandi gratia proferebat. Si tantam Catholicæ Religioni utilitatem solo aspectu fœdæ illæ imagines attulerunt; quidni hasce nostras deformes priscæ Idololatriæ reliquias proferre licebit? quæ ridiculas veterum Paganorum nugas, & superstitiones risum merito concitantes proponunt. Sed diutius in istis immorati sumus, nunc ad brevem & modestam imaguncularum expositionem progrediarum.

Priapum præ Diis cunctis venerabantur Lampsaceni, teste Pausania in *Bœot.* Libero Patri e Venere genitum dictitantes. Scribit Isidorus lib. VIII. *Orig.* cap. XI. illum e Lampsaco Hellesponti civitate, ubi natus erat, ob nimiam pudendorum magnitudinem pulsum, quorum deformitatem tantam fuisse narrat Lactantius *lib.* I. ut inter eum & Sileni Asinum pro illorum magnitudine ortum fuerit certamen, unde vocatur a Columella *Deus terribilis membri*. Hortis præesse credebatur propter eorum fœcunditatem, quia horti numquam sunt sine aliquibus fructibus, eaque de causa in illis ponebatur Ithyphallus, ut docet idem Columella in *Carmine de Hortis*:

——————— Sed truncum forte dolatum
Arboris antiquæ numen venerare Ithyphalli.

Credebatur etiam fures ab illis arcere, necnon aves fugare: hinc Virgil. lib. IV. *Georgic.*

Et custos furum, atque avium cum falce saligna
Hellespontiaci servet tutela Priapi.

Sic apud Catullum *ep.* XX. Populeus Priapus:

Ego hæc, Ego arte fabricata rustica,
Ego arida, o viator, ecce populus
Agellulum hunc, sinistra tute quem vides
Herique villulam, hortulumque pauperis
Tuor, malasque furis arceo manus.

Horatius quoque *lib.* I. *Sat.* VIII. Priapum Deum custodem hortorum sic inducit loquentem.

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum:
Cum faber incertus scamnum, faceretne Priapum,
Maluit esse Deum; Deus inde ego furum, aviumque
Maxima formido: nam fures dextra coercet,
Obscænoque ruber porrectus ab inguine palus:
Ast importunas volucres in vertice arundo
Terret fixa: vetatque novis considere in hortis.

Præses etiam dicebatur generationis, idem enim habebatur cum Sole, Deus autem & Sol, teste Philosopho, omnia generant. Ridiculum sane, sed eruditum hujus monstrosi Dei simulacrum asservatum in Museo Eminentiss. Cardinalis Chigii: cristam Galli habet ille capiti impositam, & pendentem e mento, stat veretro erecto, dextra crumenam tenens, læva campanam. Caput ejus cristatum est more Galli, quoniam hoc animal calidæ, & alacris naturæ perhibetur, maximeque ad coitum, & libidinem proclive: Gallinaceum Soli sacram avem existimatam fuisse narrat Pausanias in *Eliac. pr.* quod cantu Solis reditum nuntiet. Pudendum ei appositum est ad denotandam generationem; etenim præses generatricis facultatis dicitur ille apud Suidam. Campanam sinistra manu tenet, qua forte innuuntur clamores in Bacchi Orgiis fieri soliti, unde dictus est *πρίηπος*, quasi *βρίηπυος*, id est, *late sonans, clamosus*; Priapus enim idem cum Baccho, siquidem in Bacchanalibus phallum ex collo suspensum gestabatur, cujus pompam Melampus in Græciam introduxit, teste Herodoto in *Euterpe.* Plutarch. lib. *de cupid. opum* describens sacram Bacchi pompam, amphoram vini cum palmite, hinc Hircum, quem trahebat aliquis, post cistam nucum, & phallum recenset. Hujus superstitionis originem vide apud Eusebium lib. II. *Præp. Ev.* cap. I. Arnob. lib. V. *adv. Gent.* & Eliam Cretensem. Crumena, quam hæc imaguncula dextra gerit, forsan innuit sumptus ad Venerem excitandam, proinde den-

que ad generationem neceſſarios eſſe, juxta illud Terentii in *Eunucho*, *Sine Cerere*, *& Baccho friget Venus.* Poteſt quoque ad Ovidianam Danaes fabulam referri, nam, ut ait Tibullus *lib.* I. *el.* V. *donis vincitur omnis amor.* Priapus etiam apud Veteres pro Mercurio, ſiquidem multi videntur Hermæ virilibus erectis in modum Priapi, at Mercurius crumenam geſtans vulgo repræſentatur. Aurum apud Phœnices erat potentiæ ſymbolum, ſi fides Georgio Codino *de Orig. Conſtant.* unde iſti populi Deos ſuos fingebant geſtare aurea marſupia. *Ἀλλὰ καὶ οἱ Φοίνικες τοῖς θεοῖς αὐτῶν πλάττουσιν ἐπιφέροντας βαλάντια χρυσᾶ. ὡς τοῦ χρυσοῦ συμβόλου ὄντος δυναστείας.*

TABULA I.

PRiapus in numerum Deorum a Græcis translatus Mutinus dictus eſt, teſte Lactantio *lib.* I. ſed in baſe cujuſdam imaguncułæ caput habentis gallinaceum cum pudendo vice roſtri appoſito nobilior inſcriptus eſt titulus, nempe ΣΩΤΗΡ ΚΟΣΜΟΥ. CONSERVATOR MUNDI. Gallum Soli ſacram avem diximus, Sol autem generatricis facultatis præſes habetur; pudendum gallinaceo capiti appoſitum eſt, quod homo una cum Sole ad generationem perficiendam concurrat, juxta illud Ariſtotelis *lib.* II. *Phyſ.* cap. III. *Homo hominem generat, & Sol.* Et ſic uterque genus humanum ex ſe mortale continua generatione, ut loquitur idem Philoſophus *lib.* II. *de gener. & corrupt.* cap. II. perpetuum, & immortale reddit, MUNDIque CONSERVATOREM ſe præbet.

TABULA II.

SEquitur aliud Mutini ſimulacrum in ſimilitudinem Hermæ, ſeu Termini Ithyphalli, caprinis auribus, & erectis in fronte cornibus, capite tutulato tæniaque redimito, erecto veretro, utraque manu latera comprimentis. Deos omnes ad Solem referri docet Macrobius *lib.* I. *Sat.* cap. XIX. Hermiſque, ſive Mercurii ſimulacris ſtatu quadrato figuratis, erectis virilibus, ſoloque capite inſignitis ſignificari Solem mundi eſſe caput, & rerum ſatorem, omnemque vim ejus non in miniſterio membrorum, ſed in ſola mente conſiſtere; quatuor etiam lateribus innui totidem plagas mundi, aut quatuor vices temporum, vel duo æquinoctia, totidemque ſolſtitia. Mutinum eundem eſſe cum Sole, & Mercurio diximus. Ejus ſimulacrum tænia coronari ſcribit Tertullianus *lib. de Cor. Milit.* cap. VII. Modium, ſive tutulum capite ſuſtinet, abundantiæ & fœcunditatis ſignum, quarum præſes credebatur: erat etiam tutulus Genii Tutelaris ſymbolum, Priapus autem Genius mulierum habebatur, ſiquidem ejus virilia præcipue colebant fœminæ ad fœcunditatem ſibi procurandam, phallaque tum ex ære, tum ex auro, vel argento de collo ſuſpendebant, & alia in annulis expreſſa gerebant, quæ paſſim in Muſeis obſervantur. Sic etiam ſponſæ ad avertendum faſcinum ſuper ejus ſcapum ſedere jubebantur, fortaſſis quod hæc membri difformitas faſcinationem crederetur arcere, ut ait D. Auguſtinus *lib.* VII. cap. XXIV. ſive juxta mentem Lactantii *lib.* I. ut illarum pudicitiam prior Deus delibaſſe videretur.

TABULA III.

SCapus ille Mutini auritus hic repræſentatur; auris picta apud Horum Apollinem *lib.* II. *Hierogl.* XXII. futurum opus ſignificat, *Ἀκοὴ ζωγραφουμένη, μέλλον ἔργον σημαίνει.* Opus autem ſponſorum quid aliud eſt, quam ſobolis procreatio, quæ hanc obſcœnæ ſuperſtitionis cærimoniam proxime ſubſequebatur.

TABULA IV.

EN aliud ridiculum ſaltatriculi Priapi ſignum utraque manu crotala geſtantis, ad quorum ſonum ſaltat ille laſcivos edens geſtus more Gaditanorum, ut loquitur Martialis, ſic etiam Virgilius in *Copa.*

Criſpum ſub Crotalo docta movere latus.

Crotalum proprie erat ſciſſa arundo, quæ manibus quaſſa ſonabat: peculiare fuiſſe hoc inſtrumentum Priapi feſtis docet idem Virgilius in *Priap.*

Cymbala cum crotalis, prurientiaque arma Priapo
Ponit, & adducta tympana pulſa manu.

Antiquum marmor in Romanis Antiquitatibus vulgatum mulierem ſaltatriculam exhibet crotala geſtantem. Crotaliſtriæ dicebantur fœminæ his inſtrumentis utentes, quæ vulgo in conviviis, ac comeſſationibus admittebantur ad recreandos, & exhilarandos tum ſonis, tum ſaltationibus convivarum aures, & oculos, de quibus conſule Juvenalem, & Martialem.


TABULA V.

MEmbra genitalia apud Veteres præcipue colebantur, si fides Eusebio *lib.* II. *Præp. Ev.* cap. I. quoniam ad generationem necessaria sunt, & per ea species animantium conservantur, & propagantur: unum hic exhibetur τὸ πέος παρὰ τὴν ἐργασίαν αὐξανθὲν ἔχον, alatum quidem, quod ad generationem perficiendam sic paratum, per alas enim forma quædam omnium penetrativa, ut loquitur Kircherus, seu velox generatricis facultatis potentia indicatur. Luna crescens phallico imminet capiti ea ratione, *quod illa*, teste Macrobio *lib.* I. *in somn. Scipion.* cap. XI. *sit mortalium corporum & author, & conditrix; adeo ut nonnulla corpora sub luminis ejus accessu patiantur augmenta, & huic decrescente minuantur.* Quam sententiam Clemens Romanus Pontifex *lib.* VIII *Recognit.* ad Jacob. fratrem Domini confirmat his verbis. *Similiter autem & Lunæ cursus, atque hæc, quæ imperitis videtur inordinata permutatio, incrementis frugum, & pecudum, omniumque animantium commoda est: augmentis enim ejus, detrimentisque mira quadam providentiæ arte omne, quod gignitur, alitur, & crescit.* Luna quasi alter Sol minor, juxta mentem Aristotelis *lib.* IV. *de generat. Animal.* cap. X. conducit ad omnes generationes, & perfectiones. Omnem corporis humani substantiam ad potestatem lunaris numinis pertinere scribit Firmicus Maternus, cuncta enim animantia corpora & concepta procreat, & generata dissolvit.

TABULA VI.

ELegantem hanc Lucernam imaginem alati penis habentem Soli, Baccho, Isidi, Mercurio, & Marti dicatam fuisse non absurdum erit dicere. Soli, quia præses habetur generationis, ut diximus; alæ autem velocem generatricis facultatis potentiam indicant. Baccho propter phallum in ejus pompa præferri solitum, de quo supra. Isidi ob historiam pudendi Osiridis a Plutarcho in Opusculo *de Is. & Osir.* & a Diodoro *lib.* I. cap. II. relatam. Mercurio, quia, ut docet Plotinus *En.* III. *lib.* VI. cap. XIX. Veteres hunc Deum virilibus erectis repræsentabant, indicantes virum sapientum fœtus scientiæ in animis auditorum doctis sermonibus generantem; verba autem apud Homerum *Odyss. lib.* I. vers. 122. dicuntur alata, unde hoc veretrum alis præditum exhibetur. Ex quibus conjectare licet hanc Lucernam arsisse vel in aliquo Mercurii delubro, vel in tumulo cujusdam viri sapientis: quod etiam de Marte, & homine bellicoso dicendum, siquidem antiquitus membrum genitale erat symbolum magnanimitatis; si credendum Valeriano *lib.* XXXIV. illudque obeliscis, columnis, aliisque monumentis insculpebatur. Sed quidni credere liceat hujuscemodi Lucernam in aliquo Veneris lasciviæ Deæ fano, vel in lupanari suspensam fuisse? Etenim Lucernæ in lupanaribus accensæ prostitutas hic esse mulieres indicabant; quia, ut scribit eruditiss. Lipsius *lib.* I. *Elect.* cap. III. sub vespera tantum hora videlicet diei nona meretricibus corpore quæstum facere licitum erat. Hunc Lucernarum in prostibulis accensarum morem confirmat Tertullianus *lib.* II. *ad Uxor.* loquens de Christiana muliere ab Idololatris ad libidines provocata. *Procedet de janua laureata, & lucernata, ut de novo consistorio libidinum publicarum.* Quæ consuetudo Lucernas ritu Ethnico publice accendendi *Canone* XXXVII. Concil. Eliberini prohibetur. *Ne Lucernas publice accendant Fideles.* Perpetuam & inextinguibilem fuisse hanc Lucernam patet ex unico ejus foramine proculdubio papyro ardenti destinato, unde illam vel in delubro suspensam, vel in tumulo positam fuisse autumo.

Mens erat aliquid *De antiquis rebus sacris* his præmissis subtexere; sed cum Illustriss. Joannes Ciampinus in suo libro *De Azymo & Fermentato* tria, *De sacris profanisque Calicibus*, *De sacris Indumentis*, necnon *De sacrarum Imaginum usu, earumque veneratione*, opuscula quamprimum edere pollicetur; ne videar eadem hic proponens viro summæ doctrinæ rei novitatem auferre, eruditiori ejus calamo locum, ut par est, libenti animo cedens taceo.


Pag. 7
TAB. III
DOMINVS LEGEM
DAT VALERIO SEVERO
TAB. II
Bellorum
TAB. IX

MICHAELIS ANGELI CAUSEI DE LA CHAUSSE, *PARISIENSIS*, DE ÆNEIS ANTIQUORUM LUCERNIS *DISSERTATIO.*

TABULA I.

Lucerna Crucis Columbam habentis.



HÆC Lucerna sphærica est, & unilychnis ex anteriori parte veluti linguam exerens, in cujus apice foramen est ellychnio destinatum, aliud extat in centro ingressui fomitis datum: in posteriori parte manubrium habet charactere hieroglyphico nomen Domini Nostri Jesu Christi referens, utpote Salvatoris nostri simulacro, vel Christiani cujusdam cineri accensa; manubrio superimposita est Columba hieroglyphicum Spiritus Sancti, solitumque primævæ Christianitatis symbolum, de qua Tertullianus *lib. adver. Valent.* cap. II. & III. *In summa*, inquit, *Christum Columba demonstrare solita est; Serpens vero tentare. Illa & a primordio divinæ pacis præco. Ille a primordio divinæ imaginis prædo. Ita facilius simplicitas sola Deum, & agnoscere poterit, & ostendere; prudentia sola concutere potius, & prodere. Abscondat itaque se Serpens, quantum potest, totamque prudentiam in latebrarum ambagibus torqueat, alte habitet, in cæca detrudatur, per amfractus seriem suam evolvat, tortuose procedat, nec semel totus, lucifuga bestia. Nostræ Columbæ etiam domus simplex, in editis semper, & apertis, & ad lucem. Amat figuram Spiritus Sancti, Orientem Christi figuram.* Scribit D. Chrysostomus *Homil. in Matth.* ideo Columbæ speciem a Spiritu Sancto susceptam, quoniam præ omnibus animalibus hæc cultrix est charitatis. Audiamus D. Cyprianum *lib. de Unit. Eccl.* ipsam Ecclesiam Columbæ assimilantem his verbis. *Quum unam Ecclesiam etiam in Cantico Canticorum Spiritus Sanctus ex persona Domini designat, & dicit. Una est Columba mea, perfecta mea, una est matri suæ, electa genitrici suæ.* Et aliis interjectis. *In domo Dei, in Ecclesia Christi unanimes habitant, concordes, & simplices perseverant. Idcirco & in Columba venit Spiritus Sanctus, simplex animal, & lætum est, non felle amarum, non morsibus sævum, non unguium laceratione violentum: hospitia humana diligere; unius domus consortium nosse; cum generant, simul filios edere; cum commeant, volatibus invicem cohærere; communi conversatione vitam suam degere; oris osculo concordiam pacis agnoscere; legem circa omnia unanimitatis implere; hæc est in Ecclesia noscenda simplicitas; hæc charitas obtinenda, ut Columbas dilectio fraternitatis imitetur.* Columbam, aut piscem solebant primævi Christiani in annulis gestare, teste Clemente Alexandrino *lib. Pædag.* cap. XI.

TABULA II.

Lucerna Gryphi Crucem habentis in capite.

SEquitur alia Christianorum Lucerna oblonga, pensilis ex duabus catenulis; unilychnis est in anteriori parte tubulum quemdam emittens ad ellychnium evomendum in apice perforatum; habet in medio foramen operculo clausum, in quod oleum infundebatur, ex utraque vero hujus foraminis parte

notam, seu characterem hieroglyphicum nomen Christi significantem. Manubrium adinstar cujusdam colli terminatur in caput Gryphi, cui Crux superimposita est. Gryphus animal Soli dicatum, fabulosum quidem, ut reor, sed in hieroglyphicis frequens, alis, & facie Aquilæ simile, reliquis vero partibus Leoni, de quo fusius infra. Primævi Christiani Dominum Salvatorem nostrum tamquam divinum Solem, mundum immortali suo splendore illustrantem, infernalesque fugantem tenebras hoc hieroglyphico forsan innuere voluerunt.

TABULA III.

Lucerna Naviculam referens.

Elegantem Naviculam exhibet hæc Lucerna, pensilis est e duabus catenis, & bilychnis duplicem linguam e dextro latere exerens, utramque foramen habentem flammulæ dicatum: in centro navis insurgit malus, cui velum ventis inflatum appensum est; ejus summitati affixa est tabula hanc epigraphen incisam habens, DOMINUS LEGEM DAT VALERIO SEVERO EUTROPI VIVAS. Juxta infimam mali partem exiguum cernitur foramen recipiendo fomiti aptum. Ad proram in caput olorinum desinentem stat vir quidam beato Petro Apostolo facie similis: ad puppim vero sedet alter remum utraque manu tenens, fratrem ejus Andream haud dubie repræsentans. Quid sibi velit inscriptio, nunc inquirendum. Valerius Severus Christiana religione imbutus, mortem tamquam legem sibi a Domino impositam constanti animo expectans, longiorem Eutropio vitam optat more Veterum, qui morientes circumstantibus amicis solebant dicere, *Vivite, ac valete*, quod erat grati animi officium. Sic Augustus apud Suetonium in osculis Liviæ deficiens, *Livia*, inquit, *nostri conjugii memor, vive, ac vale.* Eutropius deinde in sepulchro Valerii Severi Lucernam hanc dilectæ cineri accensam forte collocavit, ac morientis amici verba, ejusque erga beatos Petrum & Andream Apost. pietatem in eadem Lucerna exprimere voluit.

TABULA IV.

Lucerna Aquilæ Jovi D.


HÆC Lucerna Jovi a quodam L. Tettio Alypo dicata pensilis, & bilychnis est, in cujus medio conchylium extat perforatum fomitis ingressui destinatum; in postica parte stat Aquila expansis alis insistens fulmini, qualis reperitur in nummo aureo, & argenteo Domitiani cum hac epigraphe, IUPITER CONSERVATOR. Lucernam huic fere similem protulit Fortunius Licetus *lib.* VI. cap. LVIII. sed absque fulmine, conchaque ad oleum suscipiendum minime perforata; nomen quoque laminæ incisum variat; legitur enim in illa talis inscriptio, ETEITIUS ALYPUS IOVI DD. In hac vero, L. TETTIUS ALYPUS IOVI DD. Unde illam aut erratam, aut ab hac nostra diversam esse non dubito. Fulmen symbolum est divinitatis, ut apparet in multis Imperatorum numismatibus eorum Apotheosin fulmine expressam exhibentibus; Aquila omen dominationis, teste Justino *lib.* XII. nativitatem Alexandri Magni referente his verbis. *Prodigia magnitudinis ejus in ipso ortu nonnulla apparuerunt. Nam ea die, qua natus est, duæ Aquilæ tota die præpetes supra culmen domus patris ejus sederunt, omen duplicis Imperii Europæ, Asiæque præferentes* Aquila fuit etiam victoriæ signum, ut narrat idem Justinus *lib.* XX. *Pugnantibus Locris*, ait, *Aquila ab acie numquam recessit, eosque tamdiu circumvolavit, quoad vincerent.* Illam avium reginam, Jovisque armigeram finxerunt Poetæ; etenim sola avium fulmine non læditur, si fides Plinio *lib.* II. cap. LV. & *lib.* X. cap. III. Scribit Isidorus *lib.* XVII. *Origin.* cap. III. Aquilam ea ratione Jovi dicatam, quod, dum ipse adversus Titanas proficisceretur, Aquila in auspicio ei apparuerit, quam ille pro indicio victoriæ acceptam Legionibus in signum dedit. Ea deinde ad rapiendum Ganymedem sibi pocula ministraturum usus est. Virgilius *lib.* V. *Æneid.*

Intextusque puer frondosa regius Ida, &c.
——————— *Quem præpes ab Ida*
Sublimem pedibus rapuit Jovis armiger uncis.

TABULA V.

Lucerna Vestæ.

EXhibetur Lucerna Vestæ dicata pariter ut præcedens pensilis e tribus catenis, habens in anteriori parte duplex foramen in apice duplicis cujusdam tubuli ellychniis corruscantibus positum, in centro vero aliud majus ad excipiendum oleum constructum: in posteriori parte templum rotundum duarum columnarum, in cujus medio Vestæ stantis simulacrum altera manu pateram, altera tædam ardentem, cui bulla ante pectus dependet: ad ejus pedes stant duo Leones supra Lucernam in utroque majoris foraminis latere positi. Vesta sumitur aliquando pro igne, teste Ovidio.



TAB. VII
TAB. VI.
Apud I.P.
TAB. VIII

Nec tu aliud Vestam, quam vivam intellige flammam.

Unde in nummo Vespasiani repræsentatur hæc Dea stans sinistra sceptrum tenens, dextra lampadem ignis symbolum. Ignis perpetuus huic Deæ consecratus erat, cujus rei rationem reddit Phornutus. *Ignis autem perpetuus*, inquit, *Vestæ dicatus est, quod videatur plurimis & ipsam esse ens: nimirum ignis iste perpetuus Vestæ consecratus ostendit ipsam esse causam ejus ignis, qui in mundo est, quasi ejus vi exortus sit. Est & alia causa perpetui ignis, nempe quod terra fœcunda mater sit animalium omnium, & suam vitam ab igne habeat.* Exhibetur autem in templo rotundo huic simili, quod Numam sacro igni asservando extruxisse ferunt, indicante non effigiem terræ, quasi ea Vesta sit, sed universi mundi, in cujus medio Pythagorei sedem ignis locant, eamque Vestam nominant, & unitatem. Auctor est Plutarchus in *Numa*. Eandem etiam creditam esse cum terra docet Arnobius *lib.* III. *adv Genc. Terram nonnulli Vestam pronuntiant, quod in medio stet sola, cæteris ejus partibus in mobilitate perpetua constitutis.* Hac enim de causa Leones ejus simulacro subjiciuntur, quod ferox illud animal terram habitet, ab eaque nutriatur. Sacer quoque habebatur Leo Magnæ Deum Matri, quæ colebatur sub nomine Cybeles, & Vestæ. unde & Vesta, & Mater vocata est. Hujus rei varia monumenta apparent in numismatibus antiquis, sed maxime in rarissimo æreo primi moduli nummo habente in antica parte caput Juliæ Sept. Severi uxoris, cum hac epigraphe, JULIA AUGUSTA, in aversa vero quatuor, vel sex figuras muliebres sacrificantes coram Templo rotundo quatuor columnis suffulto cum inscriptione, VESTA MATER. In aliis numismatibus visitur eadem Dea Leonibus vecta, vel sedens inter duos Leones cum epigraphe, MATRI DEUM, MATRI MAGNÆ. De bulla collo appensa diximus *Tom.* V. *pag.* 783.

TABULA VI.

Lucerna Gryphi Soli D.

HÆC Lucerna Soli dicata pensilis quoque, & bilychnis est: in centro quinque exigua foramina inter duos circulos conspiciuntur fomiti recipiendo destinata; in postica parte stat Gryphus inter duas columnas ornamento quodam impositus, anteriori pede dextro rotam volvens. Gryphus symbolum est Solis, rota, quam volvit, indicat procreationem rerum omnium provenire ex continuo motu, & circuitu currus solaris: duabus columnis innuuntur duo tropici Solis cursum ab utraque Zodiaci parte terminantes, sive potentia Solis ab ortu ad occasum; forsan illæ ad æquinoctia, & solstitia referuntur. Scribit Ælianus *lib.* IV. *de Animal.* cap. XXVII. Gryphum animal Indicum quadrupedem ut Leonem esse, robustissimis existere unguibus Leonum similibus, dorsum ejus pennis nigris indui, anteriorem corporis partem rubris, alas candidis; ore Aquilino esse, oculis igneis, nidosque in montibus facere. Bactri populi Indis finitimi Gryphos illic auri custodes esse, aurumque effodere, simulque eo ipso nidos construere dicunt. Indi vero eos auri custodes esse negant, siquidem auri minime egent, sed cum ad illud colligendum homines accesserunt, hos de pullis suis valde timentes pro eis pugnare. Certant etiam cum aliis animalibus, quæ facillime vincunt, at contra Leones & Elephantos stare non audent. Fertur etiam, teste Plinio *lib.* VII. cap. I. Arimaspos uno oculo in media fronte insignes cum Gryphis bellum assidue ob metalla gerere, Gryphosque aurum e terræ visceribus eruere & custodire, Arimaspos autem rapere, quæ omnia fabulosa esse reor cum Herodoto in *Thal.* cujus verba hic refero. Πρὸς δὲ ἄρκτε τῆς Εὐρώπης πολλῷ τι πλεῖστος χρυσὸς φαίνεται ἐών. ὅκως μὲν γινόμενος, οὐκ ἔχω οὐδὲ τοῦτο ἀτρεκέως εἶπαι. λέγεται δὲ ὑπὲρ τῶν γρυπῶν ἁρπάζειν Ἀριμασποὺς, ἄνδρας μουνοφθάλμους, πείθομαι δὲ οὐδὲ τοῦτο, ὅκως μουνόφθαλμοι ἄνδρες φύονται, φύσιν ἔχοντες τὴν ἄλλην ὁμοίην τοῖσι ἄλλοισι ἀνθρώποισι. *Cæterum ad Septemtrionem Europæ quamplurimam vim auri esse constat: sed quomodo fiat, ne hoc quidem pro comperto dicere queo. Dicuntur autem id a Gryphibus auferre Arimaspi viri unoculi, quod nec ipsum crediderim, ut viri nascantur unoculi, cæteram naturam habentes aliis hominibus parem.*

TABULA VII.

Lucerna Ledæ.

HÆC Lucerna Ledæ dicata oblonga est adinstar naviculæ; in utraque extremitate foramen habet flammigero ellychnio assignatum; in medio majus inspicitur oleo excipiendo præparatum: hæc inter foramina duæ sunt ansulæ perforatæ, capita & colla Cygnorum referentes, per quas trajecta fila duo ferrea in modum catenarum Lucernam in altum pensilem detinent, desinuntque inserta in annulum, ex quo aliud simile filum pendet Ledæ caput in medio appensum regens. Jupiter in Cygnum conversus Leda Tyndari Laconiæ Regis uxore potitus est, quæ duo deinde ova peperit, ex quorum uno Pollux, & Helena, ex altero Castor, & Clytemnæstra orti finguntur. De hoc congressu meminit Ovidius *lib.* VI. *Metam.*

Fecit olorinis Ledam recubare sub alis.

Sic Helena apud eundem Poetam in *epistola ad Paridem*.

Dat mihi Leda Jovem Cygno decepta parentem.

Leda post deificationem dicta est Dea Nemesis.

TABULA VIII.

Lucerna Palladis Victricis.

PRodit Lucerna Palladi Victrici dicata, pensilis, & bilychnis, habens in centro foramen intra plures circulos fomitem bibens: in postica parte templum rotundum duabus columnis suffultum, in cujus medio Pallas, seu Minerva galeata, & togata, Gorgonam gestans pectori affixam, dextra ramum olivæ. Tres catenæ, quæ pensilem detinent Lucernam, pendent e lamina, cui incisa sunt hæc verba, PALLADI VICTRICI. Similem Lucernam *lib.* VI. *de reconditis antiquorum Lucernis* cap. XLVII. exhibuit Fortunius Licetus cum eadem inscriptione, & imaguncula, sed absque Gorgona, gladioque vice oleæ in manu Palladis dato. Hæc Dea in contentione cum Neptuno, uter eorum Cecropiam de suo nomine appellaret, oleam produxit; Neptunus vero terra tridente percussa Equum. Placuit magis Minervæ olea pacem designans, quam Equus omen belli, unde Minerva victrix evasit, Cecropiamque de suo nomine Athenas vocavit. Scribit Pausanias in *Attic.* oleam hanc incensa a Persis urbe conflagrasse, eodemque die in duorum cubitorum altitudinem germinasse, quod ab Herodoto in *Urania* confirmatur. Ætate vero Plinii fama erat eam adhuc Athenis durare, teste eodem Plinio *lib.* XVII. capit. XLIV. Minervam oleæ inventricem canit Virgilius *lib.* I. *Georgic.*

TABULA IX.

Lucerna Equi Neptuno D.

VIctricem Minervæ oleam sequitur Equus Neptuni, e cujus medio pectore prominet veluti tubulus habens in apice foramen papyro ardenti assignatum, nullum autem apparet fomiti suscipiendo distinctum, ex quo conjectare licet hanc Lucernam semel impletam, & accensam, novique fomitis adjectu minime indigentem perpetua flamma exarsisse. Lucernæ inextinguibiles tum ad tempus, tum perpetuæ fiebant. De priorum numero fuit illa aurea Minervæ dicata, de qua Pausanias in *Attic.* quæ licet per dies, noctesque arderet, oleum tamen in ea infusum nisi exacto anno minime consumebatur. De perpetuo ardentibus multi scripsere, quorum auctoritates, relatasque historias magno studio compilavit Fortunius Licetus, unde pauca de illa perenni flamma hic attexam. Narrat Porphyrius *lib.* II. *de Abstin.* ignem immortalem in Templis conservari solitum, quippe qui Diis simillimus sit. Strabo de Munychia urbe Atheniensium ad Piræum sita tractando templum Minervæ recenset, in quo lucis inextinctæ lychnus erat. Refert Plutarchus in *Camillo* Virgines Vestales, quæ perpetuo igni custodiendo præpositæ erant, Urbe a Gallis capta in Capitolium fugisse, sacrumque ignem ibi secum asportasse, quod tam faciliter, & cito facere nequivissent, si in aliquo rogo ignis iste arsisset, non autem in Lucerna huic simili, quam in manu Vestæ exhibet nummus argenteus Vespasiani. D. Augustinus etiam *lib.* XXI. *de Civ. Dei* cap. VI. de quodam Veneris fano loquitur, ubi candelabrum erat, & in eo Lucerna sub dio sic ardens, ut eam nulla tempestas, nullusve imber posset extinguere; unde sicut ille lapis, ita ista λύχνος ἄσβεστος, id est, *Lucerna inextinguibilis* dicta est. Subjungit deinde vir sanctus. *Aut ergo in Lucerna illa mechanicum aliquid de lapide asbesto ars humana molita est, aut arte magica factum est.* At illas naturaliter fieri luculentum testem habemus virum præclarissimum vitæque sanctitate conspicuum Cassiodorum, qui similes Lucernas se fecisse scribit in *lib. de Instit. divin. scriptur.* cap. XXX. *Paravimus etiam nocturnis vigiliis mechanicas Lucernas conservatrices illuminantium flammarum, ipsas sibi nutrientes incendium; quæ, humano ministerio cessante, prolixe custodiant uberrimi luminis abundantissimam claritatem: ubi olei pinguedo non deficit, quamvis flammis ardentibus jugiter torreatur.* Hæ perennes Lucernæ oleo asbestino replebantur, quod erat incombustibile, nomenque ex argumento naturæ obtinuit. Lapis iste ferrei coloris nascitur in Arcadia, semelque accensus extingui nequit: sic telam ex carbasino lino, asbestove, vel amianto lapide contextam, in qua cadavera Magnatum antiquitus cremabantur, flammis invictam fuisse constat; cujus mirabilis telæ, ut & asbestini lapidis rarissimæ asservantur reliquiæ in celeberrimo Museo Eminentissimi Cardinalis Chigii. Plura vide apud D. Augustinum *lib.* XXI. *de Civit. Dei* cap. V. Plinium *l.* XIX. cap. I. & *l.* XXXVII. cap. X. Solinum cap. XIII. Nos ad Lucernam nostram redeamus. Neptunus a Græcis Hippius dictus est, a Latinis Equestris, & Consus, cui Romulus solemnes paravit ludos Consualia vocatos, teste Livio *l.* I. Ædem, & aras Neptuno Equestri dicatas memorat Pausanias in *Arcad.* in *Attic.* & in *El. pr.* Ab illo Equos primum domitos, scientiamque equestris rei traditam narrat Diodorus *lib.* V.

TAB. XII
Apud Abbatem [illegible]

TAB. XI
Apud P. A. Rolandum Magnenum

TAB. XIII.

TAB. X.
Apud P. A. Rolandum Magnenum

In Museo L. P. Bellorii.

TABULA X. XI.

Lucernæ Silenorum.

HÆ duæ Lucernæ capita humana referentes Silenos haud dubie repræſentant: primus barbam habet vitium frondibus contextam, ſuperioremque naſi partem, ſive frontem, & malas iiſdem obductas; alter hedera coronatus eſt. Os utriuſque apertum amplum exhibet foramen, ex quo ellychnii ligula exerebatur, habet etiam uterque in fronte foramen operculo clauſum, oleo excipiendo paratum. Tam vitis, quam hedera fuit Libero Patri ſacra; iſta quidem, quia, ut ille ſemper juvenis, hæc ſemper viret; illa vero, quod ipſe vitium feratur inventor. Tibullus *lib.* III. *el.* VI.

Candide Liber ades, ſic ſit tibi myſtica vitis
Sic hedera ſemper tempora vincta feras.

Bacchæ autem, & Satyri, & Panes, & Sileni erant ejus comites, teſte Suida. *Βάκχαι καὶ Σατύροι καὶ Πᾶνες καὶ Σιληνοὶ ὀπαδοὶ Διόνυσυ.* Frequens occurrit Silenorum effigies in Lucernis, quia comeſſationes a priſcis noctu ad lumen Lucernarum fiebant, ut docet Plutarchus *Sympoſiac. lib.* VIII. cap. VI. referens antiquitus Romanos ſeorſim prandere ſolitos, cænare cum amicis. At Silenus ſymbolum eſt ebrietatis, quæ ab illis incurrebatur in cæna. Priorem hanc Lucernam protulit Fortunius Licetus *lib.* VI. c. LXXV. pampinis in acanthi frondes commutatis errore forſan male delineatæ iconis ſibi tranſmiſſæ.

TABULA XII.

Lucerna Columbæ Veneri D.

HÆC Lucerna in effigiem Columbæ efformata penſilis ex duabus catenis, & unilychnis eſt, duplex foramen habet, unum in extremitate caudæ flammulæ datum, alterum in ſummitate dorſi clauſum operculo, in quod oleum infundebatur. In tutelam Veneris ponuntur Columbæ ea de cauſa, teſte Fulgentio *lib.* II. *Mythol.* quod hujus generis aves ſint in coitu fervidæ. Illas Venereo currui alligarunt Poetæ; eaſdem Virgilius aves Æneæ maternas vocat *lib.* VI. *Æneid.*

Vix ea fatus erat, geminæ cum forte Columbæ
Ipſa ſub ora viri cœlo venere volantes,
Et viridi ſedere ſolo, tum maximus heros
Maternas agnoſcit aves.

Syri putabant nefas eſſe Columbas violare, quod in tutelam Veneris eſſent, credebantque Semiramin in hanc avem eſſe converſam; Semiramis enim, lingua Syriaca, avem ſignificat: alii eam ab avibus adhuc infantem nutritam dicunt, eaque de cauſa Semiramin vocatam. Hyginus *Fab.* CXCVII. *Syri piſces, & Columbas ex Deorum numero habent, non edunt.*

TABULA XIII.

Lucerna Dianæ Epheſiæ D.

VOtivam hanc Lucernam Dianæ Epheſiæ a quodam Eutyche Alexandro Miletopolitarum Stratego dicatam in ſymbolica hujus Deæ ſtatua cum utroque hoc nummo exhibuit Joannes Petrus Bellorius. Apex manubrii recurvus falcatæ Lunæ imaginem refert cum hac epigraphe, ΑΡΤΕΜΙΣ. ΕΦΕCΙΩΝ. ΕΥΤΥΧΟΥC. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. ΜΕΙΛΗΤΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. DIANA EPHESIORUM EUTHYCHIS ALEXANDRI MILETOPOLITARUM. Hujus Miletopolitarum Strategi nomen legitur in averſa parte nummi ærei Commodi ab Eritio vulgati Mercurium repræſentantis ſaxo inſidentem, dextra caduceum geſtantem cum epigraphe, ΕΥΤΥΧΟΥC. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. ΜΕΙΛΗΤΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. primis litteris ΕΠΙ. CΤ. ærugine ſine dubio corroſis. Alter ejuſdem urbis nummus, quem vir præclari nominis & inſignis doctrinæ Eques Carolus Patinus edidit, in honorem Gordiani Pii a Miletopolitis ſub quodam Marco Trajano Aurelio Hermete cuſus, Dianam venatricem exhibet in averſa parte cum inſcriptione, ΕΠΙ. Μ. ΤΡ. ΑΥΡ. ΕΡΜΟΥ. ΜΕΙΛΗΤΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. De Miletopoli Græciæ oppido inter Cyzicum, & Bithyniam circa Rhyndacum fluvium conſule Stephanum, Strabonem, & Plinium. Hæc fere omnia de votiva Dianæ Epheſiæ Lucerna ex Jo. Petro Bellorio loco citato.

TABULA XIV. XV.

Lucernæ imagines Equitum referentes.

UTraque hæc Lucerna insolitæ, & spectabilis facturæ votum procul dubio referens hominem repræsentat equo insidentem. In priori, quæ pensilis est, e medio equi pectore tubulus quidam prominet in apice foramen habens ellychnio coruscanti datum; figura intus vacua est humeris ad recipiendum fomitem perforatis. In altera Eques ipse Lucernulam in altum levatam manu tenet; ab utraque parte vas positum est Aquilis in eo sculptis insigne, operculum habens capitibus ornatum; basis quatuor tigrinis pedibus fulcitur. Hæc imago a figura equestri Marci Aurelii in area Capitolina collocata non multum differt tum propter gestum, tum etiam propter quamdam vultus similitudinem: votum forte istius Imperatoris est Jovi Capitolino factum ob partam de Germanis, & Sarmatis victoriam, capitaque in operculo sculpta sunt illa populorum devictorum, quiddam enim barbarum referunt. Hæc Lucerna caret foramine suscipiendo fomiti constituto, unde & illam inextinguibilem fuisse autumo, novique liquoris adjectu minime indigentem.


EXPOSITIO ANTIQUÆ PICTURÆ BARBERINÆ.

ELegans hæc antiqua pictura in nobilissimis ædibus Barberinis asservata jampridem ab erud viro Jo. Petro Bellorio in libro, quem *De fragmentis vestigii veteris Romæ ex lapidibus Farnesianis* edidit, vulgata est. Sed quoniam de illa ne minimum quidem verbum protulit, utpote ornamenti tantum causa in illo opere posita; nos breviter aliquid de illius expositione hic delibare proposuimus. Sedet Roma Gentium Domina, galeata, gemmato monili ornata, talari stola obtecta, chlamyde seu peplo in extrema limbi ora depicto induta, pallio superimposito: dextra sceptrum tenet potentiæ symbolum, læva unionibus exornata Victoriolam altera manu globum, altera Vexillum, in quo S. P. Q. R. Quæ aliæ Victoriolæ ejus humeris impositæ sunt; ex utraque Sellæ parte duo Cygni, totidemque imagunculæ Castorem, & Pollucem haud dubie repræsentantes. In parte dextra clypeus topiaria effigie descriptus. Castor, & Pollux fratres gemini, Jovis in Cygnum transformati ex Leda Tyndari Laconiæ regis uxore filii, tutelaria Romanorum numina crediti fuere, quibus ædem A. Postumius Dictator bello Latino vovit, extruxitque anno U. C. CCLVII. tali de causa. Cum Tarquinius ex Urbe ejectus ad Octavium Mamilium Tusculanorum Ducem generum suum confugisset; amboque Latio concitato apud lacum Regillum cum A. Postumio Dictatore magnis viribus confligerent; victoria nutante duo primæ lanuginis juvenes, Castor & Pollux, Romanorum partium propugnatores, Romanum equitatum candidis equis præcedentes, Latinas copias penitus fuderunt. Finito prælio ipsimet adolescentes equis sudore madentibus insidentes in Romano foro apparuerunt, ubi multis eos circumdantibus, rogantibusque, ecquid novi ab exercitu afferrent, pugnam, & victoriam indicavere, foroque egressi numquam postea comparuerunt, licet per totam Urbem valde quæsiti, ut dignis muneribus honorarentur. Senatus deinde litteris A. Postumii certior factus eos in prælio visos fuisse, verisimili conjectura fratres Dioscuros saluti Reipublicæ invigilantes credidit, templumque illis in foro Romano, ubi eorum imagines apparuerunt, construi decrevit. Eosdem narrat Valerius Maximus *lib.* I. C. VIII. P. Vatinio, Reatinæ Præfecturæ viro, Urbem noctu petenti obvios se præbuisse, Persenque Regem a Paullo die, qui præterierat, captum nuntiavisse. Qui plura de illis volet, adeat Livium *l.* I. Dionysium *l.* I. *Rom. Antiq.* Plin. *de Viris Illustribus*, & Plutarchum in *Coriolano*.

FINIS.

TAB. XIV.

In Museo nostro.



TAB. XV.



In Thesauro Barberino.

TAB I.
In Thesauro Barberino.



TAB. II.
In Thesauro Barberino





TAB III
Ex Achate in Thesauro Barberino

OCTAVII FERRARII

DISSERTATIO

DE

VETERUM

LUCERNIS

SEPULCHRALIBUS.

OCTAVII FERRARII
DISSERTATIO
DE
VETERUM
LUCERNIS
SEPULCHRALIBUS.



RÆTER promiscuum luminum, ac Lucernarum usum depellendis tenebris & collustrandæ nocti, olim in sacrificiis, supplicationibus, diebus Festis, Nuptiis, Funeribus, ac Sepulchris, lumina ac faces adhibitas satis constat, & viri eruditione præstantes docuerunt.

Varro apud Macrobium *Saturn.* I. memorat, Pelasgos, quum sedibus suis pulsi diversas terras pererrassent, confluxisse Dodonam, & incertos quibus hærerent locis, inter cætera hujusmodi ab Oraculo responsum accepisse:

Καὶ κεφαλὰς ἅδῃ, καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε φῶτα.

Itaque cum Latium post errores plurimos appulissent, in lacu Catuliensi enatam Insulam deprehendisse, erectisque Diti Sacello, & Saturno ara, humanis capitibus Plutonem, & virorum victimis Saturnum placare instituisse, impie, ac scelester, Oraculi Sortem interpretatos. Postea Hercules cum Geryonis pecore per Italiam revertens, ut infandum ritum aboleret, eorum posteros hortatus est, ut benignius Oraculum interpretarentur, & faustis sacrificiis infanda mutarent: inferentes Plutoni, non hominum Capita, sed Oscilla, ad humani oris effigiem simulata: & aras Saturnias, non mactando viros, sed accensis luminibus excolentes: quia φῶς, tam *hominem*, quam *lumen* significet: atque inde morem ortum, in sacrificiis lumina, & cereos accendendi.

Veteres item Ethnici in supplicationibus, accensis facibus, longa pompa Deorum templa adire consueverunt. Cujus instituti rationem ab Cerere deduxerunt, quæ raptam Proserpinam, accensis in Ætnæ montis vertice tædis quærens, Inferna loca peragravit. Qui ritus magna pars sacrorum Eleusiniorum fuit: quæ licet omnium mysteriorum occultissima, summo silentio tegerentur, illud tamen inter cætera emanavit, in iis, & gestatas præcipue, & jactatas faces fuisse. Psyche apud Apulejum sic Cererem propitiat. *Per ego te frugiferam istam dextram deprecor: per currum rapacem, & terram tenacem, & illuminarum Proserpinæ nuptiarum demeacula, & luminosarum filiæ inventionum remeacula.* Quo loco videmus prius supplicationem minime accensis facibus peractam, eaque vocat, *illuminarum nuptiarum demeacula*, id est, processum: in reditu vero, ob inventæ filiæ gaudium, faces ardentes prælatas, quod *luminosarum inventionum remeacula*, appellat. Seneca *de Beata Vita: Cum aliquis per viam genibus repens, ululat, laurumque linteatus senex, & medio lucernam die proferens.*

Quod autem Deorum etiam simulachris cerei accenderentur, discimus ex Ammiano Marcellino *lib.* XXII. Quum Phanum Apollinis Daphnæi celeberrimum conflagrasse narrat; suspicionemque injectam Juliano Cæsari, quasi id fraude Christianorum contigisset. Sed famam fuisse, inde ortum incendium, quod Asclepiades Philosophus, quum visendi Juliani gratia peregre ad id suburbanum venisset, Deæ Cælestis argenteum breve figmentum, quocunque ibat, secum solitus ferre, ante pedes statuerit simulachri, accensisque cereis ex usu, cessisse, unde media nocte volitantes scintillas adhæsisse materiis vetustissimis, ac totum templum concremasse.

Præcipuus tamen luminum, ac Lucernarum usus, diebus festis, ac solemnibus fuit, omnique lætitiæ apparatu, ut vir summus Lipsius in *Electis* docuit. Suetonius tradit Cæsarem post triumphum ascendisse Capitolium ad lumina, XL. Elephantis dextra, atque sinistra lychnos gestantibus. Sive juvenes vecti elephantis lychnos prætulerint: sive juvenum simulachra, ut vult Torrentius: sive ipse elephanti servorum lampades præferentium locum tenuere, ut ex Dione Casaubonus colligit. Quoties ergo publica lætitia, aut privata incesserat, etiam medio die lucernas janius, ac fenestris suspendebant, quod nos ex simili causa per noctem facimus. Tertullianus in *Apolog. Cur die læto laureis postes non adumbramus, nec lucernis diem infringimus? Honesta res est, solemnitate publica exigente, inducere domui tuæ habitum alicujus novi lupanaris?* Et infra. *Quam recentissimis, & ramosissimis laureis postes præstruebant: quam elatissimis, & clarissimis Lucernis vestibula enubilabant.* Expresse Juvenalis *Sat.* XII.

Cuncta nitent: longos erexit janua ramos,
Et matutinis operitur festa lucernis.

Item Apulejus. *Domus tota laureis obsita, tædis lucida strepebat hymenæum.* Ideo autem Tertull: quum describit lucernas, lætitiæ causa appensas, subjicit. *Honesta res est, inducere domui tuæ habitum alicujus novi lupanaris?* Idemque *ad Uxorem: Procedit de janua laureata, & lucernata, ut de nova Consistorio libidinum publicarum.* Eo, inquam, quod lucernæ, ad lenonias ædes, & lupanaria appenderentur: quia ferme inclinato ad vesperam die, aut nocte meretrices prostarent. Juvenalis de Messalina e fædo illo loco redeunte in Regiam, *Sat.* VI.

Obscurisque genis turpis, fumoque lucernæ
Fæda lupanaris tulit ad pulvinar odorem.

Et Horatius *Serm.* lib. II. Sat. VII.

—— *Sub clara nuda lucerna.*

In sacris igitur, supplicationibus, & publico gaudio apud Ethnicos frequens luminum, lampadum, ac lucernarum usus. Parum tamen re-

cte, ac pie fecerunt, qui hinc ad Christianos morem fluxisse tradiderunt, lucernas ac faces in templis ac supplicationibus accendendi. Cum potius a Judæis ritus iste petendus fuerit. Quos de more deridet Persius *Sat.* V.

—— At cum
Herodis venere dies, unctæque fenestris
Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernæ.

Et de iisdem puto intellexisse Senecam *Epist.* XCVI. *Accendere aliquem lucernas Sabbatis prohibeamus quoniam nec lumine Dii egent, & ne homines quidem delectantur fuligine.* Hodie etiam in Deiparæ honorem lucernæ Sabbatis accenduntur. A Judæis igitur mos iste profluxit. Nam ut omittamus Candelabrum aureum, septem infusoria habens, testatur Josephus, quum servaretur stola Pontificia in turri, cui nomen erat Antonia, ibi quotidie lucernam ardere solitam.

Et initio quidem apud Christianos credimus, quum metu Gentilium sacra in locis subterraneis, cryptisque haberentur: quumque etiam reddita Ecclesiæ pace, templa ita ædificarentur, ut non multum luminis acciperent, ad sacrum quendam horrorem, ac venerationem inducendam, necessario pellendis tenebris lampades, ac faces adhibitas. Postea ad pium religionis cultum amplificandum, lætitiæque, ac solemnitatis causa admota aris lumina, & gestatas in supplicationibus faces. Nam ut observat Baronius, quum Ecclesiæ primordio fuerit ordo Ceroferariorum clericorum, qui & Acolythi dicebantur, quorum munus erat, ad sacrorum mysteriorum pompam ferre accensos cereos: quumque eadem Sacra, licet aliquando nocte, ut in Pervigiliis, unde & Missarum vespertinarum mentio, etiam interdiu peragerentur, apparet etiam clare luce adhibita in templis lumina, ad cultus celebritatem illustrandam. Id in Oriente fieri consuevisse docet Hieronymus *contra Vigilantium*, qui ista Catholicis, tanquam Ethnicæ superstitionis reliquias objectabat. *Per totas*, inquit, *Orientis Ecclesias, quando legendum est Evangelium, accendunt luminaria, jam sole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum.*

Quæ sequuntur apud Hieronymum, aliquam difficultatem habere videntur. Subjicit enim. *Cereos autem non clara luce accendimus, sicut frustra calumniaris, sed ut noctis tenebras hoc solatio temperemus. Quod si aliqui propter imperitiam, & simplicitatem sæcularium hominum, vel certe religiosarum fœminarum, hoc pro honore Martyrum faciunt, quid inde perdis?* Verum ut idem Baronius adnotavit, non negat Hieronymus cereos accendi solitos, sed eos reprehendit, qui ideo ad Martyrum tumulos accendebant, quod crederent eos in tenebris sepulchri, lumine indigere. Ideo autem Vigilantius hoc tanquam Ethnicam superstitionem arguebat, quod illi ad mortuorum tumulos lumine accendebant. Athenæus *lib.* III. *Mensem Februarium sic vocatum a Romanis Juba tradit, ob sacra quibus Manes placabantur, & vita functis inferiæ, multis diebus dabantur. Eo mense quidam, Græcæ orationis ineptias affectans, cuidam amico dixit, jamdiu me non vidisti propter καύματα.* Hoc est, diu me non vidisti propter æstus: & tamen hiemis rigor maximus est. Romani Februarium a februando vocarunt: quod eo mense per XII. dies populus februaretur, id est, lustraretur, sive purgaretur. Quibus diebus pro impetranda quiete mortuorum, populus circa sepulchra, piaculis, & sacrificiis Manes placabat, aereis & facibus circa tumulos accensis. Quia igitur Καίειν, & *urere* significat, & *accendere*, & mense Februario ad sepulchra accendebantur cerei, & immolatæ hostiæ urebantur, ineptus ille dixit, se non visum esse, ob καύματα Februarii, quasi illa multitudo cereorum æstum induceret, propter verbi, ut diximus, ambiguitatem, etsi Casaubonus allusum credit, quod etiam frigus urat corpora.

Sed etiam Suetonius *Augusto* cap. XCVIII. *Hujus Masgabæ ante annum defuncti tumulum, quum ex triclinio animadvertisset, magna turba, multisque luminibus frequentari, versum compositum ex tempore clare pronunciavit,*

Κτίστου δὲ τύμβον εἰσορῶ πυρούμενον.

Item:

Ὁρᾷς φάεσσι Μασγάβαν τιμώμενον;

Cæterum sive a Judæis, quod est verisimilius, mos accendendi lumina in templis deductus sit, sive etiam ab Ethnicis non multum interest. Præclare enim Baronius. *Quis prohibet*, inquit, *prophana per verbum Dei sanctificata in sacrum transferri usum? Nonne constat, ex Ægyptiorum auro, & argento, Dei jussu sacra vasa, ad divinum cultum esse conflata? Multa quidem ex Ethnicorum superstitione in Christianam religionem laudabiliter translata alias docuimus. Ita nemo calumnietur, si quæ olim lucernæ Idolis, ut ait Hieronymus, eodem modo Martyribus offerantur. Si quæ lucernæ Sabbato accendebantur, nunc in templis accendantur: non quod ut ait Seneca Dii egeant lumine, sed honoris, & pietatis causa, si cerei, qui in Saturnalibus erogabantur, in occursum Domini, & Deiparæ solemnitatem translati sint. Insolitas enim apud Ethnicos consuetudines, a quibus quamvis Christiani effecti penitus divelli non poterant, in veri Dei cultum transferri viri sanctissimi, atque Episcopi religiosissimi concesserunt.* Hactenus ille.

Sed ut in viam redeamus, faces in Nuptiis adhibitas, nemo ignorat. Virgilius *Ecl.* VIII.

Mopse novas incide faces, tibi ducitur Uxor.

Ubi Servius, *Quæ solent*, inquit, *nubentes puellas præire.* Notatque ex Varrone, ideo novis nuptis faces prælatas, quod antea, nonnisi nocte domum ducebantur a maritis. Easque faces, sive spineæ fuerint, sive pineæ (nam Grammatici delitigant) quinque prælatas fuisse scribit Plutarchus in *Caussis*, & quidem a pueris patrimis, & matrimis.

Ultimo loco faces funerum fuerunt, & sepulchrorum lucernæ. Isidorus funus dictum vult a funibus accensis, quos ante pheretrum papyro circumdatos ferebant, quod a Plinio accepit *lib.* VI. *c.* XXXVIII. Donatus ideo gestatus in funeribus faces existimat, quod noctu cadavera efferrentur. Quumque tam in nuptiis, quam in funere faces adhiberentur, huc sæpe Scriptores allusere. D. Ambrosius *de Virtutibus*: *Vel cum accensis funalibus nox ducitur, nonne pompæ funebris exequias magis putatur, quam thalamum præparari?* Et illud.

Viximus insignes inter utramque facem.

Cæterum in promiscuis funeribus faces, & candelas adhibitas, pueros autem acerbis, atque immaturis exequiis ad cereos elatos, notavit Lipsius in *Electis*.

Hæc satis nota, & pervulgata sunt: illud maxime controversum, & accurata disquisitione dignum, *de Veterum Lucernis sepulchralibus*. Nam hæc monumentorum lumina perpetuo arsisse, æternumque fulgorem (si quid in rebus humanis æternum esse potest) luce cassis fænerasse, non pauci, iique doctrinæ opinione celebres pronunciare non dubitant. Quos recenset, & sequitur Fortunius Licetus vastæ molis *Commentario* huic operi dicato.

Et Pancirolus quidem, in Libro *de Rebus Deperditis*, scribit, a Veteribus præparatum oleum incombustibile, quod nunquam consumeretur, idque ætate sua visum fuisse, inventa scilicet sepultura Tulliolæ Ciceronis filiæ, in qua lucerna

fuerit etiam tum ardens, sed admisso aere extinctam: arsisse autem eam annos ferme MDL.

Ad quod confirmandum affert Licetus ex Pausania in *Atticis* auream Lucernam, quæ Athenis in templo Minervæ annum integrum ardebat. *Lucerna*, inquit, *opus Callimachi fuit, in qua oleum infusum non consumitur, nisi exacto demum anno, quum tamen lucerna dies, noctesque ardeat. Id ideo evenit, quod Lucernæ inest funiculus e lino Carpasio, quod sane linum, unum ex omnibus igne non conficitur*. Ubi Pausanias eam luminis perpetuitatem non oleo, sed elychnio tribuit. Rem auget Strabo *l.* IX. qui ait λύχνον ἄσβεστον fuisse, *quod extingui non poterat*.

Adjicit Licetus, Lucernam Jovis Ammonis, de qua Plutarchus Lib. *de Def. Oraculorum*. Eam nempe perpetuo ardentem fuisse, traditumque a Sacerdotibus, posteriore quovis anno minus olei in ea absumi, quam præcedente. Ad hæc lucernam in templo Veneris sub dio ita ardentem, ut eam nulla ventorum vis, aut inimicus imber extingueret. Quam D. Augustinus *de Civitate* lib. XXI. *cap.* VI. existimant, aut aliquo mechanico ex lapide asbesto conflatam, aut magica vi, & ope dæmonum constructam.

Non minus miraculum affertur ex Cedreno, de Lucerna, imperante Justiniano, Edessæ cum Christi imagine reperta: quæ quidem statim a Christi morte, supra portam quandam fuerit abdita, & quingentorum annorum decursu, luce inextincta. Imo ex ea lampade oleum in ignem conjectum, universas Cosroe Regis Persarum Christianis infensi copias delevisse.

Etiam Lucernæ Ferentillæ in agro Viterbiensi repertæ advocantur: de quibus Ruscellius in Libro *de Clarorum Virorum Insignibus* tradit, alias in quibusdam arculis, alias intra parietem abditas fuisse repertas, quæ in aere aperto per aliquot horas accensæ perdurarint: quod magis mirum est: quum aliæ immisso aere cum flamma spiritum exhalaverint.

Sed in quo Lucernarii prope delicias faciunt, est narratio de Lucerna Olybii Maximi Patavini reperta prope Ateste Municipium, quam retulit Scardeonius *Lib.* I. *Classe* III. *Cap. ult.* Eam nos ad verbum Disputationi huic inseremus, quia plane admirabilis est. *Quis*, inquit, *sanæ mentis Maximum Olybium connumerandum hic esse neget, atque inter Patavinos censendum? Quem constat fuisse virum maximæ præstantiæ, & summo ingenio præditum. Quandoquidem tam admirabili arte lucernam concinnaverit. Nam circiter anno* MD. *circa Ateste Municipium Patavinum, dum foderetur a rusticis terra solito altius, reperta est urna fictilis, & in ea altera urnula, in qua erat Lucerna adhuc ardens inter duas ampullas, quarum altera erat aurea, altera vero argentea, purissimo quodam liquore plenas. Cujus virtute lucerna illa per tot annos arsisse creditur, & nisi retecta fuisset perpetuo arsura. In urna majore hi versus legebantur:*

Plutoni sacrum munus ne attingite fures,
Ignotum est vobis hoc, quod in Orbe latet,
Namque elementa gravi clausit digesta labore
Vase sub hoc modico Maximus Olybius.
Adsit fœcundo custos tibi copia cornu,
Ne tanti pretium depereat laticis.

In altera vero urna minore legebantur hæc Carmina

Abite hinc pessimi fures
Vos quid vultis cum vestris oculis emissitiis?
Abite hinc vestro cum Mercurio petasato, caduceatoque:
Donum hoc Maximum Maximus Olybius
Plutoni sacrum facit.

De qua Lucerna legitur Maturantii Perusini Epistola *ad Alphenum*, qui narrat lucernam non fuisse inter duas ampullas, ut Scardeonius, sed duas illas ampullas lucernæ impositas, in quarum altera aurum fuisse, in altera argentum; illud obryzum, hoc primarium, utrumque liquidum, ut ex ramentis cognosci poterat. Creditque fuisse opus Chymicum, seque tam magno antiquitatis thesauro potitum, quem millenis aureis non esset commutaturus.

Ab hoc auctore, vel e Scardeonio petiere narrationem plures, quos non attinet percensere. Nisi quod Jo. Baptista Porta tradit hujusmodi lucernam, per imprudentum manus, rustice profundentium, ruptam fuisse, statimque flammam ejus extinctam. Quum Maturantius affirmet, lucernam illam cum ampullis & urnis penes se integram remansisse.

Idem Porta *de Magia naturali*, prodit in Neside Insula repertam in marmoreo tumulo phialam, in qua lucerna ardere visa sit. Sed quam isti omnium lucernarum celeberrimam, ac principem prædicant, ea fuit, quam Martinus Chronographus retulit, cui & Boccatius, & Philippus Bergomas, & ipse Volateranus assensum præbuerunt. Scilicet sub Henrico III. Imperatore anno MCDI. ab agricola prope Urbem, dum altius terram molitur effossum tumulum, & in eo cadaver tanta proceritate, ut erectum, altæ mænia Romæ excederet. Corpus integrum, tanquam paulo antea conditum, in pectore vulnus latissimum patuisse: juxta caput lucernam adhuc ardentem: quæ nec flatu, nec aquæ injectu, aut alterius rei extingui potuerit, contumaci ad omnia fulgore, ita ut necesse fuerit, lucernæ fundum perforare, qua injuria, divinam illam perpetuam lucem expirasse. Porro cadaver fuisse Pallantis a Turno interfecti, & quidem gigantæum, Martis mænibus superminens: ipsum vulnus tam vastæ corporis moli par, immani hiatu patuisse, ut quatuor pedum longitudinem excederet. Porro sepulchrum his versibus fuisse inscriptum:

Filius Euandri Pallas, quem lancea Turni
Militis occidit, more suo jacet hic.

Alii legunt, *Mole sua jacet hic*. Ita illam lucernam bis mille, & sexcentos annos perennasse, & fortasse usque ad supremum Judicii diem invicto lumine arsuram fuisse, nisi liquor æternitatis fomes, diffracta sede, veluti subsidente alvo profluxisset.

Huic lepidæ narrationi non solum utroque pollice Licetus favet, verum ad eam confirmandam, ignem Trojanum advocat, quem Æneas apud Poetam, Hectoris jussu *æternum penetralibus effert*. Item Lucernam Mycerini Regis apud Herodotum. Ignes in Minervæ Britannicæ templo, qui nunquam in favillam canescerent, sed in globos saxeos verterentur. Fumum ex sepulchro Pionis apud Pausaniam erumpentem. Pyrethiorum ignem inextinguibilem apud Strabonem. Ignem aræ Ditis apud Tarentum: & si Deo placet, lucernam Merlini Magi, apud Areostum. Imo credit Licetus ex hoc genere fuisse æternum ignem Vestæ apud Romanos, ad exemplum ignis in Prytaneo Athenis, & Delphis apud Græcos: contraque Veterum consensum, ignem Vestæ fuisse lucernam, illique similem alterum in Urbe Munychia apud Strabonem.

Hæc omnia usque ad ineptias breviter, sed cum fide retuli, ne quid a me consulto omissum, aut suppressum videatur. Verum enim vero omnes istæ narrationes, quæ novæ hujus opinionis fundus, ac fundamentum sunt, merito mihi suspectæ semper fuerunt, licet eas non ignorem doctorum virorum, quamvis discrepantium testimonio confirmari, Hermolai Barbari, Panciroli,

Maturantii, Scardeonii, Portæ, Vivis, Rufcellii, Libavii, Lazii, Ericii, Majoli, & aliorum, quos fama obfcura recondit. Neque tamen tot teftibus, qui ex eodem fonte biberunt, adduci poffum, ut rem credam, quam neque factam, neque fieri potuiffe oftenfurus fum, fi vos attentos habuero. Gaudeoque in primis eandem dubitationem, ac fufpicionem viris doctiffimis injectam, ut Bonamico, & infignioribus Gymnafii Pifani Profefforibus: nec ita pridem Epifcopo Arefio, tam infulis, quam omni eruditione præcellenti in libro *de Emblematis*, five *Infignibus*, etiam poftquam Arefii fententiam noviffima editione Licetus nequicquam oppugnavit.

Præftat ergo paucas, fed præcipuas narrationes expendere, & ad crifim exigere, nam omnes perfequi infinitum effet, ac putidum. Prima erat de corpore Tulliolæ Ciceronis, quod fub Paulo III. Pont. inventum eft. Illud autem fuiffe Tulliolæ ex Infcriptione arguunt: *Tulliolæ filiæ meæ*: tum ex muliebri cadavere adhuc integro, comis aurato reticulo vinctis, quæ omnia aperto tumulo, folo contactu, in cineres refoluta evanuerunt. Sed & ipfa Infcriptio, & res tota de veritate dubitare nos cogunt. Quis enim in Veterum monumentis, vel mediocriter verfatus, titulum fufpectum non habeat? *Tulliolæ filiæ meæ*. Nam fi eodem fepulchro pater conditus erat, de more infcriptum fuiffet, *M. Tullius Cicero Tulliolæ filiæ*, *Terentiæ uxori*, cætera, quæ paffim occurrunt, illud *meæ* fupervacuum, non enim alterius filia; fed ejus, qui fibi ac familiæ monumentum ponebat. Quod fi erat extra paternum fepulchrum fita, nempe e regione ejufdem, ut ifti volunt, tribus illis verbis nequaquam conftituiffet, a quo effet monumentum pofitum, etiamfi in proximo fuiffet. Sed ifta novitia funt, & inepta, neque ex ejus fæculi elegantia.

Præterea quis nefcit Ciceronis ævo, & multo ante, cadavera cremari folita effe, atque in cinerem redigi, exceptis infantibus, quibus nondum dentes effent enati? Nam licet non fuerit antiqui moris cremare corpora, ut tradit Plinius, tamen ætate Ciceronis id paffim ufurpatum, præter paucas familias, quæ condebantur, nemo negaverit. Cur ergo Tulliola Græco more condita non cremata? Ex quo toto illa narratio de capillis, & reticulo, non fecus ac ipfum cadaver, immiffo die in cineres refolvitur, atque evanefcit. Nimirum ifti, quo plaufibilior fabula effet, eundem demortuæ puellæ, atque eloquentiæ, patriæque parentem effe voluerunt: & quo diutius lucerna viveret, ab ipfis morientis Romanæ libertatis temporibus choragium inftruxere.

Sed fuerit Prifcilla Abafcanti filia, ut quidam, quibus titulus ille merito fufpectus erat, crediderunt: non inventam in ejus fepulchro lucernam Licetus ipfe fatetur. Sed cujufcunque cadaver illud fuerit, nec flammis abfumptum, fed Græco ritu compofitum: per mille, & quingentos annos durafle corpus intactum, nec temporis tabe, quæ minori fpatio ferrum, ac marmora exedit, fine ulla conditura Ægyptia, victum, *credat Judæus apella, non ego*. Multo minus, fi Tulliolæ corpus balfamo, & odoramentis conditum fuit, immiffo aere illico in cineres folvi potuiffe.

Quod magis ad rem noftram pertinet, ut etiam obfervat Arefius, Cælius Rhodiginus, Alexander ab Alexandro, Raphael Volateranus, qui ea tempeftate vixerunt, & Romæ tunc erant, quum inventum fepulchrum memorarent, de Lucerna perpetuo ardente ne verbum quidem fecerunt, rem adeo mirabilem, verius miraculum, haudquaquam diffimulaturi, quum plerumque rebus

A vulgatis, ac frivolis lectorem hiantem detineant Imo Alexander nullam fuiffe Infcriptionem diferte ponit. Ut Panciroli boni fenis merum commentum fuerit, avidius exceptum, infita rerum admirandarum cupiditate, ac fabularum dulcedine, & glifcit utrumque pofteritate. Non minus certe miraculum Lucerna æterni luminis, quam cadaver poft tantum ævi integrum. Quam frigide hoc Licetus excufet, atque elevet, nihil attinet referre, & ferram reciprocare, liber omnibus obvius eft.

Sequitur aurea Lucerna, quæ Athenis in templo Minervæ annum integrum ardebat, cui oleum

B infufum nifi exacto anno confumebatur, ut narrat Paufanias in *Atticis*: caufamque affert, quod haberet funiculum ex lino Carpafio, quod linum ex omnibus minime igne conficiatur. Sicut Paufaniæ fidei minime detractum velim, etfi nequaquam ille fabularum parcus, ita ratio levis admodum, atque infirma videtur. Nam fi ideo durabat annum ea lucerna, quia inerat elychnium e filo Carpafio, cujus natura, ut igne confici non poffit, cur non & aliæ lucernæ omnes eodem filo concinnari non poterant, & eodem, aut majore fpatio ardefcere, & fic oleum lucrifieri, nullaque facræ ejus lucernæ admiratio, vulgata cæterarum

C arte? Deinde quid opus erat oleo, fi cum femel ignis elychnium corripuiffet illud conficere non poterat? Fruftra Licetus hoc exemplum advocat, qui hujufmodi lucernis elychnium omne abjudicat, de quo infra, cum hanc asbeftini lini fententiam expendemus. Deinde fi per annum ardebat, nullo fuffecto alimento, cur non per plures, cum idem elychnium incombuftum, igneque invictum perduraret? Aut ergo fraus illa Sacerdotum fuit, qui miraculi caufa clam oleum affundebant, aut fi dolus abfuit, non valet argumentum ab anni unius fpatio, ad mille, & mille

D quingentos. Certe in miraculi caufa, fallens, aut falfus Paufanias.

Idem dicendum de Lucerna Jovis Ammonis apud Plutarchum, quæ perpetuo ardere dicebatur, nempe eo modo, quo ignis Veftæ Romæ, & Athenis in Prytaneo, qui fubjecto alimento perpetuo ardebat, & aut nunquam, aut raro extinguebatur, æternus inde Scriptoribus dictus. Nam Lucernæ Ammoniæ infufum fuiffe oleum faltem fingulis annis illud declarat, quod eodem Plutarcho tefte, minus olei pofteriore anno abfumebatur, quam præcedente. Quod deprehendi non poterat, nifi quia tanta menfura, puta XX. libræ,

E primo anno adderentur, fecundo fexdecim, igitur quotannis oleum affufum: & cum minus confumeretur pofteriore anno, aliquid priore decrefcebatur, atque ita temporis decurfu totum confici neceffe erat, non igitur æternum.

At Lucerna in templo Veneris fub dio adverfus ignes, ac tempeftates contumaci flamma ardens apud Divum Auguftinum fuerint fane dæmonum artes, ac præftigiæ, quidquid Licetus obtendat, potius, quam mechanicum ex lapide asbefto. Nam fi ea asbefti vis fuiffet, ut de Lucerna Paufaniæ dicebamus, etiam fine alimento arfiffet; etfi eadem alimenti materia in Veneris Lucerna, quæ in fe-

F pulchralibus, fuiffet, ut credi vult Licetus, cur præter illam Pallantis reliquæ omnes aperto fepulchro extinctæ funt, cum illa Veneria ventos, ac tempeftates rideret. Porro Lucerna illa in templo Ebeffæ reperta, non dæmonis, fed Dei miraculum fuit: fi qua Scriptori fides, qui non femel Hiftoriam facram fabulis dehoneftat, eadem confidentia, olei in ignem injectu profligatas univerfas Chofroæ copias prodens.

Sed ingens nutantis caufæ firmamentum habe-

tur Lucerna Olybii Maximi prope Ateste reperta, de qua Scardeonius, & alii, quorum nemo se illam ardentem vidisse testatur, sed auditu accepisse. Atqui nemo emunctæ naris, ac solidi judicii dubitare potest, rem minime antiquam, sed novitiam ac spuriam, fuisse, cum ex ipsa narratione, tum ex inscriptionibus, plane ineptis ac barbaris, præcipue ultima, in qua verba illa, *cum oculis emissitiis*; Et, *Mercurio caduceato, ac petasato*, recentem scholam, & ineptam Plauti imitationem redolent, etiamsi caduceatus, pro eo qui caduceum gerit salva Latinitate dici posset. Huc accedit, quod in situ Lucernæ, & ampullarum scriptores discordant: nec sat scio, quomodo aurum, & argentum liquefactum præbere igni alimentum potuerit. Item quo pacto Lucerna illa si communis magnitudinis fuit; imo urna minor, intra alteram urnam condi, quum omnes fere angusto, & oblongo collo fuerint, ut recta Lucerna inferi non potuerit, eadem inversa liquorem effudisset. Ajebat autem Maturantius, aurum, & argentum fuisse liquidum, ut constabat ex ramentis. Atqui ramenta, sunt reliquiæ, & bracteolæ corporis solidi. Illud plane absonum, & repugnans, ex liquore, qui erat in ampullis suffectum Lucernæ alimentum. Eæ ampullæ sive ad latera Lucernæ fuerunt, ut tradit Scardeonius, sive ipsi impositæ, ut Maturantius, quo pacto liquor inde in lucernam deflueret, velim mihi dici, nisi detur penetratio corporum. Et quid opus erat inde oleum veluti ex penu, ac lecytho depromere, si tantum liquoris inditum, quantum ad æternitatem luminis satis erat? Homines nugatores, & lectorum patientiæ insultantes.

Ita & Lucerna Nesidea apud Jo. Baptistam Portam, an intra phialam conclusa, sine ulla respiratione, aut ventilatione ardere potuerit, infra videbimus. Interim Porta non semel vanitatis, ac portentosarum narrationum manifestus est.

Pandite nunc Elicona Deæ, dum lepidam fabellam remetimur, obesæ naris Chronographo, & decem dierum Milesiis dignam, de Pallantis corpore ab Inferis excitato, ac bis mille, & sexcentorum annorum lucerna vivacissima. Quæ narratio tot mendaciis, ineptiis ac deliramentis scatet, ut pudeat eam recantare, more aniculæ mero recoctæ, in angulo culinæ pueris plorantibus blaterantis.

Primum omnium, quis sano capite credat, aut quis Veterum prodidit, Pallantem fuisse gigantem? Nam quod Licetus ait fuisse gigantem, non solum quia ausus est, singulari certamine cum Turno congredi, qui præstanti corpore Virgilio dicitur, sed etiam quia Pallas ipse a Turno *Magnus* appellatur, & interempti baltheus immanis dicitur, unde etiam apparet lanceam Turni fuisse maximam, quæ quatuor pedum vulnus efficeret, ne digna quidem sunt, quæ refutentur. Virgilius, *ingens pectus* elate, ac poetice vocat: num ideo terræ omni parentis alumnus? Deinde, quæ ratio corporis metiendi, erigere illud, & Urbis mænibus admovere, quasi ulnæ, cubiti, decempedæ, perticæ deessent? Quod si adhuc puer, ut tradit poeta, Pallas interfectus, mænium Romanorum minas, & scandentes de collibus arces excedebat, quid futurum fuit, si illi longiores in vita oras lancea militis non invidisset? Certe Aolidum incremento, Solis obeliscum exæquasset. Sed quæ conditura plusquam Ægyptia potuit corpus illud immane per XXVI. sæcula integrum conservare, imo lapideum, ac ferreum? Ut interim istis donemus, apud poetam, Pallantis corpus fuisse crematum: nam id per prolepsim poni potuit. Supra omnem impudentiam est, vulnus in pectore, ultra quatuor pedes immani hiatu diductum.

A Di vestram fidem! Per quod scilicet Turnus ire, ac redire posset. Quæ lancea, quod venabulum etiamsi Polyphemi pinus, aut onerariæ malus, aut hasta Goliath, velut liciatorium texentium, qui molares catapultis excussi, tam vastum pandere iter fugienti vitæ potuere?

Sed rei ineptissimæ extremam manum imponit Inscriptio, dignum patella operculum, omnium stultissima, ac barbara in aliquo gurgustio, aut caupona concepta. Audite Vates, atque hinc acutum, ac sublime carmen condere discite:

Filius Euandri Pallas, quem lancea Turni
Militis occidit, more suo jacet hic.

B Quis enim ille Turnus miles ex Rege Rutulorum recoctus? Quinam hic *mos suus*, quo jacet Pallas: an alii mortui diverso cubitu jacent? Sed si legatur, *mole sua*, nunquid aliena mole jaceat exstinctus? utrumque ridiculum, & ineptum, præter Latinitatem trivialem. Advocanda itaque Critica est, quæ laboranti Carmini suppetias ferat. Licetus melior Philosophus quam Criticus, utramque lectionem tuetur: *More* enim *suo, quod mos cadaverum proprius in situ nullus alius sit, quam jacere. Cum tamen jaceant etiam naturaliter, dormientes, aut ægrotantes, quorum dormientes sunt veluti mortui: ægrotantes autem, quia ægritudo est via ad mortem.* Sed

C hæc dormientium, & ægrotantium somnia sunt. Nam si hic situs est omnium mortuorum, ut jaceant, quid opus erat indicare, quod omnibus notum? & mos *suus mortuorum* omnium, bona cum Prisciani venia nemo dixerit. Sed & diversus situs jacentium mortuorum, ac dormientium, aut ægrotantium. Illi enim supini, hi in latera, aut proni jacent. Nec minus inepta interpretatio altera. *Morem hunc*, inquit, *ad lanceam referri debuerat*, (mos melius dixisset, juxta Palæmonis artem) *quæ maxima vulnera infligebat, & nunquam non inferentia mortem*. Ut sensus sit, *more suo jacet*, id est, mo-

D re lanceæ maxima vulnera inferentis. Quis autem hæc ferat? Quod si legatur, *mole sua*, non male se habere ait, *nomine molis indicata Gigantæi corporis magnitudine*. Ne scilicet aliquis crederet, ex aliena magnitudine, aliquid Gigantææ moli adjectum; aut demum dubitaret corpus illud Cyclopæum, temporis edacitate detritum, atque imminutum fuisse. Nec minus mirabilis est ratio quam adjicit: *Si quidem in sepulchro corpus jacet ad animæ discrimen: quæ licet antiquis existimaretur manere in sepulchro cum corpore, vel vagari diutius circa sepulchrum, nemo tamen antiquorum usquam posuit animam jacere: quia cum sit incorporea substan-*

E *tia jacere nullo modo potest, nec habere situ ullius omnino positiones ullas. Quippe jacere, stare, sedere, positionesque reliquæ locales convenire minime valent, animæ separatæ, sed corpori tantum. Quocirca de cadavere Pallantis, a quo separata sit anima, in cavea sepulchri condito, recte dicitur quod Pallas Euandri filius, MOLE SUA JACET HIC.*

Summi ergo Philosophi, & Critici sententia est, ideo adjectum carmini *Mole sua* jacere Pallantem, ne quis sciolus suspicari posset, in eadem cavea, corpus & animam eodem situ jacuisse.

At omnem fidem, & patientiam superat Lu-

F cerna illa bis mille, & sexcentos undecim annos ardens, ad caput Gigantis posita omnium lucernarum Regina, & miraculum. Nam reliquæ lucernæ pusillæ, semitariæ, ac lenoniæ, tam lupanarium, quam sepulchrorum custodes, ad primum immissi aeris flabrum, æterno illo elychnio, atque oleo defectæ, tenue, ac malignum lumen spargentes expirabant. Grandis ista, & contumax, Gigante, Trojanisque temporibus digna, irrumpente aere, imo sæviente flatu, ventisque stridentibus, obnixa, atque obluctans, ipsos So-

lis radios, ac lucida tela diei provocare audet. Ac nisi lucis osor invidus, eam inhonesto vulnere suffodisset, fortasse usque ad incendia mundi vividum lumen perduxisset. Lugete manes, & quantum est mortuorum, Lucerna illa, quæ vobis malas Orci tenebras invidebat, inferno gutture igneam animam exhalavit! Heu nugatores mali, quid opus erat imum fundum pertundere! Scilicet subducendo divino illo liquore, qui æterno igni alimentum sufficiebat. Atqui duo saltem, interdum tria foramina in superiore lucernarum parte erant, per quæ effundi oleum poterat, ipsa inversa lucerna. Hæc literis mandantur, hæc posteritati propagantur, quasi puerorum sæcula incidissent, aut nos cucurbitæ caput haberemus. Ex hac narratione discere omnes licet.

Itaque non multum nobis laborandum est in iis refutandis quas supra perstrinximus. Nam aliquæ sunt poeticæ licentiæ commenta: ut ignis Trojanus ab Ænea sublatus: & quod satis ridere non possum, Lucerna Merlini apud Ariostum, quod si verum est, cum tamen ille hoc perpetui ignis miraculum sileat, credamus quæcunque apud illum poetam legimus, tam omnium post Homerum ingeniosissimum quam fabularum Rhapsodum felicissimum. Expecto, ut etiam ex altero Merlino vate famigerabili, lucernam nobis obtrudat, ad cujus beatum fulgorem, præpinguis farinæ globuli, butyroque & caseo subacti pastilli concinnati sint.

Reliquæ narrationes nihil ad Lucernas Sepulchrales faciunt. Ut lucerna Micerini Regis Ægyptii, quæ si tantum noctu, ut ait Herodotus, incensa ardebat, non erat perpetua, & ideo noctu perpetuo ardere dicebatur, quod perpetuo alimentum ipsi subjiceretur, ut Athenis in Prytaneo, & Delphis in Apollinis templo. Nam ignes in Minervæ Britannicæ delubro, qui in saxeos globos vertebantur, aut naturæ miraculum fuit, aut dæmonis fraus: certe ignis ille non erat perpetuus, qui in saxum vertebatur. Fumus autem ex sepulchro Pionis apud Pausaniam, cur non terræ exhalatio, aut sulphurei latices, quales Aponi, & alibi miramur? Cardanus, si dolus abfuerit, naturali causæ adscribendum putat. Quid Licetus? *Nos multo verisimilius existimamus, eundem fumum prodiisse de Lucerna quadam admirabili, quæ multos per annos antea exardens, tunc qua data causa, extincta, fumum densiorem, uberioremque, ut solet in lucernarum extinctu exbalaverit per sepulchri rimas ad apertum aerem.* Ita fumus lucernæ extinctæ perpetuo durans, quotiens Pioni parentabatur, ut ait Pausanias, e sepulchro exiliebat. Paulo infra non a lucerna extincta, sed ardente emissum fumum credit. *At quæ ratio,* inquit, *aptior est absque dolo, si dicamus e Pionis tumulo fumum balare de lucerna subterranea in eo accensa? non quidem de fomite lucernæ, verum de materia tempore sacrificii aræ imposita, quam propinquæ lucernæ flamma resolvat in fumum?* In lucerna intra sepulchrum condita, victimarum carnem aræ impositam resolvebat in fumum, & prodigiosa circulatione, materia in ara posita lucernæ reconditæ fomitem præbebat, fumus autem victimæ in ara a lucerna crematæ, e sepulchro exiliebat. *Vel etiam,* subjicit, *materies illa flammam in lucerna detinens, tenuem ac exilem sui halitum emittat, qui spectetur tunc ab hominibus aciem visus acrius intendentibus, in actu sacrificii ad aræ partes?* Scilicet victimarum, quæ in ara adolebantur pingue omentum liquefactum in tumulum defluens, flammam in lucerna alens, ac detinens, halitum emittebat, qui cerni non poterat, nisi quis oculorum aciem acrius intendisset, fumo scilicet licet tenui oculos obcæcante. Et audet adjicere, *Id certe nemo jure poterit infitias ire.* Certe nemo jure poterit infitias ire, ejus mentem, qui ista scribat, non crassa modo fuligine fumi, sed Cimmeriis tenebris obnubilatam fuisse.

Eadem mentis caligo in Statii versibus illuminandis, & Vulcani lucerna:

Vulcano condicta domus quam subter eunti
Stagna sedent venis, oleoque madentia vivo.

Cujus poetæ, inquit Licetus, *versiculos, ob stagnorum, atque venarum metaphoram obscuriores, dilucidare operæ pretium duximus. Porro Vulcano ignium Deo antiquitus consecrata domus babuit loca subterranea, canalium, & cuniculorum instar excavata, in quibus assidue lampades ardebant: & cum lampades illæ sive lucernæ fortasse grandiores, eæque immotæ consisterent, ideo plenæ oleo metaphorice stagni cognomentum a poeta obtinuere. Quumque pensiles non essent, sed in terra veluti sedentes, proinde sedere, scitissime dictæ sunt. Et cum in terræ cuniculis factisque arte canalibus, qui venas animalium imitantur, consisterent, propterea in subterraneis venis, tanquam sedentes describuntur. Denique cum oleo asbestino, & incombustibili, diutissime flammam inextinguibilem continente replerentur, idcirco madere oleo vivo constituuntur.* Hæc si quis sanus refellere velit, oleum vivum, & operam perdet.

Cæterum quis Veterum ignis aræ Ditis, apud Terentum perpetuum fuisse prodidit? Quod ubique terrarum exhalat, aut fumat, totum id Licetus in argumentum Lucernarum Sepulchralium arripit: Quod subjecto alimento perpetuo ardere Scriptoribus dicitur, id æterni luminis in monumentis exemplum contendit. Nam ignem Vestæ, vigilemque illam custodem Romani Imperii flammam, *excubias Divum æternas,* ex eadem materia, non foculum, sed lucernam fuisse, novæ Criticæ hæresis est. Omnes enim consentiunt, fuisse focum, sive foculum, ex carbonibus & lignis, quibus continuo subjectis nutriretur, ac reficeretur. Et foculus a Valerio Maximo appellatur, cum miraculum narrat Vestalis ejus, quæ quum in custodia ignis de more excubaret, & sopore victa obdormisset, extincto igne, subtractis alimentis, metuens ne flagro a Pontifice Max. objurgaretur, carbasum supra foculum injecit, precata Deam, si sibi virginitas constaret, ut foculus reviviceret, quod repente factum est.

Præter quam quod Macrobius *Sat.* l. I. c. XII. tradit Virgines Vestales, prima die mensis Martii ignem novum Vestæ, aris accendere quotannis consuevisse, ut incipiente anno, cura denuo servandi novati ignis inciperet. Ovidius IV. *Fast.* *Igne cremat vitulos, quæ natu maxima Virgo est.* Pausanias item *Corinth. Progredientibus in Vestæ, simulacrum nullum occurrit, ara tamen, & in ea Vestæ sacrificium.* Statius II. *Thebaid.*

Pervigilemque focis ignem longæva Sacerdos
Nutriet, arcanum non inspectura pudorem.

Quæ loca Licetus ipse adduxit. Sicut & Arnobii *lib.* IV. *Sedent in spectaculis publicis Sacerdotum omnium, Magistratuumque Collegia: necnon & castæ Virgines perpetui nutrices, & conservatrices ignis.* Respondet primo potuisse ignem illum Vestalem esse annuum, ut erat Lucerna Minervæ Athenis integrum annum ardens, absque ullo novi fomitis adjectu. Non ergo ille perpetuus, & similis illi qui in monumentorum Lucernis durabat inextinctus. Addit Vestales, illo mense dedita opera, extinguere ignem solitas, hostiam Marti, aut Vestæ victimam congruam litantes; Novum, atque

atque inauditum sacrificii genus, nova victima, Ignis, & quidem extinctus in ara, in qua nihil aliud sacrificium fuit, quam ignis, & victima igne confecta. Novum holocaustum sine igne, ignis ipse confectus. Tertio comminiscitur, Vestales ignem custodire geminum consuevisse, alterum quotannis extinguendum, aptum Marti ac Vestæ sacrificium mactandum, & mense Martio renovandum: alterum æternum, & purum, quem Romani cum Diis patriis venerarentur: secus ignem quotannis extingui solitum, perperam æternum appellatum fuisse. Sed æternus pro perpetuo accipiebatur, quem scilicet nunquam deficere paterentur, subjectis perpetuo alimentis, ut apud Judæos, & Græcos. Nam aliquando Vestalium culpa exstinctum diximus, neque ex igne vulgari refectum, sed vel Solis radiis, vel felicis ligni attritu renovatum Plutarchus docuit.

Demum, ut se deprehensum expediat, fatetur, Vestales præter Lucernæ flammulam semper ardentem, absque ulla fomitis novi adjectione, conservare ignem solitas in rogo ligneo, ad sacrificiorum victimas comburendas. Id probare nititur ex adducto Arnobii loco. *Et castæ Virgines perpetui nutrices, & conservatrices ignis*. Nutrices perpetui, id est, foculi, conservatrices, id est, alterius in lucerna remoti. Sed foculus non erat perpetuus: & Arnobius unum tantum ignem intelligit, cujus illæ nutrices, & conservatrices, ne extingueretur. Neque ex ejusdem Arnobii verbis idem colligi potest. *In penetralibus, scilicet in ara, & culinis, id est, vasis fictilibus, Vestæ ignis perpetuo servatis focos*. Nam Arnobius focos appellat, qui de Lucerna dici non potest, & Culigna, non est vas, sed testa fictilis, in qua Vestæ ignis ardens custodiebatur.

Idem intellexisse Livium credit, quum ait: *Quid de æternis Vestæ ignibus loquar?* Quasi plures essent: sed eam esse Metonymiam etiam pueris notum, quum numerus plurium pro singulari ponitur. Nam quod Juvenalem huc trahit, *sat*. IV.

—— *Quanquam diruta servat*
Ignem Trojanum, & Vestam colit Alba minorem.

Fugit eum ratio. Non enim Vesta minor est ignis vulgaris, qui assiduo fomite indigebat: sed quod diruta Alba, translatis Romam cum flamma pervigili sacris, cum prodigiorum monitu revocata sacrificia essent, ignis ille Trojanus veluti inglorius, & inhonorus in deserta Urbe remaneret, & minore religione coleretur.

Ac ne sit modus ineptiarum, quum Plutarchus tradat, in penetralibus Vestæ, duo reposita dolia fuisse, apertum alterum, atque inane: alterum plenum, & consignatum, utrumque solis Virginum oculis permissum, credi vult Licetus, ex aperto, & vacuo erutum fuisse liquorem, incombustibiliter ardentem, in lampade Virginum custodiæ commissa. Præter quam quod, quomodo vacuum dolium esse poterat, ex quo oleum depromebatur: & si oleum in lucerna incombustibile erat, quid opus ex dolio novum depromere, & lucernæ nondum priore consumpto, affundere. In dolio autem clauso, & obsignato eundem liquorem fuisse credit: ne unquam Lucernæ alimentum deesset, ne unquam Lucernæ alimentum deesset, neque oleum aliunde petendum, ut olim Virginibus fatuis accidit, ne scilicet lampas inextinguibilis extingueretur; *Ut Lucerna*, inquit, *Vestæ affinis valde fuerit Olybianæ lampadi. Quinimmo cum earum ampullarum altera humore aureo, altera liquore argenteo plena esset: argenteusque latex, aquæ nomine passim ab antiquis donetur, quum Numa Virginibus, ignis, & aquæ curam demandarit, per aquam nos liquorem, incombustibiliter ardere valentem in altero dolio clauso exponimus*. Licet non diffiteatur Plutarchum in *Numa* loqui de alia aqua, Virginibus sacrata, qua lustrarent, & aspergerent quotidie penetralia. Sed duplicem fuisse aquam, alteram scilicet lustralem, alteram clauso & obsignato dolio reconditam, nempe argenteum liquorem, ad præbendum lucernæ alimentum, quæ nullo alimento indigebat, cum illud prius asbestinum esset. Ista vix aliquis in puero ferat.

Cæterum ignem Vestæ lucernam fuisse non foculum duplici argumento confirmat. Quod Plutarch. in *Camillo* tradat, capta Urbe a Gallis, Virgines Vestales, ignem cum sacris rapientes profugisse, *Quomodo enim*, inquit, *fugientes, igneam pyram comportare potuissent? quomodo non multam rogi favillam, prunamque sacram hostibus reliquissent?* Sed cur non prunas, focique cinerem, & favillam auferre potuerunt? Neque enim rogum, aut pyram in ara fuisse credendum est. Et licet Plutarchus addat, Albinum de plebe virum, qui plaustro conjugem, & liberos fugiens exportabat, ubi Virgines ferre gremio sacra Deum conspexisset, e vestigio uxorem, ac liberos cum rebus suis detraxisse, ut Virgines vehiculo imponeret: non tamen sequitur lucernam ab illis gestatam fuisse, quod ardentia ligna gremio ferre non potuerint: Atqui testo ferreo, eschara, & foculo, sine gremii noxa ferri potuerunt.

Vere in nummis veteribus imago Vestæ visitur cum lucerna, quæ scilicet symbolum pervigilis flammæ: neque tamen ignis ille excubitor lucerna fuit, cum in Faustinæ nummis visatur templum, cum ara, & foculo, & circumfusis Virginibus. Et in Lucillæ numismate spectetur Vesta lucernam quidem præferens, ad cujus pedes arula, & ardens flamma.

Quod si Lucerna fuisset, & facilior, imo supervacua custodia ignis inextinguibilis, & cura subjiciendi alimenta. Nam quod ait Licetus, in eo fuisse custodiam, & Romæ, & Athenis, ac Delphis apud Græcos, ut ab igne arcerent omnes externas injurias, ventum, imbrem, brutorum, hostium, & sacrilegorum vim, eum ignem extinguere, & suffocare volentium: quum ignis ille in templo, & sub tecto arderet, satis tutus ab imbrium, & ventorum contumelia erat; adversus autem sacrilegos, infirma muliebris custodia: ut servare ignem nihil aliud fuerit, quam curam diu, noctuque adhibere, ne subtractis alimentis fatalis flamma occideret, quod rebus Romanis ominosum semper habitum est.

Quæ cum ita sint facile apparet, omnes illas narrationes, aut falsas, aut vanitatis suspectas, nullum, aut minimum momentum habere ad fidem novæ huic opinioni adstruendam. Ne quis unam tantum, aut alteram a nobis impugnatam dicat, quod Aresio Licetus objecit. Restat modo illud, quod refractarium, malique exempli videtur, tot viris fide dignis, & ut isti volunt, oculatis testibus, fidem abrogare. Verum ego paucos oculatos, multos nimis auritos fuisse credo. Nam præter unum, & alterum, haud magnæ fidei, ut est Ruscellus, & Porta, nullus se vidisse, sed auditu accepisse tradit. Non Jacobonus, non Scardeonius, non Cælius, Alexander, Volateranus, non Leander, non Casalius, non Vives, qui tantum se vidisse elychnia ex asbesto tradit, & patrum memoria erutam ardentem lucernam, non se ista prodente. Non ipse Licetus id audet affirmare.

Verisimile igitur est, quod notavit Aresius, deceptos, & hallucinatos agricolas & fossores:

cum præcipue lucernæ omnes, præter unam, & alteram, immisso aere extinguerentur, ut spatium non fuerit accersendi viros graves, & doctos, qui grande illud miraculum viventibus oculis usurparent. Ego quidem ætate mea, quæ metæ proxima est, plurimasque lucernas, & hic, & in patria erui vidi, omnes lumine orbatas aspexi, nec aliquem repperi, quanquam diligentissima investigatione, & sermone, & literis exploraverim, qui se luminosos mortuales lychnos vidisse affirmaret, quum pene quotidie Orcini thesauri, ac Libitinæ reliquiæ effodiantur. Adeo cum sæculo consenuere miracula, diuque cassi manes, hoc infernæ lucis solatio ætate nostra spoliati sunt.

Deceptos, inquam, apparet cementarios, ac fossores, & aut falsos, aut fallentes fuisse, quo rei inventæ pretium miraculo augerent. Nam potuisse decipi, ex immisso Solis radio, aut ex scintilla, ferri ictu lapide excussa, nemo negaverit, aut ex vapore telluris ibi accenso, aut præstigiis spectatoribus illusum, ab eo, qui ardentem Lucernam inter rudera occultaverit.

Non est igitur mirum, si quotquot ista, aut crediderunt, aut ab aliis tradita retulerunt, tantopere æstuant, in causa rei portentosæ, ac modo indagando. Bonamicus enim tradit, non fuisse flammam, sed corpus pellucidum in tenebris mire coruscans: D. Augustinus vim dæmonum: Majolus miraculum: Gutherius pulveres, & liquores, qui ab aere ingrediente flammam conciperent: Porta fuisse quidem ignem, & ideo durasse, ne daretur vacuum. Item, quod & Ruscellius credidit, exhalationes, iterum densatas, coactasque in liquorem, perpetua circulatione. Citesius fuisse ignem ex Amianto, & oleum Chymicum: Lazius aurum arte liquefactum, alimentum præbuisse: Libavius pulveres, & ramenta ex lapide Gagate. Sed frustra viri magni laboratis, atque ingenium torquetis. Illud nec factum est unquam, nec fieri potuit. Quos licet, contradicendi studio, impugnet Licetus, solens argutatur. Existimat enim potuisse dari materiam, & ignem æquali temperamento, ut non nisi diutissime consumi potuerit post longa sæculorum spatia. Itaut neque exhalaret materia, & fortissime resisteret igni, neque ignis materiam consumeret, sed ignem materiam veluti compede contineret, ne ad supera convexa evolaret. Sed quænam, & qualis ista materia esset ignorari, quia deperdita sit. Quæ quoniam, licet non tanti esset, Aresius refutavit, & explosit, nos interim inani labore supersedebimus.

Nam si id unquam factum fuisset, aut mirabile hoc artificium Veteribus innotuisset, usufque promiscui fuisset, quis credat, ex innumeris Græcis, ac Latinis Scriptoribus, ne unum quidem fuisse, qui hujus miraculi mentionem, vel in transcursu faceret, nec ejus volam, ac vestigium apud quendam extare? Sane, ut idem Aresius observat, Plutarchus rerum Romanarum diligentissimus investigator, lucernam illam in templo Ammonis, integrum annum arsisse, cum sequenti minus olei consumeretur, pro re valde admiranda commemorat, ejusque causam anxie perquirit. Quæ est ista, summe Vir, philosophia? Lucernæ Sepulchrales, ducentos, quingentos, duo annorum millia inextinctum lumen servabant, tu, quia Ammonia lampas, cum solis cursu perennat, miraculo adscribis? Addit Aresius Aristotelem, cum ignis, ejusque nutritionis crebram mentionem faciat, super re tanta, ne verbum quidem posuisse.

Quid Plinius, cujus vel in minimis naturæ partibus curiosa felicitas miraculo est, qui integrum caput *de rerum inventoribus* conficit, quod est libri sexti LVI. ubi inventa quæque suis auctoribus pene nimia, ac minuta diligentia assignat, hoc omnium maxime admirabile, & naturæ captum supergressum, prætermisit? Ac ne quis dicat rem vulgaris, ac promiscui usus omissam, ille fere nonnisi rerum communium, & notissimarum auctores exequitur. Quis emere, ac vendere instituerit, quis molere & panem conficere. Quis domos construere: imo quis forcipem, marculum, incudem, ferram, asciam, perpendiculum, terebram, glutinum, tornum, clavem. Quis ignem è silice excutere, eundem servare in ferula, & dicere prætermiserit, ignem in sepulchris præstare perpetuum, & ut sic dicam æternum? Quodque inventorum non optimum videtur, quis vinum aqua miscere. Quis oleum commune, & trapetas, eodem exprimendo, eum, qui oleum mortuorum, æternæ lucis fomitem, opere Diis ipsis invidioso excogitavit, debita gloria maligne fraudaverit?

Cur D. Augustinus, cujus ævo nondum illud artificium intercidisse credibile est, illud dæmonum artibus adscribit? Cur Sacerdotes qui annui luminis durationem jactabant, regeri ipsis posse ignorabant, in sepulchris tot sæculorum miraculum?

Respondet Licetus, hoc artificium casu inventum esse, sicut bombardæ, & vitri flexilis, ac ductilis, & postea deperditum. Hoc dicit solum, non probat. Quod si concedamus, nihil ad rem pertinet. Nam quod ait, perpetui luminis mentionem extare apud Strabonem, cujus verba sunt *lib.* IX. *Templum Minervæ, & vetusta Poliadis ædes, in qua semper ardens Lucerna*. Semper ardens, eodem modo quo ignis apud Hebræos, Græcos, & Romanos subjecto alimento, de quo supra satis dictum est. Non enim ait Strabo sine alimento durasse.

Addit Cassiodorum, qui jactat factas a se Mechanicas lucernas, in usum monasteriorum, in quibus lumen non deficiebat, etsi flammis ardentibus jugiter torrerentur. Sed etsi mechanica vi ignis confici possit, qui & diu conservetur, & aliquando etiam in aquis ardeat, ut illis proditum, qui de rerum naturæ arcanis scripserunt: eas tamen lucernas perpetuo ardere posse, nec Cassiodoro credimus, multo minus Tostato, ac Jacobo a Voragine, qui narrat a D. Isidoro, duas lucernas confectas, quarum altera ad caput, altera ad pedes mortui per ducentos annos arserint, nisi hoc Dei miraculum fuit. Et a novitiis istis, nec magnæ fidei Scriptoribus, notum Veteribus perpetui luminis artificium, arguere velle, est cum ratione desipere.

Nam si id artificium Veteribus innotuisset, parandi ignis, qui perpetuo sine fomitis adjectione duraret, cur Hebræi, quum ignem perpetuo ardentem in altari ad sacrificia servarent, si forte, vel custodis incuria, vel alio casu, ob alimenti defectum, extinctus esset, non ex igne prophano, sed flamma precibus a Cœlo impetrata, victimas adolebant? Quid opus ea custodia, quid ignis refectione? Nam quid per ignem perpetuum intelligi debeat manifestum est ex *Levitici* cap. VI. *Ignis autem in altari semper ardebit, quem nutriet Sacerdos, subjiciens ligna mane, per singulos dies, & imposito holocausto desuper adipes adolebit pacificorum. Ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficiet in altari*. En qualis ignis perpetuus, qualis scilicet, Athenis, Delphis, & Romæ apud Vestales, perpetuo scilicet nutritu, ac fomitis adjectione. Nam rationes quas Licetus adducit, cur Judæi, etsi non ignoraverint modum conficiendi ignis perpetui sine nutrimento, illum tamen propter

metum Idololatriæ, quia communis esset Ethnicis, non adhibuerint, eæ inquam rationes stipula leviores sunt, & dummodo aliquid objectis reponat, rectum sit, an secus, nihil pensi facit. A

Sed ignota ars illa Judæis fuerit, quid Romani, cur miseras Vestales Virgines nobilissimas, quum sex tantum essent, singulis noctibus singulas, per vices vigilare cogebant, ut illæ Romani Imperii excubiæ, vigiles essent, quod si aliqua non satis somni insidias cavisset, & interim ignis expirasset, de tenella cute pœnam Pontifici dabat? Nam de commentitia lucerna satis supra diximus.

Præterea lex Mævia, *D. de Manum. Testam.* B hæc habet. *Mævia decedens servis suis Sacco, & Eutychiæ, & Irenæ ancillæ meæ, omnes sub hac conditione liberi sunto, ut monumento meo alternis mensibus lucernam accendant, & solemnia mortis peragant. Quæro, cum assidue monumento Mæviæ, Saccus, & Eutychia, & Irene non adsint, an liberi esse possint?* Eadem ferme habentur *Basilicon* XLVIII. C. III. Quod cum negare non posset Licetus, eo confugit ut dicat, fuisse quidem ab aliquibus hunc morem renovandi lucernas usitatum, sed alios nobiliores, & ditiores perpetuo lumine sepulchra illustrasse. Sed quid opus erat Orcina libertate, menstrum servorum officium redimere reno- C vandi Lucernas in monumentis, si ars vulgata erat, qua lucerna mortualis perpetuo fulgore vivebat?

Sed quod caput est, hunc morem statuendi lucernas in sepulchris, non esse ita antiquum, ut isti credunt, persuasum habeo, nec nisi post multa secula, scilicet postquam cadavera cremari desierunt, invectum. Quod ut clarius intelligatur, paulo supra repetenda sunt, quæ de ratione sepulchrorum a viris doctissimis tradita sunt. Duplex populorum, ac gentium, circa mortalitatis suprema mos, atque officium fuit. Nam pars major nationum, Ægyptii, Hebræi, Græci, ac reliquæ D ferme gentes cadavera condebant, hoc est, terræ mandabant, sive aggesta humo contumulabant. Soli Romani, mortuorum corpora cremabant (quanquam & vetustissimos Græcorum id fecisse ex Homero apparet) Romani inquam postquam rogi incendio cadavera confecerant, reliquias, hoc est, cinerem, atque ossium fragmina e rogo lecta, in urnam conjiciebant, lapide supra tumulum erecto, qui cippus dicebatur.

Quæ res indicare videtur, quandiu hic mos viguerit, nullum lucernis locum esse potuisse. Nullæ enim speluncæ subterraneæ, cryptæ, cavernæ, sive hypogæa fuere, qualia nostra sunt, & E fuere monumenta earum gentium, quæ corpora condebant, non cremabant. Quam causam fuisse puto, quod nullus veterum scriptorum lucernarum sepulchralium meminerit. Nisi quod Dio in *Domitiano*, cum feralem ludum commemorat, quo ille convivas excepit, ait. *Ac primum omnium juxta unumquemque columnam collocat, (* σήλω ταφροειδῆ, *cippum sepulchralem) in qua nomen ejus scriptum erat, pendebatque de ea Lychnuchus parvus, ut assolet in monumentis.* Sed ille Lychnuchus non in monumento erat, verum de cippo pendebat.

Nullæ cryptæ, speluncæ, & concamerationes, sed urnæ terra obrutæ, & ita nullus lucernis F locus. Dicent lucernas intra ipsas urnas collocatas fuisse. Sed quomodo urnarum figuram ignorare possunt, cum tot hodie in oculos incurrant, & effodiantur quotidie? Scilicet Urna, erat vas ferme fictile, oblongum, corpore rotundo, collo procero, angusto, ac fistulatim porrecto, adjectis hinc inde ansis. Ita intra os, collumque gracile inferi lucerna non potuit; & inclinata divinum illum humorem effudisset. Sed fuerit os, gutturque latum, & quantævis lucernæ capax, situs ipse, & collocatio urnarum, totum hoc commentum, de lucernis intra urnam conditis, destruit. Quandoquidem satis constat, urnas cinerum inversas, hoc est, ore prono, & in terram inclinato (quæcunque causa illa fuerit, nam me hactenus latuit) fundo supino, atque sursum verso, collocatas fuisse. Hoc nos sæpe hic, & in patria observavimus, & plurimis aliis observatum non dubito. Imo ferme urnæ istæ tam dense constipatæ sunt, ut moveri loco & effodi non possint, nisi aliquæ frangantur. Ergo neque urnam, neque extra, lucernis locus esse potuit. Et ideo quandiu corpora cremata hoc officium prælucendi mortuis Veteribus incognitum.

Sed quoniam a viris fide dignis accepi, sæpe cum urnis etiam lucernas erutas, credibile est, pauperum sepulchra, & miseræ plebis polyandria congestas hoc modo, stipatasque urnas habuisse, cæterum nobilium, & ditiorum monumenta ita constructa, ut cellæ subterraneæ fuerint, & loculi collocandis urnis, præcipue in gentis, aut familiæ monumentis, atque ita etiam lucernis locum esse potuisse, neque tamen inde sequitur eas perpetuo arsisse.

Cæterum quandonam cadavera cremari desierint, & hypogæa, & conditoria Græcorum more inventa sint, & propterea frequentior lucernarum usus, incertum est. Quanquam viri docti id sub extrema Antoninorum tempora factum conjiciant, quibus non repugnaverim. Cur autem is mos senim abolitus sit, si licet in tanta obscuritate divinare, mihi valde verisimile videtur, non aliam causam fuisse, quam quod Christiana religione invalescente mos sepeliendi cadavera ab Hebræis ductus, pariter invaluerit, quos tradit Tacitus consuevisse corpora condere, non cremare, idque ex instituto Ægyptiorum. Ita ut paulatim alterum morem cremandi expulerit: & ipsi etiam Ethnici id fecerint, ut apparet ex lucernis, Gentilitatis notas, imo fœda ac turpia argumenta præferentibus.

Nam Christiani, quod ego sciam, nunquam cadavera cremarunt. Scilicet fiducia Resurrectionis. Apud Minutium Felicem in *Octavio*, Ethnicus contra Christianos disputans, & Resurrectionem irridens, inter cætera ait. *Inde videlicet, & execrantur rogos, & damnant ignium sepulturas: quasi non omne corpus, etsi flammis subtrahatur, annis tamen, & ætatibus in terram resolvatur: nec intersit, utrum feræ diripiant, an maria consumant, an humus contegat, an flamma subducat; quum cadaveribus omnis sepultura, si sentiunt, pœna sit: si non sentiunt, ipsa conficiendi celeritate, medicina.* Sed ante Minutium Tertullianus *de Resurrect.* cum tangit Ethnicorum superstitionem, qui mortuis cibos deferebant. *At ego*, inquit, *magis ridebo vulgus, tunc quoque cum ipsos defunctos atrocissime exurit, quos postmodum gulosissime nutrit.* Quorum neutrum Christiani faciebant. Quæ satis indicant, etiam post Antoninos ab Ethnicis cremata cadavera, nam uterque scriptor eorum ævo inferior fuit.

Ex eadem Resurrectionis spe conditis cadaveribus unguenta, & odores liberalissime impendebant, ut diutius integra servarentur. Ut non falso Tertullianus in *Apolog.* jactaverit. *Si Arabiæ quærantur, sciant Sabæi pluris, & carius merces suas Christianis sepeliendis profligari, quam Diis fumigandis.* Hoc est plus odoramentorum a Christianis in illa paupertate prodigi consuevisse, quam ab Ethnicis. Scilicet Ethnici duobus digitulis paucas thuris glebulas Diis numerabant: Christia-

ni plena manu, & ſinu caſiam, & cinnama effundebant, ſumptibuſque funerum Arabias, & Sabæos exhauriebant.

Futuræ inquam Reſurrectionis fiducia. Cum enim incertus eſſet ſupremi Judicii adventus, ipſis Eccleſiæ incunabulis non longe abfore ſummum diem credebant, atque ita omnia faciebant, ut brevi excitandas mortales exuvias a tabe præſtarent immunes. Et ideo aiebat ille apud Minutium, Chriſtianos, qui in totum unguenta abdicaverant, ea ſolis funeribus reſſervaſſe.

Me autem in hac ſententia plane confirmat D. Auguſtinus *de Civit.* lib. cap. XIII. ubi de officio circa ſuprema diſputat, inter cætera, ait. *Ipſe quoque Dominus die tertio reſurrecturus, religioſæ mulieris bonum opus prædicat, prædicandumque commendat, quod unguentum pretioſum ſuper membra ejus effuderit, atque hoc ad eum ſepeliendum fecerit. Et laudabiliter commemorantur in Euangelio, qui corpus cum de Cruce acceptum diligenter, atque honorifice ungendum, ſepeliendumque curarunt. Verum iſtæ auctoritates non hoc admonent, quod inſit ullus cadaveribus ſenſus: ſed ad Dei providentiam, cui placent etiam talia pietatis officia, corpora quoque mortuorum pertinere ſignificant, propter fidem Reſurrectionis adſtruendam.*

Prudentius quoque *hymno in exequiis defunctorum*, cum Reſurrectionis ſpem feciſſet:

Nam quod requieſcere corpus
Vacuum ſine mente videmus,
Spatium breve reſtat, ut alti
Repetat collegia ſenſus:
Venient cito ſecula, cum jam
Socius calor oſſa reviſat,
Animatuſque ſanguine vivo
Habitacula priſtina geſtet.

Futurum enim, ut pigra cadavera, quæ tumulis putrefacta jacebant, priores animas reciperent, ſubjicit:

Hinc maxima cura ſepulchris
Impeditur, hinc reſolutos
Honor ultimus accipit artus,
Et funeris ambitus ornat
Candore nitentia claro.
Prætendere lintea mos eſt
Aſperſaque myrrha Sabæo
Corpus medicamine ſervat.

Et infra:

Nos tecta fovebimus oſſa
Violis, & fronde frequenti
Titulumque, & frigida ſaxa
Liquido ſpargemus odore.

Sed clarius in *hymno S. S. Fructuoſi, Augurii, & Eulogii*, qui vivicomburio Martyrium expleverant:

Tum de corporibus ſacris favillæ
Et perfuſa mero leguntur oſſa,
Quæ raptim ſibi quiſque vindicabat.
Fratrum tantus amor domum referre
Sanctorum cinerum dicata dona
Aut geſtare ſinu fidele pignus.
Sed ne reliquias reſuſcitandas
Et mox cum Domino ſimul futuras
Diſcretis loca dividant ſepulchris
Cernuntur niveis ſtolis amicti
Mandant reſtitui, cavoque claudi
Mixtim marmore, pulverem ſacrandum.

Ut ſcilicet facilius collecta in unum fragmina, vitæ reſtitui poſſent; quod non minus mirabile eſt, quam oſſa bibulamque favillam, Ethnicorum more, mero perfuſas.

Sed ut a diverticulo repetatur Oratio, ſublato more cadavera cremandi, & nova ſepeliendi ratione inducta, ſive intra arcas lapideas, & cavum marmor, loculoſque ligneos, ſoliaque, & alveos corpora conderentur, ſive in ſpecubus, cellis, & cryptis ſubterraneis collocarentur, locus fuit apponendi lucernas defunctis.

Quod pertinet ad arcas lapideas, & loculos clauſos, atque anguſtos, vix video, quomodo lucernæ exiguo tempore, ne dicam longiſſimo intra illas anguſtias excluſo aere, ardere potuerint. Quis enim neſcit omne lumen, ac flammam perſpiratione, & ventilatione aeris indigere, ſecus illico extingui. Obvium eſt exprimentum. Candela, aut Lychnus ardens intra vas vitreum claudatur, ita obturatum, ut aer permeare non poſſit, illico expirabit, ipſoque alimento obruetur. Itaque vanitatis manifeſtus in Neſidea lucerna intra phialam ardente Jo Baptiſta Porta. Reſpondet Licetus id evenire, ſi materia facile diſſipetur in fumum, & exhalationem, quæ lumen obruat: ſecus in materia, quæ nullam, aut exiguam exhalationem fundat. Sed quænam eſt iſta materia, & cur tanti nominis philoſophus, tandiu nobis experimentum invidet? Addit, per latentes terræ meatus, aerem ſpiraſſe, & urnas undique poris pervias, ac perflabiles fuiſſe: item monumenta marmorea, rimis, commiſſuris aditum aeri aperuiſſe.

Quod ad urnas attinet, primum terræ aggeſtu obrutas diximus, & ſi in loco vacuo fuiſsent, tam denſa ac ſolida materia fuerunt, ut poſt tot ſæcula, veluti æneæ, ipſo tinnitu videantur. Etiam monumenta marmorea, cum initio ſtatuerentur, bene compacta, & commiſsa fuiſse, ut aer facile penetrare non poſſet, credi par eſt. Decurſu deinde temporum, atque annorum injuria, tum caprifico diſcuſſa, at diffiſſa, tum demum ventis, ac tempeſtatibus pervia, cum lucernæ alimento præfocatæ, diluxiſſent.

Præter hæc omnia, iſta luminis perpetuitas, aut ab oleo, aut ab elychnio fuit. Si ab oleo, cur pleræque lucernæ apertis ſepulchris, & immiſso aere illico extinguebantur? Non enim oleo, ſed flammæ contrarius eſt aer, neque mitis, ac placida aura, ſed flatus, ac ventus, quæ ſi abſint tandiu durat lumen, quandiu alimentum non deficit. Cur igitur Pallantea lucerna, non modo ab aere tuta fuit, ſed flatu, pulveriſque injectu invictum lumen ſervavit, nec niſi ſuffoſsa interire potuit? Ex quo ſequeretur, diverſa olei incombuſtilis genera fuiſse, & aliud ab inimico aere mortem metuiſse, aliud etiam ventorum minas contempſiſse.

Quod ad elychnium pertinet, Licetus exiſtimat, eo lucernas caruiſse, levi admodum conjectura, quia nulla unquam reperta fuerint. Quod accidere potuit, quia igne, aut ætate conſumpta fuerint. Quanquam Vives a ſe non pauca viſa teſtatus eſt. Quod ſi fuerit elychnium, putat ex amianto, aut lino asbeſto confectum. Utrumque expendamus. Non enim lucernas caruiſſe elychnio illud evincit, quod quamvis caphura, naphta, & id genus materia ſine elychnio ardeant, præterquam quod conſumpta materia, ignis extinguitur, intelligi non poteſt, quo pacto accendi, & extra lucernam ardere ignis potuerit: niſi aliquo filamento conceptus, quod eſſet olei vehiculum. Niſi quis dicat Lucernæ ſepulchro abditam flammam cæco lumine torpuiſſe. Deinde ad quid exiguum illud foramen lucernarum omnium roſtro adſtitutum, niſi immittendæ papyro, & exerendo lumini?

Quod vero elychnium illud ex amianto, & lino asbesto fuerit, difficultate non caret. Nam si elychnium incombustibile fuit, nihil opus oleo futurum: semel enim concepta flamma, cum filamentum extingui non posset, perpetuo arsisset. Sed næ isti lini asbesti naturam parum intelligere videntur. Quod inde appellatum, quod igne confici, & consumi non possit. Nam licet asbestum inextinctum significet, & asbestinum, inextinguibile, impropria tamen locutio est: Alioquin linum hoc semel concepto igne perpetuo arsisset, cum ignis extingui non posset. Sed asbestum, est quod igne confici, ac destrui non potest, & translate, mori, & extingui, ut ea vox ad linum, & non ad ignem referatur. Aliud enim est ignem, aliud linum igni extingui, id est, consumi non posse.

Hinc alias eorum opinionem rejecimus, qui crediderunt, Romanos, cum cadavera cremarentur, ad separandos corporis cineres a favilla rogi, hujusmodi lintea asbestina adhibuisse. Refutavimus inquam auctoritate Plinii, qui *lib.* XIV. *cap.* I. ait hoc a solis Regibus factum, ob pretium & raritatem ejusdem lini. *Regum inde*, inquit, *funebres tunicæ, corporis favillam ab reliquo separant cinere.* Quod si ignis, tunicis illis conceptus, inextinguibilis fuisset, tunicæ æternum arsissent, neque ultra rogi incendio opus. Satis enim fuisset intra linteum perpetuo ardens corpora conjecisse.

Recte igitur Plinius Græcam vocem asbestum ita reddidit. *Inventus est etiam jam, quod ignibus non absumeretur:* hoc est, quod ignis non conficeret, & extingueret. Subjicit, *Vivum id vocant* (cui ignis mortem inferre non potest) *ardentesque in focis conviviorum, ex eo vidimus mappas, sordibus exustis splendescentes igni magis, quam possent, aquis.* Ergo ardebat hoc linum. Ita vero, sed quandiu igni pabulum suppetebat, oleum, jus; pingue, atque hujusmodi alimentum, quod sordium nomine Plinius complexus est, ignisque tandiu durabat, quandiu conficiebantur sordes, illudque oleosum, ac jurulentum flamma depascebat, atque ita exustis maculis, intacto linteo, candidiores, sive splendidiores mappæ nitebant, quam si lymphis elotæ fuissent.

Illud ergo miraculo erat, quod si ex lino communi lintea fuissent, ea cum sordibus ignis absumpsisset: novo hoc invento, cum sordes lambens flamma emaculasset, vivente lino, ignis moriebatur. Ex quo apparet, etiam illas Regum tunicas funebres in rogo arsisse, quandiu stillantis corporis tabes, ac sanies igni alimoniam suppeditabat, indomita lini natura, ea deficiente, & ignem defecisse. Si quis exstingui non potuisset, ut vox ipsa notare videtur, quomodo mappæ illæ texi, atque impune tractari potuissent, & ad usum revocari?

Videtur tamen Plinius indicare linum illud perpetuo arsisse, cum infra ait: *Nascitur in desertis adustisque Sole Indiæ: ubi non cadunt imbres, inter diras serpentes, assuescitque vivere ardendo: rarum inventu, difficile textu propter brevitatem.* Quid est enim *assuescit vivere ardendo*? Si enim vixisset ardendo, & ab incendio, sicut Bacchus a matris rogo, cunabula fortitum esset, quomodo legi, atque evelli, quomodo in fila deduci, texi, & reliquis usibus aptari potuisset? Sed magni Scriptoris acumen in eo est, quod cum in Indiæ desertis Sole adustis nascatur, ubi nunquam cadunt imbres, linum illud olim inter flammas victurum, assuescere in illis solitudinum incendiis vivere ardendo, hoc est, ignem pati, & ardore, quo ibi cuncta conflagrant, non confici sive non mori: hoc enim vox *Vivere* significat: & ideo Asbestum dictum, quod igne extingui, sive consumi non possit: non autem, quod ignis ipsi adhærens, esset inextinctus, quæ vox cadit in linum, nequaquam in ignem.

Ex his igitur, falli eos manifesto apparet, qui ideo elychnium asbestinum fuisse crediderunt, quod semel concepta flamma nunquam extingueretur. Nam si ita sine oleo arsisset, adhuc lucernæ illæ mortuorum viverent. Tandiu igitur flamma durabat, quandiu alimentum, ut vis tota ab oleo fuerit, non ab elychnio, aut ab utroque, nisi utrumque, horum sententia fuit immortale: Saltem si asbestina fuissent elychnia in omnibus, aut plurimis reperta fuissent, flammis illibata; quod præter Ludovicum Vivem, nemo vidit, aut prodidit. Quod de asbesto, idem de Amianto dicendum, qui ut ait Plin. *lapis est, alumini similis, nihilque igni deperdit*, id est, & ipse asbestos est. Quanquam Plutarchus ait ætate sua, hanc lapidis virtutem evanuisse. Ex his etiam suspecta Pausaniæ narratio de lucerna annum ardente, ob funiculum Carpasium. Tota igitur vis in oleo æterno, quod an fieri humana arte potuerit, cum istis Philosophis non disputo: sed nunquam factum, satis aperte hactenus comprobatum credo. Itaque finem faciam, si antequam extremæ fatalis lychni reliquiæ difflantur, unum adjecero, cur istæ Lucernæ, non diu arsuræ, illis sepulchrorum oculi, brevi claudendi, mortuis apponerentur.

Licetus duas affert causas. Alteram moralem, sive Politicam, ut ipse appellat. Nempe in signum nobilitatis: quod nonnisi e Nobilium sepulchris hujusmodi lucernæ eruantur. Sed quis hoc affirmare ausit? Nam si vulgaris erat illa perpetui luminis conficiendi ratio, qua lege, aut more, soli Nobiles lumen illud sibi vendicarunt, & miseros plebejos his sacris arcuerunt? Si ob rei pretium, saltem de plebe divites, hoc cæteris funerum sumptibus adderent. Quod vero addit, Vestalibus, cum vivæ defoderentur, ideo appositam lucernam ardentem, quod essent nobilissimæ, etiam hoc præter rationem est. Nam fortasse (causa enim in occulto est) cum etiam cibi iisdem apponerentur, ut ait Plutarchus, ad illas novissimas epulas, lumine opus fuit: sive ut pœnam crudelissimam oculis usurparent, & morti suæ interessent: aut demum viventibus & mortuis eadem lucerna, ferali officio famularetur. Quidquid sit, quale hoc nobilitatis signum occultum, & latens? Signa sunt exteriores notæ, & rei occultæ indicia. Quomodo autem abdita monumento lucerna, poterat defuncti nobilitatem testari? Non minus latens signum, quam circumsectio Judæorum. Numquid aperienda fuere sepulchra, ac Manes inquietandi, rimandæ mortuorum nobilitati, ut inspici posset, utrum lucernæ nobilium imagines fumosiores redderent, an terræ filii hoc honore spoliati, tumuli noctem durius ferrent? Satis ex ipsa Inscriptione, & mortis carmine, gentisque titulo nobilitas apparebat.

Alteram hujus instituti causam Physicam melius omisisset. Quod quum Ethnici superstitiosi crederent, defunctorum animas, umbras, simulachra, in sepulchro cum cadaveribus versari, ideo ardentes perpetuo lucernas ibidem positas, ne misellæ animulæ, frigidulæ, nudulæ, jacerent in tenebris, quas tantopere etiam vivi infantes perhorrescunt. O rem jucundam! Quis autem sensus animabus, ubi oculi, aures, unde metus tenebrarum? Dulces næniæ, & lugentium puerorum oblectamina.

Jacobonus in *Appendice ad Fontejum* existimat id factum in signum immortalitatis, item grati animi adversus Manes. Foxius Liceto prævivit, scilicet morem inde ortum, ut ostenderent animas eandem sedem incolere. Ne igitur anima, quum

exuvias suas osculari vellet, aberraret, & unam partem pro altera suaviaretur, teste lucerna, micante, ac lucida opus fuit, ne cum vetus hospitium revisere cuperet, postico ingrederetur.

Mihi Jacoboni opinio, donec meliora succurrant, non ita absurda videtur, in signum animæ immortalis, si tamen hoc Ethnici homines credebant. De Christianis non dubitaverim, etiamsi lumen non esset perpetuum, symbolum quoddam & imaginem lucis illius, quam vita functis rite, solemni carmine adprecamur. *Et lux perpetua luceat eis*. Sive in honorem defuncti, & ideo ajebat Augustus, Masgabæ tumulum facibus honora- A tum. Fuerit igitur apud Ethnicos genus expiationis, cujus ex Athenæo mentionem supra fecimus, cum cerei ad tumulos accenderentur mense Februario. Apud Christianos, etiam extra tumulum, solemnis ritus, ac pietatis officium, æternæ, beatæ lucis argumentum.

Et hæc *de Veterum Lucernis* nimis fortasse multa. Itaque manum de tabula, ne vos, Auditores optimi, tot olfecisse Lucernas, tetramque fuliginem bibisse tædeat, ac pigeat; & hæc nostra, olere Lucernam, & lecythum aliquis nobis objiciat.

F I N I S.



PICTURÆ ANTIQUÆ SEPULCRI NASONIORUM

IN VIA FLAMINIA:

DELINEATÆ ET ÆRI INCISÆ

A

PETRO SANCTO BARTOLO:

EXPLICATÆ VERO ET ILLUSTRATÆ

A

JOANNE PETRO BELLORIO:

EX

ITALICA LINGUA IN LATINAM VERTIT

LUDOLPHUS NEOCORUS.

ALL' EMINENTISS. ET REVERENDISS. PRINCIPE

IL SIGNOR CARDINALE

D. LUIGI FERDINANDO

PORTOCARRERO

PROTETTORE DI SPAGNA, ARCIVESCOVO DI TOLEDO, PRIMATO DELLE SPAGNE, DEL CONSEGLIO DI STATO, E GIA VICE RE, E CAPITANO GENERALE DEL REGNO DI SICILIA, TENENTE GENERALE DI MARE, ET AMBASCIADORE STRAORDINARIO DELLA MAESTA CATTOLICA IN ROMA.



IN queste Immagini sepolcrali io non porto a Vostra Eminenza lugubri rami di funesti Cipressi, mà in esse le consacro Eliconie corone di sempre verdi Allori inteste per mano delle Muse, all'Immortalità, come ben fù cantato per eterno honore della Poesia: MUSA VETAT MORI. Ecco fregiate con li serti più belli di Parnaso, l'essequie de Nasonii, e le memorie del gran Vate Ovidio gloria de' Peligni, che l'Eminenza Vostra ravviserà adombrate alla similitudine di quelle, che con vivi colori Ella medesima vidde effiggiate nel cavo speco del Sepolcro; all'hora che vinta la Morte, l'ombre rinchiuse si aprirono a serenissimo giorno. Supplico Vostra Eminenza a concedermi che io vanti la mia sorte, mentre delineando l'Immagini stesse, ella si degnò rivolgere il suo benignissimo sguardo sopra i miei disegni, & approvarli nell'immitatione de'gli antichi originali delle Pitture. Laonde queste, che nel discoprirsi alla luce, risulsero all'hora allo splendore della sua Eminentissima Persona, oggi per comparire più belle al publico ne'medesimi disegni di queste mie Stampe, ricercano di nuovo il loro Sole, non riconoscendo altro raggio, che quello del di lei gloriosissimo Nome. Ma io nell' offerirle in voto all' Eminenza Vostra, le appendo nel tempio dell'heroiche Virtù sue, le quali derivando dal vetusto valore de' gli Avi, hora si venerano in lei, e fregiano la Sacra Porpora, che l'ammanta. Nel quale atto della mia riverentissima divotione, io concorro con li publici applausi, che tuttavia in Roma, e nell'Italia, & oggi nella Spagna, ed in tutte le parti chiaramente risuonano la sua somma Religiosa Pietà verso Dio, & le cose Sacre, & la sua magnanima splendidissima Beneficenza verso il publico. Resta à mè il supplicarla a degnarsi di ricevere con l'usata sua benignissima gratia, la presente mia humilissima espressione, e di pregare sua Divina Maestà che lungamente conservi la sua Eminentissima Persona, a cui profondissimamente m'inchino.

DI VOSTRA EMINENZA

Humilissimo Divotiss. & Ossequiosiss. Servo

PIETRO SANTI BARTOLI.

INTRODUCTIO
AD
PICTURAS ANTIQUAS.



HAUD levis sane jactura ducenda est, quod ad ætatem nostram non æque veterum Pictorum, ac Sculptorum & Statuariorum, eximia pervenerint Opera, neque contingat nobis hodie videre Apellem, Zeuxem, Parrhasium & Timanthem, ut Romæ admiramus Apollonium, Agasiam, Glyconem, Cleomenem, plurimosque alios, qui ex illustrioribus Athenarum & Græciæ Scholis prodierunt. Nimirum, tot incendiis & ruinis ita prorsus interierunt & absumpta sunt præclara illa Picturæ Decora & ornamenta, ut nihil præter sui desiderium nobis reliquerint, & memoria tantum illorum, in Veterum scriptis & monumentis superstes, ad ætatem nostram propagata fuerit. Quare, si quis de præstantia Graphices, sive Picturæ Veterum judicare volet, oportet eam metiatur artificio statuarum illarum, quæ nostro tempore adhuc supersunt, & priscorum artificum summam industriam, ingeniumque summum abunde declarant. Pictura enim & Sculptura, tam arcto quasi necessitudinis vinculo, quod ad studium, judicium, & ingenii vim adtinet, junctæ sunt, ut, si solam marmoris & coloris differentiam tollas, in reliquis omnibus amicissime conspirent, & una tantum ars videantur, eodem quasi ingenii humani partu editæ, & ad eundem finem omnia referentes, nimirum ut Naturam, altera cælo in marmore, altera penicillo in tabula, artificiose imitentur. Hinc mirum non est, duas has artes, sive earum ortum, sive interitum, sive palingenesiam spectes, eadem fata, easdemque vicissitudines semper expertas esse; sic ut ab utraque eadem exempla, & similia prorsus documenta peti possint. Quamvis autem non habeamus hodie antiquæ Picturæ exemplaria, quæ certare possint cum Operibus priscorum Sculptorum; non tamen credendum est, ita omnia, quæ felix veterum pictorum solertia produxit, oblivionis tenebris involuta & quasi sepulta jacere, ut ne ulla quidem pristinæ lucis scintillula nobis relicta fuerit. Certum enim est, Raphaelem Urbinatem, hodiernæ Picturæ restauratorem & Principem, nonnullas hujus generis reliquias, in ruderibus & ruinis inventas, in lucem revocasse, ad quarum imitationem cum in pingendo studiose se componeret, artem hanc ad summam elegantiam & perfectionem, ad quam veteres Græci eam perduxerant, & a qua ante ipsius ætatem longe aberat, excoluit. Is primus oculos suos conjecit in vestigia picturarum antiquarum, quæ Romæ in Thermis Titi & Trajani, nec non in celebri Villa Adriani, quæ Tibure est, uti & in Crypta Neapolitana & Puteolana, ad ipsius ætatem usque duraverant: Imo fama est, eum in Græciam misisse homines, pingendi peritos, qui colligerent reliquias operum illorum, quæ Græcis immortalem gloriam pepererunt. Easdem picturas optimo cum successu imitandas sibi proposuerunt Julius Romanus, Polydorus, & Johannes Utinensis, qui in Palatium Vaticanum rarissima quæque Villæ Tiburtinæ ornamenta transtulit; eodemque modo alii discipuli secuti sunt laudabile exemplum magistri sui Raphaelis, qui in Vaticano æternitate digna exempla Heroicæ Picturæ, qua Veteres excelluerunt, nobis reliquit, &, sive coloris præstantiam, sive ipsum deformandi artificium spectes, in vitam quasi revocasse dicendus est admirabilem illam artem, quæ Zeuxem, Parrhasium & Apellem immortalitati commendavit. Cæterum, persuasus sum, si in eruendis e terra & ruderibus Veterum picturis, eadem, quæ in quærendis statuis & marmoribus, poneretur opera & studium, nos plura sane hujus generis reperturos esse monumenta, ex quibus Antiquorum in hac arte præstantia multo clarius perspici posset. At vero, quod nunc ejusmodi monumentis careamus, id adscribi potest negligentiæ nostræ, & culpæ fossorum, qui dum ob nimiam aviditatem minus circumspecte lapides aliaque fragmenta e terra extrahunt, in frusta aliquando comminuunt optimas Antiquitatis reliquias. Nos igitur, antquam nos accingamus ad explicandas imagines Sepulcri Nasoniorum, proponemus nonnulla alia Picturæ antequæ monumenta, reperta in Cryptis Romanis, quæ hic Inttoductionis loco nobis erunt.

Ex Picturis antiquis omnium primo inventæ fuerunt illæ, quas servat Pyramis Caii Cestii, penicillo expressæ sæculo Augusti. Quatuor nimirum Victoriæ in ipsa testudine, & quatuor fœminæ funereæ in parietibus; figuræ exiguæ, & artem nondum omnino excultam præ se ferentes. Picturis veterum Romanorum, sæculi melioris genium spirantibus, annumerari merentur tenues illæ reliquiæ, quæ conspiciuntur in parietinis Domus Titi, in eadem camera, ubi fuit inventus Laocoon; quæ adeo placuerunt Annibali Caraccio, ut earum formam sua manu scripserit; cujus exemplum, æri incisum a Petro Sancto Bartolo, libris nostris inseruimus, & in lucem edidimus. Formæ picturarum earum, quæ in eadem Domo, & Thermis Titi supersunt, coloribus aqua dilutis pulcherrime expressæ asservantur in celebri Bibliotheca Escurialium, quarum exempla Cardinalis Camillus Maximus, cum ex Hispania, in quam Nuncius a Pontifice missus fuerat, rediisset, secum Romam tulit, eaque exhibentur in grandi ejus volumine de Picturis Veterum. Nimirum in folio chartæ repræsentantur testudo cameræ, in plures sectæ partes variorum colorum, in cujus medio est sphæra cœlestis, in qua depictæ sunt nuptiæ Jovis, qui nubi insistens amplexatur Junonem, Amore juxta stante, qui sagitta Jovem petit. E regione conspiciuntur Pallas & Mercurius cum vase Ambrosiæ; & in quatuor lateribus quatuor Nymphæ: una vecta Pistrice, altera Delphino; duæque reliquæ videntur esse Europa & Helle, insidentes una Arieti, altera Tauro; quibus ornamenti loco aliæ figuræ exiguæ adjectæ sunt. In primo & antiquissimo picturæ hujus exemplari scripta sunt ista verba: De Domo aurea Neronis: Forte, quia credebatur, Domum Titi superstructam fuisse ruderibus Domus Neronis, ibique superstites mansisse picturas Amulii illius, cujus Plinius cum præclara laude meminit. Ex eodem sæculo beato & cultiori ad nos pervenit torus conjugalis in Horto Aldobrandino in Quirinali, erutus ex Exquiliis prope S. Julianum, sub Pontificatu Clementis VIII. quæ pictura haud sane discrepat ab elegantia Raphaelis, ut datur cernere ex primo exemplari, nec non ex forma, quam idem Petrus Sanctus Bartolus delineavit, & cum Observationibus nostris in lucem edidit. In Palatio Farnesiano Romæ cernitur elegantissima pictura, ex villa Adriani eo translata, quæ encarpis adornata est, exhibens larvam & duos pueros, nec non dimidiam Nympham, & dimidium equum, ex umbra frondium arborumque prodeuntes; quas figuras Vitruvius vo-

cat, Monſtra & dimidiata ſigilla, *& Itali* Grotteſche. *Inter picturas, quæ aſſervantur in Bibliotheca Cardinalis Maximi, ſunt & hæ: Nativitas Adonidis, ex ſtipite Myrrhæ editi, quæ offertur Veneri a Nympha genua flectente; idem Adonis retentus a Venere, cum venatum iturus eſſet, & chorea trium Nympharum: quæ reliquiæ e terra fuerunt erutæ in Exquiliis, prope Amphitheatrum. Non omittemus hic Nympheum Barberinum, & ob varia eruditionis antiquæ monumenta, & ob picturam memorabile, de quo alio loco egimus. Inventum id fuit in fundamentis Palatii Barberinorum, & ruderibus Circi Floræ in Valle Quirinali. In Clivo Scauri quoque ſuperſunt adhuc picturæ, in camera ſubterranea horti, qui contiguus eſt Eccleſiæ S. Gregorii, in quibus exhibetur feſtivitas quædam, quæ ab hominibus, in naviculis ſedentibus, celebratur; nec non cantus & luſus puerorum. Poſſemus hic alias quoque antiquæ Picturæ reliquias recenſere, niſi putaremus, nos ſat diu in his jam immoratos eſſe: Inſtituti ergo memores pergimus ad Sepulcrum Naſoniorum, quod illuſtrare & explicare nobis eſt propoſitum.*

INDEX TABULARUM.

PICTURÆ ANTIQUÆ SEPULCRI NASONIORUM

IN VIA FLAMINIA:

DELINEATÆ ET ÆRI INCISÆ

A

PETRO SANCTO BARTOLO:

EXPLICATÆ VERO ET ILLUSTRATÆ


A

JOHANNE PETRO BELLORIO

E X


ITALICA LINGUA IN LATINAM VERTIT

LUDOLPHUS NEOCORUS.



Ui Romam triumphantem & florentem quondam viderunt, merito admirati sunt amplitudinem & magnificentiam Urbis, quæ vocata fuit Urbs Deorum, Templum & miraculum Mundi: Quippe nos, qui ejus ruinas contemplamur, in admirationem adhuc rapiunt cineres & rudera, videntes, ne in ipsis quidem bustis & sepulcris mori posse eam, cui cognomen *Æternæ & Immortalis* datum fuit. Inter busta autem & sepulcra Urbis Romæ, valde memorabile est *Sepulcrum Nasoniorum*, si modo tam nobile monumentum vocari debeat sepulcrum, & non potius Museum & Parnassus Deorum Manium. Sive enim elegantiam & pulcritudinem picturæ, sive ipsas imagines penicillo expressas, sive memoriam ejus Poetæ consideres, qui Apollini & Musis adeo gratus fuit: antrum hoc funestum, discusso omni horrore, non atra & ferali cypresso inumbrari, sed immortalis lauri frondibus efflorescere; & lætis potius cantibus, quam threnis & lamentis personare videtur. Nimirum, in hoc monumento exhibetur Sulmonensis Poeta Ovidius Naso, quem comitatur dilectissima ejus Erato, dulci citharæ cantu exprimens suavitatem carminum illorum, quæ blandis suis numeris ferocissimos etiam Tomitanos, & maxime barbaros Ponti accolas demulcere potuerunt. Accingamur nunc ad imagines tam memorabilis monumenti, quæ in his paginis delineatæ sunt, ordine explicandas, & ipsas Musas ad exequias Vatis sui vocemus.

Veteres sepulcra & monumenta sua non solum in locis privatis, sed etiam in Viis publicis exstruere solebant, ut transeuntes & iter facientes defunctorum Titulos & Elogia legerent, mortuisque terram levem, quæ illorum cineres tegebat, precarentur. Harum Viarum celebriores erant Aurelia, Ostiensis, Appia, Latina, Lavicana, Prænestina, & Salaria, in quibus adhuc exstant lacera sepulcrorum antiquorum vestigia & rudera. Inter eas autem omnes vel maxime conspicua erat Via Flaminia, cujus, præterquam quod multas adhuc inscriptiones & reliquias sepulcrorum servet, frequens etiam apud Auctores fit mentio. Juvenalis in *Satyra prima*, timens perstringere vitia hominum suo tempore



TAB. III

Divisionum, quae fiunt in Late... Camerae Sepulcralis

viventium, ad mortuos se convertit, sibique proponit Romanos in Via Flaminia & Latina sepultos:

—— Experiar, quid concedatur in illis

Quorum Flaminia tegitur cinis, atque Latina.

Apud Martialem legitur Epigramma Paridis Pantomimi, Liberti Neronis, sepulti in Via Flaminia, in qua etiam fuit sepulcrum Glauciæ infantis, cujus idem Poeta, uti & Statius mentionem faciunt, & quem universa Roma luxit:

—— Plebs cuncta, nefas, & prævia flerunt

Agmina, Flaminio quæ limite Milvius agger

Transvehit, immeritus flammis dum tristibus infans

Traditur.

In eadem Via Flaminia, trans Pontem Mollem, collis surgit, a quo duæ in diversum exeunt Viæ, quarum una, eaque sinistra, est Via Claudia, quæ ibi incipit facere divortium a Via Flaminia; altera est ipsa Flaminia, quæ primo ascendens, & deinde descendens ad prata *Turris Quintiæ*, & ad *Rivum Aquæ Transversæ*, non procul inde fert ad rupem, dictam *Grotta Rossa*, olim *ad Rubras*, quæ ibi initium habet, circiter milliare & dimidium a ponte distans, & a sinistra Viam eandem objectu suo tegens, ubi videntur vestigia antiqui ergastuli, in plures cavernas in topho excisi. Cum anno 1674. reficeretur Via Flaminia, ut ii, qui Romam tenderent, commodiori uterentur itinere, contigit, ut anno sequenti 1675. qui erat annus Sanctus principio veris, sive mense Martio, cæmentarii latus dictæ rupis, quæ proxima erat, cædentes, ad asportanda inde saxa, aliamque materiam, muniendæ Viæ aptam, ex improviso audirent sonum ex rupe redditum, & foramen in fornice cameræ cujusdam aperirent; in quam cum illico descendissent, hypogæum vel domum quandam subterraneam offenderunt, opere tectorio picturisque pulcre ornatam, adeo ut attoniti starent admiratione spectaculi, in quod præter omnem opinionem inciderant, ut in Tabula I. num. 1. quæ faciem exteriorem rupis & cavitatem Sepulcri repræsentat. Invenerunt ibi duos Sarcophagos, sive arcas sepulchrales, ex marmore Tiburtino factas, magnitudini & mensuræ corporis humani respondentes, sed adeo terræ immersas, & limo opertas, ut vix videri possent, idque ideo, quoniam ex aquis paulatim per rimas & poros tophi penetrantibus, collectum erat lutum, quod diuturno tandem temporis tractu duritiem contraxerat, & eo altitudinis excreverat. Arcæ erant obductæ plumbo, & ferreis laminis clausæ, secundum morem Antiquorum, qui ossa & cineres mortuorum suorum in Sarcophagis & urnis religiose custodire solebant. Cæmentarii autem, putantes, thesauros intus esse conditos, aviditate cœci, laminas plumbi & ferri, nec non operculum arcæ illico confregerunt; quod ubi fecissent, egregie se delusos viderunt, quippe nihil præter terram, & laceras ossium reliquias ibi invenientes.

Monumentum hoc habet introitum ad radices rupis, & supra latus Viæ Flaminiæ, ubi antiqua ejus janua sita est, ut apparet ex eadem Tabula I. num. 2. & ex Tab. II. Ichnographiæ, num. 1. Janua spectat Orientem, forma quadrata in vivo saxo excisa, & postibus, e marmore Tiburtino factis, firmata, septem palmos alta, quinque & dimidium lata; quæ postes hodieque ibi conspiciuntur. Frontispicium adornatum erat quatuor columnis Corinthiis, & encarpis, (Itali illud ornamenti genus *Festoncini* appellant) in eodem saxo excisis; quarum columnarum vestigia ad hanc usque durarunt ætatem. Columnæ autem ipsæ ex loco suo deciderunt, una cum reliquis ornamentis, cum terra effoderetur, qua ipsæ obrutæ & opertæ erant. Frontispicium Sepulcri ea forma, quam olim habuit, repræsentatur in Tab. I. num. 3. Cæterum, trabs januæ nonnihil altius subducta fuit, cum eo loco fenestra clathrata aperiret, per quam intromitteretur lux: Unde colligitur, cum monumentum hoc intus fuerit tenebrosum, & luci diurnæ inaccessum, imagines ejus ad lumen lucernæ vel candelæ pictas fuisse. Tota monumenti capacitas, una cum fornice sua, instrumento fabrili excavata est in hoc saxo, & gypso inducta. Habet longitudinem quadraginta palmorum, paulo minus; latitudinem vero, viginti, ut Ichnographia declarat. Testudo ejus est altitudinis, quæ proportioni longitudinis & latitudinis respondeat. Parietes laterales habent loculos, in quibus collocabantur mortui; terni in singulis lateribus, ut patet ex Ichnographia num. 2. & Tab. III. Sectionum, num. 1. ubi pars parietis lateralis repræsentatur. In loculis his cernuntur pictæ variæ fabulæ & figuræ; aliusque loculus præter eos excavatus est in capite cameræ, & e regione januæ. Unusquisque loculus ad profunditatem palmorum septem in saxo solido excisus, habet altitudinem palmorum quatuordecim; latitudinem vero palmorum novem; omnibusque in parte superiore addita sunt ornamenta gypsea ejusdem generis (ut in eadem Tab. III. num. 2.) & encarpa. Præterea, forma illorum habet fere proportionem quadratam, & superior pars curvatur in arcum. Inter binos loculos positæ sunt duæ columnæ planæ, cum capitellis Corinthiis ex gypso, in campo cœruleo, distinctæ colore flavo, num. 3. in quarum medio conspicitur juvenis sive Genius, ad vivum depictus, in campo rubro, tenens manu calathum florum, num. 4. Juvenis ille stat erectus, instar statuæ, in spatio

ſuo quadrilatero : Frondes caput illius coronant , & corpus nudum ſola chlamys ; variis diſtincta coloribus, velat. Primum hunc loculorum ordinem, eo , quo dictum eſt , modo diſpoſitum , in parte ſuperiore ornat coronis ex gypſo (*cornicione de ſtucco*,) in qua repræſentantur exiguæ figuræ monſtrorum marinorum & Sirenum, quæ caudas ſuas, quibus piſces imitantur , ſibi invicem obvertunt.

Primum hunc ordinem excipit alter ſuperior , non loculis , ſed ſpatiis minoribus , quæ varias fabulas depictas exhibent, diſtinctus. Singula latera quinque habent fabulas, num. 6. interpoſitis itidem columnis Corinthiis, cum Cupidinibus Volantibus in campo miniato , qui manibus patellas & calathos florum geſtant , ut repræſentat num. 7. ubi cernitur ornamentum illud ſuperius , quod ad aliam coronidem pertingit , a qua curvatio teſtitudinis initium capit, num. 8. Lithoſtrotum, ſive Muſivum candidum pavimenti, diſtinctum eſt lineis nigris , ita teſſellas percurrentibus, ut effingant formam rhomborum geometricorum, quorum ſingulis perbelle inſertus eſt floſculus, itidem niger, in campo candido, ut adumbrat eadem Tab. II. Ichonographiæ , num. 3.

Antequam vero deſcribere aggrediamur teſtudinem ſuperiorem cameræ, cum ſuis imaginibus & ornamentis, conſiderabimus fabulas ſive picturas loculorum, quorum ternos, ut ante dictum, quodque latus habet. Ante omnia vero examinandus nobis eſt Titulus Sepulcri, & nomen Patrisfamilias, cui id dedicatum eſt ; quoniam egregiam hac de re differendi materiam nobis præbet inſcriptio, ſive lapis ſepulcralis marmoreus, & pictura loculi primarii, in capite cameræ, ſive e regione januæ, excavati, ut oſtendit Tab. III. & Tab. V. num. 1. & ſequentibus. Conſervatur in illis memoria & imago Ovidii, quæ tanquam præcipuum monumenti hujus ornamentum, in primo cameræ ingreſſu ſpectantibus ſeſe offert. Inſcriptio inventa in terra , in eodem loculo , ſub pictura, mentionem facit Quinti Naſonii Ambroſii, & Naſoniæ Urbicæ, uxoris ejus; unde confirmatur id quod diximus.

D. M
Q. NASONIVS. AMBROSI
VS. SIBI. ET. SVIS. FECIT. LI
BERTIS. LIBERTABVSQVE
NASONIAE. URBICAE
CONIVGI. SVAE. ET. COL
LIBERTIS. SVIS. ET
POSTERISQVE. EOR

TABULA V.

IN parte interiori loculi cernitur depictus Poeta laureatus, num. 2. qui converſus ad Mercurium, quaſi ſecum loquentem, protendit ad eum manum dextram, ſurrecto digito indice, ſpeciemque præbet recitantis preces, vel carmen, ad propitiandum ſibi Deum iſtum, cui, ſecundum Antiquos, imperium & poteſtas in umbras ſive animas defunctorum data erat. Mercurius num. 3. ex adverſo conſiſtit, & manu ſiniſtra caduceum tenens, dextramque aperienti ſimilis, videtur vatem intuens ad ejus verba & carmina animum advertere. Caput ejus alatum eſt; corpus nudum , cui chlamys cœrulea injecta, quo habitu Deus iſte depingi ſolet, ut natura ejus aerea, a cœlo ad terræ centrum, ſive a Superis ad inferos frequenter commeantis, adumbretur . Poeta lauro ornatum caput habens, & amictus pallio coloris flavi , quod circa ſinum complicatur , extendit manum , & brachium parte dimidia nudum . Cætera enim tunica violacea operit . Ad latus ſedet Muſa , num. 4. quæ ſiniſtra manu citharæ impoſita , & dextra in femur reclinata , tenet tibiam , vel tubam longam , tres claviculas habentem , num. 5. Eadem Muſa comas habet frondibus lauri ornatas, & cum cæteras quidem partes corporis veſtis rubra operiat, brachia tamen nuda ſunt, armillis aureis cincta; pallio flavo ſupra femur & cura expanſo. Pone Mercurium ſtat fœmina, num.6. tota pallio violaceo velata, ſola facie & altera manu exceptis. Cum conſideramus inſcriptionem, in eodem loculo inventam , Poetam Ovidium in hac imagine agnoſcimus . Facies dimidia repræſentatur, penitus raſa, ſecundum morem ſæculi Auguſtei, quo barba radi ſolebat; habituſque ejus eſt togatus. Muſa, quæ ei adſtat, videtur eſſe chariſſima ipſius Erato, cujus opem lib. II. de *Arte amandi* ita implorat:

Nunc mihi, ſi quando puer & Cytherea favete,

Nunc Erato, nam tu nomen Amoris habes.

TAB. V.



TAB. VI.



Metamorphoses Ovidianæ possunt etiam dici amatoriæ, quoniam plerumque de Fabulis eroticis agunt. Plato in *Phædro* dicit, eandem Erato amantibus favere; & Papinius Statius, in *Epithalamio Stellæ & Violantillæ*, Musam hanc ad colloquia nuptialia invitat:

Hic Erato jucunda doce, vocat apta movere
Colloquia, & docti norunt audire Penates.

Tibia longa, tribus claviculis prædita, quam Musa manu dextra tenet, num. 5. similis est ei, quæ depicta est in Pyramide Caii Cestii; eaque itidem ad funebria pertinet. Quod ad Mercurium Inferum attinet, ejusque potestatem, quam habebat in animas mortuorum, eam sic describit Horatius, lib. 1. *Carm.* od. x.

Tu pias lætis animas reponis
Sedibus, virgaque levem coerces
Aurea turbam, superis Deorum
Gratus & imis.

Et videtur sane Mercurius propitium se præbere Ovidio, eumque vel deduxisse, vel deducere velle in Campos Elysios; in quibus, ut Antiqui finxerunt, animæ Poetarum, cum ex corpore migrassent, vitam agebant beatissimam, omnique gaudiorum & voluptatum genere affluentem; sicuti Virgilius lib. VI. *Æneid.* scribit de Orpheo, Musæo, aliisque Poetis, quos Æneas, cum apud Inferos esset, vidit tempus suum suaviter consumentes cantibus, choreis, plectro & lyra:

Pars pedibus plaudunt, choreas, & carmina dicunt.
Nec non Threicius longa cum veste Sacerdos
Obloquitur numeris septem discrimina vocum,
Jamque eadem digitis, jam pectine pulsat eburno.

Restat ut dicamus de Figura quarta, quæ amictu violaceo operta est. Est ea forsan Perilla, Ovidii conjux, valde ab eo amata, & quam ipse ex singulari amore & benevolentia Poesin docuit, ut suavius & conjunctius cum ea, iisdem studiis dedita, viveret. Habitus & amictus ejus talis est, quali solebant pingi animæ post mortem, ut in sequenti Figura videbimus.

Cum fama picturarum harum antiquarum, & imaginis Poetæ, quam illustrabat inscriptio Nasoniorum, monumento hoc invento, Romam perlata esset, rumorque illico de Ovidio percrebuisset, haud secus, ac si Syracusis sepulcrum Archimedis inventum fuisset, plurimi eo confluxerunt nobiles, plebeii, cives & peregrini, Viaque Flaminia multos dies celebrata fuit magna frequentia hominum, qui cupidi erant tanti Poetæ imaginem & sepulcrum oculis usurpandi: Adeo potens est amor virtutis, & desiderium videndi monumenta, legendique titulos & nomina virorum fama illustrium. Sic hodie Neapoli peregrini invisere solent sepulchrum Virgilii, quod Silius Italicus olim, tanquam templum, frequentare solebat; & Patavii celebratur monumentum Titi Livii: Ut multorum aliorum tam antiquorum, quam hodiernorum similia exempla brevitatis gratia hic omittam.

Quamvis autem imago primaria hujus monumenti sit Poetæ Ovidii, non tamen ideo credendum est, conditos hic fuisse ejus cineres, qnoniam in terris longissime inde remotis, Tomi nempe, urbe Ponti, vitam finivit. Inferemus hic, invitante occasione, epitaphium Ovidii, prout illud literis mandatum est ab Antonio Possevino in *Historia Familiæ Gonzagæ*. Narrat Auctor iste, cum Poloni aliquando excursiones ad Pontum Euxinum usque fecissent, eos inter rudera antiquæ & celebris urbis reperisse ingens Saxum, sequenti inscriptum epigrammate:

Hic situs est Vates, quem Divi Cæsaris ira
Augusti, patria cedere jussit humo.
Sæpe miser voluit patriis occumbere terris,
Sed frustra: hunc illi fata dedere locum.

Narrat deinde idem Auctor, Polonos, Saxum hoc inter reliquam prædam non minimi pretii ducentes, illud sex bobus avexisse, (tantæ erat magnitudinis) seque id vidisse Gnesnæ, unde

Cracoviam transferendum erat, niſi mors Regis Stephani mox inſecuta fuiſſet. Ex ſenſu autem horum verſuum colligitur, eos non fuiſſe ſcriptos eo tempore, quo Ovidius mortuus eſt, ſed alio tempore. Cæterum, offert ſeſe hic dubium aliquod, quod videtur evertere omnia, quæ hactenus de imagine Ovidii Poetæ dicta ſunt. Familia enim Naſonia, cujus memoriam conſervat lapis ſepulcralis Quinti Naſonii Ambroſii, ſupra deſcriptus, non videtur convenire huic Poetæ, ſed diverſa eſſe a familia Ovidia, ex qua natus eſt Publius Ovidius, appellatus *Naſo*, non nomine familiæ, ſed cognomine peculiari. Ad hoc reſponderi poteſt, non debere nobis ſcrupulum injicere diverſitatem nominum familiæ Ovidiæ & Naſoniæ, quippe quæ diverſitas oriri poteſt ex mutatione nominum, cum factum ſæpe fuerit, ut cognomina peculiaria mutarentur in nomina gentilitia, ob claritudinem eorum, qui tali cognomine inſigniti eſſent, vel aliis ex cauſis. Abunde, quod dixi, probat Macrobius in *Saturnalibus*, ubi loquitur de cognomine *Prætextati*, quod a Senatu Romano Papirio honoris cauſa tributum, poſtea abiit in nomen familiæ *Prætextatorum*, ut ibi docet aliquis ex eadem gente ortus: *Hoc cognomentum poſtea familiæ noſtræ in nomen b eſit*. Et paulo inferius: *Nec mirum ſi ex cognominibus nata ſunt nomina*. Eodem modo cognomen *Naſonis*, Ovidio olim proprium, propter famam viri, derivatum forte fuit ad ejus poſteros, qui priſcum nomen *Ovidiorum* mutarunt in nomen *Naſoniorum*, quorum unus fuit Naſonius Ambroſius, in inſcriptione lapidis memoratus. Auctoritati Macrobii ſuccenturiatur imago Poetæ cum ſua Muſa, quæ magis confirmat opinionem de Ovidio, ejuſque memoria ad poſteros in hoc monumento propagata, ut in ſequentibus dicemus. In opinione hac amplectenda, ſufficiunt nobis rationes probabiles, quibus effugiamus reprehenſionem illorum, qui forte diverſis argumentis ſententiam noſtram labefactare conabuntur. Opinionem noſtram multum quoque juvare poſſet ſitus Hortorum Ovidii, in quibus nonnulli crediderunt monumentum hoc exſtructum fuiſſe, idque ex more Antiquorum, qui ſepulcra gentilitia in villis ſuis extra urbem habere ſolebant. Cæterum, præferenda mihi videtur ſententia Cluverii & Boſii, qui exiſtimant, Hortos Ovidii ſitos fuiſſe in colle trans Pontem Mollem, ubi Claudia & Flaminia, ut initio diximus, divortium faciunt; vel, uti Nardino videtur, in alio colle, qui ponti propior eſt, ad ſiniſtram in Via Claudia, cui hodie taberna ſubjecta eſt; quæ loca certe a Sepulcro nimis remota ſunt. Ovidius ipſe Hortorum ſuorum ſitum ſic deſcribit, el. VIII. lib. I. *de Ponto*:

Nec quos pomiferis poſitos in montibus hortos
Spectat Flaminiæ Claudia juncta viæ.
Quos ego, neſcio cui, colui, quibus ipſe ſolebam
Ad ſata fontanas, nec pudet, addere aquas.

Ut redeamus ad imaginem ſepulcralem Ovidii, unde divertimus; cognoſcimus ex ea morem priſcum, quo illuſtri & nobili proſapia orti, imagines & clypeos Majorum ſuorum, præcipue eorum, qui præ cæteris inclaruiſſent, in apparatu funebri omnium oculis exponere ſolebant; quod, præter alia exempla, teſtatur etiam Figura Poetæ hujus. Quod ad vetuſtatem monumenti hujus adtinet; ex forma characterum, quibus Inſcriptio Naſonnii Ambroſii exarata eſt, colligi poteſt, fabricatum illud fuiſſe ſæculo primorum Antoniorum, id eſt, Pii, vel Marci, paulo poſt florentiſſima Trajani tempora. Idem conjicitur ex pictura, quæ ſane non convenit infimæ Imperii ætati; quamvis id quidam putent, ideo quod quibuſdam figuris nonnihil artis deſit. Fabulæ, ut ex figuris huic libro inſertis patet, eleganter ſatis depictæ ſunt, ſive inventionem & diſpoſitionem imaginum, ſive earum actiones, habitum, & veſtitum ſpectes, qui optime ſane convenit cum ſculpturis melioris ſæculi, & cum conſuetudine veterum Romanorum. Uti autem concedimus, aliquas harum imaginum a ſumma elegantia & perfectione artis multum abeſſe; ita contendimus, eſſe inter eas, in quibus peritus Pictor vix quicquam deſiderare poſſit; quales ſunt, imagines ad memoriam Ovidii pertinentes, Victoriæ in ſuperiore parte loculi, ubi in arcum curvatur, & Genii in fornice monumenti, quorum poſtea mentionem faciemus. Diverſitatis autem hujus cauſa eſſe poteſt, quod ad quaſdam imagines pingendas non fuerint adhibiti Pictores illi, qui iſto ſæculo inter reliquos excellebant; uti ſane apparet, figuras illas, quæ in centro monumenti hujus conſpiciuntur, a diverſis auctoribus profectas, negligentiuſque & exiguo cum ſtudio pictas eſſe. Ferenda igitur non eſt audacia & ignorantia quorundam Ariſtarchorum hodiernorum, qui nec rationem habentes eorum, quibus eruditi in pingendi arte ſunt oculi, nec conſiderantes ſatis dotes, quibus præcipue commendantur imagines, eas ſpernere omnino non dubitabant, ut Antiquorum gloriam elevarent. Cæterum, Picturis his plurimum nocuit aeris injuria, qua factum, ut colores antea vividi, nunc languidi & evanidi priſtinum decorem amiſerint, & tectorium gypſeum, quo fornix obducta eſt, humore corruptum & diſſolutum undique deciderit, adeo ut imaginum, reliquorumque ornamentorum, vix tenuia hodie ſuperſint veſtigia. Opportune evenit, ut Excellentiſſimus D. Gaſparus Altierius, laudabili ductus ſtudio, quo erga literas & Antiquitates Patriæ ſuæ flagrat, tria fruſta ex topho, ſive ſaxo, in quo excavatum eſt monumentum, juſſerit excidi, quorum unum continet integram Fabulam Oedipi & Sphingis; alterum repræſentat venationem tigridum, in qua ſpecula, ad feras has deludendas, adhibentur; tertium, eſt fragmentum, quod equum exhibet. Hæc tria monumenta hodie Curioſorum oculis expoſita ſunt in pergula Villæ Altieriæ, quam Excellentiſſ. Altierius magnifice ædificari curavit in Via S. Crucis Hieroſolymitanæ, in Colle Eſquilino. Quiſquis autem cupidus eſt videndi non ſolum formas & figuras has, ære deſcriptas, ſed etiam ipſas imagines coloribus ſuis veſtitas, adeat librum *de Picturis Antiquis*, collectis a Cardinale Camillo Maximo, quem qui inſpexerit, commendabit ſane diligentiam, & eximiam artem D. Petri Sancti Bartoli, qui non ſolum figuras has delineavit, & æri incidit, ſed etiam auctor eſt illarum imaginum, quæ in libro modo dicto coloribus aqua dilutis ad imitationem antiquorum exemplarium pictæ cernuntur. Has Picturas qui contemplatus fuerit, non poterit non admirari magnificentiam & ingenium vere heroicum Viri illius, cujus morte factum eſt, ut clariſſimum Cœli Latini Sidus exſtinctum ſit. Quoniam autem in hoc monumento inventæ fuerunt ſolæ oſſium reliquiæ, abſque ullo veſtigio rogi vel cinerum, unde colligere quis forte poſſit morem poſteriorum temporum, quibus cadavera humari ſolebant; nos intactam relinquentes quæſtionem de antiquitate combuſtionis & humationis, pergemus ad exponenda ea quæ hucuſque diſtulimus.

Quam-

Quamvis monumentum hoc extructum sit a Nasonio Ambrosio, ut supra dictum est, facile tamen intelligimus, fieri potuisse, ut longo temporis tractu, sicuti omnia mutantur, ita quoque Sepulchrum hoc a familia Nasonia, ad aliam gentem pervenerit, titulumque & nomen mutaverit; etsi lege prohibitum esset, ne loca sepulturæ destinata, utpote sacra & religiosa, a quoquam alienarentur. Manifestum hujus rei indicium est, quod iidem loculi repleti essent ossibus ad altitudinem duorum palmorum & dimidii, & quilibet loculus haberet ossium receptaculum, opere cæmentitio structum & regulis interstinctum, quod occultabat crura figurarum in tabulis depictis, (ut repræsentat Tabula II. Ichnographiæ, num. 4. Tab. III. num. 9. Tab. IV. num. 8. & Tab. V.) necnon imaginis Ovidii, in qua Poetæ, Mercurii, aliarumque figurarum partes inferiores ad genua usque, non sine gravi damno, desiderantur: Sic aliæ quoque in aliis loculis reperiuntur figuræ, eodem partium inferiorum defectu laborantes, ideo quod calx colorem ibi consumpserit & exederit. Neque suppletus a nobis est defectus ille, quoniam melius fore rati sumus, figuras ita repræsentare, quales in monumento inventæ fuerunt. Receptaculum uniuscujusque loculi, opere cæmentitio, ut diximus, structum, erat quadratum, in quo reliquiæ ossium, aliæ super alias ita jacebant, ut singulorum cadaverum ossa a reliquis separata essent interpositis tegulis, calce interlitis. Præter duas arcas, ex marmore Tiburtino rudi factas, quæ posteriorum sunt temporum, inventæ fuerunt quatuor inscriptiones, præter eam, quam supra diximus Nasonii Ambrosii esse; quæ omnes quatuor diversarum familiarum notam præferebant, iisque exaratæ erant characteribus, ut ætatem sæculo Antoninorum recentiorem facile proderent. Una ex his inscriptionibus valde erat barbara, syllabas in medio vocum punctis interstinctas habens, & valde rudibus scripta characteribus, quæ ætatis longe recentioris, ejusque temporis quo bonarum artium studia penitus jam exstincta erant, notas præferebat: Quæ inscriptiones in fine hujus Opusculi in uno folio junctim exhibebuntur. Ex iis igitur, quæ supra dicta sunt, intelligimus, sepulcrum hoc a Nasonio Ambrosio, uno ex posteris Ovidii, exstructum, post aliquot sæculorum decursum, deficiente tandem & exstincta familia Nasonia, ad alias familias pervenisse.

T A B U L A VI.

UT igitur in ordine loculorum & imaginum exponendo, a latere dextro initium faciamus; in loculo primo occurrunt picturæ ab humore corruptæ, eam ob causam, quod proxime rupis introitum sitæ sint. Ex illis tamen adhuc conspicitur figura primaria, (num. 1.) juvenis nimirum stans, & coronatus frondibus querceis, qui altera manu tenet pilum, vel hastam; alteram vero, mirabundo similis, aperit. Pallium violaceum, fibula gemmata in humero constrictum, pectori nudo transversum incumbit, laciniis inferiorem corporis partem tegentibus. Pone sequuntur duæ fæminæ, (num. 2.) Sed quæ usque ad pectus tantum agnosci possunt, quoniam una cum tectorio & pictura cecidit, adeo ut species illarum delineari non potuerit.

Juvenis ille frondibus coronatus, & hastam manu tenens, similitudinem refert antiquorum Heroum, quos fingebant beatam in Campis Elysiis agere vitam, similesque huic describit Virgilius futuros nepotes & successores Æneæ, quos ipsi pater Anchises apud inferos ostendit:

Ille (vides) pura juvenis qui nititur hasta,
Proxima sorte tenet lucis loca; primus ad auras
Æthereas, Italo commistus sanguine surget
Sylvius.

Postea Virgilius alios quoque, qui futuri erant conditores Urbium, & novorum Populorum, ornat corona quercea:

Et qui umbrata gerunt civili tempora quercu,
Hi tibi Nomentum, & Gabios, urbemque Fidenam,
Hi Collatinas imponent montibus urbes.

Sic Plato *de Republica*, ex sententia Musæi, animis justorum coronas tribuit: *Musæus item, atque ejus filius excellentiora etiam bona justis ab ipsis Diis tribui voluerunt. Apud inferos etiam agentes, ipsosque in Sanctorum conviviis collocantes, coronatos faciunt magna semper in voluptate ebrios vivere.* Tibullus quoque de Campis Elysiis loquens, Amantes, cantibus & choreis indulgentes, myrto, quæ Veneri sacra erat, coronat,

Illic est cuicunque rapax Mors venit Amanti,

Et gerit insigni myrtea serta coma.

Huc accedit, quod supra peripheriam loculi hujus, qui est primus a dextra, uti & supra peripheriam loculi, qui huic a sinistra oppositus est, videantur depicta arma & tropæa militaria, (num. 3.) nimirum vexilla, Dracones, tubæ, pharetræ & scuta. Ex his haud obscure colligimus morem Antiquorum, qui sepulcris suis insculpere solebant ea insignia, quæ significarent genus vitæ, quod defunctus esset sectatus, uti varia hujus moris in diversis studiis & artibus inveniuntur exempla: Nos de armis hic loquentes adducemus tantum exemplum Æneæ, qui arma Deiphobi, ad ejus tumulum suspendit:

Tunc egomet tumulum Rhæteo in litore inanem

Constitui, & magna Maneis ter voce vocavi:

Nomen & arma locum servant.

Elegans est factum, quod describit Seneca in Controversiis; ubi introducitur miles, qui amissis in acie armis, de sepulcro viri fortis arma tulit, eaque, hoste victo, eodem loco, unde abstulerat, reposuit: *Vir fortis in acie amissis armis, de sepulcro Viri fortis arma tulit. Fortiter pugnavit, & reposuit.* Multa tropæa, victorias, & arma videmus insculpta Sarcophagis marmoreis, quæ sunt argumentum vitæ militaris, cui defunctus deditus fuit.

TABULA VII.

Sequitur loculus secundus, (num. 1.) ubi pictura repræsentat juvenem, qui obviam it virgini, ad eam amplectendam, porrigens ei manum dextram, & aperiens sinistram, quasi lætitiam & amorem suum ob agnitionem declaraturus. Virgo vicissim, (num. 2.) ei porrigit manum dextram, & extendit sinistram ad accipiendum amplexum; rejecto a pectore, & brachiis pallio cœruleo, cujus laciniæ in sinu colliguntur. Juvenis quoque corpus nudat pallio violaceo, quod ab humeris utrinque decidit. Hunc sequuntur duæ Figuræ, (num. 3.) quarum prima est fœmina, portans manibus patinam, cibis repletam; eaque pariter conspicitur nudata pallio rubro; quod sub sinu expansum est. Videtur hæc pictura adumbrare agnitionem mutuam animarum in Campis Elysiis, quoniam Veteres credebant, defunctorum animas, purgatas a labe vitiorum, in hoc mundo contracta, in fortunata hæc loca migrare, ut ibi perpetua beatitudine fruerentur. Hinc sibi persuadebant, eos, qui in hac vita vinculo amoris & necessitudinis juncti fuissent, ibi sese mutuo agnoscere & amplexari. Sic Anchises, apud Virgilium, videns in Campis Elysiis filium suum Æneam, qui vivus ad Inferos descenderat, protensa dextra, gaudium suum testatur;

Ipse ubi tendentem adversum per gramina vid.t

Ænean, alacris palmas utrasque tetendit.

Æneas deinde ad patrem conversus, eum verbis amoris plenis rogat, ut in amplexus suos veniat;

——— Da jungere dextram

Da genitor, teque amplexu ne subtrahe nostro.

Verum est, Æneam brachia sua ter frustra extendisse, ad amplectendum patrem;

Ter conatus ibi collo dare brachia circum,

Ter frustra comprensa manus effugit imago,

Par levibus ventis, volucrique simillima somno.

TAB. VII.



TAB. VIII.



Poeta enim, quamvis animabus corpore cassis tribuat actiones & qualitates corporeas; quod ad effectum tamen adtinet, eas vanis tantum umbris, somno, & ventis similes esse dicit. In hac fictione Virgilius imitatus est Homericum Ulyssem, quem umbra matris Anticleæ, cum eam amplecti vellet, ter itidem frustrata est. Sed Dantes magis poetice in suo Inferno formans spiritum Virgilii, cum vere, & absque vana rei imagine suas manus tetigisse fingit:

Et poiche la sua mano à la mia porse;

Et quoniam sua manu meam tetigit.

Cæterum, adeo firma & constans erat persuasio Antiquorum, se eos, quos in hac vita amassent, iterum visuros, & cum iisdem versaturos, vitamque beatam acturos esse in Campis Elysiis, ut, referente Platone in *Phædone*, multi spontaneam mortem obire vellent, sperantes, se eorum, quos hic charos habuissent, jucundo aspectu post fata fruituros esse: *Multi sponte voluerunt ad Inferos proficisci; sperantes eos ibi visere, cum eisque versari, quos amaverunt.*

Quod ad juvenem adtinet, cibum in patina ferentem, is nos admonet moris, defunctis epulas apponendi, & placandi Deos Manes; a quo more cibos ad sepulcrum ferendi, orta sunt sacrificia, vocata *feralia*, ut docet Varro his verbis: *Feralia ab Inferis, & a ferendo, quod ferunt tunc epulas ad sepulcrum, quibus jus ibi parentare.* Unde eadem sacrificia a tali officio parentum appellata etiam fuerunt *Parentalia.* Credebant nimirum, epulas has gratas esse defunctis suis, quippe quibus illi vescerentur, & uterentur in altera vita; quam superstitionem false ridet Lucianus in Dialogo suo *de Luctu*, ubi filius mortuus fingitur reprehendere patrem suum, quod aram sepulcralem ornaret coronis, eique infunderet vinum, & delicatissimos cibos odoresque flammis adoleret: *Quid autem saxum, quod sepulcro imponitur coronis ornatum? aut quid valet quod merum infunditis? Num putatis illud ad nos destillaturum, & ad Orcum usque perventurum? Nam de Parentalibus ipsi quoque, ni fallor, videtis, quod ex apparatu potissimum ad nos redire debuerat, id fumo correptum, sursum in cœlum abire, neque quicquam juvare nos, qui inferne agimus. Porro quod superest, pulvis est inutilis; nisi creditis nos cinere vesci. Non est usque adeo sterile neque infrugiferum Plutonis regnum, neque nos destituet asphodelus, ut a vobis cibos huc deportemus.* Per *asphodelum* Lucianus intelligit herbam rusticam & vilem, quam innuit fuisse cibum Manium & defunctorum, quippe omnium deliciarum, omnisque luxus expertium, ut eo melius hanc consuetudinem irrideat.

TABULA VIII.

Tertius loculus continet imaginem Plutonis & Proserpinæ, (num. 1.) Pluto sedens, manu dextra tenet sceptrum, & caput fere ad frontem usque pallio violaceo opertum habet, nudata superiore parte corporis, & vultu ad severam Majestatem composito, ut Jovem Stygium agnoscas, quo nomine eum insigniebant Veteres, quod regnum Inferorum teneret. Juxta eum sedet Proserpina, (num. 2.) pallio violaceo velata, cujus caput diadema aureum ambit, tanquam Junonis Stygiæ, & Reginæ Umbrarum: Eo enim nomine a Veteribus appellabatur. Ante eos Mercurius, (num. 3.) stans, manu sinistra tenet caduceum, & puellam, (num. 4.) ante Numina Infernalia deducit, amplectens eam, & a tergo manu dextra trahens. Proxima stat alia fœmina, (num. 5.) tota pallio cœruleo velata, altera tantum manu & facie nudatis.

Ad explicationem harum imaginum adducemus aliquos versus ex Claudiano *de Raptu Proserpinæ*, quibus Poeta eleganter describit Plutonem, sedentem in solio, & sceptrum manu tenentem:

Ipse rudi solio fultus, nigraque verendus
Majestate sedet; squallent immania fœdo
Sceptra situ, sublime caput mœstissima nubes
Asperat.

In nostra pictura, loco nubis, velum inumbrat caput Plutonis. Pindarus *Olympiis* per Sceptrum Plutonis intelligit ejus potentiam, qua mortuos sub suum redigit imperium: *Neque Pluto immotam teneret virgam, qua mortalia corpora ad cavum reducit vicum morientium.* Eadem potentia fuit attributa Pro-

serpinæ, quæ cum marito divisum in animas mortuorum habebat imperium. Hinc Virgilius Deos hos Infernales simul invocans, ita inquit;

Dii quibus imperium animarum.

Et Æneas ingressurus Infernum, utrique Numini, ad imitationem Ulyssis Homerici, sacrificat, ut ea sibi propitia reddat. Clarius Tibullus Proserpinæ imperium in vitam humanam designat his verbis:

At mihi Persephone nigram denunciat horam.

Erat nimirum Dea illa vitæ & mortis arbitra, quoniam non solum vocabatur Juno Lucina, tanquam quæ daret vitam nascentibus; sed etiam Juno Infera, utpote quæ lucis usuram morientibus adimeret. Imperii hujus consortem eam fecit maritus, qui, ut fingit Claudianus, Proserpinam a se raptam his verbis delinit & consolatur:

Sub tua purpurei venient vestigia Reges
Deposito luxu, turba cum paupere mixti.
Omnia mors æquat. Tu damnatura nocentes,
Tu requiem latura piis.

Hinc ante eos videmus animam, quam forma puellæ adumbrat, a Mercurio deduci; quippe cujus officium erat, quod & Figura repræsentat, animas mortuorum ad Orcum compellere: Unde dictus fuit a Græcis πομπαῖος, & ψυχόπομπος. Virgilius *lib.* IV. *Æneid.* hanc vim & potentiam virga & caduceo ejus adscribit:

Tum virgam capit, hac Animas ille evocat Orco
Pallenteis, alias sub tristia Tartara mittit,
Dat somnos, adimitque, & lumina morte resignat.

Idem legitur apud Horatium, & alios: Quæ ratio est, cur Mercurius a morientibus invocaretur. Apud Euripidem Chorus precatur salutem & pacem animæ Alcestis, his verbis, quæ imagini nostræ apprime conveniunt:

Vale: benevolus te subterraneus Mercurius
Et Pluto excipiet: si vero & illic
Plus bonorum contigit bonis, horum particeps
Plutonis conjugi assideas.

Plato etiam in *Phædone*, de statu animarum post mortem loquens, docet, eas a labe ante contracta purgatas, a Mercurio ad amnem Lethæum deduci, ut ex eo oblivionem omnium rerum bibant; quo facto, licere eis in vitam redire, fatali temporum orbe circumacto. Mentem Platonis expressit Virgilius *lib.* VI. *Æneid.*

Has omnes, ubi mille rotam volvere per annos,
Lethæum ad flumen Deus avocat agmine magno:
Scilicet immemores supera ut convexa revisant,
Rursus & incipiant in corpora velle reverti.

Cæterum, pulcherrima est imago Mercurii Inferi, insculpta arcæ sepulcrali, quæ asservatur Romæ in Palatio Pamphilio, inventa inter monumenta viæ Appiæ. Repræsentatur ibi Mercurius, amplexu gestans animam defuncti, quæ alata est instar papilionis, & similitudine puellulam refert; qua de re plura a nobis dicta sunt in libro *de Vestigiis Sculpturarum Antiquarum Urbis Romæ*, in quo arcam hanc illustravimus, quæ variis suis emblematibus vitam & mortem denotat. Sed figura Animæ, quæ in hac pictura nostra expressa est, caret alis, & brachia nuda gerit, amictu rubro cæteroqui vestita. Talem enim fingebant animam Poetæ & Pictores, qui eam forma corporea præditam, cum vestibus & coloribus cernendam exhibere volebant. Interim Anima hæc, quæ a Mercurio deducitur, aspectum Infernalium

TAB. [illegible]



TAB. X.




TAB XII.


TAB. XI.


TAB XIII

Numinum horrere & reformidare videtur. Amictus ruber, quo anima vestita est, potest esse symbolum naturæ igneæ, quam animæ ob originem suam cœlestem habere credebantur:

Igneus est olli vigor, & cœlestis origo.

ut inquit Virgilius *Æneid.* VI.

TABULA IX.

LUstrandum nobis nunc est latus sinistrum, in cujus primo loculo, & quidem in medio stat juvenis nudus, numer. I. amictus chlamyde coloris viridis & subflavi, ornata vinculo rubro, quod ab humero ad medium usque pectus dependet: caput ejus & comas ambit fascia aurea, sive diadema, quo cultu Heroes conspicui esse solent. Una manu equum alatum frænat, numer. 2. altera vero tenet tibiam, ex eo instrumentorum musicorum genere, quæ inflari solent. Utrinque sedet fœmina, quarum una, numer. 3. coronata est juncis, sive cannis; altera, numer. 4. cubito innititur, una manu genis admota, altera vero calatho florum imposita. Frequens est in sepulcris imago Pegasi, eaque ter occurrit in figuris his nostris sepulcralibus, ut ex sequentibus apparebit; & quamvis illi variæ possint accommodari interpretationes, nos tamen ex omnibus iis duas tantum hic proponemus, quæ nobis maxime verisimiles videbuntur. Veteres sibi persuadebant, animas ab hoc equo alato in cœlum transferri, cujus rei illustre argumentum nobis præbet celebris Achates Tiberianus, qui asservatur in Sancta Capella Parisiensi post Apotheosin a Pegaso in cœlum evehitur, Jove coram adstante, ut interpretatur Tristanus in Commentario suo in hanc gemmam. In marmore Farnesiano Romæ in Vinea montis Marii, conspicitur Heros nudus, paludatus, qui in altum evehitur a quatuor equis alatis, relicta terra rapido cursu cœlum petentibus, ubi Jupiter adventum ejus expectat: Et hic creditur esse Æneas post Apotheosin ad cœlestes sedes migrans. Possem hic etiam mentionem facere Antinoi, in nummo Smyrnensi cum titulo Herois expressi, in cujus parte aversa exhibetur Mercurius, qui ad similitudinem nostræ picturæ Pegasum frænat, ut Antinoum in cœlum transferat; nisi nummus hic aliter interpretandus videretur. Talis transportatio animarum in cœlum, quam præstant equi alati, mystice significatur a Platone in *Phædro*, ubi de animis, & curru alato Jovis loquens, dicit, eas animas, quæ equos non habeant bonos misere ad terram decidere, cum aliæ in cœlum perveniant: *Magnus utique Dux in cœlo Jupiter citans alatum currum, primus incedit, exornans cuncta, provideque disponens.* Et post ait: *Deorum quidem vehicula apta habenis æqualiter librata facile gradiuntur, aliorum vero ægre. Gravatur enim pravitatis particeps equus ad terram vergens, atque trahens. Quæ enim immortales vocantur, cum ad summum pervenerint, extra progressæ in cœli dorso consistunt.* Valde ergo probabile est, figuram hanc, quæ equum alatum frænat, esse symbolum transportationis animarum in cœlum. De situ & loco Camporum Elysiorum discrepantes sunt Poetarum sententiæ: Aliqui enim eos globo vel circulo Lunæ proximos esse volunt, eamque sedem Heroibus assignant. Lucanus fingit, animam Pompeii Magni eo migrasse:

Semidei Manes habitant, quos ignea virtus
Innocuos vita patientes ætheris imi
Fecit.

Sic Statius in Genethliaco hujus Lucani:

At tu, seu rapidum poli per axem
Famæ curribus arduis levatus,
Qua surgunt animæ potentiores,
Terras despicis, & sepulcra rides.

Unde Macrobius, secundum sententiam Platonicorum, scribit, animas justorum, post mortem corporis, aliam auspicari vitam, in superiore Mundi immutabilis parte, quæ incipiat a sphæra, dicta *Aplanes*, & terminetur globo Lunari, qui est initium corruptionis; ibique esse Campos Elysios, sedes beatarum animarum: *Igitur sphæra Martia ignis habeatur, aer Jovis, Saturni aqua, terra vero Aplanes, in qua Elysios Campos esse puris animis deputatos Antiquitas nobis intelligendum reliquit.*

Hactenus de prima interpretatione. Pergimus ad secundam, quæ mihi æque conveniens esse videtur figuræ nostræ, Pegasum frænanti; eaque hæc est. Tam in sepulcris, quam lucernis sepulcralibus videmus effictum Castorem & Pollucem, quorum uterque manu frænum equi tenet: Quod significare potest illorum immortalitatem, tanquam symbolum immortalitatis animæ. Fingunt enim Poetæ, Pollucem, quod Jove natus esset, fuisse immortalem, & ut fratrem suum Castorem itidem immortalem redderet, ei impertivisse immortalitatem animæ, & multis marmoribus sepulcralibus cernuntur insculpti, manu frænum equi tenentes, nudi, & paludati, similitudinemque picturæ hujus omnino referentes. Asservamus in Museo nostro pulcherrimas lucernas, in quarum una stat Pluto, cum Cerbero in medio eorum sedente. In nummo Maxentii Castor & Pollux eodem modo effcti sunt, addito titulo æternitatis: ÆTERNITAS. AUG. N. *Æternitas Augusti Nostri.* Unde colligi posset, hunc esse unum ex illis fratribus, in Sepulcro sic depictum, ut denotet fatale & funestum tempus, quo sibi inter Umbras morandum erat, interea dum alter aura vitali fruebatur. Fabulæ hujus mentionem facit Virgilius, *Æneid.* VI.

Si fratrem Pollux alterna morte redemit.

Itque reditque vias toties.

Hæc nunc de Pegaso dicta sufficiant: Restant enim nobis alia explicanda, in figuris sequentibus. Tibia, (num. 3.) quam Heros ille manu sinistra tenet, est mœsta & funebris; quoniam, ut notum est, ad cantum ejusmodi tibiarum placabantur Dii Manes, & celebrabantur justa funebria, adhibitis modis Phrygiis, qui lamentis & questibus conveniebant: Persuasum enim habebant cantum hunc Diis Manibus gratum esse; unde Ovidius:

Cantabat mœstis tibia funeribus.

Hæc tibia, præter foramina, numero digitos æquantia, quæ spiritui sive flatui exitum præbent, habet aliquot claviculas, quibus foramina claudi & aperiri possunt, uti vidimus in prima imagine Ovidii, & Musæ ejus Eratus, quæ talem tibiam manu tenebat: Similesque prorsus invenimus in Sepulcro Caii Cestii, ubi repræsentatur fæmina, duas tibias longas manu tenens, quas, cum Sepulcrum illud illustraremus, ad ritus funebres pertinere diximus.

De duabus fæminis sedentibus agetur postea, cum explicabimus figuras alias, iis prorsus similes.

TABULA X.

SEquitur loculus secundus lateris sinistri, in quo pictus cernitur Hercules, (numer. 1.) manu sinistra tenens clavam, dextra vero amplectens & ducens matronam, (numer. 2.) cujus totum corpus, manus, brachia, & caput usque ad frontem, velata sunt longo pallio albo. Hoc habitu indutam eam ducit ad virum, (numer. 3.) qui mœstus sedet, cubitoque innixus, & manu mento supposita, ignotam matronam intuetur. Caput cinctum gerit fascia; amictus est pallio violaceo, cujus laciniæ in sinu colliguntur, nudata superiore parte corporis. Hercules lateri appensum gestat arcum & pharetram, eumque proxime comitatur Dea ejus tutelaris Pallas (numer. 4.) hasta, & scuto aureo armata. Hæc imago nobis repræsentat fabulam Alcestidis, quæ ab Hercule in vitam revocata, & marito ipsius Regi Admeto reddita fingitur, ut legi potest apud Euripidem in Tragœdia, quæ inscribitur *Alcestis*. Narrant fabularum architecti, Apollinem, ut vitam prorogaret Admeto Regi Thessaliæ, jamjam morituro, precibus a Parcis obtinuisse, ut liceret ei alterum, sponte moriturum, in locum suum substituere. Cum vero nemo esset, qui morte vicaria vitam Regis Admeti redimere vellet, conjugem ejus Alcestidem sponte letho se obtulisse, & pro marito, quem valde adamabat, mori non recusasse. Eo tempore Hercules in Thessaliam venit, qui hospitio a Rege exceptus, cum intellexisset luctus causam, adiit sepulcrum Alcestidis, eamque superata Parca, salvam & illæsam, ad maritum reduxit. Videtur actio picturæ imitari verba illa Herculis, quibus affatur Admetum, ab ipso tamen non intellecta, quoniam conjugem suam tacentem, quæ habitum nigrum & lugubrem, candido & nuptiali mutaverat, agnoscere non poterat: *Recipias nunc in domum istam generosam. Commendo eam tantum tuæ dextræ.* Dubitavit Admetus eam recipere, quoniam, quid factum esset, ignorabat. De veste candida & nuptiali Alcestidis, nec non nigra sive funebri, Euripides mentionem facit in lamentatione Chori:

Nunc autem lamentatio Hymenæo contraria
Et pro candidis veſtibus atræ veſtes.

Hæc exprimit figura noſtra, quæ repræſentat Admetum dubium, animoque incerto audientem verba Herculis, & venientem ad ſe matronam intuentem, quam tandem tamen agnovit, & cum gaudio tripudioque in regiam ſuam duxit. Hæc fabula Alceſtidis, in vitam revocatæ, ſymbolum eſt immortalitatis animæ humanæ, per opera virtutis, quæ Herculis figura deſignat, conſequendæ.

TABULA XI.

In tertio loculo cernuntur depictæ tres Nymphæ ſedentes, (numer. 1.) ſitulas, ſive vaſa aquaria manibus tenentes, prout depingi plerumque ſolent. In medio conſpicitur juvenis, (num.2.) ſeminudus ſedens, qui tenet cannam paluſtrem. Dubium nullum eſt, quin hæ figuræ repræſentent Najades & Genios aquarum; ſed non æque certum eſt, quare hoc loco depictæ ſint, & annon forte ſub illarum involucro fabula aliqua, vel myſterium lateat, cujus tamen aliquam afferre conabimur interpretationem. Finxerunt Veteres, Najades quoque Campos Elyſios, & fluvium Lethen incolere, & blanditiis ſuis animas exhilarare, in locis illis amœnis, ut ejus rei exemplum nobis ſuggerit Statius in *Epicedio Pileti:*

Aut illic per amœna ſilentia Lethes

Forſan Avernales alludunt undique mixtæ

Najades, obliquoque notat Proſerpina vultu.

Sed ut fabulam hanc phyſice interpretemur: Videmus ſæpe Sarcophagis inſculptas varias Nymphas, Nereides, & Deos marinos, uti & Najades, & Flumina, ideo quod nonnulli exiſtimarent, ex humore & aqua omnia gigni & creari, quæ fuit ſententia Thaletis Mileſii, quoniam nihil generatur vel corrumpitur abſque humore: Ob quam cauſam Orpheus Oceanum, ſive Nereum, vocavit omnium rerum principium. Saluſtius Philoſophus in ſuo libello *de Diis & Mundo* Nymphas generationi præeſſe vult. *Cum Nymphæ generationi præſint; nam quodcunque fit, fluit.* Hæc ratio eſt, quare Antiqui in ſepulcris ſuis effingerent Nymphas, Flumina, & Deos marinos, perſuaſi, fore, ut ex aqua ad æternam & immortalem vitam renaſcerentur. De hac ſententia plura a nobis dicta ſunt in Notis, quibus illuſtravimus arcam ſepulcralem, in S. Franciſco ad Ripam, cui admirabili artificio inſculta eſt Venus, ex mari nata, quæ eſt inſtinctus & appetitus generandi, cum choro Deorum marinorum, uti ea videtur expreſſa in libro noſtro de Veſtigiis Antiquitatum Romanarum, ubi hæc annotavimus: *Æternitatem in ſepulcris Antiqui deſignare ſolebant: unde varia Marinorum Deorum emblemata, cum ex Oceano cuncta gigni crearique crederent.* Pertinent huc etiam equi marini, ſive Pegaſi, in peripheria loculi (num. 3.) qui ſunt ſymbolum animarum ex aqua renaſcentium, & ſic in vitam redeuntium.

Pergamus nunc ad ſecundum imaginum ordinem, qui utrinque diviſus eſt in quinque fabulas, columnis interſitis, ut ſupra dictum eſt in Sectionibus, (num. 6.) In latere dextro deſiderantur duæ fabulæ priores, quæ una cum tectorio ceciderunt: in tertia vero fabula ſupereſt Raptus Proſerpinæ.

TABULA XII.

Raptus Proſerpinæ, eodem, quo in antiquis marmoribus, modo in hac imagine repræſentatur. Nimirum Pluto (numer. 1.) violenter Proſerpinam rapit, eamque amplectitur in curru, quem quatuor equi nigri, in curſum, laxatis habenis, effuſi trahunt: Proſerpina (n.2.) lamentans vociferatur, vultu averſo, capillis ſparſis, & brachiis ad cœlum protenſis; ut bene habitum ejus deſcribit Claudianus;

Interea volucri fertur Proserpina curru

Cæsariem diffusa Noto, planctuque lacertos

Verberat, & questus ad nubila fundit inanes.

Alastor, & alii equi infernales, (num. 3.) rapido cursu incitati, jam pervenerunt ad speluncam A-verni, (num. 4.) Is, qui habenas equorum moderatur, (num. 5.) est Mercurius Inferus, qui etiam conspicitur in marmoribus antiquis, eandem fabulam repræsentantibus. Fabula hæc mystice adumbrat descensum animæ ad inferos, ut eam explicat Salustius Philosophus: Unde Pluto, ad infera regna populos compellens, dictus fuit Αγεσίλαος, cui consecratæ erant inferiæ, vel sacrificia mortuorum. Sic lamentationes & planctus in funeribus imitabantur luctum Cereris; eamque ob causam arcis sepulcralibus insculpi solebat Raptus Proserpinæ, & luctus Cereris, matris ejus, quæ bigis Draconum vecta, duabus facibus prælucentibus, quærit filiam raptam, ut exposuimus in libro laudato *de Vestigiis Antiquitatum Romanarum*.

TABULA XIII.

IN spatio quarto depicta est fabula Herculis, Antæum in lucta elidentis, (num. 1.) Sinistro brachio illum medium arreptum premit, & humo tollit ad eum suffocandum, ne a lapsu amplius resurgat, quoniam fingebant Veteres, Antæum (num. 2.) Terræ filium, quoties cecidisset, & matrem attigisset, validiorem semper & fortiorem resurrexisse. Hercules igitur, a Pallade admonitus, eum e terra sublimem tenuit, & eousque pressit, donec spiritu eliso, hostem exanimasset, ut in imagine cernitur. Ab uno latere Dea Pallas, (num. 3.) sinistra manu tenet scutum & hastam; & dextram ad Herculem protendens, ei ostendit Terram, matrem Antæi, quæ filium suum, novis semper viribus & novo robore firmatum, reddat invictum. Nimirum, Pallas Heroem hunc singulari favore complectens, ei in cœptis & conatibus auxiliatrix semper aderat, ut supra dictum, cum explicaremus fabulam Alcestidis. Hinc Deam hanc Hercules apud Senecam in Tragœdia, cui nomen *Hercules Furiosus*, postquam Lycum morti dedisset, ita invocat:

Te, te laborum socia, & adjutrix, precor,

Belligera Pallas.

Et in alia Tragœdia, inscripta *Hercules Oeteus*, eam vocat *sororem* suam, quoniam uterque Jovem patrem habebat. Ab altero latere sedet Terra, mater Antæi, (num. 4.) mœsta, & manu sinistra in saxum reclinata, sublata altera quasi declaratura dolorem suum. Faciem oculosque avertit, ne indignam cernat necem filii sui, ab Hercule elisi, cui ipsa opem ferre non potest, nec ab instante morte eripere.

TABULA XIV.

UTI in præcedentibus imaginibus Heroes, in Campis Elysiis beatam vitam agentes, contemplati sumus; ita in hac, quæ nunc sese offert, animas impiorum videbimus migrare in bestias, secundum unicujusque mores, & naturam vitiorum, quibus in hac vita polluti fuerunt. In rupe porcus conspicitur (num. 1.) & in stagno asinus (num. 2.) & mulus (num. 3.) quorum alter bibit, alter ex aquis prodit, currens ad Mercurium, qui eum vocare videtur. Apud Platonem in *Phædone*, sive in *Dialogo de Anima*, Socrates Cebetem docet statum animarum humanarum, post hanc vitam; qui locutus de felicitate justorum, narrat deinceps pœnas, decretas animis impiorum, quibus dicit supplicii loco migrandum esse in eas bestias, quas moribus & turpitudine vitæ imitentur: *Qui ventri dediti, per inertiam atque lasciviam vitam egerunt, neque quicquam pensi pudorisque habuerunt, decens est asinos, similiaque subire; qui vero injurias, tyrannides, rapinas præ cæteris secuti sunt, in luporum, accipitrum, milviorum genera par est pertransire; similiter & in cæteris. Abeunt enim in genera*

quæ

TAB. XIV.



TAB. XV.



TAB. XVI.



quælibet, quibus in vita mores similes contraxerunt. Hinc in nostra imagine porcus est symbolum eorum, qui ventri & spurcitiei dediti, in hac vita impuro huic & spurco animali similes habiti fuerunt. Asinus designat imperitos & rudes, qui virtutes, scientias, & optimas disciplinas despectui habentes, soli auro inhiant, & insatiabili opum divitiarumque cupiditate flagrant, & hac ratione animas suas in bestias transformant. Figura Mercurii hic ideo repræsentatur, quoniam, ut jam superius dictum est, ejus erat animas ad fluvium Lethen ducere, quæ, postquam exactis mille annis crimina sua expiassent, tandem aquam oblivionis ibi bibebant, ita ut, prioris vitæ omnino obliti, in corpora redire desiderarent, ut Virgilius, Platonem secutus, lib.v. *Æneid.* nos docet, cujus verba supra adduximus. Idem Plato in Dialogo περὶ Καλȣ̃, sive *de Pulcro*, multo diuturnius tempus & supplicia huic assignat, decem nempe millium annorum spatium; & alibi dicit, animas insanabiles impiorum & Tyrannorum ad Tartara detrudi, ubi in æternum crucientur. Videatur Dialogus X. *de Republica*, ubi Plato narrat fabulam Heri, qui in vitam rediisse fingitur, ut testimonium perhiberet de statu animarum post mortem, migrantium in corpora bestiarum. Primarium Pythagoræ dogma erat Metempsychosis, qui docebat, hominem, si vitam perfectam & scelerum labe puram egisset, in novæ vitæ auspiciis in corpus humanum transmigrare; sin autem vitiorum sordibus se inquinasset, animam transire in feras bestias, id est, in ursos, porcos, lupos, & alia monstra deformia. Sic in nostra imagine videtur alterum jumentum bibere aquam fluminis Lethes, inducentem oblivionem præteritorum; alterum vero, ex amne prodiens, pergere ad Mercurium, ut sibi, dempta forma bruti, vitam & speciem hominis reddat.

T A B U L A XV.

SEquitur jam ordo superior fabularum, in quo cum prima fabula desideretur, pergemus ad imaginem secundam, quæ venationem Tigridum repræsentat. Conspiciuntur ibi duo venatores armati, & scutis longis tecti; quorum unus (num. 1.) fœtum ex spelunca raptum tradit alii venatori, equo insidenti (num. 2.) qui ad eum accipiendum manum extendit. Interea mater rapti fœtus cum impetu advolat, rabieque accensa equum, (num. 3.) de industria furori ejus expositum, dilaniat. Cernuntur hic quoque depicti duo alii equites, qui duas ferocissimas tigrides se insequentes (num. 4.) fugiunt, cursu ad mare directo, ubi in navicula ad littus appulsa (num. 5.) duo nautæ (num. 6.) manus extendunt, ad eos excipiendos. Solent venatores, ut tigrides insequentes in velocissimo cursu remorentur, eis catulos raptos projicere, singulos ex intervallo, ut spatium nanciscantur se in navem recipiendi. Audiamus Plinium. *Tigrin Hircani & Indi ferunt, animal velocitatis tremendæ & maxime cognitæ dum capitur. Totus enim fœtus, qui semper numerosus est, ab insidiante rapitur, equo quam maxime pernici, atque in recentem subinde transfertur. Ast ubi vacuum cubile reperit fœta, maribus enim cura non est sobolis, fertur præceps odore vestigans. Raptor, appropinquante fremitu, abjicit unum ex catulis. Tollit illa morsu, & pondere etiam ocyor acta remeat, iterumque consequitur, ac subinde, donec in navem regresso, irrita feritas sævit in littore.* Eandem venationem Pierius Valerianus describens, ait. *Donec venator, conscensa navi, vix duobus, & nonnunquam uno tantum catulo ablato, aufugiat, equo relicto, in quem illa posteaquam frustra toto littore frendens desævit, omnem convertit ultionis sævitiam, totumque discerpit.* Hoc figura nostra satis clare exprimit, in qua tigris concitata equum adoritur, de industria a venatoribus relictum, ut, ipsis fugientibus, mora feræ injiceretur. Mare, quod hic depictum cernitur, forte est Caspium, ab Oriente alluens Hircaniam, quæ regio tigribus frequens est; unde Poetæ sæpe triges vocant *Hircanas* & *Caspias*; quamvis Hircania, qua a meridie Armeniæ confinis est, non minus harum bestiarum ferax sit. Sed causa, quare hic depicta sit venatio tigridum, exponetur postea in figura alia, quæ itidem quidem trigidum venationem repræsentat, sed in qua feræ hæ objectis speculis deluduntur.

T A B U L A XVI.

SEquitur in spatio tertio fabula Herculis (num. 1.) qui duce Mercurio (num. 2.) ab Inferis redux, Cerberum, (num. 3.) tribus catenis vinctum, ad superas auras trahit; de qua fabula hæc leguntur apud Senecam in Tragœdia, dicta *Agamemnon*:

Tractus ad cœlum canis Inferorum
Triplici catena jacuit, nec ullo

Latravit ore, lucis ignotæ

Metuens colorem.

Sepelunca Tænari, quæ aperit aditum ad regnum umbrarum, in nostra imagine expressa (num. 4.) ab eodem Poeta sic describitur.

Hic ora solvit Ditis invicem domus

Hiatque rupes alta, & immenso specu

Ingens vorago faucibus vastis patet,

Latumque pandit omnibus populis iter.

Quod ad Mercurium adtinet, qui præcedit & ducit Herculem; de eo notanda sunt verba Euripidis *in Alcestide*, ubi Hercules Plutonem alloqui fingitur: *Hunc quidem* (Cerberum) *ego subduxi, & traxi ex Inferis: Mercurius autem me ducebat, atque cæsia Minerva.*

TABULA XVII.

IN spatio quarto depicta est Europa, a Jove, in taurum converso, rapta. Hanc fabulam non solum Theocritus, sed etiam Ovidius, Lucianus, & Achilles Tatius narrant; videturque ea hic in sepulcro expressa esse, propter Minoem & Rhadamanthum, Judices Inferorum, natos ex concubitu Jovis & Europæ. Ovidius:

Præbuit ut Taurus Tyriæ sua terga puellæ

Juppiter, & fulva cornua fronte tulit:

Illa jubam dextra, læva retinebat amictus,

Et timor ipse novi causa decoris erat.

Aura sinus implet, flavos movet aura capillos;

Sidoni sic fueras adspicienda Jovi.

TABULA XVIII.

IN quinto & ultimo spatio repræsentatur Imperator (num. 1.) laureatus, sedens in suggestu, manu extensa; & juvenis (num. 2.) qui ollam vel urnam super aram tenet. Ab uno latere Fœmina (num. 3.) porrigit coronam, & alia Fœmina (num. 4.) diademata, manu aliquid monstrat, facie aversa. Quid sibi Imperator velit, me latet; sed aliæ figuræ videntur significare morem Veterum, Venerandi Deos manes. Solebant enim illi *præfari & adorare Manes*, cum cineribus in urnam conditis, mortuis bene precarentur, dicentes: *Vale, vale, vale*, vel *Salve & vale*: Unde in Aris sepulcralibus sæpe observamus has tres literas D. M. S. *Dis Manibus Sacrum*, eaque consuetudo Veterum satis nota est, quam videtur adumbrare Fœmina, sive Præfica, manu aliquid demonstrans, a cujus tergo conspicitur monumentum, sive sepulcrum (num. 5.) in quo condebatur urna. De usu coronarum in urnis, aliisque ornamentis sepulcralibus dicemus postea. Alii hoc sacrificium referunt ad aliquam Virginem sanctam, sub aliquo Imperatore Gentilium martyrium passam.

Sic expositis figuris & imaginibus parietum lateralium, restat caput Cameræ circa & supra loculum Ovidii, ut id delineatum est in Tabula IV. In peripheria loculi istius conspiciuntur duæ Victoriæ (n. 2.) sibi mutuo coronas ex floribus consertas porrigentes; & ab illarum lateribus sunt depicti duo Genii, (nu. 3.) chlamydati, vel palliis cœruleis amicti, & calathos florum tenentes; qui, secundum ordinem aliorum loculorum, stant inter columnas planas Corinthias in campo rubro. Supra columnas istas conspiciuntur pulcherrima ornamenta gypsea, & paulo altius ad modum frontispicii, excavata

TAB. XVII.



TAB. XVIII.




TAB.
XX.


TAB. XIX.

eſt in topho (num. 4.) dimidia Luna, in cujus medio ex filo pendent nonnulla ſerta florum rubrorum & cœruleorum, quibus intermixtæ ſunt roſæ: Infra eandem Lunam, in laterculo, cernuntur encarpa, in campo violaceo, in cujus medio conſpicitur nummus (num. 5.) cum capite laureato, quem Ovidii imaginem exhibere probabile eſt; quoniam autem color jam evanuerat, non potuimus imaginem hanc integram & perfectam lectorum oculis ſubjicere. Ab utroque latere Lunæ depictæ ſunt duæ fabulæ cum ſuis ornamentis, in laterculo quadrato, quarum una (num. 6. a dextra repræſentat Pegaſum cum tribus Nymphis, quæ eum lavant; altera (num. 7.) exhibet Oedipum, qui Sphingi reſpondet.

T A B U L A XIX.

FAbulæ ferunt Sphingem in agro Thebano, ſaxo inſidentem, & ſermone humano præditam, viatoribus obſcuriſſima ænigmata propoſuiſſe, ea lege, ut, qui ea interpretari & diſſolvere non poſſent, a Sphinge dilacerarentur; & viciſſim, ſi quis ea enodaſſet, ipſa Sphinx morti daretur. Oedipus igitur per tractum iſtum iter faciens, ſoluto ænigmate, Sphingem vicit. Ænigma erat hujuſmodi, *Quodnam animal, mane quadrupes, meridie bipes, veſperi tripes eſſet*? Oedipus animal iſtud dixit eſſe hominem, qui in infantia ſua tenerum, & imbecillum corpus regere nequiens, manibus pedibuſque repit: Deinde, adultior, duobus pedibus incedit: Donec tandem, ad extremam poſtquam pervenit ſenectam, viribus exhauſtis, baculo innixus gradiatur, & ſeſe inclinet ad tumulum. Fabulæ hujus ſenſus ſatis apte exprimit conditionem vitæ humanæ, quæ cum multis ſit obnoxia imbecillitatibus, multiſque ſubinde jactetur incommodis, quietem tandem in ſepulcro invenit. Conſpicitur hic Sphinx ſaxo inſidens, habens alas Aquilæ, pedes Leonis, vultum & pectus virginis. Brachium & manum verſus Oedipum extendit, qui in via, poſtquam ex equo deſcendit, monſtrum intuetur, ſeſeque ad audiendum & ſolvendum ænigma parat. Manu ſiniſtra tenet haſtam, dextram ad os referens, & intente reſponſionem meditans. Nudum ejus corpus pallio violaceo amictum eſt, quo habitu Heroes effingi ſolent. Equum ejus, a tergo ſtantem, armatus ſatelles regit & ſiſtit.

T A B U L A XX.

AB altero latere repræſentatur Pegaſus (num. 1.) cum tribus Nymphis, quæ eum aquis lavant & mundant. Una illarum (num. 2.) corpore inclinato, eum abluit; altera urnam tenens, videtur eundem rore aſpergere. Tertia (num. 4.) e regione conſiſtens, itidem tenet urnam, vel vas aquarium; omneſque ſunt coronatæ frondibus paluſtribus. Videtur quidem hæc imago ſignificare poſſe vel equum Auroræ, quoniam collum roſis coronatum habet; vel nativitatem Pegaſi juxta paludem Tritoniam: Sed ego veriſimilius exiſtimo, denotari hic Nymphas Elyſias, & translationem Heroum in loca illa beata, propter rationes ſupra adductas in Tab. IX. & XI. Finxerunt autem Poetæ, equos Solis nutriri ab Horis; qua de re nobis quædam dicenda reſtant in fine, ubi Pegaſum ſignificare Solem contendimus. In hac, & XI. Tabula videmus depictas Nymphas tres, quas marmora exhibent habitu & forma Gratiarum, coronatas frondibus paluſtribus, & urnas manibus tenentes. Gratiæ & Nymphæ, uti ſæpe alias, ita etiam in Choro Veneris a Poetis junguntur.

Sic explicata parte inferiore Cameræ, cum fabulis ejus & ornamentis, reſtat fornix, ſive apſis ſuperior, varias itidem fabulas, variaque ornamenta habens, quæ æque ac priora ad rem funeream pertinent.

TABULA XXI.


Longitudo testitudinis divisa est in amplam & laxam quadraturam, quæ cum suis ornamentis occupat totum spatium medium, & duo capita, quæ supra coronidem se incurvant, ut satis clare apparet ex hac Tabula, ejusque coronidibus, quæ utrinque conspiciuntur. In uno capite, litera *A* notato, pictura integra reperta fuit; in altero vero, quod portæ imminet, & litera *B* signatum est, nulla inventa fuit, quoniam ex eo loco pictura, una cum parte tectorii quadraturæ majoris, quæ est in medio, deciderat, idque ideo, quoniam humori & injuriæ aeris magis exposita fuerat. Notatur in hac Tabula, adscripto titulo, locus ille, quem injuria temporis ornamentis suis spoliavit. In quadratura media, & in ipso centro testudinis, depictus est Pegasus alatus (numer. 1.) intra circulum, sive orbem, quem ornamenta gypsea, in modum coronæ, cingunt. In ambitu circuli hujus conspiciuntur quatuor encarpa, in hemicyclum curvata, quibus interfitæ sunt figuræ exiguæ, Deum Terminum repræsentantes, a quibus binæ rosæ inflexæ in diversum exeunt. Circulus hic intra octangulum concluditur (num. 2.) cui a quatuor lateribus contigua sunt quatuor quadrata, diversorum animalium venationes exhibentia, (num. 3.) Venationes excipiunt quatuor alia spatia quadrata, paulo longiora, (num. 4.) quorum anguli extremi franguntur & terminantur ab angulis quadrati majoris in quatuor lateribus. In singulis his spatiis pictæ sunt duæ figuræ, tres circiter palmos, & dimidium altæ, quæ repræsentant quatuor anni Tempora. In intervallis, quæ spatiis his interjecta sunt, conspiciuntur quatuor Lunæ dimidiatæ, sive hemicycli, (num. 5.) ad quodlibet latus testitudinis una. Lunæ laterales singulæ habent figuras duas: Ex iis autem, quæ sunt in capitibus Cameræ, una decidit; altera vero, quæ restat, exhibet hortum septum, cum duobus cervis, quos canes insequuntur. In spatiis, quæ inter Lunas has media sunt, depicta sunt varia animalia, quæ ad anni Tempora alludunt, (num. 6.) veluti boves, capri, & canes.

TABULA XXII.

Ut igitur a quatuor anni Temporibus initium faciamus; præcedit inter ea Ver, quod a latere dextro repræsentatur, & Cameram ingredientibus e regione oppositum est. Conspicitur nimirum Nympha, (num. 1.) cum juvene pastore ludens; & portans una manu calathum florum, ex juncis textum; altera vero tenens florem ex caule prehensum. Pastor cum ea nudus saltat, (num. 2. capram collo gestans, cujus pedes una manu stringit; altera vero tenet pedum, sive aduncum baculum pastoralem, (num. 3.) cujus usus est in retinendis pedibus caprarum, & aliorum pecorum. Scribit Plinius, capras concipere mense Novembri, & parere mense Martio, Vere ineunte: *Concipiunt Novembri mense, ut Martio Pariant, turgescentibus virgultis*. Tunc nimirum, cum revirescunt horti & campi, capellæ lacte replentur, & fœtus enituntur. Sic in marmoribus sepulcralibus, & aliis, quibus eædem anni Horæ insculptæ sunt, ad pedes Veris conspicitur capra, vel Pastor, qui ejus ubera premit. Stola, sive tunica Nymphæ hujus, est talaris, in pectore adstricta fibula, colorem habens violaceum, sed absque manicis; & pallium, quod ab humeris demissum in sinum descendit, est coloris flavi. Inter duas has figuras media conspicitur Pyramis, ex rosis structa (num. 4.) quæ pro basi habet vas, foliis, & floribus ornatum; idemque ornamenti genus in iis etiam, quæ sequuntur, Horis occurrit.

TABULA XXIII.

In angulo proximo repræsentatur Æstas, tanquam bella & formosa Nympha, quæ itidem cum Pastore saltat. Superiorem corporis partem totam habet nudam; inferior vero pars operta est tunica flava, quæ fere ad plantas usque descendit. Perjucunda visu est actio Nymphæ hujus, qua pectore




TAB. XXI. *repraesentans ornamenta apsidis.*

TAB. XXII



TAB. XXIII.



TAB. XXIV.



TAB. XXV.



TAB XXVI



TAB XXVII.



& sinu nudato, & manu altera super elata, tenet limbum amiculi violacei, vel ricinii, quod a vento leniter adspirante, sinuatum, in alterum brachium rejicitur. Pastor habet caput coronatum serto spiceo, & dum saltat, Nymphæ poma æstiva in canistro offert; Nudus est, (num. 1.) nisi quod a tergo ejus, pallium coloris flavi dependeat.

TABULA XXIV.

IN altero capite Cameræ, e regione Veris, exhibetur Autumnus, & chorea Pastoris cum Nympha, quæ manu sinistra tenet corbem, in quam dextra uvam ponit. Alterum humerum, brachium & crus nuda gerit, reliquam vero corporis partem stola rubra velat. Pastor, qui cum ea saltat, duos portat cophinos, racemis plenos, alterum ex baculo supra humerum, alterum vero ex manu suspensum.

TABULA XXV.

SEquitur Hyems, ultima quatuor Horarum, e regione Æstatis consistens, quam repræsentat Senex, cano capite, & gravis annis, qui in saltando pedes vix diducere & movere videtur. Amictus est toga longa coloris violacei obscurioris; ad talos & plantas usque fusa; calceisque indutus est, ligula constrictis. Amiculum habet cœruleum, quod fibula ad collum connectit, idque non solum brachium ejus, sed etiam caput, ad frontem usque velatum, adversus frigoris sævitiam defendit. Ex manu sinistra suspensam gerit anatem feram, avem aquaticam; dextra vero cannam palustrem tenet. Utrumque hyemis symbolum est. E regione Senis, Nympha, cannis coronata, saltat, & ambabus manibus aliam anatem amplectitur; eademque Nympha duplici veste induta est, quarum superior est violacea, & brevior, quippe ad medium tantum femur pertingens; inferior vero, flavum colorem referens, ad pedes usque descendit. Ad illustrandas has imagines quatuor Horarum anni, adducemus hic Epigramma antiqui Poetæ Latini:

Carpit blanda suis Ver almum dona rosetis,

Torrida collectis exultat frugibus Æstas,

Indicat Autumnum redimitus palmite vertex,

Frigore pallet Hyems, designans alite tempus.

Patet hinc, alitem, quæ in ultimo versu dicitur designare Hyemem, non aliam esse, quam anatem, avem aquaticam. In arcis sepulchralibus, in quibus effictæ sunt quatuor Horæ anni specie adolescentum, vel puerorum, ultimo loco conspicitur Hyems, induta habitu Phrygio, ocreis dimidio cruri inductis munita, & pileo replicato tecta. Puer ille repræsentat Ganymedem, quem quidam Aquarium esse volunt, ut testantur Hyginus, & Cajus Cæsius Bassus in Phænomena Germanici Cæsaris: *Porro Aquarius nomen accepisse dicitur, quod ejus exortu imbres plurimi fiant. Quidam volunt Ganymedem eum esse Troili & Calliroes filium, qui, cum in Ida monte versaretur, ob eximiam pulchritudinem a Jove adamatus, & per Aquilam raptus, inter astra est collocatus. Dehinc Aquarius dictus est, quod undas funderet.* Et ob hanc rationem aves aquaticæ adtribuuntur Hyemi, ut in modo dicta imagine ostensum est.

TABULA XXVI.

SEquuntur quatuor Venationes, supra quatuor anni Tempora depictæ, quarum singulæ uni ex quatuor his Temporibus accommodatæ sunt. Ver adjunctam habet venationem cervorum, in qua repræsentantur duo cervi, alter mas, cornibus ramosis insignis; altera fæmina, cornibus carens. Præterea

depicti ibi sunt duo venatores, quorum unus lorum laxat cani, alter juxta sepem consistens, venabulum protendit.

TABULA XXVII.

ÆStati adtributa est venatio Leonum: Nimirum venator supinus humi jacens, se totum scuto longo tegit & defendit adversus violentiam Leonis, qui eum pedibus calcat, ungulasque stringit, ad eum dilacerandum: Interea alius fugit, scuto post tergum opposito, sui tutandi gratia. Alii ab altero latere in genu se submittentes, testudinis more, scutis condensatis, excipiunt Leonem, magno cum impetu in se irruentem.

TABULA XXVIII.

AUtumno assignata est elegantissima venatio Tigridum, delusarum a speculis, quibus utebantur venatores, ut sævissima hæc animalia, cum rapido cursu se insequerentur ad raptos catulos recuperandos, tardarent. Relictis enim in via uno, pluribusve speculis, Tigrides vana imagine deceptæ, cursum inhibent, spatiumque dant venatoribus, qui velocissimis equis feruntur, fuga se recipiendi ad littus, sive in navem; quod egregie confirmat Claudianus, furorem Cereris, raptam Proserpinam quærentis, cum Tigride comparans:

Arduus Hyrcana quatitur sic matre Niphates,
Cujus Achæmenio Regi ludibria natos
Avexit tremebundus Eques: fremit illa marito
Mobilior Zephyro, totamque virentibus iram
Dispersit maculis, jam jamque haustura profundo
Ore virum, vitreæ tardatur imagine formæ.

Cernitur hic Tigris, quam falsa sui imago, ex speculo reddita, retinet & deludit. Speculum applicatum est basi quadratæ, ubi venator scuto tectus, & genu nixus, vibrat hastam, ad Tigridem feriendam. Prope eum conspiciuntur tres alii venatores, arcte invicem juncti, genua itidem flectentes, hastisque & scutis armati; & sex alii, ab altero latere, stantes, scutisque consertis & invicem junctis se tegentes; quorum unus ferit Tigridem, humi procumbentem. In hac imagine Tigrides non feruntur incitato cursu, ut raptos catulos recuperent, ut supra in Tab. XV. sed videntur venatores, eas hoc ludibrio speculorum deceptas, vel capere velle, vel occidere, ut pellibus illarum potiantur.

TABULA XXIX.

VEnationis, ad Hyemem pertinentis, nullum amplius supererat vestigium, quoniam pictura, una cum tectorio, ex loco superiore deciderat; quoniam autem in vetustis marmoribus huic anni Tempori adtribuitur Aper, ad defectum hunc supplendum, repræsentavimus venationem Aprorum, expressam ad exemplar pulcherrimæ picturæ antiquæ, inventæ anno 1673. ad radices montis Cœlii, versus Amphitheatrum Flavium, in Hortis Sertoriorum, ubi præter hanc, aliæ quoque repertæ fuerunt picturæ & imagines antiquæ, quæ coloribus suis vestitæ, una cum hac, in libro supra laudato Cardinalis Camilli Maximi exhibentur.

TABULA XXX.


INter quatuor anni Tempora videndas sese offerunt Lunæ dimidiatæ, in quarum una, quæ collocata est in facie Cameræ, conspicitur sepimentum ex cannis factum, cum duabus porticulis, sive ambu-

TAB. XXVIII



TAB. XXIX




TAB. XXX.


TAB. XXXI.


TAB. XXXII.

lationibus tectis & opacis. Intus duo cervi, quasi vivario inclusi, fugiunt canem, & duos venatores, qui eos persequuntur: Duo alii cum hastis septum egrediuntur, & duo ad introitum consistunt.

In Luna secunda, quæ januæ Cameræ recta imminet, nulla erat pictura, quippe quæ ex loco suo vetustate temporis deciderat, ut ante indicatum, & in Tab. XXI. repræsentatum est.

TABULA XXXI

IN tertia Luna, præcedenti opposita, a latere sinistro, sedet homo, a medio corpore ad caput usque penitus nudus, coronatusque frondibus, & manu dextra tenens poculum corneum, Nympham manu demonstrat, quæ ei seminuda proxime adstat. Admovet illa lateri unam manum plenam rosis & floribus; altera vero tenet calamum, cannis palustribus capillos cingentibus. Ab utroque latere conspiciuntur encarpa, sive implexus florum & frondium; eaque imago ad Tempus Veris referenda est.

TABULA XXXII.

IN Luna quarta, a latere dextro (num. 5.) repræsentatur juvenis stans, prope nudus, una manu tenens pedum pastorale, altera vero uvam. E regione sedet fœmina, sive Baccha, hastæ, sive thyrso innixa, pendentibus utrinque intra loculum, ornatus gratia, encarpis, ut in præcedenti imagine. Hoc emblema pertinet ad Autumnum.

Imagines harum Lunularum, similesque aliæ, encarpis ornatæ, procul dubio respondent Temporibus anni, iisque idem sensus subest, quem paulo ante diximus, cum quatuor anni Tempora explicaremus. In Sarcophagis, uti & Marmoribus & Nummis, sæpe reperiuntur expressæ figuræ quatuor anni Temporum, tanquam symbolum felicitatis & prosperitatis temporum; unde sæpe in partibus aversis numismatum hæc legitur Epigraphe: TEMPORUM. FELICITAS. FELICIA. TEMPORA. Repræsentant autem quatuor illa Tempora quatuor pueri, quibus eadem sunt addita symbola, quæ hic videmus expressa. Et quamvis in nummis quatuor horum Temporum imagines designent felicitatem Imperii, qua Romani sub bonis Imperatoribus perfruebantur; in sepulcris tamen effictæ symbolum erant vitæ beatæ, quam Animæ puræ, nullisque sordibus pollutæ, in Campis Elysiis agebant, donec fatali temporum orbe circumacto, in vitam redirent, ut postea dicetur, cum de Pegaso, tanquam symbolo Solis, auctoris & Patris temporum, agemus. Addimus, *Horas*, quæ erant custodes portarum cœli, non fuisse diversas a quatuor anni Temporibus, easque aliquando ex Inferis reduxisse Animas, ut Theocritus finxit de Adonide, quem Horæ ex Orco revocatum ad Venerem reduxerunt. Quæ causa est, quare inter imagines sepulcrales quoque conspiciantur.

Ut apsidem absolvamus, redeundum nobis est ad partitiones depictas in capite Cameræ, quas exhibet Tabula XXI. Divisum est caput illud in tres quadraturas, unam majorem in medio, & duas alias laterales, quæ variis coloribus distinctæ sunt. Quadratum majus includit in medio aliud minus, in quo duo Bacchantes, & saltantes (num. 7.) depicti sunt: Ambit illud circulus sive sertum laureum (num. 8.) a quatuor tesseris, in formam crucis dispositis, interruptum, (num. 9.) Duæ tesseræ, quarum una superiorem, altera inferiorem circuli partem obtinet, in medio continent orbiculum cum duabus aquilis, quæ coronas laureas unguibus tenent: In duabus vero tesseris lateralibus conspiciuntur duo vasa, quorum pedes encarpis utrinque ornati sunt. In quatuor spatiis, quæ inter circulum & quadratum majus interjacent, repræsentantur duæ Victoriæ, & duo Genii, alternatim dispositi, & encarpis circundati, (num. 10.) Victoriæ alatæ, manibus tenent palmas & coronas: Genii itidem alati, at nudi, dextra calathum, sinistra autem cornu copiæ præferunt. In duobus aliis Quadratis lateralibus depictæ cernuntur fabulæ, scapis rosarum utrinque stantibus: In uno Quadrato repræsentatur judicium Paridis, (num. 11.) in altero equus, qui vado flumen transit.

TABULA XXXIII.

IN Quadrato igitur medio (num. 7.) depicti sunt duo Bacchantes, qui imitantur saltatiunculam quatuor anni Temporum. Juvenis nudus altera manu tenet thyrsum vel ferulam; altera vero supra caput elatam portat patinam, carne plenam, vel simile quid, quod oculis non satis discerni potest, coloribus vetustate temporis deletis & consumptis. Nympha, quæ cum eo ludit, brachio tenet tympanum, idque altera manu pulsans, cum juvene bacchante saltat. Veste induta est longa, & ad talos usque demissa, habetque a tergo amiculum, quod a ventorum flatu distenditur, & in sinum curvatur.

TABULA XXXIV.

IN Quadrato minori lateris dextri (num. 11.) conspicitur Paris insidens saxo ad ripam amnis Simoentis, vel alius fluvii montis Idæ. Habitu indutus est pastorali, tectus pileolo Phrygio, manuque sinistra tenet baculum incurvum, pascentibus circa eum bobus & armentis. Ante eum conspicitur Mercurius, qui ei tradit pomum, ut illud pulcherrimæ trium Dearum reddat: ipse Paris extendit & aperit dextram, ad pomum accipiendum. Non procul ab altera ripa sedent Pallas, Juno, & Venus, quas pictura non absque ingenioso artis lusu ita repræsentat, ut quæque videatur orare Amorem, ut Paridi benevolum erga se animum inspiret, eumque amore suarum dotium accendat. Pallas galea armata, manum scuto imponit, quo simul hastam tenet; altera vero amplectitur Amorem, blanditiisque adhibitis rogat, ut Paridis animum amore sapientiæ & fortitudinis inflammet. Proxima sedet Juno, in medio trium, diademate ornata, & caput ad frontem usque velatum habens, amiculo, sive rica, supra humerum pendente. Una manu tenet hastam, & alteram apertam ad Cupidinem protendit, eumque rogare videtur, ut Paridi immensas opes promittat, eique ingens divitiarum & potentiæ desiderium injiciat. Tertia est Venus, quæ itidem diademata, hastam tenet; sed pro auctoritate materna, arrecto digito, filio quasi præcipit & imperat, ut Paridem, spe potiundæ Helenæ, fæminarum formosissimæ, & divina origine creatæ, allectum, inducat ad dandum sibi pomum, tanquam pulchritudinis præmium. Inter hæc alatus Puer, Palladi proximus stans, manu demonstrat Mercurium, qui regio Pastori in adversa ripa pomum porrigit. Hæ tres Deæ manibus tenent hastam puram, quæ est divinitatis illarum insigne. Credebant Veteres, magnam esse potentiam Veneris, eamque ipsam ad Campos Elysios amantes deducere; unde Tibullus;

Sed me, qui facilis tenero sum semper Amori,
Ipsa Venus Campos ducat in Elysios.

TABULA XXXV.

IN Quadrato minori lateris sinistri (num. 12.) exhibetur equus, vado amnem permeans, quem homo juxta viam sequitur. Ante rupem stat figura hastata, quæ videtur esse statua sepulcralis, quæ a Veteribus ante sepulcrum, juxta viam, collocari solebat. Obscurum autem mihi imaginis hujus ænigma videtur, quod proinde sagaciori Oedipo lubens reliquerim.

Restat denique Pegasus, in Tabula XXI. num. 1. notatus, qui in ipso centro apsidis, tectorium gypseum habente, depictus est. Quamvis autem antea dixerimus, equum hunc alatum significare posse translationem Animarum Heroicarum in cœlum; nihilominus persuasi sumus, eum hoc loco repræsentare Solem, tanquam auctorem Temporum anni, quæ sub ipso ad quatuor latera coloribus expressa sunt. Erat Pegasus dedicatus ipsi Soli, cujus currus ab equis alatis trahi fingebatur, teste Ovidio in *Fastis*, ut velocissimus ejus cursus, quo circulum anni percurrit, hoc symbolo indicaretur:

Sextus ubi e terra clivosum scandit Olympum
Phœbus, & alatis æthera carpit equis.

Sen.

TAB. XXXIV







TAB. XXXV

Sententiam hanc egregie confirmat numifma Gallieni, in quo repræfentantur Pegafus, adjecta Epigraphe: SOLI. CONS. AVG. *Soli Confervatori Augufti*. Quatuor anni Tempora, quæ, Sole curfum & circulum fuum peragente, fibi invicem perpetuo fuccedunt, in arcis fepulcralibus fæpe reperiuntur expreffa, fpecie & forma puerorum, cum fymbolis fupra defcriptis; floribus nempe, fpicis, pomis, & avibus aquatilibus. Inter has autem arcas fepulcrales omnium maxime confpicua eft Arca Barberina, quæ figuris fuis clare defignat virtutem & vim Solis in efficiendis & regendis anni Temporibus, fignificatque felicitatem animarum, quæ perfruuntur interea dum Sol annuum circulum, & figna Zodiaci percurrit. Sunt in ea fculpti quatuor adolefcentuli, cum iifdem fymbolis & argumentis. Duo medii, id eft, Æftas & Autumnus, manu quifque regunt fafciam Zodiaci, duodecim fignis diftincti, in cujus medio rotundus eft circulus, in quo repræfentantur imagines duarum fæminarum defunctarum; idque eft fymbolum æternitatis & immortalitatis illarum, quoniam Planetes ifte perpetuo tenore curfum fuum peragit, & ab uno figno ad alterum tranfiens, diverfa efficit anni Tempora; donec tandem plurimis annorum orbibus ab eo confectis, animas in vitam denuo redire crederent. In fepulcris, & lucernis fepulcralibus haud raro occurrit figura Pegafi, Animæ immortalitatem fignificans, cujus fymbolum etiam eft Sol & Luna, quoniam & pofterior horum Planetarum æternus effe credebatur; qua opinione imbuti Ægyptii, infanas exftruebant Pyramidum moles, inftar radii folaris in acumen definentes, eo quod perfuafi effent, Solem & Lunam, quæ duo Sidera *Ifidem* & *Ofiridem* appellabant, in omne ævum durare. Sic Horapollini Sidera hæc itidem Æternitatis funt fymbolum. Græci quoque & Romani, eamdem fequentes doctrinam, per Solem Æternitatem adumbrabant, ut ex Infcriptionibus, & Numifmatibus patet. Sed ut Differtationi huic finem tandem imponamus, pauca adhuc dicenda reftant de floribus, coronis, & fertis variis, quæ in hoc, multifque aliis fepulcris, picta & fculpta reperiuntur. Nimirum, pertinent ea ad morem veterum Romanorum, a Græcis derivatum, non folum coronandi mortuos fuos, fed etiam fepulcra eorum quotannis honorandi fparfione florum, rofarum & unguentorum, quoniam exiftimabant, hæc defunctis effe gratiffima. Mos hic adeo erat receptus, ut quidam morituri hæredes fuos in tabulis teftamenti officii hujus præftandi neceffitate adftringerent, ingenti pecuniæ fumma huic fini deftinata, quod teftantur non folum auctores Græci & Latini, fed etiam Infcriptiones, & ornamenta fepulcralia, quæ, ut hodieque ex antiquis monumentis apparet, ex coronis, fertis, frondibus & floribus conftabant. Neque folum præcipiebant, ut fibi quotannis rofis & odoribus parentaretur, fed etiam eum in finem fibi comparabant hortos, fepulcris fuis vicinos, ut ex illorum reditibus parentatio illa fieret, quod ex fequenti Infcriptione colligitur:

LONGIVS. PATROCLVS. SECVTVS. PIETATEM. COL. CENT. HORTOS.
CVM. AEDIFICIO. HVIC. SEPVL. IVNCTO. VIVOS. DONAVIT. VT.
EX. REDITV. EOR. LARGIVS. ROSAE. ET. ESCAE. PATRONO. SVO.
ET. QVANDOQVE. SIBI. PARENTETVR

Formula ufitata eft in antiquis Infcriptionibus: VT. QVOT. ANNIS. ROSAS. AD. MONVMENTVM. EIVS. DEFERANT. Rofæ nimirum præ omnibus aliis floribus in maximo habebantur pretio. Sed morem hunc falfe ridet Lucianus in *Nigrino*, ftolidos poft mortem vocans eos, qui fic ab hæredibus honorari vellent: *Quidam etiam cippos fuos floribus coronari jubent, ftolidi etiam poft mortem manentes*. Pindarus *Olymp.* animas juftorum in Infulis Beatorum ornatum indicit coronis & floribus, tanquam virtutum præmiis; uti fupra quoque Heroes in Campis Elyfiis floribus coronatos exhibuimus. Hunc morem etiam imitati fuerunt Chriftiani, eumque probat Prudentius Hymno in Exequias defunctorum, quem adducit Kirchmannus, qui fufe hac de re agit lib. IV. *de Funeribus Romanorum:*

Nos tecta fovebimus offa
Violis & fronde frequenti
Titulumque & frigida faxa
Liquido fpargemus odore.

Hæc ratio eft, quare tot florum & coronarum ornamentis non folum hoc, fed etiam multa alia fepulcra ornata confpiciantur.

D. M
AELIO. COGITATO. VETERANO. AVGG. NN.
QVI. VIX. ANN. XXXX. MENSIB. X. DIEB. VIIII
ET. MILITAB. ANNIS. XVIII. AVREL. IOVIN
VETERANVS. ET. LOLLIVS. COSTANTIN
MIL. EX. COH. II. PRAETORIAE. ET. VLPIVS
MARCELLIANVS. EQVES. SINGVLARIS. AVGG. N.
BENEMERENTI. FECERVNT

L. VOVSIO. VALENTINO
FECIT. SCADRIA. FOR
TVNATA. COIVX. QVAE
VIXIT. CVMIVM. ANN
IS. X. M. III. COIVGI BEN
EMERENT. QVI. VIXIT
AN. X. N. M. III. DIEBVS
V. BENEMERENTI
FECIT

P. O. M. S. B
RO. MA. NI. AE. VI. TA. LI
FI. LE. TI. FILI. A
CONIV. GI. ME. REN. TI
CAE. SONIVS. PRO. BVS. FEC

F I N I S.

JACOBI GUTHERII,

JC. NOBILIS ET PATRICII ROMANI,

DE JURE MANIUM,

SEU

DE RITU, MORE, ET LEGIBUS PRISCI FUNERIS,

LIBRI TRES.

AD AMPLISSIMUM ATQUE ILLUSTRISSIMUM

NICOLAUM VERDUNUM,

EQUITEM, SACRI CONSISTORII COMITEM, IN SUPREMA PARISIORUM CURIA PRÆSIDEM MAXIMUM.

AD AMPLISSIMUM ATQUE ILLUSTRISSIMUM

NICOLAUM VERDUNUM
EQUITEM, SACRI CONSISTORII COMITEM, IN SUPREMA PARISIORUM CURIAM PRÆSIDEM MAXIMUM.

JACOBUS GRUTERIUS
S. P. D.



QUÆ scribo DE MANIUM IURE, Præses Maxime, mera putabuntur, ut de Philosophis Cato dicebat, mortualia glossaria: collegi enim & lectitavi res tetras & frivolas, tanquam mulierum voces Præficarum, quæ mercede conductæ, Næniis aliena funera, & ementitis lacrymis decorabant. Ego vero virtutis antiquæ studio perculsus, illius emortuæ reliquias his scriptis cohonestare ita desidero, ut integram illam & incorruptam si a tumulo excitare non possim: certe illius in te partem præcipuam mirari non desinam, quæ ita prudentibus tuis factis reviviscit, ut pristinæ auctoritati reddita tandem aliquando videatur. Itaque Funera Veterum sic commovere constitui, ut superstes illa virtus tua, immortalitate dignum illud ingenium, illa humanitas neque extincta neque erepta post fata videri possint. Tu enim virtute summa, Diis quam hominibus propior, summa prudentia, multa Græcæ Latinæque facundiæ suavitate, plurimo rerum usu, Monumentum tibi parasti, quod æterna amplissimæ dignitatis indicia, sæculorum omnium posteritati prodet. Magnum nomen est, magna dignitas, magna ubique terrarum majestas, Præsidis primi in Parisiensi Curia: at major est gloria, quam singulari virtute tua consecutus es, cujus admiratione ad summum honoris fastigium non tam evectus quam exoptatus. Tolosa pie reclamante, ascenderis. Sed cum is tibi animus sit, qui nulla laude crescat, nulla invidia minuatur: quid ego laudes tuas persequor, quæ non Galliarum modo, sed Orbis universi finibus terminantur? Eo tamen deductus sum, quod vera laudatio multum apud bonos animos momenti habet, qui nobilioribus exemplis, ad recte vivendum solent excitari. Quare præteritas virorum illustrium virtutes, præsentibus tuis adumbravi, quæ cum nullo vitiorum confinio lædantur, amœnos veræ honestatis fructus & Sapientiæ nobis reddunt. Hujus ego amore captus & irretitus, cum Sapientiam illam ab ipso capite repeterem, nullo ex fonte uberius effluxisse comperio, quam quæ ex principiis certisque Naturæ legibus manat. Quarum hæc una prima & summa est, ut quidquid ortum est, mortalitas illud consequatur. Quapropter qui sapientiæ studium in mortis meditatione & contemptu posuerunt, næ illi mores hominum ad perfectam prudentiam pulcre effinxisse judicantur, qua quid mortale differat ab æterno, facile dignosci possit. Nihil enim æque prodest ad temperautiam rerum omnium, quam frequens cogitatio brevioris ævi & hujus incerti, cu-

jus dies extremus, quem vulgus fugit & reformidat, Sapienti Natalis est æternæ vitæ, quæ viris bonis a Deo immortali donata nova prædicatur. Horum enim mors putanda nulla est, cum suis laudibus vita occidens eos consoletur, qui se exhibuerunt Deo, tanquam cum mortuis viventes. In hoc virtutis genere, domestica Patris Optimi disciplina aliquandiu exercitatus, cum discendi cupiditatem solam vivendi rationem optimam credidissem: dum alii aliis delectantur, hoc FAMILIARE MONUMENTUM MIHI, LIBERIS POSTERISQUE MEIS, VIVENS FECI, quod extraneum quemlibet recipiet heredem, qui legendo aut scribendo vitam producere concupiscet. Illos quidem non sequetur, quorum cum mores ad inertiam incubuerint, nullam literam facere gestiunt, nisi forensem inanesque paginas denis assibus æstimando, verum laborem risu intempestivo contemnere. Ecquid, ajunt, hæ literæ ad Edictum Prætoris? quid ad forensem pugnam hæc umbratilis doctrina confert? quid ad expediendas leviores per Tertium lites? Usque adeo quidem ferre possum hujusmodi ineptias, ineptiæ dum sunt: verum cum alios obgannire audio, me libris prioribus meis rem impeditam, perditam & impiam frustra restituere conatum, vix est quin animus ille meus ingenuo liberoque fastidio iracundius feratur. Sed quid ego? cur me dictis delirantibus diutius commoverem? imo garriant, rideant, valeant, scientiam omnem in clamore & cursu verborum positam putent, & a causa ad causam transire: certum est mihi dum vivam, nec a fori laboribus, nec ab hac scribendi ratione recedere. Ego me literis humanioribus operam dare fateor ad curarum remissionem: si id nugari est, fateor id quoque: nec tamen vadimonium distuli, aut infinitam forensium rerum molestiam refugi, qui nomen aliquod in hoc celeberrimo Justitiæ templo inter causarum Patronos consecutus, tuam benevolentiam, qua maxime gloriari soleo, abhinc vicennium, dicendo mihi comparavi. Hoc unum etiam me maxime consolatur, quod non tam pertinaces patronos habuit invidia, ut viros fori nostri & altioris doctrinæ Principes, qui multi sunt, ullo modo contaminarit. Hi enim me ad has literas, prolatis rebus quam maxime revocarunt, quibus Juris nostri Civilis gloria aliqua ex parte illustratur. Horum studio illud forte assequar, ut Posteri habeant otii mei rationem, quod vere dicebat vir magnus: *Homo sine literis mors est, & vivi hominis sepultura.*

Chiffletius in *Vesontione* pag. 100.

Luculentum & elegans Opus Jacobi Gutherii, insignis hoc sæculo rerum antiquarum scrutatoris, quod inscripsit DE JURE MANIUM, *ubi pro dignitate de funeribus agens, ipse suum nomen a funeris periculo subduxit.*

INDEX CAPITUM.

JACOBI GUTHERII,

JC. NOBILIS ET PATRICII ROMANI,

DE JURE MANIUM,

SEU

DE RITU, MORE, ET LEGIBUS

PRISCI FUNERIS, LIBRI TRES.

AD AMPLISSIMUM ATQUE ILLUSTRISSIMUM

NICOLAUM VERDUNUM,

EQUITEM, SACRI CONSISTORII COMITEM, IN SUPREMA PARISIORUM CURIA PRÆSIDEM MAXIMUM.

CAP. I.

DE FATO. EXPLICATIO VERBORUM M. TULLII, PRÆTER NATURAM, PRÆTERQUE FATUM.



VENIO igitur *ad Manium Jura*, quæ Pontifices & sapienter instituisse & religiose coluisse dicuntur. Illa, aut in Pontificum ipsorum disciplina, aut in legibus, aut in more posita sunt: quæ paucioribus sunt explicanda, quod alii ante nos perdocte multa de iis scripta reliquerunt, quæ a nobis ita adaugentur, ut

Si quis eadem forte conari velit,
Habere possit aliquid operis residui.

Sed ut qui Funus sequuntur, dum procedit, quo plures conveniunt, eo exequiæ honestiores æstimantur: sic in hac scriptorum varietate, cum indictivo quasi Funere meliores literæ efferantur, dum tempus est, commodum forte fuerit, cum multis, supremum illis honorem solvere, & libros meos quasi Eclogium ad portam ponere.

A Fato exordior, cujus cum anile & plenum superstitionis sit nomen, huic tamen nobiliores philosophi tantum tribuerunt, ut imperitorum errorem secuti, Fato veluti potentiori alicui Deo vitæ mortisque imperium concesserint, Servius VIII. *Æneid.* Illi Fata scribunda advocabant ultima primæ hebdomadis die, qua nomina pueris imponebant, Tertull. lib. *de anima*, cap. XXXIX. Quæ crudelia postea, immatura, præpostera, acerba, turbata, indigna, dira, iniqua, male judicantia incusarent: mollia, benigna, bona, raro ab iis vocarentur. At cum mors ad Fatum semper referatur, Ciceronis illud multis negotium exhibuit, qui multa impendere *Philip.* I. scripsit, *Præter Naturam, præterque Fatum.* Adrianus Turnebus, lib. XIII. *Adversar.* cap. IX. nihil diversum Fati & Naturæ nomine significari putat, sed unum idemque declarari, mortemque naturalem eandem esse ac fatalem. Hæret in illis verbis Agellius, *lib.* XIII. *cap.* I. & cum quærit, utrum idem valeant Fatum & Natura: præter Naturam, violentam mortem designari recte censet: at præter Fatum, non sui operis & temporis esse profitetur.

A Animadvertit tamen acuti vir ingenii M. Tullium duobus verbis unam & eandem rem nusquam explicare; sed cum Naturam a Fato separasset, variam utriusque verbi significationem demonstrare. Nam quæ in faciendo fine vitæ violenta sunt, non videntur Agellio a Fato venire, & quod Fatum atque Naturam dixit Tullius, id multo ante Demosthenem τὴν πεπρωμένην καὶ τὸν αὐτόματον θάνατον appellasse. Αὐτόματος enim θάνατος *quasi Naturalis & Fatalis, nulla extrinsecus vi coactus venit*: quod nos postea viderimus. Sed mors omnis violenta præter Naturam, præterque Fatum accidit, quod mortis genus luctuosissimum Plinius lib.

B I. *Epist.* vocat, quæ non ex Natura nec Fatalis videtur. Nam utcumque illis, qui morbo finiuntur, magnum ex ipsa necessitate solatium est: in iis, quos accersita mors aufert, hinc insanabilis dolor est, quod creduntur potuisse diu vivere.

Tribus quidem humana omnis vita continetur, Servius IV. *Æneid.* Natura, cui ultra centum & viginti solstitiales annos concessum non est diuturniore frui luce. Fato, cui nonaginta anni, hoc est, tres Saturni cursus exitium creant, nisi forte aliarum stellarum benignitate, tertium ejus superet cursum. Fortuna, & casu, qui ad ruinam, incen-

C dium, naufragium, venena, vim Fatique diem occupatum. Quod optime in Didonis persona servat Poeta præstantissimus, IV *Æneid.*

Vixi, & quem dederat cursum Fortuna, peregi.

Hic enim non ad Naturam & Fatum mortem retulit;

—— *quia nec Fato, merita nec morte peribat.*

Sed ad Fortunam, quam violentæ mortis agnoscit authorem. Quare mors illa, quæ præter Naturam accidit, Fortunæ tribuitur: casui, quæ præter Fatum. At natura & Fatum ei, qui morbo finitur θανάτῳ ἰδίῳ, aut qui morte sua defungitur, Sueton. in *Jul.* cap. LXXXV quod est sua die mori, vel sua

D morte. Natura longior vita mortalibus conceditur: Fato brevior, ad quod mors omnis acerba etiamnum refertur, non ad Naturam.

Eleganter Demosthenes in *Epist. de Lycurg. lib.* ἄλλως τε ὅταν τῶν δημοτικῶν, τοὺς ἡ καθήκουσα μοῖρα, καὶ ἡ τύχη, καὶ ὁ χρόνος παραιρῆται. *Quod præsertim eorum, qui populares essent, alios properans Fatum & Fortuna & tempus sustulit.* καθήκουσαν μοῖραν, dixit Isocrates in *laudat. Busirid.* πρὸ μοίρας, *ante Fatum* ante diem, quæ mors violenta est, Casui tribuitur: Tempus autem continet Fatum & Naturam.

CAP.

CAP. II.

DE IIS, QUI PRÆTER NATURAM, PRÆTERQUE FATUM PERIERUNT. ET PRIMUM DE ICTIS FULMINE. QUID SIT SUPER GENUA TOLLERE. POPPYSMIS ADORARE.

Atque ut mors omnis naturalis est aut fatalis, aut præter Naturam παρὰ φύσιν præterque Fatum πρὸ Μοίρας: sic & generationes violentæ sunt & non fatales, quibus Natura adversatur. Ἆρα οὖν καὶ γενέσεις εἰσὶν ἔνιαι βίαιοι, καὶ οὐχ εἱμαρμέναι, αἷς ἐναντίαι αἱ κατὰ φύσιν. Aristotel. *l.* V. *Physf.* c. VI. Caufarum feries & præfcriptus in natura ordo apud Peripateticos Fatum eft, quod cum mors aut generatio prætergreditur, violenta & præter Naturam nuncupatur. Licet interitus omnis aliæque affectiones, quæ ad illum ducunt, contra naturam Ariftoteles dicat, *lib.* II. *de Cœlo*, c. VI. nullamque mortem naturalem effe videatur affirmare. Sed has affectiones præter Naturam ita putat, quod perniciem fubjecto moliantur, cum tamen legis Naturalis præfcriptum fequantur. De Fato Socrates apud Platonem, in *Gorgia*: Μὴ γὰρ τοῦτο μὲν τὸ ζῆν ὁπόσον δὴ χρόνον, τόν γε ὡς ἀληθῶς ἄνδρα, εὐκτέον ἐστὶ, καὶ οὐ φιλοψυχητέον, ἀλλὰ ἐπιτρέψαντα περὶ τούτων τῷ θεῷ, καὶ πιστεύσαντα ταῖς γυναιξὶν, ὅτι τὴν εἱμαρμένην οὐδ' ἂν εἷς ἐκφύγοι. *Neque enim vivere hic quantumcumque tempus optandum eft viro, qui vere fit vir: neque vita hæc amanda eft, fed hæc cura Deo relinquenda: mulieribufque adhibenda fides, quæ dicunt, neminem vitare poffe Fatum.* De Fortuna vel Cafu, fcientiffimus Poeta, cum de Priami morte loquitur, *lib.* II. *Æneid.*

> *Hæc finis Priami Fatorum: hic exitus illum*
> *Sorte tulit.*

Sorte, quia fors omnis a Cafu, qui a Fato regitur, nec eft Fatum. Naturam a fuo ordine, hoc eft, a Fato & Fortuna & Cafu diftinguimus, quæ ritu ipfo Funeris a Pontificibus feparantur. Nam quæ Natura aut Fato mors advenit, folemnes fuos ritus habuit ceremoniafque: at mors accerfita, aut fortuita aliis legibus religioneque continetur.

Eorum autem, qui præter Naturam præterque Fatum perierunt, varia genera numerantur, ut variæ funerum leges, quæ a Fortuna vel Cafu oriuntur. Fortunam enim & Cafum diverfa effe Philofophus docet, *lib.* II. *Phyfic.* c. VI. Διαφέρουσι δὲ τύχη καὶ τὸ αὐτόματον· ὅτι τὸ αὐτόματον ἐπὶ πλεῖόν ἐστι. Τὸ μὲν γὰρ ἀπὸ τύχης, ἀπὸ ταὐτομάτου· τοῦτο δ' οὐ πᾶν ἀπὸ τύχης. *Differunt ergo Fortuna & Cafus; quod Cafus latius patet, & quod a Fortuna eft, cafu eft: quod vero a Cafu, non omne a Fortuna.* Ex quibus clarum eft, αὐτόματον θάνατον a naturali & fatali morte omnino feparari, falfumque Agellium, *l.* XIII. c. I. qui αὐτόματον θάνατον quafi *naturalem & fatalem mortem* interpretatur, cum debuerit violentam ac temerariam intelligere. Hujus errorem perdoctus Demofthenis Interpres fecutus αὐτόματον θάνατον, *naturalem mortem* reddidit, cui verba Demofthenis attente perlecta multum adverfantur, in *orat. de Corona*: Ἡγεῖτο, inquit, γὰρ αὐτῶν ἕκαστος, οὐχὶ τῷ πατρὶ καὶ τῇ μητρὶ μόνον γεγενῆσθαι, ἀλλὰ καὶ τῇ πατρίδι. Διαφέρει δὲ τί; ὅτι ὁ μὲν γονεῦσι, μόνον γεγενῆσθαι νομίζων, τὸν τῆς εἱμαρμένης, καὶ τὸν αὐτόματον θάνατον περιμένει. Ὁ δὲ καὶ τῇ πατρίδι, ὑπὲρ τοῦ, μὴ ταύτην ἐπιδεῖν δουλεύουσαν, ἀποθνήσκειν ἐθελήσει. *Nam eorum quifque putabat fe non patri & matri duntaxat natum effe, fed Patriæ. Quid vero intereft? quod qui fe parentibus folum natum effe putat, fatalem & quoquo cafu advenientem mortem expectat. Qui vero patriæ, is ne hanc fervire videat, emori volet.* Quod eft, cum patria occidere, ut fi Cafus defit, a Fortuna auxilium petat, ut properet Fatum. Quo mortis genere, Decii, ut Cato Uticenfis Veterum fama meliore celebrantur. Atque hoc verbi ἀποθνήσκειν aperte iftuc indicat, in quo ἡ ἀπὸ πρόθεσις, ἐνταῦθα χωρισμὸν δηλοῖ, Author *Etymolog. præfentem & fubitam feparationem demonftrat.* Itaque fic differt Fortuna a Cafu, ut Fortuna ad eos referatur, qui deliberant & ex animi judicio agunt: Cafus vero ea complectitur, quæ temere & nullo hominis delectu accidunt. Quare quæ præter naturam fiunt, Fortuna fibi fuo quodam jure vendicare poteft: quæ præter Fatum, Cafibus imputantur. Sic Didonis mors non a Cafu, fed a Fortuna, & meditato confilio, ut eorum omnium, qui violentas fibi manus intulerunt, vel metu vel impatientia doloris. At Cafu mors Priami, ut eorum, qui perierunt ruina, naufragio vel alia vi, continetur. Quod ex Demofthene perfpicuum eft, qui liberos pro parentibus, nec fatalem mortem, nec ullum mortis periculum, quod a Cafu obvenit recufaturos putat: quod eft, nec morbum eos, nec vim majorem ullam reformidare folere, a quibus mors plerumque immatura offertur. Quid enim in liberis laudandum effet aut mirandum, fi pro parentibus naturalem, aut Fatalem mortem oppeterent, nec ullos cafus aut pericula fubirent, quæ αὐτομάτῳ θανάτῳ defignantur? At fortiffimum illud ac ultimum Fortunæ vulnus pro Patria, foli Catones, ut liberi vitam finirent, intrepidi accepiffe ita prædicantur, ut in illis amor patriæ naturæ imperium viciffe dicatur. Nos vero de eo fortunæ vulnere hic loquimur, quod omnium confenfu improbatur. Nam ut Catonis mors εὐτυχίαν, fic ifta præceps δυστυχίαν habet, qua βιαιοθάνατοι maxime læduntur.

Ad Cafum ergo, ictos fulmine, necatos in bello, peregre mortuos, in navi mortuos, in mare projectos rejicimus, ut ad Fortunam βιαιοθανάτους, de quibus fingulis Pontifices diverfa Jura fanxerunt. Nos primum de Cafu & de ictis fulmine videamus, ex Veterum inftitutis, quibus hominem fulmine exanimatum cremari fas non fuit: condi terra religio tradidit, Plinius *l.* II. c. LIV. Vetus eft lex Numæ, *Si hominem fulminibus occifit, ne fupra genua tollito.* Et alibi. *Homo fi fulmine occifus eft, ei jufta nulla fieri oportetto.* Feftus in verb. *occifum.* Fefti lectionem doctiores viri emendarunt, inter quos Scaliger legendum putat, *Si hominem fulmin Jovis occifit.* Fulvius Urfinus, quem alii funt æmulati, *fi hominem fulminis occifit.* Fulminis enim ut vulturis nominandi cafu Veteres dixiffe ex Ennio probant. Ego fufpicor legem Numæ ita fcriptam, *fi homo nam fulminibus occifit* κατέπεσεν. Dictio *nam* apud antiquos non folum caufalis & rationalis, fed completiva etiam & confirmativa invenitur, & præpofitiva & fubjunctiva, quemadmodum δὴ apud Græcos, Prifcianus *lib.* XVIII. quæ femper poftponitur. Atque hæc verba non pro legis principio, fed pro parte illius acciperem, quæ vel exceptionem continet, vel interpretationem, quod in Legibus XII. aliquando notamus. Nec temere *fulminibus* legendum putamus: non enim lex ad fulmen Jovis folum pertinet, fed ad omnium generum fulmina, quæ varia pluribus Diis Pontifices adfcribunt, Lact. Gramm. I. *Thebaid.* Ut Thufcorum etiam literæ, novem Deos emittere fulmina docuerunt, Plinius *l.* II. cap. LI. quorum vates exactiorem cæteris cognitionem adepti noverant, unde illa emitterentur, quibus quæque Diis tribuerentur,

in quorum loca se reciperent post ictum illatum, quid boni malive portenderent. Dionys. *lib.* IX. Πόθεν τε αἱ τῶν κεραυνῶν γίνονται βολαί, καὶ τίνες αὐτὰς ὑποδέχονται μετὰ τὰς πληγὰς ἀπιόντας τόποι θεῶν οἷς ἕκαστοι ἀποδίδονται, καὶ τίνων ἀγαθῶν ἢ κακῶν μηνυταί. Certa etiam numina possidebant fulminum jactus, quas Manubias Etruscorum libri appellabant, Jupiter, Vulcanus, Minerva, Servius I. *Æneid.* Hinc Minervales Manubiæ, idem XI. *Æneid.* quod triste Minervæ sydus Virgilio, graves æquinoctio vernali tempestates movet. Nonnulli tamen manubias fulminis, Jovi, Junoni, Marti & Austro vento asserunt attributas, idem VIII. *Æneid.* quarum varia etiam genera produntur. Sunt enim Peremptalia fulmina, Pestifera, Postularia, Pervorsa, Renovativa, Ostentatoria, Clara, Familiaria, Bruta, Consiliaria. Festus, Plinius *lib.* II. cap.

A XLIII. LI. LII. Nonius, Ammian. Marcell. *lib.* XXIII. Ex iis fulminum generibus vulgus Romanorum duo tantum servavit: Nam diurna κεραυνοβόλια ἡμερινὰ Jovi: nocturna κεραυνοβόλια τὰ περὶ νυκτερινὰ, Summano tribuebat. Unde in publicis commentariis scriptum est, *Jove Tonante Fulgurante*, Cicero *orat. in Vatin.* & *lib* II. *de Divinat.* Inque Jovis manu fulmen imponebatur, Tertull. *Apologet.* cap. XI. qui in antiquis Numismatibus Fulgurator, Ultor, Propugnator signatur, ut in Fig. 1. & 2.

Trisulcum Fulgur gestat manu Deorum Maximus, quorum etiam Conservator dicitur in Nummis Gordiani, in quibus depictus Jupiter stans, dextra fulmen tenet, sinistra hastam, sub cujus manu principis imago adstat, quem fulmine protegit, ut in Fig. 3.



Pavescant Regum infestissimi parricidæ, & qui infami rebellione, Principis fulmen contemnunt. Discant impii sceleris gregales scriptores, nullam male de Principe merendi justam esse usquam causam posse, nullum tantum facinus, quod parricidio aut conjuratione sit vindicandum. Vindicem ubique adesse Deum, primi & maximi criminis ultorem gravissimum, qui impiorum facinora judicat, discutit & damnat, æternique fulminis ignibus conscios tradit. Eheu! Errice Magne Μακαρίτῃ piis Manibus ut bene precantur omnes boni: sic illos perpetua iræ cœlestis fulmina nefandissimo parricidæ decet imprecari. Tibi vero Lodoice Rex Christianissime, Deus ille verus & tui conservator, Reginæ Matris auspiciis dedit orbem quietum, Senatum fidelem, populum probum, exercitus fortes: Deus ille te servet, Deus tueatur, Deus mala prohibessit: vincas, valeas, ex votis omnium & priscorum acclamationibus multis annis imperes, & de nostris Deus ille Deus augeat tuos.

Redeo ad Numæ leges, quæ vetant hominem fulmine occisum super genua tollere, quod interpretor, loco movere, quo ei proximiores officia ultima præstarent, ungerent, lavarent. Ex ritu enim prisco funeris, soror vel mater mortui, quæ Funera dicebatur, corpus genibus sublevabat, quia forte in iis inest vitalitas, Plinius *l.* XI. c. XLV. vel quod illa misericordiæ sint consecrata, Serv. *Eclog.* VI. Sicque corpus illud sinu fovebat & complectebatur. Quod ex Pædone Albinovano observamus de morte Drusi ad Liviam:

At miseranda parens suprema neque oscula fixit,
Frigida nec movit membra tremente sinu.

Mavult Lipsius *l.* III. *Epist.quæst.* epist. III. *fovit.* Sed veterem lectionem loco movendam non censeo. Quod vero Pædo sinum, Virgilius complexum dixit *Eclog.* V.

Cum complexa sui corpus miserabile nati,
Atque Deos atque astra vocat, crudelia, mater.

D Gremium Arnobius vocat, alludens ad funeris ritum. *Ergone,* inquit, *lib.* V. *Deum mater genitalia illa disjecta, cum floribus ipsa per se mœrens officiosa sedulitate collegit, ipsa sanctis manibus, ipsa divinis contrectavit ac sustulit flagitiosi operis instrumenta fœdique, abscondenda etiam mandavit terræ? Ac ne medio in gremio diffluerent, sic soli, priusquam veste velaret ac tegeret, lavit utique balsamis atque unxit?* Quæ aperte designant, quid sit super genua tollere. Altera lex Numæ est, *Ne justa fiant ei, qui fulmine occisus est*, ἔθιμα, Charisius *lib.* I. consueta vel ex consuetudine solemnia. Nec enim icti fulmine, qui ἱεροὶ νεκροὶ, lavabantur, ungebantur, producebantur, urebantur, nec iis inferiæ solvebantur, sed ibi humo tradendi, ubi occidissent.

E Rationem legis eam adfert Artemidorus *lib.* II. cap. VIII. *quod nullus fulmine ictus infamis aut ignominiosus existat, qui etiam velut Deus colebatur.* Οὐδεὶς γὰρ κεραυνωθεὶς ἄτιμος ἐστιν, ὅθεν γε καὶ ὡς Θεὸς τιμᾶται. Diis enim nec justa fiebant, nec illi lugebantur. Sic mortuo M. Aurelio tantus illius amor die regii funeris claruit, ut nemo illum lugendum censuerit, certis omnibus, quod a Diis commodatus ad Deos rediisset, Capitolinus in *M. Aurel.*

Alia ratio probabilior est, justa fulmine ictis non fieri, quod inter prodigia illi haberentur. *Annus prodigiis sollicitus*, inquit Livius *lib.* X. *in exercitu Appii Claudii nunciatum est plerosque fulminibus ictos.*

F Ut in Catilinianis prodigiis numeratur M. Herennius, Plinius *l.* II. cap. LI. qui sereno die fulmine ictus est. Et post Agrippinæ parricidium prodigia crebra, Tacit. XIV. *Annal.* inter quæ mulier in concubitu mariti exanimata. Quæ quidem prodigia cum certo sacrificii genere procuranda expiandave essent, vel ex libris Sibyllinis, vel ex Aruspicum Pontificumve responso, aut præcepto: nullo alio ritu solvi justa potuerunt, sed prodigii solum procuratio danda piaculari sacro. Quare fulguritos condi terra religio fuit, (vid. Senec. *l.* I. *de Clement.* cap. VII.) membraque vel ossa ab Aruspicibus colligi, ut ex Varrone colligitur in libro περὶ ἀρετῆς καὶ

φύσεως. *Illud vero*, inquit, *quondam egi, ut ego non metuam fulmen, non Aruspicem tristem*, quem fulguratorem vocat Cato de moribus Neronis, apud Nonium.

Hos quidem fulguris ictus non ad honorem retulerunt, sed ad pœnam vitæ impurioris, quæ divinis honoribus post fata coli non debuit, ut Artemidorus ὀνειροκρίτης somniavit. Cum vero totum corpus fulguritorum terra conderetur, fortean de fulgurito Inscriptio vetus intelligi debet, quæ est in via Labicana quarto ab urbe milliario, apud Gruterum *Inscript. pag.* DCLXXXVIII. 10.

D. M.
L. IVLI. EPIGONI
VIXIT. ANNIS. XXVI. M. V. D. XII
CORPVS. INTEGRVM. CONDITVM
L. IVLIVS GAMVS.
PATER. FILIO. PIISSIMO

Leges Numæ tandem a potentioribus, temporis lapsu violatæ aut immutatæ. Nam Strabo Magni Pompeii pater occisus fulmine, indictivo funere elatus est, Plutarchus in *Pomp.* & fulminis icti corpus universum concremandum in eo loco, ubi occidisset, antiqui rhetores loquuntur, Quintilianus *decla.* CCLXXIV.

De fulgetris hoc unum huic capiti inseremus, quod illas Poppysmis adorare consensus gentium esset, Plinius *lib.* XXVIII. cap. II. Leviter adorare & complausis manibus cavis Turnebus *lib.* IV. *Advers.* cap. XV. interpretatur Poppysmum, & asserit vocem fictitiam ad soni expressionem: cum ποππύζειν & ποππυσμὸς e pura puta Græcia profluxerint, & ποππύσματα Hesychio κολακίσματα dicantur.

CAP. III.

DE ARBORIBVS FVLGVRITIS AVT ATTACTIS.

Illud cum M. Varrone semper ago, ut neque fulmen metuam, neque eum, qui fulgurare, tonare, permiscere Græciam posset, qui nullos in animo meo malevolentiæ aculeos relinquere uspiam potest. Quare fulmen contrectabo securior, & de arboribus, aut locis fulguritis, aut attactis pergam ea scribere, quæ ad Pontificum disciplinam quodammodo pertinere videbuntur.

Arbores fulguritas, quæ fanaticæ dicebantur, Festus in verb. *Fanatica*, coinquire & procurare solebant, ut ipsa quoque loca de cœlo tacta, dum reliquiæ fulminis a Pontificibus cum Sacrificio sepultæ conderentur, Acro *in Horat. de art. poet.* Plauti servus nequam, cum senem ab agri herilis dominio avertere conaretur, eumque dominis maximo damno fuisse perhiberet.

Apage, inquit senex, *a me istum agrum.*
ST. *Magis apage dicas, si omnia a me audieris,*
Nam fulguritæ sunt hic alternæ arbores.

Plautus in *Trinummo*. Quas collucare, coercere, coinquire necesse erat, id est, ea parte ramos excindere, qua de cœlo tactæ essent. Ab eo Projecta dicta crediderim, quæ Messala in Explanatione XII. scripsit depellendorum malorum fulgurum vel bonorum causa fieri, Festus in verb. *pecunia*. Quod ex Catonis *de re rust.* cap. CXXXIX. verbis apertius intelligi potest. *Lucum collucare*, inquit, *Romano more sic oportet. Porco piaculo facto, sic verba concipito. Si Deus, si Dea, cujus illud sacrum est, uti tibi jus siet, porco piaculo facere, illiusve sacri coercendi ergo. Harumce rerum ergo sive ego, sive quis jussu*

A *meo fecerit, ut id recte factum siet. Ejus rei ergo te hoc porco piaculo immolando bonas preces precor, uti sies volens propitius mihi, domo, familææque meæ, liberisque meis. Harumce rerum ergo macte hoc porco piaculo immolando esto.* Quod dicit Cato, *si quis meo jussu fecerit*, de Strufertariis debet intelligi, Festus in verb. *Strufertarios*, qui mercede conducti sacrificia quædam ad arbores fulguritas faciebant precabanturque non Jovem, ut in lege Numæ Scaliger reposuit, sed *sive Deum sive Deam.* Verba Catonis lucem veteri Inscriptioni afferre, & ex illa mutuam accipere possunt, *pag.* CXXI.

B

VII. ID. NOV.
SAENIVS. DONATVS. L. FABIVS. FORTVNATVS. FRATRES. ARVAL. IN. LVC. D. D.
VIA. CAMP. APVD. LAP. V. CONV. PER. C.
PORC PRISCVM. MAG. ET. IBI. IMM.
QVOD. VI. TEMPESTAT. ICTV. FVLMIN.
ARBOR. SACR. L. D. D. ATTACT. ARDVER.
EARQ. ARBOR. ERVENDAR. FERR. PENDENDAR. ADOLENDAR. COMMOLENDAR. ITEM. ALIAR. RESTITVENDAR.
CAVSA. OPERISQ. INCROANDI. ARAE.
C TEMPORAL. SACR. D. D. REFICIEND. EIVS.
REI. CAVSA. LVSTR. MISS. SVOVETAVRILIB. MAIOR. ITEM. ANTE. AED. D. D. B. F.
A. IVNCT. N. II. ITEM. AD. AR. TEMPOR.
DIS. INF. S. S. IAN. PATR. ARIET. II. IOVI.
VERBEC. II. MARTI. PATRI. VLT. AR. N.
II. SIVE. DEO. SIVE. DEAE. VERB. II. IVN.
D. D. OV. N. II. VIRGINIB. DIV. OV. N. II.
FAM. DIV. VERB. N. II. LARIB. VERB. N. II.
MATRI. LAR. OV. N. II. FONT. VERB. II.
FLOR. OV. N. II. SVMMAN. PATR. VERB.
ATROS. II. VESTAE. MATRI. OV. II. VESEOR. DEOR. DEARQ. OV. II. ITEM. ADO-
D LEND. COINQ. OV. II. ET. ANTE. CAESAR.
GENIO. D. N. SEVERI. ALEXANDRI. AVG.
T. A. ITEM. DIVIS. N. XX. VERBEC. XX.

In studiosorum gratiam, qui minus in Inscriptionum lectione versati sunt, istam, quæ elegantissima est, sic extendimus. *Fratres Arvales in Luco Deæ Diæ via Campana apud lapidem quintum convenerunt per Cajum Porcilium Priscum magistrum, & ibi immolarunt. Quod vi tempestatis, ictu fulminis arbores sacri Luci Deæ Diæ attacta arduerint, earumque arborum eruendarum, ferrenda-*
E *rum, pendendarum, adolendarum, commolendarum, item aliarum restituendarum causa operisque incroandi, aræ temporales, sacræ Deæ Diæ reficiendæ: Ejus rei causa lustrum missum Suovetaurilibus majoribus. Item ante ædem Deæ Diæ, bovem fæminam ambegnis junctis nefrendibus duabus. Item ad aram temporalem Dis Inferis supra scripta. Juno Patri arietes duo. Jovi verbeces duo. Marti Patri Ultori, arietes nefrendes duo. Sive Deo sive Deæ, verbeces duo. Junoni Deæ Diæ, oves nefrendes duas. Virginibus divis, oves nefrendes duas. Familiæ Divæ, verbeces nefrendes duo. Matri Larum, oves nefren-*
F *des duas. Fontibus, verbeces nefrendes duo. Floræ, oves nefrendes duas. Summano Patri verbeces atros duo. Vestæ Matri, oves duas. Vescorum Deorum Dearumque oves duas. Item adolendarum coinquiendarum oves duas. Et Cæsaris Genio Domini nostri Severi Alexandri Augusti Taurum auratum. Item Divis nostris viginti, verbeces viginti.*

Lubet paululum a Pontificibus ad Arvales Fratres divertere, & cun illis in tetrastylo considere, quod luci attacti ab eruditis huc usque leviter tacti sint & collucati.

Procuratio fulminis ad Aruſpices, Sibyllinos libros, Pontifices vel Triumviros rejecta, qui Comitiis creabantur. Ab Aruſpicibus proditum eſt, in ſingulis arboribus quot genera inſita ſint, uno ictu tot fulmina fieri, in illud quod fulmen concepit, Varro *lib.* I. *de re ruſt.* cap. XL. De Pontificibus & libris Sibyllinis videbimus poſtea. De Triumviris hæc ex Livio adferemus *lib.* XXV. *Comitia a Prætore urbano de Senatus ſententia habita, quibus creati ſunt Triumviri bini: uni ſacris conquirendis doniſque præſignandis: alteri reficiendis ædibus Fortunæ.* Mendum in Livio manifeſtum eſt, legendum enim *ſacris coinquiendis.* Quid vero ſit *dona præſignare*, non ita perſpicuum. Putavi aliquando legendum *donis præfigendis & refigendis* ex Virgilio XII. *Æneid. Ubi figere dona ſolebant.* Proprie enim figi dona dicuntur, Servius III. *Æneid.* Sed nihil muto. Nam ut ſignare vota Veteres dicebant; ſic præſignare dona crederem eſſe, dona votis promiſſa ſolvere. Si quis tamen malit *præfigere*, non renuo. Ex Triumviris Avo Galbæ, cum fulmen procuraret, exta de manibus aquila fertur rapuiſſe, apud Suetonium in *Galba* cap. IV.

Quæ procuratio Fratribus Arvalibus commiſſa eſt, in lucis aut arboribus attactis, cum arvorum Sacerdotes eſſent, ſacraque publica facerent, Plinius *l* XVII. cap. II. luſtrarent agros ſemel in anno, ex Kalendario ruſtico, quod Ambarvale Sacrificium dicebatur, Servius *Eclo.* V. Hallucinatur vir doctus, qui idem putat agrum coinquire & luſtrare. Longe enim hæc diverſa ſunt, ut ex Catone cap. CXLI. & Inſcriptione doceri poteſt, in qua Dea Dia eadem eſt, quæ Ceres, Ops, Mater Deum Magna. Sed ut Inſcriptionem hanc, quæ dubia eſt, notis noſtris illuſtremus, omiſſis iis, quæ ex ſequentibus Inſcriptionibus colligi poſſunt, videndum eſt, quid ſibi hæc verba velint *ferrendarum arborum.* Ferri & efferri arbores dicuntur cum auſpicato, Jovis fulguri, arbor capitur & conſecratur, quæ Capillor dicebatur, Servius X. *Æneid.* Male ſcriptum eſt *pendendarum* pro *pedandarum.* Sic apud Columellam, *l.* IV. c. XII. pedanda vinea, quæ adminiculo adquieſcit, ut novæ arbores pedamentis ſemper muniuntur. In *incroandi* verbo R. pro H. poſitam, antiqua ſcribendi ratione animadvertit Gruterus. Luſtrum miſſum interpretor piaculum factum, Suovetaurilibus majoribus ex Catone cap. CXXXIX. & CXLI. & Livio *lib.* II. Luſtrum enim a luendo originem trahit, Varro *l.* V. *de Ling. Lat.* Miſſum autem ſacrorum verbum eſt: ſic mittere inferias, Ovidius *l.* XI. *Met.* dixit. Bovem fœminam ambegnis junctis ex Feſto lego, in verb. *ambegni.* Marti Patri Ultori, id eſt, Sylvano Marti, cujus agrorum tutela fuit & pecorum, quod ex Catone monuit Gruterus, & Plautus docet in *Truculento:*

Fuit Ædepol Mars meo iratus patri,
Nam oves illius haud longe abſunt a lupis.

Ultor vero dicitur ob fulminis jactum, quo luci polluti ſecundum Pontificum documenta, Acro *in Horat. l.* I. *Od.* XII. cui arietes nefrendes duo ſacrificarunt, ut Summano Patri verbeces atros duo. Qui modus loquendi vulgaris apud antiquos Scriptores, ut apud Accium: *Martes Aonia congreſſos duo crederes*, Chariſius *l.* I. Quod & Terentius uſurpavit in *Adelph. Tu illos duo olim pro re tollebas tua.* Summanus eſt Jovis manes, Dis Pater, Vragus Orcus, Macrobius *l.* III. *Saturn.* c. IX. quod ab urgendo male quidam derivarunt, cum Græca vox ſit, apud quos Οὐραγὸς dicitur, qui extremam agminis partem ducit: unde non invenuſte ad Ditem transfertur, qui poſtremum humanæ fabulæ actum excipit. Divæ autem virgines ſunt, Diana ſylvarum potens & Minerva, quæ fulminis jactum poſſidebant. Alia eſt Inſcriptio, *pag.* XL.

VIR. DIANÆ. SACR.

Familiam Divam, intelligo Divas Corniſcas. Inſcriptio Romæ, *pag.* LXXXVIII.

DEIVAS. CORNISCAS. SACRVM.

Corniſcarum Divarum lucus erat trans Tyberim cornicibus dicatus, Feſtus in verbo *Corniſcarum.* Quod & de cæteris alitibus & feris accipi debet, quæ in tutela Deorum erant, & in lucis vagabantur, quæ Diva familia continentur. Fontibus quoque Sacrum factum, quia nullus lucus ſine fonte, nullus fons non ſacer, Servius *l.* VII. *Æneid.* ex quo Fontinalia Feſta derivarunt, Varro *lib.* V. *de Ling. Lat.* Quod Virgilius mire expreſſit:

—— Lucoſque ſub alta
Conſulit Albunea, nemorum quæ maxima ſacro
Fonte ſonat.

Si in nemoribus errat tantiſper vagaturque Oratio mea, non a recta via diu deflexerit. Dandum & & condonandum aliquid animis noſtris dum delicii affectibus ducuntur. Villula Brytachium mihi eſt ſeptimo ab urbe milliario arborum & fontium amœnitate gratiſſima. Eo vero charior, quod nemorum, locorum nobilium & Gatidum proxima vicinia decoratur, quæ mihi illuſtriſſ. Card. Perronii & fratris illius dilectiſſimi benevolentiam conciliavit, quam ſuſceptam Fortunæ bonis omnibus anteferre gloriabor. Fontes duo Brytachii mei lapide poſito his verſibus & inſcriptionibus exornavi, poſteritatique conſecravi. Unius fontis inſcriptio, qui hortorum ambulationes præterfluit, ſic concepta eſt:

Nymphæ noſter amor, levibus ſolatia curis,
Si mihi Caſtalii riſerit unda chori.
Hic lapis inſcriptas veſtro cum murmure voces
Garriet, irriguis conſociatus aquis.
Nos ultro æternos taciti meditabimur annos,
Dum variis vitæ fluctibus obruimur.

Fons alter, qui viam publicam limitem habet, perbrevibus his literis commendatur:

Hujus Nympha loci
Oculis & oſculis prætereuntium obvia
Cupidinem fugio fugitivum,
Cujus, ſi te, qui hac tranſis, comitantur ignes,
Vah! Comites cæcos fuge.
En præſto ſum Dea, quæ fugientem ſequor,
Et ſocii amoris amplector ſitientem.
Bene te, bene me, bene noſtram Dryadum Viciniam,
Bibe, ſi Bibis.

Jam vero hi rivuli claudendi ſunt, & ad Inſcriptionis explicationem redeundum, in qua fabrilis error eſt in verbis *Veſeorum Deorum.* Repono *Veſcorum Deorum*, ut veſcas ſalicum frondes Virgilius dixit, id eſt, minutas, III. & IV. *Georg.* Veſcum papaver, quod male interpretatur Servius, quo veſcimur. Veſcum corpus Plinio *lib.* VI. c. XX. id eſt, tenue, ut telæ aranearum veſcæ vocantur, & veſcus ὀλιγοσιτης, ὀλιγοδεὴς, *Gloſ. vet.* qui modico cibo utitur, & paucis contentus eſt. Hac ratione Veſci Dei ſunt, qui minuti & Patellarii a Plauto, in *Ciſtellar.* facete appellantur, quique in omnibus ſacrificiis, quæ in Veſta deſinebant, confuſo hoc nomine invocabantur.

Diis viginti continentur dii Rurationis, Occator, Sterquilinus, & cæteri, qui in libris Pon-

tificalibus inveniuntur, & a Fabio Pictore apud Servium *l.* I. *Georg.* & Varrone recensentur. Hic duodecim tantum enumerat, sed illos agricolarum duces, *l.*I.*de re rust.* c. I. Coinquire notæ jam significationis est Magni Scaligeri beneficio, *ad Festum in verb.coinquirere*, quem Respub. literaria merito ut principem veneratur.

CAP. IV.

DE LUCIS ET LOCIS ATTACTIS FULGUR CONDITUM. PROCURANDI FULMINIS MUNUS AD PONTIFICES REJECTUM.

Lucos attactos & inaccessos percurrere otiosum forte non erit, antequam fulminis reliquias cum Pontificibus condamus. Inscriptionis fragmentum aliud nos exercebit, quod ipsum explere tentabimus, *pag.* CXXIV.

C. VICTORIUS. GETA. ET CAND.
M. VALERIUS. JUNIANUS. VOLUSIUS.
SATURNINUS. P. CORNEL. HERACLEO
OPTIANUS.
ISDEM. COS.
IN. LUCO. DEÆ. DIÆ. TI. JULIUS.
JULIANUS. ALEXANDER. PER. PROMAG*istrum convenere causa*
LUCI. COINQUIENDI. ET. OPERIS.
FACIUNDI. IBIQUE. VACCAM
HO*rnam immolarunt*
IBIQUE. SACERDOTES. IN. TETRASTYLO. CONSEDERUNT. ET. EX SACRIFIC*io solemni*
SPICIS. VITIATIS. LUCUM. DEÆ. DIÆ.
SUMMOTO. ASCENDERUN*t ibique.*
TI. JULIUM. JULIANUM. PRO. FLAMINE. MAGNAS. OPIMAS. IMMOLA*re deæ diæ*
FECERUNT. DEINDE. CORONIS. INLATIS. SIGNISQUE. UNCTIS. C.
V*ictorius cum Collegis*
IN. SATURNALIA. SECUNDA. MAG.
ANNUUM. IN*tule*RUNT. IBIQUE
I*mmolarunt.*

Sic expleo, quæ vetustas delevit.

In hac Inscriptione, *opus facere*, supra dictum est *incroare*. Vaccam Hornam adjicio, quia horna fruge, horno sale, & hornis victimis Dii sacrificabatur. *Horno* autem dicitur quasi hoc anno, Serg. Grammat. *in Donat. edit.* I. Sic M. Tullius frumentum hornotinum dixit *act.* IV. *in Verr.* Et Propertius *lib.* IV.*eleg.*III.

Illa dies hornis cædem denuntiat agnis,
Succinctique calent ad nova lucra Popæ.

Qua ratione motus, in superiore Inscriptione litteram N. *Nefrendes* interpretatus sum, quod nondum aliquid frendant, id est, comminuant, Scaurus Gramm. Frendere enim est dentibus frangere, Servius VIII. *Æneid.* amissoque nomine lactentis nefrendes dicuntur, Varro *l.* II. *de re rust.* c. IV. In Tetrastylo considere est in ædis vestibulo. Alia Inscriptio est:

CONVENERUNT. IN. PRONAO.
ÆDIS. CONCORDIÆ. CUM.
COLLEG.

De Tetrastylo Vitruvius *l.* III. c. II. & *l.*IV. c. III. Frons *ædis Doricæ in loco, quo columnæ constituan-*

A *tur, dividatur, si Tetrastylus erit, in partes* XXVIII. Vitium est in spicis vitiatis, cum enim lucum coinquirent Arvales, quid spicis vitiatis opus fuit? Scio vitiatas spicas fulgure tactas Latine dici, ut vitiata ova, Plinius *libr.* X. c. II. Sed hic vitiatæ spicæ nil ad lucum vel opus hoc faciundum. Legendum *vittatis spicis*. Arvalibus enim spicea corona, quæ vitta alba colligabatur, insigne data est, Plinius *l.* XVII. c.LIV. qua ornati sacra solemnia peragebant. Summoto adverbialiter positum, ut optato. Summoto ascenderunt cum lictoribus, qui apparerent, turbamque summoverent, ut in sacris fieri consuetum. Coronas ex Tibullo retexe-
B mus, *l.* I. *eleg.* I.


Flava Ceres tibi sit nostro de rure corona,
Spicea quæ templi pendeat ante fores.

De hac Apulejus *l.* VI. *Metam. Pulvinaribus se proximum intulit, videt spicas frumentarias in acervo, & alias flexibiles in corona, & spicas hordei videt.* Signis unctis dicitur unguento delibutis vel minio. Nam Jovis ipsius simulacri faciem minio diebus festis illiniri solitam Verrius tradit apud Plin. *l.* XXXIII. c. VII. ut unguentis Deorum imagines
C Cicero *act. in Verr.* quæ complebantur coronis & floribus solemni die. De utroque Plauti parasitus in *Asinar.*

Tum si coronas, serta, unguenta jusserit,
Ancillam ferre Veneri aut Cupidini,
Tuus observet Venerine eas det, an viro.

Jam vero ad loca attacta transeamus & Catholica fulgurum attingamus, quæ habent religionem. Prodigium erat, si ædes sacræ, vel sepulchrum, statua locusve publicus fulmine icta essent, Livius *l.* XXVII. Dio *l.* L. Agellius *l.* IV. c. V. Urbem lustra-
D vit Nero ex Aruspicum responso, quod Jovis ac Minervæ ædes de Cœlo tactæ essent. Tacitus XIII. *Annal.* Quæ prodigia spretis plerumque Aruspicibus ex libris Sibyllinis procurata asserit Varro, *De scenicis originibus* libro primo.

Attacta vero loca, quæ Fulgurita, Bidentalia, Obstita, Fanatica dicebantur, nec intueri nec calcari Fulgurales pronuntiant libri, Ammian. Marcell. *l.* XXIII. Ideoque ara superimposita est, quæ Puteal vel Capitium, *περιστόμιον ἱερῦ φραγμὸς, ἱερὸς τόπος περικεκλισμένος. Gloss. vet.* operculum vocat Ulpianus *l.* 13. §. fin. & *l.* 14. *D. de act. empt.* quale fuit Scribonii Libonis in veteribus nummis: ut
E in hac in figura:



Tum vero fulgur conditum dicebatur, cum ara
F superimposita esset. Festus in verb. *Scribonianum.* Quod quidem nefas erat integi, sed ibi semper foramine aperto, cœlum patebat. Inscriptio Nemausi, *pag.* CXXXII. 8.

FULGUR
CONDITUM
DIVOM

Locus autem fulmine ictus putabatur statim fieri religiosus, Festus in verbo *Fulguritum*, eumque Deus aliquis sibi dedicasse videbatur: quod Cæsarem Augustum impulit, ut aream in Palatio a se emptam consecrarit. Dio *l.* XLIX. & Apollini dedicarit, quod de cœlo tacta esset, *ἐπειδὴ κεραυνὸς ἐς αὐτὸν ἐγκατέσκηψε*, Dio *ibidem*, locus ille Bidental dictus *τόπος κεραυνόπληξ*, *κεραυνοβόλιον* a Nigidio Figulo, apud Non. (quem M. Varroni Agellius *l.* XIX. c. XIV. parem doctrina facit) quod bimæ pecudes immolarentur. Unde Bidentales & Fanatici Sacerdotes. De his Inscriptio est in Vaticano, *pag.* CCCXIII. I.

Q. CÆCILIO. APOLLINARI
FANATICO. DE. ÆDE
BELLONÆ. PVLVIN
CVIVS. MONITO. HASTA
IN. ÆDE
BELLONA. IN. LVCO
DICATA. EST

Fanatici quoque Sacerdotes dicti, qui circa fana bacchabantur & responsa reddebant, *l.* I. *§. idem Vivianus. D. Ædilit. Edict.*

Sacerdotes Bidentales in Decuriam redacti sunt. Lapis alter, *pag.* XCVI. 5.

SEMONI
SANCTO
DEO. FIDIO
SACRVM
SEX. POMPEIVS. SP. F
COL. MVSSIANVS
QVINQVENNALIS
DECVR
BIDENTALIS
DONVM. DEDIT

Legitur etiam, *pag.* CXXXII. 7.

ARA. PROCVR
FVLGETRÆ

Quæ quidem procuratio plerumque ad Pontifices ex SCto. rejecta est, ad quorum collegium relatum est de expiandis, quæ Locris in templo Proserpinæ tacta elataque inde essent, Livius *l.* XXIX. Inscriptio alia est, *pag.* XXI. 6.

IOVI
FVLMIN. FVLG. TONANTI
RVSTICVS. L. F. ÆLIO. PONT
EX. S. C. DEDICAVIT

Hæc quidem eorum oculos lædent, qui nihil norunt, quam sinistris sermonibus aliorum studia carpere, ut eruditionis famam aliquam maledicendo consequantur. Sed in omnibus Auspicium optimum habebo, si mihi fulmen hocce meum fuerit sinistrum.

CAP. V.

DE NECATIS IN BELLO.

Mortis genus pulcherrimum est, quod pro patria in bello oppetitur, Cicer. *Philip.* XIV. Nam pro brevi vita diuturnam memoriam posteri reddunt. Vetant Leges XII. *Ne homini mortuo ossa legantur, quo post funus fiat:* quæ excipiunt bellicam peregrinamque mortem, Cicero II. *de Leg.* Nam mortuis in bello, qui per gloriam vivere intelliguntur, membrum abscindere licuit,

A ad quod servatum Justa fierent, reliquo corpore combusto, Festus in verbo *membrum:* vel illorum cineres in urna reportabantur, quem morem Propertius tangit *eleg.* XI. *lib.* II.

Neve aliquid de te flendum referatur in urna,
Sic redeunt, illis qui cecidere locis.

Duo itaque funera militibus facta, domi, militiæque. Quæ foris tumultuaria pleraque. Militum enim corpora in unum collata sepeliebantur, Livius *l.* XXVII. & tumulus in unum coacervatis ossibus fiebat, idem *l.* XXXVIII. Sic Varianæ cladis
B reliquiæ, uno tumulo ab Germanico conditæ sunt, Tacitus *l.* II. *Annal.* Sueton. in *Calig.* c. III. Atque hi tumuli fere ponebantur circa fines & in Centuriis, monticellosque in finibus constituebant, a quibus fines ipsi sepultuarii ab auctoribus limitum dicebantur, Dolabella: quantosque milites posuerant in tumulis, tantos lapides figebant, titulumque ponebant, Latinus *l. de Terminis*. Ut in communi militum sepulchro Nursini Mutinensi acie interfectorum civium tumulo adscripserunt, *pro libertate patriæ eos occubuisse*, Suetonius in *Aug.* c. XII. Quod ita graviter tulit Augustus, ut omnes oppido
C ejecerit vagos & extorres, cum mulctam graviorem persolvere ipsi non possent.

Memorabile facinus Acarnanum hoc loco prætertire non possum, qui audaci consilio adversus Ætolos ceperunt arma, conjuraruntque, ut qui victus acie excessisset, eum ne quis urbe, tecto, mensa, lare reciperet. Et cum gravem execrationem in populares composuissent, precati simul Epirotas sunt, ut qui suorum in acie cecidissent, eos uno tumulo contegerent, adhiberentque humatis Titulum, Livius *l.* XXVI. *Hic siti sunt Acarnanes, qui adversus vim atque injuriam Ætolorum pro patria pugnantes mortem occubuerunt.* Hæc quidem
D in castris, in quibus ea fuit Ducibus sepulturæ militum cura, ut vix ullum militiæ tam solemne munus esse putarint, quam suos humandi, quos dimittere insepultos erubescerent, Q. Curtius *l.* V. Datæ ad hanc rem utrinque Induciæ, ut cæsi utrinque sepulturæ traderentur, Livius *l.* XXVII. cui magnam præterea operam milites dederunt, ut disciplina Romanorum militaris indicio est. Nam in saccum legio ipsa particulam aliquam stipendii conferebat sepulturæ causa, Vegetius *l.* II. c. II. ut si quis ex contubernalibus decessisset (pessime scriptum in vulgatis *defecisset*, nam deficere militi crimen est *l.* 5. *§.* I. *D. capit. minu.*) ex illo sacco ad sepultu-
E ram pro mortuo promeretur impensa.

Quomodo vero militum in urbe funus instauraretur, si membrum abscissum esset, ad quod Justa fierent, Nos postea videbimus, ubi de his, qui peregre mortui sunt, agemus. Par enim utrorumque hac in re conditio fuit.

S. Cto. tandem finitum, quod sociali bello factum est, Appian. *l.* I. *de bel. civil.* ut qui in acie cecidissent, eorum corpora ibi humarentur, ubi concidissent. Vetus lapis in Celinæ fluminis ripa in Noricis, *pag.* DXLIV. 4.

F C. HOSTILIVS. ET. P. EGNATIVS.
VEITOR. QVINTADECIMÆ. LEGIONIS.
TRIBVNI. P. S. P. Q. R. DIMICANTES.
PARITER. HEIC. OCCISI. PARITER.
IACENT. SINGVLARE. POSTERIS.
EXEMPLVM. ET. CARITATIS. ET. FORTITVDINIS
CILINENSES
XXL. DIES. ATRATI. LVCSERVNT

Lapis alius prope Goriciam, *ibid.* 5.

C. HOSTILIUS. ET. P. EGNATIUS. VEITOR. QUINTADECIMÆ. LEGIONIS. TRIBUNUS. PRO. S. P. Q. R. CUM. SARBARIS. DIMICANTES. PARITER. OCCISI. PARITER. HIC. IACENT. SINGULARE. POSTERIS. EXEMPLUM. ET. CARITATIS ET. FORTITUDINIS. NOREENSES. XXI. DIES. ATRATI

LUXERUNT.

Duo his Tribunis tumuli, qui Honorarii, plures dari potuerunt, ut suo loco fusius explicabimus.

B Duci autem exercitus *funus* aliquando *publicum* a militibus indictum est ταφὴ δημοσία, Dionysius *l.* XI. cui ludi funebres additi pro castrensi apparatu, Livius *lib.* XXVIII. Quod & in eo, qui se pro exercitu Dis Manibus devovisset, observatum, ut in P. Decio, cujus funus Fabius Collega omni honore laudibusque meritis celebravit, idem *l.* X.

Militarem hanc pompam in Pallantis funere Virgilius X. *Æn.* ita duxit, ut immortale monumentum divinis manibus nobilissimo principi extruxerit: cujus virtus oblivione rerum, nec reticentia posterorum insepulta esse potest. Quod si Consul aut qui cum imperio erat in castris, morbo, vel casu, vel in acie concidisset, illius ut militum cadaver non licuit in urbe referre, Dio *l.* LV. Quoniam qui cum exercitu ab Urbe profectus esset, fas non fuit intra Pomœrium intrare, cum ea, quæ ante perfici majorum Instituta juberent, non adimplesset. Sed ei aut monumentum aut statua, si pro Patria vitam effudisset, SCto. decernebatur. Ut nec iis ducibus, qui victores rediissent prius in Urbem patuit aditus, si triumphum postularent, quam si datus esset illis Senatus in æde Bellonæ, ubi res feliciter gestas exponerent, Livius *l.* XXXI. Seneca *l.* V. *de Benefic.*

Militibus omnibus & ducibus hoc jus singulare legibus concessum est, ut qui in bello concidissent, si corpus eorum non compareret, illi tamen lugerentur, *l. fin. §. fin. D. de his qui not. infam.* qua lege Jus Pontificium correctum est: Lugendus enim non erat, cujus os supra terram non extabat.

Aliud etiam privilegium militibus datum civili nostro jure, nam si quis unum instituerit heredem, scripseritque uti sibi monumentum certa pecunia faciat, nullam obligationem scriptura ea recipit, sed ad autoritatem dumtaxat scribentis refertur, *l. Quintus §. Pomponius D. de annuis leg.* Nec stricto jure tenentur hæredes ad monumentum faciendum, *libr. hæres §. si defuncto. D. de pet. hæred.* Sed militis voluntatem quam circa monumentum faciendum testamento expressit, heredes negligere non debent, qui invidiam & conscientiam circa omissum supremum hujusmodi officium, & contemptum judicium defuncti, evitare non possunt. His addo veterem Inscriptionem, quæ perelegans est, & ad milites refertur, *pag.* CCVIII.

IN. HIS. ÆDIFICIIS. ET LOCIS

PVRIS. ADIACENTIBVS. ÆDIFICIIS. SIVE. IS. LOCVS. AGER. EST

ÆLI. RUFINI. MILITIS

CVIVS. SE. POSSESSOREM. ESSE. EX. CAVSA. EMPTIONIS. P. ELI. ABASCANTI. PATRIS. SVI. ALFENIO. SENECIONI. SVBPRÆF. CLASS. PR. MIS. PROBAVIT. ET. MERVIT. SENTENTIAM. QVAM. IVSSV. EIVSDEM SENECIONIS. SVBPRÆF. HVIC. TITVLO. PROSCRIPSIT. SENECIO. C. C. C. DIXIT.

NECESSARIAM FVISSE. INSPECTIONEM. ÆDIFICIORVM. ET. LOCI. DE. QVIBVS. APVD. ME. ACTVM. EST. RE. IPSA. MANIFESTATVR. CVM. IGITVR. ÆDIFICIA. SOLO. PVRO. POSITA. DEPREHENDERIM. NEQVE. VLLO. SEPVLCHRO. SVPERPOSITA. VEL. CONIVNCTA APPARET. VENDITIONEM. EORVM. IVRE. FACTAM. IDEOQVE. AD. AELIVM. RVFINVM. MILITEM. EX. CAVSSA. EMPTIONIS. PERTINERE. VIDENTVR. LOCI. VORO. SIVE. AGRI. QVEM. AD. ADIACENTEM. ÆDIFICIIS. ÆLIVS. ABASCANTVS. PATER. RVFINI. AB. HEREDIBVS. PATVLCI. DIOCLETIS. ÆQVE. MERCATVS. EST. CVM. HABEAT. PLVRIMA. EA. DISPERSIS. LOCIS. SEPVLCHRA. IVS. PER. VENDITIONEM. TRANSFERRI. AD. EMPTOREM. NON. POTVISSET. CVM. PATER. RVFINI. ET. POSTEA. RVFINVS. QVAMQVAM. NON. IVRE. FACTA. EMPTIONE. SEMPER. IN. POSSESSIONEM. FVERINT. NVLLO. IVRE. EVM. LOCVM. VINDICARE SIBI. PATVLCII. POSSVNT. PLANE. CVM. IN RE. PRÆSENTI. INSPEXERIM. LITVRATVM. AG. ET. ERASVM. PATVLCI. DICVNT. REMANERE. IN. STIPVL. CAPITA. QVÆDAM. EXPRIMENTIA. HÆC. VERBA ACTIVS. DIOCL. PATVL. DIOC. F. CVM. FRATRIB. QVI. NVNC. HIC. ADSVNT. VENDVNT. P. AELIO. ABASCANTO. LOCVM. PVRVM. IN QVO. NVLLA. SEPVLCHRA. IACTA. SVPERPOSITA. NEQ. CONIVNCTA. APPARENT. LIB. NEP. PRONEP. Q. ET. RELIQVA. OB. CONTEMPTVM. TAMEN. RELIGIONIS. RVFINVS. P. ÆLIVS. ABAS. F. AGRO. PRIVETVR. FIETQ. PVB. SEPELIENDOR. MILITVM. CLASS. PR. MIS. IN. VSVM. HEREDES. VERO. PATVL. DIOC. MVLTENTVR. SORTE. VNA. CVM. ANATOCISMO. BINÆ. CENTESIMÆ. VSVRÆ. PROPTER. NEGLECTAM. RELIGIONEM. SEPVLCHRORVM. CLAM. DIRVTOR. PAVPERESQ. MILITES. CLASS. PR. MIS. DONATI. SINT. DVM. ÆGRESCVNT. ET. MORIVNTVR. NE. ÆRE. CONLATO. CVRENTVR. SEPELIRENTVRQ. QVAM. SENTENTIAM. SANCTAM. ESSE. OMNES. SCIVNTO. IDQ. TOTVM. TESTATVR. MARMOR.

Integram Inscriptionem appono, quæ sententia est, cujus formula plena vix alibi invenietur. Hujus notæ sunt SUBPRÆF. CLASS. PR. MIS. Id est, *Subpræfectus Classis Prætoriæ Misenensis*, quam Plinius senior imperio regebat, cum Vesuvii causam investigare cupidus, crassiore caligine obstructo spiritu absumptus est, Plinius *l.* VI. *Epist.*

CAP. VI.

DE HOSTIUM FUNERE ET DE PERDUELLE.

BEllorum externorum odia non ita acerba fuerunt, quin hostium morte occiderent, si justum præcipue bellum aut rebus repetitis gereretur, aut denuntiatum ante esset, aut indictum. In quo cum Mars communis sit, communi quodam jure introductum est, ut ab ipsis hostibus hostium principum corpora amplissimo funeri darentur, nec dubitarit ullus, hostis sui exequias celebrare. Sic Annibal primo bello Punico Tiberium Gracchum extulit, in Punicorum Castrorum vestibulo corpus concremavit, & omni rerum verborumque celebritate exequias exornavit, Livius *l.* XXV. Sint quantumvis Pœni fœdifragi, crudelis Annibal: In eo certe clementior hic est, quod M. Marcellum honore sepulturæ carere non passus est, Cicero *de Senect.* Plutarchus in *Marcello.* Qui nobili ad Thrasymenum pugna, Flaminii Ducis Romani corpus funeris causa, magna cum cura inquisitum non invenit. Livius *l.* XXII.

Alexander fama & Fortuna humanior Darii mortem lacrymis prosecutus est, demptaque sibi chlamyde corpus illius contexit, atque regio ornatum cultu ad matrem majorum suorum tumulo inferendum misit, Q. Curtius *l.* V. Vereor tamen quorsum luctus iste evaderet, quem sub persona risum, Mimus jure affirmaret. Quare falsæ hostium lacrimulæ, quas vix terendo oculos vi aliqua exprimunt, facile sapientum judicio exarescunt, qui Persas Alexandrum, Germanicum Germanos, lugentes sine risu non exciperent, Suetonius in *Tiber.* cap. V.

Prudentiores Romani quibus ne ipsa quidem hostium sepulchra religiosa fuerunt, sed lapides inde sublatos in quemlibet usum convertebant, nec violati sepulchri actio competebat, *l.* 4. *D. de Sepulchr. violat.* In hoc tamen certe justiores, quod a belli calamitate sepulchra liberata, quasi quodam postliminio reversa pristino statui restituebant, *l. cum loca D. de Relig.* Quorundam tamen Romanorum Principum humanitas desideratur, qui cum Larvis non luctati sunt, sed immortales in mortuum hostem inimicitias exercuerunt. Augustus Cleopatræ sepultæ imaginem in triumpho duxit ante currum, inter captivos reliquos, Dion. *l.* LI. quæ imago honoratior in Veneris Templo inter ornamenta clarissima tunc etiam spectabatur. Indulgentiores sibi Imperatores cæteri, qui mortui ipsi de suo fato triumpharunt, ut Optimus ille, qui dictus est Princeps; post mortem, triumphi consequutus est honorem, illiusque imago triumphali curru ad Capitolium devecta est, Spartianus in *Adriano*. Sed Majorum non major clementia fuit, licet major prudentia, qui Gallorum Senonum, qui Urbem possederant, illa recuperata, hostium coacervatis ossibus & consitis, sepulturam non denegarunt, sed in media Urbe Busta Gallica fecerunt, Varro *l.* IV. *de Ling. Lat.* Livius *l.* XXII. quæ nullam religionem habuerunt. Errat Marlianus in *Not. ad Pompon.* qui putat Busta illa Doliola vocari, quæ longe a Bustis & loco & nomine sunt separata. Busta enim Gallica in quarta erant Urbis regione juxta Æquimelium: Doliola in octava, quæ sunt locus sacer ad Cloacam maximam, ubi despuere non licebat, Varro *l.* IV. *de Ling. Lat.* At Busta Gallica nulla religione tenebantur. Quare optime M. Varro consita ossa scripsit, nam iiti di- A cuntur, qui conditi sunt: & improprie Pomponius Lætus vocavit Sepulchra. Nec enim ante Sepulchrum est, quam Justa facta & corpus incensum est, & quod communiter in omnibus sepultis, humati dicebantur, Cicero II. *de Leg.* Id erat proprium in iis, quos humus injecta contegeret, eumque morem Jus Pontificale confirmat. Nam priusquam in eos injecta gleba est, locus ille, ubi crematum est corpus, nihil habet religionis. Injecta gleba tumulis & humati & gleba vocatur, ac tum denique multa religiosa jura complectuntur. Glebæ autem injectio nonnisi solutis Justis fiebat, quæ nulla facta sunt Gallis Senonibus, ut ex Seneca B discimus, *l.* V. *de Benef.* c. XVI. Illic enim *ingratus est Catilina, parum est illi capere patriam ni trans Alpes accitus hostis vetera & ingenita odia satiarit, ac diu debitas inferias Gallicis bustis Romani persolvant Duces*. Diu quidem res, si qua diu usquam mortalibus fuit, debitæ illæ inferiæ, quæ nunquam solutæ.

Humaniores quandoque Romani in Perduelles fuerunt, quandoque acerbiores. Coriolanum sero & post sceleris pœnitentiam pium, quem privata pietas a publico Patriæ parricidio revocavit, Matronæ tanto tempore luxerunt, Senatu non C repugnante, Plutarchus in *Coriol.* quanto Valerium Publicolam & Junium Brutum fortissimos cives, quod unum in tanta antiquitate humanitatis intempestivæ exemplum est in iis viris, qui minime lugendos perpetuo sanxerunt (*l. minime D. de relig.*) eos, qui ad Patriam delendam & parentes & liberos interficiendos venissent. Quorum si quem filius patrem aut pater filium occidisset, sine scelere & præmio afficiendum omnes boni censuerunt. Illorum autem Manes sollicitabant, gravem & onerosam terram optabant, cujus Numen ultimum grave imprecabantur, ne mortuis sedem ullam nisi inter impios daret. Plinius *l.* XXI. c. LXIII. Illo- D rum etiam imagines fractæ, domus solo æquatæ, tituli erasi, omnisque ubique terrarum memoria abolita. Sic Tiberium & Cajum Gracchos fratres insepultos abjecerunt, quorum antea consiliis & sapientia multæ Reipub. partes fuerant constitutæ. Durius forte cum illis actum, sed in magno illo exemplo, si quæ fuit iniquitas Populi, illam a bonis civibus necesse est comprobari. Atque utinam in eos, qui scriptis aut potentia patriam dissiparunt, ita sævitum, ut posteri illorum suppliciis terrerentur aut continerentur. Impiorum enim memoria damnanda, dilaceranda, ita perdenda est, ut sempiterna sua infamia omnibus modis tor- E queantur. Nunc vero, quod omen avertat Deus, valeant, si qui sunt, qui inter nos dissidia quærunt aut volunt.

CAP. VII.

DE PEREGRE MORTUIS. QUOMODO OS REJECTUM TERRA OBTEGEBATUR. FAMILIA HUMILIOR.

PEregrinam mortem Legibus XII. non contineri manifestum est. Mortui enim peregre ossa legebantur, quo post funus fieret: quod F tamen Romani admodum pertimuerunt. Nam si oppetenda mors esset, domi atque in patria mori maluerunt quam in externis atque alienis locis, Cicero *libr.* IV. *epistol.* VII. quod in ignota terra neque proximiores premerent oculos, neque cætera pietatis ultimæ officia complerent, ut Virgilius *libr.* IX. *Æneid.* Tradunt Varro & Verrius Flaccus apud Servium XI. *Æneid. Si filiusfamilias extra urbem decessisset, libertos*

libertos amicosque obviam processisse & sub noctem corpus in Urbem illatum in Cereris, facibus quoniam prælucentibus, ad cujus exequias nemo rogabatur. Istuc verbi, *Quoniam*, apud antiquos scriptores, non significabat solum, id quod *quia* (Festus in verb. *Quoniam*) sed etiam, id quod *postquam, hac de causa*, quo Græcum ἐπεὶ utriusque significationem obtinet. Nam *postquam*, & *quoniam* reciproca erant, Donatus in *Prolog. Adelph.* quæ Plautus & Terentius ita usurparunt,

Quoniam is moritur, ita avido ingenio fuit.

Plautus in *Aulularia*: *Quoniam*, id est, *postquam*.

Postquam Poeta sensit, &c.

Id est, *quoniam*. *Facibus quoniam prælucentibus*, idem est, ac facibus postea prælucentibus; quibus hic lux aliqua afferenda est, quærendumque cur peregre filiifam. mortui corpus, noctu in Cereris ædem inferretur, prælucentibus undique facibus. Nam hic ritus obscuritatem forte aliquam habet, cujus ego hanc rationem puto, quod Proserpinam raptam cum Lampadibus Ceres mater luctu perdita quæsiisse narratur, hæc enim,

—— & pleno rimatur lumine campos,
Inclinatque faces.

Claudianus *de Rapt. Proserp.* lib. III. Quare cum peregre filiusfamil. diem suum clausisset, ut raptus more Cereris a parentibus quasi quærebatur humique mandabatur.

Alii putant, ut Servius refert, filiorum, qui in potestate essent, non putari Jus esse funus vocari fierique, quia servi loco sint parenti. Horum sententia plane rejicienda est, quam miror Servium XI. *Æneid.* suis *Notis* inseruisse, nisi imperiti alicujus glossema sit, quod in bono illo authore frequens esse solet. Alia enim persona patris est, alia domini, & natura multum a Fortuna differt, ut civili jure passim probatur. Nam acerba filiorum Funera compluribus exemplis arguunt, nulla ratione auctores ipsos niti, dum ubique nugantur, & maxime cum putant, si funus filiosa mil. ducatur, familiam funestam esse. Nec enim funere tantum funesta fit familia, sed sola etiam funeris agnitione, ut in Horatio Pulvillo probatur, cui Capitolium dedicanti cum filium mortuum denuntiarent, ut agnitione funeris, quæ pollutum illum & funestum reddidisset, dedicationem impedirent: ille a publica religione nihil ad privatum dolorem deflexit, Liv. *lib.* II. Valerius Max. *lib.* V. *cap.* X sed cadaver efferri jussit templumque dedicavit. Horatium Pontificem Valerius Max. facit, cum esset ille Consul cum P. Valerio, nec munus Pontificis fuerit dedicare, sed in dedicando verba præire.

Peregrina quidem scriptura hæc est, & ab hoc capite aliena: sed authorum eo nos deducunt loci, qui dubitationem habent, interpretationemque merentur aut emendationem. Nobis enim idem plerumque accidit, quod hortorum cultoribus, qui aliud agendo falcula cursim excindunt quidquid occurrit, quod arboribus nocet. Peregrinæ mortis incommoda interim persequamur, quæ inter gravissimos casus impendentes Seneca in *Excerptis* numeravit, quos sua doctrina lenire conatur. *Peregre*, inquit, *morieris: undecumque ad inferos una via est. Peregre morieris: nulla est aliena mortuo. Peregre morieris: hoc est in patriam sine viatico pervenire.* Extra patriam tamen & majorum sepulchra inferri non luctuosum modo, sed nefas & odiosum judicatum. Quod M. Antonio magnam invidiam concitavit, (Plutarchus in *Anton.* Dio *l.* L.) cum testamento Romæ perfecto jussisset corpus suum Alexandriam deferri, ut cum Cleopatra sepeliretur.

Pontificalis observatio fuit, *Quemadmodum os rejectum terra obtegeretur*, Cicero II. *de Leg.* id est, quomodo in os mortui vel membrum abscissum peregre allatum gleba injiceretur. Os rejectum Varro lib. IV. *de Ling. Lat.* quod resectum viri doctissimi putant, os ad purgandam familiam exceptum, quod donec humo opertum non est aut inhumatum aut in sepulchro adjecta gleba, ut Pontifices dicunt, familia funesta manet & dicitur *humilior*. Ut *os supra terram* esse dicitur, antequam sepultum sit. In atiquis Inscriptionibus, *Ossa posita*, *Ossa sita* leguntur, quod est terra obtecta, el ut lex loquitur *Ossa condita*, *l.* 2. §. *Prætor ait. D. de Relig.* Justis rite solutis. Lapis Romæ, *pag.* DLXXV. 3.

D. M.
M. AVRELIO. AVG. LIB
ONESIMO. CVBICVL
ET. A. LOCIS. CVBICVL. ITATI
M. AVRELIVS. DIONYSIVS
PATRONO. PIENTISSIMO
ET. BENEMERENTI. FEC
OSSA. POSITA. SVNT
VI. IDVS. NOVEMB. CRISPI
NO. ET. ÆLIANO COS
ARA. XV. KAL. IANVAR
ISDES. COS

Lapis alius, DLXXVIII. 5.

OSSA
VIBIÆ. SVCCESSÆ. LIVTÆ. AVG. SER
AB. ARGENTO. POTORIO. ITEM. A VESTE
L. VIBIVS. AVG. SER. PAMPHILIVS SCRINA
LIB. ET. A BIBLIOTHECA. LATINA
APOLLINIS. CONIVGI. FIDELISSIMÆ
ET. PIISIMÆ. B. D. S. M

De Cineribus, qui in Urna reportabantur, Lapis etiam Romæ:

CINER
T. VETVRI
T. L. CRESCENT
SCRIBÆ. LIBR
TRIBVNICI. OSSA
SITA. SVNT. IN
HOC. MONIMENTO
ARBITRATV
VETVRI. PRIMIGENI
FRATRIS. EIVS

Multæ sunt hujusmodi Inscriptiones, quæ ad servos libertosve domus Augustæ pertinent. Hi cum Principem comitarentur, si peregre vita functi essent, os aliquod excipiebatur a propinquis, quo Justa Romæ persolverent. Sed os in Ossuario, vel ut in Pandectis scriptum est in Ossaria, *l.* 2. *D. de sepulch. violat.* ponebatur, ut cineres in Cinerario, quæ pro parte monumenti accipiuntur. Advertendum hoc unum est, quod ubi in antiquis Lapidibus *Ossa sita* dicuntur, bellica vel peregrina mors designatur. Hæc quidem ossa non comburebantur, sed ex Pontificum ritu terra obtegebantur. Nam siti dicuntur, ut a M. Tullio II. *de Leg.* accepimus, quos humus conjecta contegit, & ossa sita vel cineres siti ad humationem & glebæ injectionem referri debent.


Si aliquantum hic peregrinor, meo more fecero, & cum de bellica & peregrina morte actum sit, non alienum erit de Principe Peregrinorum quærere, quem Inscriptiones duæ nobilitant. Una est Romæ, *pag.* XXII. 3.

PRO. SALVTE. ET. REDITV.
D. N. IMP. CÆSARIS - - - -
- - - - - - - - - - PIO. FELICI
INVICTO. AVG. DOMITIVS. FASSVS. Ƅ PR. AGENS. VICE. PRINCIPIS BEREGRINORVM. TEMPLVM. IOVIS. REDVCIS. C. P. OMNI. CVLTV. DE. SVO. EXORNAVIT

Altera est Albæ Juliæ, *pag.* CCCXLVII. 2.

P. ÆLIO. P. F. PP. MARCELLO
VE. PP. EX. PRÆF. LEG. VII
CL. ET. I. ADIVT. SVB. PRINC
IPE. PEREGRINORVM

Exercitus Romani Legionibus & Auxiliis confecti sunt. Auxiliorum multitudo omnis est, Peditum quidem par Legionibus Romanis, Equitum vero dupla, Polybius *lib.* VI. Legio Romanis civibus: Auxilia sociis constant, aut externis, licet Legionibus non Romani tantum sed & socii continerentur. Sic Liv. *l.* VII. duas Legiones Rom. duas Socium Latini nominis enumerat, quæ in Auxiliorum numero computantur. Auxilium tamen a Legionibus separatur, Vegetius *lib.* II. *cap.* II. Nam Auxiliares conducuntur ex diversis locis ad prælium, nec disciplina inter se nec affectione consentientes: alia instituta, alius inter eos est usus armorum. Cæsar adversus Ariovistum pugnaturus, Auxiliaribus Gallis usus est, (Cæsar *l.* I. Dio *lib.* XXXVIII.) qui catervis utebantur in prælio, in quibus erant sena millia armatorum. Legio habuit Velites, Hastatos, & ætatis florentissimæ Principes, quos vocabant, Polyb. *lib.* VI. Principes Triariis interjiciebantur, proxime Principes interserebantur Hastati, sicque in Legionibus Principes in numero sunt militum selectorum. Ex primo Principe Legionis Centurio promovebatur qui Princeps primus centum quinquaginta militibus imperabat, Vegetius *l.* II. *c.* LXXXVIII. Amplior præterea Principum dignitas fuit, quam Agentes in rebus post palmam laboris emeriti consequebantur, *l.* I. *de Princip. agent. in reb. C. l.* 12. De quibus nos quandoque plura in libris *Officiorum Domus Augustæ*. Nunc vero scire sufficiat Principatus officium viris clarissimis in rebus agentibus datum, tantæ dignitatis fuisse, ut post Principatum in amplissimo ordine illi inter allectos Consulares haberentur, *l.* I. *C. Theod. de agent. in reb.* Principem ego peregrinorum Tribuno parem facio, quem potestatem habuisse credo in peregrinos mulctæ dicendæ, pignoris capiendi, & fustibus cædendi. Hoc enim Jus Tribunorum fuit in cives Roman. Præfectorum in socios, Polybius *lib.* VI. Hanc conjecturam ex lege Martiani (*l. milites.* 2. *§. irreverens. D. de re milit.*) facio, aperte quidem ille: *Irreverens miles non tantum a Tribuno vel Centurione, sed etiam a Principe coercendus est.* Hic Principem primæ Legionis intelligi perspicuum est. Tribunatus Civibus tantum, Præfectura Sociis, Principatus exteris patuit. Tribuni lege Curiata vel a Consule aut Imperatore militibus dati. In Præfecturas & Principatus nullum jus Populus Rom. habuit, quod exercitus Ducibus relictum est. Præfecturas igitur in Socios, Principatus in peregrinos Auxiliares contulit Consul, aut is qui exercitui præesset. De Præfectura M. Tullius probat, *l.* V. *ad Att. epist.* XXI. & *l.* VI. ep. III. qui illam Scaptio Cyprio petenti denegavit, non quia peregrinus, sed quod Scaptius negotiator erat. Tot vero Peregrinorum Principes quot Sociorum Præfectos facile credo, si par militum numerus esset. Plures illos fuisse indicio est, quod duodecim Præfectos Sociis Consul aliquando constituerit, Polyb. *lib.* VI. Hos ex sua quaque gente delectos nemo dubitarit, nec enim solo nomine Consul Tribunos a Præfectis & Principibus divisisset. Peregrinorum Princeps adjutores habuit ex Rom. militibus, ut Inscriptio altera demonstrat, in qua Ælius Expræfectus Legionis VII. Classicæ primæ Adiutor est. Qui cum Expræfectus Legionis dicitur illum Romanum fuisse necesse est. Nam Classica Legio Rom. fuit, ex nummo M. Antonii.



Absque hoc nummo & hac Inscriptione esset Classica Legio prorsus esset incognita. Perobscura quidem est hæc res, quam incertis Inscriptionum vestigiis cœco filo regere aggredior: si quis antiquitatis ambages aliter resolverit, inextricabili me labore expediet. Adjutor Principis non idem est cum Agente vice Principis. Adiutor enim erat, qui vicaria sorte fungebatur, Cassiodorus l. VI. *Variar. Formul.* VI. quales in Legionibus Optiones, qui Tribunis & ordinariis præpeditis tanquam vicarii universa curabant, Vegetius *l.* II. *c.* VII. At qui vices agit, legati partes gerit, *l.* 4. *§. legati D. de legat.*

CAP. VIII.

DE MORTUIS IN NAVI ET IN MARE PROJECTIS. DE MORTUIS IN MARI. QUÆ IN PORCA CONTRACTA JURA SINT.

SATIUS *est*, inquit Philo, *l.* I. *in Flaccum*, *in terra quam in mari perire, quandoquidem hominibus & cæteris terrestribus locum proprium natura terram assignavit, ubi non solum vivant, sed & moriantur, ut quæ nascentes excipit, eadem Fato functos recipiat.* Βέλτιον ἄρ' ἐν συγκρίσει κακῶν, ἡ κατὰ γῆν τῆς ἐν πελάγει φθορᾶς, ἐπειδήπερ ἀνθρώποις καὶ πᾶσι χερσαίοις οἰκειότερον ἡ φύσις χωρίον ἀπένειμε γῆν, οὐ μόνον ζῶσιν, ἀλλὰ καὶ ἀποθανοῦσιν, ἵν' ἡ αὐτὴ καὶ τὴν πρώτην ὑποδέχηται γένεσιν, καὶ τὴν ἐκ τοῦ βίου τελευταίαν ἀνάλυσιν.

In eo, qui in navi necatus deinde in mare projectus est, decrevit P. Mucius *Familiam puram, quod os supra terram non extaret, extra porcam beredi esset*, Cicero II. *Leg.* contra censet *babendas triduum ferias, & porco fœmina piaculum pati, si in mari mortuus esset.* Ciceronis vulgata lectio mutila est, in qua scriptum, *Quod os supra terram non extaret porcam beredi esset.* Turnebus in *Annot. ad bunc Cicer. lib.* contra legendum censet, *non extra portam beredi esset.* Nam extra portam, inquit, excipiebatur os mortui. Aliorum opinio verior est, qui legunt *extra porcam*. Ad quid enim illud *extra portam* in homine? cujus os non esset

super terram quod exciperetur? quidve familia purgaretur, quæ pura erat ex P. Mucii sententia? A Differentiam Pontifices constituunt inter eum, qui in mari necatus & in mare projectus est, atque eum, qui in mari mortuus est. In primo extra porcam heredi est, hoc est, porco non contrahitur, quia familia pura est, nec piaculum debetur. Vocum affinitas in Cicerone extaret, & τὸ *extra* quod *exta* scriptum suspicor, librario causam dedit abjiciendi necessarium verbum.

Qui vero in mari mortuus est, illius heres triduum ferias celebrat, & porco fœmina piaculum patitur. Feriæ breviores, quæ Denicales vulgo, finem funestæ familiæ faciebant. Sed quæ *in contracta porca jura sint*, ut Tullius loquitur, neces- B se edisseri a nobis, ut quæ ab illo prætermissa sunt dignoscere possimus. Lectionem Ciceronis optime Turnebus stabilivit, l. XVII. *Adversf.* c. XX. cum male in vulgatis excusum sit, *quæ in porca confracta*. Quod Marius Victorius l. I. *Art. Gram.* cap. *de Orthograph.* sic explicavit. *Qui justa defuncto non fecerunt, aut in faciendo peccaverunt, his porca contrahitur, quam omnibus annis immolari oporteat, antequam novam quasi dapem merent de se capere. Præcidaria dicitur quod ante cæditur, quam frugem capiat. At illa quæ & in re & in præ- C sente mortuo, quem condituri sunt, immolatur, quia ex ea capere non possunt, ad quod Justa faciant, Præsentanea vocatur.* Porca præcidaria seu præcidanea, Præsentaneæ opponitur. Hæc in præsentia & quasi in conspectu mortui semel immolatur: porca præcidaria quotannis debetur Telluri & Cereri, (Varro apud Non.) antequam heres de segete capere possit, quia ea semel functus non est præsente mortuo, aut non rite functus est. Heredi vero illius, qui in mari moritur, porca præcidaria non contrahitur, quia domi præsente mortuo cædere non potest, sed tantum ille porco fœ- D mina piaculum patitur Pontificio Jure, quo funesta familia purgatur.

Nunc expendamus cur mortuis in navi & in mare projectis extra porcam heredi sit, & si in mari mortuus sit, porco fœmina heres teneatur. Ratio a P. Mutio hæc videtur afferri, quod os supra terram non extaret ejus, qui in mare projectus est. Quæ eadem esse potest in eo, qui in mari mortuus est, nisi sedibus suis referatur. Reconditam Pontificum hac in re doctrinam suboleo, qui mortuum a necato & projecto diviserunt. Ex Homeri schola profluxit, ut mortem in aqua interitum & exitum etiam ipsius animi æstimarent. Syne. *l.* IV. Τὸν καθ' E ὕδατος θάνατον ὄλεθρον εἶναι καὶ αὐτῆς ψυχῆς. Docet enim in *Odyss.* δ'.

Ὡς ὁ μὲν ἔνθ' ἀπόλωλεν, ἐπεὶ πίεν ἅλμυρον ὕδωρ.
Ajax interiit postquam salsam bibit undam.

Putabant quidem Mortem in mari animum extinguere elementi contrarietate, Serv. VI. *Æneid.* Nullumque Græcorum alium *interiisse* ἀπόλεσθαι Homerus dicit; sed unumquemque mortuorum ad inferos descendisse. Proinde in duobus mortuorum recensionibus, Ajax nusquam ab illo introducitur quasi illius animus in Inferis non esset. Achillem vero fingit mortem in aqua maxime formidasse, quam ut effugerent milites gladio suo ani- F mum in aere amittere quam in mari maluerunt, ne ipse fluctibus obrutus omnino interiret. Quam Homeri doctrinam nec Pontifices probasse, nec penitus rejecisse, certum est. Nec enim constituerunt, ut nulla Justa fierent homini necato & projecto in mare, sed tantum illius heredem nullo piaculo obligari: Cum tamen ut probabile est crediderint in aqua mortuos, longe ab iis, qui in navi necati essent, differre. Illorum enim mortalis animus cum corporibus evanuisse putabatur, quæ forte ratio fuit legis Pompejæ, ut Parricidæ in mare profundum vel profluentem proximum culeo insuti jactarentur, *l. pœna D. ad leg. Pomp. de Parricid.* Ut ne os quidem eorum super terram extaret, littus negaretur ejectis, funesta familia non esset, nullæ animo pereunti Inferiæ solverentur. Recte apud Rhetores, (Seneca *lib.* VIII. *controvers.* I.) cum pater alterum ex filiis domi parricidii damnatum alteri insuendum culeo tradidisset, frater exarmatæ navi fratrem imposuit, ut aliter quam in culeo moreretur. Nam qui gubernaculum, comitem, remigium, velum, artem nullam habet, huic nulla spes esse poterat enatandi, sed poterat aliter quam in mari interire.

Pietatem tamen Pontifices non abjecerunt, sed naufragis & in littus ejectis, quorum indigna mors dicebatur, (Virgil. lib. VI. *Æneid.*) terræ injectionem sepulturæ loco concesserunt, ut omnibus insepultis. In sacris enim hoc genus sepulturæ fuit, ut ter jacta terra cadaveri inhumato, pro sepultura esset, (Acro *in Horat. lib.* I. *Carm. od.* XX.) quæ potuit fieri secundum Pontificalem ritum & circa cadaver, & circa absentium corpora quibusdam solemnibus sacris, Servius v. *Æneid.* Terræ igitur injectio a prætereuntibus, naufragis & insepultis solatium fuit: at glebæ injectio a Sacerdote publico religiosum Sepulchrum faciebat. Quod in nostrorum exequiis observamus, cum corpus humo conditur, ter sacerdos terram pala primus injicit, quod aliquam habet sanctitatem.

Mortuos in mari eos interpretor, quorum ossa vel cineres sepulturæ mandata sunt, quod Palinurus ab Ænea obnixe postulabat, Virgil. VI. *Æn.*

—— Et tecum me tolle per undas,
Sedibus ut saltem placidis in morte quiescam.

In his breviores feriæ minoresque ritus ob maris forte contagionem, quæ animæ immortalitati officere credebatur. Justa tamen illis sepultura data est, quæ omnem funerum ritum & religionem haberet. Quod vetus lapis Neapoli testatur, quo locus militum sepulturæ datus est, qui inter tot & tanta mortium genera casum acerbissimum putaverunt, si fluctibus obrutis, aut in mari mortuis sepultura non contigisset, Veget. lib. IV. *de re milit.* cap. XLIV.

Superfluum esset hic addere Nautas eos, qui naufragium evaserant, Templo vel arbori vel alicui Deo vestes suas suspendisse. Nam hoc Horat. lib. I. *Carm.* od. V. docet: & Virgil. XII. *Æn.*

—— Nautis olim venerabile lignum:
Servati ex undis ubi figere dona solebant
Laurenti Divo, & votas suspendere vestes.

Cum diurna me tempestas (Præses Maxime) post prioris Voluminis editionem in scurrarum scopulos undique jactarit, horum fluctus insanos non contempsi solum, sed tanquam a saxo repressi. Hæc una ex illo naufragio tabula me delectat, quam in hac pagina depictam, tibi, ut potentiori maris forensis Numini, ex voto suspendo. Sed cum ex navi exierim, possum innocuos Juris nostri scopulos securus intueri. Quidam in suo testamento heredem scripsit sub tali conditione, si reliquias in mare abjiciat, *l. quidam testamento D. de condit. instit.* Quærebatur, cum heres institutus conditioni non paruisset, an expellendus sit ab hereditate: Modestinus respondit, laudandum esse magis quam accusandum heredem, qui reliquias testatoris non in mare secundum ipsius voluntatem abjecit, sed memoria humanæ conditionis sepul-

turæ tradidit. Quam qui ſpernit, impiam in ſe fraudem committere judicatur.

CAP. IX.

DE IIS, QUI SIBI MORTEM CONSCIVERUNT. MORS MERITA.

SToicorum tota factio hæc fuit, maxime contraria virtuti, ut mortem ſibi ipſi conſciſcere ubique fortiter factum prædicarint. Quod communi Philoſophorum aliorum conſenſu merito damnatum eſt, qui piis omnibus retinendum animum in cuſtodia corporis eſſe docuerunt, nec injuſſu ejus, a quo ille eſt nobis datus, ex hominum vita migrandum, ne munus aſſignatum a Deo defugiſſe videamur. Nulli igitur ſponte ſua moriendum eſt: & cum corporum vinculis & carcere detineamur, non decet quemquam ex his evolare, quia Deus poſſeſſor noſtri eſt, ut Socrates moriens olim monebat. Ἡμεῖς γὰρ ἄνθρωποι, ἓν τῶν κτημάτων, τοῖς θεοῖς ἐσμεν. Plato in *Phædone*: Quare iis, quibus etiam mori præſtaret, ſibimet prodeſſe non licet, ſed alium oportet expectare, qui proſit. Nec tamen honeſta fugienda mors eſt, ſed ſuo tempore cum gloria appetenda, cum naturæ ſit neceſſitas & finis, ad quem omnis honeſtæ vitæ ratio inſtituitur, quæ in mortis eſt meditatione conſummata. Quid enim honeſtius, quid optandum magis eſſet quam ubi lucem libertatis extinctam videris, bene volentibus fatis miſerum hunc vitæ diverſorium commutare? Quid ſapienti acerbius quam virtutis avitæ tacitum funus in dies ſpectare, lugereque illam facilius quam juvare? Optanda quidem tum mors eſt, non fugienda, ſed nec occupanda: ut cum res fortiter aut præclare dictæ vel factæ extinxerint invidiam, ſempiterni nominis gloria apud poſteros celebretur, quam nullam aſſequi poſſunt, qui ſibi violentas manus intulerunt. Fugitivus enim illorum animus eſt, qui perpetuis malorum compedibus coercetur, æternaque poſt mortem infamia diſturbatur. Hinc perſonant Rhetorum ſcholæ: *Homicida ſui inſepultus abjiciatur*, Seneca lib. XVIII. *Controverſ.* IV. Quod in Pontificalibus libris cautum præcipue fuit in eos, qui laqueo vitam finierunt, vel corporis præcipiti jactatione. Utrumque genus mortis impuriſſimæ, *informe lethum* Virgil. XII. *Æneid.* & *ibi* Servius, *fœdam mortem*, Liv. *lib.* XLII. *informem exitum* Tacit. *Annal.* VI. *tumultuarium mortis genus* Apul. appellavit, I. *Metam.*

Scribit Plin. *lib.* XXXVI. *cap.* XV. Tarquinium Priſcum (Caſſius Emina *Superbum* vocat, ſed Plinio Dionyſius ſuffragatur) cloacas populum facere coegiſſe, cumque incertum eſſet, an labor longior an periculoſior, paſſim concita nece Quiritibus tædium fugientibus, novum & inexcogitatum antea poſteaque remedium Regem inveniſſe, ut omnium ita defunctorum crucibus corpora figerentur, ſpectanda ſimul civibus & feris volucribuſque dilaceranda. Recte Plinius dixit, neque antea neque poſtea factum, ut qui tædio vitæ fata maturaſſent, pœna aliqua legibus afficerentur. Pontificio quidem jure βιαιοθάνατοι ſepultura prohibebantur, nec illis Juſta fieri oportuit, ut ait Varro apud Servium XII. *Æn.* ſed ſuſpenſis oſcillis quaſi per imitationem mortis parentari: Quia forte videbatur cœlum poſſe adiri per Oſcillationem, (Feſtus in verb. *oſcillum*) velut imaginem quandam vitæ humanæ, in qua altiſſima ad infimum interdum, & infima ad ſummum efferuntur. Oſcilla Servius II. *Georg.* credit genus eſſe purgationis, aeris ſcilicet, quæ omnis aut aqua fit, aut igne, aut aere.

Ritum hunc Pontificalem potentiores ut in aliis multis eluſerunt. Nam & Erigone ſuſpenſa laqueo, ut virgo inter aſtra ignita colitur, Minutius Fel. Gordianus ſenior, qui laqueo ſibi fregerat gulam, inter Deos a Senatu recenſetur, Capitolinus in *Gordianis*. Ut pridem Sillanus a T. Manlio Torquato abdicatus, cum ſuſpendio ſe conſumpſiſſet, elatus eſt & ſepultus, Valerius Max. *lib.* V. *cap.* III.

Mors alia violenta non informis ſemper exiſtimata eſt, ſed plerumque nec inhoneſta, quæ nulla lege civili, ſed Pontificio ſolum jure vindicatur. Nam eorum, qui vi ſpontanea aut qui alieno ſcelere occubuerunt, animas Phyſici tradunt non recipi in originem ſuam, ni vagantes legitimum fatorum tempus compleverint, Servius IV. *Æneid.* Quod Tertullianus notat, lib. *de Anima* cap. LVI. *Ajunt*, inquit, *immatura morte præventus, eouſque vagari, donec reliquatio compleatur ætatis quacum pervixiſſent, ſi non intempeſtive obiiſſent. Proinde extorres inferum habebuntur, quas vi ereptas arbitrantur, crucis, dico, & ſecuris, & gladii, & feræ*. Inde Romanis mos fuit, cum defunctorum amicos tibiis ad exequias convocarent, proclamare illos neque vi, neque cæde, vel veneno diem ſuum obiiſſe: quia carnificis etiam loco habebatur, qui ſe vulneraſſet & moreretur, Feſtus in verb. *Carnificis*.

Quid hæc ad Papinianum proficiant, viderint non diobolares de foro rabulæ, ſed nobiliores cauſarum patroni, qui altioribus Juris ſtudiis invigilarunt ſedulo, veramque gloriam fori laboribus ſibi pararunt. Quod ad noſtrum jus attinet, docet Papinianus, *l.* 3. *D. de bon. eor. qui ant. ſent.* libro XVI. *Digeſtorum*, eorum, qui rei criminis non poſtulati, manus ſibi intulerunt, bona Fiſco non vendicari. Non enim *facti ſceleritatem* (ſic legunt Pandectæ Florentini, non ut in vulgatis *facti celeritatem*) *eſſe obnoxiam: ſed conſcientiæ metum in reo veluti confeſſo teneri placuit*. Quod ad fati celeritatem transferri non poteſt, cum mors hujuſmodi ſit præter naturam præterque fatum, nec fati celeritas niſi in acerbo funere arguatur. Atque ita demum ejus bona, qui in reatu mortem ſibi conſciverit, Fiſco vendicanda ſunt, ſi ejus criminis reus fuerit, ut ſi damnaretur morte aut deportatione afficiendus eſſet. Quare D. Pius reſcripſit, eum, qui modici furti reus fuiſſet, licet ſuſpendio vitam finierit, non videri in ea cauſa eſſe ut bona ejus heredibus adimenda eſſent: ſicuti neque ipſi adimerentur, ſi compertum in eo furtum fuiſſet. Qui ergo tædio vitæ, vel impatientia doloris alicujus, vel alio modo vitam abruperit, ſucceſſorem eum habere, D. Antoninus ſcribit: Sed ſi ſine cauſa ſibi manus intulerit, puniendus eſt. Ut eorum, qui mori magis quam damnari maluerunt, teſtamenta irrita conſtitutiones faciunt, *l.* 6. *§. ejus qui. D. de injuſt. rapt. & irrit.*

Veteri jure qui ſibi manus intuliſſent rei, nulla pœna afficiebantur, ut Caii Licinii atrox factum abunde docet, qui repetundarum reus poſt judicium, ante ſententiam, ne ſua bona haſtæ ſubjicerentur, pœnam morte prævenit, Valerius Max. *lib.* IX. *cap.* XII. Teſtamentorum licentiam primus Tiberius coarctavit, qui deportatis, ut iis quibus aqua & igni interdictum eſt, abſtulit teſtamenti factionem, Dio *lib.* LIII. quæ cum juris gentium eſſet, (Theoph. *Tit. de Jur. Nat.*) civili lege tolli non poterat, quod tamen poſtea invaluit, *l. ejus qui §. ſi cui D. de teſt.* Idem ille cum damnatos publicatis bonis ſepultura prohiberet, eorum qui de ſe ſtatuiſſent humari corpora permittebat, manere teſtamenta, pretium feſtinandi, Tacit. lib.

VI. *Annal.* Quod Imperatores Adrianus & Antoninus novis constitutionibus immutarunt, *l. fin. D. de bon. eor. l.* I. *C. Theod.* Constitutiones multa benigne aut severe contra jus introducunt, a quibus jus ipsum separatur, Cujacius lib. VII. *Observ.* cap. XIX. Ex quo constat ante Adriani tempora liberum reo postulato mortis arbitrium fuisse, quod primum in provinciis correctum ex hac lege nostra colligitur, in qua testamentum maxima capitis diminutione irritum fieri declaratur. Ex verbis legis satis apparet illam ad Præsidem Provinciæ referri, qui cum jus deportandi non haberet, *l. inter pœnas D. de interdict. & releg.* debuit Principis rescriptum expectare, ut etiam in Decurione puniendo si Præses scribendum Principi interlocutus est. Si ergo reus a Præside provocarit, & ante rescriptum Principis decesserit, utique testamentum ejus valet. Sed si pendente appellatione antequam Romam transmitteretur vel Principis rescripto damnaretur, vitæ suæ insidiatus est, irritum fit testamentum, licet in civitate decedat, nec dum servus pœnæ factus sit. Cujus Testamentum manebat lege Tiberii, qui deportatos solum testari prohibebat. Quod clare ab Ulpiano explicatur, *l.* I. *§. hi quibus D. de leg.* 3. *Hi*, inquit, *quibus aqua & igni interdictum est*, id est, *deportati, fideicommissum relinquere non possunt, quia nec testamenti faciundi jus habent, cum sint ἀπόλιδες*. Deportatos autem accipere debemus eos, quibus Princeps insulas annotavit, vel de quibus deportandis scripsit. Cæterum priusquam Præsidis factum Princeps comprobarit, nondum amisisse quis civitatem videtur: proinde si ante decessit, civis decessisse videtur, & fideicommissum, quod ante reliquerat, quam sententiam pateretur, valebit. Sed & si post sententiam antequam Imperator comprobet, valebit, quod factum est: quia certum statum usque adhuc habuit. A Præfecto vero Prætorio, vel eo, qui vice Præfecti ex mandatis Principis cognoscet, item a Præfecto urbis deportatos, quia ei quoque jus deportandi datum est, statim amittere civitatem: & ideo ne testamenti jus faciendi, nec jus fideicommittendi constat habere.

At, qui tædio vitæ illam finiunt, testamenta eorum valent. JCti quidam Stoicorum doctrinam secuti sunt, quæ in *Digestorum* Libris lucet plurimum. Quosdam dixi, nec etiam omnes a Stoicis imbuti sunt, sed unius tantum authores scholæ, iique Proculiani, quod Emundus Merillius, Avaricæ Biturigum Antecessor doctissimus, aliquando monebat, nec satis antea observatum. Hi Catonem sic abiisse vita crediderunt, ut causam moriendi nactum se esse gaudere debuerit, quia justam illi Deus ipse dedisse videretur, qua vir sapiens ex his tenebris in lucem illam impune excedit. Justæ illis causæ videntur, funus Patriæ, dolor, vitæ tædium, valetudinis adversæ impatientia, quæ a nostris probantur: qui injustas decernunt eas solum causas, quibus mori magis quam vivere aut damnari quis malit. Horum mors merita dici potest, ut immerita eorum quibus justa causa est. Merita tamen mors eorum proprie est, qui maxima in Deos & non ignoscenda commiserunt, Servius IV. *Æneid.* Quales fuere Mezentius & Ixion, qui sibi ipsis pœnam constituerunt. Contra mors Didonis immerita dicitur, quæ nullius sceleris conscia, in se solam sæviit. Quare Poeta,

Nec Fato, merita nec morte peribat.

A Physicis Pontifices recesserunt eorum gratia, qui casu non spontaneo vel alieno scelere perierunt. His enim Justa majorum ritu persoluta, heresque nostro jure, si illorum ultionem insuper habuisset, ut indignus hereditatem amittebat, quæ Fisco adjudicatur, *l. heredem de D. his a quib. ut indign.* Atheniensium morem Suidas refert, quo eorum cognati, qui alieno facinore interfecti essent, in efferendo funere hastam adhibebant, aut in tumulo defigebant, eoque modo ultionem interfectoribus denuntiabant. Unde horum funeri qui interessent, testabantur SE NON FECISSE. Quod Fabius aperte docet, *declam.* XI. *Miser ego! nec ad funera accessi, nec licuit super ipsa corpora proclamare*, NON FECI.

CAP. X.

DE SENTENTIAM PASSIS ET INSEPULTIS.

NOn extra rem erit de iis, qui capite damnati sunt & insepulti, pauca dicere, cum præter Naturam præterque Fatum morti sint addicti. Qui ultimo supplicio vel in metallum damnantur, a Præfecto Prætorio, Præfecto Urbi, vel Præside Provinciæ statim atque sententia dicta est, ubi rescriptum Principis non expectatur, maximam capitis diminutionem patiuntur. Quæ non testamentum solum faciebat irritum, sed fiscum damnatorum heredem. Nam deportatos omnes bonorum publicatio sequebatur, *tot. tit. C. de bon. Proscript.* ut damnatos capite, qui sui juris erant, quorum corpora insepulta jacuerunt, nisi petitum esset a Principe vel permissum, *l.* I. *D. de cadaver. punit.* quo non impetrato suffixorum corpora crucibus in sepulturam diffluebant. Seneca VIII. *controv.* IV. Non quod supremum tantum humanæ conditionis honorem sepulturam crediderint, & quod titulus injuriæ cessatio esset sepulturæ, (Tertullianus *de Anima* cap. LVI.) sed quod insepulti ab inferis arcerentur, ut Patroclus Homericus, *Iliad.* ψ. utque *inops inumataque turba*, (Virgil. VI. *Æn.* & *ibi Serv.*) quæ nec legitimam sepulturam habuit, nec imaginariam aut inanem tumulum per terræ injectionem, neque, ut ait Ennius, lacrymis est decorata. Nam sine fletu sepultura non fuit, Servius *eod.* Hinc illæ Rhetorum minæ, hinc Senatus imprecationes, ut Insepulti, parricidæ unco traherentur, Lamprid. in *Commodo*, parricida sepultus erueretur.

Insepultorum pœnam apud Inferos in Plauto nostro observamus, in *Mostellaria*:

Nam me, inquit, *in Acherontem recipere Orcus noluit,*
Quia præmaturæ vita careo per fidem,
Deceptus sum, hospes hic me necavit, isque me
Defodit insepultum.

Ex quo insepulti non solum dicuntur ii, quorum corpora exquilinis alitibus exponuntur, aut quorum

——Crux futura est sepulchrum,
Ubi majores sunt siti, avus, proavus, abavus.

Ut Plauti Sceledrus jocatur in *Milit.* seu qui etiam defossi sunt sine glebæ, vel terræ injectione. Horum enim insepulta sepultura, Cicero *Philip.* I. funera nefunera, τάφος ἄταφος, qui inferorum exules

Centum errant annos, volitant & littora circum.

Virgil. lib. VI. *Æneid.* Hæc illos pœna gravior post mortem manere videbatur. Quamobrem Vespasianus tum Prætor pœnæ conjuratorum Caligulæ addendum censuit, ut insepulti abjicerentur, Sue-

tonius in *Vespasiano* cap. II. Qua pœna maxima & horrenda difficillimis Mariana factione temporibus affecti sunt proscripti, quos sepelire non licebat, sed canibus & alitibus dilacerandi objiciebantur, Appianus *de bell. civil.* lib. I. Sic damnatos ob Sejanum, insepultos omnes Tiberius jussit in Tyberim trahi, Dio *lib.* LVIII. diemque necis Sejani a Pontificibus festum celebrari. Veterum crudelis Imperator Lentuli sententiam secutus est, qui primus censuerat ut dies Iduum Sept. quo se Libo interfecerat, festus haberetur, Tacit. II. *Annal.* Nec Divus ille Augustus humanior, qui libro decimo de vita sua scripsit, se observasse ut damnatorum corpora suis cognatis non denegaret, *l.* I. *D. de cadaver. punit.* cum tamen Philipensi bello confecto, in splendidissimum quemque civium non sine verborum contumelia sævierit, ut quidem uni sepulturam suppliciter petenti responderit, jam istam in volucrum potestate fore, Sueton. in *Aug.* cap. XIII.

Hanc pœnæ acerbitatem Senatus semper in perduelles, in milites aliquando pro militari disciplina conscripsit. Nam cum milites qui Rhegium injusto bello occupaverant, securi percuti jussisset: eorum corpora sepulturæ mandari, mortemque lugeri vetuit, Valer. Max. *l.* VI. *cap.* VII. cum favore militiæ si corpus militis cujus os non extaret super terram, alioqui eum lugeri vellet, *l. fin. D. de his qui not. infam.*

M. Clodium Senatus Corsis, quia turpem cum his pacem fecerat, dedidit: quem non acceptum in carcere necavit, factus ejus rescidit, libertatem ademit, spiritum extinxit, corpus contumelia carceris & detestanda Gemoniarum scalarum nota fœdavit, Valer. Max. *lib.* VI. *cap.* III. Primus tamen Tiberius interdixit, ne capite damnatos propinqui lugerent, Sueton. in *Tiberio* c. LXI. cujus temporibus nemo punitorum non in Gemonias abjectus uncoque tractus, quod damnati, qui de se statuissent, soli effugerunt.

CAP. XI.

DE MORTE FATALI ET NATURALI. ULTIMA MORIENTIUM VERBA: VIVE, VALE.

Fatalis mors benigna quidem agnoscitur, ut naturalis quæ accidit post legitime completos ætatis annos. Acerba fatalis est, etsi parentes liberos in ipso ætatis flore amiserint: Qui se infelicissimos, æterno dolore afflictos, contra votum insperatos tumulos dare, in antiquis Inscriptionibus passim testantur. Immatura fata sunt iis qui ad senectæ peractionem tanquam ad transactam fabulam usque ad *plaudite*, ut vulgo dicitur, non pervenerunt. Unus omnibus funeris ritus est, si infantes excipiamus, queis diversus.

In communi aliorum funere primum circumstantes proximiores morientis lecto adsidebant, cum jam deficere videretur & denasci, ut ait Varro lib. IV. *de Ling. Lat.* ἀπογίνεσθαι ignemque amitteret & frigesceret, quo ultima illius verba attentiores exciperent. Nam divino aliquo instinctu inflatuque incitatus morientium animus credebatur, qui urgentibus fatis integrior, haberet futurorum etiam quandam prædictionem & præsensionem. Scriptores omnes verba illa quam maxime observarunt. Inter hos Sueton. in *Augusto* cap. XCIX. quem in osculis Liviæ & in hac voce defecisse tradit: *Livia nostri conjugii memor, vive ac vale.* Morientis Bruti verba indomita ultimi temporis recordatione & proximi injuria, studiosos virtutis tangent. Dio *lib.* XLVII.

Ω τλῆμον ἀρετὴ, λόγος ἄρ' ἦσθ' ἐγὼ δέ σε,
Ὡς ἔργον ἤσκουν. Σὺ δ' ἄρ' ἐδούλευες Τύχῃ.

O misera virtus! cum nihil quam verba esset, ego te tanquam rem aliquam exercui; Tu vero servis Fortunæ: Cujus magna vis est in utramque partem, vel in secundis rebus vel in adversis, Cicero II. *Offic.* ni illam a seipso sapiens sumat.

Vivant felices, quibus est Fortuna peracta.

Ego vero Bruti sermonibus detinebor, dum tempora erunt inimica virtuti.

Alias summorum virorum voces referre mihi necesse non est, quæ fortes & innumeræ volumen integrum desiderarent: in Augusto deficiam, qui ultimum Liviæ dixit, ut morientes solebant, *vive ac vale.* Sic morituris etiam dicebant *Vale & Salve*, Serv. V. *Æn.* Illud Virgilii Damon non obmisit, *Eclog* VIII. & *ibi* Servius,

—— Vivite silvæ,
Præceps aerii specula de montis, in undas
Deferar.

Vivite, id est, *Valete*, quod optantis est & renuntiantis. Nam qui diutius vivere non potest, aliis longiorem optat vitam. Argylippus Plauti, in *Asinar.* hunc morem mirifice explicat, qui cum a Philenii complexibus arceretur.

A. *Vale, inquit.* Phi. *Aliquanto amplius valerem ego, si hic maneres.*
A. *Salve.* Ph *Salvere me jubes quoi tu abiens affers morbum:*
A. *Mater mihi supremum tua dixit, domum ire jussit.*
P. *Acerbum funus filiæ faciet, si te carendum est.*

Et paulo post:

A. *Vale.* P. *qui properas.* A. *bene vale, apud Orcum te videbo.*

Turnebus lib. III. *Adversf.* cap. XII. cum funebrem hunc morem, non satis adverteret, & Plauti electionem tractaret, corruptam illam affirmat vetustatis incuria. Nam si *supremum* hic legamus, inquit, quod exemplaria omnia occupavit, nihil elegans elicietur. Quare legendum censet, *mater mihi supremam tua dixit*, idque e judiciorum consuetudine. Nam postquam præco supremam dixerat, dimittebatur judicum consessus. Quod hic Plautum credit imitari, *Mater*, inquit, *supremam dixit tempestatem & ilicet pronuntiavit, domumque ire jussit. Tantum*, inquit vir ille doctissimus, *hæc cognitio antiquitatis, subsidio fuit, non ad explicandum solum, verum etiam ad locum sarciendum.* Sed vera antiquitatis peritia a tanto viro ad minus eruditos transfugisse videtur, qui integram lectionem corruptam reddit, dum vitiatam illam sibi persuasit. Mortuis ter Vale dicebatur, cum scilicet in ipso mortis discrimine deficerent, cum in lecto componerentur, & cum terra conderentur. Tum enim supremum Vale humatis & sepultis dicebatur. Quare cum sibi manus inferre vellet Argylippus amoris impatientia, fenebribus usus est verbis, *Vale & Salve.* Atque cum voluntariæ mortis rationem daret, *Mater*, inquit, *mih supremum tua dixt*, hoc est, supremum Vale, æternum Vale tanquam mortuo & sepulto, meque ab hac vita abjudicavit, cum domum ire jussit. Plautus noster hac in scena funebre ubique verbum secutus est, *Vale, salve: supremum dixit: acerbum funus: apud orcum te videbo.* Et cum in amplexus ruerent amantes, exclamant illi, *utinam sic efferamur.* Quid elegantius? quid venustius fingi potuit in amante, cujus desperatio animum occupabat, quæ in morte solatium quærit? Turnebum ut cæteros bonarum literarum Principes decet doctrinæ opulentia: Jejuna nostra scribendi ratio temporis egestate sublevatur, quod

forenſibus tantum feriis huic ſtudio medium impendimus. Quare eo juſtior venia nobis concedenda eſt, ſi cum ſummis viris aliquando graviter etiam aberramus.


Verum nos homunculi,

imperitorum etiam judicio plerumque damnamur, ut famam aliquam eruditionis aucupentur.

Inter ultima morientis verba, complexus & oſcula, ſi quis præſens charior morienti eſſet annulos ei tradebat, quem ut plurimum ſcribebat heredem, Valerius Max. *lib.* VII. *cap.* IX. Quod tamen nihil ad inſtitutionem profuit, niſi illa teſtamento probaretur, firmaretur, ut Papiniani reſponſo deciditur. Nam ſi pater, (*l. cum pater. §. pater pluribus. D. de leg. 2.*) pluribus filiis heredibus inſtitutis, moriens claves & annulum cuſtodiæ cauſa majori natu filiæ tradidit: & libertum eidem filiæ, qui præſens erat, & res, quas ſub cura habuit, aſſignari juſſit, commune filiorum negotium intelligitur, nec ob eam rem apud arbitrum diviſionis præcipuam cauſam filiæ, fore id eſt, neque ex ea relegatum per præceptionem filiæ datum videri. Cum hæc lex antiquitatis annulo obſignata ſit, illum ego ita reſignabo, ut ab annulo ornamenti cauſa ſeparem, *l. 74. D. de verb. ſignif.* Annulus enim cuſtodiæ cauſa ad cellulam & penum fabricatus eſt, de quo Plauti Cleoſtrata, in *Caſſin.*

Obſignate Cellas, referte annulum ad me.

Nam cibi quoque & potus annulo vendicabantur a ſervulorum rapina, Plinius *lib.* XXXIII. *c.* I. Annulos hujuſmodi multos habuimus, quorum forma facit ad faciliorem legis intellectum, quæ traditione annuli nec inſtitutionem nec legatum admittit aut fideicommiſſum, quod alioqui ſolo nutu relinquebatur.



C A P. XII.

DE SPIRITUS EXCEPTIONE. LEGE MÆVIA, OSCULIS, LAVATIONE, CONCLAMATIONE.

MOrientis ſpiritum etiam proximior, ut mater, frater, ſoror, excipiebat. De matre M. Tull. *action.* X. *in Ver. Patres jacebant in limine, matres miſeræ pernoctabant ad oſtium carceris ab extremo complexu liberorum excluſæ, quæ nihil aliud orabant, niſi ut filiorum ſpiritum excipere ſibi liceret.* Sororem Didonis Annam Virgilius lib. IV. *Æn.* introducit, quæ,

—— Extremus ſi quis ſuper halitus erret,
Ore legat.

Ubi ementito Servii nomine ſciolus quidam annotavit, muliebriter id ab Anna dictum, quaſi poſſet animam ſororis excipere. Quod inepte ſcriptum eſt, & ſumma antiqui ritus ignoratione, quæ vulgaris Servium non fugit. Nec enim mulierum hoc ſolum fuit officium, ſed virorum etiam: licet M. Tullius patres in limine carceris conſtituat, & matri hoc pietatis opus delegare videatur, quæ ſpiritum liberorum exciperet, quem illis dediſſe putabatur. Quod viri etiam præſtiterunt, ut Pædo verſibus ſuis teſtatur.

Soſpite te ſaltem moriar, Nero, tu mea condes
Lumina, & excipies hanc animam ore pio.

Morientem nomine proprio, magno cum clamore vocabant, Servius IV. *Æn.* cum primum illum putabant abiiſſe. Tum illius claudebant oculos, quos morientibus operire, rurſumque in rogo patefacere Quiritium magno ritu ſacrum eſt, Plin. *l.* XI. *cap.* XXXVII. ita more condito ut neque ab homine ſupremum eos ſpectari fas ſit, & cœlo non oſtendi nefas. Quod ad proximiores quoque tam viros quam fœminas pertinebat.

Notat Servium Turnebus *Adverſ.* lib. XXIV. cap. XXVI. ad hunc Virgilii verſum:

Dat ſomnos, adimitque, & lumina morte reſignat.

Summus ille Grammaticus interpretatur, oculos claudit & perturbat. Quam interpretationem Turnebus violentam dicit & ineptam: atque reſignare pro aperire poſitum aſſerit ex Romana conſuetudine, qua in rogo oculi aperiebantur. Quod plane a Virgilii mente alienum eſt. Nec enim in rogo Mercurius, de quo loquitur, cujus Numen morientes invocabant, in rogo virga aperiebat oculos, quos morte reſignare, hoc eſt, claudere, credebatur. Tres enim ſunt Mercurii, Superus, Terrenus, & Inferus. (Servius l. IV. *Æn.* Cicero III. *de nat. Deor.*) Hic videndi facultate mortuos privabat, quos ad Orcum deduceret, nec fingi poteſt illum in rogo mortuorum oculos patefeciſſe. Interpretatio Servii ut ratione, ſic authoritate M. Tullii nititur, quam adfert in Danielis editione, quæ in antiquis commentariis non habetur. Reſignare enim pro auferre a M. Tullio uſurpatur, orat. *Pro Arch. Poet. Nam cum*, inquit, *Appii tabulæ negligentius aſſervatæ dicerentur, Gabinii, quandiu incolumis fuit, levitas, poſt damnationem calamitas, omnem tabularum fidem reſignaſſet*, quod ſignificare putat Servius, abſtuliſſet, cum verius reſignare hoc loco M. Tullius ponat pro aperire. Sed aliorum authorum locos adfert clariores Servius, qui a Feſto Pompejo, in verbo *reſignare*, citantur, & reſignare Antiquos poſuiſſe probat pro reſcribere, ut reſignatum æs dicitur militi, cum ob delictum aliquod, juſſu Tribuni militum ablatum eſt, & in tabulas refertur. Quo verbo per translationem Virgilius eleganter uſus eſt, quaſi lux illa nobis a Diis Immortalibus conceſſa, illorum juſſu auferatur, & in tabulas unuſquiſque referatur, cum

Cenſetur cenſu ad Acherontem mortuus.

Ut Plautus loquitur in *Trinummo*. Sed nos ad funebre officium redeamus.

Lex Mævia eſt in pietate, *Ne filii patribus luci claro ſuggillent oculos*, ait Varro in *Geminis* apud Nonium. Cujus legis ſenſum Anton. Auguſtinus, lib. *de Legib.* hunc eſſe putat, ne oculos clauderent, quod per translationem, fortaſſe dictum eſt, ne illorum mortem maturarent. *Neque enim*, inquit, *mos ignoratur, quo parentibus liberi cum morerentur oculos claudebant, ut liberis parentes.* Veteribus Gloſſis ſuggillatio eſt ὑπώπιον, quæ fit ex plaga ſanguine ſub oculum infuſo, Gorræus lib. V. *Definit. Medic.* Vel ut Julius Pollux definit, ὑπόπιον τὰ ὑπὸ τὰς ὦπας τῶν πληγῶν ἴχνη, *quæ ſub oculis apparent percuſſionum veſtigia.* Sunt etiam ὑπώπια ὑποφθάλμια Hippocrati in *Coac. Prænot.* elevatæ oculorum cavitates in lethargicis. Longa

ætas ut mores veteres, sic antiquorum verborum significationem veram obliteravit, sed lippis etiam & tonsoribus notum esse potest, cum hæc lex in pietate sit, suggillationem ad pietatis officium esse referendam, quæ si aliter acciperetur, contra pietatem esset, cui læsæ Leges XII. prospexerunt, nec Mævia opus fuit. In hac autem *luci* pro *luce* positum docet Sisenna, apud Charisium lib. II. *Art. Gram.* quæcumque enim nomina ablativo singulari in E terminantur, in I finita adverbia fieri dicunt, ut luci, mani. Apud Authores tamen vim nominis non mutant, sed luci virile genus assumit Plautus in *Aulul.*

Luci claro diripiamus aurum matronis palam.

Varro apud Non. περὶ ἐμμονῆς, *hodie si possumus, quod debemus populo in foro medio, luci claro medio, luci claro decoquere.* Luci claro filii parentibus oculos claudere prohibentur, quod velis lecti obducti facere consueti sunt, magna pietatis ratione, quæ liberorum oculos a parentum funere quantum potuit avertebat. Quos vix bene natus quisquam mortuos potest intueri. De hoc liberorum officio, quod ab omnibus illius simul peragebatur, Martialis *l.b.* X. *epigr.* LXIII.

Quinque dedit pueros, totidem mihi Juno puellas,
Clauserunt omnes lumina nostra manu.

Polixena Hecubæ, Euripid. in *Hecuba*: Πολύδωρος ζῇ, καὶ θανάσης ὄμμα συγκλείσει τὸ σόν.

Erumpebat interim in gemitus mœsta domus dum oculi operirentur, & morientis nomen vocabatur, ut ex Propertii *lib.* IV. *el.* VI. lectione Scaliger observavit:

At mihi non oculos quisquam inclamavit euntes.

Recepta legit *inclinavit*, nec debet operiri, ut nec altera rejici, placet enim inclamatio nominis in oculorum suggillatione.

Post illam repetiti plangores, & paulum si intermissi essent, mortui virtutes præcipuæ memorabantur novi luctus incitamenta. Memoria eorum, quos amiserant, tractabatur, occurrebant sermones eorum jucundi, conversatio hilaris, officiosa, pietas, ut oculi velut in gaudio relaxarentur, Seneca *epist.* XCIX. Deinde ad oscula & complexus mortui concurrebant. Quod tangit Seneca *ad Helviam* cap. III. *Filium*, inquit, *in manibus & in osculis tuis mortuum funeraveras.* Quod idem Albinovanus:

Affigoque manus oraque ad ora fero.

Ibant iterum in lacrymas omniaque ad luctum & tristitiæ imitamentum componebant.

CAP. XIII.

DE LUCTU DOMESTICO.

DE luctu minuendo & ægritudine lenienda multa sunt doctissimorum ingeniorum monumenta, quæ sibi aut aliis parum profuerunt, cum domesticis exemplis funditus everterentur. Proinde quærebat Plin. lib. I. *Epist.* solatia certiora, non illa vulgaria, senex erat, infirmus erat, mortalis erat, sed nova aliqua, sed magna quæ nusquam audita sint, nusquam lecta. Nam quæ audiuntur aut leguntur, sponte succurrunt, sed magno dolore superantur.

In Legibus XII. translatæ sunt Solonis leges, minuendi sumptus, lamentationesque funeris, quas omnino tollebant, Cicero II. *de Leg. Mulieres genas ne radunto, neve lessum funeris ergo habento. Hoc veteres interpretes*, ait Tull. *Sex. Ælius & L. Ælius non satis se intelligere dixerunt: sed suspicari vestimenti al. quod genus funebris. Lælius quasi lugubrem ejulationem ut vox ipsa significat, quod eo magis judico verum esse, quia lex Solonis id ipsum vetat.* Lælii sententiæ Plautus adstipulatur, in *Truculento*:

—— Thetis quoque etiam
Lamentando lessum fecit filio.

Ab hoc in nostra Campania, campanarum pro mortui memoria strepitus vocatur lingua vulgari, *une lesse*. De cujus nominis significatione cum priscorum temporum doctissimi viri dubitarint, ejus originem mihi turpe non erit ignorare.

Radere genas est unguibus scindere, (Festus in verb. *radere*) laniare, cruentare, quæ pudoris sunt sedes, Plin. *l.* XI. *c.* XXXVII. δρύπτεσθαι παρειὰν δίαιμον ὄνυχα τιθεμένα σπαραγμοῖς. *Laniare genam cruentum unguem reddere lacerationibus.* Varro tradit, apud Serv. *l.* III. *Æn.* in exequiis & luctu mulieres ora lacerare, ut sanguine ostenso inferis satisfacerent, qui sanguine placabantur. Huic insaniæ cesserant leges, ea enim fuit lugentium scena, ea ostentatio doloris, ut in luctu familia omnis intus clausa, (Jun. Philarg. IV. *Georg.*) scissis vestibus, promissa barba, intonsa coma, matronæ crinibus solutis & antependulis, (Apulejus II. *Met.*) humi prostratæ jacerent, oppresso igne, lucernis extinctis, quia, ut arbitror, lucernæ in summa lætitia accendebantur, & in publicis gaudiis pro foribus illucescebant, Tertull. *de Idololatr.* cap. XV. & lib. *ad Uxor.* cap. VI. vel certe ut Servius ait, in *Sched.* lugentibus ideo inimica lux, quia caruerunt ea hi, quos lugent: ideoque tenebras petunt, atra veste amiciuntur, & capita velantur, ut cum defunctis agere videantur, imitantes tenebris faciem Inferorum.

Lugubris autem illarum lamentatio fletusque mœrens ex eo est, quod eum quem dilexerant vitæ commodis privatum arbitrarentur, Cic. I. *Tuscul.* idque sentire, atque hæc ita sentirent natura duce nullaque doctrina. Ex illo fonte varia & detestabilia genera illa lugendi promanarunt, pædores muliebres, lacerationes genarum, pectoris, feminarum, capitis percussiones, idem III. *Tuscul.* quibus gratum se mortuis facere existimabant, diisque Inferis facilius satisfacturos, si afflictos se & iratos esse faterentur.

Differunt autem luctus & lamentatio. Est enim luctus ægritudo ex ejus, qui charus fuerit, interitu acerbo: lamentatio, ægritudo cum ejulatu, idem IV. *Tuscul.* quæ ad bonorum Fortunæ amissionem aliquando conversa est. Juvenalis *sat.* XIII.

Nam majore domus gemitu, majore tumultu,
Planguntur nummi, quam funera, nemo dolorem
Fingit in hoc casu, tristem deducere summam
Contentus vexare oculos humore coacto,
Ploratur lacrimis amissa pecunia veris.

CAP. XIV.

DE LAVATIONE ET UNCTIONE. DE LIBITINARIIS EORUMQUE FAMILIA. QUOD GENUS SACRIFICII LARE VERVECIBUS FIAT.

LAvabant mortuorum cadavera proximiores & ungebant. De lavatione communiores sunt loci quam qui adferri debeant. De unctione, vulgaris est Albinovani:

Teque meæ poterunt ungere nate manus.

Quod tamen sine Libitinarii opera transactum non puto, qui in omnibus his rebus exercitatus, ea præscribere solebat, quæ ad funeris ritum, morem aut pompam conducere videbantur. Scripsit Plinius *lib.* XIII. *cap.* I. Castris Darii expugnatis, Alexandrum in reliquo ejus apparatu scrinium cepisse unguentorum, posteaque voluptatem eorum ad Romanos transiisse, inter honestissima & lautissima vitæ bona, honoremque ad de-

defunctos pertinere cœpisse. Quod Guichardus Pedemontanus optimus scriptor notat, qui eos *de re funebri* nobis Gallis conditos edidit libros, qui hucusque mihi amplius hac de re scribendi ansam arripuerant. *Si legibus* XII. *unctura vetita sit*, inquit vir diligentissimus, *quid nos Plinius ad Alexandri tempora revocat?* At vero Plinius de unguentis exoticis loquitur, quæ ex Persarum deliciis postea Romam profluxerunt, quæque a Censoribus anno Urbis quingentesimo sexagesimo quinto, primum introducta sunt, Plinius *lib.* XIII. *cap.* III. Qua temporum ratione in leges XII. Plinius minime peccat. Hinc Plautus in *Mostellar.*

Non omnes possunt olere unguenta exotica.

Unguenta autem in funeris causa, jure civili ita computantur, *l. funeris. D. de relig.* ut si odores & unguenta servus emerit & ad funus erogaverit quod ad dominum suum pertinebat, in rem domini versum videatur, *l.* 7. *§. illud plane. D. de in rem vers.*

Libitinarii servos ad hoc ministerium multos habuerunt, qui ipsi ut honestiores Designatorum munere fungebantur. Nam designator ἀποδείκτης pompæ ordinem & apparatum ludosque curabat, si munus gladiatorum ab heredibus daretur. De Designatore, qui sacris certaminibus deserviebat, nonnihil attigimus libro primo, *de Vet. Jur. Pont.* cap. VI. & Alciati notavimus errorem, sed cum librarius lineam integram obmisisset tantum a mente mea aberravit, quantum Alciatus ab Ulpiani. Hæc causa fuit, cur vir doctissimus mihique amicissimus graviter tulerit quod Alciatum errasse dixerim, cum in errorem memet incidisse vehementer contenderet. Huic ego: Pax, inquam, errores nostros quietiore animo detegamus. Designatores, ait Ulpianus, *l. Athletas. D. de his qui not. infam.* qui Græcis sunt βραβευταὶ artem ludicram non facere Celsus putat, cum ministerium exerceant. *βραβευτὰς ludorum præsides* Alciatus interpretatur ex Julio Polluce. Scripsi quod præ termissum est. *Longe alia fuit mens Ulpiani, quæ potest elici ex verbis Pollucis*, Τοῖς δὲ γυμνικοῖς ἐφεστᾶσι βραβευταὶ καὶ μαστιγονόμοι δὲ καὶ ῥαβδοῦχοι. *Gymnicis adsunt ludorum Præfecti Lictores & Apparitores*, Τὰς δὲ βραβευτὰς καὶ ἐπιστάτας ὀνόμαζον. *Designatores quoque Præsides nominarunt*, vertit Alciatus. Nemo Grammaticorum ignorat Ἐπιστάτην *Præfectum*, *Curatoremque* significare & *Præsidem*: ex multiplici hac significatione illam elegit Alciatus, quæ minus Ulpiani textui conveniret. Quare Præsidem Alciatus vertere non debuit, sed *Curatorem* aut *Præfectum*. Nam ludorum Præsides Ἀγωνοθέται certaminum judices & Arbitri, qui ἀπὸ τῶν βραβευτῶν distinguuntur a Clemente Alexandrino, in *Protreptico*. Ut Petrus Faber l. I. *Agonist.* c. XXIII. ante nos animadvertit. Βραβευτής, διαλλακτής, Autor *Etymologic.* Pacificator, qui præter os obambulat, & cujus virgæ mutiunt, ut Plautus loquitur in *Pœnulo*. Cum ergo tam varia sit significatio βραβευτοῦ, cur Præsidem illum ludorum finxit Alciatus, cur non Curatorem aut Præfectum aut Conciliatorem? Cum ministerium illum exercuisse Ulpianus dicit, quod servorum proprium fuit, qui Ministratores vocantur, Seneca *epist.* XCV. Est enim ministrare famulari διακονεῖν, *Gloss. vet.* quod quidem in Sacris magis usurpatur. Plautus in *Amph.*

Atque ut ministres mihi cum sacruficem.

Evertit Alciati versio non Ulpiani sententiam solum, sed vetera Romanorum instituta, apud quos privatus nemo ludis præesse potuit, nisi ludos funeris causa daret. Imo apud eos dubita-

A tum an Designator artem ludicram exerceret atque infamia notaretur, *l. Athletas. D. de his qui not. infam.* Designator funeris, Magister est Pompæ, quem a Libitinariis non separo. Hac in re Senecam sequor lib. VI. *de Benefic.* cap. XXXVIII. Ille: *An Arruncium & Arterium, & cæteros, qui captandorum testamentorum artem professi sunt, non eadem putes habere, quæ Designatores & Libitinarios vota?* Designator Acroni Grammatico, *ad Horat. lib.* I. *epist.* VII. fuit, qui ad locum Libitinæ funera præstanda conducitur, ut defuncti cum honore efferantur, cui quidem Præsidis nomen convenire nulla ratione potest. De hoc satis.

B Ex Libitinariorum familia fuerunt Piatrix sacerdos, Aruspex, Pollinctor, Præfica, Vespillo, Sandapilarius, Lecticarius, Ustor, cadaverum custodes. Dicti sunt Libitinarii ab æde Libitinæ, in qua commorabantur, ubi ea solebant curari, quæ ad funus pertinebant, Plutarchus in *Numa*. Et apud quos morientium nomina edebantur, Suetonius in *Nerone* c. XXXIX. Libitinarium Græci ταφία vocant ex Ulpiano, *l.* 5. *§. idem ait. D. de instit. act.* Habent Pandectæ Florentini νεκροτάφην, alii Codices κτεριστὴν, *inhumatorem*, ἐνταφιαστὴν, ubique recte. Hujus munus non ita

C sordidum quin splendorem aliquem retinuerit: ut cum Hirtii & Pansæ funus a Prætore jussu Senatus locaretur, qui tunc Libitinam exercebant, Valerius Max. *lib.* V. *cap.* II. cum rerum suarum usum tuum ministerium polliciti sunt, quia hi pro patria dimicantes occiderant. Perseverantique postulatione extuderunt ut exequiarum apparatus sestertio nummo ipsis præbentibus addiceretur. A Libitina Libitinensis etiam porta dicta est, per quam funera efferebantur.

Piatrix sacerdos funestam domum expurgare solebat, (Festus in verb. *Piatrix* & *everriator*) verrebat domum, ex qua mortuus ad sepulturam

D ferebatur per everriationem certo scoparum genere dum sacrum illud funebre peragebatur, quod Lare vervecibus domi fiebat. Hoc sacrificium a Turnebo pollutum est, *ad Cicer.* II. *de Leg.* Nam cum apud Ciceronem legatur, *Quod genus sacrificii Lare vervecibus fiat*, emendat ille, *Aræ verberibus*, exverriasque significari putat quibus domus mortui purgaretur: Rectissima est vulgata lectio. Hoc enim sacrificium inter justa numeratur, quæ domi mortuo fiebant, cum heres ob funestam familiam piaculum patiebatur. Quod a M. Tullio lucem accipit, *Pro Rosc. Amer.* qui cum eundem defenderet: *Hunc*, inquit, *miserum*,

E *luctu perditum, qui nondum etiam paterno funeri justa solvisset, nudum ejecit domo*, quod est, antequam familiare illud Lare vervecibus Sacrum confecisset. Lare igitur, est interiore domus parte, vel potius θεῷ Κατοικιδίῳ, cui pro mortuo vervecibus faciebant, quod sectariis crederent Manes delectari. Inscriptionem veterem attulimus, in qua:

LARIB. VERB. N. II.

Nos de expiatione aliquando, ut de Aruspice, qui mortuis apparebat. Nunc vero Pollinctores

F in funestam domum intromittamus, qui lavabant cadavera & ungebant, quod proximiores mutuam præstantes operam, facere dicebantur. In Legibus XII. servilis unctura & circumpotatio tollitur. Pollinctorem servilis unctura denotat, ad quam lepide ludit Martialis, *lib.* III. *epigr.* XII.

Qui non cœnat & ungitur, Fabulle,
Hic vere mihi mortuus videtur.

Fuerunt quidem uncturæ plures, plura oscula, complorationes, conclamationesque, quæ in rogo ultimum desinebant. Pollincere autem quibusdam est ungere, ut illi ex Plauto in *Pœnulo* augurantur.

Eorum alter vivit, alter est emortuus,
Propterea apud vos dico confidentius,
Quia mihi Pollinctor dixit, qui eum pollinxerat.

Hoc vere est augurari & emortuum verbum negligenter curare. Verius Pollinctores dictos Servius scribit, IX. *Æneid.* quod mortuis os polline oblinirent, ne livor appareret extincti. Fulgentius *de prisc. Serm.* quasi pollutorum unctorum, qui forte a poliendo trahi possent, hoc est, a lavando, polienda λελυμένα, *Gloss. vet.* Sed non tam inhæreo nominis notationi, quam Tertulliani lectioni, qui Pollinctorem Sacerdotem vocat, in *Scorpiac.* cap. VII. *Si noster quoque Deus,* inquit, *propriæ hostiæ nomine martyris sibi depostulasset, quis illi exprobrasset funestam religionem, & lugubres ritus, & aram, rogum & Pollinctorem sacerdotem?* Nec enim sacerdotium Pollinctori tribui potest, cui hoc nomen suo loquendi more tribuit Tertullianus, ut Paganorum sacerdotibus faceret injuriam, quos Pollinctori servo viliori adæquaret, quod Sacerdotes Paganorum, mortuos vere curarent, quos pro Diis colebant, quorumque imagines, minio & unguentis perfricabant. Qua vero arte aut quibus medicamentis potuerint Pollinctores sine sectione corporis, integrum illud & incorruptum ad dies octo in funesta domo asservare, mihi non satis compertum. Nec enim solebant Veteres corpora mortuorum dissecare, cum aliqui elati jamque rogo impositi revixisse dicantur. De mortuorum conditura ample Herodotus *lib.* II. quibus incurvo ferro cerebrum per nares eductum omnemque alvum pertractum docet, quod Romæ usitatum non fuit. Plutarchus in *Agesil.* cadavera melle vel cera oblita servari scribit, ut de Agesilao narrat Σπαρτιάται κηρὸν ἐπιτήξαντες τῷ νεκρῷ, μέλιτος οὐ παρόντος ἀπῆγον εἰς Λακεδαίμονα. Hac de corporum conditura nihil affirmare ausim: quærant diligentiores.

Præficæ Σωφισταὶ θρήνων, Lucianus *de Luctu*, planctus Principes non doloris, Servius IX. *Æneid.* Vesperones qui postea Vespillones, (idem XI. *Æneid.*) mortuos e plebe in lecto efferebant ad sepulturam, ut lecticarii in lectica, Fulgentius *de prisc. Serm.* Quod genus hominum furto maxime obnoxium fuit: quare si quis stipulatus spondeat furem non esse, Vespillonem non esse, utilis est stipulatio, *l. si ita quis. D. de Evict.* Ut si Pollinctor mortuum spoliaverit, datur in Libitinarium institoria actio & furti & injuriarum, *l.* 5. *§. idem ait. D. de instit. act.* Quorum omnium mors non vilis solum, sed ita odiosa fuit, ut si quis testamento heres institutus, jussus sit Vespillonis testatoris nomen ferre, dignitatis rationem habendam responsum sit, & conditionem remitti.

Sandapilarii a Sandapila feretro viliorum νεκροφόροι. Ustores semirasi infimæ servitutis & miseræ conditionis, qui omnes Libitinariorum familia continentur. Custodes cadaverum, qui ad mortui cadaver pernoctabant, *l. & si quis §. impensa. D. de relig.*

CAP. XV.

DE FERIIS DENICALIBUS ET NOVENDIALIBUS.

Singulorum feriæ præcipuæ aut sunt Natalium aut Funerum, Macrob. lib. I. *Saturn.* cap. XVI. atque inter ferias Funerum sunt Denicales, cum hominis mortui causa familia purgabatur, a Græco verbo deductæ, Græci enim νέκυν *mortuum* dixerunt, Festus in verb. *Denicales*. Novendiales a dierum numero denominatæ, de quibus copiose Turnebus, lib. XXIV. *Advers.* cap. XXIII. quæ Lipsius in Taciti explicatione sua fecit, *ad lib.* VI. *Annal. num.* XVIII. Novendialia veteribus *Glossis* ἔννατα ἐπὶ νεκρῷ ἀγόμενα. Nam apud majores ubi quis extinctus esset, diebus septem domi illius corpus asservabatur & curabatur, lavando, ungendo, osculando, complorando, conclamando. Octavo die funus procedebat & corpus incendebatur, nono sepeliebatur, & si qui ludi in mortui honorem fierent, ab eo Novendiales sunt appellati, Servius v. *Æneid.* Ab eoque tempore finis funestæ familiæ erat, nono die, rite completis ad tumulum solemnibus, quo supellectilem deducebant ad auctionem, qui vellent, Apulejus lib. VII. *Metam.* Novendiales illas ferias aliqua ex parte diu a Christianis servatas colligo ex Justiniani Novella constitutione, *c.* 115. qua omnis exactio creditorum, funestæ familiæ diebus novem sustinetur, ne Denicales illæ privatorum feriæ a duriore creditore violarentur. Quare illius exactio cessabat, (Cujacius lib. *de divers. tempor. præscript.* cap. VI.) nec nisi post novem dies a morte debitoris creditor poterat cum heredibus experiri. Hanc veterem in nostris superstitionem arguit D. Augustinus, in *Quæst. sup. Genes. Nescio*, inquit, *utrum inveniatur alicui sanctorum in Scripturis celebratum esse luctum novem dierum, quod apud Latinos Novendial appellatur.* Qui dierum numerus nunquam in bonam partem accipiebatur a Judæis, quorum solemnitas omnis octavo die finiebatur, nec ad novem unquam perveniebat, D. Hieronym. *in Aggæum, cap.* II. Alia præterea est Justiniani Novella, *l.* 3. *§. non perpetuæ. D. de sepul. viol.* ne reliquiæ debitorum a creditoribus injuria afficiantur. Quod generali antea Severi edicto prohibitum est, ne scilicet defunctorum corpora detinerentur aut vexarentur, Agellius *l.* XX. *c.* I. Etenim si morte capitale etiam crimen extinguitur, quid injustius quam mortuorum corpora debitorum, pignori subjicere, cum vivorum solum membra distrahi leges XII. olim permisissent? Quas tamen non humaniter hac de re scriptas Pop. Rom. situ atque senio emori passus est. Justini alia porro constitutio in libris βασιλικῶν *lib.* VII. Εἰ δὲ καὶ τελευτήσαντός τινος περὶ τὴν ταφὴν ἁμάρτῃ τις τοῦ τελευτήσαντος, καὶ τὴν ἐκφορὰν κωλύῃ, γέγραπται μὲν ἤδη νόμος καὶ τῷ ἡμετέρῳ Πατρὶ περὶ τούτων. Πλὴν ἀλλὰ δεῖ ἐξ ἡμῶν μείζων ἐπιθῶ τοῖς πλημμελήμασι ποινὴ, καὶ τοῖς αὐτοῖς ὑποκείσθω, ὡς ὁ παρὼν ὑπάγει νόμος, τοὺς ἐν ζωῇ τοιοῦτό τι, ὁποῖον ἔφημεν πλημμελήσαντας. Ἀλλὰ μηδὲ τοὺς κληρονόμους τοῦ τελευτήσαντος, ἢ τοὺς γονεῖς, ἢ τοὺς παῖδας, ἢ γαμετὴν, ἢ τοὺς ἄλλους συγγενεῖς, ἢ ἐγγυητὰς μηδενὶ παντελῶς ἐξεῖναι θεσπίζομεν πρὸ τῆς τῶν θ. ἡμερῶν προθεσμίας, ἐν αἷς πενθεῖν δοκοῦσιν, αἰτιᾶσθαι, οἱ καθ' οἱονδήποτε τρόπον παρενοχλεῖν, ἢ τινὰ ὑπόμνησιν αὐτοῖς ἐπιφέρειν, ἢ ἐν δικαστηρίῳ αὐτοὺς καλεῖν, εἴτε ὀνόματι χρέους παρὰ τοῦ τελευτήσαντος καταγομένου, εἴτε ἄλλης οἱασοῦν αἰτίας χάριν, εἰς τὰ μνημονευθέντα ἰδικῶς ὁρώσης πρόσωπα. Εἰ δὲ ἐντὸς τῶν θ. ἡμερῶν τολμήσει τις τινὰ τῶν εἰρημένων κρατῆσαι προσώπων, ἢ ἐγγύην κομίσασθαι, ταῦτα πάντα ἄκυρα εἶναι θεσπίζομεν. *Quod si rebus humanis exempto aliquo circa defuncti funus quispiam deliquerit, idque probibuerit efferri, quanquam jam ante lex a patre nostro de bis lata sit; tamen auctoritate nostra pœna quoque major hæc delicta comitetur, & iisdem suppliciis bic obnoxius sit, quibus lex præsens subjecit eos, quotquot ejusmodi aliquid seu dictum, seu factum a nobis est, in vivum*

admiserint. Imo ne defuncti quidam heredes vel parentes, vel liberos, vel uxores, vel cognatos cæterosque propinquos vel fidejussores ulli prorsus hominum licere sancimus, ut ante novem dierum spatium, quibus lugere videntur, conveniat, vel quocumque modo inquietet, vel quam eis citationem offerat, vel in jus vocet, sive debiti nomine quod a defuncto veniat, sive propter aliam quamcumque causam specialiter ad commemoratas personas spectantem. Quod si quis ausus fuerit intra novem hosce dies, aliquam ex indicatis personis retinere, vel adoriri, vel ab ea sponsionem aliquam aut promissionem aut fidejussionem accipere: ut irrita sint omnia sancimus. Quæ ab Harmenopulo suis libris inserta sunt, *l.* V. *Tit.* XII.

Novendiales etiam feriæ plerumque extra funus, publicæ sunt indictæ ad prodigia procuranda. Quod sacrum publice primum susceptum est, voce ex Albano monte missa, Livius *lib.* I. XXVI. & XXVII. vel Aruspicum monitu: mansitque solemne, ut quandocumque prodigium ex Albano nuntiaretur, feriæ per novem dies agerentur, quæ ob alia postea prodigia factæ. Ad Novendiales mortuorum ferias regredior.

Cautum est in libris sacris, illis feriis aquam in pratum nisi legitimam ducere non licere, Servius I. *Georg.* Cujus ritus rationem divinare non possum, licet tamen conjectura niti, ut putem Novendiale sacrum in Deorum honorem institutum, qui Novensiles dicebantur. Quos in secunda cœli regione Martianus Capella locat, lib. I. *de Nupt.* quosque Deos Piso esse scribit novem in Sabinis constitutos, (Arnobius *lib.* III.) quibus Numa ritu patrio Novendiale sacrum instituisse non longe a vero est. Conjecturam traho ex Decii pro exercitu se devoventis precatione, qui Novensiles Deos inter Lares & Indigetes medios ponit, Livius *lib.* VIII. Quos *Medioxumos* Plautus in *Cistell.* appellat in aere degentes, quæ sedes est Manium Deorum, & eorum, qui Indigetes Dii ex hominibus facti in Diis agunt. Lares igitur Novensiles & Indigetes ita a Decio numerati conjecturam juvant: cum ex Manium jure Lari vervecibus domi factum esset: foris Novensilibus Diis sacra ferrentur, qui eandem plagam cum Diis Manibus incolunt.

De porca præcidanea hactenus a nobis dictum est, a qua feriæ Præcidaneæ sunt appellatæ, quas heredes habere obstricti sunt. Illæ ex Attejo Capitone lib. V. *de jur. pontif.* in atrum diem a Pontifice maximo, cum inauguratæ essent, Collegium decrevit non habendum religioni, quin eo die feriæ Præcidaneæ essent, Agellius *lib.* IV. *cap.* VI. Quæ quidem feriæ publicæ fuerunt, ut Novendiale illud sacrum ob prætermissum aliquid vel commissum.

CAP. XVI.

DE COMPOSITIONE CADAVERIS. RICINIO. RICINIATIS PUERIS. NAULO.

IN legibus & in medio Jure civili moribusque versabimur, cum dispositionis nostræ ratio postulabit: Nec enim facile est unum ab alio seorsum tractari ab eo, qui certum sibi ordinem præscripserit, qui quidem apud animos hominum plurimum valet.

Morem voco institutum patrium, quod ad religiones pertinet ceremoniasque funeris, quæ etiam legibus nostris emendantur vel juvantur. Quæ igitur ad funeris morem faciunt, ea vel domi peragebantur, vel in urbe & foro, vel extra portam. Quæ domi ea sunt fere a nobis expedita, de lavatione, unctione, luctu domestico & cæteris, quæ plurimo dierum trium aut quatuor spatio transige-bantur. Tum enim membra omnia unguentis & odoribus respersa, & mortuus conclamabatur; ut ex Terentio in *Eunuch.* & *ibi* Donat. omnes notant. *Desine*, inquit, *jam conclamatum est*, id est, omnia desperata & deperdita: conclamatum enim dicitur finitum, & corpora conclamata, quæ nihil jam habent reliqui ad longioris vitæ officia. Quare in conclamatis funeribus nulla est dilatio doloris & luctus. Livius, *lib.* V. *Clamor gratulantium per urbem victores suos rediisse pervasit, & ex mœstis domibus, quæ conclamaverant suos, procurritur in vias.* Cum ergo nulla spes nisi in luctu esset, mortui defleti & conclamati, Apulejus l. I. & II. *Metam.* & complorata mors esset, Cicero *pro domo sua*. Albo tum linteo corpus involvebatur componebaturque mortuus, atque hæc compositio a productione distat plurimum, quod Casaubonus *ad Pers. sat.* III. primus advertit. Nam componere est περιστέλλειν, cum cadaver lautum atque unctum linteis implicatur. Quod firmat Seneca *epist.* XXVI. *Non timide*, ait, *componor ad illum diem, quo remotis strophis ac fucis de me pronuntiaturus sum.* Fucum pro unguento Plautus noster in *Mostel.* accipit:

Nam isthæc veteres quæ se unguentis unctitant, interpolles,
Vetulæ, edentulæ, quæ vitia corporis fuco occultant.
Ubi sese sudor cum unguentis consociavit, &c.

Hic ergo fucus pro unguento, quo mortui madescebant. Exin pretiosa veste stragula ornabantur, Vet. Interpres *in Pers. sat.* III. qua etiam pauperes exponi solebant, qui cum nusquam splendidiore fuissent habitu, superbi ideo mortui vocabantur. Mercurius Sosiæ:

M. Faciam ego hodie te superbum ni hinc abis.
S. quomodo?
M. Auferere, non abibis.

Id est, te pugnis ad mortem adigam, Vespillones veste splendidiore indutum portabunt ad Rogum. Servos enim Vespillones portabant ad sepulturam.

Vestis sanguinei coloris erat, si Servio credimus, *lib.* III. *Æn.* sed alii candida, alii purpurea toga, pro dignitate & ordine efferebantur.

Acerra sive ara ante mortui lectulum ponebatur, in qua odores incenderentur, Festus in verb. *Acerra*, quo tempore defuncti cognatæ lugentes domi riciniis amictæ circumstabant lectum mortui, cujus funus pullis pallis sequebantur. Quod ex Varrone libro tertio *de Vita populi Rom.* viderunt quidam, nec satis adverterunt. Ille: *Ut dum supra terram essent, riciniis lugerent, funere ipso pullis pallis amictæ*: quem secutus Grannius, apud Fest. in verb. *Ricæ*, ricinium dixit muliebre cingulum capitis. Alii palliolum fœmineum breve, quod postea mafurtium, Nonius. Isidorus, *lib.* XIX. *c.* XXV. *Ricinium matronarum operimentum, quod cooperto capite & scapula a dextro latere in lævum humerum mittitur, cujus dimidia pars retro ejicitur, quod vulgo mavortem dicunt, quasi Martem.* In *Glossario Arabico-Latino*, quo Vulcanii studio fruimur, Masortis est fascialis, seu angustum pallium, quo utuntur Monachi collum pariter ac humeros tegens.

Ricinium in luctu est operimentum capitis muliebre, quod Varro repetit lib. I. *de Vita populi Rom. Mulieres in adversis rebus aut luctibus, cum omnem vestitum delicatiorem ac luxuriosum postea institutum ponunt, ricinia sumunt.* Quæ

quidem viris convenire non possunt, ut frustra quidam scripserunt, qui Leges XII. quæ de tribus riciniis, ad viros quoque obtorto collo traxerunt. Frustra etiam alii ad tres vestes retulerunt, quæ cum mortuo conderentur. Nam mortuus non ubi conderetur, sed dum super terram esset minuendi sumptus gratia, tribus solum riciniis lugebatur. Quod ita intelligo ut dum componeretur domi, non plures quam tres mulieres riciniis capite operto lugerent.

Pueros tamen Fratribus Arvalibus ministrantes riciniatos invenio in veteri Lapide, *p.* CXXI.

PUERIS. PATRIMIS. ET. MA
BVS. PVERI. RICINIATI.

Quod est capitis indumento duplici amictos pueros, cujus illi dimidiam partem retrorsum jaciebant, Varro l. IV. *de Ling. Lat.*

Funebrem nos in Jure civili mortuorum togam farcire incommodum non erit, ut nostra opera in studiosorum rem ipsa vertatur. Filiusfamilias, ait Paulus *l. 19. D. in rem. vers.* togam emit, mortuo deinde eo pater ignorans & putans suam esse, dedicavit eam in funus ejus. Neratius ait in rem patris versum videri, in actione autem de peculio, quod in rerum natura non esset, uno modo æstimari debere, si dolo malo ejus, quo cum agatur, pactum esset. Atquin si filio pater togam emere debuit, in rem patris versa est, non nunc quo funerabitur, sed quo tempore emit. Funus enim & sepultura filii, æs alienum patris est, factus est ergo debitor peculii, quamvis res non extet, ut etiam de peculio possit conveniri, in quam actionem venit, & quod in rem versum est. Quæ tamen adjectio tunc necessaria esset, cum annus post mortem filii excessit. Hujus legis majorem difficultatem magnus Cujacius sustulit paucis. Nam cum morte filii extinctum peculium est, pater tamen intra annum utilem de peculio tenetur. Sed post mortem filii perpetua est actio vel adjectio de in rem verso. Cum igitur filius emisset togam, quæ erat in peculio, si pater eam in funus dedicavit, id est, eam dedit, in qua mortuus funetaretur, versa jam est in rem patris, qui venditori tenetur actione de in rem verso, quæ competit in solidum ultra peculii quantitatem. Hoc amplius dico ego, si nullum peculium esset, pater tamen naturali quodam jure obligaretur. Imo si filiusfamilias miles sit & habeat, ut habet castrense peculium, successores quidem ejus ante tenentur, sed deinde ad patrem venitur, *l. si filiusfam. D. de relig.* Quia funeraria actio patris onus est, competitque in eum pro facultatibus & dignitate, *l. in patrem D. eod.* Qua ratione & si maritus lucretur dotem, quæ ad funus non sufficiat, tunc in superfluum in patrem actio datur, *l. Neratius D. eod.* Ad quid ergo actio de in rem verso cum funeraria competeret, quæ perpetua est, quæque omne creditum solet præcedere? De in rem verso hic nascitur actio, quod vivens filius togam emisset, quam moriens in peculio reliquerat. Rem patris inde gessisse videtur, qui in solidum directa hac actione tenetur. Funeraria autem, si successorem filius habeat, in superfluum, qua ratione de in rem verso actio præstare funerariæ judicatur.

Mortuo composito in ipsius ore stipem imponebat Charonti portorium & Naulum, quod est pretium, quod pro vectura navis solvitur ei, qui navem exercet, *l. cum servus. §. fructus. D. de leg. I.* Δανάκη, Nummi nomen est Suidæ, qui aliis δανάκης, Autor *Etym.* Δανάη Hesychio, *νομισμάτιόν τι βαρβαρικὸν δυνάμενον πλεῖν ὀβολοῦ ὀλίγῳ τινί.* Ἐλέγετο δὲ τοῖς νεκροῖς διδόμενος ὀβολός. Suida scripsit Καρκάδοντα vectigal esse Charontis ex obolis collectum, qui una cum mortuis sepelirentur. *Καρκάδοντα τοῦτο λέγεται Χάροντος δάνειον συναγόμενον ἐκ τοῦ ὀβολοῦ τοῦ συγκηδευομένου τοῖς τελευτῶσιν. οὐχ ὡς ἔνιοι πλανώμενοι βοτάνης ὄνομά φασιν εἶναι.* Novitas verbi, quod vix alibi invenitur, mihi suspicionem injicit corruptæ lectionis, nec occurrit, quod reponam, consulendus Apollo, dum scimus portorium illud Charonti dari, ut ad ulteriorem ripam navicula deduceret commeantes. *Huic squallido seni*, dicit Apulejus, VI. *Metam. dabis nauli nomine de stipibus quas feres alteram, sic tamen ut ipse sua manu de tuo ore sumat.* Et paulo post: *Ac deinde avaro nautæ data quam reservamus stipe, transitoque ejus fluvio recalcans prima vestigia, ad istum cœlestium syderum redieris chorum.* Qui duas stipes ex Apulejo in ore mortui impositas scripserunt, sibi certe multum imposuerunt. Nam cum Apulejus fingat ad superos Psyche reditum, mercedem duplicem Charonti constituit, ut posset ipsa flumen illud remetiri. Alii abunde Charonti satisfecerunt, qui ore porrigerent trientem, sine quo inopes errare credebantur, nec ad inferos transire. Unde minus recte Servius verba Virgilii accipit, lib. VI. *Æneid.* cum illi *inops inhumataque turba est*, quæ imaginariam sepulturam non haberet, inopemque sine pulveris jactu dictam putat. Inops enim turba de iis intelligitur, qui naulum persolvere non possent. His addenda essent multa, quæ Legibus XII. continentur. Ne auro dentes vincirentur, ne murrhata potio mortuo daretur, ne sumtuosa respersio fieret, ut longe coronæ aut acerræ tollantur, quæ cum a viris doctissimis diligenter sint explicata, consulto ea prætereo, & ea tantum attingam, quæ ab illis prætermissa sunt, cum locus postulabit.

CAP. XVII.

DE PRODUCTIONE CADAVERIS. CAPULARIS SENEX. COLLOCATI ET DEPOSITI PRO SEPULTIS.

Sic itaque compositus mortuus περιεσταλμένος, ore ipsius unguine odoro delibuto, pollinctus & coronatus *cœnæ parabatur*, inquit Apulejus, lib. IV. *Florid.* quem aliter compono emendoque adjecta litera, *scenæ parabatur*, ex Seneca *epist.* XCIX. *Vidi ego*, inquit, *in funere suorum verendos, in quorum ore eminebat amor, remota omni lugentium scena.* Nam πρόθεσις *expositio*, *collocatio*, illa funebris pompa omnis ad quam paratur vere scena est, in qua rebus fictis & adumbratis leviores animi capiuntur. De hoc producendi ritu ea eruditissimus Lipsius scripsit lib. I. *Elect.* cap. VI. quæ hic repetere, esset dicere quod dictum est prius. Producam solum Poetæ versus, quos ideo breviores posuit, quod de productione tantum sermonem instituisset. Multa etenim tangit Virgilius XI. *Æneid.* quæ maxime faciunt ad hunc morem, ut illa:

—— Recipitque ad limina gressum:
Corpus ubi exanimi positum Pallantis Acetes
Servabat senior.

Seniorem lecto proximum corporis custodem in ipso ædium collocat vestibulo, ex more a quo Capularis dictus est Capulo vicinus, Servius l. VI. *Æneid.* quem capuli decus Plautus vocat, in *Asinar.* qui propter ætatem longævam capulo assideret, corpusque mortui adservaret, morti proximus: Decus autem pro honesto semper accipitur. Hi proprie corporum custodes ex

Libitinariorum familia conducebantur, qui apud A primores ex sua ipsorum domo seligebantur.

Circum omnes famulumque manus Trojanaque turba
Et mœstæ Iliades crinem de more solutæ.

Domesticorum turba thorum circundabat vestitu lugubri, & si quis adveniret, exemplo cum illo luctum instaurabat. Quod in Æneæ persona servatur, qui lacrymis obortis exangue corpus allocutus est, atque

Hæc ubi deflevit tolli miserabile corpus B
Imperat.

Sic Manes adorari dicebantur, cum quis illos alloqueretur, illisque bene precaretur. Seneca *epist* LXXXVI. *In ipsa Scipionis Africani villa jacens, hæc tibi scribo adoratis Manibus ejus & Ara.*

Collocata corpora pro conditis & sepultis veteri Lapidi inscripta invenio Romæ, *pag.* CCCIX.7.

CLOELIÆ. CLAUDIANÆ.
V. V. MAX
COLLOCATA. XII. KAL. APRIL
C. AVFIDIO. ATTICO C
C. ASINIO. PRETEXTATO. COS

Quo modo Adriano apud Bajas mortuo, Antoninus reliquias ejus pervexit, atque in hortis Domitillæ collocavit, Capitolinus in *Antonin. Pio*. Collocare negat Casaubonus hic accipi pro condere aut sepelire, cum significet προτίθεσθαι. Sunt enim expositæ Adriani reliquiæ in his hortis, inquit, ut illas populus adspiceret & veneraretur, priusquam in Mausoleum inferrentur. At vero sepultus est Adrianus juxta flumen ad pontem Ælium, ubi monumentum fecerat, cum Mausoleum D plenum esset, in quo nemo amplius sepultus est, Dio in *Adriano*. Et horti Domitiæ trans Tyberim fuerunt, in quibus Adriani sepulchrum, Onuphrius in *urb. Rom.* Nec certe in horto Adriani reliquias collocasset ad Pompam Pius Imperator, quas populus adoraret, Adriano infensior, qui repugnantibus cunctis relatus est in divos. Etenim si ea mens Antonini fuisset, in templo aut celebriore aliquo loco reliquias illas deposuisset, ut de Severo Herodianus *lib.* IV. tradit, cujus cineres in urbem pervectos Senatus adoravit προσεκύνουν, & ἀπέθεντο τῷ νεῷ. Politianns vertit *ἀπέθεντο composuerunt*, improprie. Compositio enim a collo- E catione differt, & collocatio a depositione. Nec Senatus Severi reliquias composuit aut collocavit, sed deposuit in templo, quod est ἀποτίθεσθαι, non προτίθεσθαι, aut προστέλλεσθαι. Sic depositus in Inscriptionibus dicitur, qui humatus sepultus est. Romæ, *pag.* DCCCXXXII.3.

DEPOSITA. III. KAL. DECEMB.

Depositum ergo & collocatum Veteres dixerunt pro terra condito. Sicque collocatum Adrianum ἀποτιθέμενον in hortis Domitillæ facile credo, F quem ad exequias amplissimas productum nullus auctor scriptum reliquit. Putarim etiam depositum pro inhumano a Christianis usurpatum, qui de resurrectione cogitantes deponunt corpora humo, id est, custodienda dant terræ, quæ horrendo judicii die integra reddat.

CAP. XVIII.

FUNESTÆ FAMILIÆ INDICIUM CUPRESSUS. INDICTIO FUNERIS. ECLOGIUM AD PORTAM.

Cupressus a Plebejis luctibus remota potentiorum januas in luctu comitabatur funestamque domum indicabat, ne quisquam Pontifex per ignorantiam ingressus pollueretur, Servius III. *Æn.* Hæc quidem arbor lacrymis & luctibus consecrata est, ut Diti Patri, quod semel cæsa renasci nesciat, Servius VIII. *eclog.* Plinius *lib.* XVI. *cap.* XXXIII. Cupressum itaque loquentem merito dicere possemus, ut pinus loquentes Virgilii Damon: sed de illis pluribus loqui peritorum esset usque ad aures obgannire.

Funebri arbore ornata domo & producto corpore, honestiorum exequiæ per præconem indici solebant. Indictionis formula ex Varrone lib. IV. & VI. *de Ling. Lat.* & Festo, in verbo *Quiris*, vulgaris jam est, *Ollus Quiris letho datus est, ad exequias, quibus est commodum ire, jam tempus est: ollus ex ædibus ecfertur.* Quod quidem diversis temporibus, nec uno eodemque momento peractum est. Primum enim funus indicebatur, *Ollus Quiris letho datus est*. Quod non in omni funere factum, sed indictivo solum. Deinde exequiarum tempus significabatur, *Exequias cras quibus commodum*, &c. Tertio cum cadaver efferretur. Præco iterum, *exequias quibus est commodum ire, jam tempus est, ollus ex ædibus ecfertur*. Hæ fuerunt præconis in funeris conclamationes. Conclamare enim proprium præconis ubique fuit, quod est prædicere. Plautus in *Mercatore*:

Conclamitare urbe tota & prædicere.

Sic & auctiones bonorum a præcone conclamatæ, cujus vestigia idem Plautus fixit nobis in *Menæch.*

M. Scitin' quid ego vos rogo?
M. SV. Quid? M. mihi ut præconium detis.
M. SV. dabitur.
M. Ergo nunc jam
Vis conclamari auctionem fore, quo die?
M SV. die septimi.
M. Auctio fiet Menæchmi mane sane septimi.
Venibunt servi, supellex, &c.

De auctionis proclamatione hæc adjecimus, quæ mortuos fere sequi solet.

Ab incendio indictivum funus dictum, Varro lib. V. *de Ling. Lat.* In aliis funeribus vicini & amici sine indictione prodibant ad exequias, (Terentius in *Andr.*) ad quas testamento plerumque invitabantur. Si tibi, ait Valens, *l. si tibi D. de leg.* 3. libro secundo *fideicommissorum*, & ei qui ex tribus liberis meis in funus meum venerit, centum aureos legavero, non minuetur in tua persona legatum, si nemo venerit. Hac ipsa de re Mæcianus. Illa conditio si ad exequias mei venerit, nisi post mortem impleri non potest, *l. conditionum.* 91. *D. de condit. & demonst.* Quibus probatur tantam funeris sui omnibus fuisse curam, ut maxime concupisceret quisque maxima frequentia efferri. Quod etiam ad defuncti memoriam commendandam ipsi tumulo inscripserunt: *pag.* DCLXV. I.

L. CÆCILIVS. L. L. SVRVS
NATVS. MENSE. MAIO
HORA. NOCTIS. VI
DIE. MERCVRI
VIX. ANN. VI. DIES. XXXIII
MORTVVS. EST. III. KAL. IVLIAS
HORA. X
ELATVS. EST. HORA IIII
FREQVENTIA. MAXIMA

Memoria vero altior hominum animis insidebat, quæ a selectis Rhetorum, Poetarumque ingeniis sacrabatur. Hi sua carmina in magna populi corona recitabant, & portæ scripta præfigebant, ut ex M. Tullio suspicamur, lib. II. *de Finibus: Non eclogia monumentorum significant velut hoc ad portam? Uno ore, cui plurimæ consentiunt gentes, populi primarium fuisse virum*. Quod de Calatino scriptum est. Hinc perspicuum est Eclogia ad portam dum cadaver collocatum erat, & frequentes ad exequias convenirent, a poetis & rhetoribus recitari solita, aut ipsi portæ affixa, quæ a prætereuntibus legerentur, postea que in defuncti honorem vulgarentur. Unde Eclogarii dicti sunt, de quibus idem Tullius lib. XVI. *ad Attic.* ep. II. *De gloria misi tibi, custodies igitur ut soles, sed notentur Eclogarii, quos Salvius bonos auditores nactus in convivio duntaxat legat*. Optime Bosius Eclogarios intelligit, qui ex libro, qui recitabatur, κατὰ τάχος excipiebant, quæ maxime observatu digna videbantur, quæ pro suis postea venditarent. Eclogæ sunt, quæ inter legendum aliquis in suum usum delegit & decerpit, ut sunt præcipua librorum capita. Hinc poemata, quæ imitamur, aliorum industriam secuti, eclogæ proprie appellantur. Eclogia igitur sunt carmina celebrandæ memoriæ composita, quæ Octavia Augusti soror, aliosque studiorum honores ad Marcelli gloriam rejecisse fertur, intemperantia doloris, Seneca *de consol. ad Martiam*, qui nullis carminibus ab illius animo evelli potuit. Hoc genus Eclogii uni Lætorio Prisco lethale fuit, qui cum celebri carmine Germanici suprema deflevisset, (Tacitus lib. III. *Annal.*) pecunia donatus a Cæsare, ægro Druso aliud composuit, quod si extinctus foret majore præmio vulgaretur. Hoc cum per vaniloquentiam multis illustribus fœminis perlegisset, reus peractus est, ultimumque illi supplicium indictum: nec vana a scelestis, dicta a maleficiis secreta sunt. Dignum profecto Tiberii temporibus exemplum, quibus ingenii aut famæ magnitudo multis exitio fuit. At magnificum Prisci eclogium ad virtutis portam fixum manebit, immortalemque Tiberii invidiam, dum Latinis literis sincerus honor permanserit, ubique concitabit.

Eclogium quoque pro Epitaphio dictum est, quale fuit Augusti, qui cum defunctum Drusum pro concione laudasset, eclogium tumulo ejus versibus a se compositis inscribi jussit, Suetonius in *Claud.* cap. I. Existimat Julius Scaliger lib. III. *Poetic.* cap. CXXII. ἐπικήδιον corpori nondum sepultura affecto, ἐπιτάφιον ad tumulum ipsum poni: quod nos commodiore loco quæremus.

CAP XIX.

DE VARIO FUNERVM GENERE, AC PRIMUM DE VULGARI ET ORDINARIO.

FUnera aut publica fuerunt, aut privata: atque hæc vulgaria, ordinaria, Simpludiarea. Publica autem, collativa, imaginaria, Censoria. Vulgare funus pauperiorum fuit, qui per rei familiaris inopiam, sine pompa efferebantur, qui tamen lauti, uncti, conclamati, defleti sunt, omniaque iis reddita, quæ sine graviore sumptu officiose præstari potuerunt. Sandapila vesperi per Vespillones exportabantur, qui ab eo Vesperones primum dicti sunt, quos funeri præfuisse male Servius putat, lib. XI. *Æn.* Præerat enim funeri, qui funus ducebat, quod proximiorum fuit, & suo nos loco demonstramus. Sandapilæ quatuor Vespillones adhibitos, Martialis epigramma notat, *lib.* VIII. *ep.* LXXV.

Quatuor inscripti portabant vile cadaver,
Accipit infelix qualia mille rogus.

Ustrina publica fuit, ubi illorum cadavera urerentur, Horat. I. *Serm. sat.* VIII. & publico sepulchro condebantur in Exquiliis extra portam Mætiam, quæ & Exquilina dicta est, ubi pauperum cadavera ponebantur, & sontes pœnas capite luebant, qui tum in puticulis sepeliebantur. Jocus est Cæsaris in Metellum, qui cum in delectu oculorum illius excusationem non admitteret, dixissetque Cæsari. *Tu igitur nihil vides? Ego vero*, inquit, *a porta Exquilina video villam tuam*. *Valde ridentur*, ait Tullius II. *de Orat. quæ a prudentibus quasi per dissimulationem non intelligendi salse dicantur in ambiguoque luditur*, ut hic a Cæsare, qui æger oculis se a porta Exquilina Metelli villam videre jocatur, id est, puticulos punitorum sepulchra, quibus Metelli villa vicina fuit. Quod in Ciceronem ipsum dixit Piso, qui cum Cælimontana porta se introiisse dixisset, illum responsione mimica, Exquilina introisse lacessivit. Apertius & sine arte ludificatus est heram suam servus nequam apud Plautum, in *Cassin.*

CL. *Face Chaline me certioiem, quid meus vir me velit.*
CHA. *Ille Ædepol videre ardentem te extra portam Mæciam.*

Id est, suspensam laqueo & in ustrina combustam. Nam extra portam Mæciam & in damnatos animadvertebatur, & Carnifices morabantur, ut indicat alius Plauti locus, in *Pseudol.*

PS. *Jam hic ero; verum extra portam Mæciam currendu' est prius,*
CA. *Quid eo?* PH. *lanios accersam duos cum tintinnabulis.*
Eadem duo greges virgarum inde ulmearum adegero,
Ut hodie ad litationem huic suppetat satias Jovi,
In malam crucem istic tibi Juppiter lenonius.

Advocandæ in libris nostris, ut in olim luctu, nonnunquam sunt hujusmodi facetiæ, quæ risum concitare lugentibus possint, Seneca *ep.* XXIX.

In vulgari funere sumptus modicos Martialis ridet, *lib.* X. *ep.* XCVII.

Dum levis arsura struitur libitina papyro,
Dum Myrrham & Cassiam flebilis uxor emit.
Jam scrobe, jam lecto, jam Pollinctore parato,
Heredem scripsit me, Numa: convaluit.

Hæ scrobes fodi sine periculo vix possunt, cum magna vetustate obcæcati sint, nec facile uno die purgentur. Reos pœnæ in scrobibus præparatis sedere solitos, ut deformitatis casus vitarent post vulnus acceptum, *ad Suetonium* vir doctissimus annotavit. Quod multis authoritatibus probat, quibus addi potest Philonis *in Flaccum* locus, qui Caligulæ milites refert, cum Flaccum insequerentur, quem necarent, illius cadaver in scrobem traxisse, εἰς τὸν ὀρωρυγμένον βόθρον τοῦ νεκροῦ. Quod Neroni accommodari non potest,

qui ut se ab impendentibus contumeliis eriperet, scrobem coram fieri imperavit, Suetonius in *Nerone* cap. XLIX. dimensus ad corporis sui modulum, componique simul, si qua invenirentur frusta marmoris, & aquam simul ac ligna conferri curando mox cadaveri, ut morte festinata crimen extingueret, & humili sepulturæ mandaretur. Quod si fontibus tantum scrobes pararentur, quid illum sibi Nero tantus artifex ad corporis longitudinem producendum imperasset? Cur vulgari funeri parabatur? In his scrobibus rejecta cadavera paucioribus lignis cooperta facilius urebantur, cum rogos ipsi extruere non possent. Scrobs igitur est *βόθρος*, ἐν ᾧ περιφλέγεται τὰ τῶν νεκρῶν σώματα, & proprie φλογίςρα. Quod scrobis genus bustum fuit, si in eo combusti essent & humati: si enim combusti sunt solum, bustum non fuit, sed Ustrinum, Servius XI. *Æneid.* quod ut plurimum a monumentis, lege sepulchrorum, removebatur ex Veteri Lapide, *pag.* DCCLV. 4.

DIS. MANIB
ANNIVS. SOCRATES. GAMIGENIS
SVÆ. FECIT
HVIC. MONVMENTO. VSTRINVM
APPLICARI. NON. LICET

Ordinaria funera, quæ a vulgaribus secerno, iis, qui ampliores facultates habuerunt, honoratiora fuere. Nam interdiu ad tibias efferebantur illi vel ab hæredibus vel a libertis, Horatius *lib.* II. *Sat.* V. *qui atrati*, ut ait Varro, apud Non. in verb. *exquisitam*, *Libitinensi porta exequiabantur*. Apertum mortuorum caput ex eo colligo, quod Scipionem velato capite elatum Paterculus observavit, *lib.* II. cujus opera super totum orbem Roma extulerat caput. De tibiis hæc adfero, quæ in Nonium rabulam Satyricus scripsit, *lib.* I. *Serm. satyr.* VI.

—— At hic si plaustra ducenta,
Concurrantque foro tria funera, magna sonabit
Cornua, quod vincatque tubas.

Id est, tanta vocis contentione clamabit, ut & tubas & tibias funebres totamque ejulationem, si ternæ simul in foro exequiæ concurrant, suo clamore valeret superare.

Indictiva funera ad tubas & tibias ducebantur: Ordinaria ad tibias solum, & per Cornicines, qui Siticines apud sitos, hoc est, defunctos canere soliti proprium genus tubæ habuerunt, Agellius *lib.* XX. *cap.* II. Hoc genus funeris per forum etiam ducebatur, Dionys. *lib.* IV. Plautus in *Mostellaria*:

T. *Nunquid processit ad forum tibi hodie novi?*
S. *Etiam.* T. *Quid tandem?* S. *Vidi efferri mortuum.* T. *Hem?*
Novum. S. *Unum vidi efferri mortuum foras,*
Modo eum vixisse ajebant. T. *væ capiti tuo.*
S. *Quid tu otiosus res novas requiritas?*

Novum quidem hoc non erat, quod occurrebat quotidie. Præcedebat præfica, quæ lamentationes fingeret, defunctique nomen cum proximioribus passim vocaret, Propertius *l.* II. *eleg.* X.

An vero imagines etiam in ordinario funere præferrentur, magnam dubitationem habet, quam tamen faceta & urbana Crassi in Brutum e re nata digressio potest solvere. Nam cum uterque in foro vehementer contenderet, forte dum ea causa ageretur anus Junia funere elata est. *Brute*, inquit Crassus apud Ciceronem lib. II. *de Orat.* *Quid illam anum patri nuntiare vis tuo? Quid illis omnibus quorum imagines duci vides? Quibus non modo imitandis, sed ne collocandis quidem tibi ullum locum reliquisti?* Nec anum istam Juniam indictivo funere elatam credibile est, quod gentilis Brutus non sequebatur. Ut nec indictiva aut Simpludiarea fœminis funera fuerunt, quæ ludos dare non possent aut nollent.

Privatum funus a Libitinariis locatum ex Valerio Antiate apud Agel. *lib.* VII. *cap.* IX. possumus suspicari. *Deinde*, inquit, *funere loca o ad forum descendit*. Nisi locatum funus pro collocato & peracto accipiamus. Sed locatio funeris vulgatior fuit, quo impensa certior & cura heredum minor esset. Modus enim impensæ statuendus erat, ut nec gravis illa nec modica: nam modici funeris sumptus ad defuncti contumeliam pertinere jure nostro receptum est, *l.* 14. §. *plerique*. *D. de relig.* Hæc funera tacita & tumultuaria nuncupabantur: Tacita, quod minus præclara, vel, ut ait Seneca, *de Tranquill.* ca. I. minus molestiarum haberent: Tumultuaria, quod desubito ornata, ut M. Tullius loquitur, lib. IV. *Academic.* & raptim fiebant, quale Anatolii funus tumultuaria opera terræ mandatum est, Ammian. Marcell. *lib.* XXV. Quæ etiam Tralatitia ἀδιάφορα perfunctorie facta, quo modo Britannicus humatus est, Suetonius in *Neron.* cap. XXXIII.

CAP. XX.

DE SIMPLUDIAREO FUNERE ET INDICTIVO.

Simpludiarea fundra apud Festum leguntur, in verb. *Simpludiarea*, qua voce authores alii usi non sunt. Ea fuerunt, ut ait ille, *quibus adhibentur D. T. ludi Corbitoresque: quidam ea dixerunt esse, quibus neutrum genus esset ludorum. Nam indictiva sunt, quibus adhibentur non ludi modo, sed etiam desultores, quæ sunt amplissima.* Locus doctis viris merito suspectus, qui Capitales literæ minus convenire videntur, cum in antiquis codicibus scriptum sit D. R. Scaliger, D. T. ex vulgaribus notis interpretatur *duntaxat*. Credo scriptum D. M. quod est *Diis Manibus*, in quorum honorem hi ludi fieri solebant. Quod ad Corbitores attinet, illos saltatores vel Cernuatores putat Scaliger, *ad Festum in verb. coinquire*, de quibus multa adfert ex Nonio, in verb. *cernuus*. *Et Corbitores*, ait, *more scribendi imperitis librariis usitato dictos, qui B. cum V. commutarunt, Corvitores enim sine dubio vocabantur.* In vocis istius origine imperitorum tamen librariorum errorem sequar, & Corbitores cum Festo ad certum ludorum genus revocabo. Nemo nescit ludos sine funebri epulo datos non fuisse. Atque ita illud epulum fuit funebre, ut Munus esset funeris, Epulæ dignitatis. In epulo ergo ludii adhibiti sunt Corbitores, qui alii a gladiatoribus, qui eodem in epulo ad internecionem depugnabant. At Corbitores fuerunt comestores & helluones, qui epuli reliquiis, quæ in cordibus exportabantur ventrem avidius onerabant, & scurrili saltatione convivas oblectabant. Quod Plautus attigisse videtur, in *Cassin.*

Ut ipsæ, inquit, *solæ ventres distendant suos,*
Novi ego illas ambas estrices, corbitant ubi comesse possunt.

Hi igitur modo sursum, modo deorsum tanquam collus cernui, ut ait Lucilius *satyr.* XXVII. apud Non. ventrem distendebant, quod est, rejectis & inversis post tergum manibus ad circuli modum caput deorsum ad pedes usque inflectebant distento ventre. Quod hodie in Comœdiis vulgare est. Tanquam collus cernui dixit Lucilius, quod genus est tormenti e corio, Festus in verb. *collus*, quod in quamlibet partem nullo negotio complicatur. In Festo pro *collus* reponit Scali-

ger *culeus*, ſed vulgatam Lucilius tuetur, & colłus a collo in quod injiciebatur. Corbitores eoſdem puto quos alii Manducos appellarunt, Onomaſtre vet. Græc-Lat. *rog. aut. etym.* ἀδηφάγους voraces, qui ad libitum & ſatietatem comedunt, magnæ gulæ homines, qui & Manducones dicti ſunt. Quorum effigies in pompa antiquorum inter ridiculas ire ſolebat, ingentem dentibus ſtrepitum faciens, Feſtus in verb. *Manducamus*. De illa Plautus in *Rudente*:

C. Quid ſi aliquo ad ludos me pro manduco locem?
L. Quapropter? C. Quia pol clare crepito dentibus.

Atque hoc de Simpludiareis funeribus, quorum non eæ ſunt reliquiæ, quæ comeſtorem animum explere poſſint


Indictiva funera per Præconem omni populo denuntiabantur. In his non modo ludi fuerunt, ſed deſultores, ait Feſtus. Et Gladiatorium non in epulo, ſed in Amphitheatro, cum deſultoribus populo datum. Arbitratur Lipſius *ad Tacit.* funus publicum & indictivum idem eſſe, quod idem eſt ac ſi diceret publicum a privato nihil differre. Indictiva enim plurima mere privata ſunt, licet per præconem populus evocaretur καταγγέλλεται. Publica quidem funera, indictiva fuerunt omnia: ſed non omnia indictiva, publica: ut nec publica omnia, Cenſoria. Funus unicuique privato indicere licuit, & indictivo funere ex ædibus efferri præco eos dicit, qui e tabernis efferuntur, Varro lib. IV. *de Ling. Lat.* At tabernæ humiles & privatæ domus ſunt, quæ a validioribus trabibus dictæ, quibus ſuperiora ſuſpenduntur, Donatus *in Adelph.* A quibus tabernariæ ſecunda ſpecies togatarum, humilitate perſonarum & ſimilitudine argumentorum nomen ſortitæ ſunt, Diomedes *lib.* III. Et licet tabernæ appellatio declaret omne utile ad habitandum ædificium, *l.* 188. *D. de verb. ſignif.* inſtructam tabernam accipimus, quæ & rebus & hominibus ad negotiationem parata conſtat, *l.* 185. *D eodem*. Ut maxima pars eorum, qui in tabernis ſunt, negotiationem exercent, quales Argentarii, qui celeberrimi indictivo quidem funere, non tamen publico debuerunt exportari. In indictivo heredes vel qui funeri præerat, gladiatorium cum deſultoribus, non juſtos, non plenos ludos præbuerunt, qui in Cenſorio funere edebantur. Deſultores Budæus *ad l. Athletas D. de his qui not. infam.* ex Livio primus produxit. Hi, ut ait, duos equos abſque ephippius agitantes ex altero in alterum ſubinde mira pernicitate deſiliebant. Sed & deſultores in quadrigarum curriculum incurriſſe M Tullius in orat. *pro Muræna* autor eſt. *Reſpondebo*, inquit, *Poſthumio primum, qui neſcio quo pacto mihi videtur Prætorius candidatus in conſularem, quaſi deſultorius in quadrigarum curriculum incurriſſe*. Indictivum porro funus non ludos ſolum habuit, ſed imagines, coronas, cantus, lamentationes, exequiarum pompam, laudationes, quæ ſingula ſunt nobis exponenda.

CAP. XXI.

DE IMAGINIBUS ET CORONIS.

MAjorum imagines aperiendæ primum ſunt in luctu: quod feſto die, vel ob repentinam lætitiam vel ſublatum metum a nobilibus fieri conſuetum. Ut ſi accuſationem abſolutio eſſet inſecuta. *Pro L. Sulla* M. Tullius hoc docet. Nam ipſe quidem: *Si erit veſtro judicio liberatus, quæ habet ornamenta, quæ ſolatia reliquæ vitæ, quibus lætari & perfrui poſſit? Domus erit, credo exornata, aperientur majorum imagines*, quas per ſolennitates publicas non apertas modo, ſed cum ſtudio exornatas colebant. Ταύτας δὲ τὰς εἰκόνας, ἔν τε ταῖς δημοτελέσι θυσίαις ἀνοίγοντες κοσμοῦσι φιλοτίμως, Polyb. *l.* VI. De iis ornate Carolus Sigonius multa, *l.* II. *de antiq. jur. c.* XX. quæ ab illo magna ex parte Lipſius eſt mutuatus ſuppreſſo nomine, l. I. *Elect.* cap. XXIX. Quod ſciens dolo malo non fecit, bonæ enim fidei Juſtus poſſeſſor eſt, qui lege Fabia non tenetur, *l. 3. D. de leg. Fab.* Neceſſe forte non putavit Sigonii nomen proferre, quod ingenii elegantia operumque varietate ſtatim monſtratur. Scribit Sigonius eos apprime nobiles fuiſſe, qui majorum ſuorum imagines habuiſſent: homines novos, qui ſuas tantum: qui nullas, ignobiles illos. Jus enim imaginum jus nobilitatis fuit. Antiquam illam nobilitatem delectabat ampliſſimus civitatis gradus, (Cicero *pro Rabir.*) Sella Curulis, faſces, imperia, Provinciæ, Sacerdotia, Triumphi, denique imago ipſa ad poſteritatis memoriam poſita. Quæ quidem beneficio populi Rom. dabatur ei, qui magiſtratum Curulem geſſiſſet, idem *act.* V. *in Verr.* Atque in more hoc poſitum inſtitutoque majorum fuit, ut qui populi Romani voluntate imagines familiæ ſuæ eſſent conſecuti, eam primum haberent concionem qua gratiam beneficii cum ſuorum laude conjungerent, idem *Agrar.* II.

Imagines in Atrio exponebantur, vulgaris eſt locus Plinii ad hanc rem, *lib.* XXXV. *cap.* II. quem nemo intactum dimiſit. Sed quid ſint ſtemmata, quæ lineis diſcurrebant ad imagines pictas, nullus adhuc expreſſit ſatis. Stemma gentis ordinem & gradum ſignare docet Paulus, *l. ſtemmata. D. de grad. adfin. Stemmata*, inquit, *cognationum directo limite in duas lineas ſeparantur: quarum altera ſuperior eſt, altera inferior. Ex ſuperiore vero & ſecundo gradu tranſverſæ lineæ pendent*. Stemmata tamen coronæ ſunt, quæ nomina familiæ longo ordine ſuis flexuris & tranſverſis lineis vel rectis illigata habent, Seneca l. III. *de Benefic.* c. XXXVIII. Quod eſt, ſerta intexta habent intercurſantibus faſciis, in quibus nomen cujuſque imaginis deſcriptum ita legebatur, ut gradus alius ex alio naſceretur. Tablina vero codicibus implebantur, qui rerum præclare & fortiter geſtarum memoriam continerent, quæ funebri laudatione explicata diligenter his tablinis claudebatur, ut certiſſimum virtutum generis monumentum. Lipſius ſic hæc verba Plinii intelligit, ut imaginibus ſubſcriptos credat titulos ſive indices honorum brevi eclogio, qui tablinis contineri dicuntur. Sed quomodo hi tituli & Codices & tablina implerent Plinii lectionem, non video. Et certe auctoris mens, ut vultus non qualibet cera facile exprimitur. Scio Valerium *lib.* V. *cap.* VIII. imagines cum titulis ſuis in prima ædium parte poſuiſſe: ſed addidit ille, ut eorum poſteri virtutes non ſolum legerent, ſed imitarentur. Quare titulum pro codice uſurpavit qui attente a poſteris evolveretur. Quo modo in jure donationis Tituli, *l.* 2. *Cod. de donat.* Tituli dotis pro inſtrumento dicuntur, *l.* 51. *D. de pact. convent.* Nos vero per has lineas diſcurrentes a funebri more longe receſſimus, quem præclare Polybius deſcripſit *lib.* VI. Οὗτοι δὲ παραλαμβάνουσιν ἐσθῆτα, ἐὰν μὲν ὕπατος ἢ στρατηγὸς ᾖ γεγονώς, περιπορφύρους. Ἐὰν δὲ τιμητής, πορφυρᾶς. Ἐὰν δὲ καὶ τεθριαμβευκώς, ἤ τι τοιοῦτον κατειργασμένος, διαχρύσους. Αὐτοὶ μὲν οὖν ἐφ' ἁρμάτων οὗτοι πορεύονται, ῥάβδοι δὲ καὶ πελέκεις, καὶ τἆλλα τὰ ταῖς ἀρχαῖς εἰωθότα, συμπαρακεῖσθαι


AVGVSTVS
TRIBVNIC
POTEST
S.P.Q.R
LAETITIAE
COMMOD.
DECVRSIO

κεῖσθαι προηγεῖται, κατὰ τὴν ἀξίαν ἑκάστῳ τῆς γεγενημένης, κατὰ τὸν βίον, ἐν τῇ πολιτείᾳ προαγωγῆς. Reddit Casaubonus. *Hæ quidem imagines togas assumunt, si Consularis vir fuerit aut Prætorius, prætextas: si Censorius, purpureas: si triumphalis, aut simili aliquo alio honore functus, imagines quidem curru vectæ procedunt, & fasces & secures quæcumque alia insignia Magistratus comitari solent: ibi quoque præcedunt pro honore & dignitate, quem quisque in Repub. dum viveret obtinuit.* Quoties igitur vir clarus migravit e vita ἐπιφανὴς ἀνὴρ imagines in funere præferebantur, quod in ordinario funere factum ex anu Junia supra dicebamus, soli enim ignobiles imaginum honore caruerunt. Ab eo Sosiæ Jocus apud Plautum, in *Amphitr.* cum Mercurium in suam formam versum cognosceret:

Nam hic quidem, ait, *omnem imaginem meam, quæ antehac fuerat, possidet.*
Vivo fit, quod nunquam quisquam mortuo faciet mihi.

Id est, me enim mortuum imago nulla præcedet. Sed ut antiquam nobilitatem imagines probant: sic eorum qui inter damnatos aut hostes haberentur, abolitæ fuerunt aut infractæ, ut Bruti & Cassii, qui tamen in funere Juniæ Cassii ipsius uxoris præfulgebant, eo ipso quod effigies eorum non visebantur, cum viginti clarissimarum familiarum imagines anteferrentur, Tacitus *l.* III. *Annal.* Exequias Juliæ C. Marii imago viri comitata est Julio Cæsare funus ducente, Plutarchus in *Jul.* quam ad supremi illius diei celebritatem victoria Sullæ abdidisse videbatur.

Majorum imagines in carcerem trusas Tribuni furore, Vatinio M. Tullius exprobravit. Nam cum C. Antonius hujus in Consulatu collega reus factus, (ut Dio *l.* XXXVIII.) beneficio legis *De alternis conciliis rejiciendis* excluderetur, quam tulerat ipse Vatinius: Antonius Cephalleniæ exul vitam finivit, Strabo *l.* X. hac una re miseriam suam consolatus, quod imagines patris & fratris sui non in familia, sed in carcere collocatas audire maluerit quam videre, Cicero *in Vatin.*

In Julii Cæsaris honorem Triumviri edixerunt, (Dio *l.* XLVII.) ne in funeribus eorum, qui sanguine juncti fuissent, illius imago, cum in Deos relatus esset amplius gestaretur: sicut tum pro antiquissima consuetudine servabatur. Hæ vero fumosæ imagines φιλοτίμως κεκοσμημέναι digestis frondibus coronatæ, ferculis portabantur. Silius Ital. *lib.* X.

Celsis de more feretris,
Præcedens prisca exequias decorabat imago.

Coronas omnes Carolus Paschalius, sacri consistorii comes, Errici Magni ad Rhætos exlegatus libris decem exornavit, vir & in veteribus scriptis, & in Repub. ita studiose versatus, ut de aurea corona cum ipso Demosthene posset decertare. Sumptuosa aspersio & longæ coronæ Legibus XII. sublatæ sunt. Aspersionem sumptuosam ad florum & coronarum & vini atque lactis respersionem pertinere Ant. Augustinus putat, *ad l.* XII. Ursinus ad Posthumiam legem, quæ vino rogum spargi vetabat. Sed aspersio hic cum longis coronis inhibetur, quæ nihil ad rogum. Hæc enim ad unguenta rejicienda est, quibus longæ coronæ non aspergebantur solum, sed mergebantur, Pasch. *l.* II. cap. III. Unguenta cum coronis semper adfuerunt, ut ex variis authoribus colligi potest. M. Tullius *Tuscul.* V. *Aderant unguenta, coronæ, odores incendebantur.* Horatius *l.* III. *Carm.* ode XIV.

I, pete unguentum, puer, & coronas.

Plautus noster in *Asinar.*

Tum si coronas, serta, unguenta dederit.

Idem ille in *Pseudol.*

Unguenta atque odores, lemniscos, coronas dari dapsiles.

Ex quibus quid sit sumptuosa respersio, quod longæ coronæ clarum fiet, cum a Plauto Dapsiles dicantur δαψιλεῖς, quod est, abundantes & copiosæ, quo sensu dapsiles sumptus in *Mostel.* & dapsiles scripsit dotes in *Aulular.*

Frustra longas coronas ad magnum comitatum Ant. Augustinus retulit. Nec enim lex a funere arcet coronas omnino, cum mortui omnes coronarentur, sed longas dumtaxat, quod ex legis ipsius exceptione clarius explicatur. Addit enim M. Tullius *l.* II. *de Leg. Illa jam significatio est, laudis ornamenta ad mortuos pertinere: quod coronam virtute partam & ei, qui peperisset, & ejus parenti sine fraude esse lex impositam jubet.* Quæ certe ad longam coronam trahenda est, quales fuere Donaticæ & Militares, quæ non capite, sed collo in torquis modum etiam gestabantur, Cicero act. I. *in Verr.* Quanta Donaticæ fuerit amplitudo, aperit Festus in verbo *Donatis*: *Donaticæ*, inquit, *coronæ dictæ, quod his victores in ludis donabantur, quæ postea magnificentiæ causa institutæ sunt super modum aptatum capitibus quali amplitudine fiunt cum lares ornantur.* Militares coronæ, illarumque amplitudo nummis nostris magis designantur. Aliquos huic capiti intersero, qui magnitudinem coronarum demonstrant. Unus est Gellii CN. Pompeii legati, cujus corona capiti imposita non est, sed nummo signata, quæ capitis modum longe excedit: ut apparet ex Fig. I. Ut & illæ Augusti, Antonini & Commodi, in Fig. 2. 3. Est alius minus vulgaris nummus, Fig. 4. 5.

Has arescentes coronas Minutius vocat, quæ fronde languidula & caduca marcessebant, quæque aut lectulo in funere portabantur, aut sellæ curuli imponebantur, si Magistratum Curulem gessisset, qui eas esset adeptus. Nummus est Cæsaris Dictatoris, Fig 6.

Nec vero illæ tantum coronæ, sed dona alia militaria, quæ nummis aliis signata sunt, ut hastæ puræ, Clathri & vexilla exequias adornarunt. Nummus est M. Arrii Secundi, Fig. 7. Clathri signati, quod castrorum portam ab hostium irruptione tutatus esset.

In longis coronis longior forte fuit oratio, sed illæ a nobis ut spero primum explicatæ, magnoque studio conquisitæ ad Legum XII. interpretationem. Quis inde honos? nullus mihi, Præses Maxime, qui merito tuo partam coronam tibi vendicare potes quam servus ego tuus meruissem, ut Plinii verba *l.* XXI. c. III. sequar. Omnis enim mea opera, omne studium, cogitatio omnis, ad honoris & virtutis tuæ commendationem tendit: & oneris hujus magnitudinem metior ex sapientiæ tuæ fama & admiratione. Unum opto, ut qui sacris certaminibus coronati sunt, a tutela habent excusationem, sic ego laborum molestia defunctus, ab malevolorum invidentia merear tandem vacationem.

CAP. XXII.

DE CANTU ET LAMENTATIONIBUS.
NÆNIA TRIPLEX. FUNUS COMMOVERE.

MOrtuos ad sepulturam prosequi cum cantu, plurimarum gentium & regionum instituta sanxerunt: persuasione hac inducti, quod

corpore extincto animæ ad originem dulcedinis musicæ, id est, ad cœlum redire credantur, Macrobius *lib.* II. *in Somn. Scip.* cap. III. Quare plangebant flebile carmen ad tibias funus prosequentes nonnulli, Καί τινες ἑτέρων ἐκόπτοντο πενθιμόν τι ὑπαυλούντων, Xiphilinus in *Severo.* Recte quidem ἐκόπτοντο, etenim κόπτειν funebris vox, quæ significat *plangere*, quod est, cum lamentis & miserabilibus dictis pectus tundere. Ut mœrere est cum silentio dolere: flere, ubertim lacrymas demittere: plorare, cum voce flere: lugere, etiam cum habitus mutatione, Servius XI. *Æneid.* Hi vero planctus, qui in exequiis a præfica præcinuntur & a proximioribus, vel iis, qui ad hanc rem conducti essent, cantabantur ad tibias, proprie sunt ἐπικήδεια ad laudem composita. Lectum anteibant cum præfica canentes. Præfica enim ἡ πρὸ τῆς κλίνης ἐν τῇ ἐκφορᾷ κοπτομένη θρηνῳδὸς, ἐπ' ἐκφορᾷ, *Gloss. vet.* Hæ Næniæ ludi sunt appellati, quod nullus adhuc animadvertit. *Inter ludos*, ait Suetonius, in *Julio* cap. LXXXIV. *cantata sunt quædam ad miserationem & invidiam cædis ejus accommodata ex Pacuvii armorum judicio.*

Men' servasse, ut essent, qui me perderent?

Ludi sunt Næniæ nec pro funebribus ludis accipi possunt, in quibus nihil canebatur, quique justis solutis & sepulto cadavere dabantur. At ludi aut Næniæ hic decantantur in exequiis ante funebrem laudationem, quam ludi alii sequebantur. Illa enim . rius pro rostris habebatur, quam rogo mortuus imponeretur. Sic Plautus in *Pseudolo*:

Ubi circumvortor, cado: id fuit Nænia ludo.

Ludus enim est cantilena, in qua significatione ab ipsis poetis usurpatur. Virgilius *eclog.* VII. & *ibi* Servius,

Et certamen erat Corydon cum Thyrside magnum.
Posthabui tamen illorum mea seria ludo.

Ut ludere est canere. Quod non satis intellexit Porphyrio *ad Horat.* I. *Carm. od.* XXXII. ubi Lyricus scribit ad Barbyton: *Vacui sub umbra lusimus tecum*, id est, ad fides cecinimus. Et Nænia dicta est ludus ob carmen ludicrum παίγνιον, quale & in exequiis & in triumphis joculari licentia cantabatur vitiis, virtutibus permixtis. Hoc in triumpho vulgatum, Suet. in *Jul.* cap LII. quod & in funere Claudii Nænia, Seneca *de mort. Claud.* & scurræ in illo adhibiti aperte probant. Unde Næniæ ipsius inconditum carmen inter nugas Plautus computavit in *Asinar.*

Hæ sunt non nugæ, non enim mortualia.

ᾠδαὶ νεκρικαὶ, μέλαιναι ὀδύναι, quæ & θανατηραί.

Triplicem autem Næniam fuisse comperio. De prima, quæ in exequiarum comitatu, nihil repeto, quæ ἐπικήδιον καὶ θρηνῳδία. Secunda canebatur ad rogum: Tertia ad tumulum. Atque hæc ὕμνος ἐπὶ τῶν νεκρῶν in *Lexico* vetere Græco-Latino in verb. ὕμνος, ubi male scriptum *Veniæ* pro *Næniæ.* Hæc tertia ἐπιτάφιος sive ᾠδὴ ἔσχατον νηνίατον, quod extremum atque ultimum mortuo accinebatur, precationis formulam continebat, quæ in populi circumstantis corona a præfica fundebatur, dum corpus ureretur & humaretur, cui stans populus usque respondebat, dum consumpto cadavere & collectis cineribus *Ilicet* diceretur, Servius VI. *Æneid.* Quæ ita a θρηνῳδία differt, ut hymni & preces a planctu & lamentatione distinguuntur.

Prima Nænia per vias ad Tibicines ducebatur ad Rostra usque, ubi laudationes audiebantur, corpusque interim quiescebat: tum illud ad rogum efferebatur, quod erat *funus commovere*, de loco in locum corpus transmittere. Varro, (apud Non. in verb. *patritum*) *funere familiari commoto, avito ac patrio more precabamur.* Tunc enim preces concipiebantur, & Dea Nænia a præficis advocabatur, cujus sacellum extra portam Viminalem primum dedicatum, in ædiculam postea commutatum fuit. Tantus vero ad Næniam decantandam Tibicinum numerus adfuit; ut ad decem reduceretur Legibus XII. minuendi sumptus causa. Sed illis abrogatis major postea Tibicinum, Cornicinum omnisque generis æneatorum turba personabat, ut illis mortuus posset etiam ab æterno somno excitari, Seneca *de morte Claudii.*

Inter Tibicinum sonitus impedit me Varronis locus, *lib.* IV. *de vita populi Rom.* apud Nonium in verbo *Nænia*: *Ibi*, inquit, *a muliere, quæ obtutum a voce esset, per quam laudari, deinde Næniam cantari solitam ad tibias & fides.* Quid hoc verbi est? *a muliere quæ obtutum a voce esset?* Melius forte legeretur, *quæ obtusa voce esset* ἀφωνία, quam veteres Glossæ Næniam vocant, quod voce languida præfica in Næniis uteretur. Quamvis enim orbi viduæque in ipsis funeribus audirentur, canoro quodam modo proclamantes, ait Fabius, *lib.* XI. cap. III. hic etiam fusca illa vox præficæ aures verberabat, qualem Cicero in Antonio fuisse dicit, in *Bruto*, & qualem vulgo in eo esse dicimus, qui ab ingrata voce mortuorum proclamator nuncupatur. Sed in Varrone, fides cum tibiis male mihi sonare videntur. Quis enim in funere fides unquam adhibuit? Solus hic Varro contra auctorum omnium fidem, qui tibias his cantibus solum admoverunt. Quare vox illa, *Fides*, ad alteram orationis partem trahenda est, quæ periit. Nec enim Manes fidibus delectantur. Nisi quis putet & tibiis & fidibus ludere consuetas mulieres cum præfica, & cum cantus ad tibias perfecissent, ad Deos cum fidibus eadem die transiisse. Nec enim Varronis temporibus Deorum hymni dicti sunt Næniæ, sed a Christianis postea auctoribus, inter quos Arnobius *l.* VII. *Quid sibi volunt excitationes illæ, quas canitis matutini collatis ad Tibiam vocibus? Obdormiscunt superi, somni quiete solvuntur, occuparique ut hoc possint, lenes audiendæ sunt Næniæ?* Leve mendum in Arnobio, lego pro *occupari*, *aucupari*, ut *tranquillitates aucupari* Tullius dicit *lib.* VI. *ad Atticum* epist. VIII.

Sed tibias nos audiamus, quibus mortui plangebantur: nusquam enim illi ad fides aut tubas, nec viri doctissimi sententiam sequi possum, qui ad Leges XII. scribit tubas Næniæ convenire, si funus publicum esset, in quo quidem tubæ admixtæ ad dignitatem, non ad Næniam. Movetur vir acutissimus Propertii versu, *eleg. ult. lib.* IV.

Sic mœstæ cecinere tubæ.

Et Epicteti definitione, *quid est tuba? funeris deploratio.* Quæ quidem deploratio nihil ad Næniam, deploratus enim idem est ac conclamatus, & tuba vere est funeris conclamatio, cum luctus ultimi pompa procedit, quo tempore tubarum maxime strepitus excitabatur. Funebres ergo tibiæ non tubæ ad Næniam.

Tubarum unum genus est ex ære, quæ cum funeribus inservirent, (Festus in verb. *funebres*) Tubilustrium institutum, quo solemni sacrificio purgarentur. Tibicinum genera plura ab inventoribus, regionibus, a sono, materia, numero, figura, usu, ex quibus Phrygia funeribus aptior, quæ & Gingris, Scaliger *lib.* I. *Poet.* cap. XX. θρηνητικὸς αὐλὸς, quam Pratinus Phliasius Νηνιδόνα vocat, his solum usibus destinatam. Quare recte ad Tibicines mittuntur ii, qui desperata valetudine morti sunt proximi, Petronius Arbi-

ter. Tibicinæ propter lectum cum præfica incedebant: at tubæ remotiores, quæ suis clangoribus Næniæ plangorem sepelissent.

C A P. XXIII.

DE EXEQUIARUM ORDINE ET POMPA.

QUis ergo Tubicinibus in exequiis locus? Nullus quidem nisi in Indictivis & publicis, in quibus per varios ordines dispositi illi, & Cornicines funus antecedebant & sequebantur: Cujus magnificentiam per compita & fora intervallis paribus personabant. De Indictivo, Publico & Amplissimo funere loquor, ex quo detrahi facile possint, quæ ad Simpludiarea aliave non pertinent, atque ex illo funus omne vel etiam ordinarium duci. Post Tubicines progrediebantur qui munera ferebant proximiorum & amicorum, (Tibullus *lib.* II. *eleg.* IV.) odores, unguenta, epulas, vestes, Statius *lib.* V. *Sylv.* I.

—— Dona male feralia Pompæ,
Proceditque illis stipatum examine longo,
Ver Arabum Cilicumque fluit, floresque Sabæi,
Indorumque arsura leges.

Odores lancibus portabantur, Propertius *l.* II. *eleg.* X. unguenta vasculis: Silicernii epulæ, ferculis, Plinius *l.* X. cap. X. vestes fulcris. Posthæc imagines majorum curribus vehebantur aut ferculis etiam portabantur, si jus imaginum defunctus haberet. In fronte præposita thoro effigies, (Polyb. *lib.* VI. Tacit. *lib.* III. *Annal.*) quæ mortui vultum exprimeret, toga prætexta amicta, si vir esset consularis: purpurea, si Censorius: picta, si triumphalis. Interjectis tubis & cornibus scribæ, deinde & viatores Magistratibus aderant, quos Senatus Equitesque positis dignitatis insignibus comitabantur. Exin funebres lectuli lente procedebant, quorum fuit ea multitudo, ut sex millia in Sullæ funere numerentur, quos Augustus sexcentos in Marcelli exequiis putavit satis esse, Servius VI. *Æneid.* Lectulorum numerus Sullæ mihi suspectus esset, ni in aliis scriptoribus notarem coronas auri plusquam bis mille, a civitatibus, legionibus & amicis fuisse collatas, aliaque dona innumera. Appianus *de bell. civil. lib.* I. *Στέφανοί τε γὰρ διχιλίων πλείους ἀπὸ χρυσοῦ, κατὰ σπουδὴν γενόμενοι περιεφέροντο, δῶρα τῶν πολέων, καὶ τῶν ὑπ' αὐτῷ στρατευσαμένων τελῶν, καὶ καθ' ἕνα τῶν φίλων, ἄλλη τε τῶν ἐς ταφὴν πεμφθέντων, οὐ δυνατὴ φράσαι πολυτέλεια.* Κατὰ σπουδὴν, quod est *magno studio*, Interpres vertit, *magna celeritate.* Hæ coronæ lectulis ferebantur & Magistratus insignia aliave, qua pompæ amplitudinem commendarent. Subinde Tibicines & Præficæ cum plangentibus: post hos liberti, quorum quanto major frequentia, tanto exequiæ fuerunt honoratiores. Nam testator & benignitatis laudem ferebat, Dionysius *lib.* IV. & in funeris elatione magna Pileatorum turba præcellebat, in qua pessimum etiam servorum genus videretur, si totam familiam testator liberam esse jussisset, qui novis civibus urbem illam terrarum dominam funestare videbatur. Hoc genus hominum Persius *Sat.* III. vocat *induto capite hesternos Quirites*, quod a testatore pridie manumissi majorem & justam libertatem consequebantur. Lege Fusia Caninia certus tandem modus constitutus est in servis testamento manumittendis, *Instit. de leg.* quam quasi libertates impedientem, Justinianus sustulit, *l. unic. C. de leg. Fus. toll.* dummodo libertates servis testamento nominatim darentur. Idem Imperator constituit, *l. unic. §. sed & qui. C. de lat. lib. toll.* ut qui domini funus pileati antecederent vel in ipso lectulo stantes cadaver ventilare viderentur: si hoc voluntate testatoris fieret vel heredis, illico fierent cives Romani. Sic pilei impositione liberti orcini facti sunt, *l.* 20. *C. de testam. manumiss.*

Veterani juris interpretes ventilationem putarunt thure vel funibus fieri, quia, inquit Accursius, funibus portabantur, qui trahi poterant huc & illuc. Quid hesterni JCti. cum Accursio sentiant non quæro, nec enim puto illos multum Romanis legibus impediri. Ventilanda tamen lectio est, quæ a Dione paucis explicatur in funere Pertinacis. Xiphilinus in *Severo*: *Puer*, inquit, *egregia forma quasi dormiret Pertinax pavonis pennis muscas abigebat*, *Καὶ αὐτοῦ τὰς μυίας παῖς εὐπρεπὴς, ὡς δῆθεν καθεύδοντος πτεροῖς ταῶνος ἀπεσόβει.* Hinc Statio Poetæ in Hetruscæ lacrymis *lib.* III. *Sylv.*

Nec modus aut pennis.

Quod funebre officium Thetis ipsa Patrocli cadaveri reddidit, cum flabello fugabat muscas, quæ suis morsibus illius faciem deformabant. *Iliad.* II.

Τῷ μὲν ἐγὼ πειρήσω ἀλαλκεῖν ἄγρια φῦλα,
Μύας, αἵ ῥά τε φῶτας ἀρηϊφάτους κατέδουσιν.
At conabor ego importuna examina, muscas
Arcere, hæ comedunt bello quos eripit hostis.

Hæc satis, ne, ut est in proverbio, faciamus Ἐλέφαντα ἐκ μυίας. Qui plura desiderarit, ludat si lubet μυῖα χαλκῆ, & clausis quantumlibet oculis ambulet, dum prehendere plura possit.

Libertos Archimimus sequebatur, qui personam mortui fingebat & imitabatur, Sueton. in *Vespas.* c. XIX. mimorum grex sicinnam saltabat, Dionys. *l.* VII. Σίκιννις saltationis species militaris, Pollux *lib.* IV. *Ὄρχησίς τις στρατιωτικὴ σατύρων συντονος. Saltatio Satyrorum vehemens in militarem modum.* Hesychius. Aliis mimus est sermonis cujuslibet motus vel factorum & turpium cum lascivia imitatio. *Μίμησις βίου τὰ τε συγκεχωρημένα καὶ ἀσυγχώρητα περιέχων*, Diomedes *lib.* III. Sed cum Dionysius observet mimos saltasse sicinnam, Archimimum Suetonius mortui personam ementium, putarim mimos omnes,

Clausis faucibus & loquente gestu,
Nutu, crure, genu, manu, rotatu.

Ut ait Sidonius, *carm.* XXIII. populo placuisse cum aliqua obscœnitate, Cicero II. *de Orat.* *οὗτοι κατέσκωπτόν τε καὶ κατεμιμοῦντο τὰς σπουδίας κινήσεις ἐπὶ τὰ γελοιότερα μεταφέροντες*, Dionys. *l.* VII. Serios motus ludicra imitatione in risum detorquentes. Solus Archimimus facta ac dicta viri imitabatur. Lævinus Torrentius archimimi vocabulum, quem alibi, quam in Suetonio se legere non meminit, nihil a Pantomimo differre scripsit. Sed mimi omnes, qui multa effingebant ad risum, & Pantomimi dicti sunt, Quintil. *l.* VI. c. III. Seneca l. I. *Nat. Quæst.* in fine, quorum ab Archimimis differentia in antiquis Inscriptionibus notatur. In his Pantomimus prior legitur, Romæ, pag. MXXXV. 10.

C. IULTO. AUG. LIB
ACTIO. PRIORI
PANTOMIMO

Elegans alia est Marini de Archimimo, *pagin.* MLXXXXIV. 6.

L. ACILIO. L. F. POMP. EUTYCHE.
NOBILI. ARCHIMIMO. COMMUN.
MIMOR. ADLECTO. DIURNO.
PARASITO. APOLL. TRAGICO.
COMICO. PRIMO. SUI. TEMPORIS.
ET. OMNIBUS. CORPORIB. AD.
SCÆNAM. HONOR. DECURIO.
NI. BOVILLIS. QUEM. PRIMUM. O.
MNIUM. ADLECT. PATRE.
APPELLARUNT.

ADLECTI. SCÆNICORUM. EX. ÆRE. COLLATO. OB. MUNERA. ET. PIETATEM. IPSIUS. ERGA. SE. CUIUS. OB. DEDICATIONEM. SPORTULAS. DEDIT. ADLECTIS. SING. XXV. DECUR. BOVILL. SING. V. AUGUSTAI SING. III. MULIER. HONOR. ET. POPULO. SING. I.
DEDIC. III. IDUS. AUG. SOSSIO. PRISCO
ET. COLLIO APOLLINARI. COS.
CURATO
RE. Q. SOCIO AUGUSTINIANO
ORDO. ADLECTORUM. PLAUTIUS
ÆLIUS. TROPHIMI. RECEPTUS
DASUMIUS. CARUS

Et alii qui numerum sexaginta conficiunt. Archimimum eundem esse cum Pantomimorum maximo suspicor. De hoc alia etiam Inscriptio Romæ, pag. CCCXXXI. 6.

M. ULPIVS. AVG. LIB. APO-
LAVSTVS
MAXIMVS. PANTOMIMORVM
CORONATVS. ADVERSVS. HI-
STRIONES
ET. OMNES. SCÆNICOS
ARTIFICES. XII.

In priori Inscriptione Archimimus diurnus accipi posset pro diuturno, id est, assiduo, quem nos hodie ordinarium diceremus, καθημερινόν. Licet noctu frequentius minimi ludere solerent. Sic diuturni officii magistrum M. Tullius dixit *Philip* II. Quis vero sit Scenicorum adlectorum ordo, vix alibi quam hac in Inscriptione invenietur, quod interpretor gregem, comitatum scenicorum ἀκολουθίαν. Hi adlecti vocantur quod immunes verberum essent: adlectus enim immunem significat, *l.* I. *C. Theod. de decur. & silent.* De his Tacitus *l.* I. *Annal. Cum Histrionum causa tumultus & cædes in Theatrum eruperant: actum apud patres dicebanturque sententiæ, ut Prætoribus jus virgarum in Histriones esset: intercessit Haterius Agrippa Tribunus pleb. & valuit inter essio, quia D. Augustus immunes verberum Histriones quondam respondisset. De modo lucaris & adversus lasciviam fautorum, multa decernuntur, ex quibus maxime insignia: Ne domos Pantomimorum Senator introiret. Ne egredientes in publicum Equites Rom. cingerent, aut alibi quam in Theatro spectarentur.* Scio multa variis legibus in Histriones & pro illis constituta, *tit. de spectacul. scænic. & l. non. l.b.* II. quæ nihil ad funeris ordinem, in quo Archimimum cum suo grege ludentem satis sit spectasse, & in iisdem Inscriptionibus videre Archimimam sui temporis primam, quæ decies Sestertium nubere potuisset, Seneca *ad Helv* cap. XII. Romæ, pag. CCCXXX. 4.

DIS. MANIBUS

M. FABI M. F. ESQ. REGILLI. ET FABIÆ. FABIA. M. ET. Ɔ. L ARETE. ARCHIM. TEMPORIS SUI. PRIMA. DIURNA FEC SIBI. ET. SUIS.

Archimimo igitur præeunte, a filiis plerumque aut honoratis viris lectus funebris portabatur. Metellus inter felicitatis humanæ rara exempla numeratur, quod præter honores amplissimos & principale in Rep. fastigium, quatuor filiis illatus rogo, uno

A Prætore, tribus Consularibus, duobus Triumphalibus, uno Censorio, Plinius *l.* VII. c. XLVII. Paterculus *l.* II. Hoc nimirum magis est feliciter de vita migrare quam mori. Tale quidem funus Metellum decuit, qui acres innocentesque pro Repub. Africano mortuo contentiones remisit, cum suis ipse filiis imperasset, *Ite filii, celebrate exequias, nunquam civis majoris funus videbitis.* Trebius suprema die populi humeris in rogum impositus est, Plinius *lib.* XVIII. cap. III. Pauli Æmilii funebri lectulo se sponte sua, Macedonum legati subjecerunt: cum lectuli illius frons Macedonicis triumphis esset adornata, Valerius Max. *lib.* II. c. X. Aliis lectus fuit

B eburneus, Propert. *lib.* II. *eleg.* X. aliis auratus, quod Leges XII. vetuerunt. Sed velamen aureum feretro obtendebatur, D. Hieronym. *ep.* XXVIII. *ad Paulam.*

Funus ducebat funeris præses, cui hæc cura testamento delegata esset, vel illam ultro suscepisset, ut M. Antonius in Julii Cæsaris funere, in quem M. Tullius *Philip.* II. *Tu*, inquit, *funeri tyranni illius sceleratissimi præfuisti, tua illa pulchra laudatio, tua miseratio, tua cohortatio: Tu tu illas faces incendisti, & eas, quibus semiustum latus illius est, & eas, quibus incensa L. Belioni domus deflagravit.* Quod si cui funeris curam testator mandarit, funus

C eum facere oportet, sed si ille non fecit, nulla est hujus rei pœna, nisi aliquid pro hoc emolumenti ei relictum est. Tunc enim si non paruit voluntati defuncti ab hoc repelletur, *l.* 12. *§. funus. D. de relig.* Si vero ille accepta pecunia funus non duxerit, de dolo actio in eum datur, & extra ordinem a Prætore funus ducere compellitur, *l.* 14. *§. sed & si res. D. eod.* Sin autem hac de re defunctus non cavit, nec ulli delegatum id munus est, scriptos heredes ea res contingit, Plinius *lib.* II. cap. CIX. Si nemo scriptus est, legitimos vel cognatos quosque suo ordine, quo succedunt. Ille autem, qui funus ducit familiare justave mortuo facit, in jus vocari non

D potest, *l.* 2. *&* 3. *D. de in jus vocand.* Quod ad funeris Præsidem trahitur ex rescripto DD. fratrum, qui illud in eo comprobant, qui funus domesticum prosequitur, ut si cautionibus in judicio sistendi causa factis non obtemperavit, exceptione juvetur, *l.* 4. *§. illud sciendum. D. si quis caut.*

Ductor funeris prætexta pulla indutus, (Festus in verb *Prætext.*) si filius esset, operto capite patrem efferebat, filiæ crinibus passis. Plutarchus in *Causis.* Οἱ μὲν γὰρ υἱοὶ συγκεκαλυμμένοις, θυγατέρες γυμνοῖς ταῖς κεφαλαῖς. Togæ lacinia in caput filiorum rejecta, vel, ut sacrificantibus mos est, linteo obducto, quos agnati cognatique prosequeban-

E tur. Tum mulier Funera, reliquum funus faciebat cum magno feminarum comitatu, defunctique nomen vocabat canora ubique voce, Propertius *l.* II. *eleg.* X. Postremo agmine turba omnis obsoleto vestitu ambulabat, qua funus claudebatur, Apulejus *lib.* IV. *Florid.* Longo ordine tædæ undique lucebant, quæ ex scirpis fragilibus palustribusque detracto cortice luminibus & funeribus serviebant. Plinius *lib.* XVI. cap. XXXVII.

F

CAP. XXIV.

DE LAUDATIONIBUS.

Defunctos in exequiarum prosecutione deflebant in foro, laudabant pro Rostris, Tacitus *lib.* III. *Annal.* In foro tubæ deplorationem funeris personabant. Forum dico Romanum magnum per quod pompa omnis ducebatur ut vulgaris & ordinaria. Plauti senes duo, in *Mostellar.*

T. Nunquid processit ad forum tibi hodie novi?
S. Etiam. T. Quid tandem? S. vidi efferri mortuum. T. Hem.
Novum. S. Unum vidi mortuum efferri foras,
Modo eum vixisse ajebant. T. væ capiti tuo.
S. Quid tu otiosus res novas requiritas?

A foro in Rostra ascendebat, qui laudatione funebri viri virtutes enarraret. *Aliud*, inquit Seneca *epist.* CII. *laus est, aliud laudatio. Itaque nemo dicit laudem funebrem, sed laudationem, cujus officium oratione constat.* Recte tamen Servius XI. *Æneid. Laus defunctorum viventium exhortatio est.*

B Funebrium laudationum origo apud Romanos a Valerio Publicola trahitur, qui primus Bruti laudes accurata oratione prosequutus est, Livius *l.* II. Post quem deinde institutum, ut clarorum virorum in funeribus solemnis laudatio esset. Hanc postea Athenienses in eorum tantum honorem transtulerunt, qui bello cecidissent, Dionys. *l.* V. Neque enim ante Marathoniam pugnam, quæ sedecim annis a Bruti funere transacta est, mortuorum laudatio a Græcis instituta est, quam veteres poetæ prætermiserunt, qui laudes virorum fortium non produnt in funere sed certamina, ut ab Achille in Patrocli exequiis. Quid ergo M. Tullius Torquato? C *l.* II. *de Finib. Lege laudationes non eorum, qui ab Homero Iliad.* I. *laudati: lege nostrorum hominum, lege vestræ familiæ.* Optime laudes Homericas a laudatione funebri sejunxit. Illæ enim scriptæ sunt ad voluptatem & delectationem, qua motus animi leniter tractantur non ad fidem rerum faciendam. Sic Achilles virorum fortium laudes ad citharam canendo mentem suam ad tranquillitatem traducebat, *Iliad.* I.

Τῇ ὅγε θυμὸν ἔτερπεν, ἄειδε δ' ἄρα κλέα ἀνδρῶν.

D At funebres laudationes familiæ ornamenta ac monumenta servabant, (Cicero in *Bruto*) & ad usum, si quis ejusdem generis occidisset, & ad memoriam rerum domesticarum, & ad illustrandam nobilitatem. His tablina codicibus implebantur, non ἐπιγραφαῖς & subscriptionibus, sed titulis, quæ rerum gestarum memoriam multum vitiarunt. Nam ex his laudationibus Romana primum historia collecta est, mendosior plerumque illa, dum familia ad se quæque famam rerum honorumque fallente mendacio trahit, Livius *l.* VIII. Multa etenim scripta sunt in laudationibus, quæ facta non E sunt, Cicero in *Bruto*: falsi triumphi, plures consulatus, genera etiam falsa, & ad plebem transitiones cum homines humiliores in alienum ejusdem nominis infunderentur genus: unde singulorum gesta & publica monumenta rerum confusa sunt. Historiarum ergo prima fides ex iis laudationibus constat, quas claris viris, licet inter pendentes reos morerentur, populus Rom. non denegavit, ut Appio Claudio qui cum illi reo dies producere-tur, illumque clausisset, laudationemque Tribuni plebis impedirent: plebs fraudari solemni honore supremum diem tanti viri passa non est, Livius *l.* II. sed laudes tam æquis auribus mortui audivit, quam F vivi accusationem audierat, exequiasque frequens illa celebravit, Cicero *pro Muren.* Africanum quoque cum dies illi dictus a Tribunis esset, Q. Maximus laudavit supremo ejus die, & gratias egit Diis Immortalibus, quod ille vir in Rom. Republ. potissimum natus esset, necesse enim fuisse terrarum imperium ubi ille esset.

Pater filium, filius patrem, maritus uxorem, aut qui proximior vel amicus esset, mortuum laudabat ex veteri instituto: Nisi ex S. Cto. hæc cura Magistratui decerneretur. Funebres enim lauda-

A tiones frequenter ex publico aliquo officio, atque ex S. Cto. Magistratibus mandabantur, maxime si quis pro patria in bello cecidisset, Quintil. *l.* III. c. VII. Sic Valerius Brutum in consulatu collegam laudavit: sic laudationem ac funus publicum M. Inventio Lepidi legato cum statua Senatus dedit, Dio *l.* XLVI. Quod & in Municipiis postea decretum Lapis vetus memorat, *pag.* CCCCLXXVI. I.

Q. TRAIO. Q. TRAI. AREIANI FIL
QVIR. ARFIANO. ARVENSI
HVIC. ORDO. MVNICIPII. FLA-VII
ARVENSIS. OB. MERITA. LAV-DATION
IMPENSAM. FVNERIS. LOCVM. SEP
VLTVRÆ. ET. STATVAM. DECREVIT
ÆMILIA. LVCIA. MATER. ET
SERGIVS. RVFINVS. FRATER EIVS
M. V. IMPENSAM REMISERE

In funeribus aliis concio a patre habita est ad filii laudem: ut Fabius laudavit filium & laudationem vulgavit, Plutarch in *Fab.* Et Marcelli filius patris laudationem scripsit, Livius *l.* XXVII. Tiberius annos natus novem patrem defunctum pro Rostris, Sueton. in *Tiber.* c. VI. Caligula prætextatus Liviam proaviam, idem in *Calig.* c. X. Julius Cæsar Corneliam uxorem laudaverunt, idem in *Jul.* c. VI. Nero Poppæam vel certe illius formam aliaque pro virtutibus munera fortunæ, Tacitus *l.* XVI. *Annal.*

Propinquiores multi in funere perorarunt ex scripto & oratione ut plurimum ab aliis composita. P. Tuberoni Africanum avunculum laudanti scripsit C. Lælius, Cicero *l.* II. *de Orat.* Serranus domesticus pater filium, Ciceronis scripto celebravit, idem III. *ad Q. Fratr.* epist. VIII. Hic multas alias laudationes composuit, ut Porciæ, M. Varronis, Ollii, quas cum correxisset, relegisset, regustasset, vix sibi crederet legisse, idem *ad Attic.* XIII. ep. XLVII. Quod mihi sæpe his in scriptis accidit, quæ cum diligenter recenseo, multa effugiunt in ipsa maxime editione, quæ vix puro me scripsisse unquam aut relegisse. Felicem te, M. Tulli, qui Tironem & Atticum tuorum librorum censores habuisti, cæteros mortales omnes tui eorumque laudatores. Felicem Tacitum, cujus libros Plinius Junior legebat, adnotabat, ea commutando & eximendo, quæ arbitraretur. Æmulos ætas nostra multos habet, amicos paucos, invidos plures, qui omnia inanis arrogantiæ causa sibi assumunt, & ne parum multa scire videantur, ea damnant, quæ penitus ignorant. Nec tamen temporum ea injuria est, ut amici desint, sed hic labor illis propter negotiorum turbam vix testamento ipso mandari posset. Nos vero ne vivis displiceamus mortuorum laudes prosequamur & rideamus Regulum, qui adhibito ingenti auditorio librum de vita filii pueri, quem laudare ob ætatem non poterat, recitavit: eundemque librum in exemplaria transcriptum per totam Italiam Provinciasque demisit: quin & scripsit publice ut a Decurionibus eligeretur vocalissimus quisque, qui legeret in populo, ut factum est, Plinius *l.* IV. *Epist.* Crevit hæc laudandi cupido, & ab Augusto duplices laudationes inceperunt, qui sororem Octaviam in Sacrario Julio publice exposuit, & funebrem unam habuit, Drusus alteram pro Rostris, Dio *lib.* LIV. Drusus postea bifariam etiam laudatus, a Tiberio in foro: ab Augusto in Flaminio Circo, idem *l.* LV. Et Augustus ipse pro

æde D. Julii a Tiberio, pro Rostris sub veteribus, a Druso Tiberii filio, Sueton. in *Aug.* cap. c. Dio *l.* LVI. Pius Antoninus a M. Antonino & L. Vero utroque pro Rostris perorante, Capitolinus in *M. Antonin.*

Matronarum ut virorum post mortem solemnis laudatio fuit ex SCto. quod aurum contulissent, ex quo summa mercedis pacto Senonibus Gallis solveretur, Livius *l.* V. Causam aliam refert Plutarch. in *Camillo*, cui Livium jure antepono. Ex Propertio *l.* IV. *eleg. ult.* collegit Scaliger, ornamentis Consularibus efferri matronas, quarum filii magistratus curules gessissent: illarum laudes ut virorum ad cantus & tibiam orator prosequebatur, Cicer. II. *de Leg.*

Cap. XXV.

DE CREMATIONE CADAVERIS, ET SILICERNIO.

UBI vero laudator dixerat, Libitinensi porta cadaver efferebatur ad rogum, uti cremaretur. *Apparatus, mortuorum funus est: extructio lignorum, rogus: subjectio ignis, pyra: crematio cadaveris, bustum: locus, ustrina: operis extructio, sepulchrum: nomen inscriptum, monumentum*, secundum Servii sententiam, III. *Æneid.* a qua ipse aliquantum recessit, *Pyra enim*, inquit XI. *Æneid. est extructio lignorum: rogus, cum jam ardere cœperit: bustum, cum jam exustum est.* Rogus certe nihil differt a Pyra: est enim rogus πῦρ & πυρὰ rogus, qui in formam flammæ tendebat, quæ latior surgens in acutum desinit. Nummus est apud me Constantis Imp. Constantini Magni F. qui expressam habet formam rogi, cui insidet Phœnix, atque huic,

Clarum inter pennas insigne est desuper, Iris,
Pingere ceu nubem desuper alta solet.



Lactantius in *Phœnic.* Qui vulgares nummos me protulisse nugantur, rarum huncce negare non poterunt. Hi si in aliqua librorum meorum perlectione, non in perlustrandis solum numismatis infantium more animum occupassent, vidissent forte, non nummorum me libros edendos curasse, sed ab illis veteribus ea patere, quæ ad instituti mei faciant probationem rationemque: quam integram in plerisque animis hominum, non facile est intueri. Quæ enim ineptiæ sunt eæ, si in armario inclusos quis habeat nummos nostris similes, nobis non liceat ad antiquitatis cognitionem eorum formam depingere? Hæc misera jam est studiorum conditio, ut si uni erudito placeas, alios centum imperitos offenderis, & quocumque te vertas, in reprehensiones incidas eorum, qui de litteris temere fabulantur. Negant illi Latinum esse, quod scripsi in ipsa primi libri *de Jure Pontif.* pagina, Romanam urbem me ad sui admirationem traduxisse, meque ultro per omnia fora conciliabulaque quidam imperitus, cum Græculo insulso traduxit. Verum dum caute & expedite loqui volunt, infantissimi reperiuntur, M. Tullio teste & vindice, in cujus *Oratore* perfecto hæc aliquando notavi. *Plenam tamen orationem eam vult esse gravitatis, ut eos, qui audiunt ad majorem admirationem possit traducere.* Idem ille, IV. *de Finib. Atque, inquam, Cato, si istud obtinueris, traducas me totum ad te licebit.* Improbant alii, quod rectos dixerim ad ingenium bonum, qui injuste dicere in alios compescunt. Ignarus ergo non Plautus meus, sed Lydus pædagogus, & quem ego sapere nimio censui plus quam Thalem, idem stultior est barbaro Potitio? Ille enim in *Bacchid.*

Nam absque te esset, ego illum haberem rectum ad ingenium bonum.

Eadem Scena:

Cave malum & compesce in illum injuste dicere.

Profecto si doctores illi in sella apud Magistrum Lydum assiderent, non vapularent modo, sed

Fieret corium tam maculosum quam est nutricis pallium.

Quod si verba quædam alia in scriptis meis rejicienda sunt, ut sunt, in eone positas putant fortunas Galliarum? Jocabor ut Demosthenes olim, & fatebor eos, qui in sublimi & acuto scribendi genere versantur, plerumque alte cadere. Multa in libris meis regusto, quæ vix mihi credo aut scripsisse aut recensuisse. Ignoscent ii, qui editionis labores pertulerunt: ridebunt alii, qui suo sibi judicio vendicant imperium literarum, a quo longe peregrinantur. Egone, qui tot annos in auctorum nobilium lectione consumpsi, Latine nesciam? Caveant invidi, ne plus sciam, quam illis prosit, alternisque vicibus ita illorum nomen traducam, cui peperci, ut dum sermonis mei elegantiam expugnant, illius aculeos experiantur & reformident. Pergamus porro & spretis literarum vespillonibus, qui semidocti, & semiusti otiosos comburunt dies, quam mox incendamus rogum. Ille arbore picea plurimum virescebat, (Plin. *l.* XVI. c. X) dolatique ligni concremata congeries ad altitudinis immensitatem erigebatur, quæ variis odoribus, unguentis, epulis, vasis, vestibus & donis undique onusta, cum mortui corpore cito conflagrabat, Virgil. VI. *Æneid.*

Legibus XII. cautum est, *Rogum ascia ne polito*, quod ad hæc lignorum ornamenta pertinet, est enim ascia instrumentum, quo rudis materia omnis lævigatur & ornatur. Utrum *l.* VII. c. II. Pallad. *l.* I. c. XIV. Quid autem sit sub ascia dedicare, nos alias dicemus, sed prætermittendum non est rogos etiam pictos fuisse, ut colorum varietate speciosiores essent, & cineribus ipsis imago quædam insaniæ inureretur, Plin. *l.* XXXV. c. VII.

In rogum mortuo illato conscendebant proximiores, ultimumque illi ungendi & osculandi officium conferebant, Valer. Max. *l.* IV. c. VI. Murrhata potio in os illius indebatur, ut ex Legibus XII. liquet, quæ illam vetant. Hæc quidem potio, ut vir doctissimus observavit, tanquam cœna ad cœlum viatica fuit. Nam murrhata potio Diis ad pulvinaria addebatur, (Festus in verb. *murrhata*) cum illorum festis delubrum ornaretur. Quod adolescentulæ in Aphrodisiis indicant, apud Plautum in *Pœnul.*

Arabicus murrhinusque omnis color complebat: haud sordere visus est
Festus dies.

A Quare non improbo eorum conjecturam, qui apud Plinium *l.* XII. cap. XV. legunt, *Non dant ex myrrha potiones Deo*: in vulgatis est, *portiones*, utrumque recte. Murrhata autem potio lautissimum apud priscos vinum fuit, myrrhæ odore conditum. Murrhina enim non inter vina modo, sed inter dulcia nominatur, Plinius *l.* XIV. cap. XIII. Sed non uniusmodi murrhata potio fuit. Nam quædam est odore acerrima, omniumque deterrima, (Dioscorid. *l.* I. cap. LXXVIII.) quale illud vinum, quod Christo morienti datum est, *οἶνον ἐσμυρνισμένον*, *Marc.* XV. *Murrhatum vinum* recte Interpres vertit. Indita vero hac potione, oculi mortui

B a proximioribus aperiebantur, cumque descendissent, liberti dona, vestes Attalicas injectas disponebant, (Propertius *l.* III. *eleg.* XVII.) epulas ferebant, & aversas facibus flammas rogo proximiores subjiciebant, ut quo citius corpus ureretur, anima in suam ipsa naturam rediret, Servius III. *Æneid.* Ventos propterea precabantur, ut faventes flammam properarent. Quod Propertius non omisit, *l.* IV. *eleg.* VII.

Cur ventos non ipse rogis ingrate petisti?
Cur nardo flammæ non oluere meæ?

C Hunc morem vetustissimum discimus ex Homero *Iliad.* Ψ.

—— Δῖος Ἀχιλλεύς,
Στὰς ἀπάνευθε πυρῆς, δοιοῖς ἠρᾶτ' Ἀνέμοισι,
Βορέῃ καὶ Ζεφύρῳ, καὶ ὑπίσχετο ἱερὰ καλὰ,
Ἐλθέμεν ὄφρα τάχιστα πυρὶ φλεγεθοίατο νεκρὸν,
Ὕλη τ' ἐσσεύοντο καήμεναι.

—— *Divus Achilles,*
Stat procul a busto, ventosque precatur amicos,
Et Boream, Zephyrumque, sacros queis vovit honores,
D *Ut properent nudum flammis mandare cadaver,*
Lignumque accendant.

Hinc *numero cremati* dicebantur qui cito. Virgilius XI. *Æneid.*

Nec numero nec honore cremant.

De turba pauperiore. Nec enim ad numerum hic versus referendus est, quo pauperiores illis plures simul urebantur, sed ad ignis celeritatem. Plautus noster in *Pœnul.*

E *O Apelles, o Zeuxis pictor, cur numero estis mortui?*

Id est, cur tam cito? Festus in verb. *numero*. Ut *numero dicere* est nimis properanter aliquid dicere: *numero purgare se*, accusationi occurrere, Plautus in *Mercat.* Ergo nec numero nec honore combusti dicuntur, qui confuso lignorum acervo, lento dabantur igni multis corporibus simul congestis, Macrobius *l.* VII. cap. VII. Horum quod non cito aut non toti urerentur, lacerum & tumultuarium funus dicebatur. Sic rogo tumultuario semiustus

F Caligula, (Sueton. in *ejus Vita*, cap. LVI. Cicero *pro Milone*) & Clodius in foro insepultam sepulturam habuisse putantur.

Cum corpus arderet, vino rogum aspergebant, ut flammæ validiores essent, unde dictum *respersum vinum*, Festus in verb. *respersum*. Quod Numa legibus suis interdixerat propter vini inopiam, Plin. *l.* XIV. c. XII. Pix & resina addebatur, qua etiam pauperiores uti solebant. Elegans Inscriptio, licet suspecta, a doctis vulgata est:

D. M

P. ATTILIO. RVFO. ET. ACTILIÆ. BERO
NICÆ. VXOR. VIXER. AN. XXIIII. SED
PVB. MENS. X. ANTE. NATVS. EST ET. EA
DEM. HORA. FVNGOR. ESV. AMBO MOR
TVI. SVNT. ILLE. ACV. ISTA. LANI FICIO
VITAM. AGEBANT. NEC. EX. EORVM BO
NIS. PLVS. INVENTVM. EST. QVAM QVOD
SVFFICERET. AD. EMENDAM. PYRAM ET
PICEM. QVIBVS. CORPORA. CREMA REN
TVR. ET. PRÆFICA. CONDVCTA. ET. VR NA. EMPTA

Hanc inter spurias Gruterus ponit, pag. XIV. 8. quæ tamen vetustatis imaginem aliquam habet. Cæterum hominem priusquam dente genito, non cremari mos gentium fuit, Plin. *l.* VII. c. XVI. ut nec laudari, Plin. *l.* IV. *Epist.* Cremationem veteris instituti Plinius non putat, *l.* VII. c. LVII. contrarium & Numæ leges & XII. Tabulæ probant. Frustra enim rogo vinum infundere prohiberet Numa: frustra Decemviri mortuum in urbe sepelire vel urere. In aliis Plinium sequar, qui dentes hominis cum reliquo corpore non cremari experientia docet, *l.* VII. c. XVI. An vero iis, qui cardiaco morbo obierunt vel veneno sublati sunt, cor non uratur, non ita certum, idem *l.* XI. c. XXXVII. Vitellius quidem reum Pisonem veneficii coarguit, hac usus ratione quam Piso facile confutavit. De cardiacis viderint Medici: hoc enim usu magis quam certis argumentis comprobatur.

In Campo Martio nobiliorum rogus erat, qui Censorio funere efferrentur. Aliorum propter sepulchrum, dummodo intra duo millia passuum ab urbe pyra strueretur ex edicto, quod factum est Appio Claudio & C. Norbano Coss. Dio *l.* XLVIII.

Cæna funebris huic loco adjicienda est, quam duorum generum fuisse comperio. Una enim in rogo Dis Manibus parabatur: altera domi proximioribus & amicis. Hoc proprie epulum funebre: illud Silicernium dictum, vel alio nomine Exequium, Festus in verb. *Silicernium.* Ἑκάτης τὸ δεῖπνον, περίδειπνον. In cujus verbi origine alii operam luserunt, & Glossæ veteres minus probatæ, Silicernium dictum putant, quod *in luctu fas non esset lucernas accendere*, λύχνους γὰρ ἅπτειν ἐν πένθει, οὐ θέμις. Quid enim lucernis opus fuit in Silicernio, quod flammis rogi lucescebat? Ad hoc vulgaris coquus conducebatur, ex Plauto in *Pseudol.*

Coquum non potui quam hunc quem duco, ducere,
Multiloquum, gloriosum, insulsum, inutilem,
Quin ob eam rem orcus recipere hunc ad se voluit,
Ut esset hic, qui mortuis cœnam coquat,
Nam hic solus illis coquere quod placeat potest.

Ab hoc loco alium lubenter in Plauto restituerem, qui tamen ut vulgatus est retineri potest, in *Aulular.*

Coquus ille nundinalis est, in nonum diem solet ire coctum.

Mallem *Coquus ille novendialis est*, qui mortuis cœnam parare, quæ placeat, potest. Sed cœna hæc octavo die, non nono coquebatur: verum illud quidem: Sed cum a sacro novendiali coquus

denominetur, in nonum diem rejicitur, & præpositioni *in*, pro spatio temporis ponitur, & significat ab octavo usque ad nonum, vel a fine octavi, ad noni principium. Sic dicimus mane in noctem, Diomedes *l.* I. Nam sub noctem epulæ cremabantur octavo die, qui ad nonum proferebatur, dum totas illas ignis absumeret.

Funeris ductor epulas illas primum degustabat, ut Virgilius in persona Æneæ tangit, *libavitque dapes*, *l.* V. *Æneid.* Quod Servius interpretatur, *Leviter gustavit epulas superpositas, quæ Silicernium vocantur*. Illæ deinde cremabantur, in ea rogi parte, quæ Culina (Festus in verb. *Culina*) dicebatur πύρκαα, Εὔστρα. De hoc cœnæ genere Tertullian. *l. de resurrect. carn.* c. I. *At ego magis ridebo vulgus, cum ipsos defunctos atrocissime exurit, quos postmodum gulosissime nutrit, iisdem ignibus & promerens & offendens. O pietatem de crudelitate ludentem! sacrificat an insultat, cum crematis cremat?*

Viliori paupertate infames Plauto nostro, in *Pseudol.* Bustirapi e bustis & flamma cibum petebant, quod a Terentio in *Eunuch.* dictum non satis intellexisse Donatus videtur, cui lucem addo ex Catulli hoc igne.

Vidistis ipsum carpere de rogo cœnam,
Cum devolutum ex igne prosequens panem,
Ab semiraso tunderetur ustore.

Notatur in milviis rapacissimam & famelicam alitem nihil illam esculenti rapere unquam ex funerum ferculis, Plin. *l.* X. c. X. Aves aliæ, quæ his cibis inhiant, Ambustaneæ vocatæ sunt & Ferales.

CAP. XXVI.

DE LUSTRATIONE ROGI, ET GLADIATORIO AD ROGUM.

Rogi lustratio antequam faces subjicerentur fieri solita est, a maxima quaque multitudine, quæ circumibat & ambiebat rogum. Hoc scripsit Dio, cui lustrare (Quintil. *Decl.* CCCXXIX.) est περιέρχεσθαι, *l* LVI. Cadaver Augusti rogo impositum primum Pontifices omnes, deinde Equites, tum milites circumierunt, postea Centuriones ignem admoverunt. Hæc tamen lustratio facta videtur accenso rogo, ut in funere Pallantis Virgilius tradit, XI. *Æneid.*

Ter circum accensos cincti fulgentibus armis,
Decurrere rogos, ter mœstum funeris ignem
Lustravere in equis, ululatusque ore dedere.

Nos de Decursione posterius dicemus, cum de funere Regio & militari. Sed lapsum in hoc ritu Dionem his versibus arguit poeta, ex quibus lustrare non tantum circumire dixerim: sed etiam purgare, aptissimo verbo huic rei. Nam ludicri hujus certaminis celebratio lustrum vocatur, Servius III. *Æneid.* Quod circuitioni recte convenit, quæ omnis imparem numerum exigebat, idem VI. *Æneid.* Atque hanc lustrationem cum sulphure & tædis accensis & circumlatis factam, quibus Manes maxime placarentur, suspicor ex Juvenali, *Satyr.* II.

Umbra venit? cuperent lustrari, si qua darentur
Sulphura cum tædis.

Post lustrationem Gladiatores ante rogum dimicabant, qui a Busto Bustuarii sunt appellati, Servius X. *Æneid.* Gladiatorium hoc cum ludis funebribus commiscendum non est. Nam ludi varii sunt & multiplices in funere: ac Gladiatorium munus ad pugnam tantum referri potest. *Prodigi sunt homines*, ait Tullius *l.* II. *Offic. qui epulis & viscerationibus & gladiatorum muneribus, ludorum venationumque apparatu, pecunias profundunt, in eas res quarum memoriam, aut brevem, aut nullum relicturi sunt omnino.* Hic epulas a visceratione: Gladiatorium a ludis & venatione separata videmus, quod apertius Livius docet *l.* XXVIII. *Huic gladiatorum spectaculo ludi additi pro copia & provinciali & castrensi apparatu.*

Tribus vero locis significabatur maxime populi Rom. judicium aut voluntas, (Cicero *pro Sextio*) concione, comitiis, ludorum gladiatorumque consessu. De gladiatoribus ita copiose ornateque Lipsius dixit, ut plurimarum palmarum vetus ac nobilis scriptor jure habeatur. Dicam post illum duplex gladiatorium in funere amplissimo datum: unum ad rogum, alterum in foro aut publico loco. Utrumque a privatis in defunctorum memoriam, aut ex illorum testamento, aut heredis arbitrio & liberalitate. Qui enim magistratum ambibant sub titulo parentum, solebant munus edere, ut populi favorem aucuparentur, Asconius *in Orat. de tog. candid.* Lege Tullia quam de Ambitu Cicero tulit, his largitionibus provisum est, dilucide enim vetuit. *Biennio quo quis petat petiturusve sit Gladiatores dare nisi ex testamento præstituta die*, Cicero *in Vatin.* Ad rogum paria aliquod gladiatorum depugnaverunt, ut rogus ipse sanguine perfunderetur. Atque hoc genus muneris nulla lege interdictum est. Quare sic Damonis apud Virgilium *eclog.* VIII. verba intelligo:

Princeps acrii specula de montis, in undas,
Deferar: extremum hoc morientis munus habebo.

Ut sit, muneris ego gladiatorii loco, mea mihi morte parentabo. Lex ergo Tullia ad eas editiones refertur, quæ publice in foro dabantur elapsis funerum diebus. Nam ut quisque auram popularem captabat, parentum nomine dabat Gladiatores, idque biennio solum, quo quis petat petiturusve erat: cum hac tamen exceptione, nisi ex testamento præstituta die: Tum enim familiam licuit comparare & gladiatores emere, ut populi satisfieret expectationi, Cicero *pro Sulla*.

De Gladiatoribus testamento datis cæterisque ludorum generibus suo loco dicemus. (*Hæc usque ad finem hujus capitis penitus omissa sunt in Editione Lipsiensi, Anno* MDCLXXI.) Ludam interea ineptos homines qui gladios in lingua reconditos habent, vel quibus, ut ait Poeta, *Mavors ventosa in lingua*, qui in librariorum officinis umbratiles excitant pugnas, absentemque quemlibet scriptorem maligne adoriuntur. Renunciatum mihi est nuper, homunculum quendam tabernas omnes circumire, sciolorumque fæcem adversus me concitare: hominem, loquacem, nugigerulam, toga simplici ut stragula involutum, cui nulli alii sermones quam quos famelicus venter de Repub. aut religione crearit. Non potuit pictor, inquam, rectius ejus formam describere. Atque hercle ipsum adeo contueor, si alienis auribus impium aliquid insusurrantem finxissent ex argilla & luto fictum Epicurum. Ridiculum caput, ni homuncionis turpitudine & infamia impedirer, illum hodie pro commerita noxia concastigarem. Putabat homo stultissimus cum *de Pontificio Jure* scriberem, me Pontifici Max. insidias paraturum, quem colo veneror que, & ut Christi Vicarium agnosco, universalis Ecclesiæ Pastorem Primarium, extra quam nulla est salus. Hoc demum illius cerebrum concutit, quod florescentibus fabis gravius concitatur. Di boni Salaputium ineptum! mihi plerumque imperitiam fassus est ille singularem, cum diceret prima se rudimenta literarum, sub DD. Innocentium Curionibus deposuisse: atque hinc ad altioris scientiæ incunabula evolasse. Non ego hominem magis asinum sprevi, quam

quam hunc circulatorem: audacissimum quidem illum, & quod inter omnes constat, nisi inter eos qui ipsi quoque insaniunt, insanissimum. Jamne istius causa in procacitatis, & petulantiæ arenam descendam? Hoc meum fatum est, ut nemo virtutis & studiorum bonorum hostis sit, qui mihi quoque post librorum editionem insidias non pararit, quas aperte & palam irritas & degeneres contempsi. Paginas aliquot librorum meorum tanquam Gladiatorum libellos percurrunt, ita instituti ut plagam accipere malint quam vitare. Habeant. Odiosus sum qui hisce rumoribus tam frequenter offendor, imo in infimi generis conditione & homunculi fortuna lacera ludo & quiesco. Valeat ille, &, si libuerit, cum suis plaudat. Inpræsenti hæc interserere non alienum fuit, ut hujus infantiæ disciplinam contemneremus. *Τῶν ἢ ἠλιθίων ἄπειρα γενέθλα· ὥς' εἴ τις χαίρει ψέγων ἐμπλυσθείη αὖ ἐκείνους μεμφόμενος*, Plato in *Protag.* Stultorum vero gens infinita, quos & si quis eos vituperare rogat, brevi defatigatur. Monebat aliquando me Franc. Pithœus, cum de istorum insolentia quererer, molossis canibus & armillatis blandiri sapientes solere: hi etenim irritati cruento dente lacessere quemlibet possunt vel incautum laniare. De his vel pictis etiam quadrata olim litera, in pariete scriptum, CAVE. CAVE. CANEM. Petron. *Sat.* Sed si lædant ultro, in arenam descendendum & ferro disceptandum, mutuis enim vulneribus augetur honos literarum. At spernendos dicebat Catulos, qui latrare quidem possunt vel ringere, non mordere. Verissimum id quidem est, sed istuc hominum genus, (Plaut. in *Curcul.*)

Ut muscæ, culices, pedesque pulicesque,
Odio & malo & molestiæ sunt.

Atque ingratiis non abigendum solum, sed perdendum. (*Hic explicit caput in Editione Parisiensi. Sequentia vero Editio Lipsiensis supra cit. reposuit loco superiorum.*) Fatum Galliæ non possum interea quin hic lugeam, cujus exequias præcedere Gladiatores Bustuarii videntur. Illius olim liberatores conservatoresque: nunc vero plerique plusquam sicarii, plusquam homicidæ, plus etiam quam parricidæ. Vidit nostra hæc ætas certamina quorundam nobilium, singularia plurima, qui ementito fortitudinis nomine, magnitudinem animi in arte gladiatoria collocarunt, horum eo prorupit scelus & audacia, ut cum magna cura ultum ire injurias festinant, eam solam nobilitatem putent, quam civium sanguine, rumore vulgi, turpiter fœdarunt. Nec advertunt gladiatores omnes a lanistis comparari ex servorum delectu, ac libertorum, qui venalem sanguinem habuissent. Pellegant historias veteres, nullum in iis clarum invenient virum, qui cum cive uspiam ferro decertarit. Nam qui civem occidisset, e vivorum numero exturbandum illum omnes boni ubique censuerunt: ut qui servasset, ea corona donandum, quæ præmium esset maximum veræ virtutis. Multum valet apud nos ut apud fortissimos quosque Gallorum nobilium memoria, etiam mortuorum, quos Roma solos hostes indomitos florente Rep. pertimuit: quorum sanguine his certaminibus prodito orbis totius, Imperium parari potuisset. Sed viri ad virtutem nati & gloriam Majorum honoribus celebrati, quasi desertores illorum & transfugæ flagitiose & turpiter cadere maluerunt. O homines omnium gentium maxime barbaros! O perditos & ad servitutem paratos! Servi enim, qui dominos offendissent, aut ab iis aliquando fugissent, ad gladium Romanis legibus deputabantur: nostrorum vero Principum constitutionibus certamen permissum ad pœnam & infamiam, si capitis rei conjecturis solum premerentur. Tum enim ut veritas criminis eliceretur, accusator cum reo ferro decernebat, ut qui cecidisset, criminis, aut calumniæ pœnam luisse crederetur. Sed ut optime Carolus Molinæus notat, *Ad styl. Parlament. c. de duello*, rebus turbidis necdum satis pacatis arma his in causis permissa sunt, ut in locis quibusdam lupanaria, quo graviora, quæ impendent, mala vitentur. Vox magnifica, & magno viro, & sapiente digna me hic admonet piis illius Manibus bene precari, qui vitæ ignoratione a multis læsi tandem conquiescunt. Hic quidem novis opinionibus captus veram & Romanam fidem moriens recepit, in eaque defecit, atque in hujus urbis D. Andreæ sacra area sepultus jacet. Ab illius pace, pacem optans ad gladium redeo, quo utinam sceleratam audaciam erroremque multitudinis penitus exscindere possem & profligare. Quæ enim isthæc animi perturbatio est, honorem in arena, aut in lupanari quærere? Ultio quidem meretricis blanditias imitatur: etenim & ultioni sua voluptas est, qua improbi mores deliniti, a virtute facile deflectunt, cujus nubem amplectuntur, furore proprio corrupti. Nam fortitudinem faciunt sapientiæ inimicam, quæ vix videntur posse sejungi. Sejungant tamen, & fortitudo dimicare jubeat, justum odium incendat, ad confligendum impellat, vocet ad periculum, ut illatam ulciscantur injuriam. Ecquis istam fortitudinem quamvis elegans sit & erudita, audiet unquam & sapientiæ præcepta rejiciet, quæ docet vitam, corpus fortunasque pro patriæ tantum salute profundere, ut si regiæ Majestati subservire possimus, omnia tanquam pignora injuriæ pro illius pietate projiciamus? Quæ vero malum dementia est, alterius aspectu, verbo, risu, gestu, omni denique corporis motu injuriæ aut offensionis ansam arripere, ut carnificis obeant munus? Sunt in acie vulnera suscipienda, & mortis nobilitate quærenda, quæ inter cives perpetuo fugienda, ut quæ notam inurant infamiæ sempiternam. Quam facile incurrunt ii, qui fœdi & maculosi libidine & jurisjurandi execrationibus supplicium novo pœnæ genere a seipsis sumunt. His ego Majorum virtutem & famam cum amore patriæ lubens merito exopto.

CAP. XXVII.

DE RELIQUIARUM COLLECTIONE.

Explicat amplissime hunc ossium legendorum ritum Tibullus poeta, *lib.* III. *eleg.* II. docetque Funeræ hoc fuisse officium, ut reliquias legeret, cum flamma quievisset. Seneca *ad Helvid.* c. II. *In eundem sinum, ex quo tres nepotes emiseras, ossa trium nepotum recepisti.* Tibullus *lib.* I. *eleg.* III.

—— *Non hic mihi mater,*
Quæ legat in mœstos ossa perusta sinus.

Ossa tamen matris & fratrum defunctorum Caligula sua manu legisse fertur, & Romam allata Augusti sepulchro condidisse, Dio *lib.* LV. quod cum foris factum sit, nihil in urbe consuetis moribus videtur derogare. Consentiunt omnes nono die ossa lecta, cum octavo corpus crematur. Turbat tamen me Servius, in *lib.* XI. *Æn.* cum tradit tertio die crematorum ossa legi: Sed illud ad vulgaria funera pertinere Virgilius docet. Ille enim *Æneid.* XI.

Nec numero nec honore cremant.

Tum subdit:

Tertia lux gelidam cœlo dimoverat umbram,
Mœrentes altum cinerem & confusa ruebant
Ossa focis.

Altum cinerem interpretor copiosum & multorum cadaveribus aggestum, quem in funeribus honoratis Funera discincta, (Suetonius in *August.* cap. c.) pedibus nudis, nigra veste, crinibus passis, lacrymisque ora rigantibus colligebat. Deinde Manes illa præfabatur, quod est, paucis alloquebatur. Deinde animam ter vocato defuncti nomine, cum iis, qui cum illa huic ritui inserviebant.

Hæc præfatio adorationem habuit: credebant enim post cremationem & sepulturam, ut diximus, animam in suam rediisse naturam, quod inter manes Deos venerabantur, & pater filium, filius patrem divum putabat & vocabat, Servius v. *Æneid.* Sic *præfari Divos* ex more vetusto solebant, quod est, nomen alicujus Dei invocare, cum orationem inchoarent, ut in Catonis & Gracchi orationibus notatur, Servius XI. *Æneid.*

Præfatæ ante meos Manes animamque rogatæ.

Immutarunt quidam, qui reponunt, *animamque precatæ*. Pessime: nam præfatio brevem precationem continet, postquam ad alia digredimur. Sic Virgilius XI. *Æneid.*

Præfatus Divos solio Rex infit ab alto,
Ante equidem summa de re statuisse Latini,
Et vellem & fuerat melius.

Unde M. Tullius. *Si quis ex veteri aliqua oratione Jovem ego Opt. Max.* &c. Scaliger qui priorum emendationem merito respuit, aliam substituit repugnantibus libris,

Præfatæ ante meos Manes animamque.

Hæc conjungit & adhibita distinctione legit, *rigatæ perfusæque manus*. Minus recte. Quid enim est præfari Manes animamque in hoc funebri ritu, in quo Manes solum invocantur, anima ipsa sepulchro condi credebatur. Virgilius *Animamque sepulchro condidimus*. At Manes Dii in superis agebant omni contagione corporis soluti. Deinde quid rigatæ perfusæque manus? Perfundere est rore levi spargere, ut in sacris inferorum fiebat: at rigare est abunde abluere ἀρδεύειν adaquare contra horum rationem sacrorum. Quare verissima est lectio vetus, *animamque rogatæ*. Rogare enim hoc loco est ἐρωτᾷν. Nam cum præfati essent Manes, animam quasi ad vitam revocabant, ut ex Propertio confirmatur, *lib.* II. *eleg.* X.

Sed frustra mutos revocabis Cynthia Manes
Nam mea quid poterunt ossa minuta loqui?

Ubi Manes pro anima positi, ut apud Virgilium corpus pro anima, II. *Æneid.*

Sic o sic positum affati, discedite, corpus.

Affari corpus non præfari, quod est animam rogare. Clarius Epiphanius, in *Ancoratu*. Οὐ γὰρ θάπτομεν τὰς ψυχὰς ἐν τοῖς μνημείοις, ἀλλὰ τὰ σώματα, Καὶ εἶτα γὰρ ἐπέθη τὰ σώματα τῷ τελευτησάντων, παραγίνονται καὶ προσφωνοῦσι τοῖς τεθαμμένοις νεκροῖς ἐξ ὀνόματος, Ἀνάστα, φάσκοντες ὁ δεῖνα, φάγε, καὶ πίθι, καὶ εὐφράνθητι. *Non enim sepelimus animas in monumentis, sed corpora, quæ ubi posita sunt, accedunt & inclamant nomina proferentes mortuorum, dicentesque: resurge tu, comede, bibe, & lætare*. Quod pluribus verbis Romani faciebant, ut cum defunctis quasi viverent colloquendo.

Puris manibus cum legissent ossa, illaque cum favilla lavissent vino & lacte, ter vale dicto, reliquias ter osculabantur, ut in Anna Didonis Ovidius observat, III. *Fastor.*

Terque vale dixit, cineres ter ad ora relatos,
Pressit, & est illis visa subesse soror.

Tum sinu cineres fovebant, ex Tibullo, *lib.* I. *eleg.* III.

Quæ legat in mœstos ossa perusta sinus.


Idem *lib.* III. *eleg.* II.

Posthæc Carbaseis humorem tollere velis.

Mavult Scaliger *Carbaseis ventis*, ut ossa collecta in linteo ventilarentur. Non agnosco Carbaseos ventos, nec aliam hoc in ritu ventorum vim, quam ut cito ossa cremarentur. Placent magis vela Carbasea quod est delicata: Nam Carbasus genus est lini miræ tenuitatis, Plinius *lib.* XIX. *c.* I. quo complicato & leviter attacto, humor cinerum extergebatur, qui cum ossibus gleba ter injecta condebantur. Atque ut Poeta loquitur, XI. *Æn.*

Tepidoque onerabant aggere terræ,

cum calentes adhuc nondum refriguissent. Sed prius urna cum odoribus & lacrymis, quæ vitreo vasculo ut plurimum injectæ essent, ossa cum cineribus claudebantur. Habeo lacrymarum phialam vitream, cujus figura oblongior patulo ore & incurvo ad lacrymas excipiendas, hoc modo est.



Unde intelligi potest quid sit in antiquis Lapidibus lacrymas ponere. Romæ, *pag.* DXVII. 3.

ULPIAI. SCITAI. PILUMENAI
CONIUGI. B. M. P
ÆLIUS. MACER. ANTESIG
NANOR. TRIB
LACRIMAS. POSUIT

Cum lacrymis ponere, *pag.* DLXXXVII. I.

DIIS. MANIBUS
ET. GENIO
C. FLAVII. HERMETIS
AUG. LIB
AB. EPISTULIS. GRÆCIS

IULIA. ANTISTIA. MATER
INFELICISSIMA. FILIO
DE. SE. B. M. CUM. LACR
P.
VIX. AN. XVIII. M. V. D. XIII

Lacrymis & Opobalsamo condere, *pag* DCXCII. 10.

C. LÆLIO. C. F. IV.
MAGNA. OMNIUM. EXPECTA-
TIONE. GENITO. ET. DECIMO.
OCTAVO. ÆTATIS. ANNO.
AB. IMMANI. ATROPO. E. VITA.
RECISO
FUSCA. MATER.
AD. LUCTUM. ET. GEMITUM. RELIC-
TA. EUM. LACRIMIS. ET. OPOBAL-
SAMO. UDUM
HOC. SEPULCRO. CONDIDIT

Tumulum lacrymis plenum dare, *pag.* DCC. 13.

T. PLAUTIO. T. F. MUNICI
PIO. ATTACEN. OPTIME. ME
RITO. ET. XXXVIIIX. ÆT. AN
E. VITA. SUBLATO. TOTO. POP
CUM. MAGNA. LACRI. FUNUS
PROSEQ

QUINTIA. PAULINA. MATER
ANN. LXXXIII. AD. FLET. AD
GEMITUM. RELIC. TUMUL
LACRIM. PLEN. E. MARM
HUM. D. DEDIT

His ita compositis post injectam glebam & tumuli solemnia peracta, Vale æternum dicebatur. Virgilius, II. *Æneid.*

Sic o sic positum affati, discedite, corpus.

Hoc est, secundum Servium, adfamini me ut dici postremum mortuis solet *Vale. Vale, Vale: Nos te ordine qui natura jusserit cuncti sequemur*, Servius III. *Æn.* Quod Poeta ipse dixit:

Magna supremum voce ciemus.

Sacerdos exin circumstantes lustrabat, quod est, rore levi aspergebat, qui aspersi ignem supergrediebantur, quod genus purgationis Suffitio vocatur, Festus in verb. *Aqua*. Postremo idem Sacerdos novissimum dicebat verbum ILICET. Quod per translationem in summa rerum desperatione usurpatum est, Donatus *in Andr.* Terentianus Parmeno, cum adolescentem Chæream potiundæ virginis consilio juvare cuperet, illiusque formam descripsisset adolescens, exclamat Servus nequam, *Ipsa est, ilicet, jam conclamatum est*, in *Eunucho*. Quasi diceret illam ipsam concepi mente quam perdite amas, optime novi, noli diutius te amore intempestivo cruciare: transacta res est, impossibile est quod optas, desine velle quod non possis. Nos vero ab his jocis ad virginum acerba funera transeamus.

CAP. XXVIII.

DE ACERBO FUNERE, DIEI RAPTU, ET VERGINUM CHORAGIO.

RItus pompæque funebris in iis, qui fato concidissent, non una atque eadem ratio fuit. Nam qui acerbo funere pueri edentuli abiissent, illos nec cremari nec laudari fas fuisse hactenus notabamus,

—— Vel terra clauditur infans,
Et minor igne rogi.

Juvenalis *sat.* XV. Laudari quidem aut pompa efferri ante pubertatem instituto majorum non licuit, qui acerba funera oculis subtrahebant, neque laudationibus aut pompa detinebant, Tacitus XIII. *Annal.* At crematio ex more gentium instituta est, post genitum dentem. Atque etiam huic teneræ ætati Romæ, inferiæ datæ, quas in Græcia nullas solvebant, Plutarchus in *consolat. ad uxor.* Reguli insaniam Plinius exagitat, lib. IV. *Epist.* qui ita filium impuberem lugebat, ut cum puer manulos multos & vinctos & solutos habuisset, canes majores, luscinias, psitacos, merulas, omnes pater circa rogum trucidarit ad ostentationem doloris. Sed laudatione nulla, nulla pompa usus est, licet Regulus laudationem postea scripserit & publicarit.

Pueros ad faces & cereos efferri ex multis Senecæ locis multi ante nos monuerunt. Unum adferam, ex quo illud perspici possit. *Isti*, inquit *epist.* CXXII. *mihi defunctorum loco sunt: quantulum*

A *enim a funere absunt, & quidem acerbo, qui adfaces & cereos vivunt?* Vir doctissimus aliter intelligendum Senecam putat, quem in vulgarem sententiam torqueri scripsit. Hujus quidem authoritate multum moveor, sed ni rationem aliam afferat, a communi non dimoveor.

Acerbum funus est præcocum, immaturum, quod a pomis translatum est. Varro in *Agathon*, apud Non. *Virgo de convivio abdicatur ideo quod majores nostri virginis acerbæ aures venereis vocabulis imbui noluerunt.* Omne autem acerbum funus est, & quod parens sequitur, (Seneca *ad Martiam* cap. XVII.) & quod immaturum fatis prope-
B rantibus advenit. Inter maxima fortunæ vulnera hujusmodi orbitates numerantur, Cicero V. *Tuscul.* At Deus in distributione fati bonis viris acerba illa funera sæpe adscripsit, quæ frustra ad crimen fortunæ solent hæc relegare. Ducuntur ex plebeja domo, ducuntur ex regia, nec enim ordo idem fati est, qui dignitatis aut ætatis. Licet ordo quidam in morte inter pueros & infantes constitutus sit. Nam infantium sepulchra, *Suggrundia* antiqui dicebant, si necdum quadraginta dies adimplessent. Nec enim jam Busta dici poterant, quia ossa, quæ comburerentur, non erant, nec tanta cadaveris immanitas, qua locus tumesceret,
C Fulgentius *de prisc. serm.* Unde Rutilius Geminus. *Melius Suggrundarium quæres, quam sepulchrum.* Suggrunda ἐκθέτην, *Gloss. vet.* In Jure nostro suggrundia sunt partes tecti prominentiores, *l.* 242. *D. de verb. signif.* γεῖσα καὶ ὑπογεῖσα *Si puer parvus occidit*, ait Tullius I. *Tuscul. æquo animo ferendum putant: si vero in cunis, ne querendum quidem.* Sed crevit luctus insania, nam si quadragesimum infans excessisset diem, tumulus cum titulo ponebatur, ut in mole Adriani legitur, *pag.* DCCX. 10.

D
POST. TITVLO
QVOQVOVERS. P. III
DIS. MANIBVS
SACRVM
L. VALERIO. INFANTI
RAPTVS. QVI. EST. SVBITO
QVO. FATO. NON. SCITVR
NATVS. NOCTIS. H. VI.
VIXIT. DIEBVS. LXXI
ABIT. NOCTIS. AB. H. VI
QVISQVIS. EVM. LÆSIT
SIC. CVM. SVIS. VALEAT
IN. FRONTE. DVO. P. TER
E ET. IN. LATERA. DVO. P. TER

Lapis Romæ, *pag.* DCLXXXVIII. 2.

QVAM. DI. AMAVE
RVNT. HÆC. MORI
TVR. INFANS. ANNO
RVM. III. MENS. SEX
D. XIIII. ISIATI. FILIÆ
B. N. M. ANTINOVS
ET. PANTHIA. PAR

F Item Romæ, *pag.* MXXXVI. 3.

D. M. S

POTENTII. INFANTIS
DVLCISS. AC. PER. HOC
ALVMNI. CARIS. QVI
PROPTER. IMMATVR. MORTEM.
ALIVM. FR
MERITOR. SVOR. RE
PORTARE. NON. POTVIT

Ubi de peregre mortuis actum a nobis est, filiosfamil. non mortuos, sed raptos dici notabamus: quod Inscriptio de L. Valerio infante confirmat, & ab Homero didicimus Heraclides Ponticus, quod Diei & Orionis amorem finxerit, qualis ne hominibus quidem honestus est. Homerus *Odyss.*

Ὡς μὲν ὅτ' Ὠρίων' ἕλετο ῥοδοδάκτυλος ἠώς.

Auroræ digitis roseis est raptus Orion.

Ut significaret ipsum adhuc juvenem florente corpore ante maturam ætatem, a fatis ereptum. Mos enim erat antiquis defunctorum corpora illorum, neque noctu neque circa meridiem efferri, sed primo diluculo, oriente sole, necdum ignitos radios emittente, *itaque generoso copiam, & formoso juvene mortuo matutinam funeris illius elationem,* DIEI RAPTUM *appellabant, tanquam non expirasset, sed amoris desiderio raptus esset.* Ἐπειδὰν ἂν εὐγενὴς νεανίας ἅμα, καὶ κάλλει προέχων τελευτήσῃ, τὴν ὄρθριον ἐκκομιδὴν ἐπεφήμιζον ΗΜΕΡΑΣ ΑΡΠΑΓΗΝ. ὡς οὐκ ἀποθανόντος, ἀλλὰ δι' ἐρωτικὴν ἐπιθυμίαν ἀνηρπασμένον. Quod idem Eustathius tradit *Odyss.* ε. Δοκεῖ δὲ καὶ πρὸ ὥρας ἁρπαγῆναι τοῦ βίου κατ' ἐκεῖνον. φασὶ γὰρ ὅτι τοὺς τοιούτους ἅμα ἡμέρᾳ ἐξώσιον προσήκοντες ὡς μὴ ἀνεκτὸν ὂν ἡλίῳ θεωρῆσαι τοιοῦτον κακόν. Διὸ καὶ ἐλέγετο ἁρπάζειν αὐτοὺς ἡ ἡμέρα. *Videtur autem & illius ante diem vita erepta; dicunt enim quod Juvenes hujusmodi, simul atque dies illuxit, tumulo consecrabant ii, ad quos ea res pertinet, quasi intolerandum esset Solem hujusmodi malum intueri. Quare dicunt illos Diem rapuisse.*

In virginibus immaturis efferendis alius quoque ritus fuit, quarum exequiæ *Choragium* dictæ, Fulgentius *de prisc. serm.* Quo verbo solum Apulejum usum invenio. Ille enim ubi de magica disciplina, lib. II. *Metamorph. Et cantatrices aviculæ in ipso momento Choragii funeris, præpeti celeritate, alienum sepulturam antevortunt.* Idem de Psychæ nuptiis, lib. IV. *Met. Jam feralium nuptiarum miserrimæ virgini Choragium struitur, & sonus Tibiæ Zigiæ mutatur in quærulum Lydæ modum.* Turnebus lib. VI. *Adversf.* cap. X. Choragium a Κόρη, quæ puella est, alibi quam apud Fulgentium se legere non meminit. Vulgatum quidem verbum est cum aspiratione scriptum in Plauto, in *Captivis*:

Hoc pene iniquum est comico choragio,
Curare desubito nos agere tragœdiam.

Choragium instrumentum est scenicum: & Choragus, qui præbendum illud locavit. Quare sonus tibiæ Zigiæ apud Apulejum nescio quid comicum canere videtur. ζυγὰ tibia est comica, qua chorus in paria duo distributus utebatur, ab hac divisione nominata. An in virginum funere hoc instrumento usi sint compertum satis non habeo. Mallem Choragium dictum a choro, qui proprie est coævorum cantus, Servius I. *Georg.* Nam in his funeribus virginum chorus sequebatur, ut etiam nunc observari videmus. Nec tamen respuo, imo probo, si quis in Apulejo aspirationem deleat cum Turnebo, & a Κόρη Coragium deducat. Nam κοραγεῖν est *ἀπάγειν τὴν κόρην*, Hesych. *adultam virginem abducere*, & κορικὸν est τὸ παρθενικόν. Pollux *lib.* II.

Naturæ imperio gemimus cum funus adultæ
Virginis occurrit.

Ait Satyricus Juvenalis *sat.* XV. εἰ κόρη βεβίωκε. Triste certe planeque acerbum funus, cum quod in vestes, margaritas, gemmas parentes fuerant erogaturi: hoc in thura & unguenta & odores impenderetur, Plinius *lib.* V. *Epist.* Nullum tamen, si verum fateamur, acerbum funus est, & cum vitæ fabula recte transacta est usque ad plaudite, ut dicebat ille, vixisse, gloriamur. Quid ergo vinculis illis alligamur, quæ amorem vitæ connectunt? Longa ætas, si æternitatem cogites, momentum est, & mortalis omnis,

Qualis solstitialis herba, paulisper fuit,
Repente exortus est, repentino occidit.

Plautus in *Pseudolo*. Acerbumque eorum tantum funus est, qui dum aliquod fragile falsæ gloriæ choragium comparare student, vanis conatibus obruti, diem illum non cogitant inevitabilem & horrendum, quo boni ac mali ratio a Deo acerbo Judice expendetur, qui æternum rogum mortalibus animis perpetuoque morituris dudum præparavit, qui ad sempiternum supplicium nasci creduntur.

JACOBI GUTHERII

JC. NOBILIS ET PATRICII ROMANI,

DE JURE MANIUM,

SEU

DE RITU, MORE ET LEGIBUS PRISCI FUNERIS,

LIBER SECUNDUS.

AD AMPLISSIMUM ATQUE ILLUSTRISSIMUM

NICOLAUM VERDUNUM,

EQUITEM, SACRI CONSISTORII COMITEM, IN SUPREMA PARISIORUM CURIA PRÆSIDEM MAXIMUM.

CAP. I.

DE PUBLICO ET HONORARIO FUNERE.



UI nobis exoptantibus fructus otii datus eſt, ad veteres literas recolendas & celebrandas (Præſes Maxime) totum illum in ætatis noſtræ flexu, ad priſci Funeris ritum revocamus. Cedunt civiles leges, in quibus quotidie exercemur, naturæ legi primæ & maximæ, quæ quidquid juſſerit feceritve, ratum illud neceſſitas habet, quæque errores hominum aut ſpes vanas debilitat plurimum aut frangit. Non ſcripta quidem ſed nata hæc lex eſt, quæ unum & maximum judicem habet Deum immortalem, cujus arbitrio hominum fata volvuntur, qui inani cogitatione ſepulti, ad ſummum illud tribunal nec opinantes ſæpe rapiuntur. Nos non hominum funera ſolum, quæ quotidie accidunt, ſiccis animis intuemur: verum urbium vaſtationes, terræ motus, terram ipſam mortalem ſcimus ceteraque, quæ longa ætas conſtituit momento diſſolvi. Cum tamen tot occidentium rerum imagines occurrunt, ſolus homo, licet ſecus quam decuit, vixerit, nec movetur uſquam nec terretur. Sed cum mors obrepit ſub ipſo vitæ nomine latere cupit: atque vix ullus eſt, qui ultimum tempus ſpectet ætatis, cum incertum ſit illum ad veſperam eſſe victurum. Vulgaria Funera, quæ explicata jam ſunt, prætermittamus: Publica & Cenſoria ſuccedunt, innumera illa quidem & eorum maxime virorum, quorum virtus immortalis in memoria omnium tanquam in luce poſita rediviva lætatur. Qualis eſt Bruti, Publicolæ, Metelli, Rufi Virginii, eorumque qui optimorum civium judicio & exiſtimatione probatiſſimi ornatiſſimique prædicantur. Alios enim, quorum nullæ in animis hominum virtutum effigies manent, ætas poſtera ita inſequitur, ut eorum imagines pro inanibus ſepulchris

A ab omnibus ſpernantur. Quare improborum funus vulgare eſt ſemper & lacerum: ut bonorum Cenſorium, & omnibus vitæ innocentis honoribus cumulatum. Publicum igitur illuſtrium virorum funus illud proſequamur, cui ornamenta addemus ea ſolum, quæ Populi aut Senatus judicio comparantur.

Funus publicum omne illud eſſe dico, quod publica authoritate aut impenſa factum ab ordine ampliſſimo celebratur. Quod aut Collativum eſt, Honorarium, Cenſorium, Imperatorium, Regium, Triumphale aut Imaginarium. Collativum ad honorem pertinet, aut neceſſitatem cum honore
B conjunctam. Hoc populi ſtudio aut Senatus juſſu factum eſt. Populus Rom. Menenio Agrippæ ſextantes æris contulit in funus, honoris id fuit neceſſitatiſque propter Agrippæ paupertatem, Livius *lib.* II. Plinius *lib.* XXXIII. *cap.* X. Ratitos ille quadrantes in funus Valerii Publicolæ contulit, Plutarchus in *Publicola*, cujus ingens gloria copiis adeo exiguis fuit, ut funeri ſumptus deeſſet, niſi de publico efferretur. Livius *lib.* II. Florum honorem idem populus Suario Scipioni habuit, Plinius *lib.* XXI. *cap.* III. cui cum non eſſet in bonis funeris impenſa, aſſes dedit, funus elocavit, quaque præferebatur flores e proſpectu omnis ſpar-
C ſit, & jam tunc coronæ honos fuerunt ſepulchrorum & Manium. In Q. Fabio grati populi ſpecimen enituit, Valer. Max. *lib.* V. *cap.* II. certatim enim æs contulit, quo major & ſpecioſior ejus funeris pompa duceretur.

At Senatus juſſu locabatur funus a Quæſtore, Prætore, Conſule. Quæſtores, eos impenſa publica extulerunt, quibus ad honorem ſepulturæ nullæ facultates eſſent, ut Syphacem & Perſeum captivos Reges: Sed celebrior ea impenſa fuit, quæ ad honorem ſepulturæ ſolum facta atque iis concedi ſolita, qui Magiſtratus aut Legati pro
D patria ſanguinem profudiſſent: aut externi in legatione Romæ mortem obiiſſent. Quod tamen propter Legatorum multitudinem, qui undique adveniebant, abrogatum tandem eſt, Plutarchus in *Cauſis*, in cæteris ſumma cura obſervatum. M. Cornutus Prætor funus Hirtii & Panſæ Coſs. juſſu Senatus locavit, cui libitinarii ſeſtertio num-

A mo exequiarum apparatum tribuerunt charitate patriæ hac in re conducti, cujus ea vis est, ut sordidos homines quæstuique addictos ad honestatem liberalitatemque perpulerit. Hisce Consulibus antea mandata S. Cto. Servii Sulpitii funeris cura: cujus S. Cti. formam M. Tullius *Philipp.* IX. protulit, honore ipso funeris ampliorem. *Senatui placuit Servio Sulpitio statuam pedestrem æneam statui, circumque eam statuam locum gladiatoribus ludisque, liberos posterosque ejus quoquoversus pedes quinque habere, quod is ob Rempub. mortem obierit, eamque causam in basi inscribi. Utique C. Pansa A. Hirtius Coss. alter ambove si eis videbitur,* B *Quæstoribus urbis imperent, ut eam basim statuamque faciendam & in rostris statuendam locent, quantique locaverint, tantam pecuniam redemptori solvendam attribuendamque curent. Cumque antea Senatus auctoritatem in virorum fortium funeribus ostenderit, Placere, eum quam amplissime supremo die suo efferri: & cum Servius Sulpitius Q. F. ita de Repub. meritus sit, ut his ornamentis decorari debeat: Senatum censere atque e Repub. existimare, Ædiles Curuleis Edictum, quod de funeribus habeant, Servii Sulpitii Q. Funeri mittere, utique locum sepulchro in Campo Esquilino C. Pansa Consul, seu quo alio in loco videtur pedes triginta quoquo* C *versus designet, quo Servius Sulpitius inferatur. Quod sepulchrum ipsius liberorum posterorumve ejus sit, uti quod optimo jure sepulchrum publice datum est.* Aliud S. Ctum. in eorum honorem est qui ad Mutinam extremum spiritum in victoria effuderunt. Idem *Philipp.* XIV. *Ut C. Pansa, A. Hirtius Coss. Imperatores alter ambove aut si abierint Prætor Urbanus monumentum quam amplissimum locandum faciendumve, Urbem ad eam rem pecuniam dare, contribuere, solvere jubeant.*

In antiquis Inscriptionibus multa occurrunt, quæ in Municipiis funus publicum, impensam funeris atque hujus remissionem continent. Ex qui- D bus liquet, non omne funus publicum impensa publica celebratum: & impensam ipsam ad honorem magis quam ob rei familiaris angustias decerni solere. Lapis Bagnoli, *pag.* CCCVI. 2.

L. POSTUMIO
P. FIL. FAB
FUSCINO

Q. PUBL. PONTIFICI
ORDO. PRIMUS
FUNUS. PUBLIC. ET
E STATUAM. EQUESTREM
AURATAM. DECREVIT
P. POSTUMIUS
CURATOR. REIPUBL
AUG. ANT. AUR. DATUS
AB. AUGG. SEVERO. ET. ANTO-
NINO
PATER. TITULO. USUS

Alius Beneventi, *pag.* CCCLXXXVI. 5.

C. CATIO. C. F. MEN. BALBO
† OPE. TREIICIÆ. C. F. PULLÆ
F HOS. DECURIONES. FUNERE
PUBLICO. DE FORO. † E. TRIB.
DIALI
EFFERENDOS. ET. HIC. HUMAN-
DOS. CENS

De impensa funeris Inscriptiones aliæ permultæ. In Hispania, *pag.* CCCCLVIII. 5.

L. PORCIUS. L. F. GALERIA. STILO
OBULCONENSIS. ANN. LXV
ÆDILIS. II. VIR. DESIGNATUS.
P. I. S
H. S. E. S. T. T. L
HUIC. ORDO. PONTIFICIENSIS.
OBULCONENSIS
LOCUM. SEPULTURÆ. IMPENSAM.
FUNERIS
LAUDATIONEM. STATUAM. EQUE
STREM
DECREVER

Sic legit apud Plinium *lib.* III. *cap.* I. Sigismundus Gelenius, ubi male scriptum, *In mediterraneo Obulco, quod Botificense appellatur.* Fere enim barbaris Oppidorum in illo tractu nominibus Latina cognomina adjunguntur. Obulcum Hirtio, lib. I. *de bel. Hispan.* Ulla dicitur, Oppidum in edito monte positum & ipsa munitione urbis ab oppugnatione tutissimum. Quod Pontificense appellatum suspicor, a Julio Cæsare tum Pontifice Max. Cujus in S. Ctis dignitas ea continetur, quæ & Augusto tribuitur. Cicero *Philipp.* V. *Senatui placere C. Cæsarem C. F. Pontificem*, &c. *Item Senatui placere militibus Veteranis, qui Cæsaris Pontificis authoritatemque hujus ordinis defenderent.* Ullam civitatem omni tempore de Populo Rom. meritam Cæsar cum in Hispaniam venisset, prope captam a Cn. Pompeji F. obsidione liberavit, (Hirtius lib. I. *de bell. Hispan.*) quo facinore primum nobilitatus, a Pontificis dignitate huic oppido Pontificum sic forte cognomen Latinum adjunxit. Cum Pontificensis ordo se obtulerit, non potui Pontificum dignitatem his conjecturis non augere. Ex hujusmodi decretis honore heredes vel proximiores contenti, impensam fere semper remiserunt. Lapis in agro Cordubensi, *pag.* CCCCLXVI. 9.

SEMPRONIÆ. VARILLÆ
HVIC. MELLARIENSES
LOCVM. SEPULTVRÆ
FVNERIS. IMPENSAM
STATVAM. LAVDATIONEM
DECREVERE
SEMPRONIA. VARILLA. F
HONORE. ACCEPTO
IMPENSA. REMISSA
PIISSVMÆ. MATRI
POSVIT

Eodem in agro, *pag.* CCCXXI. 10.

C. SEMPRONIO. SPERATO. FLAMINI
DIVORVM
AVGG. PROVINCIÆ. BAETICÆ
IMP. NERVA. TRAIANO. CÆS.
AVG. GERM. III.
VICERIO. ALARIANO. ET. L. MAR-
CIO. POSTVMO
COSS. HIC. PROVINCIÆ. BAETI-
CÆ. CONSENSV
FLAMINIC. MVNVS. EST. CONSE-
QVVT. PERACTO
HONORE. FLAMIN. ET. FECIALI.
OMNIVM CON
CIL. ET. CONSENSVS. STATVAM.
DECREVIT. HVIC
ORDO. MELLARIENSIS. DECRE-
VERVNT. SEPVLT
IMPENS. FVNERIS. LAVD. STA-
TVAS. EQVESTRES
DVAS
VENVSTA. VXOR. HONOR. AC-
CEPT. IMP. RE
MISA

Huic vivo statuam, Provinciæ ordines decreverunt: Mellarienses mortuo, impensam funeris & laudationem.

Non prætermittam Edictum de funeribus, quod ex M. Tullio Ædiles Curules habuerunt. Non dicit Tullius Ædiles edictum proposuisse, sed habuisse. Proponebant quidem illi, quod observaturi essent in jure dicendo: atque hoc edictum Ædilium honorarii juris portio, *Instit. §. Prætorem de jur. nat. gen. civil.* & lex annua fuit, Cicero *act.* VI. *in Verr.* Quare edictum quod Ædiles habuerunt, Censorium fuisse puto, illud de modo & impensa publici funeris. Nam & Censores edicere solebant, Plinius *lib.* XIII. *cap.* III. & *lib.* XIV. *cap.* X14. eorumque edicta ut S. Cta. & Plebiscita in ædem Cereris adservanda, Ædilibus deferebantur, Livius *lib.* III. Zonar. *Tom.* II. Censorum vero edictum credo, quod Censores ærarium tuebantur, Cicero III. *de Leg.* & ex ærario, ni illud exhaustum esset, impensa publici funeris depromebatur.

Nullum autem funus publicum fuit, nisi a Senatu decerneretur. L. Piso Pontifex, cum fato abiisset, publico funere ex decreto Senatus celebratus est, Tacitus lib. XVI. *Annal.* Tiberius paulo ante petierat a Senatu, ut mors Sulpitii Quirini publicis exequiis frequentaretur, *Tacit. lib.* III. *Annal.* Narrat Dio, *lib.* LVIII. Tiberium, L. Pisonem urbis Præfectum *publico funere honorasse*, *δημοσίᾳ ταφῇ τιμῆσαι* hic alter a Pisone Pontifice fuit. Nam Piso Pontifex nullius servilis sententiæ sponte auctor, & quoties necessitas ingrueret sapienter moderans per annos viginti pariter probatus vixit. At Piso Præfectus urbi intempestivis conviviis infamis, Sueton. in *Tiber.* cap. XLII. qui in summa virtute tandiu Tiberio non placuisset, cum eminentes virtutes insectaretur. Senatus etiam Vitellium Imperatoris patrem hominem miri in adulando ingenii publico funere decoravit, Sueton. in *Vitell.* cap. II. quod minime mirum, cum Tiberius histriones non publico funere solum, sed & statuæ honore cohonestasset, Dio *lib.* LVIII.

In hujusmodi funeribus ingens pompa ducebatur, Fab. *declam.* CCCXXVIII. Primus ibat Senatus, ordo ille sanctissimus, qui vultus habitusque ad mœstitiam transferebat, eversisque fascibus Magistratus incedebat. Pædo Albinovanus.

Quos primum vidi fasces in funere vidi,
Et vidi eversos.

Sed nos ordinem & apparatum funeris publici non repetimus, ne eodem identidem revolvamur.

CAP. II.

DE CENSORIO, IMPERATIVO, REGIO, TRIUMPHALI, ET IMAGINARIO FUNERE.

Censorium funus nullum aliud fuit quam illud quam amplissimum, quod ex edicto Censorum de funeribus, quod Ædiles habuerunt, a Consule vel Prætore locabatur. Hoc quidem nonnisi magnis & bene de Republ. meritis viris decerni solebat, ut legatis & Consulibus aliisve Magistratibus, qui pro Repub. cecidissent. Quod tamen novo homini Lucilio Longo patres publica pecunia dederunt, atque effigiem apud forum Augusti, Tacitus lib. IV. *Annal.* Sed hoc in Tiberii favorem, cui Lucilius omnium tristium lætorumque socius, unusque e senatoribus Rhodii secessus comes. Censorium funus Flavio Sabino ductum est, idem lib. IV. *Historiarum*: *Magna*, ait Tacitus *ibid.* lib. III. *documenta instabilis fortunæ summa imaque miscentis. Nam paucis ante diebus confossum illum conlaceratumque & abscisso capite truncum corpus in Gemonias traxerant, cum Vitellius rerum potiretur.* Censorium funus primus Tacitus usurpavit, quod & Claudio Imperatori factum narrat, lib. XIII. *Annal.* sed malim cum Suetonio, in *Claud.* cap. XLV. funeratum illum solemni principum pompa. Nam post D. Augustum Imperatorum exequiæ longe ampliores, quam quas Censorum edicta largirentur. Posterioris ævi scriptores Imperatorium & Regium funus dixerunt. Spartianus de Ædilo Vero: *Sepultus est Imperatorio funere, neque quidquam de Regia nisi mortem habuit dignitate.* Capitolinus de M. Antonino: *Tantus illius amor die Regii funeris fuit.* Quod *felix funus* Virgilio, VII. *Æneid.* qui de Latino Rege:

Nam mihi parta quies, omnisque in limine portus,
Funere felici spolior.

Recte Servius *Exequiis Regalibus careo.* In Principum funeribus ingens luctus: ex edicto Justitium indictum, Tacitus l. II. *Annal.* tabernæ clausæ, nihil in ostentationem compositum, squallebat civitas, lati clavi annulique aurei depositi, Livius *l.* IX. atrata plebs erat, trabeati equites, Tac. l. III. & 14. *Annal.* Consules sede vulgari per mœstitiam sedentes omniaque ad tristitiam atque doloris imitamenta componebantur, & cuncta a majoribus reperta, aut quæ posteri invenissent in honorem principum cumulata. Quod in aliorum funeribus ut Consulum, licet quam amplissimis nusquam factum. Nec enim Justitium stante Repub. indictum nisi in publico luctu: nec publicus luctus nisi in gravissimo Reip. aliquo casu, ut cum exercitus ad furcas Caudinas sub jugum missus est, Livius *lib.* IX. Multum itaque interest inter funus publicum & publicum luctum, quem in caput aliud transferemus.

Triumphale funus Imperatorum solum fuit, ut Regum. Nec enim stante Repub. ullum funeris amplissimi nomen aliud fuit quam funus publicum: licet Consulares aut Patritii prætexta: Censorii, purpurea: Triumphales purpura auro intexta sepelirentur, (Polyb. *lib.* VI) sive publicum illorum funus esset seu privatum. Nec vero passim publicum funus decretum Romana historia testatur, sed iis tantum, qui singulari sua virtute, aut avita generis nobilitate commendarentur, aut qui in Magistratu aut pro Repub. fato functi essent, ut Quirini Sulpitii Consularis exemplum declarat. Hoc tamen iis, qui triumphassent, majorum more concessum est, ut illorum ossa in urbem referre & deponere liceret. *Τοῦ τριαμβεύσαντος εἶτα ἀποθανόντος καὶ καέντος ἐξῆν ὀστέον λαβόντας, εἰς τὴν πόλιν εἰσφέρειν καὶ κατατίθεσθαι*, Plutarch. in *Causis*. Quod triumphale funus non dixerim, quale vere Trajani fuit, cujus cineres relati Romam humatique illius in Foro sub ejus columna, imagoque superposita, sicut triumphantibus solet, & in urbem invecta Senatu atque exercitu præeunte, Aurelius Victor. Hæc columna magnam antiquitatis memoriam continet, quæ libro singulari depicta est. Cujus forma veteribus etiam nummis vulgata. Fig. I.

Est & columna Antonini ad hujus exemplum, quæ CLXXV. pedum altitudine constat. Fig. 2.

Utraque rerum gestarum ab iis Imperatoribus ordinem excultum habet.

In Severi funere, illius liberi cum ossa in urbem referrent, populus eos laureatus excepit, & Senatus consultavit, Herodianus *lib.* VI. Præibant illi cum Imperatoria purpura, post sequebantur Consules urnam cum Severi reliquiis gestantes, quod triumpho magis simile quam perluctuoso funeri, quo post illum diem Rom. Impe-

rium Caracallæ ſceleribus elatum eſt & ſepultum. A

Imaginarium funus Imperatorum imagini factum eſt, ut Pertinacis, qui cum habuiſſet ingens Senatus teſtimonium, funus ei ab ipſo Severo ductum eſt Imaginarium & Cenſorium, atque ab illo ipſo funebri laudatione Pertinax ornatus, Capitolinus in *Pertin.* Quod ampliſſime Dio exequitur, cujus verba mutuabor, quæ multam ritus funebris explicant rationem. *Hujus funus*, inquit, *& ſi dudum obierat ita factum eſt. Extructum erat in foro Rom. tribunal ligneum coloris lapidei: ſupra fuit ædificium, quod columnæ undique ſuſtinebant, eratque ebore varie ornatum & auro: eo allatus lectus conſimilis, cui ſtragulis purpureis atque* B *auro intextis ornato, erant circum capita belluarum terræ mariſque, in eoque poſita erat ſtatua Pertinacis cerea, ornatu Triumphali, a qua puer egregia forma ita ut ſi dormiret Pertinax, pennis pavonis muſcas abigebat. Eo ita jacente, Severus noſque Senatores uxoreſque noſtræ acceſſimus funebri veſtitu: illæ in porticibus, nos ſub dio ſedebamus. Quibus ita diſpoſitis primo tranſierunt ſtatuæ omnium veterum Romanorum Illuſtrium: deinde nationes omnes ſubjectæ imperio Rom. in ſtatuis æneis ornatis, ut eſt cujuſque gentis patria conſuetudo. Sequebantur poſt varia genera civium, lictorum,* C *ſcribarum, præconum, & qui ſunt ejuſdem generis. Veniebant deinceps ſtatuæ multorum virorum, quos præclare feciſſe aliquid, aut excogitaſſe, aut in aliquo ſtudio floruiſſe conſtaret. Subſequebantur Equites, ac Pedites armati, certatores equi, atque ea quæ ad parentandum pertinebant, quæ ab ipſo principe & a nobis uxoribuſque noſtris, & a clariſſimis equitibus ac populis & a congregationibus civium miſſa fuerant. Poſtremo ferebatur altare inauratum ornatumque ebore & lapillis Indicis: quæ poſtquam tranſierunt, Severus aſcendit in roſtra & laudationem Pertinacis recitavit. Cumque oraret, crebro exclamatum eſt a nobis partim* D *laudantibus Pertinacem, partim lugentibus, ſed oratione habita, multo magis. Ac tandem cum lectum de loco, in quo erat, moveri oporteret, omnes ſimul lamentati ſumus ac flevimus. Lectum tulere a Tribunali Pontifices & Magiſtratus, non modo qui tum erant, ſed etiam ii, qui fuerunt in ſequentem annum deſignati, eundemque poſtea tradidere nonnullis equitibus, ut ferrent. Pars noſtrum lectum anteibat, ex quibus multi frangebantur dolore, multi canebant flebile carmen ad tibias, Imperator poſtremus ſequebatur, ita in Campum Martium venimus. Hic extructus erat rogus inſtar turris, forma trianguli, ebore & auro ac nonnullis ſta-* E *tuis ornatus: in ſummo ejus currus inauratus, quo Pertinax olim vehebatur, collocatus erat. In hunc rogum conjectis primo iis, quæ allata fuerant parentandi cauſa, lectus impoſitus eſt. Poſt Severus propinquique Pertinacis ſtatuam ejus oſculantur, quo facto Imperator tribunal conſcendit, nos Senatores exceptis Magiſtratibus in tabulata conſcendimus, ut tuto ſimul & commode ſpectaremus ea, quæ gererentur. Magiſtratus & Equeſtris ordo collocati ſunt ex ordine, ut cujuſque dignitas poſtulabat. Hic confecere milites, equites, atque pedites circum rogum curſus urbanos & confictos, iiſque peractis curſibus* F *Conſules rogum incenderunt. Quod cum eſſet factum, Aquila ex rogo evolavit, itaque Pertinax immortalitate donatus eſt*, Xiphilinus in *Severo*. Secutus ſum Guilelmi Blanci interpretationem, nec verbis Dionis immoratus ſum, ex quibus duo præcipue notanda ſunt. Primum Principum ut nobiliorum cadavera in Campo Martio fuiſſe combuſta, Suetonius in *Claud.* cap. I. Plutarchus in *Vita Sullæ*, Appianus lib. I. *de bell. civil.* alterum quod in Principum funere, ut in militari circa rogum Equites Pediteſque armati decurrerunt. Cetera aut explicata jam a nobis ſunt, aut poſtea latius exponentur.

CAP. III.

DE DECURSIONE.

Rmatæque rogum celebrant de more cohortes,
Aſt pedes exequias reddit, equeſque duci.
Te clamore vocant iterumque iterumque ſupremo.

Ut ait Albinovanus de morte Druſi ad Liviam, quod in militari primum, deinde in principum virorum funere obſervatum. Tiberius Gracchus Proconſul, cum Annibalis inſidiis cecidiſſet, in veſtibulo Punicorum caſtrorum corpus ejus igni traditum eſt, Livius *lib.* XXV. armatus circa hunc exercitus decurrit cum tripudiis Hiſpanorum motibuſque armorum & corporum, ſuæ quique genti aſſuetis, ipſo Annibale rerum verborumque honore exequias celebrante. Multa de Decurſione doctiſſimus Turnebus, lib. v. *Adverſ.* cap. VIII. quam duplicem fuiſſe video: unam in funere, alteram in caſtris aut exercitus luſtratione. Quæ in caſtris vulgatius campicurſio nominatur, Veget. *lib.* III. *cap.* IX. & I. κατάδρομή, quæ quotidiano uſu & exercitatione umbratilem pugnam referebat. In luſtratione exercitus, in duas ille partes diviſus decurrebat ad ſimulachrum pugnæ, Livius *lib.* XL. quod cum Prætoriani milites factitarent, Nero ſcutum ſua manu prætulit. Nummus apud me. Fig. 3.

Galba maxime inſignis, quod campeſtrem decurſionem ſcuto moderatus etiam ad Eſſedum Imperatoris per viginti paſſuum millia curreret, Sueton. in *Galb.* Decurſionem hanc Romanorum Imperatores ad caſtrorum diſciplinam introduxerunt, ut idem tirones in otio facerent, quod illis in prælio neceſſe eſſet. Quare Maximinus ſenior quinta quaque die jubebat milites decurrere & ſimulachra bellorum agere, Capitolinus in *Maximin. duob.* Funebris vero decurſio περιδρομὴ motus habuit & recurſus in orbem circa rogum univerſis Equeſtris ordinis certa quadam lege ac motu pyrrichio, numeroque in orbem decurrentibus. *Πᾶν τε τὸ ἱππικὸν τάγμα περιθεῖ κύκλῳ, μετά τινος εὐταξίας ἀνακυκλώσεως, πυῤῥιχίῳ, δρόμῳ, καὶ ῥυθμῷ*, Herodianus *lib.* IV. Germanicus cum aram Druſi disjectam reſtitueret, honori patris princeps ipſe cum legionibus decurrit, Tacitus lib. II. *Annal.* atque circa Druſi tumulum deinceps ſtato die miles decurſionem iteravit. Illam in unius fœminæ funere obſervavi, Druſillæ ſcilicet, nam Prætoriani milites cum ſuo Tribuno ac ſeorſim Equeſter ordo, ſeorſim Patricii pueri Trojæ decurſionem circa tumulum ejus obequitarunt, Dio *lib.* LIX. cum Troja in Circo ſemper luderetur, Suetonius in *Jul.* cap. XXXIX. in *Calig.* cap. XXI. Et quoniam funeris pompa multa a nobis hoc in opere deſcripta eſt, placet illius imaginem oculis luſtrandam ſubjicere, & ex multis, Auguſti funus in tabula depictum proferre.

CAP. IV.

DE DIVINIS HONORIBUS PRIVATORUM.

PRivatorum quorundam funus in Deos relatio ſecuta eſt, & poſt mortis tempora vanitas ſibi divinitatem mentita, Deos colendo Deumque faciendo eum, qui jam etiam homo eſſe deſierat, Plinius *lib.* VII. *cap.* LV. Priſcus Zenonis auditor eos dicit primum habitos Deos,

a qui

a quibus magna utilitas ad vitæ cultum esset inventa, ipsasque res Deorum vocabulis esse nuncupatas, Cicer. lib. I. *de Nat. Deor.* Quo quid absurdius, quam aut res sordidas atque deformes Deorum honore afficere aut homines jam morte deletos reponere in Deos, quorum cultus omnis futurus esset in luctu? Sed hoc solamen primum luctus invenit vita hominum divinæ ipsius naturæ ignara. Nam acerbo luctu dolens pater, cito sibi rapti filii imaginem fecit, *Sapient.* cap. IV. & illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, tanquam Deum colere cœpit, constituitque inter servos suos sacra & sacrificia. Deinde lapsu temporis convalescente iniqua consuetudine hic error tanquam lex custoditus est, & tyrannorum imperio figmenta celebrantur.

Privatorum prima hæc insania fuit. Etenim parentes in liberorum & liberi in parentum funere ita versabantur, ut in sanctissimis Deorum immortalium templis & sacris. Atque hi corpore combusto ut primum in reliquiarum lectione os occurrisset, mortuum, deum factum pronuntiabant. Plutarch. in *Caussis*: Καὶ γὰρ ἐπὶ τῶν τάφων περιστρέφονται καθάπερ θεῶν ἱερὰ τιμῶντες τὰ τῶν πατέρων μνήματα, καὶ καύσαντες τοὺς γονεῖς, ὅταν ὀστέῳ πρῶτον ἐντύχωσι, θεὸν γεγονέναι τὸν τεθνηκότα λέγουσιν. Hoc Poeta Æneæ pietati adscripsit, lib. V. *Æn.*

Ex quo relliquias divinique ossa parentis
Condidimus terra, mœstasque sacravimus aras.

Hæc vero divinitatis origo, quæ domestica tantum religione colebatur. Atque ut filii parentes, sic maritos uxores, hasque illi post mortem divas crediderunt. Propert. *eleg. ult.*

Te Lepide, te Paule, meum post fata levamen
Condita sunt vestro numina nostra sinu.

Emendat Scaliger & legit *lumina* ex prisco oculos claudendi more: Lipsius, lib. IV. *antiq. Lect.* cap. I. ex Fulvii & Mureti codice Scaligeri emendationem tuetur: Vulgata verior est. Quid enim est *condere sinu lumina*? sinu quidem ossa mortui fovebant propinquiores, atque deosculabantur, quod immortalem atque æternum illius animum credebant, & venerabantur. Quare aut scribendum esset,

Condita sunt nostra lumina vestra manu.

Aut si remaneat *sinus* in imis mariti præcordiis Corneliæ memoriam conditam & sepultam credendum est, quam coleret ut Deam. In eodem poemate legitur:

Defleta & gemitu Cæsaris ossa mea.

Scribunt viri doctissimi pro *defleta*, *defensa*, & *defleta* alieni hominis scripturam affirmant, vel nescio quid culpæ, qua maxime caruit, insimulatam Corneliam suspicantur. Cumque libri quidam habeant, *defensa*: mutat iterum Lipsius & legit *defusa*: *Nam defundi lacrymis*, ait, *& perfundi & suffundi apud Virgilium*. Nunquam ego, & si occasio usquam est, frigidam subdole suffundo: neque is sum, qui Justi Lipsii cineribus notam ullam imprudentiæ, si possim, inurere velim. Ea solum libertate utor, qua ille in scriptores alios temperate, dum vixit. Sed pudore suffundor dum hominem video purioris sermonis professorem nimio corrigendi studio, quo ubique peccat, pueriliter lapsum. Quid enim elegantius dicere poeta hac in re potuit quam *gemitu defleta ossa*? Quid advocat Virgilium Lipsius, qui diserte, *Æn.* VI.

Tum membra thoro defleta reponunt.

Item, *Æneid.* XI.

Hæc ubi deflevit tolli miserabile corpus
Imperat.

Ut Crassi mortem a multis sæpe defleti Tullius dixit, lib. III. *de Orat.* Non vagabor longius, redeo ad privatorum divinitatem.

Quæ ad præstantes virtute viros translata est, ut in cœlum fama ac voluntate hominum tollerentur. Hinc & mares & fœminas complures ex hominibus in Deorum numero Græci habuerunt, (Lactant. lib. I. *de fals. relig.* cap. XV.) quod illi ἐναγίζειν, Romani consecrare ἐκθειάζειν dixerunt. An hos animales Deos Labeo dixerit, in libris, qui appellantur, *De diis, quibus origo animalis est*, incertum est mihi. Scio tamen Deos illum Penates & Viales intellexisse, ut Servius tradit, *lib.* III. *Æneid.* Vetustiores, qui vocabantur Dii, Indigetes dicti, ut Æneas aliique quibus divinæ stirpis originem tribuerunt, idem I. *Georg.* & XII. *Æneid.* Hoc Varro utile civitatibus dicebat, ut se viri fortes etiamsi falsum sit, ex Diis genitos esse credant, apud D. Augustin. lib. III. *de civit. Dei* cap. IV. Eo enim modo animus humanus velut divinæ stirpis fiduciam gerens, res magnas aggrediendas præsumit audacius, agit vehementius, & hoc implet ipsa securitate felicius. Moris etiam unicuique fuit eorum Manes privatim colere, quibus divinitatem aliquam fingeret. Ex quo Martialis epigramma aliquando restituebam, *lib.* XI. *epigr.* LI.

Jam prope desertos cineres & sancta Maronis
Nomina qui coleret, pauper & unus erat.

Legebam *numina*. Poetæ enim Virgilium Deum crediderunt, maximeque inter eos Silius Italicus, ad quem hoc epigramma scriptum, hic prædium emit Virgilianum, cujus natalem religiosius quam suum celebravit: cujusque monumentum adire, ut templum solebat, Plin. lib. III. *Epistol.* Nihil tamen temere muto; nomina enim hic pro numinibus ponuntur. Paterculus *lib.* II. de Tiberio, *Augustum patrem cœlo reddidit. Corpus ejus humanis honoribus, nomen divinis honoratum.*

Hæc me a parentibus abduxerunt, quorum per cineres liberi jurabant, ex quo illorum divinitas facile colligitur. Est enim jusjurandum affirmatio religiosa Diis immortalibus interpositis tum judicibus tum testibus, Cicero II. *de Leg.* & III. *Offic.* Hinc in libris nostris jurisjurandi religio, quæ divini nominis testationem habet, *l.* I. *D. de Jurejur.* Ad hanc rem Propertius *lib.* II. *eleg.* XIII.

Ossa tibi juro per matris & ossa parentis,
Si fallo, Cinis heu sit mihi uterque gravis.

Seneca pater, lib. I. *Controv.* I. *Ego fame morientem videbo, per cujus cineres juratus sum?* Cineres enim sacri habebantur. Vetus lapis, *pag.* DCCCCXV. 5.

DIS. MANIBVS
IVLIÆ. HELPIDIS
OSSA. PIA. CINERESQVE
SACRI. HIC. ECCE. QVIESCVNT

Quæ causa forte fuit, cur M. Antoninus parentibus decreverit consecrationem, Capitolinus in *M. Antonin.* ut quos privatim divos honoraret, recepto more illi publice ab omnibus colerentur. Fabius, lib. VI. *Inst.* cap. I. *Juro per mea mala, per infelicem conscientiam, per illos manes Numina doloris mei.* Hæc Fabius cum de liberorum acerbo funere quereretur, quos sibi ereptos fingebat Deos.

CAP. V.

DE PRINCIPUM ROMANORUM CONSECRATIONE.

Magis in Romulo mirandum, quod cæteri, qui Dii ex hominibus facti esse dicuntur, minus eruditis hominum sæculis fuerunt, ut fingendi proclivior esset ratio, cum imperiti facile ad credendum impellerentur. Romuli autem ætatem minus his sexcentis annis jam inveteratis literis atque doctrina, omnique illo antiquo, ex inculta hominum vita, errore sublato fuisse cernimus. Hæc M. Tullius in libris *de Repub.* scribebat, apud D. Augusti. lib. XXII *de civit. Dei* cap. VI. qui etiam hæc addebat. *Illum cum subito sole obscurato non comparuisset, Deorum in numero collocarunt, quam opinionem nemo unquam sine eximia virtutis gloria est assecutus*, apud eundem lib. III. *de civit. Dei* cap. XV. Hunc ergo unum Romani ad Deos immortales benemeritis famaque sustulerunt, & quod in illo probatum, aliis postea regibus vel civibus vulgare noluerunt. Nervam enim Trajanus lacrymis primum, mox templis honestavit, Plin. in *Panegyr.* non imitatus illos, qui hoc idem, sed alia mente fecerunt, dicavit enim cœlo Tiberius Augustum, sed ut majestatis numen induceret: Claudium, Nero, sed ut irrideret: Vespasianum, Titus: Titum, Domitianus, sed ille ut filius, hic frater videretur. De Claudio argute Juvenalis, *Satyr.* VI.

Ille senis tremulumque caput descendere jussit
In cœlum.

Ubi vetus Interpres, in cœlum, ait, pro ad Inferos, nam poeta ἀποθέωσιν deridet, cujus honorem a Nerone ipso destitutum abolitumque restituit Vespasianus, Suetonius in *Claudio* cap. XLV. Novos deinde & adscriptitios cives in cœlum adulatio recepit, & pulvinaribus, aris, columnis, templis, Flamine, ludorumque celebritate & natalium cumulavit. Nam ad Placidum Valentianum usque Imperatores divi facti sunt, cum liberis & uxoribus plerisque, ut nummi veteres & lapides probant.

De consecrationis ritu ex Herodiano, Dione, Spartiano, cæterisque ea Onuphrius in lib. II. *Fastor.* scripsit, quæ vel ab illo vel ab ipsis auctoribus repeti possunt. Herodian. *lib.* IV. hunc *Romani morem fuisse* tradit, *ut Imperatores eos consecrarent, qui morientes, filios successores habuerunt.* Ἔθος γάρ ἐστι Ῥωμαίοις ἐκθειάζειν βασιλέων τοὺς ἐπὶ διαδόχοις παισὶ τελευτήσαντας. Quod tamen ex Romanorum more dici non potest, nec enim ii solum, qui naturales filios vel per adoptionem in Imperio successores habuerunt, divi facti sunt, sed alii quam plures, ut Nerva, Commodus, Pertinax, a Trajano & Severo: L. Verus a Senatu consecrati sunt, Capitolinus in *M. Antonin.* Consecratio autem omnis vel a Senatu fiebat vel ab Imperatore. Severus odio Senatus Commodum in Deos retulit, Lamprid. in *Commod.* Antoninus Pius Adrianum reclamantibus cunctis, Capitolinus in *Antonin.* Sæpius a Senatu hoc factum, qui Augusto sepultura more perfecta templum & religiones decrevit, Tacit. lib. I. *Annal.* M. Antoninus illi gratias egit, quod fratrem consecrasset, Capitolinus in *M. Antonin.* qui antea Faustinæ Pii eosdem honores detulerat, idem in *Anton. Pio*. Hoc omne tandem spreta Senatus auctoritate Imperatores sibi arrogarunt. Dignitatem Probi Diocletianus & Maximianus Impp. milites ex ejus disciplina & consecrandam vultibus & ornandam templis, & celebrandam ludis Circensibus judicarunt, Vopiscus in *Probo*. Vultus pro imaginibus usurpari veteres

A Glossæ docuerunt, in quibus, vultus εἶδος ὄψεος. Clarius D. Cyprianus, lib. *de Idol. vanit. Inde ad defunctorum vultus per imaginem detinendos expressa simulachra.* Solebant enim Imperatorum, qui divi facti essent, imagines & statuæ consecrari, & nos de his scripsimus nonnulla, lib. III. *de Vet. Jur. Pontificio* cap. VII. Has statuas aut imagines consecratas, si quis conflavisset, aut simile aliud admisisset, lege Julia majestatis tenebatur, *l.* 6. *D. ad leg. Jul. majest.* Quod vero JCtus ait aut simile aliud admisisset, interpretatur Suetonius in *Tiberio* cap. LVIII. *Capitale*, inquit, *fuit circa*
B *Augusti simulachrum servum cecidisse, vestem mutasse, nummo vel annulo effigiem impressam latrinæ aut lupanari intulisse, dictum ullum factumve ejus existimatione aliqua læsisse.* Quod correctum quidem a bonis Imperatoribus, sed non omnino sublatum. Nos præterea de hoc consecrationis ritu sequemur ea, quæ ex antiquis nummis & lapidibus alii non attigerunt vel prætermiserunt. Consecrationes primæ sine alio ritu & ceremoniis fiebant consensu Senatus, Equestris quandoque Ordinis populique Rom. Sed ritus postea novi quæsiti, quo anima per aquilam in cœlum deferretur magna pompa. Quæ in Antonino Pio primum in-
C troducta est, atque ab eo in immensum crevit. Rogi forma immutata, suggestus specie quadrangula, æquis lateribus in tabernaculi formam assurgebat. Quod vulgari nummo Antonini Pii expressum est, Fig. I.

In Numismate consecrationis Constantini anima illius nuda hominis specie, linteo circumvoluta, quadriga in cœlum tollitur, in quod recepto brachio suscipitur manu alia ex cœlo prorumpente, quæ Jovis dextra est. Panegyricus Constantino Magno dictus. *Vere enim profecto templa patuerunt, receptusque est consessu cœli tum Jove ipso dexteram porrigente.* Alii aquilæ insidentes ad su-
D peros feruntur. Nummus M. Antonini, Fig. 2. Aquila enim aut fulmen Nummis impressa consecrationem significant, ut ex Fig. 3. 4. 5. Est Constantii aquila innixa pergulæ, quæ expansis alis inspicit cœlum, Fig. 6.

Aliæ consecrationis notæ fuere Columna, Pulvinaria, Aræ, Templa, Flamines, Ludi, Thensæ in Circensi pompa. Columna primum D. Julio in foro a plebe posita est prope XX. pedum lapidis Numidici, scriptumque PARENTI PATRIÆ, Suetonius in *Jul.* cap. LXXXV. Ad eam longo tempore sacrificare, vota suscipere, controversias
E quasdam interposito per Cæsarem jurejurando distrahere perseveratum. *Sceleratam Columnam*, vocat Tullius, & *execratam*, *Philipp.* I. qua in Remp. inexpiabiles religiones inductæ sunt, eamque evertit Dolabella expiato foro, dissipato concursu impiorum, principibus sceleris pœna affectis. Sed plebis studium vicissitudo temporum confirmavit, & in Deorum numerum primus post Romulum relatus est Cæsar, & vulgi persuasione & decernentium ore, Suetonius in *Jul.* cap. LXXXVIII. De Pulvinari Nummus est apud me M. Antonini, in quo aquila ipsi insidet Pulvinari, Fig. 7.

F Aræ permultæ in Nummis. Inter has ara providentiæ Augusti vulgatissima, iis qui Nummos parant illisque delectantur: Sed nova erit aliis, qui nullos habent, ut & alia, Fig. 8. 9.

Templa etiam vulgaria in nummis Augusti, quæ illi & vivo & mortuo posita sunt, sed nulla dum viveret Romæ sibi decerni passus est. In Provinciis communi suo Romæque nomine recepit. Sueton. in *August.* cap. LII. Fig. 10.

De Flaminibus aut Sacerdotibus Tacitus lib. I. *Annal. Idem annus novas ceremonias accepit, addita*


1
CONSECRATIO
S C
2
CONSECRATIO
S.C.
3
CONSECRATIO
4
CONSECRATIO
5
TI. CLAVDIVS. CAESAR. AVG. GERM. REST.
S C
6
CONSECRATIO
7
CONSECRATIO
S C
8
CONSECRATIO
9
IMP. CAES. DOMITIAN. AVG. REST
S C
PROVIDENT.
10
ROM. ET. AVG.
11
DIVO
AVGVSTO
S.P.Q.R.
12
CONSECRATIO
S C
13
AERNITATIS AVGVSTAE.
14
AETERNITATIS . AVGVSTAE.
15
CONSECRATIO
S C
16
CONSECRATIO
S C
17
AETERNITAS.
18
S.P.Q.R.
IVLIAE AVGVST.
19
DIVVS CAESAR IMP. DOMITIANI F.

A *Sodalium Augustalium sacerdotio. Sorte ducti e primoribus civitatis unus & viginti: Tiberius, Drususque, Claudius, & Germanicus adjiciuntur*. Lapis vetus:

NERONI. CÆSARI
GERMANICI. F.

TI. AVGVSTI. N. DIVI. AVG
PRON. FLAMINI. AVGVSTALI
SODALI. AVGVSTALI

Q. NOVANIVS. Q. L. SALVIVS
C. CVLMINIVS. Q. F. FVSCVS
L. FVLVIVS. F. L. DOCIMVS
L. FVLVIVS. L. I. RECTVS
L. POPILIVS. L. L. GEMELLVS
L. FVBIVS. L. L. APOLLONIVS
VI. VIR. AVGVST

B Inter hos invenio Sacerdotem primum corporis Augustalium, *pag.* CCCLXXII. 7.

L. AVRELIO. L. L
VICTORI
DOMO. EQVO. AVG. ET
SENIÆ. SACER. PRIM.
CORP. AVGVSTALIVM.

C Habuerunt enim Imperatores Collegia, Sodalitia, Ordines & Corpora Sacerdotum, quæ in antiquis Inscriptionibus passim notantur. Instituti etiam sunt in eorum honorem ludi consecrati, qui primi D. Julio facti sunt, Suetonius in *Jul.* cap. LXXXVIII. Thensæ additæ cum curru, quibus Imperatorum imagines cum Circensi pompa deferrentur. Nummus Augusti, Fig. 11.

Johannes Savaro Arvernorum Præses, qui unus me ad scribendum impulit diu reluctantem, Vir D ingenio, benignitate, omnique genere literarum nulli secundus, M Antonini nummum alium misit mihi, in cujus parte adversa, imago, cum circensi Pompa, elephantis quatuor currum impellentibus vehitur, cum hac inscriptione, CONSECRATIO, Fig. 12.

Mortui Imperatoris statim idola faciebant & habitu & cultu consecrationis, Tertull. *de coron. milit.* cap. X. non ad fidem numinis, sed ad honorem emeritæ potestatis, Minutius in *Octav.* Quod vero Tertullian. in *Apolog.* cap. XXXIV. putat maledictum ante ἀποθέωσιν, Deum nuncupari, nec E Augustum dominum se dici voluisse, quod Dei cognomen est, in eo lapsus est. Nam utrumque Augustus ipse recepit nomen Romæ, ut templa in Provinciis. Quod Imperatores cæteri maxime concupiverunt. De Augusto Propert. *lib.* IV. *eleg. ult.*

Et lacrymas vidimus ire Deo.

De Domitiano Martialis, *lib.* V. *epigr.* VIII.

Edictum domini Deique nostri.

F Quod quidem a poetis dictum, a cæteris pari adulatione usurpatum.

Sed ecquis non miretur Christianos Imperatores æternitatem sibi dum viverent arrogasse, atque æternitatem ipsam suam adorari jussisse? *l. fin. C. de Quadrien. præscript. l.* 2. *C. de fabricensib. lib.* II. Æternitas enim consecrationem denotat. Nummus Juliæ Augustæ, Fig. 13. Quid hoc aliud hoc est, quam Gigantum more naturæ ipsi repugnare? O cæcas hominum mentes! o imprudentiam singularem! o immanem adulationis furor em!

CAP. VI.

DE CONSECRATIONE AUGUSTARUM ET PRIVATORUM.

CONsecrationem voco divinum cultum Principis vel Senatus auctoritate publice susceptum. Nam qui privata religione coluntur non consecrati, sed divi tantum a suis honorantur. Ad Augustas transiit hoc genus publici cultus, ad liberos, proximiores Imperatorum vel amicos. Duas stante Rep. divas factas comperio, Accam Laurentiam, & Floram: Hæc ludorum editione honorata est, qui Floralia dicti, Lactantius lib. I. *de fals. relig.* cap. XX. Illa solemni sacrificio celebrata, cui Accalia feriæ dicatæ, Varro lib. V. *de Ling. Lat.*

Livia Augusti prima post eversam Remp. a Caio Dea facta est, cum illi Tiberius hunc honorem denegasset, Suetonius in *Claud.* cap. XI. Illa Juno dicta est, de qua Prudentius, lib. I. *contra Symmach.*

Adjecere sacrum fieret quo Livia Juno.

Insignia consecrationis Augustarum hæc in nummis veteribus fere notantur, Templa, Pavones, Sacerdotes, Carpentum. Templum Juliæ Augustæ pulcherrimum expressum est, in Nummis, Fig. 14. Pavones autem Junoni, ut Aquilæ Jovi sacræ, Augustas in cœlum ferunt, illarumque consecrationem designant, Fig. 15. 16. Sacerdos in nummo Faustinæ Antonini, dextra imagunculam, sinistra facem inversam tenet, Fig. 17. Carpenta aut Thensæ Diis tantum aut semideis decernuntur, quibus cœlestis origo delata est. Nummus Juliæ Augustæ, Fig. 18.

Qui Juliæ nummi, Liviæ, quæ in Augusti familiam transivit, & post mortem mariti Julia dicta est, ne quis hanc Juliam Augusti filiam putet, aut neptem, quas ille testamento vetuit suo sepulchro inferri, Sueton. in *Aug.* cap. X.

Inter accusationes Thraseæ objectum illi est, quod cum Deum honores Poppeæ decernerentur, sponte absens funeri non interfuisset, Tacitus lib. XVI. *Annal.* Hujus defunctæ infanti quartum intra mensem censuerunt honorem Divæ, & pulvinar ædemque & sacerdotem, idem l. XV. *Annal.* Quod aliis postea infantibus tributum est, ut consecratio infantis Domitiani testatur, quæ in Nummis, Fig. 19.

Modestia M. Antonini laudatur cum septennem filium amisisset, quod jusserit, ut statuæ tantummodo mortuo decernerentur, imagoque aurea Circensibus per pompam ferretur, & Saliari carmini nomen ejus insereretur, Capitolinus in *M. Antonin.* Quæ tamen certissima consecrationis indicia fuerunt, quæ adeo vulgata est, ut ad pellices & cinædos aulicos porrigeretur. De Drusilla scorto scribit Dio *lib.* LIX. immortalitatem ei decretam, eosdemque honores, quos Veneri: utique mulieres, per ejus nomen jurarent, quoties aliquid jurejurando confirmarent: illamque Pantheam vocatam, atque per urbes omnes cultam. Sic Pantheum Augustum veteres lapides vocant, *pag.* I. 3.

PANTHEO. AUG
SACRUM
L. LICINIUS. ADAMAS
LIB. FAUST. II. VIR. AUG.

Sed nulla rabies Adriani insaniam adæquavit, qui Antinoum de pædagogiis Aulicis edixit Deum, Tertul. in *Apologet.* cap. XIII. Justin. Martyr *Apologet.* II. Spartian. in *Adrian.*

Quod loquar Antinoum cœlesti sede locatum?

Prudentius ait, lib. I. *contra Symm.* quem lapides veteres etiamnum loquuntur. Lapis repertus Romæ in Campo Martio, *pag.* LXXXVI. I.

ANTINOΩ
CYNΘΡΟΝΩ. ΤΩΝ
ΕΝ. ΑΙΓΥΠΤΩ. ΘΕΩΝ
Μ. ΟΥΛΠΙΟϹ. ΑΠΟΛΛΩΝΙΟϹ
ΠΡΟΦΗΤΗϹ.

Diocletiano Privato cum Imperium deposuisset divini honores decreti sunt, Eutrop. *lib.* VIII.

Et tot Templa Deum Romæ, quot in urbe Sepulcbra
Heroum numerare licet.

Quem errorem Christiani scriptores undique oppugnarunt & funditus everterunt.

CAP. VII.

DE POLLUTIONE EX FUNERE ET SUFFITIONE.

POllutio funebris est mortui hominis aspectu, agnitione, vel contactu, domusve funestæ aditu, aut funeris prosecutione contracta contagio. Illa non homines solum, sed res ipsas puras, quæ funeri inservirent, afficiebat. Purgatione quidem tollebatur, quæ omnis aut per aquam fiebat, aut per ignem, aut per aerem, Servius *lib.* II. *Georg.* His enim tribus pollutio omnis resolvebatur, additis quandoque, si res postularet, quibusdam solemnibus sacris. Ex variis purgationis generibus illud persequemur, quod ad funestam familiam pertinet, quodque per ignem fiebat, aut aquam. Per aquam a sacerdote, qui trina aspersione aquæ puræ funus prosequentes circumferebat, Virgil. VI. *Æneid.* Circumferre Pontificale verbum est, quod significat lustrare, circumeundo purgare, περιαγνίζειν, περιμάσσειν, ut Turnebus observavit, lib. IX. *Adversar.* cap. XV. Aspersio lauro fiebat, olivæ ramo Virgilius dixit propter Augustum, ut Donatus putat, quia nata laurus erat in palatio eo die, quo Augustus natus est, qua triumphantes coronarentur. Quare laurum ad officium lugubre pertinere noluit Poeta. Sed ex Massurio Sabino (Plinius *lib.* XV. *cap.* XXX.) laurus in triumphis adhibita est primum, quasi suffimentum & purgatio cædis hostium, adeoque in profanis usibus pollui laurum oleamve fas non est, ut ne propitiandis quidem numinibus, ex his altaria accendi aræve debeant. Laurus ergo & olea purgationibus & suffimentis pariter adhibebantur, cum Sacerdos aqua pura eos circumferebat, qui funeri operam dedissent. Ab hoc verbi circumferraneæ hostiæ Apulejo dictæ sunt, lib. III. *Met. Tandem*, inquit, *perreratis plateis omnibus, & in modum eorum, qui lustralibus piamentis minas portentorum hostes circumforaneis expiant.* Lego *hostiis circumferraneis* apud scriptorem Africanum, in fingendis nominibus audacem, cum illas ipse lustrales hostias vocet *Apolog.* I. Frustra enim circumforaneæ hostiæ ad expiationem notarentur, cum hostia fere omnis a circumforaneis emi soleret. Nova quidem hæc vox videri potest, sed plura hujusmodi nova verba in Apulejo, ut in aliis scriptoribus Africanis, jam canescunt.

Funestæ familiæ alio modo purgabantur suffitionibus scilicet, quæ thure, sulphure, Cretica cupressu quæ Baty, melampodio nigro & verbena constabant. Thus enim ut in sacrificiis, sic primum in funeribus locum obtinuit. Ab hoc *felix Arabia* appellatur, ait Plinius *lib.* XII. *cap.* XIV. *falsa & ingrata cognominis, quæ hoc acceptum superis ferat, cum plura ex eo Inferis debeat.*

Sulphur habet quoque locum in religionibus ad expiandas suffitu domos, idem *lib.* XXXV. *cap.* XV. Nam ut diximus, funus prosequuti redeuntes ignem supergrediebantur aqua aspersi, quod genus purgationis vocabant Suffitionem, Festus in verb. *aqua*, ὑποθυμιᾶσαι, *Gloss. vet.* quæ ad ignem rogi non extenditur solum, sed ad domesticum locum, quo domus omnis purgabatur igni & aqua, quia his duobus vita humana maxime continetur. Hinc *puriter facere* dixerunt Veteres, Nævius apud Non. in verb. *puriter*, virgine prægnante, *Sequere me puriter volo facere, igne atque aqua volo hunc accipere.*

In Sufficionibus herba Sabina, quam Creticam cupressum dicunt, pro thure a multis assumebatur. Sæpius melampodio nigro domos suffiebant purgabantque spargentes cum precatione solemni, Plinius *lib.* XXXIV. *cap.* XVII. Hæc religiosius legebatur, primum enim illam gladio circumscribebant: deinde qui succisurus erat orcum spectabat & precabatur, *Ut id liceret sibi Diis concedentibus facere*, observabatque aquilæ volatus: fere enim secantibus intererat, & si prope advolasset moriturum illo anno qui succidisset, augurium fuit. Verbena quoque domus purgabatur lustrabaturque, idem *lib.* XXVI. *cap.* V. Antiquorum autem hic ritus fuit, ut februa, id est, purgamenta omnia in profluentem abjicerent, nec respicerent, quod perite Virgilius tangit, *eclog* VIII.

Fer cineres Amarylli foras, rivoque fluenti
Transque caput jace, ne respexeris.

Res aliæ alio februi genere purgabantur, ut tubæ quibus funus efferebatur, annis singulis agna lustratæ sunt, quod genus sacrificii *Tubilustrium* dicebatur. At vestis illa, quæ habuit Θ. K. homine mortuo (de hac nos lib. I. *de Vet. Jure Pont.* cap. XXIX) nusquam lustrata est, quod funesta semper esset, illaque in Deorum superum sacris uti non liceret, nec ad alios usus, quam quibus destinata esset, potuit transferri. Suffitio decimo die fiebat a quo Denicales feriæ dictæ sunt, quæ finis fuerunt funestæ familiæ, quæque inter privatas numerantur. Festus Denicales inde vocatas putat quod Græci νέκυν mortuum dicebant, in verb. *Denicales*. M. Tullius *lib.* II. *de Legibus*, a nece scribit appellatas, cujus locum corruptum restituit olim Æmarus Ranconetus, cujus memoriæ doctissimorum hominum familia multum se debere fatetur. Hujus tamen emendationi, neque omnino accedo, neque plane ab eo dissentio. Nec enim satis intelligo, quo modo Denicales feriæ a nece derivari possint. Nam proprie necatus ferro, nectus, alia vi peremptus dicitur, Priscianus *lib.* IX. nisi necem a Græco vocabulo trahamus ex Festi (in verb. *necem*) sententia, quæ mortem omnem complectitur. Probabilius est Denicales ferias a denum dierum numero esse nuncupatas, nisi cum Varrone dicamus (lib. V. *de Ling. Lat.*) multa verba aliud nunc ostendere, quæ aliud ante significabant.

CAP. VIII.

PONTIFICI CADAVER INSPICERE VEL TANGERE NEFAS. FUNUS EXEQUI RELIGIO NON FUIT.

CUm jus Manium plurimam Pontificii juris partem constituat, propter ceremonias religionemque: ea de Pontificibus explicanda sunt, quæ ad hunc ritum pertinere judicantur. Diis

A nullo modo licebat videre mortuos, ne oculos in specto cadavere inquinarent, ut Ælianus in libro *de prudentia* differebat, apud Suidam. Hac forte ratione institutum est, ut Pontificibus, qui præcipui Deorum ministri erant, cadaver tangere aut inspicere nefas esset. Unde cum Augustus Agrippam in foro laudaret, velo inter se & mortuum expanso id fecit. Quod quid significarit fatetur Dio *lib.* LIV. sibi parum compertum: *Qui enim dicit*, inquit, *ita constitutum, quod Cæsar esset Censor vel Pontifex, utique errare videntur. Nam neque Pontifici Maximo cadaveribus inspiciendis interdictum est, neque Censori, nisi cum lustrum condit.* B *Hic enim si quod ante Lustralia Sacra cadaver intueatur, omnia ab eo anteacta rescinduntur.* At Seneca *de consol. ad Martiam* cap. XV. diserte: *Tiberius Cæsar quem genuerat & adoptaverat amisit, ipse tamen pro Rostris laudavit filium stetitque in conspectu interjecto velamento, quod Pontificis oculos a funere arceret.* Quare lapsus est Dio & qui eum secuti sunt. Nam neque Pontifici licitum fuit cadaver tangere vel intueri feraliave tractare, neque ulli publico sacerdoti. Unde cum Germanicus Quintilii Vari legiones insepultas sextum post annum sepulturæ mandasset, Tiberius factum non C probavit, Tacitus lib. I. *Annal.* Imperatorem auguratu & vetustissimis ceremoniis præditum feralia attrectasse. Hac de causa cum Augustus sororem Octaviam laudaret velum habuit, περιπετάσματι καὶ τότε ἐπὶ τοῦ νεκροῦ χρησάμενος, Dio, *lib.* LV. Quod Tiberius in ipsius Augusti funere detraxit, cum ex S. Cto. perorasset hanc veniam Pontifex Max. a Senatu impetravit. Καὶ μετὰ τοῦτο τῷ Τιβερίῳ ἄδεια ἐδόθη, ὅτι τοῦ νεκροῦ οὐκ ἐξὸν, δι' ἧψατο καὶ συμπαρέχειψαν αὐτὸν, Dio *lib.* LIV. Male Interpres vertit *impunitatem datam*: ἄδεια enim hic *venia* est & facultas a Senatu impetrata. Alius Dionis error est, qui Imperatori non solum mortuum tangere, sed D ne comitari quidem putat licuisse καὶ νεκρὸν ἕπεσθαι, quod a more Romano alienum prorsus est. Etenim mortuum intueri vel tangere Pontifici fas non est, funus illi exequi religio non fuit, ut in Fabii Pictoris libro primo scriptum est, Agell. *lib.* X *cap.* XV. Virum doctissimum Dio induxit in errorem, qui ex illius auctoritate asserit Pontificem Max. funus ducere non potuisse, nisi venia a Senatu data. Non enim Tiberius veniam a Senatu petivit, ut funus Augusti ducere liceret, sed ut sine velamenti obductione laudaret, mortuumque intueretur. Sic Augustus Agrippæ funus extulit ἐκφορᾷ ἐξυνέχθη, Dio *lib.* LIV. & Tiberius quorundam illu- E strium exequias ad rogum usque frequentavit, Sueton. in *Tiber.* cap. XXII. & in funere Sullæ Sacerdotes publici Vestalesque suo quisque ordine incedebant, Appianus lib. I. *bell. civil.* qui & cadavere Augusti rogo imposito, omnes illum circumierunt & lustrarunt, Dio *lib.* LVI. Cur autem Censori cum lustrum condit, intueri vel tangere mortuum vetitum sit, ut Pontifici, paucis aperit Festus, in verb. *religionis*, quod scilicet religionis præcipuæ Censoria majestas haberetur, vel quod verius est lustrum condere non posset Censor pollutus funere, qui non poterat sacrificare. Hac ra- F tione perite Virgil. *lib.* XI. & *ibi* Servius, induxit Æneam vota solventem, priusquam ad Pallantis sepulturam reverteretur.

CAP. IX.

DE FUNERIBUS LUDIS.

FUnebrium ludorum origo antiquissima est. Illos enim Acastus in Iolco, & post eum Theseus in Isthmo instituisse dicuntur, Plin. *lib.* VII. *cap.* LVI. Quin ludi quoque illi celeberrimi, ad quos omnis Græcia confluebat, funebres erant. Olympici in Jovis honorem ob mortem Pelopis ab Atreo instituti sunt, quo quidem in ludicro omnis generis certaminum Hercules extitit victor, Patercul. *l.* I. Nemei Neptuno propter Archemorum, Stat. *lib.* VI. cui idem Isthmia in honorem Melicertæ, idem *ibid.* & Scholiast. Pindari. Dicebat Varro mortuos omnes existimari Manes Deos, (D. August. lib. VIII *de civit. Dei* cap. XXVI.) quod probat per ea sacra quæ omnibus fere mortuis exhibentur, ubi & ludos commemorat funebres, tanquam hoc maximum sit divinitatis indicium, quod non soleant ludi nisi numinibus celebrari. Hinc qui primum funebres fuere, sacri postea sunt appellati, quod ii, quibus fierent, in Deorum numerum relati essent. Ludorum vero causa ea fuit, quod animas defunctorum humano sanguine crederent delectari. Quare captivos vel malo ingenio servos mercati, in exequiis immolabant, Tertul. lib. *de Spectac.* cap. XII. quod cum crudele ac nefarium videretur, placuit impietatem voluptate adnumerare & gladiatorium ad busta dare. De hoc satis abundanter, ut arbitror, superiore Libro actum a nobis est.

Aliud præterea fuit, quod in foro dabatur. M. Æmilio Lepido, qui bis Consul Augurque fuerat, filii tres, Lucius, Marcus, Quintus ludos funebres, & gladiatorum paria duo per triduum in foro dederunt, Liv. *lib* XXIII. Hic ludi a gladiatorio distinguuntur, qui ad Circenses aut scenicos referri debent, quod ex T. Flaminii munere comprobatur, quod mortis patris sui causa cum visceratione, epuloque, & ludis scenicis quatriduum dedit, Liv. *lib.* XLI. Scripsit Julius Scaliger lib. I. *Poet.* cap XXVIII hos ludos Ædiles dedisse, in quibus non licebat uti vel tuba, vel fistula, vel cantu. Cui repugnant veteres auctores quos sequor. Primum enim demonstratum a nobis est aliquando, privatos, funebres ludos dedisse illisque præfuisse, lib III. *de Vet. Jur. Pont.* cap. XX. & XXI. deinde omnibus ludis funebribus adhibita tuba est, Virg. lib. V. *Æneid.* & *ibi* Servius:

Et tuba commissos medio canit aggere ludos.

Quos varii generis depinxit Poeta ad Anchisæ honorem. Nam navale certamen primum fuit, tum Circense spectaculum cursu, pugillatu, cæterisque ludicris confectum: postremo Trojæ ludus. De ludis scenicis expressus est *Adelphorum* Terentii titulus, quæ comœdia acta est ludis funebribus Æmilii Pauli, quos fecere Q. Fabius Maximus, P. Cornelius Africanus.

Sed ea postea Romani fecerunt, quæ posteri fabulosa arbitrarentur. Nam Julius Cæsar primum in Ædilitate munere patris funebri, omni apparatu arenæ, argento usus est, ferasque argenteis vasis incessere, tum primum visum, Plin. *lib.* XXXIII. *cap.* III. Crevit ludorum magnificentia, vel potius insania C. Curionis prodiga mente. Hic cum funebri patris munere Scaurum operibus apparatuque superare non posset, (idem *lib.* XXXVI. *cap.* XV.) theatra duo versatili ligno juxta fecit, quibus tanquam in duabus machinis populus Rom. penderet, & ad periculum suum extremum plauderet. Vere quidem victor nationum populus, in funebri hoc munere ad tumulum Curionis patris, universus impendente ruina depugnavit. Variavit enim hanc suam magnificentiam Curio, & novissimo die duabus per medium scenis Athletas edidit; raptisque e contrario repente pulpitis, eodem die victores e gladiatoribus suis pro-

duxit. Qui ex hoc loco ſcenicos ad matutinum, gladiatores ad meridianum ſpectaculum traxerunt, infirmo mihi argumento niti videntur. Nam matutinis horis beſtiarii θηριόμαχοι, meridianis gladiatores prodibant. Seneca *epiſt.* VII. *Mane leonibus & urſis homines, meridie ſpectatoribus ſuis objiciuntur.* Unde *Meridiani* a Sueton. in *Claud.* cap. XXXIV. *gladiatores* vocati ſunt. Meridie tamen, ut alii ante nos obſervarunt, ex eodem Senecæ loco, luſus & ſales dabantur, ſpectatorumque oculi ab humano cruore adquieſcebant. Quod ita intelligo, ut intermiſſa hominum cæde ludicra alia meridie darentur, quibus Gladiatorum paria aliquando interponerentur.

Hæc ludorum genera teſtamento relicta juris noſtri authores non ignorarunt. De his enim Scævola, *l. liberto. §. Lucius. D. de annuis legatis* libro vigeſimo ſecundo *Digeſtorum. L. Titius Teſtamento patriæ ſuæ Civitati Sebaſtanorum centum legavit, uti alternis annis ex uſuris ejuſdem certamina ſub nomine ipſius celebrarentur, adjecta conditione: Reſpublica conditionibus teſtamento ſcriptis parere debet. Quod ſi legatum civitati relictum eſſet, ut ex reditibus quotannis in ea civitate memoriæ defuncti conſervandæ gratia ſpectaculum celebraretur, quod illi celebrare non licet: adhibitis heredibus & primoribus civitatis diſpiciendum eſt in quam rem fideicommiſſum converti debeat, ut memoria teſtatoris alio & licito genere celebretur, l. legatum. D. de uſu & uſufr. leg.* Permultæ ſunt leges aliæ in JCtorum libris, que ex ſuperioribus facile poſſunt explicari.

A ludis funebribus fœminas prohibitas Plutarch. in *Cauſis* innuere videtur, qui Sempronium ideo libellum repudii uxori miſiſſe tradit, quod illa ludis funebribus interfuiſſet. Quidam ob ſpretum mariti imperium hoc factum putant: ſed verius eſt funebre pugilum ſpectaculum fuiſſe, a quo ſexus muliebris omnino ſubmovebatur. Quod poſtea edicto vetuit pugilum, cum pugilum par poſtulatum diſtulit in ſequentis diei matutinum tempus, edixitque mulieres ante horam quintam venire in Theatrum non placere, Sueton. in *Aug.* cap. XLIV.

Pingi autem hæc munera atque in publico exponi cœperunt a C. Terentio Lucano, Plin. *l.* XXXV. *cap.* VII. Is avo ſuo, a quo adoptatus fuerat, triginta paria in foro per quatriduum dedit tabulamque pictam poſuit in nemore Dianæ. Cæterum dicti primum ſunt hi Ludi Novendiales, Servius *lib.* V. *Æneid.* quod nono die ad ſepulchrum darentur, qui pluribus poſt humationem diebus celebrati ſunt, ut ſuperiora exempla ſatis demonſtrant. Ni quis credere malit Novendialem pro funebri accipi, cum ludi poſt nonum diem fieri ſolerent. Hos populea arbore coronati, Servius *eod.* & pullati ſpectabant. Quare inter præſagia, quæ Commodi cædem nuntiarent, illud numeratur, Xiphilinus & Lampridius in *Commod.* quod contra conſuetudinem penulatos juſſiſſet ſpectatores non togatos ad munus convenire; nam id funebres tantum ludos decebat.

CAP. X.

DE FUNEBRI EPULO, DIVISIONE, ET CÆTERIS, QUÆ QUIS TESTAMENTO JUSSISSET.

ITa illud epulum eſt funebre, ut munus ſit funeris; epulæ quidem ipſæ, dignitatis. Pullati enim ludos ſpectabant, quibus peractis cœnabant albati. Quare vehementer Vatinium M. Tullius inſectatur, quod in C. Arii epulo pullatus ille accubuiſſet. *Scire*, (inquit, *in Vatin.*) *ex te cupio, quo conſilio, aut qua mente feceris, ut in epulo Q. Arii familiaris mei cum toga pulla accumberes? Quem unquam videris? Quem audieris? Quo exemplo, quo more feceris? Quis unquam cœnavit atratus? Quis unquam in luctu domeſtico, quis in funere familiari, cœnavit in toga pulla? Cum tot millia hominum accumberent, cum ipſe epuli dominus Q. Arius albatus eſſet, te in templum Caſtoris, te cum C. Fidulo atrato cæteriſque tuis furiis funeſtum intuliſti? Quem accumbere atratum videras dominum cum toga pulla & ejus amicos ante convivium?* Epulum iſtud ex M. Tullii verbis populo datum perſpicuum eſt, cum tot millia hominum in templo Caſtoris accubuiſſe dicat. Sueton. in *Jul.* cap. XXVI. refert amiſſa filia, Julium Cæſarem primum epulum pronuntiaſſe, quod ante eum nemo: ſed qui fieri poteſt ut hujus moris author fuerit Cæſar, quem multis ante ſæculis invaluiſſe ex eodem Tullio obſervamus? Ille enim, cum Stoicorum doctrina in Catone damnaret: *Fuit* (inquit, *Orat. pro Muræna*) *ex eodem ſtudio eruditus apud patres noſtros & honeſtus homo & nobilis Q. Tubero. Is cum epulum Q. Maximus Africani patrui ſui nomine populo Rom. daret, rogatus eſt a Maximo ut triclinium ſterneret, cum eſſet Tubero ejuſdem Africani ſororis filius: Atque illi homo eruditiſſimus ac Stoicus ſtravit pelliculis hœdinis lectulos Punicanos, & expoſuit vaſa Samia, quaſi vero eſſet Diogenes Cynicus mortuus, non divini hominis Africani mors honeſtaretur. Hujus in morte celebranda graviter tulit pop. Romanus hanc perverſam ſapientiam Tuberonis. Itaque homo integerrimus civis optimus, cum eſſet L. Pauli nepos P. Africani ſororis filius, his hœdinis pelliculis Prætura dejectus eſt.* Quare Suetonium credo cum ſcripſit Cæſarem primum epulum pronuntiaſſe, de funere filiæ Cæſaris cogitaſſe, nec enim in liberorum funeribus parentes prandium dare conſueti, atque ut eſt in proverbio, *ventre mortuum lugere*, γαστρὶ νέκυν πενθῆσαι. Vulgares de hac cœna ſunt Perſii verſus *Sat.* VI.

—— Sed cœnam Funeris heres
Negliget iratus, quod rem curtaveris.

An vero menſarum numerus definitus eſſet in hujuſmodi epulo, vel an illud toti populo daretur, non ita certum, quod ex M Tullio Orat. *pro Muræn.* intelligi poteſt, qui tributim aliquando paratum & ad id illud Tribules ſolum vocatos declarat, ut Muræнam a legis ambitu pœna liberaret. *Spectacula*, inquit, *ſunt tributim data, & ad prandium vulgo vocati*, quod eſt, tenuiores invitati. Quod & in epulo funebri obſervatum vetus Inſcriptio teſtatur. Romæ, *pag* MCXV. 8.

DIS. MANIBVS

P. ÆLIO. P. F. BELLENIO. ARISTO-
NI. ELECTO. OB
FIDEM. ET. INDVSTRIAM. SVAM. A.
TRIBVLIBVS
TRIBVS. PALATINÆ. CORPORIS. SE-
NIORVM
CLIENTIVM. PERP. SCRIBÆ. ET
VIATORI. ET. IN
EA. ADMINISTRATIONE. ITA. VER-
SATO. VT
VNIVERSI. TRIBVLES. QVI. ADVI-
VENTE. EO. DO
NO. DELPHICÆ. ÆREÆ. CVM O-
MNI. CVLTV. EX
ORNATÆ. SED. ET. TESTAMENTO.
DIVISIONE
EXEQVIARVM. EIVS

A HONORATI. SUNT. TAM. INTEGRUM ET. INDU
STRIUM. VIRUM. AMISSUM. DOLE-RENT

Prandium populo Tiberium mille mensis paravit, Sueton. in *eodem* cap. XX. At Julius Cæsar toti populo, XXII. millia tricliniorum sternenda jussit. De epulo & divisionibus intelligendus est Paulus JCtus, *l. civitatibus. D. de leg.* I. *Civitatibus legari potest*, inquit, *etiam quod ad honorem ornatumque civitatis pertinet, ad honorem puta, quod ad munus edendum, venationem, ludos scenicos, ludos Circenses, aut quod ad divisionem singulorum* B *civium, vel epulum relictum fuerit. Hoc amplius quod in alimenta ætatis infirmæ, puta senioribus vel pueris puellisque fuerit relictum.* Hæc enim omnia vel ab herede vel testamento dabantur, vel diebus funeris, vel certa & præstituta die ab ipso testatore, vel amicorum ipsorum benevolentia. Ut Antonii da mnatione sepulchrum L. Catilinæ floribus ornatum hominum audacissimorum ac domesticorum hostium conventu epulisque celebratum est, Cicero *pro Flacco*. Sic dies ipse natalis amici mortui convivio solemni a superstitibus transactus est. M. Tullius lib. II. *de Finib. Res nota Torquato,* C *non doctorum hominum velle post mortem epulis celebrari memoriam sui nominis, quos quidem dies quemadmodum agatis, & quantam hominum facetorum urbanitatem incurretis, non dico: nihil opus est litibus, tantum dico magis fuisse vestrum agere Epicuri diem natalem, quam illum testamento cavere ut ageretur.* Testamentorum hujusmodi sententia in antiquis Inscriptionibus multa habetur. Lapis vetus, *pag.* CCCCLXXII. 3.

COCCEIÆ
VERIÆ
P. TENACIUS
GEMELLINUS
AUG. COL. EPUL
EX. TESTAMEN
F. F

D Quod non Justis peractis solum, sed annis singulis, ut plurimum præstitum natali testatoris. Apud Spoletum, *pag.* DLXXI. I.

TRIB. MILIT
LEG. XV. APOLLINARIS
ET. LEG. V. MACEDONIC
HIC. LEGAVIT. TESTAMENTO
E MUNICIP. HIS. LXV. :::::: UT
EX. REDITU. EIUS. SUMMÆ
QUODANNIS. VIII. IDUS. NOUEMB
NATALE SUO. MUNICIP. EPU-LUM
ET. CRUST. ET. MULSUM. DARE-TUR

De divisione textus duo sunt in Jure singulares. Unus est Pauli, quem supra adduximus, *l. civitatibus*, alter est Marcelli, *l. cum quidem. D. de ann. leg.* qui tamen divisionis favorem asserit, ut si quis F Decurionibus dari divisiones voluisset, die natalis sui, testatorem de perpetuo legato sensisse Imperatores rescripserint. Divisiones autem sunt aut pecuniæ, aut alimentorum olei, vini, earumque rerum, quæ constant pondere, numero, & mensura, quæ plebi, Decurionibus, Ordinibus, Collegiis, Corporibus, aut Tribulibus fierent. De his Plautus, In *Aulular.*

Nam noster nostræ qui est Magister Curiæ,
Dividere argenti dixit nummos in viros.

De hujusmodi pecuniarum divisione elegans Inscriptio est, quæ multa alia complectitur ad hanc rem, *pag.* CLXXIX. 3.

C. TORASIVS. C. F. HOR. SEVE-RVS. IIII. VIR. I. D
AVGVR. SVO. ET. P. MECLONI. PROCVLI. TORA
SIANI. PONTIF. FILI. SVI. NOMI-NE LOCO. ET. PE
CVNIA. SVA. FECIT. IDEM. AD CELEBRANDVM
NATALEM. FILI. SVI. IN. PVBL. DEDIT. HS. CCL
EX. QVORVM. REDITV. III. K. SEPT. OMNIBVS. AN
NIS. DECVRIONES. IN. PVBLICO. CENARENT
ET. MVNICIPES. PRÆSENTES. AC-CIPERENT.
ÆRIS. OCTONOS. ITEM. DEDIT. VI. AVG. ET
COMPITALARVM. AVG. ET. MAG. VICORVM. HS
CXX. UT. EX. REDITV. EIVS. SVMMÆ EODEM
DIE. IN. PVBLICO. VESCEREN-TVR. HVNC. OB. ME
RITA. EIVS. ERGA. REMPVBLI-CAM. ORDO. DE
CVRIONVM. PATRONVM
MVNICIPI. ADOPTAVIT

De alimentis lex loquitur, *l. civitatibus*, quæ ætatis infirmæ senioribus pueris & puellis relicta sunt. Ut Plinius Secundus lib. VII. *Epist.* quingenta millia nummum in alimenta ingenuorum ingenuarumque dedit, ex quibus tricena millia annua ab exactore publico darentur. De oleo caput est Testamenti. Severinæ, *pag.* CCCXXII. 4.

CAPVT. EX. TESTAMENTO
CESTRANIÆ. SEVERINÆ
COLLEGIS. DENDROPHO
RORUM. FABRUM. CENTO
NARIORUM. MUNIC. SASSI
HS. SENA. MILIA. N. DARI
VOLO. FIDEIQ. VESTRÆ. COL
LEGIALI. COMMITTO. UTI
EX. REDITU. HS. QVATER. M
N. OMNIBUS. ANNIS. PRID
IDUS. IUN. DIE. NATALIS
MEI. OLEVM. SINGVLIS
VOBIS. DIVINATVR. ET
EX. REDITV. HS. BINVM
MILIVM. N. MANES
MEOS COLATIS. HOC
UT. ITA. FACIATIS. FIDEI
VESTRÆ. COMMITTO

Lapis alius, *pag.* CCCLXXVI. 5.

L. CÆCILIVS. L. F. CILO
IIII. VIR. A. P
QVI. TESTAMENTO. SVO. HS. XXX
MVNICIPIBVS. COMENSIBVS
LEGAVIT. QVORVM. REDITV. QVOT-ANNIS
PER. NEPTVNALIA. OLEVM. IN CAMPO
ET. IN. THERMIS. ET. BALNEIS OMNIBVS
QVÆ. SVNT. COMI. POPVLO.
PRÆBERETVR

Mulſum & cruſtulum in iiſdem Inſcriptionibus plerumque dividuntur, *pag.* DCCLXXIII. 8.

M. BÆBIO. M. F
ROM. SECVNDO
AED.... ET. I. D. II. VIR
.... OCVRO. EX. S. C. II. DD
M. BAEBIVS. M. F. ROM. SABINVS
M. VALERIVS. M. F. ROM. SEPTIMI-
NVS
M. VALERIVS. M. L. ROM. IVCVN-
DINVS
HERED. EIVS. EX. TESTAMENTO
L. D. D. D. CVIVS. DEDIC. CRV-
STVM
ET. MVLSVM. POPVLO. DIVISVM
EST

Aliquando viſceratio data eſt, de qua textus ſingularis in Jure, *l. ſi tibi pure. D. de leg.* 3. Lucius Titius plebi quina millia dedit, hoc amplius Sejus viſcerationem: Quina quoque millia Sejum dediſſe intelligimus. Eo enim verbo hoc amplius ſuperiora repetuntur. Viſcerationis ignoratione, legem illam multi corruperunt, & pro *viſceratione, hujuſce ratione* veteres libri habent: puram lectionem Pandectæ Florentini reſtituerunt. Eſt autem viſceratio veteribus Gloſſis *ἀρτόκρεας διάφρασία*, carnis & panis diſtributio, quæ cum Latinis feriis fieri ſoleret, tranſiit quoque ad honorem mortuorum. Populo viſceratio data eſt a M. Flavio in funere matris, Liv. *lib.* VIII. in publica lætitia *διάφρασία*, qualis ea fuit, quæ a Julio Cæſare Populo Rom. data eſt. Ille enim præter modios frumenti denos ac totidem olei libras, cum tricenos quoque nummos viritim diviſiſſet, adjecit epulum & viſcerationem, & poſt Hiſpanienſem victoriam prandia duo, Sueton. in *Jul.* cap. XXXVIII. Frumenti diviſio frumentatio dicitur in Breviario Auguſti, in quo congiarium ad pecuniæ aut vini diviſionem refertur. Eſt enim congium *μέτρον οἴνου*. Caput tertium Breviarii hoc continet: IN. CONSVLATV. DECIMO. EX. PATRIMONIO. MEO BIS. QVADRINGENOS. CONGIARI. VIRITIM. ITERVM. AERE. MERVI. ET. CONSVL. VNDECIMVM. DVODECIM. FRVMENTATIONES. Clarum ex his eſt diviſiones non unius generis fuiſſe, & eos qui liberaliores erant, cum viſceratione epulum & ludos dediſſe, aut aliquid amplius. Inſigne fuit Gladiatorium T. Flaminii, quod mortis cauſa patris ſui cum viſceratione epuloque & ludis ſcenicis, quatriduum dedit, Liv. *lib.* XLI. Alii ſportulas, epulum, oleum præſtiterunt. Lapis vetus, *pag.* CCCCXIV. 2.

T. FVNDILIO. GEMINO. VI. VIR
AVG. MAG. IVV
AVGVSTALES. PATRONO. ET. QVINQ
PERPE
TVO. OPTIME MERITO. HIC. AR-
CAE. AVGV
STALIVM. SE. VIVO. H-S. XX. DE-
DIT. VT. EX. RED
DITV. EIVS. SVMMÆ. DIE. NATALI
SVO IIII. K
FEBR. PRÆSENTES. VESCERENTVR
ET. OB. DE
DICATIONEM. STATVÆ. DECVRIO-
NIBVS. ET
SEVIRIS. ET. IVVENIBVS. SPORTV-
LAS. ET. POPV
LO. EDVLVM. ET. OLEVM. EADEM.
DIE. DEDIT

Lapis alius, *pag.* CCCCLXI.

A. QVINTILIO A. F
PAL. PRISCO

IIII. VIR. ÆD. POTEST. IIII. VIR. IVRE.
DIC. IIII. VIR. QVINQ. ADLECTO. EX.
PONTIF. PRÆF. FABR
CVIVS. OB. EXIMIAM. MVNIFICENT.
QVAM. IN
MVNIC. SVOS. CONTVLIT. SENAT.
STATVAM. PV
BLICE. PONEND. IN. FORO. VBI.
IPSE. VELLET
CENSVERE. H. A. I. R. HIC. EX. S.
C. FVNDOS. CEPO
NIAM. ET. ROIANVM. ET. MAMIAN.
ET. PRATVM
EX. OSCO. AB. R. P. REDEM. HS.
LXX. M. N. ETINA
VIT. R. P. REDDID. EX. QVOR. RE-
DITV. DE. HS. IV.
M. CC. QVOAD. ANNIS. VI. ID. MAI.
DIE. NATAL
SVO. PERPET. DARETVR. PRÆSENT.
MVNICIPIB
ET. INCOL. ET. MVLIERIB. NVPTIS.
CRVSTVL. P
L. MVLSI. HEMIN. ET. CIRCA. TRI-
CLIN. DECV
RIONIB. MVLSVM. ET. CRVST. ET.
SPORTVL. HS
X. N. ITEM. PVER. CVRIÆ. INCRE-
MENT. ET. VI
VIR. AVG. QVIBVSQ. V. V. E. CRVST.
MVLSVM. ET
HS. VIII. N. ET. IN. TRICLIN. MEO.
AMPL. IN. SING
H. HS. I. N. ET. IN. ORN. STATVÆ.
ET. IMAG. MEAR
RES. P. PERPET. HS. XXX. N. IMPEND.
ARBITR
IIII. VIR. ÆDILIVM. CVRA. FAVO-
RABIL. EST
SI. PVER. PLEBIS. SINE. DISTINCTIONE.
LIBER
TATIS. NVCVM. SPARSION. MOD.
XXX. ET. EX
VINI. VRNIS. VI. POTIONVM. EMI-
NISTRATION
DIGNE. INCREMENTIS. PRÆSTITE-
RINT

Incrementa & nucum ſparſionem eadem putavit vir doctiſſimus, quæ hac in Inſcriptione diſtincta ſunt. Incrementa enim ſunt vulgaria alimenta, Servius *eclo.* IV. quæ etiam pro liberalitatis adjectione uſurpantur. Spartianus in *Adrian. Pueris & puellis, quibus etiam Trajanus alimenta detulerat, incrementum liberalitatis adjecit.* *αὔξησιν*, quæ ad alimenta ipſa referri debet. Incrementum, liberalitatis intelligunt JCti. per hæc verba illis vulgaria, HOC. AMPLIVS. Cum vero certa aliqua ſumma ad has diviſiones a teſtatore conſtitueretur, illius pars roſis plerumque deſtinabatur, queis certo die ſepulchra ornarentur. Ravennæ, *pag.* CCCCLX. 3.

FLAVIÆ. Q. F. SALVTARI. CONIVGI
KARISSIMÆ
L. PVBLICIVS. ITALICVS. DEC.
ORN
ET. SIBI. V. P.

HIC.

HIC. COLL. FABR. M. R. HS. XXX. N. V. DEDIT. EX
QUOR. REDITU. QUODANNIS. DECURIONIB
COLL. FABR. M. R. IN. ÆDE. NEPTUMNI. QUAM
IPSE. EXTRUXIT. DIE. NEPTUMNALIORUM. PRÆ
SENTIBUS. SPORT. BINI. DIVIDERENTUR. ET
DEC. XXVIII. SUÆ. *. CENTENI. QUINQUAGE
NI. QUODANNIS. DARENTUR. UT. EX. EA. SUM
MA. SICUT. SOLITI. SUNT. ARCAM. PUBLICIORUM
FLAVIANI. ET. ITALICI. FILIORUM. ET. AR
CAM. IN. QUA. POSITA. EST. FLAVIA. SALUTA
RIS. UXOR. EIUS. ROSIS. EXORNENT. DE. *. XXV
SACRIFICENTQ. EX. XX. HS. ET. DE. RELIQ. IBI
EPULENTUR. OB. QUAM. LIBERALITATEM
COLL. FABR. M. R. INTER. BENEMERITOS QUOD
ANNIS. ROSAS. PUBLICIIS. SUPRA. S. ET. FLAVIÆ
SALUTARI. UXORI. EIUS. MITTENDAS. E. *. XXV
SACRIFICIUMQ. FACIUNDUM. DE. XX. H-S. PER
MAGISTROS. DECREVIT

Alii legarunt ad solemnia cibi & rosarum, *Inscript.* CCCCXLIX. 6. quod est ut singulis annis rosæ ad monumentum deferrentur & ibi epularentur dumtaxat, *Inscript.* CCXXXVII. 5. vel ad rosas & escas ducendas, *Inscript.* DCCXLIV. 1. quæ omnia, ut alia plurima ex lapide alio dignosci possunt, *pag.* DCCLIII. 4.

ALBINIÆ
VETTI. FIL
VALERIANÆ
PUDICISS. FEMIN
P. APPIUS. P. F. EUTYCHES
AD. CUIUS. MEMORIAM. COLENDAM. HUIC
COLLEG. DENDROPPH. LEG.
H-S. C. N. CUIUS. SUM
MÆ. REDITU. QUODANNIS. DIE. NATAL. EIUS
DEM. III. ID. APRIL. DECUR. SPORTUL. EX. -X. CCC
INTER. PRÆSENT. ARBITR. SUO. DIVID. OLEUM
ET. PROPINATION. EX. -X. DCCL. PRÆBEANT
ITEM. LECTISTERNIUM. TEMPORE. PAREN
TALIOR. EX. X.-CC. MEMORIIS. EIUSDEM. VA
LERIANÆ. ET. APPI. VALERIAN. FIL. EIUS
PER. OFFIC. TESSERARIOR. QUODANNIS. PO
NATUR. ET. PARENTETUR. ITEM. CORONÆ
MYRT. TERNÆ. ET. TEMPORE. ROSÆ. IUL.
TERNÆ. EIS. PONANTUR. MICATÆ. DE. SE
LECTIS. EX. -X.- L. PROFUNDANTUR. ITEM. AP
PIUS. EUTYCHIANUS. MARITUS. EIUSDEM. VA
LERIANÆ. SCHOLÆ. VEXILLARIOR. LARGI
TUS. EST. H-S. XXXX. N. EX. CUIUS. SUMMÆ
REDITU. QUODANNIS. DIE. SS. NATALIS. EIUS. AN
TE. STATUAM. LECTISS. EX. -X. CCL. PONANT
SPORTUL. -X. CCL. INTER. PRÆSENT. SIBI. DI
VID. OLEUM. ET. PROPIN. PER. ROSAM. PRÆ
BEANT.

In hoc, propinatio legata est & lectisternium tempore Parentaliorum, quod idem puto atque epulum, quod stratis quandoque lectis celebratur, vid. *lib.* III. *de Jur. Pont.* cap. IX. Propinatio tamen aliquando eadem est cum profusione, de qua Inscriptio Veronæ, *pag.* DCCCIII. 8.

L. MAG. MARCIAMO
CL. SEVERA. MARITO
KARISSIMO. ET. CORN
VALERIO. FIL. PIENTIS
SIMO. ET. MAG. PRISCI
NIANO. SOCERO. B. M
ET. SIBI. ET. IN. MEMO
RIAM. ROB. ET. SUL. COLL
N. B. AD ROSAS. ET. PROF
USIONES. O. N. F. AD
HS. N. LX. MIL. D. F. D. I. P

Notæ literarum priores profusiones seu divisiones olei, nummorum, frumenti forte significant. Posteriores sic viri docti interpretantur, ut designent, *Decurionum fide dividenda in publicum.* Profusio tamen non pro divisione, sed pro vini ad sepulchrum respersione accipi solet. Epigramma vetus, *Inscript.* DCCCCXLVIII. 10.

Ossibus infundam quæ nunquam vina bibisti.

Etenim in *mortuorum inferiis* νεκρῶν ἀγωγαῖς vini respersione putabant animas recreari, & vinum cum lacte ad propitiandos Manes tumulis infundebatur, Plutarchus in *Arist.* atque in ipsa effusione propinabant iis, qui in monumento quiescebant. Προπίνω τοῖς ἀνδράσι τοῖς ὑπὲρ τῆς ἐλευθερίας τῶν Ἑλλήνων ἀποθανοῦσι, verba solemnia, quibus Græci in parentatione virorum fortium utebantur, qui pro Græciæ libertate fortiter concidissent.

Cap. XI.

DE INFERIIS ET ANNIVERSARIO MORTUORUM SACRIFICIO.

INferiæ sunt sacrificia, quæ Diis Manibus inferebant, quæ *Inferilia* καταχθόνια, εἰσκομίσματα veteribus Glossis. Julius Pollux cum de funeribus agit, *l.* VIII. cap. XIV. Tertias, Nonas, Tricesimas Inferias & Justa enumerat, τρίτα, ἔνατα, τριακάδας, ἐναγίσματα, χοὰς τὰ νενομισμένα. Idem ille *lib.* III. c. XIX. χοὰς χέασθαι, ἐναγίσαι κτερίσματα, *libamina inferre, persolvere justa*, quæ in defunctorum memoriam solemnia habentur, χοαὶ σπονδαὶ τῶν νεκρῶν, Hesychius, *mortuorum libamina*, seu Inferiæ, quæ Tertiæ, Nonæ & Tricesimæ fuerunt. Tertiæ die tertio a morte defuncti lare verbecibus fiebant: Nonæ sunt Novemdiales: Tricesimæ quæ justis omnibus peractis pacem funeri dare putabantur.

A Justa enim sunt ἔθιμα, Charis. *lib.* I. *νομιζόμενα ἐφόσια*, Hesychio, quibus factis Siti dicebantur: & Justa funerum dicuntur, ut justa nuptiarum, (Arnob. *l.* I.) Pontificio Jure debita, quæ ad religionis interpretes rejicit Plato, Cicero II. *de Leg.* Justi vero dies ut in militia sic in funere triginta dicebantur, cujus ceremoniæ denariæ seu Denicales fuerunt & Tricenariæ, quod iis potissimum diebus defuncti Manes placarentur, quod etiam hodie a multis observatur. His triginta diebus luctus omnis S. Cto. finitus est, cum ob Cannensem cladem sacra privata & publica desererentur, Livius *l.* XXII. Inferiæ autem *χοαὶ ὡς τιμαὶ ἐκχύσεις, ἐναγίσματα* B *ἐπὶ νεκροῖς, θυσίαι νεκρῶν*, Schol. Aristoph. ut *ἐναγίσματα ὁλοκαυτώματα*, Hesych. aut publicæ sunt aut privatæ. Publicæ aut Deorum aut principum: privatæ singulorum. Deorum Inferiæ publicæ sunt, Sacri luctus, ut Leucothea Ariadnæ, (Arist. *l.* II. *ad Theodect.*) Accalia Accæ Laurentiæ, cui Flamen Quirinalis Martio mense, dat vini & lactis inferias, quæ in hominum funeribus adhibentur, Varro *l.* v. *de L. L.* Sic plures Joves, plures Hercules fuerunt, & Jovi tertio ex indigenis Inferias offerebant, Cicero III. *de Nat. Deor.* Principum publicæ Inferiæ, Tatii Regis primæ fuerunt, Dionys. *l.* II. cujus Manibus illæ quotannis publicæ instau- C rabantur. *Καὶ χοὰς αὐτῷ καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν ἡ πόλις ἐπιτελεῖ δημοσίας*, quæ ab omnibus festo die celebrabantur, Herodianus *l.* v. Inferias publicas parentibus Claudius decrevit, Suet. in *Claud.* c. XI. quas Caligula Tiberio annua religione publicas etiam instituerat, idem in *eodem* cap. XV. medio Martio Campo adhibita Sacerdotum publicorum frequentia. Easdem Neroni Vitellius dedit, Suet. in *ejus Vita* cap. XI. quod apud bonos invidiæ fuit, cum cæsæ ibi publice victimæ crematæque essent, & *ὁλοκαυτώμασι* Neroni parentasset. Tarpejæ quotannis Romani Inferias reddunt, ut Piso au- D thor est, Dionys. *l.* II. quod eorum arguit errorem, qui illam proditionis insimulant: nam si ita esset, nec ei darentur Inferiæ, nec sepulchri honore illam Populus Rom. honestasset. Sepulchri ratio, quæ a Dionysio adfertur, certissima est: nam Inferiarum nulla quidem. Etenim damnatis Vestalibus Incestis Inferiæ a publicis sacerdotibus fiebant ad placandos illarum Manes, Plutarchus in *Causis*, ut Dis Manibus Servilibus Inferias datas Varro tradit, *lib.* v. *de Ling. Lat.* Sed qui sint illi Di Serviles Manes, non expressit. Putarem servos, qui vivi sacra non habuerunt, mortuos libertatem suam recuperasse, ob idque Inferias illis datas ut sepulchra, E quod Varronis locus indicare videtur, qui post Accalia constituit Serviles Manes. Alium præterea authorem habeo neminem, si quis aliter cum ratione senserit, illum sequar.

Cum vero annuæ & statæ essent Inferiæ, Anniversaria sacra dicebantur, solemnia vota, Servius *eclo.* v. annua, Fest. in verb. *solemnia*, solemnia mortis a nostris, *l. Mævia. D. de manumiss. testam.* siquidem solemne est, quod certis temporibus annisque fieri solet, atque hoc solemne sacrum nullo modo potuit differri, vid. *l.* IV. *de Jur. Pont.* cap. I. Cujus ritum peritissime explicat Virg. *l.* v. *Æneid.*

F *Sic fatus velat materna tempora myrto.*
Ille e concilio multis cum millibus ibat
Ad tumulum, magna medius comitante caterva.
Hic duo rite mero libans Carchesia Baccho,
Fundit humi, duo lacte novo, duo sanguine sacro,
Purpureosque jacit flores, ac talia fatur:
Salve sancte Parens, iterum salvete recepti
Nequicquam cineres animæque umbræque paternæ

Inferiæ sub dio factæ sunt, ut purificationes omnes cæteræ, Plutarchus in *Causis*, in quibus lac, sanguinem, vinum floresque spargebant. Vinum purum libabant ex sacrorum ritu, atque lac novum aut statim mulctum. Virgilius *l.* III. *Æneid.*

—— Tepido spumantia cymbia lacte,
Sanguinis & sacri pateras.

Qui sanguis sacer de victimis sumebatur; libatio enim lacte & sanguine expedita est, Lactant. Grammat. VI. *Thebaid.* Addebantur flores purpurei, qui licet de rosis intelligi possint, proprie tamen erant papavera. Virgilius *lib.* IV. *Georg.*

Inferias Orphei lethæa papavera mittes,
Et nigram mactabis ovem.

Tum peractis sacris, de quibus ea diximus, quæ frustra hic transferremus, *lib.* IV. *de Jur. Pont.* cap. VIII. SALVE & VALE iterum discessuri ter dicebant, quod non temere in antiquis Inscriptionibus notatur. Luxemburgi, *pag.* DCCCLXXXIX. 8.

AVE. SEXTI
IUCUNDE
VALE. SEXTI
IUCUNDE

Romæ, *pag.* MCXXIII. 2.

HAVE. HAVE
HEROTION
ET. VALE
ÆTERNOM
C. CESTIUS. FILIÆ
P. C

Item, *pag.* MCXXXI. 6.

COELIA. UXOR. SALVE
IULIA. FILIA. SALVE
VALETE

Hi quidem tumuli ita positi sunt, ut denotent nullis amplius sacris annuis heredes teneri, sed justa omnia mortuis persoluta: & si quid ab aliis ex testamento præstari deberet, heredes non obligare. Quæ quidem Modestini responso eleganti ipse absolvo, *l. Mævia. D. de manumiss. test. Mævia*, inquit, *decedens servis suis Saccho & Eutychiæ & Thirenæ libertatem reliquit his verbis: Sacchus servus meus & Eutychia & Thirena ancillæ meæ omnes sub hac conditione liberi sunto, ut monumento meo alternis mensibus lucernam accendant & solemnia mortis peragant.* Quæro cum assidue monumento Mæviæ Sacchus & Eutychia & Thirena non adsint, an liberi esse possunt? Modestinus respondit, *Neque contextum verborum, neque mentem testatoris eam esse, ut libertas sub conditione suspensa sit, cum liberos eos monumento adesse voluerit, officio tamen Judicis eos esse compellendos testatoris jussioni parere.* Lucerna hæc accendi potest, si ignem petamus ab eo loco, quo secunda cujusque mensis die Inferias a sacerdotibus dari jamjam ostendemus. Adhibitos enim cereos & Lucernas in Inferiis & Parentalibus ex Divo Hieronymo, *advers. Vigilantium*, alii ante nos observarunt.

CAP. XII.

DE PARENTALIBUS.

FErialium dies a M. Varrone, (Macrob. *lib.* I. *Saturn.* cap. IV.) a feriendis pecudibus vel a ferendis in sepulchra epulis, qui Parentalia a parentibus etiam nuncupantur. Eadem enim Feralia & Parentalia Νεκύσια, (Charis. *lib.* I.) Dis Manibus sacra festa, Festus in verb. *Feralia.* Antiquæ

appellationis hic dies, & jam inde ab Numa cognatorum inferiis institutus, Auson. in *Parental.* nihil enim sanctius habuit reverentia superstitum, quam ut amissos venerabiliter recordaretur. Quare Romani veteres Februario mense, qui tunc extremus anni erat, mortuis parentari voluerunt, Cicero II. *de Leg.* Inferiæ, privatæ sunt feriæ: Parentalia, publicæ: atque omnis parentatio a civibus aut incolis festo colebatur. Lapis Arelate, *pag.* DXLVII. 8.

L. IULIO. SECUNDO
UTRICLARIO. COR
C. I. P. A. QUI. LEGAVIT
EIS. TESTAMENTO
SUO. * CC. UT. USUR. EOR
OMNIBUS. ANNIS. SACRIFI
CIO. EI. PARENTETUR
ITEM. NAUT. DRUENTIOR
CORPOR. MOGITUMA
EPIPODIUS. FILIUS. NA
PATRI. PIENTISS

Notæ C. I. P. A. *Coloniam Juliam Paternam Arelatæ* designant. Ceremoniæ in Inferiis & Parentalibus eædem ferme sunt, nec tamen Inferiæ sunt Parentalia aut Justa. Quare Budæum non probo, qui parentare idem putat ac justa facere, *ad l. 2. D. de in Jus voc.* Justa enim, ut notabamus, a lege sunt & Pontificio jure, at multi, qui nullis illis legibus obstricti essent, ultro ad virorum fortium sepulchra parentarunt, ut Caligula, qui sicubi clarorum virorum sepulchra cognosceret, inferias Manibus dabat, Sueton. in *eodem* cap. III. Ut Adrianus & Severus Imperatores Pompejo parentarunt, Xiphilinus in *Adrian.* & *Sever.* Alexander Heroibus, qui in Trojæ obsidione ceciderant, Plutarchus in *Alex.* Fabius Maximus Servilianus Pontifex in libris suis negat oportere atro die parentare, Macrobius *lib.* I. *Saturn.* cap. XVI. quia tunc quoque Janum Jovemque præfari necesse est, quos nominare atro die non oportet, quod ad omne Deorum Manium sacrificium trahi potest.

Parentationis tamen proprium hoc fuit, ut epulæ ad monumentum ferrentur. Tertullianus clare *de resurrect. carn.* cap. I. *Defunctis parentant & quidem impensissimo officio, pro moribus eorum, pro temporibus esculentorum, ut quos negant sentire quidquam, etiam desiderare præsumant.* Quod plenius ille etiam interpretatur, *lib. de Testim. anim.* cap. IV. *Vocas porro securos*, inquit, *si quando extra portam cum obsoniis & mattæis tibi potius parentans ad busta recedis, aut a bustis dilutior redis: & in convivio eorum quasi præsentibus & circumcumbentibus sortem suam exprobrare non possis, debes adulari propter quod lætius vivis.* Hæc eadem de re Gaudentius, IV. tractat. *de lection. Exod. Parentalia unde malum Idololatriæ extulit caput erroris: nam gulæ suæ causa primum cœperunt homines prandia mortuis præparare, quæ ipsi comederent: posthæc etiam ausi sunt sacrificia eis sacrilega celebrare, quamvis nec ipsi mortuis suis minus sacrificant Parentalia, dum super sepulchrorum mensas, tremulis manibus vina fundentes spiritum balbutiunt.*

Duplex autem in Parentalibus epulum fuit, unum cognatorum, aut eorum, qui parentabant: alterum, defunctorum. Prioris exemplum est, quod ad sepulchrum L. Catilinæ damnato Antonio celebratum est: Posterius ex epularum genere dignosci potest, quæ etiamnum in parentatione comburebantur. Est enim parentare ἀποκαίειν νεκροῖς νεκύσια, atque hujusmodi epulæ fuerunt, faba, apium, sal, legumina, ova, mola salsa, hostiæ maximæ, a qua ἐναγίσματα ὁλοκαυτώματα. Nam hostia maxima

A parentare pietatis esse adjunctum putabant, Cicero II. *de Leg.*

Faba parentando assumitur, quia in fabis animæ sunt mortuorum secundum quosdam, Plinius *lib.* XVIII. cap. XII. & in flore ejus literæ lugubres reperiuntur. Apium quoque in defunctorum epulis feralibus dicatum existimatur, quod ad cibos alios admittendum omnino nefas, idem *l.* XX. c. XI. ea forte causa, quod eos, qui ederint, sterilescere mares feminasque faciat: quare inter nefastos frutices damnatur. Apio item sepulchra mortuorum coronantur, ut ludis Isthmicis & Nemeis victores, Servius *Ecl.* VI. quod indicium mortis ostendat. Vetus inde verbum est in eos, qui extremo laborant morbo, sine alia spe salutis, illis apio tantum opus esse, Plutarchus in *Timoleonte*.

B

Sal, legumina & ova in defunctorum epulis apponuntur, atque inter luctus proximi indicia numerantur, Plutarchus in *Crasso*. Hinc malo omini Crasso fuit, cum ad Parthicum bellum proficisceretur, quod cum primum in ripa ulteriore cibaria militibus demetirentur, puls & lenticula præbita sint. Appianus *de Bell. Parth.* Πρῶτον πάντων δοθῆναι φακοὺς καὶ μάζαν, ἃ νομίζουσι Ῥωμαῖοι πένθιμα, καὶ προτίθενται τοῖς νεκροῖς. Ait Plutarchus, *in Causis*, huic cœnæ funebri λαθύρους καὶ ἐροβίνθους, quæ omnia igni absumenda tradebantur. Recte igitur parentare dixerunt Græci ἀποκαίειν νεκροῖς νεκύσια, quem ritum Ovidius dilucide nobis proponit II. *Fast.*

C

Est honor & tumulis animas placare paternas,
Parvaque in extructas munera ferre pyras.
Parva petunt Manes, pietas pro divite grata est
Munere, non avidos styx habet ima Deos.
Tegula projectis satis est velata coronis,
Et sparsæ fruges, parvaque mica salis.
Inque mero molita Ceres violæque solutæ,
Hæc habeat media testa relicta via.
Nec majora veto, sed & in his placabilis umbra est,
Adde preces, positis & sua verba focis.

D

Ab eodem Poeta discimus, Parentaliorum diebus neque nuptias celebrari, neque cæteris Diis sacra fieri, templaque omnia operta esse. Hæc humana sacrificia dicebantur, Fest. in verbo *humanum*, quæ mortuorum causa fiebant. Quem morem a Christianis diu servatum D. Augustinus tradit, *lib.* VIII. *de Civit. Dei* cap. XXVII. & *lib.* VI. *Confess.* cap. II. Illi enim ad sepulchra Martyrum epulas deferebant, pultem, panem & vinum: & Februario mense festum D. Petri cathedræ, olim *festum* dicebatur *epularum*, Guill. Durand. in *Rational. l.* VII. cap. VIII. quod post a Romanis Pontificibus correctum est. Pene exciderat Romanos secunda quaque die mensis Diis Terrestribus sacrum constituisse, inferiasque Manibus publice dedisse, Plutarchus in *Causis*, quod ad Modestini interpretationem facit, qui conditionem libertati appositam narrat, si ancillæ alternis mensibus lucernam accendissent.

E

CAP. XIII.

F

DE PRECIBUS, QUÆ IN MORTUORUM MEMORIAM FUNDEBANTUR, ET IMPRECATIONIBUS, QUEIS ILLORUM MANES LÆDERENTUR.

Mortui in exequiarum solemnibus Diis commendabantur, precibus Sacerdotum, hymnique in illorum honorem decantati, quod supra dictum a nobis est, & alii ante nos fusius tractarunt. Hæ quidem solemnes precationes cum justa solve-

rentur, quibus peractis, exoptabant Manes, ut quisquis ad illorum tumulum accessisset, bene illis precaretur, nec maledictis ullis illorum ossa violaret. Sed ut bene precari amicis & bonis omnibus solebant, sic inimicos vel funestos homines post fata odiis & maledictis insectabantur. Clare Tertullianus *de Testim. anim.* cap. IV. *Cujus memoriam cum alicujus offensæ morsu sacris, terram gravem imprecaris & cineri penes Inferos tormentum: æque ex bona parte si cui gratiam debes, ossibus & cineribus ejus refrigerium comprecaris, ut bene requiescat apud Inferos cupis.* Precationis privatæ formulæ vulgatæ sunt, *Terra sit levis*, Seneca in *Ep. Sine pondere terra*, Juvenal. *sat.* VII. *Molliter ossa quiescant*, Virgil. *Eclog.* X. *Felix lapis*, Persius *sat.* I. Quod cum poetæ fere omnes latius prosecuti sunt, otiosum esset in iis diutius immorari. Ex veteribus Lapidibus, qui vere felices sunt, eos eruam, ex quibus priscarum literarum violæ nasci & decerpi possint. Romæ, *pag.* DCCLXXXIX. 6.

BENE. PRECARE. QVI. LEGIS

Item Romæ, *pag.* DLXIX. 12.

DIS. MANIBVS
VLPIO. VRSINO. EVOCATO
QVI. VIXIT. A. XXXX. M. II. D. XV
MVMMIA. AFRODITE
POSVIT. MARITO. PIENTISSIMO
B. M
ARCADI. OSSA. BE. CESQVANT

Cesquant positum pro quiescant, decurtato & concisо verbo, quod Romanis usitatum, quibus *cauneas* pro cave ne eas, Cicero II. *de Divinat.* *capsis* pro cape si vis, quæ Passeratius popularis meus collegit olim, & publica fecit, *lib. de cogn. litera.* *Cesquant* pro quiescant, Q. in C. commutata, ut *Acua* pro aqua, *cantitas* pro quantitas in veteribus Glossis, & nos hodie cocum scribimus quem Veteres *quoquum*, Donatus *in Adelph.* Precationem Manes ipsi a prætereuntibus exoptabant. Tabula marmorea apud Gentilem Delphinium Roma, *pag.* DCLV. 1. 2. & 3.

ROGO. VT. DISCEDENS. TERRAM
MIHI. DICAS. LEVEM

Hac de causa sepulchra propter viam posita, ut precationis locum teneret Manium salutatio. Lugduni, *pag.* DLXIII. 7.

ΚΑΙΡΕ. ΝΙΚΑCΙ
ΥΓΕΙΑΙΝΕ. ΝΙΚΑCΙ

Romæ, *pag.* DCCCXL. 8.

D. M
VIRIÆ
PRIMITIVÆ
CONIVGI. DVLCISS
HAVE. DOMINA. VALE. DOMINA

Item Romæ, *pag.* MCXIII. 2.

HAVE. HAVE
HEROTION
ET. VALE
AETERNOM

Hoc ita Manibus gratum erat, qui hanc salutem petebant, ut statim danti illam redderent. Ostiæ, *pag.* CCCCXC. 6.

L. VOLVSEIO
Ↄ. L. DIO. SEV. AVG.
IDEM. QVINQVENNAL
HAVE. DIE
BENE. VALEAS
QVISQVIS. ES

Romæ ad forum Trajani, *pag.* DCCCLXXXIII. 8.

D. M. S
MACEDO. HAVE
BENE. VALEAS
QVIS. QVIS. ES

Pisis:

PARTHENI. HAVE
BENE. VALEAS. QVI. ME. SALVTAS
CVM. SOSIA. FILIA. MEA

Qui salutabant Manes cum aliqua veneratione, illis ex animo bene precari videbantur, salus enim grati animi officium est; ut infensi imprecationes, de quibus ad Tertullianum jungemus Plinii locum, *lib.* II. cap. LXIII. Hic ubi de natura terræ: *Cujus numen ultimum*, inquit, *jam nullis precamur irati grave, tanquam nesciamus hanc esse solam, quæ nunquam homini irascatur.* Sic emendat Sigismundus Gelenius, nec vulgatam probat, quæ habet, *Cujus numen ultimum jam nullis imprecamur rati grave*, &c. *Quid*, inquit Gelenius, *est imprecari numen? imprecamur mala: numen, nisi aliquid addas, nihil mali est.* Quare censet ille sic literas transponendas: *Precamur irati*, pro *imprecamur rati*. Vulgata certior est & aptior. Recte enim & Latine imprecari numen dicimus, ut *fluctibus undas, arma armis* Dido Æneæ imprecabatur, Virgil. IV. *Æneid.* Precari Grammaticis veteribus ad prospera: imprecari ad tetra refertur, Caper & Agrœtius *de Ortograph.* Precari tamen plerumque legimus pro imprecari. Imprecationis formula vulgatior, *Terra gravis.* Sic ergo terræ numen ultimum mortuis imprecabantur, rati grave numen illud, quod imprecationibus terram graviorem redderet, & Manium quietem perturbaret. Accidit sæpe ut dum viri eruditi, eos authorum corrigunt locos in quibus nulla erroris suspicio est, eos porro prætermittant, qui mendosi omnino sunt, ut hic Plinii, *Cujus numen ultimum jam nullis imprecamur.* Quid enim si nullis imprecamur, grave numen putaremus? Legendum itaque est, *Cujus numen ultimum nonnullis imprecamur.* Sic malo, quam cum Brissonio, *multis.* Nec enim ita multi erant, quibus Deos iratos post fata imprecarentur, quos improbis solum aut inimicis offensos optabant. Nullus enim locus, nullum tempus est, quo funestorum hominum Manes a posterorum execrationibus conquiescant, Plinius in *Panegyrico.* Sed non ita multi immortales gerebant iras, ut mortuis male precarentur. Quod Manes ipsi maxime deprecari solebant. Vetus lapis Romæ, *pag.* DCCCCXXIII. 5.

VIATOR. NOLI. MIHI. MALEDI-
CERE
NEQVEO. IN. TENEBRIS. RESPON-
DERE

Qui vero neque precabantur, neque imprecabantur, Manes contemnere & negligere credebantur. Propertius, *eleg.* VIII. *lib.* II.

Et tua contemnens transibit ossa viator.

Quem ob neglectum Manes plerunque contemptores insomniis torquebant. Tibull. *l.* II. *eleg.* VI.

Ne tibi neglecti mittant mala somnia Manes.
Omnis enim Manium contemptus fraudem aliquam continebat & malignitatem, ut Architas testatur, apud Horat. I. *carm.* od. XXVIII.
Tu nauta vage ne parce malignus arenæ,
Ossibus & capiti inbumato,
Particulam dare.

CAP. XIV.

DE PROPITIATIONE MANIUM ET EXPIATIONE.

A At vero qui Manes ita contempserant, læserant aut violarant, plerique vel illorum umbris vel criminis conscientia torquebantur, iratosque propitiare, vel crimen expiare cogebantur. Ex Numæ instituto placandos Manes Pontifex edocebat, Livius *l.* I. qui consulebatur, quo ritu, quibusque ceremoniis factæ mortuis injuriæ expiarentur. Sic Horatius cum populi judicio absolutus esset, Tullus Rex accitis Pontificibus, *Deos Manes placari jussit*, Dionys. *l.* III. ἐκέλευσεν ἐξιλάσασθαι θεούς τε καὶ δαίμονας, juvenemque his lustrationibus expiari, quas fortuitæ cædi leges præscripserant. Pontifices positis duabus aris: altera Junoni sororum inspectrici, altera patrio cuidam Deo seu Genio, quem vernacula lingua Janum appellant, & ab interemptis homicidæ consobrinis Curiatium cognominarunt: sacrisque quibusdam super eas factis, inter cætera piamenta, quibus tum usi sunt, postremo sub jugum miserunt Horatium. Hunc expiatum pecunia Livius tradit, *l.* I. patremque ipsum transmisso per viam tigillo, capite adoperto, filium velut sub jugum misisse. Quod Dionysio addit lucem, in quo mendum suspicor his in verbis: Τὸν δ' ἕτερον ἐπιχωρίῳ θεῷ τινὸς ἢ δαίμονος Ἰανῦ λεγομένῳ, κατὰ τὴν ἐπιχώριον γλῶτταν. Legendum omnino est pro Ἰανῦ, Γενίῳ, quod δαίμονος nomen indicat satis. Nam Δαίμων *Genius* est, & δαίμονες *Genii* sive *Manes*: notumque est viris Genios, ut feminis Junones, Veteres tribuisse, Plin. *l.* II. c. VII. Quare cum ara una Junoni posita sit, alteram ei Deo, qui vulgari lingua Genius nuncupatur, constitutam fuisse, nemo dubitabit. Genius autem Curiatius dictus est, quod ad placandos Curiatiorum cognatorum Manes, facra illi facta sint Horatiæ genti deinde tradita.

Laudanda maxime priscorum Romanorum pietas est, qui hostium etiam Manes sibi propitios reddere exoptarunt, eorum præcipue, qui aliqua necessitudine jungerentur aut commendarentur. Sic cum iterata conjuratione Tarquinius Latinorum opera cives multos corrupisset, qui comperto scelere ad unum omnes confecti sunt: Senatusconsultum factum est, ut tota civitas lustraretur, quod necessitate coacta esset civilis cædis author fieri, cum nefas esset ad sacra accedere & victimas immolare, antequam facinus expiatum esset, luesque solitis lustrationibus abolita, Dionys. *libr.* V. Unde M. Tullius, *in Pisonem*: *A me quidem etiam pœnas expetistis, quibus conjuratorum Manes mortuorum expiaretis. Omne odium inclusum nefariis sensibus impiorum in me profudistis, quorum ego furori nisi cessissem, in Catilinæ busto vobis ducibus mactatus essem.*

Quomodo homicidæ expiarentur, abunde Budæus docet, *ad l. aut facta §.eventus. D. de pœn.* Quæ quidem expiatio omnis Manium propitiationem respicit, quæ Diis aut hominibus violatis debebatur, Cicero *de Arusp. resp.* Quamvis autem ἱλάσκεσθαι *expiare* significet, & *placare* & *propitiare*, atque ἵλεως *propitius* dicatur, tamen expiatio multum a propitiatione differt. Propitiamus vel leviter iratos aut offensos Deos. Plauti amantes, in *Pœnulo*:

AG. *Quo te agis?* AD. *egone? in Veneris.* AG. *quid eo?* AD. *ut Venerem propitiem.*
AG. *Ebon' irata est? propitia hercle est, vel ego pro illa spondeo.*

At expiatio crimen continet, a qua Piacula sunt sacra, quibus fraus, scelus, aut cædes purgaretur, Serv. *in l* IV. & VI. *Æn.* Sed quoniam expiatio omnis ad propitiationem refertur, utraque eodem plerumque verbo denotatur. Sic busta piare dixit Propertius, pro Manes propitiare, placare. *Piacularibus* vero seu *Depulsoriis sacris* ἀποτροπαίοις καὶ ἐξακεστηρίοις θυσίαις infestantes Manes avertebant, qui cædis causam præbuissent, & ab illorum umbris agitabantur. Interfecta matre sæpe confessus est Nero se materna specie verberibus agitari furiarum, & tædis ardentibus, factoque per magos sacro, evocare Manes & exorare tentabat, Sueton. in *Ner.* c. XXXIV. Occiso Galba, Otho nocte per quietem pavefactus, dicitur gemitus maximos edidisse, repertusque a concursantibus humi ante lectum jacens, per omnia piaculorum genera Manes Galbæ, a quo deturbari expellique se viderat, propitiare conatus: idem in *Othone* c. VII. Vero quidem dicebat Poeta, *l.* VI. *Æneid.*
Quisque suos patimur Manes.
Etenim sua quemque fraus, suum scelus, sua audacia de sanitate ac mente deturbat, Cicer. *in Pison.* Hæ sunt impiorum furiæ, hæ flammæ, hæ faces. Nam ipsorum scelerum interioribus pœnis impii agitantur, consilio deducuntur, Deorumque tela in ipsorum mentibus figuntur. Expiare ergo piacularibus sacris scelus suum tentabant, qui se nefando aliquo facinore impiarant. Nam impiati dicti sunt scelerati, (Festus in verb. *impiatus*) qui proprie homicidæ creduntur. Et recte Apulejus, *l.* VIII. *Met.* cruore humano aspersum atque impiarum dixit: ut Plauti Tranio, cum monstra fingeret & narraret hospitem ab hospite in ædibus necatum, in *Mostellar.*
Scelestæ, inquit, *hæ sunt ædes, impia est habitatio.*
Impiique homicidæ dicti, quod ante expiationem sacris omnibus arcerentur, pro qua Diis Manibus Postulio debebatur, ut nos aliquando notabamus, *l.* IV. *de Jur. Pont.* c XV. Nec enim prius Manes quiescere putabantur, quam Piacularibus Sacris aut noxiorum pœnis illi placarentur. Sic Manes Virginiæ, (Liv. *l.* III) per tot domos ad petendas pœnas vagati, nullo relicto sonte, tandem quievisse narrantur. Quapropter ad mentionem defunctorum testari solebant memoriam eorum a se non sollicitari, Plin. *l.* XXVIII. c. II. quod incertæ quæstionis Plinius putat: quod tamen ideo factum arbitror, ne vel ipsa cogitatione Manes neglecti læderentur, quos iratos piaculis propitiare necesse esset. Hi enim & facile irasci, & læsi graviores pœnas expostulare credebantur.

CAP. XV.

DE LAPIDATIONE ET EXECRATIONIBUS.

Nec tamen Deorum Manium terricula tantum potuerunt, ut infestorum hominum cineres & fama post mortem non læderentur aut violarentur, & a posterorum execrationibus conquiescerent. Hinc jactatæ illæ voces post mortem Commodi ex Senatus sententia. *Hosti patriæ honores detrahantur: patricidæ honores detrahantur: par-*

ricida trahatur: parricidæ cadaver unco trahatur: parricida sepultus eruatur, trahatur. Lamprid. in *Comm.* Quæ in malos principes plerunque repetita sunt, qui iram atque odium publicum merebantur. Intemperantius boni amabant bonos principes, uti liberius oderant malos. Summi illius odii signum fuit lapidatio. Nam busta eorum, qui in publica detestatione erant, lapidibus petere solebant. Quod ex Ausonio & Græcis Poetis Scaliger ad Propertium notavit, & ex Euripide in *Electra*:

—— Ἐνθρώσκει τάφῳ,
Πέτροις τε λεύει μνῆμα λάϊνον πατρός.
—— *Insultat sepulchro,*
Saxisque pulsat lapideum monumentum patris.

Quæ in Balistam latronem Virgilius jecit in *epigr.*
Monte sub hoc lapidum tegitur Balista sepultus.

Cujus sepulchrum cum execratione lapidibus obrutum est. Scribit Spartianus in *Pescennio Nigro*: *Cum Julianus Imperator appellatus esset, isque jussu Severi & Senatus interfectus Pescennio Nigro ob Juliani detestationem primis Imperii diebus, ita fautum est a Senatoribus, qui & Severum oderant, ut inter lapidationes execrationesque omnium, uni illi feliciter optarent.* Quæ lapidatio in Julianum etiam tum in vivis agentem a populo Rom facta est, Spart. in *Did.Juliano.* Illa quidem in vivos frequens fuit, quos populus detestaretur: vel cum perditi cives seditionem in civitatem inducebant, ut P. Clodii impulsu in difficultate annonæ summaque rei frumentariæ inopia, saxis lapidatio facta est; quæ in foro sæpe visa, Cicero *pro domo sua*, & *pro Sextio.* Ut in castris, in quibus, *Primani Quintanique turbidi adeo, ut quidam saxa in Galbæ imagines jecerint*, Tacit. *l.* I. *Histor.* Furiosum lapidationis unum exemplum est, eo die quo defunctus Germanicus lapidata sunt templa, subversæ Deum Aræ, Sueton. in *Calig.* c. V. Lares a quibusdam familiares domibus abjecti, partus conjugum expositi. Quis hanc insanientis populi non horreat impietatem, qui cum malorum principum Manes intemperanter læderet, amore bonorum in Deos ipsos desæviret? O audaciam nullis piaculis procurandam! Quam tamen æmulatus est Augustus, qui classe tempestate perdita, proximis Circensibus Neptuni simulachrum detraxit, Sueton. in *Aug.* c. XVI. quem merito ob scelus hoc prudentiores notarunt.

Sed nihil hæc ad Manes, quorum non omnis lapidatio infamis fuit. Nam & illud genus sepulturæ est, ut advertit Petronius. *Præteriens*, inquit, *aliquis tralatitia humanitate lapidabit, aut quod ultimum est, iratis etiam fluctibus imprudens arena componet.* Ubi pro *tralatitia humanitate* legi posset *tralatitia humatione*, quæ magnam quidem habebat humanitatem, quam qui obmisisset, fraudem impiam commisisse dicebatur. An hujus generis Horatiæ lapidatio fuerit, dubitari posset, quam projectam in eum locum ubi confossa fuit, prætereuntes lapidibus & terra obruerunt propinquorum cura destitutam, cum pater nec filiæ cadaver domum referri, nec exequiis celebrive ornatu aut cæteris solemnibus dignatus esset, Dionys. *lib.* III. Οἱ παριόντες αὐτὴν ἐῤῥιμμένην ἐν ᾧ διεχρήσθη χωρίῳ λίθους ἐπιφοροῦντες καὶ γῆν, ἐχώννυσαν ὡς πτῶμα ἐρήμου κηδομένων. Quod humanius interpretamur, cum Livius prodat, *l.* I. Horatiæ sepulchrum, cujus frater capitis accusatus est, quo loco corruerat icta, constructum esse saxo quadrato. Quod forte factum est, post illam lapidationem, cum cadaver aliquandiu insepultum jacuisset.

Sola ergo lapidatio, qua mortuos insectabantur, contumeliosa est, quæ execrationem habet. Quod Propertius tangit paucis, *l.* IV. *eleg.* V.

Quisquis amas scabris hoc bustum cædito saxis,
Mistaque cum saxis adjice verba mala.

Sine quibus verbis lapidatio religionis est. At execratio omnes Deos, omnes homines inimicos imprecatur ἀπεύχεται, cum sit adversorum imprecatio, Serv. II. *Æneid.* Precabatur enim Deos execrantes ne benigne improborum aut inimicorum animas susciperent, sed æternis illas cruciatibus vexarent, Suidas in verb. ἀπαρτήσας. Execrationesque hujusmodi si publicæ essent, maximam irrogabant infamiam: si privata odia solum profiterentur, a quibus ne Manes quidem ipsi temperarunt, qui immortales iras exercuerunt, easque monumentis suis consignarunt ad memoriam & odium posterorum. Lapis vetus Romæ, *p.* DCCXV. 10.

C. VIVS. PATER. NATVS. MISER. DESIDERIO
NATÆ. DIEM. ET. NOCTEM. CVM. LACRIMIS
TRAXIT. VITAM. MALAM. MORTVVM. ME
QVOQVE. FVNERARI. IVSSI. REBVS. LVGVBRIS
QVIBVS. VIVOS. PARAVI. LECTO. STRAGVLIS
FORENSIS. PÆNVLA. NIGRIS. OMNIBVS. OSSA
MEA. IN. ARAM. MIXTA. CVM. FILIÆ. VNA
REQVIESCVNT. HOC. SOLACIVM. MECVM
ERIT. CIRCA. ARAM. LIBERTIS. LIBERTABVS
QVE. POSTERISQVE. EORVM. ET QVIBVS PER
MISERINT. HAC. LEGE. VT. QVOTIENS. QVIS
EORVM. SVIS. CORONAS. PONENT.
ET. ARAM
NOSTRAM. CORONENT. ATIMETO. LIB. CVIVS
DOLO. FILIAM. AMISI. RESTEN. ET. CLAVOM
VNDE. SIBI. COLLVM. ALLIGET

Indulgentius alii, neglecti obsequii reos liberos suos non ita aperte monumento notaverunt. Infelices certe, qui hunc lapidem movebant, qualis in Janiculo legitur, *p.* DCCL. 6.

DIS. MANIBVS
M. ACVTIVS
SALVTARIS
FECIT. SIBI. ET. TERTVLLÆ
CONIVGI. SVÆ
BENE. VALEAS. RELIGIOSE. QVI
HOC LEGIS
BENE. SIT. FILIS. FILIABVS. MEIS
QVI. ME. BENE. COLVERVNT

Hæc liberorum pietatem incusant, quorum graviores mores, cum pater dissimulare non potuisset, offensum animum monumento posteris testatus est.

Sed & mortui mortuos execrari & infesti inimicitias exercere post fata traduntur. In Gargani cacumine duo sepulchra sunt fratrum duorum, (Servius XI. *Æneid.*) quorum cum major virginem quandam despondisset, quam minor conabatur rapere: armis certatum est, utrique occisi, ibique ad memoriam invicem se occidentes sepulti. Quæ res

admirationem habet illam, ut si duo inter se per A ipsum montem agentes iter, uno impetu vel eodem momento saxa adversum sepulchra jecerint, vi nescio qua saxa ipsa separata ad sepulchra decidant. Simile Thebanorum fratrum factum fuit, quod Bianor Poeta epitaphio celebravit:

Οἰδίποδος παίδων Θήβη τάφος, ἀλλ᾽ ὁ πανώλης,
Τύμβος ἔτι, ζώντων αἰσθάνεται δοράτων.
Κείνους οὔτ᾽ ἀΐδης ἐδαμάσατο, κἠν Ἀχέροντι,
Μάρνανται, κείνων χ᾽ ὡ τάφος ἀντίπαλος.
Καὶ πυρὶ πῦρ ἤλεγξαν ἐναντίον. ὦ ἐλεεινοὶ,
Παῖδες, ἀκοιμήτων ἁψάμενοι δοράτων.

Nos Græca sic olim utcunque reddebamus: B

Natorum Oedipodæ Thebe crudele sepulchrum,
Quod vivo extinctos verberat ense rogos.
Non Orcus domuit fratres, Acheronte sub ipso,
Pugnant, & tumulus hostis adest tumulo.
O miseri! insurgunt diviso vertice flammæ,
Perpetuis juvenes ensibus usque cadunt.

Triste hoc certamen, quod ut mutuis perpetuo vulneribus conciderent fratres, Ausonius suis versibus exornavit, *epig.* CXXXI. qui multum ut nostra absunt a Græcorum elegantia. His exemplis clarum est, quod mali non æternis solum suppliciis cruciari creduntur, C sed & publico odio exagitati solam infamiam immortalem habent, quibus homines in magna fortuna positi moveri debent ad virtutis studium, eosque qui illud excolunt, venerari, qui ab iis læsi vel irati, eam plerumque invidiam scriptis posthumis in illos concitant, quæ nullis ætatibus extingui possit. Ut quorum injurias jure injustas perpessi sunt, securi aliquando probe ulciscantur, & vitia traducant, quæ virtutes in illis mentiuntur.

CAP. XVI.

DE UMBRIS ET LEMURIBUS. D

Utrum umbræ habeant propriam figuram numenque aliquod, an inanem & variam ex metu nostro imaginem accipiant, Cassius cum Bruto ex Epicuri disciplina disputavit, Plutarch. in *Bruto Junior.* Nos hac in re D. Augustini (*l. de cur. pro mort. agend.* c. X.) sententiam sequimur, qui ea tradit, quæ & rationi & fidei consentanea judicantur. Nunc vero communem veterum opinionem aperiemus, qui umbras in somnis apparere viventibus crediderunt, eorum maxime, qui justa sepultura caruissent, quod Homeri Patroclus probat, *Iliad.* ψ΄. qui in somnis Achillem monebat: E

Θάπτε με ὅττι τάχιστα, πύλας Ἀΐδαο περήσω,
Τῆλέ με εἴργουσι ψυχαὶ εἴδωλα καμόντων,
Οὐδέ με πως μίσγεσθαι ὑπὲρ ποταμοῖο ἐῶσιν,
Ἀλλ᾽ αὔτως ἀλάλημαι, ἀν᾽ εὐρυπυλὲς Ἀΐδος δῶ.
Καί μοι δὸς τὴν χεῖρ᾽ ὀλοφύρομαι, οὐ χαρ᾽ ἔτ᾽ αὖθις
Νίσσομαι ἐξ Ἀΐδαο, ἐπὴν με πυρὸς λελάχητε.

Me terræ propera mandare ut limina pandas
Umbrarum, unde animæ exturbant probibentque suorum
Misceri cœtu, Stygiasve innare paludes.
Per loca senta situ, per & ostia Ditis oberro,
Da dextram misero: nec Averni limina rursum F
Transiliam, ut placidis semel ignibus ossa quiescent.

Sic Polydori *indefleti & insepulti*, ἀκλαύτου καὶ ἀτάφου. Idolon apparuit, Euripid. in *Hecub.* ut sepulturam consequeretur quam anxie Palinuri umbra ab Ænea petebat, Virgil. *l.* VI. Et Plauti Tranio in *Mostellar.* quo facilius seni domino suaderet illius domum umbris infestari, necatum hospitem & insepultum in ædibus jacere, & in somnis venice lepide somniabat, atque hoc pacto dixisse mortuum:

Me in Acheruntem recipere Orcus noluit,
Quia præmature vita careo, per fidem,
Deceptus sum, hospes hic me necavit, isque me
Defodit insepultum.

Refert Plin. *l.* VII. *Epist.* Athenis capacem & spatiosam domum nocturnis imaginibus diu vexatam, in qua reperta sunt ossa inserta, catenis implicita, quæ ubi publice sepulta sunt, domum illam postea rite conditis Manibus caruisse. Cadaver Caligulæ illo occiso, (Sueton. in *Calig.* c. LIX.) clam in hortos Lamianos adsportatum & tumultuario rogo semiambustum levi cespite obrutum est, postea per sorores ab exilio reversas erutum, crematum, sepultumque: Satis constat priusquam id fieret hortorum custodes umbris inquietatos, in ea quoque domo, in qua occubuit nullam noctem sine aliquo terrore transactam, donec ipsa domus incendio consumpta sit. Insepulti ergo cum cadaver sepultum esset ex Homeri sententia umbra amplius non apparebat. Quare optime Virgil. *l.* IV. *Æneid.* sub persona Annæ ad Didonem:

Id cinerem aut Manes credis curare sepultos?

Quod frustra Servius secundum Epicuri doctrinam dictum putat: cum sepultis & in pace quiescentibus nullus amplius ab inferis regressus esset, nec ulla rerum humanarum cogitatio insidere illis crederetur. Unde ergo, dicet aliquis, post sepulturam, tot noctis intempestæ Manes larvæque narrantur? Nos quidem de sepultorum umbris ea diximus, quæ Veteres tenuerunt, quorum corpora terra condita vanas imagines omnino avertebant. Aliorum tamen pleræque licet post sepulturam umbræ vagabantur, certis ex causis: ut si quis per vim, dolum, culpamve, vel mortem alteri intulisset, vel mortis causam præbuisset. Sic peractis Feralibus officiis diu umbra Lepolemi, cum hic a Thrasyllo necatus esset, quietem interpellavit uxoris, cui Thrasylli scelus denudavit, Apul. VIII. *Met.* Quod in Nerone & Othone supra advertimus. Quin Domitianus, antequam occideretur, Junium Rusticum, quem innocentem interfecerat, gladio ad se venientem in somnis vidit, Xiphilin. in *Domit.* & graviore injuria perculsa Dido Æneæ minabatur, *l. Æneid.*

Omnibus umbra locis adero, dabis improbe pœnas.

Ex quibus constat etiam post sepulturam mortuorum umbras vivos vexasse. Nam dicunt Physici, (*Serv.* IV. *Æneid.*) eos qui morte violenta concidissent non recipi in originem suam, donec errantes legitimum fati tempus complevissent. Quod Tertullianus docet, *l. de anim.* c. LVI. *Creditum est*, inquit, *insepultos non ante ad inferos redigi quam Justa perceperint, secundum Homericum Patroclum, funus in somnis ab Achille flagitantem, quod non alias portas adire inferum posset, arcentibus eum longe animabus sepultorum.* Deinde addit. *Ajunt & immatura morte præventos eousque vagari istbic, donec reliquatio compleatur ætatis, qua cum pervixissent, si non intempestive obiissent.* Deinde. *Proinde extorres inferum habebantur, quas vi ereptas arbitrantur, præcipue per atrocitates suppliciorum crucis, dico & securis & gladii & feræ.* Dido ergo cum ante diem occideret, nec ab inferis ante legitimum illud tempus recipi posset, Æneam insequitur iratis Manibus pœnas daturum. Quod idem Horatius veneficæ cuidam prænuntiat, quam diris se acturum interminatur, *l. Epod.* od. V.

Quin ubi perire jussus expiravero,
Nocturnus occurram furor:

Petamque vultus umbra curvis unguibus,
Quæ vis Deorum est Manium:
Et inquietis assidens præcordiis,
Pavore somnos auferam.

Tanta vis credita Manium, ut tristes dirasque noctes redderent, quarum vigilias morbus, & crescente formidine mors sequeretur, Plin. *l.* VII. *Epist.*

Frustra alii sepultorum umbras, qui sua morte obiissent, videre optarunt, ut Furia Spes, quæ inane hoc desiderium conjugis monumento inscripsit. Romæ, p. DCCLXXXVI. 5.

ANIMÆ. SANCTÆ. COLENDÆ
D. M
FVRIA. SPES. L. SEMPRONIO
FIRMO
CONIVGI. CARISSIMO. MIHI. VT.
COGNOVI
PVER. PVELLA. OBLIGATI. A-
MORI. PARITER
CVM. QVO. VIXI. TEMPORI. MI-
NIMO. ET
QVO. TEMPORE. VIVERE. DE-
BVIMVS
A. MANV. MALA. DISPARATI.
SVMVS
ITA. PETO. VOS. MANES
SANCTISSIMI
COMMENDATVM. HABEATIS
MEVM. CONIVGEM. ET. VEL-
LITIS
HVIC. INDVLGENTISSIMI. ESSE
HORIS. NOCTVRNIS
VT. EVM. VIDEAM
ET. ETIAM. ME. FATO. SVADERE
VELLIT. VT. ET EGO. POSSIM
DVLCIVS. ET. CELERIVS
APVT. EVM. PERVENIRE

Visis quibusdam sæpe moventur multi, hisque maxime nocturnis, ut videantur hi, qui vita excesserint, se in somnis alloqui. Quod de Hectore Æneas narrat, *l* II. *Æneid.*

In somnis ecce ante oculos mæstissimus Hector
Visus adesse mihi.

Atque id *κατ' εἰδώλων φαντασίας*, ut dicebant Epicurei, qui putabant etiam *διανοητικὰς φαντασίας* umbris excitari, Cic. *l.* XV. *epist.* XVI. Vetus etiam fuit opinio per umbrarum lapsus somnia fieri & in somnis umbras apparere iis, qui vanas imagines mente concepissent. Παλαιὰ αἵρεσις δι' εἰδώλον ἐμπτώσεως, τὰς ὀνείρους γίγνεσθαι, καὶ εἰδώλων φαίνεσθαι καθ' ὕπνους τοῖς φανταζομένοις. Eusthat. *Il.* ψ'. Ad quod alludens M. Tullius scribit Attico, *l.* II. *epist.* III. *Fenestrarum angustias quod reprehendis, scito radiorum τὰς διαφάσεις latis luminibus non tam esse suaves.* Nam si κατ' εἰδώλων ἐμπτώσεις *videremus, valde laborarent εἴδωλα in angustiis.* Umbræ autem pellucidæ fulgore suo ædes complebant. Propert. *l.* IV. *eleg.* VII.

Lucidaque evictos effugit umbra rogos.

Non cuivis obvium quid sibi velit M. Tullius, ecquid in nova ædium constructione *ἐμπτώσεως εἰδώλων* meminerit. Facete ut opinor cum Attico jocatur, obscureque ut solet. Nam peracto ædificio Larem familiarem Dominus sa utabat primum, eique sacrum faciebat, quo Lemures extra januam ejiceret. Ex quo more apud nos novæ domus incolæ cœnam amicis parant: unde natum proverbium *Chasser les Esprits.* Merito in tristitia temporum M. Tullius in effugandis Lemuribus umbrarum ipsus pertimescit, quas εἴδωλα vocat, quæ proprie Σκιαί. Sed unum pro alio usurpavit, ne aperte nimis loqueretur, & fenestram eam patefaceret, quam angustiorem optabat. Umbræ vero, ut vulgatum est, dicebantur ii, qui nec vocati ad cœnam venirent. Unde illud Horatii *l.* I. *epist.* V.

Locus est & pluribus umbris.

quæ vocatos comitarentur. De iis Plutarch. *l.* VII. *Convivior.* Ἀπεχιῶ; σκία προβαιδίζουσα ἐξόπισθεν π φῶς ἔχοντες. Plane velut umbræ in angustiis laborarent, inquit Tullius, qui cuperet ut pauciores comites, vocatos sequerentur. Hanc interpretationem, si minus clara videbitur, juvat quod in fine epistolæ scriptum est, *Tu pridie compitalia momento:* quem diem festum esse Deorum inferorum nemo nescit, (Fest. in verb. *Pilæ*) qui epulis lautioribus celebraretur.

Omittamus lucidas & ad pallentes umbras redeamus, quas atra bile perciti sibi fingunt sæpe, & cum in aere proximo suam quamdam imaginem contemplantur, suos se videre Manes putant. His larvis agitati quidam famelici Κηρῶν λεπτότεροι umbris macilentiores ea nobis aliquando monstra fecerunt, ut merito cum Samyrio Melito & Cinesio *ἰδιοφῶται*, ad inferos traduci possent ad cœtum malevolorum legati, Eusth. *Iliad.* ψ'. Ex iis unum ut Cinesia famosus propter impietatem & *παρανομίαν* lento & pigro corpore, capite tremulo, vagis oculis in sceleti formam factus est, cujus in *Ranarum* fabula Aristophanes meminisse potuisset, etenim *ῥηπερδέει* nugatur & garrit, omniaque ad Rempub. refert quam meis me scriptis perturbare somniat, a qua ut a bonis omnibus ejici & in ultimas terras deportari, si quid leges valerent, jamdudum debuisset. Larva umbratilis *νυκτερινὸς δαίμων*, qui nihil nisi caligantibus oculis & animo usquam vidit, intemperiis insaniisque agitatus, eaque deliramenta loquitur, ut *σκιομαχεῖν* perpetuo videatur dum Manias ille atque umbram suam metuit. Sed satis hic Manes suos patitur, quem larvæ furore & stultitia stimulant. Has quidem εἴδωλα dictas lego in *Gloss. Lat. Græc.* generali verbo, cum tamen larvæ sint potius *μαρμαγαὶ*, Galen. *l.* I. *ad Glauc.* *γόργεια*, *μορμολύκεια*, Hesych. erratici dæmones, qui noctu discurrentes terrorem formidolosis incutiunt. Qui fit ut apud Virgil. *l.* IV. *Æneid.* Dicto sibi dira imprecatur, si pudorem violarit, aliquando legendum crediderim,

Et Pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras
Palantes umbras Erebi.

pro *pallentes.* Nam palantes umbræ sunt errantes, quæ nunquam conquiescunt, quod imprecationi convenit magis. Pallentes umbræ sunt εἴδωλα. Palantes *μόρμονες* larvæ, noxiæ inferorum umbræ, quæ sceleris alicujus sibi consciæ perpetuo vagantur ubique invisæ. Nam Manes, qui prioris vitæ honestate adjuti sunt, in Lares domorum urbiumque vertuntur, Mart. Capella *l.* II. *de Philolog.* si autem depravantur ex corpore, Larvæ perhibentur ac Maniæ. Manes igitur tam boni quam truces sunt constituti, quos *ἀγαθοὺς καὶ κακοὺς δαίμονας* memorat Graja discretio. Hoc idem Apulejus *l. de Deo Socrat.* tradit. *Ex Lemuribus*, inquit, *qui posterorum suorum curam sortitus pacato & quieto nomine domum possidet, Lar dicitur familiaris. Qui vero propter adversa vitæ merita nullis bonis sedibus in terra vagatione seu quodam exilio punitur, inane terriculamentum bonis hominibus, hanc plerique larvam perhibent. Cum vero incertum est quæ cuique eorum sortitio evenerit, utrum Lar sit non*

larva: nomine Manium Deum nuncupant, & honoris gratia Dei vocabulum additum est. Plotinus paulo aliter, apud D. Aug. lib. IX. *de Civit. Dei.* cap. XI. *Animas hominum dæmones esse & ex hominibus fieri lares, si meriti boni sint: lemures seu larvas, si mali. Manes autem cum incertum est bonorum eos seu malorum esse meritorum.* Quod si Lemures inter bonos censerentur, ut Apulejus putat, cur cum in sacris fabam noctu jactabant, dicebant se Lemures extra januam ejicere? Varro *de vit. pop. Rom.* apud Non. Lemures ergo sunt νυκτερινοὶ δαίμονες, Charis. *lib.* I. Larvæ nocturnæ & terrificationes imaginum & bestiarum, Non. in verb. *Lemures.* Qui nigri Persio, *Satyr.* I. de quibus Horatius, *lib.* II. *epist.* II.

Somnia, terrores magicos, miracula, Sagas,
Nocturnos Lemures, portentaque Thessala rides?

Recte Sagas Lemuribus jungit, quæ Larvis aut aliquo diro numine immisso, violenter hominum spiritus expugnabant, Apul. lib. IX. *Metam.* & familiam excantare dicebantur, Plautus in *Amphitruon.*

Præstigiator aut veneficus,
Hanc excantat tibi familiam.

Et paulo post:

Ulciscar hodie Thessalum veneficum.

Lemures proprie domi vagabantur, ut ex Ovidio v. *Fast.* colligo, cum de Lemuribus festis loquitur:

Et rogat ut tectis exeat umbra suis.

At Larvæ in Bustis aut Sepulchris, quod eleganter Apulejus *Apolog.* I. tangit. *At tibi pro isto mendacio aut Deus iste superum & inferum commeator utrorumque Deorum malam gratiam, semperque obvias species mortuorum, quidquid umbrarum est usquam, quidquid Lemurum, quidquid Manium, quidquid Larvarum oculis tuis oggerat: omnia noctium occursabula, omnia bustorum formidamina, omnia sepulchrorum terriculamenta,* &c. De iis Æneas Gazæus Platonicus, *in Theophrast.* quem Wolfius Latinum fecit, cujus verba mutuabor, cum Græca non suppetant: THE. *An non audis etiam circa sepulchra videri umbras & spectra, quæ profecto sunt illa aeria animarum corpora, quæ simulachra vocant?* AXIT. *Nunquid hoc ignoras, qui cognita habes omnia, hæc spectra esse mala Dæmonia humanas animas repræsentantia? Quodque hi, qui incantationibus operam navant, seque posse profitentur jam olim defunctum evocare, non hominem carminibus suis attrahunt, sed dæmonium aliquod malum, quod simulachrum hominis effingat?* Hæc fuit doctrina Platonis in *Phædone.* Ille enim: Ψυχὴ περὶ τὰ μνήματά τε καὶ τὰς τάφους καλινδουμένη. Περὶ ἃ δὴ καὶ ὤφθη ἄττα ψυχῶν σκιοειδῆ φαντάσματα, οἷα παρέχονται, αἱ τοιαῦται ψυχαὶ εἴδωλα, αἱ μὴ καθαρῶς ἀπολυθεῖσαι, ἀλλὰ τοῦ ὁρατοῦ μετέχουσαι, διὸ καὶ ὁρῶνται. *Anima circa monumenta sepulchraque versatur, circaque jam nonnulla apparuerunt Umbrarum fantasmata, qualia præferunt simulachra tales animæ, quæ videlicet non pure discesserunt a corpore, sed visibile aliquid trahentes, quo fit ut videri possint. Consentaneum itaque est non has bonorum animas esse, sed malorum, quæ circa hæc oberrare coguntur pœnas dantes, vitæ improbe actæ.* Εἰκὸς μέντοι, καὶ οὔτι γε τὰς τῶν ἀγαθῶν ταύτας εἶναι, ἀλλὰ τὰς τῶν φαύλων, αἳ περὶ τὰ τοιαῦτα, ἀναγκάζονται πλανᾶσθαι, δίκην τίνουσαι τῆς προτέρας τροφῆς, κακῆς οὔσης. Larvæ sunt a Lemuribus diversæ, generali utrique verbo Umbræ dictæ, Martialis, *lib.* VII. *epigr.* XX.

Heu Nero crudelis nullaque invisior Umbra.

Lego, *nigraque*, vel *pullaque*: nam hoc verbi *nulla*, nullum habet sensum. Hoc unum quærendum a nobis est, cur ad fugandos Lemures,

Signa dabant digitis medio cum pollice juncto,
Occurrat tacito ne levis umbra sibi.

Ovid. v. *Fast.* Et cur umbræ ipsæ venientes digitis aliquando increpabant, ut de Cynthiæ umbra Propertius scribit, *lib.* IV. *eleg.* VII.

Spirantesque animas & vocem misit: at illi
Pollicibus fragiles increpuere manus.

Putat Scaliger hunc fuisse gestum componentium se ad dicendum, quod authorum locis aliquot probare nititur, quos probare hac in re non possem. Utrumque enim ex communi more ductum est. Nam pollices premere cum favemus etiam proverbio jubemur, Plin. *lib.* XXVIII. *cap.* III. Cum ergo presso pollice Lemuribus signa darent, hoc sine strepitu faciebant, ut umbrarum favorem in illis effugandis mererentur. Contra digiti crepitus fastidientis est aut irati, quod Cynthiæ ipsius verba declarant, quæ cum digitis increpuisset, extemplo perfidiæ Propertium arguit. Sic superbiores solebant digituli crepitu silentium imperare, quod D. Hieronymus, epist. IV. *ad Rust. Monach.* in Grunio Rhetore reprehendebat. Hoc & Petronii locus, quem laudat Scaliger, etiam confirmat. *Retexit superbum pallio caput & manibus internis in articulorum strepitum constrictis, Quænam est, inquit, hæc audacia?* Articulorum strepitum superbiæ tribuit Petronius, quæ magna in multis, qui fastidientes hæc nostra rejicient, ut famam aliquam doctrinæ apud imperitos assequantur,

Sed jubeant converso pollice rumpi,

Et favorem denegent, nos interpretationis nostræ adstipulatores Græcos habemus. Sardanapalus, ut refert Clearchus, apud Athenæum *lib.* XII. insculptis monumento digitis declarabat res hominum esse ridiculas, *nec digitorum dignas strepitu*, οὐκ ἄξια ὄντα ψόφου δακτύλων. Quæ digitorum complosio ἀποκρότημα dicta est, Strabo *lib.* XIV. lætitiæ aut contemptus indicium.

CAP. XVII.

DE INSEPULTIS ET HUMATIONE.

Et quoniam insepultorum animas errare, nec ab inferis recipi demonstratum est, locus hic postulat, ut de Insepultis & Humatione nonnihil dicamus. *Titulus injuriæ*, ait Tertullianus lib. *de Anima* cap. I. *cessatio est sepulturæ*, cujus cura ad proximos pertinet. Illa soli prohibeantur damnati, ut priore libro dictum a nobis est, cæteri per contemptum negligentiam aut casum hoc honore caruerunt. De damnatis nihil repetere nobis necesse est, qui sepultura prohibiti post Tiberii tempora, Tacitus lib. VI. *Ann.* Insepulti per contemptum aut odium, vivorum famam læserunt. Hinc superbo cognomen Tarquinio fuit, quod socerum gener sepultura prohibuisset, Romulum quoque periisse dictitans insepultum, Livius *lib.* I. Negligentia prætereuntes extraneos respicit, qui in cadavera insepulta inciderunt. Casus acerbior fuit cum hostili in terra insepulti turpiter jacebant: aut fluctibus obrutis sepultura non contingeret. Vegetius *lib.* IV. *cap.* XLIV. Etenim illis miseris:

Nec ripas datur horrendas, nec rauca fluenta,
Transportare prius quam sedibus ossa quierunt,
Centum errant annos volitantque hæc littora circum
Tum demum admissi stagna exoptata revisunt.

Virg. lib. VI. *Æneid.* Sepultura ergo quietem adferre credebatur, quæ & *mortis honor* dicitur, *Exequialis honor*, *Supremus*, Aus. in *Parental.* IX. & in *Professor.* IX. *Supremitatis honos*, Ammiano Marcellino, *lib.* XXXI. quem minus apte *humanæ sortis commercium*, Tacitus vocat, lib. VI. *Annal.* humanius Novella Valentiniani *munus extremum* nuncupavit.

—— Qui solus honos Acheronte sub imo est.

Virgilius *lib* xi. Quem contemptor ille Divum Mezentius, cum mortem non deprecaretur, ab Ænea expetivit, Virgil. lib. x. *Æneid.* & *ibi* Servius:

> *Unum hoc per, si qua est victis venia hostibus, oro*
> *Corpus humo patiare tegi.*

Venia, quæ victis hostibus dabatur, sepultura fuit, cujus causa confecto prælio solebant inducias pacisci, quas qui peteret, victum se fatebatur, Livius *lib.* xxxii. Plutarchus in *Agesilao*. Sepulturam autem procurasse pietatis officium fuit, quod quidam mortuorum tumulis inscripserunt. Lapis Tarracone.

D. M
HIC. IACET. FIRMIDONIVS
FIRMIDONIA. FILIA. SVA
HANC. SEPVLTVRAM
PROCVRAVIT

Sine fletu sepulturam non fuisse Servius putat, motus Poetæ verbis, lib. xi. *Æn. Cui inops inflětaque turba.* Quod exequias viliores tantum designat, cum lacrymæ sepulturam honoratiorem redderent, ut supra notabamus, *lib.* i. *cap.* xxviii. Quas lacrymas parentum, vectigales Trajanus non est passus, sed constituit, ut pater bona filii sine diminutione possideret, nec socium hereditatis acciperet, qui non habeat luctus, Plinius in *Panegyr.*

Ut vero sola sepultura pax mortuorum fuit, ut Servius tradit, *d. lib.* xi. sic pacem funeri dedisse dicuntur, qui corpus humo condiderunt, ut & solatium fuit vivorum, humare defunctos, Plin. *lib.* vii. *cap.* xxix. Perite Virgilius ut semper, lib. xi. *Æneid.*

> *Quisquis honos tumuli, quidquid solamen humandi est*
> *Largior.*

Sic honor tumuli ab humatione separatur, quæ diversa sunt ex Pontificum disciplina. Nam sepultus intelligitur quoquo modo conditus, humatus vero humo contectus, Plinius *lib.* vii. *cap.* liv. ut sepelire est condere corpus: humare, humo obruere, Isidorus *lib.* xi. *cap.* ii. Quod terra sit humus, inquit Varro, lib. iv. *de Ling. Lat.* ab eo humatus dicitur, qui terra obrutus sit. Ab eo, qui Romæ combustus est, aut in sepulchrum ejus abjecta gleba non est: aut si os exceptum est ad mortui familiam expurgandam: donec in purgando, humo non est opertus, ut Pontifices dicunt, quoad inhumatus sit, familia funesta manet, & dicitur humilior: nam humilis ab humo, Isidorus lib. x. *Etym.* unde humilis sepultura Tacito, lib. i. *Histor* qui *Galbæ corpus diu neglectum narrat & licentia tenebrarum plurimis ludibriis vexatum, quod dispensator Argius e prioribus servis humili sepultura in privatis hortis contexit.* Sepulturam humilem dixit, quod leviter Galba humatus est sine ullis funerum solemnibus. Idem ille de Agrippina, lib xiv *Annal. Quæ cremata nocte eadem, qua occisa est exequiis vilibus: neque dum Nero rerum potiebatur congesta aut clausa humo est: mox domesticorum cura levem tumulum accepit.*

Qui ergo combustus erat, neque sepultus, neque humatus dicebatur. *Hominem mortuum*, inquit lex xii. Tabularum, *in urbe ne sepelito, neve urito*: Indicat non eum, qui uratur sepeliri, sed qui humetur, Cicero *de Legibus*. Et quod nunc communiter in omnibus sepultis ponetur, ut humati dicantur, id erat proprium tum in iis, quos humus injecta contegeret, eumque morem jus Pontificale confirmat. Nam priusquam in os injecta gleba est, locus ille, ubi crematum est corpus, nihil habet religionis: injecta gleba, tum & ille humatus est, & sepulchrum vocatur, ac tum denique multa religiosa Jura complectitur, & gleba vocatur. Quare fluctibus obruto sepultura non erat, Petronius *Sat.* quæ per glebæ injectionem justa & plena putabatur. Antiquissimum genus sepulturæ humatio, redditur enim terræ corpus, & ita locatum & situm, quasi operimento matris obducitur. Atque in terram cadentibus corporibus hisque humo tectis, ex quo dictum est humari, sub terra censebant reliquam vitam agi mortuorum, quam eorum opinionem magni errores consequuti sunt, quos M. Tullius enumerat & refellit. i. *Tuscul. Sed cum multa*, ait ille *Philipp.* xiv. *& varia impendeant hominibus genera mortis: nec inhumati sunt, nec deserti, nec dispersis bustis humili sepultura cremati, qui contecti sunt publicis operibus atque muneribus, eaque extructione, quæ sit ad memoriam æternitatis, Ara virtutis.* Quod contigit iis omnibus, qui pro patriæ salute, vel honesta qualibet causa fortiter ceciderunt, jacereque maluerunt insepulti, quam videre sepultam patriam aut virtutem, pro quibus quilibet perpeti nec turpe, nec miserandum putatur.

Cap. XVIII.

DE IMAGINARIA SEPULTURA INANI, ET HONORARIO TUMULO.

Glebæ injectio justam & plenam, pulveris jactus imaginariam sepulturam facit. Hinc Poetæ, *Inops inhumataque turba est*, lib. v. *Æneid.* & *ibi* Servius, quæ nec legitimam habet, nec imaginariam sepulturam, inops dicta est ab Ope quæ terra est: ut inops turba sit sine terra, sine pulveris jactu, qui a prætereuntibus pro sepultura dabatur. Nam in sacris si manu plena non obrueretur, ter jacta terra cadaveri pro sepultura fuit, Acro *ad lib.* i. *Carm. od.* xviii. Nec sepultum possumus dicere, cujus sepultura hoc ritu vel solemni & solito perfecta non sit: sed fortuita est obrutus terra. Unde cum Æneas Polydori corpus terra contectum offendisset, illud iterum solemni hoc ritu sepelivit, Virgilius iii. *Æneid.*

> *Ergo instauratur Polydoro funus & ingens*
> *Aggeritur tumulo tellus: stant Manibus Aræ*
> *Cæruleis mœstæ vittis, atraque cupresso*
> *Et circum Iliades crinem de more solutæ.*
> *Inferimus tepido spumantia cymbia lacte,*
> *Sanguinis & sacri pateras animamque sepulchro,*
> *Condimus, & magna supremum voce ciemus.*

Supremum vale, quod Plauto est *supremum dicere*, in *Asin.* Hæc quidem terræ injectio fieri potuit secundum Pontificalem ritum, & circa absentium corpora, quibusdam solemnibus sacris, ut Servius docet lib. vi. *Æneid.* Quod & Virgilius probat ex verbis Nysi ad Euryalum, *lib.* ix.

> *Sit qui me raptum pugna pretiove redemptum*
> *Mandet humo solita: aut si qua id fortuna vetabit,*
> *Absenti ferat Inferias, decoretque sepulchro.*

Inferiarum modum ex Polydori funere colligimus. His peractis sepulchri honorem implere credebantur Cenotaphio facto. Quod genus sepulturæ imaginarium, antiquissimum fuisse Homerus testatur, cum Menelaus peregrina in terra Agamemnoni inanem hujusmodi tumulum se fecisse Telemacho narret, *Odyss.* δ'

> *Χεῦ Ἀγαμέμνονι τύμβον ἵν' ἄσβεςον κλέος εἴη.*
> *Constitui tumulum Atridæ, quæ gloria summa est.*

Χέειν τύμβον proprie non est *bustum facere*, ut quidam scripserunt, sed *tumulum* ex terra congesta in modum aggeris extruere, licet τύμβος variam habeat significationem, & sumatur pro busto, tumulo, sepulchro, *Lexicon. vet. Græc. Lat.* Sæpius tamen τύμβος tumulus est, χωστὸς τάφος, χυτὴ γῆ, qui a sepulchro differt, ut imaginaria sepultura ab imaginario funere separatur, quale Pertinacis imagini ductum est, Censoria pompa, Capitolin. in *Pertinace*. Sic etiam Cenotaphium ab honorario tumulo aliquantum differt. Nam Cenotaphium non ad honorem tantum, sed ad sepulturam refertur: at vero honorarius tumulus sepultis etiam excitabatur, quo eorum memoria amplius celebraretur. Ut cum Drusi Neronis Corpus in Campo Martio sepultum esset, exercitus honorarium ei tumulum extruxit, circa quem deinceps quotannis miles decurreret, Sueton. in *Claud.* c. I. Hunc tumulum sic exprimit Dio, *lib.* LV. τιμὰς καὶ εἰκόνων καὶ ἀψῖδος κενοταφίου τε, *honores imaginum, Arcus & inanis tumuli*, quem uno verbo *honorarium* Suetonius vocat: M. Tullius *gloriæ munus*, *Philipp.* XIV. cum optimis & fortissimis civibus monumenti honores persolvuntur. Multa enim viri illustres monumenta habuerunt, quibus unum sepulchrum esset, quo corpus conderetur, ut Æneæ plurimi sunt tumuli extructi iis in locis, quibus hominum sibi benevolentiam conciliarat, Dionys. *lib.* I. Quod & Neroni Druso factum vetus Inscriptio declarat, *pag.* CCXXXVII. 5.

TI. CLAVDIVS. DRVSI. F. CÆS. AVG GERM
PONT. MAX. TRIB. POT. II. COS. DESIG. III. IMP
III. P. P. DEDIT. OB. MEMORIAM. PATRIS. SVI
DEC. VII. COLLEGI. FABRVM. M. R.
H-S. CIↃ. N
LIBERALITATE. DONAVIT. SVB. HAC. CONDI
TIONE. VT. QVOTANNIS. ROSAS. AD. MONV
MENTVM. EIVS. DEFERANT. ET. IBI. EPULEN
TVR. DVNTAXAT. IN. V. ID. IVLIAS. QVOD. SI
NEGLEXERINT. TVNC. AD. VIII. E. IVSDEM
COLLEGII. PERTINERE. DEBEBIT. CONDICIO
NE. SVPRA. DICTA

At vero Cenotaphium honorem quidem, sed sepulturæ necessitatem magis continebat. Tale illud Deiphobi cui Æneas,

Tumulum Rhœteo in littore inanem,
Constituit, magna & Manes ter voce vocavit.

Cui Deiphobus,

Omnia Deiphobo solvisti & funeris Umbris.

Virgilius VI. *Æneid.* Instauraverat Polydoro funus, quod non potuisset, nisi fuisset cadaver. Hic tantum umbris justa funeris persolvit, ut umbræ funeris denotant sepulturæ adumbrationem, quam imaginariam appellamus.

Sed utrum Cenotaphium aliquid habuerit religionis, non satis inter se Juris authores videntur consentire. Martiano placet (*l. in tantum §. fin. D. de rer. divis.*) Cenotaphii locum religiosum esse, ex Virgilii authoritate. Ulpianus contra ex Divorum fratrum Rescripto, *l. sed Divi. D. eod.* Nam si adhuc monumentum purum est: poterit quis hoc & vendere & donare: si Cenotaphium sit, posse hoc venire dicendum est, nec enim hoc religiosum est, *l. vel quæ. §. fin. D. de relig.* Divorum fratrum Rescriptum quod Ulpianus sequitur, Martianus non ignoravit, qui illorum edicti *de Justis sepulturis* meminit, *l. Div. D. de relig.* Quod non ad omnia Cœnotaphia trahendum putat, cum ex iis quædam religiosa dici possint. Quænam illa sint ex Virgilio confirmat, cujus versus cum obmissi ab illo sint, eos viri docti ex tertio *Æneidos* suppleverunt, ubi

Solemnes tam forte Dapes & tristia dona,
Ante urbem in loco falsi Simoentis ad undam,
Libabat Cineri Andromache, Manesque vocabat
Hectoreum ad tumulum, viridi quem cespite inanem
Et geminas causam lacrimis sacraverat aras.

Quos versus contra Martiani mentem facere Guichardus putat, cum non de tumulo Hectoris, ut ait, sed de Anniversario sacro loquatur Poeta. Quare illos ex *Æneidos* sexto esse repetendos affirmat, ubi de Palinuri aut Deiphobi imaginaria sepultura tractatur. Sed valde lapsus est vir doctissimus, cum lapsos alios sibi persuasit. Nec enim Palinuri aut Deiphobi ulla ratione tumuli religiosi dici possunt, cum nihil sacri habuerint. At inanis cespes Hectoris quod Cenotaphium est, ideo religionem habet, quod cum illo geminæ aræ sacratæ sunt, quarum consecratione locus sacer factus est. Sacrum autem omne Religiosum est, & quæ religiosis adhærent, religiosa sunt, *l. quæ religiosis D. de rer. vendic.* Cum igitur sacratis aris Cenotaphium adhæreat, religiosum illud esse nemo dubitabit. Quod si sacer locus non sit, Cenotaphium religiosum illum non facit, quia nulla illatio est mortui, quæ naturam loci possit commutare. Sic pugnantes leges, quæ videntur conciliari facile possint: & Inscriptiones plurimæ faciunt ad hanc conciliationem. Nam qui viventes sibi monumentum faciebant, cum incertum esset an illorum corpus aut reliquiæ in illud inferrentur, locum consecrabant, ut illorum memoria perpetuo servaretur. Lapis Romæ, *pag.* DCCCLXII.

C. CÆCILIVS. FELIX
ET. C. CÆCILIVS. VRBICVS
LOCVM. ITA. VTI. EST. CONCAMERATVM. PA
RIETIBVS. ET. PILA. COMPREHENSIS. LON
GVM. P. VI. LATVM. P. VIII. CONSECRAVE
RVNT. SIBI. ET. C. CÆCILIO. RVFINO. ET. C
CÆCILIO. MATERNO. ET. LIBERTIS. LIBER
TABVSQVE. POSTERISQVE. EORVM. EXCEPTA
SECVNDINA. LIBERTA. IMPIA. ADVERSVS. ET
CÆCILIVM. FELICEM. PATRONVM. SVVM
H. M. H. N. S

Lapis alius, *pag.* DCCCLXVIII. 5.

HÆC. ÆDIFICIA. PROPRIA
COMPARATA. FACTA
DICATAQVE. SVNT. MONVMENTI
SIVE. SEPVLCHRVM. EST. ET
OLLARVM. QVÆ. IN. HIS. ÆDIFICIIS
INSVNT. ET. CONSECRATÆ. SVNT
RELIGIONISQVE. EARVM. CAVSA. A
C. COMINIO. SYMPHORO
ET. LIBERTIS. LIBERTABVSQ
POSTERIS. EORVM

Quod in isto lapide scriptum est monumentum sive Sepulchrum ex Florentino J. Cto. intelligi debet, *l. monumentum D. de Relig. Monumentum*, ait, *generaliter res est memoriæ causa in posterum prodita: in quod si corpus vel reliquiæ inferantur, fiet sepulchrum. Si vero nihil eorum inferatur, erit monumentum memoriæ causa factum, quod Græci* κενοτάφιον *appellant*. Ex quibus verbis, aliæ Inscriptioni lux adfertur, quæ est ad Urbem in Hortis Medicæis, *pag.* DCCCLXVI. 7.

DIS. MANIBVS
CLODIÆ. T. F. SATVRNINÆ
HOC. MONIMENTVM. SIVE
SEPVLCRVM. SE. VIVA. FEC
IN. FRONTE. P. VIII. IN. AGR.
P. VIII
HVIVS. MONIMENTI. SIVE
SEPVLCRI. IVS. AD. HERE
DES. EIVS. PERTINET. PROPOR
MENTO. EIVS. SCRIPTVS. EST

Sepulchra ergo sunt proprie, in quibus corpus conditum est, quæque per cadaveris illationem religiosa fiunt. Monumenta ad memoriam aut honorem ponuntur, & pro tumulo plerumque accipiuntur. *Σῆμα, Μνῆμα διὰ τὸ μνήμην ἀνακινεῖν τοῦ ποτὲ ζῶντος*, Eustath. *Iliad. β.* Ubicumque igitur hæc verba scripta sunt OB. HONOREM. aut IN. MEMORIAM, Cœnotaphium est aut monumentum. Elegans est repertum Taurini Augustæ, *pag.* CCCCLXXVIII. quod hic subjicio:

C. VALERIO. C. F
STELL. CLEMENTI
PRIMIPILARI

II. VIR. QVINQVENNALI
FLAMINI. DIVI. AVG. PERPETVO
PATRONO. COLONIÆ

DECVRIONES. ALÆ. GETVLO-
RVM
QVIBVS. PRÆFVIT. BELLO. IV-
DAICO
SVB. DIVO. VESPASIANO AVG
PATRE

HONORIS. CAVSSA

HIC. OB. DEDICATIONEM. STATVA-
RVM
EQVESTRIS. ET. PEDESTRIS. OLEVM.
PLEBEI
VTRIVSQVE. SEXVI. DEDIT

Lapis alius Aquilejæ, *pag.* DCCCLXXXVIII. 1.

SAVFIIVS. SABDA. ADIECIT. IN
FR. Q. P. VIIII. IT. AGR. P. XXXII.
SIBI. ET. SVIS. IN. HONOREM. L
VALERI. NVMPHODOTI. C
STATI. PRIMIGENI. ET. IN. ME
MORIAM. C. STATII. HEVRETI
EVROP. LIB

Mihi veteres Inscriptiones ita placent, ut si quæ occurrat, illam prætermittere facile non possim, nec una aut altera contentus esse. Etenim acumen uno in verbo positum, magnam sæpe venustatem habet & antiquitatis imaginem, quæ alibi vix videri, legi aut intelligi potest. Quod cum peritiores advertant satis, imperitos non moror, aut inscriptos illos, qui viliora literarum cadavera portant ad rogum. Mallem ego, si ita daretur, opus integrum perficere, quam inscriptionem unam componere. Hoc enim Myrmecidis artem desiderat, fabricare navem, quam apicula pinnis abscondat, & paucis lineis ea complecti, quæ centum paginis plerumque vix possent explicari. In his ergo veteribus diutius immorari non pigeat. Placet una, quæ est Belluni, *pag.* DCCXLI. 1.

FILII
POSVERVNT. MEMORIAM
PATRI. SVO
SATVRNIANO. POTIO. OBITO
CVM. COMPARE. SVA
VALENTINIANA. VOLVSIA

Græci dicunt *Μνήμης χάριν*. Amasiæ, *pagin.* MCXXVII. 7.

ΕΥΣΓΟΧΙΟΣ
ΚΑΙ. ΑΘΗΝΑΪΣ
ΤΗ. ΘΥΓΑΤΡΙ
ΜΝΗΜΗΣ. ΧΑΡΙΝ

Legimus etiam quosdam sibi memorias comparasse, hoc est, sepulturæ locum. Inscriptio Romæ, *pag.* DCCCXXVII. 2.

D. M
SEPONIA. PROCLINA. CONIVGI
DVLCISSIMO. AVRELI. MERCVRIO
MEMORIAM. ISTAM. SE. VIBA
COMPARAVIT. SIBI. ET. SVIS. PO
STERISQVE. EORVM. SI. QVIS. AVTEM
ISTAM. MEMORIAM. EX. NVMERO
FILIORVM. SIBI LIBERTORVM
DISTRAHERE. VOLVERIT. INF. AER

Aliud est memoriam celebrare, quod idem est ac Manes colere.

Vologesius Parthorum Rex missis ad Senatum legatis magnopere oravit, ut memoria Neronis coleretur, Sueton. in *Neron.* cap. LVII. Ex quibus intelligi potest Modestini responsum, (*l. legatum D. de Usu & Usufruct. leg.*) *Legatum*, inquit, *civitati relictum est, ut ex reditibus quotannis in ea civitate memoriæ defuncti conservandæ gratia spectaculum celebraretur*.

Monumentum porro non pro Cenotaphio solum ponitur, sed pro qualibet re, quæ ad nominis æternitatem paratur. Eleganter M. Tullius *Pro Sextio*: *L. Opimius, cujus monumentum celeberrimum in foro: sepulchrum desertissimum in litore Dyrrachino relictum est*. Quod pro Cenotaphio accipi non potest: nec enim in foro aut in urbe sepulchrum aut Cenotaphium extruere licebat. At monumentum etiam domi asservatum lapis vetus testatur, *pag.* DXXXVII. 7.

L. CLAVDIVS. AN.....
PRVDENS. CONSI....
ANVS. PRÆFECTVS
ALÆ. FRONTONIANÆ
H. S. E
OSSA. MONIMENTVM. DOMI

Quod igitur ad memoriam spectat posteritatis, illud ubi ubi sit, monumentum recte dicitur, si indicia virtutis habeat, quibus honoris & laudis ornamenta conduntur, & collocantur.

CAP. XIX.

DE ARIS MONUMENTI AUT SEPULCHRI.

ARa Sepulchri rogus est, qui in modum aræ assurgebat lignorum congestione, Servius VI. *Æn.* Lucanus *lib.* VI.

> *Da vilem Magno plebeji funeris arcam,*
> *Quæ lacerum corpus siccos effundat in ignes.*

Lego *funeris aram*. Nec enim in arca lacerum corpus ignis consumeret. Vilis autem ara dicitur plebeja & vulgaris, quod ex Servio ab aliis observatum. Nos de Aris hic loquimur, quæ ad Manium sacra positæ sunt, quæ non omnes religionem habent nisi fuerint consecratæ. Quare ubi Inscriptiones Aræ mentionem faciunt, locus purus videri potest, qualis est Romæ, *pag.* DXLIX. 1.

D. M
C. IVNIO. NICEPHORIANO
MILITI. CHORT. SECVNDÆ
VLPIA. RESTVTA. AMICO
BENE-MERENTISSIMO.
ARAM. POS

Item Romæ, *pag.* DLVIII. 6.

D. M
L. PRIMANIO. L. F
SPERATO. VET
AVG. ARAM. CVM
MONIMENTO
PRIMANIVS
SECVNDVS. LIB
LIBERTABVSQVE
EORVM

Pisis, *pag.* DLXIX. 1.

C. VIRRIVS. IVCVNDVS
VEXIL. COH. II. VIG
L. VISERTI. LATINI
MILIT. AN. VI. MEN. VII
DIES. XVIIII.
IN. EIS. TESSERAR. OPTIO
VEXILIARIVS
VIXIT. AN. XXVII.
ARAM. CVM. BASE. SVA
T. P. I

Inscriptionis notæ T. P. I. significant *testamento poni jussit*, ut alia docet, quæ est Romæ, *pag.* DCCLVI. 4.

APLASIA. L. F
PAVLLINA
ARAS. TRES. SIBI. ET
Q. CORRIO. ANTIQVO
VIRO. SVO. ET
Q. CORRIÆ. Q. F
PAVLLINÆ
FILIÆ. SVÆ
TESTAMENTO. FIERI. IVSSIT.
MACERIA. CIRCVNDATA

Hæ fere sunt Inscriptiones (si unam addere mus, quæ est *fol.* DCCXIV. 2.) in quibus Aræ positæ leguntur. Quæ si sepulchris cederent, religiosæ fuerunt: si monumento aut cenotaphio, pure remanserunt, nisi essent consecratæ. Illarum autem consecratio in honorem mortui non cuivis permissa fuit. Nam Aræ hujusmodi principibus solum viris extructæ, aut iis, qui Divi crederen-

A tur, ut parentibus, liberis, conjugibus, quos qui superstites essent, ut divos coluerunt, ut capite quarto hujus libri demonstratum est, & Virgilii authoritate confirmatur, lib. V. *Æneid.* Ille enim de Ænea, qui Anchisem patrem humo mandaverat:

> *Ex quo reliquias, divinique ossa parentis,*
> *Condidimus terra, mœstasque sacravimus*
> *Aras.*

Mœstæ Aræ, inquit Servius, *ad Anchisem perti-* B *nent, quem ex hujusmodi consecratione numen effectum Æneas volebat.* Quod facit Andromache in Anniversario Hectoris sacro, *Æneid.* III.

> *Quæ geminas, causam lacrymis, sacraverat*
> *Aras.*

Quod est, mœstas Aras & funebres: quæ geminæ ponuntur, ut una sit mariti, altera filii. Aut certe quin inferi pari gaudere munere dicerentur. Una quidem Ara uni constituebatur. Lapis ad urbem in Hortis Medicæis, *pag.* DCCXXVI. 1.

C

DIS. MAN
CLAVDIÆ. LEPIDILLA
EX. PROVINCIA
BELGICA. AMBIANÆ
FECERVNT. LIBERI
EIVS. LEPIDVS. ET.
TREBELLIVS. MATRI
OPTIMÆ
HIC. MATRIS. CINERES
SOLA. SACRAVIMVS. ARA
QVÆ. GENVIT. TELLVS. OSSA
TEGET. TVMVLO

Si vero sepulchrum esset, cuivis licuit Aram po- D nere aut consecrare, non tamen mortuo, sed Diis Manibus. Aras extruebant etiam ignotis Numinibus aut Manibus, ait Minutius, in *Octavio*. De qua re hanc suggerere placet Inscriptionis partem, *pag.* MXXXV. 5.

C. MINDIUS. C. L. PACORUS
ARAM. DIS. MANIBUS. SACRAV

Scribit Dio *lib.* XLIV. occiso Julio Cæsare, a quibusdam Aram constitutam ubi rogus fuerat, & sacrificasse apud eam Cæsari, tanquam Deo: E quem sequitur Appianus, lib. III. *de Bell. Civil.* Uterque falsus est. Nulla enim Ara Cæsari extructa, sed columna solida XX. pedum lapidis Numidici in foro cum hac Inscriptione PARENTI PATRIÆ. Apud quam longo tempore plebs sacrificare, vota suscipere, controversias quasdam interposito per Cæsarem jurejurando dirimere perseveravit. Hanc execratam columnam evertit Dolabella, quam bustum merito M. Tullius appellat, *Philipp.* I. & lib. XIV. *ad Att.* epist. XVII. Nos funebres columnas suo loco ornabimus. Nunc vero descendendum ad ea loca quæ consecrata sunt, & in quibus reliquiæ conderentur. Quorum su- F perioris capitis Inscriptiones meminerunt.

Locorum consecratio vel religio his plurimum verbis denotata, *Cineribus hic locus sacer. Dis Manibus locus occupatus.* Lapis Romæ, *pag.* DCCC. 9.

D. M

P. LICINI. ET. AEL. AMYNTHÆ
CINERIBUS. HIC. LOCUS. SACER
EST

In villa Julii in Cippo Marmoreo, *p.* DCLXXXVI. 3.

DIIS MANIBVS. LOCUS. OCCVPATVS
IN. FRONTE. P. VII. IN. AGRO. P. IIII

CAP. XX.

DE SEPULCRIS.

MEmoriæ tamen & monumenta cum Sepulchris ipsis sæpe conjuncta sunt, quæ etiam pro sepulchro in antiquis Inscriptionibus multis in locis usurpantur. At sepulchrum proprie est, ubi corpus ossave hominis condita sunt, *l.* 2. *§. purus D. de relig.* Vel ut ait Gallus Ælius, apud Festum in verb. *sepulchrum*, in quo mortuus sepultus est, non locus sepulturæ destinatus, vel memoriæ, & monumenta, quæ Sepulchra non sunt, nisi quatenus corpus est. *Τάφος ἐστιν ἐν ᾧ σῶμα ἢ ὀστέα ἀπετέθη, οὐ πᾶς ὁ ταφῇ ἀφορισθεὶς, ἀλλ᾽ ὅσου ἐστὶ τὸ σῶμα. Μνημεῖον δ᾽ ἐστὶ τὸ διὰ τὴν μνήμην φαινόμενον*, lib. LIX. *Basilic.* Eleganter M. Tullius in *Orat. pro Milon.* *Milonis vos amici monumenta retinebitis, corporis in Italia nullum sepulchrum esse patiemini?* Plura monumenta constitui potuerunt: unum Sepulchrum fuit, quia una sepultura sepulchra plura efficere non potest, *l. cum in diversis D. de relig.* Quorum jacturam, qui tam facile patiuntur, ne illi mihi de immortalitate cogitare minus videntur. Facessat Theodorus ille Philosophus vel hoc verbo ignobilis, cui crucem cum minitaretur Lysimachus, nihil interesse respondit humine an sublime putresceret, Cicero 1. *Tuscul.* Caninus Diogenes asperius projici se jubeat inhumatum & ipsis canibus dilacerandum: Imprudentiæ hoc illius tribuam, quæ ementito virtutis nomine magna plerumque in Stoicis notatur, qui idem putabant a feris volucribus distrahi & sepulchro tegi:

Nec tumulum curant, sepelit natura relictos.

Ut delitiarum fluctibus obrutus Mecœnas canebat olim, Seneca *epist.* XCIII Etenim consensus omnium gentium naturæ lex est, & ex communi sepulchrorum honore philosophi prudentiores argumenta petierunt, ut in morte sensum aliquem probarent, nec excessu vitæ sic deleri hominem ut funditus interiret. Id cum multis aliis rebus, tum maxime e Pontificio Jure & ceremoniis sepulchrorum intelligi licet, Cic. 1. *Tuscul.* quas maximis ingeniis præditi nec tanta cura coluissent, nec violatas tam inexpiabili religione sanxissent, nisi hæsisset in eorum mentibus mortem non interitum esse omnia tollentem atque delentem, sed quandam quasi migrationem commutationemque vitæ, quæ dux in cœlum solet esse. Quod Hector Homericus non ignorabat, qui ut cum Ajace congreditur, id agit primum, si forte Ajax victus occubuerit, ut sepeliretur, declaratque se velle, ut suum tumulum multis etiam post sæculis prætereuntes alloquantur, Homerus *Iliad.* η.

Ἀνδρὸς μὲν τόδε σῶμα πάλαι κατατεθνηῶτος,
Ὅν ποτ᾽ ἀριστεύοντα κατέκτανε φαίδιμος Ἕκτωρ,
Ὥς ποτέ τις ἐρέει, τὸ δ᾽ ἐμὸν κλέος οὔ ποτ᾽ ὀλεῖται.

Quæ M. Tullius libro secundo *de Gloria* sic Latina fecit, apud Agell. *lib.* XV. *cap.* XX.

Hic situs est vitæ jampridem lumina linquens,
Qui quondam Hectoreo perculsus concidit ense,
Fabitur hoc aliquis, mea semper gloria vivet.

A Quid ipsa Sepulchrorum monumenta, quid Eclogia significant, nisi nos futura cogitare? His famæ æternitas conservatur, his virtus clarorum virorum inter emortuos illorum cineres reviviscit: his gentis nobilitas plerunque probatur. Vespasianorum monumenta a Nursia ad Spoletum complura magnum indicium fuerunt splendoris familiæ & vetustatis, Suetonius in *Vesp.* cap. 1. quam a majoribus traditam posteri sola virtutis æmulatione tueri possunt & propagare. Mihi valde placet Atticus, quem Athenæ non tam operibus magnificis delectabant, quam recordatio summorum virorum, quorum sepulchra studiose contemplaban- B tur, quæque Veteres post patrios Deos honore præcipuo venerabantur. Hæc *Manium ædificia* Imperatores, (*l.* 4. *C. Theod. de sepulchr. violat.*) *Portum corporis* recte Ennius appellavit, Cicer. 1. *Tuscul.* Quorum favor apud nostros tantus est propter publicam utilitatem, ut strictam rationem insuper habeant, quæ nonnunquam in ambiguis religionum quæstionibus omitti solet, *l. sunt personæ. D. de relig.*

Crede mihi vires aliquas natura sepulchris
Attribuit.

Seneca dicebat, in *epigr.* v. qui cum nulli reliquias suas commendaret, ex Stoicorum more, vanæ C opinioni naturam ipsam repugnare fatetur satis, *epist.* XCIII. Nos Veterum institutis inhæremus, illaque quæ ad antiquitatis commendationem pertinent, enarramus, quæ in Sepulchris etiamnum maxima ex parte latet. Ex illorum erroribus hic unus fructus est, ut mores præsertim veteres dignoscamus. Primum illi requiescere in Sepulchris crediderunt mortuos, illaque DOMUM ÆTERNAM nuncuparunt. Lapis Polæ in Illyrico, *pag.* DCCCIV. 1.

MANILIA. PAVLLA
DE. PATRIMONIO. SVO
SIBI. ET
AVRELIO. PAVLLINO
COMPARI. SVO
DOMVM. ÆTERNAM. P

D

Unde Varro in Pseudolo Apolline *Æviternam domum hominum, Tellurem* dicit, Prisc. *lib.* II. in qua perpetuam securitatem & æternam quietem positam alii lapides loquuntur, quorum unus est juxta Danubii ripam, *pag.* DCLXXV. 4.

E

PERPETVÆ. SECVRITATI
D. M

A qua securitate Deos securitatis nominarunt. Romæ, *pag.* CCCXVIII. 9.

DIS. SECVRITATIS
Q. VIBIVS. HERMA

Item Romæ, *pag.* DCXVIII. 3.

DIBVS. SECVRIS
M. SALVVI

F

Alter lapis Viennæ Allobrogum de æterna quiete, *pag.* DCLXXV. 6.

D. M
QVIETI
ÆTERNAE
T. CASSII

Ab eo Quietorium, *pag.* DCCCX. 2.

M. AVRELIVS. MVTIVS. NOLANVS
ANN. NAT. LXVI. FATVM
COMMVNÆ
PRÆVENIENS. QVIETORIVM
HOC. SIBI. VIVENS. PARAVIT

Quod aliis Requietorium. Burgi in Hetruria, *pag.* DCCCLXXXIII. 4.

φ DIS. φ MANIB. φ
Q. ORTENSIVS. ASCLEPIADE
FECIT. SIBI. ET
TERENTIÆ. AMOR. L. φ
REQVIETORIVM

Alii Sepulchrum domum dixerunt, Hispali. *pag.* DCLXXX. 5.

DIDIA. T. F. FABIA
MATER. IN. MEO. DOLORE
IN. HOC. SEPVLCRO
NOMEN. IN. HIS. ADSCRIPSI. MEVM
HIC. EST. DOMVS. MEA
CVM. MEIS

Optime qui Conditorium, Agrum Somni, Sedem, Internam securitatem. Primum est Romæ, *pag.* MCXXXIII. 6.

D. M
PRIMILLÆ. ÆS
TIONES. CVI. ET
SACRIS. DOMESTI
CIS. OFFERRE. CON
CESSERAT. OLLAS
VI. MINORES. ET
LIBERIS. EIVS. IN
AVITO. CONDITORIO
INDVLSIT

Alterum prope Veronam, *pag.* CCCCX. 5.

DIS. MANIBVS
IOVI. ET. IVNONIB
T. FLAVIVS. R. IIII. VIR. I. D
C. ET. P. L. RRATO
IN. VITÆ. SVÆ. NVLLI
MALEDIX
† ƆO. OMN. D. I. M. N.
IN. AGRO. SOMNI
H. M. H. N: S.

Notas interpretatur Gruterus, *Contra omnibus Diis inferis maledicet nunc.*
Tertium Polæ, *pag.* DCXI. 7.

DONATVS
AVG. LIB. ET
ANNIA. PRIMITIVA
HANC. SEDEM
FRVCTVM. LABORIS. SVI
VIVI. SIBI. POSVER

Ultimum est Mediolani, *pag.* MLVI. 1.

D. M
BONÆ. MEMORIÆ
MARTINIAN. EX. P
PROTECTORIBVS. INTERNAM
SEQVERITATEM

Sarcophagus in multis Inscriptionibus pro sepulchro invenitur a Sarcophago lapide dictus, in quo primum corpora defunctorum condita, intra quadragesimum diem, exceptis dentibus absume-

A bantur, Plin. *lib.* II. *cap.* XCVI. & *lib.* XXXVI. *cap.* XVII. Nec tamen putandum est Sarcophagum omnem ex illo lapide factum: nam & fictilis fuit, & marmoreus, de quibus elegans Inscriptio est libro secundo nostro, *de veteri Jure Pontificio* cap. IX. Arca etiam pro sepulchro fuit. Inscriptio Romæ, *pag.* CCCCLXXXII. 2.

M. VARINIVS. M. F. PHILIPPICVS
ORN. DEC. Q. ANN
T. PETRONIÆ. RVFINÆ
ET
VARINÆ. PHILIPPICÆ
B FILIÆ. SVÆ
SI. QVIS. IN. HAC. ARCA. ALIVM
POSVERIT. Q. Q. S. S. DABIT
COLONIÆ. NOSTRÆ. POENAI
NOMINE.............

Videtur enim terra conditum corpus, & si in arca conditum sit hoc animo, ut non alio transferatur, *l. Divi. D. de religios.* Quin & defuncti sese multi fictilibus doliis aut Soliis (utrumque in Plinio *lib.* XXXV. *cap.* XII. placet) condi maluerunt. M. Varro Pythagorico modo fictili dolio positus est C in myrti & oleæ atque nigræ populi foliis: quia forte fictilibus, odoris integritas tenacius hæret, Horatius *lib.* I. *ep.* II. Vitruvius *lib.* VIII. *cap.* VII.

Sed cum justæ sepulturæ traditum corpus non videretur, nisi terra conditum & humatum, quo modo in arca aut Sarcophago posita corpora justam sepulturam habuerint, dubitari posset. Nos dicimus combusto cadavere os aliquod exceptum fuisse, quod humo tegeretur, reliquiæ deinde corporis in monumentis condebantur. Unde siti dicuntur & humati cum sepulchrum est, justa facta & corpus incensum, Cicer. II. *de Leg.* in quibus glebæ injectio locum tenuit humationis. Quare recte Martianus JCtus *l. Divi. D. de relig.* Vi- D detur terra conditum, etsi in arcula conditum hoc animo sit: quem *sepulchri perpetui honorem* Ausonius dixit, in *Parental.* IX. Nam quæ temporaria sepultura est, justa non est.

CAP. XXI.


DE SEPULCHRORUM DIFFERENTIA, ET PRIMUM DE REGUM, ET PRINCIPUM MONUMENTIS.

E Magna vero Sepulchrorum differentia fuit, quæ sumptibus & titulis, non religione separatur. Datum enim hoc Principum & illustrium virorum posteritati, ut quomodo exequiis a promiscua sepultura separantur: ita traditione supremorum accipiant habeantque propriam memoriam nobilitatis aut virtutis, Tacit. lib. XVI. *Annal.* cum opifices etiam post mortem nobilitari velint. Sepulchrorum ergo alia amplissima fuerunt, alia moderata: quædam vulgaria aut humilia plebeja aut promiscua. Amplissima Regum, Principum & illustrium virorum: moderata, honestiorum; vulgaria, mediocrium: humilia, Tyrannorum: promiscua, pauperum.

F Regum & Principum Sepulchra, quæ Herodiano, *lib.* IV. *Βασιλέων ἱερὰ μνήματα*, proprie Mausolea, a Mausolo Cariæ rege, (Cic. III. *Tuscul.* Valer. Max. *lib.* IV. *cap.* VI. Plin. *lib.* XXXVI. *cap.* V. Agell. *lib.* X. *cap.* XIII.) a quo Romani rei miraculo adducti, magnificentissima quæque apud se monumenta, Mausolea nominarunt. *Ῥωμαῖοι μεγάλως δή τι αὐτὸ θαυμάζοντες τὰ παρὰ σφίσιν ἐπιφανῆ Μνήματα, Μαυσωλεῖα ὀνόμαζον*, Pausan. in *Arcadicis*. Porsena Rex Hetruriæ Labyrinthum sepul-

chri cauſa extruxiſſe fertur, ut externorum Regum vanitas quoque ab Italis ſuperaretur, Plin. *lib.*XXXVI. *cap.* XIII. De hoc Varro. *Sepultus eſt*, inquit, *ſub urbe Cluſio, quo in loco monumentum reliquit, lapide quadrato, ſingula latera pedum lata tricenum, alta quinquagenum: inque baſi quadrata intra labyrinthum inextricabilem: ſupra id quadratum Pyramides ſtant quinque, cujus operis nobilitate dicitur regni vires fatigaſſe.* Aliud fuit Mauſoleum Auguſti Cæſaris præclariſſimum prope Martium Campum, Strabo *lib.*V. Agger ad amnem ſupra ſublimem albi lapidis fornicem congeſtus, & ad verticem uſque ſemper virentibus arboribus coopertus. In faſtigio ſtatua Auguſti Cæſaris: ſub aggere monumenta ejus & cognatorum ac familiarium: a tergo lucus magnus ambulationes miras habet. Quæ monumenta dicimus, Græcus author linguæ Latinæ imperitus, θήκας vocat: *loculos* Interpres. Si vim verbi ſpectemus θῆκαι *Repoſitoria* dici poſſunt, quo verbo Plato XII. *de Leg.* uſus eſt, cum de minuendis ſepulchrorum

A ſumptibus ageret, M. Tullius ſepulchra dixit, II. *de Leg.* Sed hoc verbi θῆκαι, aut *loculi*, Auguſti Mauſoleo convenire non poſſunt. Nam θήκη καὶ σορὸς *Pheretrum* ſeu *loculum* ſignificant, ἥψατο τῆς σορῦ apud D. Lucam Interpreti eſt, *tetigit loculum:* recte id quidem. Nam cum adoleſcens efferretur νεανίσκος, qui perfectam hominis menſuram non eſſet aſſecutus, in loculo efferri debuit, hoc eſt, in pheretro minuſculo, quod νεανίσκυ nomen declarat. Quo ſenſu Xenophonti, lib. I. *de Inſtitut. Cyri*, ἐν τοῖς ἐφήβοις νεανισκεύεσθαι eſt, *inter ephebos adoleſcere.* Quare loculi non quadrant amplitudini Mauſolei, cum puſillis illi hominibus aut
B rebus modicis compararentur. Sic Pyrrhi Regis pollex, cum non potuiſſet cum reliquo corpore comburi, conditus eſt loculo, in templo, Plin. *lib.*VII. *cap.*II. Ut Manius Maximus & M. Tullius, qui binorum cubitorum fuerunt, miraculi gratia in loculis aſſervati, idem *lib.*VII. *cap.* XVI. Loculorum, qui in monumentis vulgaribus erant, formam hanc habemus in ſepulchro vetere.



Loculi ergo nullum in Mauſoleo locum ſibi vendicare poſſunt, in quo omnia ampliſſima, quæ non opere ſuo ſolum, ſed illius magnitudine maxime commendantur. Nam ad honorem Manium pertinebat ingens ſepulchrum habere. Quod milites Aureliano detulerunt, Vopiſcus in *Aureliano:* & Probus cum ſingulari certamine in Africa fortiſſimum virum deviciſſet, ingenti illum ſepulchro honoravit: ut milites Probo ipſi ingens poſtea ſepulchrum fecerunt, idem in *Probo*.

Mauſolei monumentum in Rege aut principe Solium rectius forte appellaretur. Nam ut Solium Regum eſt βασιλικὸς θρόνος, (Beda *de Orthograph.*) in quo ſedere ſolebant, & corporis ſui tutelam, dictumque Solium quaſi ſolidum, Serv. *lib.* I. & VII. *Æneid.* Quod Florus ſentire videtur, *lib.* IV. *Cleopatra*, inquit, *Mauſoleum ſe recepit, Sepulchra Regum ſic vocant: ubi maximo, ut ſolebat, induta cultu in diffuſo odoribus Solio juxta ſuum ſe collocavit Antonium.* Quod idem & Suetonius, in *Nerone* cap. L. *Reliquias Neronis gentili monumento condiderunt: in eo monumento Solium Porphyretici marmoris ſuperſtante Lunenſi Ara circumſeptum eſt, lapide Thaſio.* Apertius Q. Curtius *lib.* X. *Sepulchrum Cyri Ale-*

xander juſſit aperiri, corona aurea ei impoſita, amiculo cui aſſueverat, ipſe Solium, in quo corpus jacebat, velavit. Sed nos ad Auguſti Mauſoleum
E redeamus, in quo ejus reliquiæ conditæ, Sueton. in *ejus Vita* cap. C. & ex præfractis foribus exaudita vox, quæ Neronem ante obitum nomine cieret, idem in *Ner.* cap. XLVI. Quod & temporibus Veſpaſiani inter prodigia cætera numeratur, cum repente Mauſoleum illud Cæſarum patuit, idem in *Veſpaſ.* cap. XXIII. Cum illud plenum fuit, Hadrianus, extra portam Æliam ſepulchrum conſtruxit ſpectatu digniſſimum, Xiphilinus in *Hadr.* Pario namque lapide ædificatum eſt, & quaternis partitum pari dimenſione lateribus, eam porrectis in latitudinem, ut jactus ex angulo lapis, alterum fere pertingat: altitudine autem
F hæc Urbis mœnia ſuperant. Statua quoque illius Pario marmore virorum equorumque miro artificio factæ, deſuper inſident. Ἀδριανοῦ τοῦ Ῥωμαίου αὐτοκράτορος τάφος ἔξω πύλης Ἀβρηλίας ἐστὶν, ἀπέχων τοῦ περιβόλου λίθου βολήν. Θέαμα λόγου πολλοῦ ἄξιον. Πεποίηται γὰρ ἐκ λίθου Παρίου, καὶ οἱ λίθοι ἐς ἀλλήλους μεμύκασιν οὐδὲν ἄλλο ἔντος ἔχοντες. Πλευραί τε αὐτοῦ τέσσαρές εἰσιν, ἴσαι ἀλλήλαις. Εὖρος μὲν χεδόντι ἐς λίθου βολὴν ἑκάστη ἔχουσα.

Μῆκος

Μῆκος ἐστὶν ὑπὲρ τὸ τῆς πόλεως τεῖχος. Ἀγάλματά τε ἄνω ἐκ λίθου εἰσὶ τῶν αὐτῶν ἀνδρῶν τε καὶ ἵππων θαυμάσια οἷα, Procopius *l.* v. Authoris verba subjeci, qui ex omnibus unus hanc Hadriani molem suis scriptis adumbravit. Septizonium Severi memoratur, quod cum Niger Pescennius inchoasset, qui hoc maxime cogitarat, ut ex Africa venientibus opus illud occurreret, Severus absolvit, fuitque Antoninorum Mausoleum.

CAP. XXII.

DE VIRORUM ILLUSTRIUM SEPULCHRIS.

HAbuerunt & viri illustres Mausolea, hoc quidem nomine illorum tumulis communicato. Lapis Nemausi, qui fragmentum testamenti continet, *pag.* CCCCXCVI. 7.

SI. QUIS. EX. IIS. QUI. SUPRA.
SCRIPTI. SUNT
CUM. MORIAR. NON. VIVET. SI-
VE. POST. MOR
TEM. MEAM. MORIETUR. TUM.
QUI. RELIQUI
ERUNT. IN. EORUM. LOCUM. QUI.
MORTUI
ALIOS. PER. SUFFRAGIA. SUBSTI-
TUANT. QUOS
DIGNISSIMOS. PUTAVERINT. DUM.
NON. MI
NUS. INPERPETUUM. TRIGINTA.
SINT. LICEAT
QUE. IIS. QUI. PRAESENTES. ESSE.
IIS. DIEBUS
NON. POTUERUNT. IN. LOCUM.
SVVM. CONVI
VAM. EX. AMICIS. SVIS. MITTE-
RE. EIVSQVE
MAESOLEI. CLAVES. DVÆ. PENES.
ALIQVEM
LIBERTORVM. MEORVM. ET. CV-
RATOREM. CV
IVSQVE. ANNI. SINT
SVBSTITVTI
T. RONCIVS. MATERNVS
C. LICINIVS. SOTERICVS

Alius Tarracone, *pag.* DLVI. 2.

BENE. SIT. TIBI. VIA
TOR. QVI. ME. PRÆ
TERISTI. PAVLVS
HIC. IACEO. MILES
AM. P. BLACANÆ
NATVS. V. AN. C
ET. SI. QVID. SV
PERVIXI. HIC
MESOLEVS. NE
MINI. II. DEBET

Torquent me hæc verba NEMINI. II. DEBET, quæ sola conjectura intelligere possum, quæ in Inscriptionum interpretatione cuique libera est. Crediderim has notas II. *Secundano* aut *Secundo* denotare, ut sit, *nemini secundo debet*, *nemini secundo pateat*, vel *secundum neminem recipiat*. Quod minus mihi probatur. Nam Mausoleum a sepulchro [A] differt, quod illud plura sepulchra contineat. Magis placet cum Mausolei dominus miles fuerit Alæ primæ, quod hæ literæ designant AM. P. in quibus fabrile mendum AM. pro AL. suspicor voluntatem testari, ut *nemini Secundano debeat*, id est, neminem Secundanum admittat. Secundani sunt milites secundæ legionis, Liv. *l.* XLIV. ut qui primæ, Primani: quintæ, Quintani. Hoc forte propter dissidium inter Primanos, Secundanos, legionum equites, ex quibus sibi necessitudine aliqua conjunctos, a sepulchro Primanus arcere voluerit. Vel certe, quod verius puto, hæ literarum notæ significant, *Nemini iter debet.* Qui rectius Inscriptionis notas [B] assequetur, hanc meam forte conjecturam non aspernabitur.

Ab hac sepulchrorum magnificentia illi majorum gentium Dii, qui a Romanis colebantur, a terra in cœlum profecti reperiuntur, quorum fere omnium sepulturæ in Græcia visæ sunt, Cicero I. *Tuscul.* Quod Euchemerus primum enunciavit, a quo & mortes, & sepulturæ demonstrantur Deorum, quæ non demonstrasse religionem, sed penitus videntur sustulisse, Lactant. *l.* I. *Instit.* cap. XI. Nos vero Græcorum sepulchra non attingimus, sed Romanorum, in quorum gloria illustranda, magnam capimus voluptatem, ob immortalem & sine offu- [C] ciis virtutem. Ego quidem cum poeta vetere:

Malim unum Catonem quam trecentos Socratas.

Ecquis egressus porta Capena, cum Calatini, Scipionum, Serviliorum Sepulchra videt, illos (inquit Tullius, I. *Tuscul.*) *beatos non putaret?* Quis in Campo Martio illustrium virorum tumulos, qui scenæ quandam ostentabant speciem, floribus non oneraret? Strabo *lib.* v. Hoc virorum fortium virtus postulat, ut memoria posteritati celebretur, quæ nunquam intercidet, sepulta etiam virtute. Nemo enim adeo ferus est, ut cum se vitiorum illecebris addixe- [D] rit, ita virtutem oderit aut vitia sectetur, qui se virum bonum prædicari non cupiat. & adumbratione quadam virtutis vitiorum non tegat deformitatem, stultitiamque sepelibilem, ut Plautus noster in *Amphitr.* loquitur, facere non desideret. Etenim,

Virtus anteit omnibus rebus profecto.
Libertas, salus, vita, res, parentes,
Patria, & prognati tutantur & servantur:
Virtus omnia in se habet, omnia assunt bona, quem penes est virtus.

Et absque illa esset, Sepulchra vere Tertullianus dixisset (*lib. de Resurrect. Carn.* cap. XXXVII.) ca- [E] daverum stabula. Improborum enim gloria stercus, & vermis est, I. *Machab.* cap. II. hodie extolluntur, cras non inveniuntur:

Nec Mausolei dives fortuna sepulchri
Mortis ab extrema conditione vacat.

ut Propert. *eleg.* I. *lib.* III.

Quandoquidem data sunt ipsis sua fata sepulchris.

Juvenalis *sat.* x. Scipionis monumentum tempestate disjectum est, Liv. *lib.* XXXVIII. cujus vivit etiamnum virtus, vivetque: & cujus mortem nemo fugiat si famam assequatur. Scipionis monumentum duplex invenio: unum ad memoriam: alte- [F] rum ad sepulturam. Literni monumento statua superimposita: Romæ extra portam Capenam in illo tres sunt statuæ, quarum duæ P. & L. Scipionum dicuntur, tertia Ennii poetæ. Nos statuas suo loco ponemus, quæ in virorum illustrium sepulchris frequentiores, cum marmoreis columnis, aliisque ornamentis, quæ longam artificum magnorum operam desiderarunt. Hoc in suis legibus vetabat *Plato, ut sepulchrum scilicet altius non extrueretur quam quod quinque homines quinque diebus*

absolverent. Nec e lapide extrui plus, nec imponi quam quod capiat laudem mortui incisam quatuor Heroicis versibus, quos longos appellat Ennius, Cicero II. *de Leg.* Χῶμα δὲ μὴ χωννύναι ὑψηλότερον, πέντε ἀνδρῶν ἔργον, ἐν πένθ' ἡμέραις ἀποτελούμενον. Λίθινα δὲ ἐπιστήματα, μὴ μείζω ποιεῖν, ἢ ὅσα δέχεσθαι τὰ τοῦ τελευτηκότος ἐγκώμια βίου, μὴ πλείω τεττάρων ἡρωϊκῶν στίχων. M. Tullius τὸ χῶμα vertit *Sepulchrum*, quod Ficino perdocto Platonis Interpreti est *agger*, ut Virgilio *lib.* VII. *Æn.*

Aggere composito tumuli.

Sed χῶμα sepulchrum rectius dixit Tullius, qui non ad terræ cumulum respexit, sed ad eam, quæ minuitur, sepulchrorum magnificentiam, quam Plato tumulum vocat uno lapide exornatum. Nec tamen Censoris Platonis Clinia sepulchrorum amplitudini adversatur. Hic enim *mortuis parentibus eam sepulturæ formam pulcherrimam* putat, *quæ moderata est, ut neque consuetam tumulorum magnitudinem excedat, neque ab iis recedat, quos majores nostri suis parentibus posuerunt.* Τελευτησάντων δὲ γονέων ταφὴ μὲν ἡ σωφρονεστάτη καλλίστη. Μήθ' ὑπεραίροντα τῶν εἰθισμένων ὄγκων, μήτ' ἐλλείποντα ὧν οἱ Προπάτορες τοὺς ἑαυτῶν γεννήτας ἐτίθεσαν, Plato *lib.* IV. *de Leg.* Quod Terentianus ille Simo non improbasset, qui ut in vita, sic in morte adprime utile putasset, ut NE QVID NIMIS.

CAP. XXIII.

DE MODERATIS SEPULCHRIS ET VULGARIBUS.

HUjusmodi moderata fuere sepulchra, quorum consuetam magnitudinem Platonis *Clinia* laudat, quæ ad honestiores pertinet, nec plebejos capit. Nam ut viris clarissimis Sepulchri amplitudo honesta semper fuit, & honestioribus moderata: humiliores sepulchrorum nobilitate dehonestan-[illegible] ut Licinus tonsor Augusti Cæsaris libertus, quem Satyrici omnes ob sepulchri superbiam merito exagitarunt: de quo non invenustum Varronis epigramma immodicos monumenti sumptus acumine suo superavit:

Marmoreo Licinus tumulo jacet, at Cato parvo,
Pompejus nullo, quis putet esse Deos?

Vet Gloss. *ad Pers. sat.* II. Ut sunt in honore hominum, in honore famæ magna nomina ex tenebris oblivionis: sic infimorum, qui illa mentiuntur, fortunæ prodigia pro monstris habentur. Moderandum vero est indignatione bonorum, & ad moderata sepulchra veniendum, quæ columnis & pilis cippisque decorantur, quæque hortos & adjacientia ædificia, dietas, Aras, septa, macerias habuerunt. De iis Inscriptiones plurimæ, quarum una, quæ est Tibure, digna mihi videtur, quæ hic apponatur, *pag.* DCCXI. 3.

VALERIA. ATHENAIS
FECIT. MODIÆ. T. F. PAVLINÆ.
PIISSIMÆ
ET. SIBI. SVIS. POSTERISQVE. EORVM. VIX. ANN.
XIII. M. XI. HVNC. LOCVM. VTI.
ME VIVA. DE
TERMINAVI CVM. ASCENSV. GRADVVM. VII
ET. CIPPIS. INSCRIPTIS. VII. COLLIG. IN. CIR
CVITV. P. CCCXXX. ET. AB. INTROITV. POR
TÆ. SVPERIORIS. DISCENSVS. DEXTERIORIS
PARTE. VSQVE. AT. CIPPVM. III.
CVM. TABER
NA. VIA. LATA. A. PARIETE. P. V.
CEDERE. DE
BEBIT. ET. PILAS. STRVCTILES. II.
VSQVE. AD
IANVAM. SVPERIOREM. HYPAMPELVS. HVIC
CEDAT. IN. RIGOREM. MACERIÆ.
ET. FVR
CARVM. ET. ARA. IN. QVA
FVR. CEPEM

Hic Cippi, structiles Pilæ, cum rigore maceriæ & furcarum, & Ara. In quorum interpretatione alii suam operam nuper collocarunt, quibus licebit nostram rejicere, si ita lubeat. Pilæ sunt quadratæ, quæ Græcis στῆλαι, quæque in monumentis proprie dicuntur stantes columnæ, Plin. *lib.* VI. cap. XXVIII. Rotundæ vocantur Κίονες & στῦλοι, Philand. *ad Vitruv. lib.* II. cap. XI. Furcæ ad maceriam pertinent: furcis enim erectis & virgultis interpositis, luto parietes texere solebant, ut rigor, id est, durities maceriæ induceretur, Vitruv. *lib.* II. c. I. Serv. *lib.* I. *Georg.* Hypampelus vineæ, quæ monumento adjacebat accommodari debet, Ἄμπελος enim *vinea* est. Quod in fine scriptum est FUR. CEPEM. Dubitavi aliquando, an hæc verba imprecationem continerent in fures, quæ in monumentis passim scripta est, ut qui fur agri, qui maceria claudebatur, fructibus non pepercisset, illosque intercepisset, miseram vitam perpetuo degeret. Cepe enim edere dicuntur, qui paupertatem graviorem ferunt. Persius *Satyr.* IV.

— Cum sale mordens
Cepe.

Quæ lacrymas excitat, luctus & miseriæ indices. Unde Græcis κρόμμυα ἐσθίειν, Inscript. *pag.* CIƆI.XXVI. 10. Aristophanes, in *Ranis*:

Δ. ἰοὺ ἰού. Α. Τί ἐστιν; Δ. ἱππέας γ' ὁρῶ.
Α. Τί δῆτα κλαίεις; Δ. κρομμύων ὀσφραίνομαι.

D. Hei, hei. A. quid est? D. Equites video.
A. Quid quæso lacrymas? D. Cepas olfactito.

Id est, vitam miseram timeo, quod Equites venire conspicor. Scholiastes, Ὡς θαυμάζων, inquit, ἱππέων ἔφοδον, quasi ob equitum infestum & hostilem adventum esset attonitus. Ἔφοδος enim Thucydidis Scholiastæ ἐπίθεσις πολεμική, *hostium incursus infestus*, qui ditiores plerunque ad cepas redigit. FUR CEPAM, ex communi loquendi usu dicitur, ut *fures clamorem* suppresso verbo, quod facile subintelligitur. Fragmentum tumuli simile Ursinus conscripsit, *pag.* DCCCCXXVII. 6.

. . . . . .
SI. QVIS. FVRAVERIT
PROINDE
OBLIGATVS. ERIT
AC. SI. SACRILEGIVM
COMMISERIT

Patavii Urnæ duæ in veterrimo monumento repertæ. Major his versibus inscripta, *pag. cit.*


PLVTONI. SACRVM. MVNVS. NE.
ATTINGITE
FVRES. IGNOTVM. EST. VOBIS.
HOC. QVOD. IN
VRNA. LATET. &c.

Urna minor, *pag.* DCCCCXXVII. 6.

ABITE. HINC. PESSIMI. FURES
VOS. QUID. VOLTIS. VOSTRIS
CUM. OCULIS. EMISSICIIS
ABITE. HINC. VOSTRO.
CUM. MERCURIO
PETASATO. CADUCEATOQ
MAXIMUS. MAXIMI. DONUM
PLOTONI. HOC. SACRUM. FUIT

In hac Urna minori, quam major continebat, duæ ampullæ, una ex auro, altera ex argento liquidissimi liquoris plenæ: in medio earum ardens lucerna. Certior tamen interpretatio Rigaltii, quem nunquam nisi honorificentissime nominavi, qui duo hæc verba ex literis singularibus conflata ita distinguit. F. V. R. C. E. P. M. ut sint, FINES. ULTRA. RIGOREM. CIPPORUM. ET. PARIETIS. ET. MACERIÆ. De Septis sepulchrorum, Appendicibus & Ornamentis nos suo loco. Columnas interea & pilas structiles, quæ a depositoriis diversæ sunt, ex illarum altitudine inter amplissima & moderata sepulchra reponemus. In eam enim magnitudinem excrescere possunt, ut Mausoleis ipsis non cedant. Qualis fuit celeberrima Trajani columna Numismatis veteribus nobilitata. Hæc si moderata fuisset, ad honestiores pertinuit, si humilis ad Vulgares. De Archimedis Columna M. Tullius *lib.* v. *Tuscul. Ex eadem urbe*, inquit, *humilem homunculum a pulvere & radio excitabo Archimedem. Cujus ego Quæstor ignoratum a Syracusanis, cum esse omnino negarent, septum undique & vestitum vepribus & dumetis indagavi sepulchrum. Tenebam enim quosdam senariolos, quos in ejus monumento esse inscriptos acceperam, qui declarabant in summo sepulchro sphæram esse positam cum cylindro. Ego autem cum omnia collustrarem oculis (est enim ad portas Agragianas magna frequentia sepulchrorum) animadverti columellam non multum e dumis eminentem, in qua inerat sphæræ columna & cylindri. Atque ego statim Syracusanis (erant enim principes mecum) dixi me illud arbitrari esse, quod quærerem. Immissi cum falcibus multi purgarunt & aperuerunt locum. Quum patefactus esset aditus, ad adversam basim accessimus. Apparebat epigramma exesis posterioribus partibus versiculorum, dimidiatis fere. Itaque nobilissima Græciæ civitas, quondam vero doctissima, sui civis unius acutissimi monumentum ignorasset, nisi ab homine Arpinate didicisset.* Non ferrem M. Tullium, qui cum Archimedem civem acutissimum agnoscat, illum inter humiles homunculos ponat, cum tamen unus exercitum Populi Romani a Syracusanorum mœnibus solus arcuerit, & de Marcello duce fortissimo aliquandiu triumpharit. Sed noluit, ut puto, Tullius Quæstoriæ officere dignitati, quæ omnes homines Græcos præsertim sibi longe inferiores putabat. Quod & hodie multi in honoribus constituti observare solent, qui non minimum dignitatis fructum putant, si honestiores contempserint, qui vicissim illos etiam contemnunt & rident.

Inter vulgaria sepulchra sunt Arcæ & Pilæ depositoriæ. Hujus forma hæc videtur Romæ.



Quæ πήλη in lapide vetere, *pag.* DCCCLII. 4. male conjunctis literis, in quo legendum τῇ στήλῳ. Ejusdem generis est Arca, quæ lapidea fuit aut marmorea, cujus mentionem Cajus JCtus facit, *l.* 7. *D. de Relig.* Hæc quidem lapidea, fictilis aut terrea, fuit. Si marmorea esset, illa nobiliores condebantur, ut ex Cassiodoro colligimus *lib.* III. *Variar.* cap. XIX. *Artis tuæ*, inquit, *peritia delectati, quam in excavandis atque ornandis marmoribus exerces, præsenti authoritate concedimus, ut te rationabiliter ordinante, Arcæ quæ in Ravennati urbe ad recondenda funera distrahantur, quarum beneficio cadavera in supernis humata sunt, lugentium non parva consolatio.* Easdem has cum Sarcophago esse non dubito, quod fictile supra monuimus: terrenum in Inscriptione legitur, quæ est Romæ, *pag.* CIↃXXXV. II.

HERIE. THISBE
MONODIARIÆ
TERRENVM. SARC. LONGVM
E. X. LAT. P. X
IN. QVO. CONDITA. EST
QVISQVIS. ES. PARCE. MANIB
ET . . . . . ERE. NOLI. *maledicere.*

Marmoreum habetur in via Appia, *pag.* CIↃXLI. 14.

D. M. S
C. CÆRELLIO. C. F. FAB. PVLCHERIANO. SA
BINO. VIX. AN. LXXI. M. IIII. D. VIII
H. VII. C
CÆRELLIVS. RAVCVS. SABINVS. SARCOPHA
GVM. FECIT. MARMOREVM. VI. NONAS. MAI
M. IVNIO. SVLLANO. ET. L. NORBANO. BALBO
COS. H. M. D. M. A

Posteriores literæ hoc denotant, *huic Monumento dolus malo abesto*, vulgares in monumentis notæ.

Inter vulgaria, humilia sepulchra numerantur, quæ nec operis ornamento, nec terræ tumulo intumescunt. Hæc Tyrannis propria cum brevi marmore, (Trebell. Pollio in *Victorino Junior.*) ut posteriorum invidiam desugerent, cujusmodi Othonis fuisse traditur, Auth. *vitæ Oth.* Ingentia enim, ut diximus, sepulchra Principum fuerunt, quæ & Tribunalia dicta. Tacitus *lib.* II. *Annal.* inter funebres Germanici honores recenset Sepulchrum Antiochiæ, ubi crematus

est. Tribunal Epidaphnæ, quo in loco vitam finivit. De vulgari Tribunali lapis Beneventi, *pag.* DCCLI. II.

P. AELIUS. VENERIANUS
HOC. VAS. DISOMUM. SIBI. ET
FELICITATI. SUÆ. POSUIT. ET
TRIBUNAL. EX. PERMISSU.
PONTIF
PERFECIT

Tribunal χῶμα ex permissu Pontificum perfectum, qui semper hac in re expectari non debuit. Nam si in eo monumento, quod imperfectum esse dicitur, reliquiæ hominis conditæ sunt, nihil impedit, quo minus perficiatur. Sed si religiosus locus jam factus sit, Pontifices explorari debent, quatenus salva religione desiderio operis reficiendi medendum sit, *l.* 5. *D. de mort. Infer.*

CAP. XXIV.

DE SEPULCHRIS PLEBIS ET PROMISCUIS PAUPERIORUM.

Pittacus novis sepulchris modum fecisse dicitur, Cicero II. *de Leg.* Nam super terræ tumulum noluit quid statui nisi columellam tribus cubitis non altiorem: aut mensam, aut labellum: & huic procurationi certum magistratum præfixit. Columella, Mensa, Saxum, Cippi, Labellum, Cupæ, Massa, Ollæ, Ossuaria, Urnæ, Ampullæ, Phialæ, Thecæ, Culignæ, sepulchra sunt plebis & pauperiorum. De Columella hactenus, quæ humilior non multum a Cippo differt, Serv. XI. *Æneid.* De hac enim Propertius, *lib.* III. *eleg.* XIX.

I puer & citus hac aliqua propone columna,
Et dominum Exquiliis dic habitare tuum.

Nam in Exquiliis sepulchra pauperum. Mensa sepulchri loco superposita. Mediolani, *pag.* DCCCL. 6.

M. M
MINICIÆ. RUFINÆ
INNOCENTISSIMÆ
QUÆ VIXIT ANNIS. XXII
MENSE. UNO. DIEB. XXIIII
MINICIA. DOMITIA. SORORI
POSUIT. MENSAM. CONTRA
VOTUM

Mensam ponere est lapidem Cippis aut terræ congestione subnixum, planum tollere in mensæ modum. Quod hodie apud nos fieri solet in Cœmeteriis nostris. Sic Plutarchus in Isocratis sepulchro dixit Τράπεζαν γενέσθαι, ut observat Turnebus Unde Athenæus uniuscujusque fatum in mensa jacere putat, *lib.* IV. Τῶν τραπέζων κεῖσθαι ἑκάστου μοῖραν. Id est, neminem nisi post fata beatum. Has mensas aut tabulas marmoreas ἀπὸ τῦ τύμβου vulgus *Tombas* vocat. Saxum brevius fuit, plerunque aut supra tumulum aut in cippis erectum. Lapis in Piceno, *pag.* CCCCXCIII. 9.

P. F....... A. PRIMOPILO
SPECTATÆ VIRTUTIS.
EQUESTRIS ORDINIS. V
PATRIBUS. ET. PLEBI. GRATO
OB. GRATAM. ADOLESCENTIS.
INDOLEM
BENE. MERITAM. SAXUM.
DEDIT.

Hoc saxum nomen solum ut plurimum continebat. Propertius, *lib.* I. *eleg.* I.

Et breve in exiguo marmore nomen ero.

Qui & lapis ultimus, sepulchri dictus est:

Ultimus & posito staret amore Lapis.

Labellum πύελον lapis in labri formam concavus, quem, Arcam, Arculam, Sarcophagum diximus, quamquam labellum a balneo aut vinatico labro tractum sit: unde Cupæ, de quibus lapis Romæ, *pag.* DCCCXLV. I.

D. M
D. APULEIUS. IONICUS
FECIT. EVTYCHIÆ
SORORI. SUÆ. ET. EUTYCHETI
FILIO. EIUS. IN. HAC. CUPA
MATER. ET. FILIUS. POSITI.
SUNT.

In Æduis Cupa lapidea nuper reperta est, cujus formam Franc. Juretus amicis misit, quæ talis est.



A

Cupæ nomine & Labra, & Dolia Fictilia & Solia contineri puto, non Regia illa, sed quæ labra aut Labella dicuntur, Cato *de re rust.* c. X. Plin. *l.* XIX. c. I. & *l.* XXXI. c. II. Massa φύραμα Cupæ etiam nomine continetur, eam tamen fictilem magis puto: nam Massa pro quavis materia sumitur, quæ subigendo miscetur, & Massa figuli a D. Paulo vocatur, *ad Romanas*, c. IX. Ἢ οὐκ ἔχει ἐξουσίαν ὁ κεραμεὺς τοῦ πηλοῦ, ἐκ τοῦ αὐτοῦ φυράματος ποιῆσαι, ὃ μὲν εἰς τιμὴν σκεῦος, ὃ δὲ εἰς ἀτιμίαν. *An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere, aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam?* & φυράσαι πηλὸν est *lutum macerare*. De Massa duæ sunt Inscriptiones Romæ. Prima *pag.* CIƆCVIII. 6.

B

D. M

FLAVIO. SEVERO
FILIO. KARISSIMO
QUI. VIX. ANN. VI. M. V
FL. VITALIS. EVOK. ET
GLYCERA. PARENTES
INFELICISS. MAS. EXTRUCSE
ITEM: AFRICANO. LIB. BENE
MERENT. VIX. ANN. XVIII
HIC. DECESSIT LIB. XVII. K. SEPT
HABET
MAS. P. XII. FILIUS. KARISSIMUS.
DECESSIT
XVIII. KAL. OCT. DEPOSITUS. P. XII.
IN. VA
SCELLO. ET. MASSA. A. FUNDUS.
POSTEA
PLACUIT. LAPIDE. TIBUR. AMBOS.
IN. SE
CIRCUM. DARE. ET. TITULUM.
INSCRIBERE
D. C. MESSALA. ET. SABINO. COSS

C

Altera, *pag.* DCLXIII. 3.

D

TI. CLAUDIUS
ZOSIMUS. FECIT
LICINIÆ. PRISCÆ. MAMMÆ
CLAUDIÆ. PROSHODO. SER
MASSAM. CUM. CINERARIO.

Ollæ aut majores fuerunt aut minores, Cinerariæ, aut Ossuariæ. De Ollis majoribus lapis vetus, *pag.* DCCCLV. 3.

E

ÆLIÆ. TRYPHOSÆ.
IUS. SEPULCHRI. POSTE
RISQ. EIUS. OLLAM. MA
GNAM. ITEM. THUS. VI
NUM. FAR. ET. OLEUM
AD. SACRA. PRIVATA. DEDIT
P. FELICIANUS
IDEM. IUS. DATUM
EST. ET. POSTERIS. HURIES.
EX. TESTAMENTO

F

De minoribus alia est Inscriptio sup. c. XX. Primillæ, quæ ollas sex minores in avito conditorio libertæ indulsit. Ea autem has inter Ollas differentia fuit, quod magnæ minoribus honoratiores erant, ut ingentia sepulchra, humilioribus amplio ra. Utræque in sepulchris aut illius ædificiis plerunque consecratæ. Romæ, *p.* DCCCLXVII. 5.

HAEC. AEDIFICIA. PROPRIA
COMPARATA. FACTA
DICATAQ. SUNT. MONUMENTI
SIVE SEPULCHRUM. EST. ET
OLLARUM. QUAE. IN. HIS. AEDI-
FICIIS
INSUNT. ET. CONSECRATÆ. SUNT
RELIGIONISQ. EARUM. CAUSA. A
C. COMINIO. SYMPHORO
ET. LIBERTIS. LIBERTABUSQ
POSTERIS. EORUM.

Quæ monumento aut maceria inclusæ, *pagin.* CCCVIII. 8.

M. PLECTORIUS HERCULANIUS
SACERDOS. M. D. M. I
FECIT. OLLAR. N. XXXIIII
CUM. SARCOPHACO. MARM

Lapis alius, *pag.* DCCCCXXXV. 9.

Q. CANUSIUS
PRÆNESTINUS
MACERIAM. ET. OL
LARIA. LIBERTIS
LIBERTABUSQUE
SUIS. FECIT

Hujusmodi maceriam Arelate vidi duratum parietem & conclusum in æediculæ modum, in quo Ollæ plurimæ interioribus maceriæ partibus interclusæ ore patulo ad excipienda Ossa. Lapideum monumentum Ollarum quatuor hoc habetur Romæ, ut in Fig. col. seq apposita videre est.

Ollæ autem nonnisi benemerentibus concedi solebant, quæ factionibus & agitatoribus divisæ leguntur, *Inscript.* CCCXXXIX. 5. CCCXL. 2. & 3. inter quas Ollæ quædam cum Obrendario, *pagin.* DCCCLXXXIV. 16.

D. M.

L. POMPONIUS. CLAUDUS
ET. CLAUDIA. PARHESIA
FECERUNT
SIBI. ET. SUIS. POSTERISQUE
EORUM. ET
M QUINTINO. CLAUDIANO
OLLARUM. N. XII. AB. IMO
IN. SUMMO. CUM
OBRENDARIO

In multis Inscriptionibus literarum commutatio sæpe difficultatem facit, quam qui non animadvertit, magnum sibi aliisque negotium molitur. B. pro F. a Veteribus usurpatum est, quibus *Bruges* pro *Phryges*. Quod in hac Inscriptione evenisse credo, in qua *Obrendarium* scriptum pro *Ofrendario*, concisa syllaba. Offerendarium ab Offerendo dictum: unde offerre pro sacrificare in Primillæ Inscriptione supra c. XX. Et a nostris Offertorium a ferto, quod est oblatio, Isidor. in *Theolog* & ab eo posterioris ævi scriptoribus offerenda dicta est, quæ est oblatio, Alcuinus *l. de divin. Offic.* Amelius Fortunatus *de Eccl siastic Offic.* Si a ferto Offerendarium trahamus, ferrum forte in Offerendario solum ferebatur, quod genus libi est, Festus in verbo *fertum*. Ut Offerendarium sit Aræ species, ad quam liba ferrentur. Nam Aræ in sepulchris frequentes fuerunt, ut ex superioribus liquet, in quibus pro Manium quiete Inferiæ dabantur. Si quis meliorem interpretationem offerat, ab hac mea facile recedam. In re obscura & antiqua idem nobis accidere potest, quod iis solet, qui in tenebris ambulant, qui sæpe cum certis vestigiis inhærere non possunt, aut labuntur aut cadunt.

Ossuariæ Ollæ a Cinerariis in eo differunt, quod hæ cineres, illæ ossa exciperent. Ab ossibus olla, ossuarium simpliciter dicta, vel Ossarium, aut Os-



ſuaria, *l.* 2. *D. de ſepulch. violat.* Quæ ab urna, forma ſolum diſtinguebatur. Nam Urna conditoria eſt & cinerum, quæ major & minor. Majorem habeo vitream Oſſuariam quadratam oblongam, quam Nicolaus Boucherat Ciſtercienſis Abbas digniſſimus mihi dedit, quo illius beneficio devinctus, ingratus eſſem, ni publicam hanc gratiam viro meritiſſimo lubens rependerem. Ollæ cinerum hæ Romæ viſuntur. Fig. 2.

Quæ Cinerarium frequentius nuncupatæ, *Inſcript.* CCCCXVIII. II. & DCCCL. 10. Urnæ minores, Urnulæ dictæ ſunt, quæ cum majoribus aut coctiles marmoreæ ex Alabaſtro, porphyrite, aut vitreæ. Phiala cinerum una penes me eſt, quæ a communibus, vitri ſoliditate differt. Thecarum, quæ hic loculi dici poſſunt, elegans hæc forma eſt in ſiniſtro latere ſepulchri T. Statilionis. Fig. 3.

Culignæ pauperiorum Sepulchra fuerunt, Aggen. Urbic.

Miseræ plebi commune ſepulchrum.

Horatius *l.* I. *Sat.* VIII. Quod proprie ſepulchrum non dicebatur, ſed Buſtum, qui locus eſt, ubi quis combuſtus & ſepultus eſt, & cujus oſſa & cineres lecti non ſunt ut in ſepulchro conderentur, ſed ubi cadaver ſepultum eſſet, terra illico obrueretur. At ollæ, Urnæ & cætera ſepulchreta, ſepulchra omnino non ſunt, ſed inter illorum partes computantur.

CAP. XXV.

DE SEPULCHRORUM DIVISIONE ET PARTIBUS. DE SEPULCHRIS EXTRA SORTEM. DE MIXTURA CINERUM ET OSSIUM.

HOC quidem Celſus JCtus aſſerit, *l.* 2. *D. de ſepulchr. violat. Quid*, inquit, *ſi ſtatua neque applumbata ſit, neque affixa, an pars monumenti effecta, an vero manet in bonis noſtris?* Et ſcribit ſic eſſe monumenti, ut Oſſuariam, ideoque quod vi aut clam interdicto locum fore. Clarius in libris Βασιλικῶν, *l.* LX. c. II. Καὶ ἡ ϛήλη δὲ ὥσπερ ἡ σορὸς, μέρος ἐϛὶ τοῦ Μνημείου. Ex verbis Celſi deceptus Interpres ϛήλην pro ſtatua accipit, quæ ſtructilis eſt pila, ſeu ſtans columna. Quod quidem verborum ſenſum, mentem legis non mutat, ex qua addiſcimus Q. Ennii ſtatuam, quæ in Scipionum ſepulchro fuit, ſepulchri partem eſſe. Quem a Scipione delatum Ennio honorem ultimum, non minoris facio quam Athenienſium in Æſopum decretum. Cui, (Phædr. *l.* II.)

Ingentem ſtatuam poſuere Attici,
Servumque collocarunt, æterna in baſi,
Patere honoris ſcirent, ut cuncti viam,
Nec generi tribui, ſed virtuti gloriam.

Cæterum monumenta in partes quandoque ſecabantur ſecundum jus, quod in illis quidque haberet. Hoc aliunde quam ex antiquis Inſcriptionibus probare mihi facile non eſſet, in quibus pars monumenti dimidia conceſſa aliquando eſt. Romæ, *pag.* DCXIV. II.

CVRTIA. Ↄ L. PRAPIS
CVI. PARS. DIMIDIA. HVIVS
MONIMENTI. CONCESSA. EST. AB
C. MOECENATO. HELIO

Item Romæ, *p.* DCCLVII. 9.

D. M
ARRIÆ. ONFALE
L. ARRIVS. PARVS. ET
TI. CLAVDIVS. STAFYLVS
CONIVGI. B. M. FECERVNT

LIB. LIBERTABVS. POSTERISQ.
DONATIO. DATA. PARTIS.
DIMIDIÆ
L. MVNIO. FORTVNATO

Vir & uxor in parte dimidia viventes sibi monumenta compararunt, hoc modo distincta, *pagin.* DXLXXII. 14.

D. M.
C. BELLEIO. CLAUDIA
NO. VIX. ANN. XVII
MENS. XI. DIES. X. C
BELLEIUS. PONTICUS
ET. CLAUDIA. NICE
FILIO. PIENTISSIMO
VIVI. FECERUNT. ET
SIBI. IN. PARTE. DIMI
DIA. ET. LIBERTIS
LIBERTABVSQ. SVIS
POSTERISQ. EORUM

D. M.
C. STATILIUS
PROCULUS
SE. VIVO. FECIT. SIBI.
ET. CLAUDIÆ. HE
LIADI. CONIUGI. KA
RISSIMÆ. IN. PAR
TE. DIMIDIA. ET. LI
BERTIS. LIBERTA
BUSQ. SUIS. POSTERISQ.
EORUM

Lapis alius, qui hanc inter dominam & libertos divisionem continet, intrantibus parte dexteriore dimidia libertis libertabusque, *pag.* DCCLXXII. I. Pro parte tertia monumentum aliud est Romæ, *p.* DCCCXXVII. 6.

HORTULO. ÆDICUL. ET. SACELL.
COM. DI
STEG. SERVILIA. CYNIRA. FECIT.
SIBI. ET
N. SERVILIO. LIBERALI. OPTUMO.
VIRO
SUO. PRO. PARTE. TERTIA

Tumulum extra sortem unum in Epigrammatis antiquæ Urbis offendo, in Exquilino monte ad Sanctum Martinum de montibus:

CINERES. ET. OSSUA. PHILOCAPTÆ.
HIC. S
S. PERPETUÆ. MEMORIÆ. FACTI.
ET. IN
FAMIÆ. CAUSSA. QUE. INSATIABILI.
VE
NERE. EXHAUSTA. SUBTER. V. V.
MORTUA
EST. VIX. ANN. XXXV. M. IIII. D. X.
PAREN
TES. INFELISISS. TACITO. NOMINE.
EXTRA
SORTEM. AD. R. R. POSVERE. O.
VORAGI
NEM. EXSVRIENTEM

Quem eundem Ravennæ verbis aliquot immutatis scriptum Lasius, *l.* III. *Commentar.* c. XVIII. vidisse, passimque in antiquis Inscriptionibus hæc verba EXTRA. SORTEM. se observasse testatur. Has tamen cum diligentissime evolverim, nullibi quidem mihi Sors illa obtigit, quam ut male natam Gruterus inter Spurias reposuit. Videndum tamen est, quid sit *extra sortem ponere.* Nam qui hanc funerum explicandorum provinciam sortiti sunt, in Sorte illa exquirenda valde desudarunt, quam se non intelligere Lasius ingenue fatetur. *Nisi forte monumenta extra Sortem*, inquit, *militares Cippi fuerint, militi non missa forte, promiscue in agris neque pedum adbibita mensura, vel bis, qui notam babebant infamiæ, in locis abditis, concessi.* Quam interpretationem Guichardus respuit, qui hoc loquendi genus deducendum putat ab Agrorum designatione, quæ fiebat iis qui in Colonias deducebantur. Nam authores divisionum, leges quasdam colonis describebant, quibus Cippi sepulchrave cineribus deputarentur. Et cum singulis pars agrorum assignata esset, quæ sepulchra familiaria contineret, qui extra partem illam familiæ adsignatam sepultus esset, & in alieno fundo positus, EXTRA. SORTEM. jacere dicebatur. Guichardi opinio M. Bruti epistola juvatur, Cicer. *l.* XI. *epist.* XX. Ille enim Ciceroni, *Æqualiter, aut sorte agros legionibus assignari puto oportere.* Sed verius est EXTRA. SORTEM. significare, extra sacra & gentem. Nam Sortis nomen a Latinis authoribus pro genere & gente usurpatur. Ovidius de Junone, *l.* VI. *Fast.*

Si genus aspicitur, Saturnum prima Parentem
Feci, Saturni Sors ego prima fui.

Et Sors patrimonium est. Festus in verb. *Sors*, a quo consortes fratres, qui patrimonium non diviserunt, & ad quos eadem sors pertineret, M. Tullius, Act. VIII. *in Verr.* Varro *l.* V. *de Ling. Lat. Ex agris tres fratres consortes profugerunt.* Sors Græcis Κλῆρος herediolum, prædium seu fundus est, ut ex Pausania Budæus notat. Extra sortem ergo est, extra familiare sepulchrum, extra sacra & gentem, quod fas negabant esse, idque Torquatus in gente Popilia judicavit, Cicer. II. *de Leg.* Plato cum de iis loquitur, qui seipsos vita & sorte fatorum, vi scelerata, privarunt: *Sepultura, inquit, istis solitaria fiat, ubi alius nemo condatur. Deinde in bis locis sepeliantur, quæ de duodecim regionis partibus, ultima, deserta, innominata sunt: sic obscuri, ut neque pila, nec inscripto nomine sepulchra notentur*, *l.* IX. *de Legib.* Τάφους δὲ εἶναι τοῖς οὕτω φθαρεῖσι, πρῶτον μὲν κατὰ μόνας, μηδὲ μεθ' ἑνὸς ξυντάφους. εἶτα ἐν τοῖς τῶν δώδεκα ὁρίοισι μερῶν τῶν ὅσα ἀργὰ καὶ ἀνώνυμα, θάπτειν, ἀκλεεῖς αὐτούς, μήτε στήλαις, μήτε ὀνόμασι δηλοῦντας τοὺς τάφους.

Cinerum & Ossium mixtura ex iisdem Inscriptionibus probatur, in quibus aliquando loca singula sepulturæ causa assignata, quandoque idem locus monumenti plurium ossa capiebat. Romæ, *p.* CCCVIII. 7.

C. CAMERIVS
CRESCENS

ARCHIGALLVS. MATRIS
DEVM. MAGNÆ. IDEÆ. ET
ATTIS. POPVLI. ROMANI
VIVVS. SIBI. FECIT. ET

C. CAMERIO. EVCRATIANO. LIB
SVO. CETERIS. AVTEM. LIBERTIS. VTRI
VSQVE. SEXVS. LOCA. SINGVLA
SEPVLTVRÆ. CASA. H. M. H. E. N. S

Offa mixta alia Inscriptio habet Romæ, *pagin.* DCCXV. 10.

OSSA. MEA. IN. ARAM. MIXTA
CVM. FILIÆ. VNA. REQVIESCVNT

De Cinerum mixtura lapis alius Gerundæ in Hispania, *p.* DCCXXXII. 10.

EGO. Ꟊ. L. PISON. F. VNO. CINERES. L. PISON
PATRIS. MEI. ET. Ↄ. FLAVIÆ. MATR. MEÆ
SEPVLC. POSVI. ET. XXV. POST. ANNO. VI
TÆ. CINERES. ADMISCERI. MEOS. IVSSI. VT
QVIB. VIV. CONIVNC. FVERIM. IN. VLTIMO
POSTEA. FATO. VENIENTE. FIER. CONIVN
CTIOR. PVLVERE. MEO. EORVM. PVLVERI
ATMIXTO

Spuriam Gruterus suspicatur, cui assentior ob verborum maxime contextum, qui multum discrepat a veterum monumentorum titulis: Sed juvat ad cinerum mixturam, quæ Phillidis nutricis facto comprobatur: illa enim Domitiani reliquias templo Flaviæ gentis clam intulit, Sueton. in *Domitiano* c. XVII. cineribusque Juliæ Filiæ Titi, quam & ipsa educaverat, commiscuit, cum cadaver antea via Latina funerasset.

CAP. XXVI.

DE TITULIS SEPULCHRORUM.

Titulus est sepulchri brevis inscriptio. Græcis ἐπιτάφιον, ἐπίγραμμα, ἐπιτύμβιον, ἐπικήδειον, ἐπιτάφιος μνηματίτης, λίθικον, ἐπίσημα. M. Tullio, Eclogium, Epigramma, Elegia, Epitaphium. Titulus etiam est ἐπιγραφὴ damnatorum, a quo Tertullianus *l. de Anima* c. LVI. *Titulus injuriæ est cessatio sepulturæ*, quasi insepultis publico proximorum judicio damnatis injuriæ publicæ Titulus superinductus esset, qui commune odium tacito quodam illorum consensu contineret, ad quos sepulturæ cura pertinebat. In antiquis Inscriptionibus observamus TITULUM. PONERE. *pag.* DCXXXVI. 6. TITULUM. DONARE. *p.* DCXXXIV. 7. FACERE. *p.* DCXXXIX. 2. FACERE. IN. TITULO. *p.* DCXCVI 4. TITULUM. INFIGERE. *p.* DCCCLXIII. 3. INSCRIBERE. *p.* CIↃCVIII. 6. Titulos, Eclogia M. Tullius vocat 1. *Tuscul. Quid*, inquit, *sepulchrorum monumenta, quid Eclogia significant, nisi nos etiam futura cogitare?* Hæc duorum sunt generum: alia enim inscripta tumulo, alia ad portam, quorum alibi fecimus mentionem, Luctat. III. *Thebaid.* Eclogium in tumulo titulus est, qui tumulo jungitur, qui ex personarum conditione memoriam recte factorum continet. Tumulus quandoque sine titulo fuit, sed raro. Quare Daphnis pastor mandabat, apud Virg. *Ecl.* V.

Et tumulum facite, & tumulo superaddite carmen.

A Quod carmen Virgilius dixit, Poetis aliis titulus est. Juvenalis, *sat.* X.

—— *Titulo res digna sepulchri.*

Ausonius, in *epitaph. heroum* XX.

Nec satis est titulum saxo incidisse sepulchri.

Silius, *lib.* XV.

—— *Titulis decorare sepulchrum.*

De quibus Seneca, *l. de brevitate vitæ*, c. XX. *Quidam cum in consummationem dignitatis per mille indignitates erepsissent, misera subit cogitatio, ipsique laborant in titulum sepulchri.* Qui titulus ab nominis inscriptione, Nomen etiam dicebatur.
B Et quod titulum inscribere, dixerunt nomen signare. Virgilius, *l.* VII. *Æneid.*

———— *Ossaque Nomen,*
Hesperia in magna, si qua est gloria, signat.

Quod & Ovidius, XII. *Metam.*

—— *Tumulo quoque nomen habenti,*
Inferias dederat cum fratribus Hector inanes.

Hic nomen pro gloria & nobilitate, quo modo Sinon ille:

—— *Et nos aliquod nomenque, decusque,*
Gessimus.

Ac cum fortunam Priami Poeta miseratur, *lib.* II. *Æneid.*

C —— *Jacet ingens littore truncus,*
Avulsumque humeris Caput & sine nomine corpus.

Qui versus hucusque non satis intellectus ab Interpretibus, magnam continet antiquitatis religionem. Neque enim temere ingens truncus, & avulsum caput a corpore & nomine separatur. A Paulo JCto. interpretatio quærenda est. Ille diserte, *l. cum in diversis. D. de relig. Cum in diversis locis sepultus quis est, uterque quidem locus religiosus non fit, quia una sepultura, sepulchra plura efficere non potest.* Mihi autem videtur illum religiosum locum, ubi, quod principale est, conditur, id est,
D caput: unde qualis cujuscumque imago sit, cognoscitur. Occiso Parmenione pauci milites remanserunt, qui saltem ut corpus ipsius sepelire permitterent precabantur. Diu negatum est Cleandri metu ne offenderet Regem. Pertinacius deinde precantibus, materiam consternationis subtrahendam ratus, capite deciso truncum humare permisit. Ad regem caput missum est, Q. Curtius *l.* II. reliquum enim cadaveris sine capite sepultum nullam habebat religionem. Ingens ergo truncus ad nobilitatem Priami pertinet, ut supra de ingenti tumulo dicebamus: ut Ingens Achilles est Ovidio, XI. *Metam.* Ingens Clypeus & Ingentes animi Virgi-
E lio, IV. *Georg.* & VIII. *Æneid.* Truncus ideo, quod avulsum caput esset, ob idque nulla certa Priamo sepultura, cujus corpus, quod pro reliquis ponitur, sine nomine jacebat, quod ubi hæ reliquiæ conditæ sunt, nullus esset titulus, nulla nominis Inscriptio, qua dignosci posset, quis eo loci conditus esset. Unde cum in antiquo Epigrammate hic versus occurrit, Insc. *p.* DCCCCI. 14.

CORPVS HABET TELLVS ET SAXVM NOMINE INANE.

De tumulo sine titulo intelligi debet, male enim
F pro Cenotaphio acciperetur. Titulus autem breviter utcumque scriptus est, & ratio a Propertio his versibus reddita est, *l.* IV. *eleg.* V.

Hoc carmen media dignum me scribe columna,
Sed breve, quod currens vector ab Urbe legat.

Non tamen semper ex Platonis lege lapis versibus quatuor incisus fuit. Nam tituli ad multos versus plerique excurrunt, ut Inscriptiones veteres docent: sed quo breviores, eo elegantiores habebantur. His in titulis honores inscripti, ut de Pallante Claudii liberto notatur, cujus monu-


TAB. I
TAB. II.
Scala di palmi Antichi
palmi XX
palmi XL.
Porta del ingresso

monumenti Inscriptio hæc fuit, ut Plinius *lib.* VII. *Epist.* HUIC. SENATUS. OB. FIDEM. PIETATEMQ. ERGA. PATRONOS. ORNAMENTA. PRÆTORIA. DECREVIT. ET. SESTERTIUM. CENTIES. QUINQUAGIES. CUJUS. HONORE. CONTENTUS. FUIT. Quo titulo admonemur cum Plinio quam sunt mimica & inepta, quæ interdum in cœnum & sordes hominum fœda adulatione abjiciuntur. Censorini Imp. honores omnes Titulus sepulchri enumerabat, Trebellius XXX. *Tyr.* ultimo hoc versu adscripto, FELIX. AD. OMNIA. INFELICISSIMUS. IMPERATOR. Quod de Galba prius dictum, qui omnium consensu dignus imperio videbatur, nisi imperasset, Tacitus I. *Histor.* Hic libet cum Satyrico exclamare, ite nunc mortales, & magnis cogitationibus pectora implete: quæ vos extulit fortuna, eadem gloriæ carnufex ambitionem omnem sepelivit, & gloria hæc sola, quæ virtute subnixa est, spretis titulorum phaleris integra ad posteros manat. Sæpe ego audivi a fori nostri principibus viris, Michaelem Hospitalium Franciæ Cancellarium, cui nulla ætas habuit parem, solitum dicere, multos, qui ad honores a fortuna pelluntur, simiarum esse simillimos, quæ altiorem arborem nactæ, eosque conscendunt, ut cum ad summum arboris fastigium evaserint, foliis vento stridentibus opertæ totæ, posteriora tantum prætereuntibus ridicule ostentant. Ut ridiculus forte fuit Staberius, homo avarissimus, qui Testamento jussit heredes scribere in suo monumento, quantum quisque a se relictum accepisset. Horat. *Serm.* lib. II. Sat. III.

Heredes Staberi summam incidere sepulchro,
Ni sic fecissent, Gladiatorum dare centum
Damnati populo paria, atque Epulum, arbitrio Arri.

Nam sepulchro testamentum quandoque inscriptum in veteribus lapidibus videmus, ut in *Inscript.* fol. DCCCLXXIX. 4.

Tituli aut soluta oratione aut versibus ponebantur. Voconii amici sui Poetæ tumulum D. Hadrianus versibus veneratus est, Apulejus *Apol.* I. Aliquando titulus pluribus linguis conceptus fuit, ut Gordiani III. Imperatoris sepulchrum linguis quinque, Græca, Latina, Persica, Judaica, & Ægyptiaca inscriptum fuit, quod ab omnibus legeretur, Capitolin. in *Gordian.* Inscriptio quatuor Enni versus longos non excessit atque ipsa brevitate gratior: cui cum studerent Veteres, duplicem aliquando titulum fecerunt, & sepulchro nomen solum, res gestas in aliquo monumenti ædificio, tabulæ affixerunt. Lapis in valle Antipoli, *pag.* DCCCXCVII. 16.

VIATOR. AUDI. SI. LIBET. INTUS.
VI. I
TABULA. EST. ÆNEA. QUÆ. TE.
CUNCTA. PER
DOCET

Titulus quandoque nomen non habebat, sed prudens aliquod & breve dictum, quale legitur Albæ Juliæ, ubi geminæ mortuorum statuæ superadditum hoc est epigramma, *pag.* DCCCXCVIII. 16.

NISI. UTILE. EST. QUOD. FACIMUS
STULTA. EST. GLORIA

Neapoli, *pag.* DCCCCXXVIII. 6.

FUI. NON. SUM
ESTIS. NON. ERITIS
NEMO. IMMORTALIS

In Agro Albano, *pag.* DCCCXCVI. 4.

ΤΟΥϹ. ΑΓΑΘΟΥϹ. ΚΑΙ. ΘΑΝΟΝΤΑϹ
ΕΥΕΡΓΕΤΕΙΝ. ΔΕΙ.

Sed & ipsæ Ollæ & Urnulæ titulos, & sapienter dicta habuerunt. Lapis Romæ, *pag.* DCCCLXV. 10.

CLAUDIA. APHRO
V. A. XXV
L. ANTONIUS. POTHUS
OLLAM. CUM. TITULO. BENE
MERENTI

Urnæ cum titulo hanc formam habemus.



Ut vitreæ phialæ brevibus titulis adornatæ, *Inscr.* DCCCXXXVI. 10. His titulis plerisque sepulchrorum magnificentia non defuit. Nam minio notæ insignitæ literas in marmore & monumentis clariores faciebant, Plinius *lib.* XXXIII. *cap.* VII.

CAP. XXVII.

DE VETERUM SEPULCHRORUM TITULIS.

QUid itaque tumuli a sepulchris differant demonstratum satis est, quæ tamen aliquando confunduntur. Nam Epitaphium pro tumulo in antiqua Inscriptione offendo, quæ est Puteolis, *pag.* DCLXVIII. 6.

IN. HOC. EPITAPHIO. MACERIA
CINCTUM. ANNIÆ. MAXIMIN
Æ. ET. ANNIORUM. CELERIONIS
MAXIMINI. ET. CELERINATIS
FILIORUM. EIUS. QUÆ. EST
DOMUS. ÆTENRNALIS

Nos veteres Tituli aliquantisper illi detineant, qui magnam habent venustatem, magnam delectationem, magnam literarum reconditarum doctrinam. Tria illorum præcipue genera fuisse comperio, unum ad honorem: ridiculum alterum: tertium ad infamiam. Plura honori data sunt, inter quæ mihi illud placet Similis illius, qui similes habuit paucos. Vir, qui cum ceteros sui temporis ætate & virtute anteiret, illorum nemini moribus & honesti ratione secundus fuit. Nam cum Præfecturam Prætorianorum invitus obiisset, qua postea se abdicavit, rurique septem reliquos vitæ annos transegisset, monumento suo inscribi jussit: HIC. JACET. SIMILIS. CUJUS. ÆTAS. MULTORUM. ANNORUM. FUIT. IPSE. VII. DUMTAXAT. ANNOS. VIXIT. Σίμιλις μὲν ἐνταῦθα κεῖται. Βιὼς ἔτη τόσα

ζήσας δὲ ἔτη ἑπτὰ, Xiphilinus in *Hadr.* Nec certe A vita putanda ea est, quæ negotiis aut honoribus implicata, virtute & literis operam libere dare non potest, quibus nominis immortalitas comparatur.

Ridiculus fortasse ille est titulus, quem Chloe Martialis, *lib.* IX. *epigram.* XVI. nequiter finxit:

Inscripsit tumulo septem celebrata virorum,
Se fecisse Chloe; quid pote simplicius?

Facere enim verbum obscœnum, hic merito ridetur, ut subbasurde salseque dictum. Quod quamvis eleganter in veteribus Titulis positum sit, habet tamen hic obscœnitatis affinitatem. Romæ, B *pag.* DCCCXLII. 7.

VRIANIVS. VITELLIANVS
LICINIÆ. DEMETRIANÆ
CONIVGI. KARISSIMÆ
CVM. QVA. FECIT. ANN
VIII. M. VI. DIES. XXV

Mutinæ, *pag.* CCCCXLVII. 3.

MEMORIÆ. CLA. FEM
L. PÆDVCEÆ. IVLIANAE C
MORIB. NATAL. AC. PVD. PRIS-
CIS
INLVSTRIBVSQVE. FEMI. COMPA-
RANDA
QVAE. VIXIT. ANN. XIII. D. XLVII.
CVM. MARITO. FECIT. ME. D. XX.
L. NON. VER.

Ut puella, quæ tredecim annorum fuit, in ma- D trimonio dies septem & quadraginta vixerit. Recte interpretatus est Cujacius lib. *de Termin.* cap. XXVI. facere cum marito, commorari cum marito: Sed exemplum quo nititur, *leg.* 2. *Cod. de Incol. lib.* X ut qui in aliqua civitate decem annos fecerit, ibi domicilium habere videatur, non ita promptum est Melius hic loquendi modus Papiniani authoritate confirmatur, *l.* 218. *D. de verb. sign.* qui verbum, facere, omnem omnino faciendi causam complecti docuit, ut dandi, solvendi, numerandi; ex quo facere ad dierum aut annorum numerum optime refertur. Sed facere cum marito ambiguitatem habet; a qua ut a scopulo quodam E longe in scribendo recedendum est, in iis præcipue, quæ dolentes scribimus: verba enim ambigua risum magis quam mœrorem aut admirationem movent, si in genus ridiculi incidant.

Infame est Sardanapali vulgatum illud epigramma, quod incidi voluit in Busto:

Hæc habui, quæ edi, quæque exsaturata libido,
Hausit: at illa jacent multa & præclara relicta.

Ταῦτ' ἔχω ὅσσ' ἔφαγον καὶ ἐφύβρισα, καὶ μετ' ἔρωτος,
Τερπν' ἔπαθον, τὰ δὲ πολλὰ καὶ ὄλβια κεῖνα λέλειπται. F

Strabo *lib.* XIV. Quod ex Chœrilo aliter paulo refert Athenæus *lib.* XII. ad eundem sensum, cui adjunxit illud Clitarchi *lib.* IV. Σαρδανάπαλος Ανασιδαράξεω παῖς, Αγχιάλην καὶ Τάρσον ἔδειμεν ἡμέρῃ μιῇ. Εσθιε. Πῖνε. Παῖζε. Ως τ' ἄλλα τούτου, οὐκ ἄξια τοῦ ἀποκροτήματος. *Sardanapalus Anasidaraxis filius, Anchialem & Tarsum uno die condidit. Ede, Bibe, Lude. reliqua ne digitorum quidem crepitu digna sunt.* Homo vitiis multo quam nomine deformior, quid aliud in bovis sepulchro inscripsisset? Sed quot hodie eo more vitam trahunt, tanquam mors æternum illis nihil sentientibus receptaculum futura sit? Quammultos improba hæc disciplina sectatores habet? Quorum immortalis infamia etiamtum vivet, cum esse credent mortuam. Omitto cætera, nam qui omnia, quæ in bonis auctoribus epitaphia leguntur colligere vellet, immensum volumen nullo negotio conficeret. Quare his aliquot alia in antiquis Inscriptionibus eleganter scripta attexo, *pag.* CCCV. 2.

D. M. S
L. ASCONIO. EPITYNCHANO. SODA-
LI. TI
TI. VIX. ANN. XIIII. MEN. VI. D. XII.
ET. LI
VIÆ. RVFFINÆ. VXORI. EIVS. CAS-
TISS
VIX. ANN. LXXII. MENS. VIII. D. VI.
QVÆ
ADFECTA. CINERIBVS. CONIVGIS.
ADEO
FVIT. VT. AD. SECVNDVM. NVLLO
VNQVAM
TEMPORE. TRANSIRE. VOLVERIT
QVAM
VIS. DIV. SVPERVIVERET. ET. Æ-
TAS. PO
SCERET. ET. VALIDA. NATVRA. VI-
RILEM
QVEM. SEMPER. SERVAVIT. ANI-
MVM. FI
DEMQ. PVDICITIÆ. ÆQVALI. MV-
TARE
COMPELLERET. ET. NE. BREVEM.
DOME
STICAM. PVGNAM: CREDAS. POST.
MARI
TVM. VIX. ANN. L. M. VIIII
Q. ASCONIVS. EPITYNCHANVS. FIL,
PAREN
TIBVS. OPT. ET. SIBI. FECIT

Inter ridicula, quæ eleganter quoque scripta sunt, hoc repono, *pag.* CCCXXXI. 7.

C. IOCVNDO. C. F. EXQ. QVI
XII. ANN. VIXIT. ET. SEPTIES
SPECTANTIBVS. IMPP. SER
GALBA. OTHONE. SALVIO. A
VITELLIO. ET. POPVLO. R
SALTAVIT. CANTAVIT. ET
PLACVIT. PRO. IOCIS. QVIBVS
CVNCTOS. OBLECTABAT. SI. QVID
OBLECTAMENTI. APVD. VOS. EST
MANES. INSONTEM. REFICITE
ANIMVLAM. FAVSTVS. NVNC
INFAVSTVS. PATER. FILIO
ET. SIBI. FECIT

Quemadmodum & istud, *pag.* DCCXLII. 7.

VIXI. DVM. VIXI. BENE. IAM
MEA. PERACTA. MOX. VESTRA
AGETVR. FABVLA. VALETE
ET. PLAVDITE

Infames tumulos duos ex iisdem Inscriptionibus subjicio. Primus est, *pag.* DCLII. 1.

VIBIÆ. Ɔ. L. CALYBENI. LIBER
TÆ. LENÆ. AB. ASSE. QVÆSITVM
LVCRO. SVO. SINE. FRAVDE. ALIO
RVM
H. M. H. N. S

Alter Romæ, *pag.* DCCCCXXI. 1.

Alter Romæ, *pag.* DCCCCXXI. 6.

PONTIA. T. PONTII. FILIA
HIC. SUM. QVAE. DUOBUS. NATIS
A. ME. VENENO. CONSUMPTIS. A-VARITIÆ
OPUS. MISERÆ. MIHI. MORTEM. CONSCIVI
TU. QUISQUIS. ES. QUI. TRANSIS. SI. PIUS
ES. QUÆSO. A. ME. OCULOS. A-VERTE

Versibus conscriptos P. Pithœus ex epigrammatis veteribus omnes collegit & publicos fecit. Versum superposuisse dicebatur in antiquis Inscriptionibus, qui titulum inscripsisset, licet soluta oratione, *Inscript.* DCCIII. 2.

Has ego Inscripriones ubique affero & paro velut optimum funebris tractationibus condimentum quo alii forte delectabuntur, alii fastidiose respuent. Sed in librorum compositione idem servandum puto, quod in epularum apparatu, ubi, quod uni non sapit, facit ad alterius gustum: & nonnulli sunt, qui sensus stupore suavitatem cibi non sentiunt. In eo tamen omnes consentiunt, ut nisi aliquæ supersint reliquiæ, minus instructa & inelegans cœna videatur. Quare satius est, scribendi facilitate aliquando diffluere, quam veteri Inscriptionum elegantia lectorum quorumdam animos defraudare.

CAP. XXVIII.

DE SEPULCHRORUM SCULPTURIS ET ORNAMENTIS. QUID SIT, SUB ASCIA DEDICARE.

SEpulchrorum sculpturæ variæ fuerunt: has in veteribus Monumentis præcipuas observavi. Aquilam fulmen unguibus tenentem. Arietum capita. Genios. Armatos homines. Pateras. Corollas. Volantes Aquilas. Genios alatos. Marinos equos. Gryphos. Pegasos. Hastas. Currus. Corvos. Catellos. Asellos. Flores & Rosas. Gallos gallinaceos pugnantes. Ferales cœnas. Genios in aere pendentes. Navium pinnas. Herculem clavam tenentem. Satyros hircina pelle involutos. Caput Medusæ. Victorias alatas. Dracones. Arma militaria. Scuta. Manicas. Tibialia. Gladios. Harpyas. Larvas cincinnatas. Venerem Sepulchralem rosis convolutam. Eandem Venerem nudam delicias anseri facientem. Chimæras. Hippocentauros. Quæ non temere utique sculpta putari debent. Erant enim gentis insignia, quæ arma dicebantur, ut ex duobus Virgilii locis constat. Nam cum Cenotaphium constituisset, addit Poeta, IV. *Æneid.*

Nomen & arma locum servant.

Ut cum Miseno justa persolvisset:

—— Pius Æneas ingenti mole Sepulchrum
Imponit, suaque arma viro, remumque tubamque.

Ubi Servius, *ipsi chara*, inquit, *insculpsit in saxo*, in quo lapsus est. Arma autem hujusmodi aut generis nobilitatem aut professionem designabant, quæ in artificum tumulis notata sunt. Nam & arma instrumenta significant: Idem *Georg.* I.

Quæ sunt duris agrestibus arma.

A Sed inter sepulchrorum ornamenta vela numeramus, quæ purpurea in Diocletiani monumento narrantur, quæ mulier perfida cum virum suum majestatis arcesceret insontem, a sepulchro Imperatoris furatum criminata est, Ammian. Marcell. *lib.* XVI. Præcipuum vero sepulchrorum ornamentum Tectorium opus fuit: quare cum Solon illorum amplitudines tolleret, lege sanxit, Cicero II. *de Leg. Ne quis sepulchrum faceret operosius, quam quod decem homines efficerent triduo: neque id opere tectorio exornare, nec Hermas, quos vocant, licebat imponi.* Opere tectorio sepulchra exornare idem est, quod in veteribus Inscriptio-

B nibus passim legitur SUB. ASCIA. DEDICARE. Quæ verba multis scriptoribus crucem infixerunt. Alii sub Ascia dedicata credunt ea sepulchra esse, (Lasius *lib.* III. *Comment.* c. XVIII.) quæ sub contignationibus lignorum, tecto munita sunt, ut ab aeris injuria vindicentur. Quod quidem tectorium ornamentum dici non potest, sed Protectorium. Guichardus *sub Ascia dedicare* suspicatur esse, rogum Ascia polire, quod legibus XII. vetitum est, atque in horum verborum interpretatione hæret maxime. Rogum polire lex dicit, non dedicare, quod est, religione aliqua devincire. De-

C dicare sepulchra, consecrare recte dicimus, quod rogo convenire non potest. Hæc ut facilius ex M. Tullii opere tectorio explicemus, advertendum est sepulchrorum perfectorum ornamenta potissimum contineri tectorio seu albario opere, quibus ascia adhibebatur. In albario opere maceratio calcis necessaria est, id est, *Si calx in fornace cocta fuerit parum, in maceratione diuturna, liquore coacta deferveat*, Vitruv. *lib.* VII. *cap.* II. *Tum ascia sumitur, & quemadmodum materia dolatur, sic calx in lacu macerata asciatur. Quod si ad asciam offenderint calculi temperata non est. Ut ergo opus albarium probetur, macerata calx ascia dolatur,*

D *& si quod asciæ adhæret, fuerit molle atque viscosum, constat albariis operibus convenire*, Pallad. lib. I. *de re Rust.* cap. XIV. En asciam in manibus habemus: maceratum hunc locum, & a multis recoctum & inchoatum, placet perpolire atque perficere, & sub ascia dedicare. Ascia σκέπαρνον, *Gloss. vet.* dolabra est artificum, qua asperitas perpolitur: securis est, qua ligna lævigantur. Tectorium opus asciam magis quærit quam securim. Tectorium generale verbum est, omnem enim crudam induci solitam significat, estque illinimentum quoddam & quasi incrustatio parietum, laterum sepulchri aut pavimenti. Hoc si calce pura fiebat

E albarium opus: si calce & arena, arenatum: si marmore & calce marmoratum vocatur. In albario opere superbia candoris: in marmorato pretium & pulchritudo operis delectat. Marmoratum calce & marmore tuso, & triplici varietate comminuto fiebat: nisi enim tectorium ter arenato & bis marmorato inductum esset, nunquam splendoris habuit satis. Experimentum marmorati in subigendo fuit, donec ratio non cohæreret; contra in albario opere, ut calx macerata seu glutinum hæreret, Plinius *lib.* XXXVI. *cap.* XXIII. Ex his facile intelligitur SUB ASCIA. DEDICARE, idem

F esse, ac opere tectorio marmorato vel albario sepulchra exornare. Tectores κονιάται, qui ab albario, albarii & albani dicti sunt, *l.* 2. *Cod. Theod. de excusat. Artif. l.* I. *C. eod. lib.* X. Ut albarium opus κονίαμα: unde sepulchra albario opere inducta τάφοι κεκονιαμένοι, D. Matth. *cap.* XXIII. quibus similes Pharisæi incusantur, qui ut Plautus in *Trucul.* loquitur, cum exornatis ossibus & animis incedebant. Albarium opus in fragmento veteris Inscriptionis notavi, *pag.* CLXXII. 2.

SEX. POMP.......
TRIB. MIL. II. ƎI......
DIƎI. AVG. NERONI.......
PRÆFECTVS. TESTA.....
POMPEIA. NVMM.......
SVMM. PORTICVM. MAR...
....CRF. ALBARIO. ADIECTA....
...... QVINQ. PASSV......

Tectorium in alia est hoc modo exornatum, *pag.* DCCCXVI. 5.

BENE. MEMORANDÆ. CO
NIVGI. DVLCISSIMÆ
QVE. VIX. ANN. XX. M. V. FL. PO-
MENTI
VS. AVR. IVSTINÆ. MARITVS
ET. LECTORNAM. ET. PROTECTO
R. CONTRA. VOTVM. MEMO
RIAM. POSVIT.

Terra Chia lacte diluta, ait Plinius, *lib.* XXXV. *cap.* XVI. tectoriorum albaria interpolantur: quod fieri solebat, cum propter venustatem induceretur, aut opus temporis longitudine exolevisset. A quo non absurde Plauti Sosia in *Amphitr.*

Illic homo me interpolabit, meumque os finget denuo.

Quod frustra ab arte fullonica tractum Nonius scripsit, cum a tectorio ducatur. Vetusta Inscriptio interpolanda nobis est, adhibenda ascia, & arena, vel sine calce & marmore. LECTORNAM. in illa scriptum pro TECTORNAM. suspicor, T. in L. commutato, quod Veteres solebant, qui Thelim pro Therim dixerunt, Varro *de Re Rust.* lib. III. cap. IX. Forte cum scriptum esset, TECTOR ORNAM. repetitam syllabam OR elisit faber, & verba duo in unum transtulit. Tectornamentum vel Tectorium ornamentum, opus tectorium est, quo sepulchra ornabantur. Si marmoratum, assulis seu σχύροις & frustulis, quæ scalpendo marmore excidunt, fiebat. Hæc enim fragmenta pistillis tundebantur, & setaceis incerniculis cribrabantur, Philander *ad Vitruv. lib.* VII. *cap.* VI. Hinc Plautus in *Menæchmis*:

Securim capiam ancipitem,
Et dedolabo assulatim viscera.

Hujus securis nota hæc est in plerisque monumentis, quæ in Lugdunensi provincia visuntur:

DIS. ET. ⊤ M.

Cujus figuræ nota nihil aliud significat, quam opus securi dedolatum & sub ascia dedicatum, quod ubique vulgatum erat.

Sed ut sepulchrorum sic tectoriorum quædam vulgaria fuerunt, quædam ampliora. Calx e gleba ad vulgaria tectoria statim cum cocta primum esset, conferebatur. Intrita calx, id est, quæ multo tempore macerata est, nobilibus tectoriis dicata fuit, Plinius *lib.* XXXVI. *cap.* XXIII. Vulgaria tectoria, a Juris nostri auctoribus notata sunt, *l. quidam Hiberus. §. parietem. D. de servit. urb. præd.* qui tectoria rutis cæsis non contineri judicarunt, *l.* 241. *D. de verb. sign.* illaque inter impensas voluptuarias computarunt, *l.* 29. *§. fin. D. eod.* Quare si servus mutua pecunia accepta domum dominicam exornavit tectoriis, in rem domini versum non videtur, nec procurator imputaret, *l. qui servus. §. proinde. D. de in rem. vers.* Sed nos sepulchra impolita & imperfecta perficiamus. Nam qui cœpta perfecerunt, hoc in illorum titulis non obmiserunt. Sepulchrum est ad Urbem fascibus & securibus, aliisque ornamentis Consularibus insignitum, *pag.* CCCLVI. 1.

D. M
M. ANTONII. ANTII. LVPI. PR. PA-
TRICII. AV
GVRIS. QVÆST. SODAL. TITII. TRIB.
MIL
LEG. II. ADIVTR. PIÆ. FIDEL. X. VIR.
STL. LVD
PRÆF. FER. LAT. CVIVS. MEMORIA.
PER. VIM
OPPRESSI. IN. INTEGRVM. SECVN-
DVM. AM
PLISSIMI. ORDINIS. CONSVLTVM.
RESTITV
TA. EST. SEPVLCHRVM. AB. EO. COE-
PTVM
CLAVDIÆ. REGILLÆ. VXORI. ET.
ANTIÆ
MARCELLINÆ. FIL. PIETATIS. SVÆ.
ERGA
EVM. TESTIFICANDÆ. GRATIA. ET.
NOMI
NIS. EIVS. IN. PERPETVVM. CELE-
BRANDI. PER
FECERVNT. ATFINES.

Perfectum opus, exasciatum opus dixit Plautus in *Asinar.* ab albario translatione sumpta, quod ascia perpolitur & perficitur. Ex Solonis legibus Hermæ advolant, quos sepulchris vetat imponi. Ερμαῖ sunt statuæ lapideæ, in figuram quadrangulam desinentes pedum tenus non expolitæ. Ερμῆς λιθε τετράγωνον σχῆμα, ὁ καταλήγει ἤ ὀκ ἐς πόδας, Pausan. in *Arcadicis*. Cujusmodi figuræ in Sibyllæ Samiæ sepulchro fuerunt, idem in *Phocicis*. De his M. Tullius *ad Attic.* lib. I. ep. VI. *Hermæ tui Pentolici cum capitibus æneis jam me admodum delectant*. Pentolici a Pentolico marmore, (Strabo *lib.* IX.) qui capitibus æneis Hermeraclæ ab eodem Tullio vocati, qui paulo post scribit Attico, *lib.* I. *ep.* XVIII. *Signa nostra & Hermeraclas cum commodissime poteris, velim imponas*. Ita dicti, quod Herculis caput, Mercurii quadratæ statuæ impositum esset, qualem se Romæ vidisse Fulvius Ursinus testatur. Hermas accipere debemus pro statuis quæ columnarum loco sustinent onus, quales Caryatides Persis & barbaro habitu Persæ ipsi Lacedæmoniis fuerunt, Vitruvius *lib.* I. *cap.* I. aut captivi Romanis, qui alios, qui id in barbarorum ignominiam fecerunt, imitati, variarum personarum imagines in ædibus ad sustinendas trabes habuerunt.

CAP. XXIX.

DE CÆTERIS SEPULCHRORUM ORNAMEONIS.

Alia præterea ornamenta fuere permulta sepulchrorum, in quibus non Hermæ, sed & signa & sigilla affabre facta ponebantur, quod ex uno M. Tullii loco perspicuum est, in orat. *pro Domo*, qui libertatis signum quod in æde diruta & consecrata Clodius collocarat, simulachrum e marmore in sepulchro cujusdam meretricis positum & de busto meretricis ablatum illi objiciebat. De signo lapis vetus, *pag.* DCCXIV. 2.

D. M. S
PIETATI. ET. MEMORIÆ
VETTIÆ. MARCELLINÆ
FILIÆ. SUÆ
VIXIT. AN. VI. M. II. D. XII
SEPULCHRUM. ARAM. SIGNUM
MARMOREV. FECERUNT

Sigilla Capitolino, in *Gordian.* III. *Instituerunt*, inquit, *Porticum in Campo Martio: medium lithostrotum brevibus columnis altrinsecus positis, & sigillis per pedes mille.* Sigillata Herodis tentoria Trebellius narrat, in XXX. *Tyrann.* quæ Casaubonus ὑρανισκὰς σημειωτὰς interpretatur tentoria variis signorum figuris depicta. Quo modo & Sarcophagum sigillatum, quod alicubi legi, dictum arbitror signis aliquot nobilitatum. Quæ frequentiora fuere in sepulchris, quod nulli prohibitum, sed omnibus libera facultas monumento superimponendi fuit, *l. statuas. C. de relig.* Simulachra ipsis sepulchrorum parietibus incrustare receptum fuit, quod Tertullianus *inscripare* dixit, lib. *de Idololatr.* cap. VIII. ut Columellæ *lib.* X. *cap.* XVII. crispari terra herbis dicitur. Nec sepulchrorum opus solum, sed continentia illorum ædificia cum pavimentis & parietibus ipsis, opere tectorio amplificata & adornata. Interraso enim marmore, vermiculatisque ad effigies rerum & animalium crustis, parietes & pavimenta operiebantur. Hanc tecturam parietum Palladius dixit, *lib.* I. *cap.* XV. quam cum trullis hucusque induximus, penicillo jam colores addendi sunt.

Scripsit Varro lib. III. *de Re Rust.* cap. I. ad Q. Pinnium: *Cum villam habeas opere tectorio & intestino, ac pavimentis nobilibus lithostrotis spectandam: parum putasses, ni tuis quoque literis exornati parietes essent.* Λιθόστρωτος proprie pavimentum est, ut Plinius docet, *lib.* XXXVI. *cap.* XXV. *Pavimenta*, inquit, *originem habent apud Græcos, elaborata arte, picturæ ratione, donec lithostrota eam expulere. Aliquanto post lithostrota cœptavere jam sub Sulla parvulis certe crustis, extatque hodie quod in Fortunæ delubro Præneste fecit. Pulsa deinde ex humo pavimenta in cameras transiere de vitro. Vitreæ cameræ ita dictæ, quod tessellis vitreis versicoloribus inducerentur, quod vulgo musaicum opus vocamus. Illud si lapide, lithostroton dicitur: si ramentis & tessellis variis coloribus & vermiculatim ligno insertis componeretur, Cerostroton fuit*, idem *lib.* XI. *cap.* XXXIX. Philander *ad Vitruv. lib.* IV. *cap.* XVI. Cum itaque in antiquis Inscriptionibus legitur PAVIMENTUM. FECIT, illud aut Lithostroton aut Cerostroton intelligendum est. Romæ, *pag.* DCCLXXX. I.

EGNATIÆ. PELAGIÆ
P. CORNELIUS
ASCLEPIADES
MARITUS
ARAM. ET. PAVIMENTUM
FECIT

Hæc faciunt ad Pauli JCti mentem, qui voluptuariis impensis annumerat incrustationes, loricationes, picturas, *l.* 79. *§. fin. D. de verb. sign.* Incrustationes ad tectoria parietum, loricationes ad pavimenta Alciatus refert. De picturis silet, quas ad tabulas pictas pertinere frustra crederemus. Tectoria, pavimentum, parietes & omnes operis partes exornabant: Loricatio proprie parietes ipsos, Varro *de Re Rust.* cap. LVII. Loricam interpretatur Philander, *ad Vitr. lib.* II. *cap.* VIII. testaceam structuram veluti cornices projectas sive semifstillicidia, quæ stillicidium a parietibus arcerent. Picturæ cum rutis & cæsis non contineantur, de tabulis pictis accipi non possunt, sed de ea picturæ ratione, qui lithostrotis aut cerostrotis operi tectorio induci solebant. Nos hac in parte non exornatores rerum veterum, sed narratores sumus. Quare hoc opus meum non distinxi varietate sententiarum, non verborum collocatione, non tractu orationis leni & æquabili perpolivi, ut de Cœlio dicebat Catulus. Dolavi illud sicut potui, & si lubet quod alii multi tentarunt aut perfecerunt, ob vetustatem interpolavi. Habeant alii,

Pictæ tectoria linguæ.

Pers. *sat.* V. Nos quidem verba togæ sequimur, & si quid ad legum civilium interpretationem aut ornatum facit, in illo juvat totam operam nostram collocare.

CAP. XXX.

DE TECTIS PROJECTIONIBUS MONUMENTIS SEPULCHRORUM.

Tectoria ex veteri Inscriptione protectoriis tegebantur, quæ ampliora sunt quam ea quæ Macer JCtus Munimenta sepulchri vocat, *l. funeris. §. munimentum. D. de relig.* Male Florentini Pandectæ habent *monumentum* pro *munimentum*, quod muniundi causa factum est. Hæc Sarcophagi munitura est in lapide veteri, *pag.* DLXXXIX. 7.

STRUCTURA. CUM. MUNITURA. SARCOPHA
GI. VETURI. FELICIS. P. P. SUIS. IMPENDIS. FE
CIT. FELIX. AUG. LIB. ADIUT. TABUL. ARAT
QVI. SORTITUS. EST. IN. CONTUBERN. SUO. AR
RIAM. RUFFINAM. QVÆ. FUIT. UXOR. EIUSD
VET

In contubernium sortiri obiter hic notandum puto, quod non ex Plauti *Casina* intelligo, quam rivales servi in contubernium sortiti sunt. Nam hic novus Felix Veturii Felicis uxorem sortitus est, id est, substitutus est in Veturii Felicis locum, quo modo Poeta dixit, III. *Georg.*

Et sobolem sortire quotannis.

Quod Servius interpretatur substituere.

Protectoria non sunt veluti Sepulchrorum supercilia, suggrundæve arcendis stillicidiis inventæ, sed latius extenduntur, quæ ex Pausania quidam περιοικοδομάς. Melius projectoria dixissent, quæ & stillicidia & porticus & quæcunque extra sepulchrum projiciuntur, complectebantur. In Indice Pandectarum Florentinorum titulus est *de damno infecto & projectionibus & Suggruendis*, qui in libris nostris est *de damno infecto, de Suggrundis, vel Protectionibus.* Protectorium seu Projectorium sepulchri munimento circumdatur, cum illud sepulchrum circumdet. Nam Projectorium ad porticationes, tabernas, dietas porrigitur, quod Macer JCtus tangit, *dict. leg. funeris. §. munimentum: Itaque*, inquit, *si amplum quid ædificare testator jusserit, veluti in circum porticationes, eos sumptus funeris causa non esse.* Nam quod immodice factum est, ait Ulpianus, in funeris causam non imputatur, *l. at si quis §. hæc actio. D. de relig. In circum* vera Macri lectio est ex Pandectis Flor. quæ in vulgatis male immutata, in quibus legitur *in circuitu.* Sic enim Macer loqui solet, *in circum, in ante, ab ex, ad ultra*, ut Ræ

vardus observavit, lib. III. *Var.* cap. III. Sed fallitur vir doctus cum Marcum tueri conatur ex Papiniani pari loquendi modo, qui strictam rationem cum de sepultura agitur, insuperhabendam unico verbo dixit, ut Cujacius docet, lib. III. *Observ.* cap. XXII. Projecta ergo seu projectoria, ædificia & opera omnia continent, quæ sepulchris cedunt, ut protectoria, porticus, ambulationes, quas in Mausoleo Cæsaris περιπάτους Strabo vocat. Hæ aut hypætræ sunt, id est, apertæ & sub dio sine tecto: aut hypogææ & subterraneæ undique parietibus tectæ, quæ porticus dici possunt. In privatis ædificiis ambulationes & porticus fuisse ex Plauto notamus, in *Mostellar.* B

> *Senex*, inquit Tranio, *ædificare volt hic in suis*,
> *Et balneas & ambulacrum & porticum*.

Quam duplicem Vitruvius facit, *lib.* V. *cap.* IX. Unam ad evitandos imbres, aut quamvis aeris intemperiem graviorem: alteram ambulationibus accommodatam, quam Ulpianus (*l. sicuti. §. competit. D. si servit. vendic.*) ambulatoriam dixit. Utraque delectationis & quietis causa inventa est: Hæc vero ædificiorum privatorum ratio, quæ ad sepulchra translata est ex M. Tullio facile intelligi potest. Ille Q. Fratri *lib.* III. *ep.* I. *In Manliano offendi Diphilum: nihil ei restabat præter balnearia & ambulationem & aviarium. Villa mihi valde placuit, propterea quod summam dignitatem, pavimentata porticus habebat.* Deinde. *Totum in eo est tectorium concinnum ut sit, pavimenta recte fieri videbantur, cameras quasdam non probavi.* Ibi de tectorio, porticibus & pavimentis & cameris, quæ præcipua ædificiorum distributio est. Quam in sepulchris, quæ domus æterna putabatur, multi diligenter retinuerunt. Nam & tectoria in iis & pavimenta quæ jam a nobis perpolita sunt, & porticus & cameræ fuerunt. Porticus ampliores ambulatoriæ, ut in Augusti Mausoleo: angustiores circum sepulchra recte porticationes dictæ sunt, diminutivo verbo. Verbalia enim quæ a nominibus finguntur continent diminutionem. Cameras in sepulchris non observavi, sed tabernas. Dietas, aliaque ædificia, aut monimenta, veluti tectum & maceriam. Illud in unum quandoque erectum est, ut opus omne concluderet, *pag.* CLXXII. I.

D. D. D. N. N. N. IMP. GRATIANUS. VALENTI
NIANUS. ET. THEODOSIUS. PII. FELICES. SEM
PER. AUGGG. HUNC. ARCUM. AD. CONCLUDEN
DUM. OPUS. OMNE. PORTIC. MAXIMAR. ÆTER
NI. NOMINIS. SUI. PECUNIA. PROPRIA. FIERI
ORNARIQ. IUSSERUNT

Hæc verba. *ornarique jusserunt*, ad tectorium ornamentum sunt referenda. Sed tectorium & tectum maceria concludebantur, ut taberna & dieta, quæ ad tutelam monumenti pertinebant. Maceria vulgo munimentum sepulchrorum est, qua etiam in sepiendis fundis atque hortis utebantur. Hæc ut plurimum fuit ex puris cæmentis temere congestis & sine arenato parietibus. Quod verbum in Suetonio reponendum est in *Neron.* c. XXXIII. ubi *Nero bustum Claudii non nisi humili maceria consæptum neglexisse dicitur*. Male in omnibus exemplaribus legitur *materia*, quod nullus adver-

A tit. De hac & dieta adjuncta sepulchro custodiæ causa lapis vetus, *pag.* DCCCCLXIV. 2.

CÆCILIÆ. D. D. CÆCILIOR
TROPHIMI. ET. LOGI. LIB. HELPIDI
D. CÆCILIUS. VINDEX. AVIÆ. PIENTISS
FECIT. ET. LIBERT. LIBERTABUSQ. POSTE
RISQ. SUIS. ET. PRÆCEPIT. UT. AD. ID
SEPULCRUM. HORTUS. QUI. EST. CINCTUS
MACERIA. ET. DIETA. ADIUNCTA. IANUAE
CUSTODIÆ. CAUSA. SEPULCHRO. CEDAT

Alius de maceria, cœnaculo & Taberna, *pag.* DCCCCXXVIII. 2.

HUIUS. MONUMENTI. IUS. QUA. MACERIA
CLUSUM. EST. CUM. TABERNA. ET. CENACULO
HERED. NON. SEQUETUR
NEQUE. INTRA. MACERIA. HUMARI
QUEMQUAM. LICET

Tabernam & cenaculum a maceria ipsa divellemus, & ad caput proximum rejiciemus, cum ad tutelam pertineant sepulchrorum.

CAP. XXXI.

DE HIS, QUÆ IN TUTELAM MONUMENTORUM CEDEBANT, ILLORUMQUE CULTURAM. DE PROCURATORIBUS ET CUSTODIBUS.

His quidem maceriis ea concludebantur projecta, quæ tutelæ monumenti fuerunt, ut Tabernæ, Dietæ, Cœnacula, Ædificia, Horti, Areæ, & ea quæ monumenti ipsius culturæ inserviebant. Taberna est omne utile ad habitandum ædificium, *l.* 123. *D. de verb. signif.* Dieta (*l. Senatus. §. Marcellus. D. de leg.* I.) habitatio in hortis extructa: cœnaculum pars ædificii posterior. De taberna quæ tutelæ cedebat Inscriptio Romæ, *pag.* CCCXCIX. I.

COTTIA. A. COTTI. F. GALBA
TESTAMENTO. FIERI. IUSSIT
HUIC. MONUMENTO. TUTELÆ. NOMINE
CEDUNT. AGRI. PURI. IUGERA. DECEM. ET
TABERNA. QUÆ. PROXIME. EUM. LOCUM. EST

De ædificiis cum taberna, alia est Romæ, *pag.* DCXL. 2.

D. M
L. LEPIDIUS. LIB. HERMES
HÆC. TABERNA. CUM. ÆDIF. HUIUS. MONUM
TUTELA. EST

Tutela ἀσφάλεια, ad securitatem & impensas, quibus sarta tecta integraque monumenta præstantur, vel quæ in erogationes impenderentur ex testatoris voluntate reducenda est. Tabernæ, cœnacula, dietæ securitatis & custodiæ causa monumentis adjecta sunt, cum ipsa maceria, hæc enim

& tutandi gratia facta est. Tutelarum hujusmodi genera quatuor Varro facit, lib. I. *de Re Rust.* cap. XIV. & quartum numerat maceriam, cujus quatuor alias species dicit; e lapide, e lateribus coctilibus, e lateribus crudis, ex terra & lapillis. Unde cum sepulchrum supra *cap.* XXIV. Tiburtino lapide circumdatum legimus, lapis ille ad maceriam referri debet. Tabernæ igitur ut cætera ædificia sepulchrorum tutela sunt. Alio sensu hortorum tutela Priapo tribuitur. Virgil. IV. *Georgic.*

Hic custos furum atque avium cum falce maligna
Hellespontiaci servat tutela Priapi.

Illa vero quæ ad custodiam monumenti pertinebant, custodes quoque suos habuerunt. De his Propertius, *lib.* III. *eleg.* IV.

Afferet huc unguenta mihi sertisque sepulchrum,
Ornabit custos ad mea busta sedens.

Hoc enim custodis fuit officium & ædificiorum fores claudere & aperire, & a furibus præsertim cavere. Ex hoc loquendi more, Plautus dixit, in *Trinum.*

Asperite heus, asperite heus: ecquis foribus tutelam gerit?

Et quod in ædibus sacris Ædituus, hoc in sepulchris custos præstabat, qui in privatorum ædificiis custos ædium a nostris vocatur, *l. fin.* §. *hi quoque. D. de munerib. & honor.* quem nos dicimus *Concierge*. Hic alius fuit a curatore vel procuratore monumenti. Etenim procurator vel curator rebus administrandis præerat, de quo vetus lapis, *pag.* DCLXXXVI. 12.

V. F
T. VETTIVS. T. L
HERMES
SEPLASIARIVS
MATER. GENUIT. MATER. RECEPIT
HI. HORTI. ITA. UTI. OPT. MAXIMIQ. SUNT
CINERIBVS. SERVIANT. MEIS
NAM. CVRATORES. SVBSTITVAM
QVI. VESCANTVR
EX. HORVM. HORTORVM. REDITV
NATALI. MEO
ET. PRÆBEANT. ROSAM. IN. PERPETUUM
HOS. NEQVE. DIVIDI
NEQVE. ALIENARI. VOLO

Quæ cura singulis quandoque annis certis personis mandabatur, quas testator elegisset, ut ex Inscriptione constat, quæ allata supra est, *cap.* XXII. Atque hi curatores eam monumenti tutelam vel curam præcipue gerebant quæ impensas monumenti sequeretur. Sic a nostris usurpatur tutela ædificiorum, *l. divortio.* §. *impendia. D. solut. matrim.* quæ nobis sunt *les reparations & entretenemens des bastimens*: Tutela operum publicorum Callistrato, *l. fin. D. oper. pub.* qui pecuniam legatam in opus novum, potius in tutelam eorum operum quæ sunt, convertendam putat, quam ad inchoandum opus erogandam. Ut quotidiana tutela dicitur, & tutela viæ, *l. Patruus.* §. *codicillis. D. de leg.* 3. *l. quædam. D. de leg.* 2. quæ sumptus refectionibus necessarios continet ex Scævolæ sententia. Quod itaque in monumenti necessarios sumtus dari vel legari dicebatur, in tutelam aut culturam dari aut legari putabatur. Eleganter Fabius, lib. VII. *Instit.* cap. IX. *Si quis corpus suum in occulto loco poni jubeat, circaque monumentum multum agri ab heredibus in tutelam cinerum ut solet, leget*: *amphibolia*, inquit, *ex composito nascitur*. Occultus locus enim nomen compositum est, quod prædium vel agrum designat, quod divisum & distinctum ambiguitatis haberet plurimum. De duplici tutela monumenti jam planum est ex Inscriptione Cottiæ, in qua taberna ad custodiam, agri jugera decem in sumptus necessarios, ut refectiones, aut erogationes converruntur. De cultura, quæ nonnihil a tutela differt, hic lapis est, *pag.* DCXXIII. 8.

A. SEMPRONIVS. LÆTVS
MENSOR. ÆDIFICIORVM
HVIC. MONVMENTO. EX. TESTAMENTO
IN. CVLTVRAM. LEGATA. SVNT
H-S. VII
A. SEMPRONIO. SEVERO

Hæc cultura ut tutela duplex fuit. Nam & ad monumentum ipsum, & ad erogationes pertinet. De priore Ausonius in *epitaph. hero.* XXXI.

Nec vexat cineres horti cultura quietos.

Ut ad eam curam qua monumenta vepribus diligenter purgabantur & floribus ornarentur: unde erogationes, a quibus cultura monumenti eadem est, ac cultura Manium, de qua à nobis abunde tractatum est, *cap.* XVIII. Nam ex hortis & prædiis quæ in tutelam cedebant sumptus sumebantur, ex quibus erogationes legatæ fierent: atque hæc causa est, cur agros ipsos cum monumento consecrarent, ut pari religione tenerentur. Romæ, *pag.* DCLXXI. 6.

DIS. MANIBVS
ATTIÆ. T. F. QVINTILLÆ
ATTIVS. PHLEGON. PATER
ATTIA. QVINTA. MATER
ATTIVS. T. F. QVINTIANVS
FRATER. AGRVM. SIVE. HORTVM
MACERIA. CLVSVM. AC. POSTERIS
SVIS. ET. LIBERTIS. LIBERTABVSQVE
DOMVS. SVÆ. CONSECRAVERVNT

CAP. XXXII.

QUÆ IN SEPULCHRIS CUM CORPORIBUS CONDERENTUR.

Sepultura autem non suis solum ornamentis & projectionibus decorata fuit: sed ipsa corpora quæ condebantur ornatus suos habuerunt. Moris enim erat, ut cum iis rebus quas dilexerant, homines sepelirentur, vid. Servius lib. X. *Æneid.* Postea ornamenta cum corporibus condi non oportere, sanxerunt leges, *l. & si quis.* §. *impensæ. D. de Relig.* nec quid aliud hujusmodi quod simpliciores facere solebant. Quare si quis testamento jussisset, ut cum ornamentis sepeliretur, testatoris heredes ejus voluntati parere necesse non habuerunt. Et si mulier ita legasset. Sejæ amicæ meæ ornamenta dari volo. Atque eodem testamento ita scripsisset. Funerari me arbitrio viri mei volo, & inferri mihi quæcunque sepulturæ meæ causa feram ex ornamentis: lineas duas ex margaritis, & viriolas ex Smaragdis. Si neque heres neque maritus cum humi corpus daret, ea ornamenta, quæ corpori jussus erat adjicere, dederit, ad legatariam ea pertinere Scævola respondit, *l. fin.* §. *fin. D. de aur. & arg. leg.* Ornamentorum hujusmodi genera tot fuere, quot variæ hominum voluntates, quarum executio heredum arbitrio relicta est. Si quis tamen cadavera in monumentis spoliasset, metalli pœna plectebatur, *l.* 3. §. *adversus. D. de sepulchr. violat.* quæ pœna

posterioribus temporibus manus amputatio fuit, A Harmenopul. *lib.* VI. *tit.* VI. §. XVII. Nec iis solum ornamentis sepulchra referta sunt, sed in iis magna plerumque nummorum copia condita est. Ut regum Macedonum aut Persarum sepulchra auro argentoque plena fuerunt, Plutarchus in *Pyrrh.* Q. Curtius *lib.* X. & multa Romanorum, qui lege sanxerunt tandem, ne cum mortuis sepelire pecuniam liceret. Quare non fit locus religiosus, ubi thesaurus invenitur, inquit Marcianus, *l. Julia.* §. *non fit. D. ad leg. Jul. Pecul.* Nam etsi in monumento inventus fuerit, non quasi religiosus tollitur. Quod enim sepelire quis prohibetur, id religiosum facere non potest. At pe- B cuniam sepelire quis non potest, ut & mandatis principalibus cavetur: Cui sententiæ Ulpianus repugnare videtur, *l.* I. *D. eod.* Nam lege Julia Peculatus, inquit, & de sacrilegis & residuis cavetur, ne quis ex pecunia sacra, religiosa, publicave auferat, neve intercipiat, vel in rem suam vertat. Quomodo ergo qui pecuniam religiosam intercipit in pœnam legis Juliæ de sacrilegis committit, cum tamen ex monumento tollere possit, quæ quasi non religiosa tollitur? vere quidem pecunia sepulta ex Principum Constitutionibus religiosa non est. Sed ea tantum pecunia religiosa di- C citur, quæ ex agris ædificiisve, quæ in tutelam monumenti cedunt, cogitur, atque in locis cum sepulchro consecratis quæ religiosa sunt, asservatur in eos usus, quibus est destinata. Hanc si quis abstulerit, incidit in legis pœnam. A qua suo quodam jure liberatus est servus ille Plauti nostri, in *Pseudolo*:

> *Heram*, inquit, *eccum video, hac una Simonem simul*
> *Cum suo vicino Caliphone incidere,*
> *Ex hoc sepulchro vetere viginti minas*
> *Effodiam ego hodie quas dem herili filio.* D

Priscum morem aperte tangit, & facete senem Acheronticum & capularem, sepulchrum vocat, quem Terentianus Syrus Silicernium, in *Adelphis*.


In sepulchris præterea operis antiqui vascula multa ponebantur, quod uno exemplo comprobatum est. Nam in Colonia Capua (Sueton. in *Jul.* cap. LXXXI.) deducti lege Julia coloni ad extruendas villas, sepulchra vetustissima disjecerunt. Idque eo studiosius faciebant, quod aliquantum vasculorum operis antiqui scrutantes reperiebant. Tanti illis temporibus æstimabantur antiqua opera, quorum hodie non solum pretia jacent, ve- E rum ii etiam, qui illorum amantes sunt, ab ignaris ubique disjecti contemnuntur. Patavii in monumento veteri non ita pridem reperta urna coctilis sex versibus inscripta, intra quam urnæ quatuor minores, versibus quoque exornatæ, cum alia minore urnula & duabus ampullis; una ex auro, altera ex argento liquidissimi liquoris plenæ: atque in medio earum ardens lucerna. Inscripti versus in Inscriptionibus leguntur, *pag.* DCCCCXXVII. 5. Liquores his in vasculis varii, qui fere lachrymis & opobalsamo compositi, atque in lacrymarum phialis asservati, ut alia Inscriptio testatur quæ est Rhodæ, *pag.* DCXCII. 10. F

C. LÆLIO. C. F. IV
MAGNA. OMNIVM. EXPECTATIO-
NE. GENITO
ET. DECIMO. OCTAVO. ÆTATIS.
ANNO
AB. IMMANI. ATROPO. E. VITA.
RECISO
FVSCA. MATER
AD. LVCTVM. ET. GEMITVM. RE-
LICTA
EVM. LACHRIMIS. ET. OPOBAL-
SAMO. VDVM
HOC. SEPVLCRO. CONDIDIT

Notum ex Dioscoride, *lib.* I. *cap.* XVIII. Balsamum arborem æstivis sub ortum canis ardoribus, unguibus ferreis incidi, manareque e plaga succum, quem opobalsamum vocant, sed tam exiguo stillatu, ut annis singulis, ne plures quidem quam seni septemve congii cogantur, inibique pondus duplo argento rependitur. Odoramenta statuta extra sepulchrum sunt, quæ Inscriptio alia continet, *pag.* CIƆCXXII. 12.

D. M.
PHILEMINIÆ. P. L
MAXIMÆ
STATVTA
ODORAMENTA
EX. H-S. ∞ ∞ ∞ ∞
PRIMA MATER
MISERRIMA
FILIÆ. CARISSIMÆ
AN. XVIIII

Hæc statis & solemnibus diebus sepulchris infundebantur. Quod ad lucernas attinet, illæ in omnibus fere monumentis inveniuntur, quæ lychnuchi & Bilichnes dicuntur, vel plurium lychnorum; Vidi enim unam undenum ἑνδεχαλυχνον. Coctilem habemus talis figuræ.



De ardente lucerna alia Inscriptio est Salerni, *pag.* CIƆCXLVIII. 17.

HAVE. SEPTIMA. SIT. TIBI
TERRA. LEVIS. QVISQ
HVIC. TVMVLO. POSVIT
ARDENTEM. LVCERNAM
ILLIVS. CINERES. AVREA
TERRA. TEGAT

Cujus rei miraculum usus confirmavit. Nam post multos annos aperti tumuli, immisso aere, lucernæ statim illæ accenduntur. Qua arte id fieri possit nostrum non est diutius inquirere. Alii hac in re philosophati sunt multi, qui accensis his luminibus advolantes alas ingenii combusserunt.

CAP.

CAP. XXXIII.

DE SEPULCHRORUM LOCIS.

LEx XII. *Tabularum* hæc est, HOMINEM IN. URBE. NE. SEPELITO. *ne funestarentur*, inquit Paulus, lib. I. *Sent.* tit. XXI. *sacra civitatis*, quæ vera ratio legis non fuit. Nam cum in urbe primis temporibus urerentur corpora, ibique sepelirentur, lex incendiorum arcendorum causa lata est primum, Cicero II. *de Leg.* deinde Pontifices civitatis Sacra miscuerunt, quibus clarorum virorum merita præstiterunt. Nam ut ante legem XII. *Tab.* Valerio Publicolæ posterisque ejus in urbe sepulchra concessa sunt, illud etiam clarissimorum quorundam hominum virtuti datum post legem illam. Quare lapsus est Dionys. *lib.* V. cum soli Publicolæ ad suam usque ætatem hunc honorem delatum scripsit. Nam hoc & Fabriciæ genti concessum tradit Plutarch. in *Quæst. Rom.* & Julio Cæsari Dio testatur, *lib.* XLIV. quod deinde Augusto, cui Sepulchrum in urbe Tiberius & Livia ædificarunt, Xiphil. in *Aug* Quod tamen monumentum verius dici potest quam sepulchrum. Ad Dionysium redeo, qui cum ad Augusti tempora vixerit, illius errorem inscriptiones veteres coarguunt. Etenim Cajo Poblicio sepulchrum in urbe datum hæc diserte probat quæ est Romæ, *pag* CCCCLV. I.

C. POBLICIO. L. F. BIBULO. ÆD. PL
HONORIS
VIRTUTISQUE. CAUSSA. SENATUS
CONSULTO. POPULIQ. IUSSU. LOCUS
MONUMENTI. QUO. IPSE. PO-
STERIQUE
EIUS. INFERRENTUR. PUBLICE. DA-
TUS. EST

Poblicius Tribunus plebis fuit anno ab Urbe condita DXLV. cujus monumentum quadratum sub Capitolio ex lapide Tiburtino in sexta urbis regione fuit, hujusque vestigia supersunt adhuc cum ipsa Inscriptione, apud Onuphrium in *Urb. Rom.* Si qui Romanam historiam scripserunt ex quibus Dionysius suam texuit, illud omiserunt, non debuit ille rerum ignoratione verum id affirmare, quod res ipsa, quæ omnium subjacebat oculis, aperte improbaret. Nam Poblicius Augusti tempora CL. annis præcesserat, cum Augustus Cicerone & Antonio Coss. natus esset, anno urbis DCXCI.

Hoc jus sepulturæ in urbe contra leges duodecim sibi arrogarunt multi ante Duillii Consulatum, qui cum hac de re ad Senatum retulisset, Senatus censuit, ne quis in urbe sepeliretur, Servius X. *Æneid.* Imperatores tamen & Virgines Vestæ, qui his legibus non tenentur, intra urbem sepulti sunt. Atque hæ si incesti criminis damnatæ, in campo scelerato intra pomœrium vivæ obruebantur. Nec vero in urbe solum, sed & in loco extra urbem publico ulli licuit sepulchrum facere. Quod decretum a Pontificum collegio est. Nam cum extra portam Collatinam lamina esset inventa & in ea scriptum DOMINA. HONORIS, Cicero II. *de Leg.* ædes & Ara Honori eo loco dedicata est: sed cum multa in eo loco sepulchra fuissent, exarata sunt. Statuit enim collegium Pontificum locum publicum non potuisse privata religione obligari. Mitius tamen actum Q. Ælio Tuberone & P. Fabio Max. Coss. qui cum aquarum quæ in urbem venirent itinera occupari, monumentis, ædificiis & arboribus conseri, in Senatu verba fecissent: censuit Senatus, ut neque monumentum in

A iis locis neque ædificium post illud tempus poneretur. Nec tamen monumenta exaranda decrevit, sed ut arbores solum quæ intra id spatium essent extirparentur, Frontinus *de aquæ duct.* lib II

Ex Principum rescriptis in Provinciis sepultura in urbe etiam prohibita est: & D. Hadrianus *l.* 3. *§. Divus. D. de sepulch. viol.* rescripto pœnam statuit quadraginta aureorum in eos qui in civitate sepelirent, quam fisco inferri jussit: Et in Magistratus eandem pœnam constituit, qui passi essent: & locum publicari jussit, & inde corpus transferri. Quid tamen quærit Ulpianus, si lex Municipalis permittat post principalia rescripta? An ab hoc di-
B scessum sit videbimus, quia generalia sunt Rescripta. Et oportet, inquit, Imperialia statuta suam vim obtinere & omni loco valere. Quod cum minus servaretur, Antoninus Pius alio rescripto vetuit mortuos intra urbes sepeliri, Capitolinus in *Anton. Pio.* Ne sanctum municipiorum jus pollueretur, ait Diocletianus, *l. mortuorum. C de relig.* sed incolarum Domicilio sanctitas relinqueretur, *l.* 6. *C. Theod. de sepulchr. viol.*

Sepulchra ergo aut propter vias publicas posita sunt, aut in fundo proprio, aut in locis publice ad sepulturam assignatis, vel SCto aut Decurio-
C num decreto datis. Quare propter viam ponerentur, ratio ex antiquo lapide sumi potest, *pag.* CCCCXXXI. 5.

T. LOLLIVS. T. LOLLII. MASCVLVS
IIIIVIR. BONDICOMENSIS
HIC. PROPTER. VIAM. POSITVS
UT. DICANT. PRÆTEREUNTES
LOLLI. VALE

Quam aliam reddit Varro, lib. V. *de Ling. Lat. Monumenta enim in sepulchris secundum viam sunt*, ait, *quæ prætereuntes admoneant & se fuisse, &*
D *illos esse mortales.*

In Flaminia & Latina Via nobilium sepulchra Juvenalis canit, *Satyr.* I.

Quorum Flaminia tegitur cinis, atque Latina.

In qua Pantomimi Paridis Neronis liberti sepulchrum fuit, cujus artibus magna tum nobilitas parabatur, quæ majorum gloriam superaret. De hoc Martialis, *lib.* XI. *epigr.* XIV.

Quisquis Flaminiam teris viator,
E *Noli nobile præterire marmor.*

Quis hanc nobilitatem miretur, cum Imperatores ipsi histrioniam facerent, ludiosque æmularentur & occiderent? Ex viæ Latinæ sepulchris unum hoc epigramma Auson. in *Epitaph. Hero.* XXXVIII. habet:

Non nomen, non quo genitus, non unde, quid egi,
Mutus in æternum sum, cinis, ossa, nihil.
Non sum, nec fueram: genitus, tamen e nihilo sum.
Mitte nec exprobres singula, talis eris.

F In fundis privatis omnia fere sepulchra: sed cum nobiliores ad urbem haberent villas plurimas, plura secundum celebriores urbis vias illa visebantur, quæ & in viis aliis non pauca. Assignata sepulchra ab Authoribus divisionum, ex quibus plerique Sepultuarii sunt fines cum pro terminis sepulchra constituerentur.

CAP. XXXIV.

DE SEPULTURA PUBLICA.

AT quæ loca SCto Romæ aut Decurionum decreto in Municipiis sepulturæ data sunt, honoris illa causam maximam continebant. De funere publico ea attigimus, quæ a publica sepultura distinguuntur. Nam cui funus publicum decretum esset, ille vel in suo, vel in majorum suorum monumento sepultus sæpe: ut cui publica sepultura data est, impensa funeris non semper collata est. Menenius Agrippa elatus a Populo Romano, collato ære, Liv. *lib.* II. Valerio Publicolæ locus præterea sepulturæ datus est. Collatum funus honoris primum quidem fuit & necessitatis, Plin. *lib.* XXXIII. *cap.* X. Sepulturæ locus ob honorem solum decretus est. Non sum nescius collatum funus honori etiam tributum fuisse, ut Q. Fabio Max. in quem plebs certatim æs contulit, quo major ac speciosior funeris ejus pompa duceretur, Valer. Max. *l.* V. *cap.* II. Sed si illius originem spectemus, necessitati primum datum fatebimur, quod deinde honori. Funus publicum vulgatum tandem fuit, Dio *lib.* LX. Nam & Tiberius Histriones multos post mortem statuis & publico funere cohonestavit, idem *lib.* LVII. Sepulturæ locus raro a Senatu datus est. Et cum Augustus sepultura publica multos honorasse dicat Dio, *lib.* LX. δημοσίαν ταφὴν, non pro sepulturæ loco, sed pro funere publico ubique intellexit.

Quam parci in sepulchro decernendo fuerint Romani Tullius *Philip.* X. docet. *Majores nostri*, inquit, *statuas multis decreverunt, sepulchra paucis. Statuæ intereunt tempestate, vi, vetustate: Sepulchrorum autem sanctitas in ipso solo est, quod nulla vi moveri neque deleri potest. Atque ut cætera extingui solent, sic sepulchra fiunt sanctiora vetustate.* Honor ergo sepulturæ maximus est, qui haberi potest mortuo. A. Hirtius & L. Pansa Consules, cum ad Mutinam pro Republica cecidissent, eorum corpora Romam perlata publica sepultura condita sunt in Martis Campo, Florus *epit.* CXIX. qui honoratissimus sepulturæ locus, in quo ex M. Tullii sententia monumentum amplissimum factum, ut extaret ad memoriam posteritatis sempiternam. Hæc tum virtutis præmia fuerunt, ut fortes viri felicius sepelirentur, quam viverent ignavi. Quod in Provinciis magna cura observatum est. De funere collato ad ea quæ hactenus attuli, hanc Inscriptionem addo, quæ est Narbonæ, *pag.* CCCCXXX. 7.

LIGURIÆ. Q. FIL
FRONTINÆ
Q. HORTENSI. KATULLI
HUIC. ORDO. NARBONENSIS
PUBLICE. FUNUS. ET. OMNES
VECTIGALES. DECREVIT

Vectigales, quod stipem omnes cives ad sepulturam contulissent, de cujus loco lapis Lugduni, *pag.* CCCIV. 8.

D. M.
M. OPPI. PLACIDI
HAR. PRIM. DE. LX
CVI. LOCVM. SEPVLT
VR. ORDO. SANCT
ISSIM. LVG. DEDIT

A Quem in plurimis monumentis hæ literarum notæ designant L. D. D. D. quod est, *locus datus decreto Decurionum*, quo accepto pecunia sua monumentum ponebant, *pag.* DCCCIII. 5.

MÆCILIÆ. P. F. HERENNIANÆ
T. ÆLIVS. CLODIANVS. VXORI
CARISSIMÆ. ACCEPTO. LOCO
AB. SPLENDIDISS. ORDINE
SIARIENSIVM. PECVNIA
SVA. POSVIT

Quibusdam aliis & locus & impensa funeris B concessa sunt, qui impensa remissa honore contenti fuerunt: loci autem modus definiebatur, ut quid religioni sepulchri cederet, intelligeretur. Quare cum de Sulpicii funere actum est: censuit M. Tullius *Philipp.* IX. ut locum sepulturæ in Campo Exquilino C. Pansa Consul, seu quo alio in loco videretur, pedes triginta quoquoversus designaret, quo Servius Sulpitius inferretur. Quod sepulchrum ipsius liberorum, posterorumque ejus esset, uti quod optimo jure sepulchrum datum est.

CAP. XXXV.

C DE HORUM MONUMENTIS, QUÆ IN VIRORUM ET MORTUORUM GLORIAM, AUT MEMORIAM DECRETA SUNT.

MUlti præterea claris & fortibus viris in vita & post mortem honores alii decreti sunt, quibus in perpetuum illi vivere intelligerentur. Prudens Senatus Populique Rom. judicium, qui eam ad virtutem viam aperuerunt, quæ summis honoribus & infimis pateret: honorumque gradus pares facerent, quos sola gloria dispares reddit. D Fuit enim in virtute is ascensus, ut is gloria maxime excelleret, qui honestate plurimum præstaret. Quam ita in suis coluerunt Romani, ut vivis simul & mortuis nusquam defuerint præmia recte factorum. Querceæ coronæ, Civicæ, Murales, quæ ex arboris vulgaris ramusculo texebantur, quot & quantos, ut Homerus loquitur, ramos Martis late diffuderunt? Quam altas in posterorum animis hæc virtutis præmia radices egerunt? Quæ cum exteris non denegassent, quorum virtutem civitate donarunt: hoc adepti sunt, ut ab æterna Urbe, quæ fons virtutum omnium est, virtus illa quasi profecta in domicilium suum redire vide- E retur, qua sola terrarum orbis Imperium tenuerunt. Quo magis honor is jucundus mihi est, quem & liberis posterisque meis Senatus Populusque Rom. absenti ultro detulit *amoris & Judicii signum*. Fructus enim ille est vigiliarum mearum honestissimus, qui brevitatem vitæ posteritatis memoria consolatur, cum Gentis Illustrissim. complexu exceptus sim, illudque mihi monumentum paratum, quod nec temporis ullius, nec invidiæ injurias aut insidias usquam pertimescat. Quod hic adscribendum duxi, ut eam laudis viam rectissimam posteri mei teneant, quam illis meo labore tutam relinquo. F *Exemplar privilegii*.

QVOD. CÆSAR. RODIANVS. ALEXIVS. BVCCA. MATIVS. IO. PHILIPPVS. SERLVPIVS. ALM. VRB. COSS. DE CLARISS. VIRO. IACOBO. GVTHERIO. IC. ADVOCATO. PARISIEN ROMANA. CIVITATE. DONANDO AD. SENATVM. RETVLERVNT

S. P. Q. R. D. E. R. I. F. CENS.

Cum ad augendam servandamque Rempub. non tam in cives Romanos meritis ac nobilitate præstantes, præmia, honoresque conferre, quam exteros homines, eos præsertim, quorum præclara virtus Urbi nostræ usui & ornamento fuisset, benigne excipere more Majorum statutum sit. Atque etiam ita natura sit comparatum, ut ad summa veræ laudis fastigia ardentius quisque contendat, & ad ipsam Rempub. ornandam tutandamque alacrior fiat, illorum exemplo quos suis digna laboribus præmia consecutos videat. CUMQ. S. P. Q. R. JACOBUM. GUTHERIUM, *Advocatum Parisien. ingenii, eruditionis, eloquentiæ, probitatis ac Religionis laude florentem cognoverit, ipsumque nihil unquam ingenuo & illustri viro indignum fecisse, Fidem ac Jusjurandum pie sancteque coluisse, in rebus agendis integre prudenterque versatum: Librum etiam insignem* de Veteri Jure Pontificio Urbis Romæ *nuper conscripsisse, a quo non parum rebus abditis & Romanæ Historiæ lumen accedit. Ob eas res* SENATUM *existimare* JACOBUM *prædictum, virtute, moribus ac meritorum laude præstantissimum & ornatissimum amplissimo hoc munere decorandum, Civitate Romana donandum, inque Senatorium Ordinem merito cooptandum esse. Itaque* SENATUI *placere, ut* JACOBO *prædicto ejusque Liberis, Posteris & successoribus in perpetuum in* SENATUM *venire, sententiam dicere, Magistratus gerere, Sacerdotia obtinere, bona libera atque immunia habere, bisque immunitatibus, honoribus, gratiis & privilegiis uti, frui & potiri liceat, ac si ipsa in Urbe nati, perque omnes Reip. gradus evecti fuissent, fungi lege liceret. Quodque* JACOBUS *quique ab ipso venient omnes, Cives, Nobiles, Patritiique Romani eodem jure sint, quo Cives, Nobiles, Patritiique Romani, nati, aut jure optimo facti sunt, gentemque habeant.* SENAT. CONS. *authoritate, publico* IN CONSILIO. VIVA. VOCE. VIVISQUE. SUFFRAGIIS, *nemine penitus adversante* P. R. *perlibenter censuit. Qui impedit* SENATUM *existimaturum eum contra Remp. fecisse. Quæ ut nota testataque imposterum essent, ab actis publicis in quibus hæc continentur & servantur, Privilegium hujusmodi fieri, solitoque Urbis Sigillo communiri, ac ab ejusdem* SENATUS *scribis subscribi mandavit. Ex Capitolio* XIIII. M. DCXIII.

Papirius Martholus Sacri S. P. Q. R. *scriba.*

Angelus Juscus Sacri S. P. Q. R. *scriba.*

Hic formam Sigilli expressam habes *Fig.* 1.



A Adumbratam gloriam, invidiosas opes non contempsi semel, sed fugi semper. Ad honorem studio judicioque ab Illustrissim. Viris delatum eo lubentius sum amplexatus, quod illum Rex Christianissim. ex Reginæ matris consilio codicillis suis confirmarit & amplificarit. Hunc ita tuebor, ut æterno majestatis illius beneficio devinctus, obsequii gloriam ubique professus, Civem me & Patritium Romanum esse meminerim, cujus præcipuum jus est, Patriæ studere Pietati, quam rebus omnibus anteponendam putet. Nimis hæc quidem multa de me, quæ pauca contuli, ut gratiam aliquam iis rependerem, B quorum beneficio virtutis imaginem aliquam mihi videor consecutus. Ad alios venio, quos Civitas rerum Domina, veræ laudis testimonio reddit immortales. Vivos amplissimis honoribus paucos affecit: Nam per trecentos annos nullis aliis quam L. Sullæ, Cn. Pompejo, C. Cæsari, & Augusto honorem Equestris statuæ contulit, Patercul. *lib.* II. nulli mortuo post Valerium, Fabricios, Publicios, Jus sepulturæ & statuæ, quam iis qui pro Rep. dimicantes fortiter occubuissent. Nam quæ potentiorum quorundam funeri aut memoriæ data sunt, illa aut tempori aut adulationi tributa noscuntur. Sed cum ii sine judicio aut studio honores adepti essent, qui solo tempore niterentur: ab C ipso tempore spreti porro & disjecti turpiter jacuerunt. Ecquis enim tulisset Caracallæ & suis divinos honores datos, qui omnia divina humanaque jura ubique everterunt? Cur Caracallam inter Deos adulatio retulit, Domitianum per Vespillones extulit? Ea est temporum vicissitudo, ut honorem pro flagitio aliquando more fiat.

Atque utinam veteres mores, veteresque parsimoniæ
Potius majori honori nunc essent, quam mores mali.

D ut Plautus in *Trinummo*. Florente Rep. honores ex lege dabantur. Tribuni legem tulerunt, ut Cn. Pompejus, qui de Mithridate triumpharat, ludis Circensibus corona aurea & omni triumphantium cultu uteretur: scenicis, prætexta, coronaque aurea, Paterculus *lib.* II. Tantum in illo discordante fortuna, ut cui modo ad victoriam terra defuerat, deesset ad sepulturam. Oppressa libertate, sibi Imperatores populi potestatem arrogarunt, inanisque fuit Senatus authoritas, nisi quæ ad adulationem composita. Primus Augustus in Marcelli honorem E decrevit sine Senatus authoritate, ut Ludis Romanis illius imago aurea, aureaque corona, & Sella Curulis in Theatrum inferretur, mediaque inter ludorum præfectos Magistratus locaretur, Dio *lib.* LIII. Defuncto deinde Augusto Senatus suo jure usus, de illius honoribus consuluit, quos amplissimos decrevit, Tacitus I. *Annal.* Dio *lib.* LVI. Exin Germanici Manibus a Senatu datum, ut nomen ejus Saliari carmine caneretur: sedes Curules, Sacerdotum Augustalium locis, superque eas coronæ querceæ statuerentur: ludis Circensibus eburnea effigies præiret, Tacit. II. *Annal.* Liviæ Augusti divinos honores dari Tiberius vetuit, quæ F a Senatu MATER. PATRIAE nominata, illique arcus, qui nulli unquam mulieri, decretus, nec tamen extructus, Dio *lib.* LVIII. At divinos postea honores eidem Claudius Nepos & Circensi pompa currum elephantorum Augusto similem decernendum curavit, ut Suetonius refert in *Claudio* cap. XI. In veteribus Nummis elephantorum currum D. Augusti invenio: Juliæ Augusti, quæ Livia in familiam Juliam adoptione transierat, Carpentum solum cervarum bigis traductum, ut ex *Fig.* 2. apparet col. præced.

Quod mihi de Livia suspectum Suetonii locum reddit, Æternitatis Faustinæ nummus honoratior, *Fig.* 3. supra col. 1253.

In Cæsarum honorem, quorum virtus augebat majestatem, noves honores Senatus excogitavit, ut in Claudium Principem, (Trebellius Pollio in *Claud.*) cujus vita, probitas, & omnia quæ in Rep. gesserat tantum posteris famam dedere, ut S. P. Q. R. novis eum titulis post mortem decorarit. In Provinciis frequens est impensa funeris, locus sepulturæ, & statuæ. In iis enim honor statuæ maximus, quem etiam fœminis ipsis concesserunt. Vetus lapis, *pag.* CCCXXIII. 8.

LABERIÆ. L. F. GALLÆ
FLAMINICÆ. EBORESI
FLAMINICÆ. PROV. LVSI
TANIÆ. IMPENSAM. FVNE
RIS. LOCVM. SEPVLTVRÆ
ET. STATVAM. D. D. COLLI
PPONESIVM. DATAM. L.
SVLPICIVS. CLAVDIANVS

Vetustum hunc morem M. Tullius testatur in *Orat. pro Flacc.* & Decretum quod Smyrnæi in Castritium mortuum fecerunt, hoc refert. *Primum ut in oppidum intro ferretur, quod aliis non conceditur, deinde ut ferrent Ephebi, postremo ut imponeretur aurea corona mortuo. Hac*, inquit, *P. Scipioni Clarissimo viro, cum esset Pergami mortuus, facta non sunt. At Castritium quibus verbis Dii immortales, decus patriæ, ornamentum Populi Rom. florem Juventutis appellant.* Qui honores habiti hominibus in monumentis, nonnulla Deorum immortalium religione consecrari videbantur.

CAP. XXXVI.

DE FVNERIBVS SERVORVM.

ÆLius Gallus dicit, (Festus in verbo *Puticulos*) antiqui moris fuisse, ut patresfamilias in locum publicum extra oppidum mancipia vilia projicerent, atque ita projecta, quod ibi ea putrescerent, nomen esse factum puticuli. De his intelligendus est Horatius lib. I. *Serm.* satyr. VIII.

Hunc prius angustis projecta cadavera cellis,
Conservus vili portanda locabat in arca.

Tanta enim misericordia moti sunt, ut publica monumenta pauperibus & servis ædificarent, ut Acro. Servi tamen a conservis, qui liberam habebant peculii administrationem, honoratiore plerumque tumulo conditi sunt. Iis enim & titulos positos Inscriptiones docent. Romæ, *pag.* DCXII.

IULIÆ. SP. F
MOPSIDI
FELIX. CÆSARIS
CONTUBERNALI

Item Romæ, *ibid.* 7.

LEXIS
FELICI. TI. CÆSARIS
CONSERVO. SUO

Quorum etiam Deos Manes esse credebant, *pag.* DCXIII. 10.

M. D.
FORTUNATO
CÆSARIS. N
VERNÆ
V. A. I. D. XXIIII
NICE
MATER. FECIT

Hæc in servis domus Augustæ, quæ in iis qui privatis servierunt elegantiora observavi. Tarracone, *pag.* CCCXL. 4.

D. M.
EUTYCHETI
AURI. ANN. XXII
FL. RUFINUS. ET
SEMP. DIOFANIS. SERVO. B. M. F

HOC. RVDIS. AVRIGÆ. REQVIESCVNT. OSSA. SEPVLCHRO
NEC. TAMEN. IGNARI. FLECTERE. LORA. MANV
IAM. QVI. QVADRIIVGOS. AVDEREM. SCANDERE. CVRRVS
AT. TAMEN. A. BIIVGIS. NON. REMOVERER. EQVIS
INVIDERE. MEIS. ANNIS. CRVDELIA. FATA
FATA. QVIBVS. NEQVEAS. OPPOSVISSE. MANVS
NEC. MIHI. CONCESSA. EST. MORITVRO. GLORIA. CIRCI
DONARET. LACHRIMAS. NE. PIA. TVRBA. MIHI
VSSERE. ARDENTES. INTVS. MEA. VISCERA MORBI
VINCERE. QVOS. MEDICÆ. NON. POTVERE. MANVS
SPARGE. PRÆCOR. FLORES. SVPRA. MEA. BVSTA. VIATOR
FAVISTI. VIVO. FORSITAN. IPSE. MIHI

Omnium vero communis sepulturæ ratio ea fuit, ut qui servum alienum vel ancillam sepelisset, haberet adversus dominum funerariam actionem, *l. fil usfam. §. qui servum. D. de relig.* Hoc amplius Labeo dicebat, *l. Julianus §. præterea. D. de act. empt.* si quid in funus mortui servi impensum esset, venditorem ex vendito consequi oportere, si modo sine culpa venditoris mortem obiisset. Atque ita servorum sepulchra constituta sunt, ut locus, in quo servus sepultus esset, religiosus fieret, sicque Aristoni placuisse Ulpianus refert, *l. 2. D. de relig.* Quia sepultura ad naturæ jus pertinet, quod jure gentium non facile solet immutari, cujus fictione servi nec caput habent, nec matrem, nec ullum jus cognationis: sed mortem omnibus æquam crediderunt. Sapienter Philto Plautinus senex in *Trinummo*:

—— *Nos homunculi,*
Salillum animæ, qui cum extemplo amisimus,
Æque mendicus, atque ille opulentissimus,
Censetur censu ad Acherontem mortuus.

Hi servi quidem fortiter in servitute facta, post mortem monumentum sibi memorabile futurum speraverunt, ut Tyndarus ille, apud eundem in *Captiv.*

At erit factum mortuo memorabile,
Meum herum captivum ex servitute atque hostibus
Reducem fecisse liberum in patriam ad patrem;
Meumque potius me caput periculo
Præoptavisse, quam is periret ponere.
Qui per virtutem peritat, non interit.

Inferiis publicis servorum Manes propitiatos, ex hoc Varronis loco lib. V. *de Ling. Lat.* discimus.

Accalia, inquit, *feriæ publicæ Laurentinæ. Is dies, quem quidam in scribendo Laurentalia appellant, ab Acca Laurentia nominatus, cui sacerdotes nostri publice parentant sexto die, quæ atra dicitur. Hoc sacrificium fit in velabro, qua in novam viam exitur, ut ajunt quidam ad sepulchrum Accæ: ut quod ibi prope faciunt.* DIIS. MANIBVS. SERVILIBVS, *qui uterque locus extra urbem antiquam fuit, non longe a porta Romulana.* Fortunati Vernæ sepulchrum comprobat servorum Deos Manes, receptos esse, quibus sacerdotes publici ex Varrone sacrificarunt.

C A P. XXXVII.

DE FUNERIBUS ET SEPULTURA BRUTORUM.

NOn minor fuit, si sacra tollas, brutorum cura, quam servorum, quæ iisdem legibus æstimabantur. Nam servos & quadrupedes primo & tertio legis Aquiliæ capite conjunctos videmus, *l. 2. & l. si servus. §. hujus. legis. D. ad leg. Aquil.* & Bruta dominis chariora fuisse quam mancipia. Ita sunt hominum mentes, ut pravis plerumque affectionibus irretitæ, ei potius parti se applicent, quæ bruta est, & rationi prorsus inimica. In quo maximi principes gravius peccasse mihi videntur, ut Alexander ille magnus, qui equo Bucephalo duxit exequias, urbeque ejus nomine tumulum circumdedit, Plin. *lib.* VIII. *cap.* XLII. Verecundius forte Cæsar Julius, qui equi sui effigiem ante Veneris Genitricis ædem locavit. At Augustus fecit equo sepulchrum, de quo Germanici Cæsaris carmen est. Agrigenti complurium equorum tumuli Pyramides habent. Quod a Græcis ad Romanos translatum est: sed Græci non minore honore equos prosequuti sunt, quam fortes ipsos viros. Nam in Ceramico equi, qui ter in Olympicis vicissent, cum iis qui in bello fortiter cecidissent, sepeliebantur, ut Ælian. *lib.* XII. *cap.* XL. Hinc Caligulæ in equum Incitatum insania: Hinc Lucii Veri ineptus animus, qui Volucri equo dum viveret, aureum simulachrum, mortuo sepulchrum, in Vaticano fecit, Capitolin. in *Vero*. Adrianus vero non equos solum, sed etiam canes sic adamavit, ut eis sepulchra constitueret, Xiphilin. & Spart. in *Hadriano*, & Borysthenis equi tumulum versibus locupletaret, *Epig. vet.* P. Pithœi lib. III. Hoc in equis fecerunt ii, qui sensum illis aliquem tribuerunt a ratione non multum aberrantem. Quod Homerus introduxit primum, qui Achillis equos Patroclum luxisse finxit, *Iliad.* ρ'. quorum Jupiter ipse misereretur. Atque ex iis Xanthum equum Achilli locutum, cui futura prædiceret, *Iliad.* τ'. Ex Brutorum titulis venustum hoc unum est Cinciæ P. Crassi mulæ epitaphium a Thoma Porcacio, lib. III. *de funeral. Antiq.* inventum & descriptum:

DIS. PEDIB. SAXVM.
CIVCIÆ. DORSIFERÆ. ET. CLVNIFERÆ.
VT. INSVLTARE. ET. DESVLTARE
COMMODETVR. PVB. CRASSVS. MVLÆ
SVÆ. CRASSÆ. BENEFERENTI
SVPPEDANEVM. HOC. CVM. RISV. POS
VIXIT. ANN. XI.

Hoc fictitium viri docti recte putant, credo propter verbi unius novitatem: In cæteris eum leporem habet, quæm vix authores novi possint imitari. Sed Liciniæ gentis factum ridiculum magis est, cum L. Crassus orator ille disertus, vir Censorius murænam in piscina domus suæ mortuam, atratus tanquam filiam luxisse fertur, Macrob. lib. II

A *Saturn.* cap. XI. Romæ tamen stante Repub. nullum equorum sepulchrum invenio. Equorum quidem nomina qui in Circensi certamine vicerant, & aurigarum scripta lego, *Inscript.* fol. CCCXLI. Has delitias sibi Reges aut Imperatores fecerunt, qui canibus quoque sepulchra dederunt, quos aliquando terra obrui religio fuit, Plin. *lib.* XXX. *cap.* V. & VII. De catella elegans vetus epigramma est, in *Epigram. vet.* lib. III.

Quod potui posui tibi fida catella sepulchrum,
Digna magis cœli munere quam tumuli,
Candenti ex lapide, hæc tibi convenit urna, fuisti
Candida tota fide, candida tota pilo.
B *Si cœlum, ut quondam, canibus patet, haud tua terras*
Incendet, sed ver stella perenne dabit.

De corvi funere Plinius multa, quæ omnibus nota sunt, *lib.* X. *cap.* XLIII. Gallinaceis gallis, coturnicibus, perdicibus tumulos extructos Diodorus narrat, lib. XIII. *Biblioth.* Lepidissima duo locustæ & formicæ epigrammata Suida s refert, in *verb.* δρυοκοίτης & ὀνηπαθής, quæ quia eleganter scripta sunt, hic adscribendda duxi. Primum est Cicadæ.

Ἀκρίδι τῇ κατ' ἄρουραν ἀηδόνι καὶ δρυοκοίτῃ,
C Τέττιγι ξυνὸν τύμβον ἔτευξε Μυρώ,
Παρθένιον στάξασα κόρη δάκρυ.
Luscinia agrorum recubans in fronde cicada,
En tibi componit pulchra sepulchra Myro,
Virgineas perfusa genas lacbrimosa puella.

Alterum est formicæ:

Αὐτόσι παρ' ἄλωνι δυηπαθὲς ἐργάτα μύρμηξ,
Ἠρίον ἐκ βώλου διψάδος ἐκτισάμην.
Hic ubi perpessa es duros formica labores,
Construxit tumulos arida gleba tibi.

Formicarum alii tumuli, quos tibi ipsæ extruunt, tantum elegantiæ habere non possunt, quantum admirationis: Illas se invicem sepelire præter ho-
D minem solas Plinius tradit, *lib.* XI. *c.* XXX. Sed memoria lapsus est cum antea scripserit *lib. cit. cap.* XVIIII. apes progerere defunctas, funerantiumque more exequias comitari. Narrat idem *lib.* X. *c.* LV. & mortua Gallina, maritos earum visos succedentes in vicem & reliqua fœtus more facientes, abstinentesque se a cantu. Canis caninum cadaver ad Cereris proripuit, terraque pedibus effossa illud ibi sepelivit, quod inter prodigia numerat Dio *l.* XLVII. Sed hæc sepulturæ cura elephantis ignota non fuit, Ælian. *lib.* V. *c.* XLIX. Ὅτι γὰρ ἐλέφαντα θεασάμενος Ἐλέφας νεκρὸν οὐκ ἂν παρέλθοι μὴ τῇ προβοσκίδι γῆν ἀρυσάμενος καὶ ἐπιβάλλειν. *Quod si Elephas*
E *elephantem mortuum viderit non ultra progrrdietur, quam promuscide terram hauserit & cadaveri injecerit.* In brutis multa alia naturæ documenta videmus, quæ cum dubitandi inanes causas philosophis quibusdam, nobis naturæ ipsius miracula considerandas reliquerunt.

C A P. XXXVIII.

DE STATU ANIMARUM POST MORTEM APUD INFEROS.

F ATque hæc quidem brutorum memoria inanis prorsus & ridenda est, vid. Plato in *Menon.* fol. 19. hominum vero, qui ex Deorum possessionibus una & præcipua esse prædicantur, idem in *Phædon.* Καὶ ἡμᾶς ἀνθρώπους ἓν τῶν κτημάτων τοῖς θεοῖς εἶναι, quale utcumque sit monumentum, illud cum animo esse putaverunt. Animus enim post defuncta corpora vivere consensus gentium est, quem Philosophi demonstrationibus suis confirmarunt. Sed cum hanc natura omnibus informationem voluptatis dedisset, eadem insculpsit in eorum mentibus

Deorum numen justitiamque divinam, quæ post fata præmiis immortalibus bonos, æternis vero malos pœnis afficeret. Hic præmiis & pœnis referti sunt Poetarum libri, in quorum fabulis magna plerumque elucent semina infixa veritatis. Tres illi potissimum locos constituerunt, in quibus defunctorum animæ post mortem continerentur. Elysium, Infernum, Tartarum. Elysii campi, piorum sedes: Inferni noxiorum: Tartara impiorum. Elysios puris animis deputarunt. Ad illos enim nonnisi purgati perveniebant, dictique Elysii ἀπὸ τῆς λύσεως *ab absolutione*, ubi piorum concilia. Serv. v. *Æn.* Homer. *Odys.* δ'.

Τῇ περ ῥηΐστη βιοτὴ πέλει ἀνθρώποισιν.
Constituunt animis sedes ubi fata beatas.

Quo purgati omnino corporis sortibus παντελῶς καθαροὶ (Plat. in *Phædo.*) perpetua felicitate perfruuntur. Vel qui virtutes purgativas, quas Platonici vocant, (Plotin. lib. II. *ennead.* I.) καθάρσεις ἀρετὰς viventes secuti, divinis rebus studuerunt, animamque ab ipso corpore separarunt. Horum enim divinus animus e corporum vinculis tanquam a carcere ad illa beatorum loca evolabat. Quod ut assequi possent prudentiores sapientiæ magistri, hoc ipsum sapientiæ studium in mortis meditatione collocarunt, qui addiscerent animum a corpore solvere & separare. Hoc moriens Socrates amicos monebat, Plat. in *Phæd.* τὸ μελέτημα αὐτὸ τοῦτο εἶναι τῶν φιλοσόφων, λύσιν καὶ χωρισμὸν τῆς ψυχῆς. Sicque intelligebat philosophiam esse meditationem mortis, ut doceret animi a corporis sensibus dissidium & distractionem. Duo enim sapientiæ munera præcipua constituebat. Primum quidem Deum contemplari, alterum vero voluptatibus corporis bellum indicere, & reginæ rationi obtemperare. Et duas idem mortes esse prodidit, unam animæ: animalis alteram. Moritur animal, cum anima a corpore discedit: anima vero, cum inferiori corporis parti mancipatur. Animalis mors ad veras naturæ divitias, ad ipsos Elysios, si vita bene transacta sit, accepto judicio traducebat. Mors animæ, quæ vulgo vita æstimatur, cum ipsa corpore tanquam sepulchro obruta fuerit *in veritatis campo* ἐν πεδίῳ ἀληθείας. Plato in *Axioch* misera judicio sistitur, quod horrendum omnes pertinuerunt. Ex Judicum enim sententia crassis quibusdam & terrenis locis laxatus corpore animus constringitur, cum primum ad Acherusiam paludem devenerit, Plato in *Phæd.* Ubi per fatalia temporum quædam curricula commoratus ad Cocytum trahitur, quo Dæmon unumquemque producebat. Illic primum, qui pie sancteque vixerant, judicabantur. At qui in vita medium quoddam tenuerant, id est, non ita virtutem amplexati, quin vitiorum confinio implicarentur, Acherusiam per annos aliquot paludem habitarunt, eas perpessi pœnas, quæ illos peccatis pristinis exuerent, ut purgati tandem absolverentur, & beatorum præmia aliquando reportarent. Qui vero ob scelerum magnitudinem purgari nullo modo possent, οἳ ἂν δόξωσιν ἀνιάτως ἔχειν, nec ullis remediis sanari potuerunt aut purgari, perpetuis Tartari tenebris & cruciatibus clausi vexantur. Hinc duo loca ab Homero separantur. Nam hoc profundissimum Tartarum sub terra est, ab Inferis longe remotum. *Iliad.* δ'.

—— Βάθιστον ὑπὸ χθονός ἐστι βέρεθρον,
Τόσσον ἔνερθ᾽ ἀΐδεω ὅσον οὐρανός ἐστ᾽ ἀπὸ γαίης.
—— Sub terris immane barathrum,
Distat ab Inferno, terris ut distat Olympus.

Infernum inter lunam terrasque quidam posuerunt, ubi animæ purgarentur: in Barathro vero seu Tartari profundo immedicabilis ira divina est, quam scelerati perpetuo experiuntur. In Inferis pro criminum qualitate noxii pœnas sufferunt & in lunari circulo, vel ut aliis placuit solstitiali, pro modo purgationis commorantur. Virgil. VI. *Æneid.* & *ibi* Servius.

Triplex autem ex philosophorum doctrina purgatio fuit, aut enim in terra purgabantur, qui nimiis corporis sordibus oppressi vixerant corporis blandimentis addicti. Hæc Pythagoreorum opinio fuit, qui μετεμψύχωσιν somniarunt, & animarum in corpora brutorum transmigrationem, quorum illæ naturam essent imitatæ. Hæ igni purgari credebantur, ignis enim terra est, ex quo omnia exuruntur, nam cœlestis perurit nihil. Aut in aqua purgatio fuit, id est, transibant animæ in marina corpora, si paulo melius vitam egissent. Aut certe in aere, si satis bene vixissent. Quod in Statio legitur, ubi de auguriis tractat. Unde etiam in sacris omnibus tres hæ purgationes receptæ sunt. Nam aut tæda purgantur & sulphure: aut aqua abluunurt, aut aere ventilantur. Quas purgationum species perite Poeta describit VI. *Æneid.*

Ergo exercentur pœnis veterumque malorum
Supplicia expendunt. Aliæ panduntur inanes
Suspensæ ad ventos: Aliis sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.

Vid. Serv. II. *Georg.* Infectum dixit scelus, quod illud dum viverent facti pœnitentia quasi eluissent, & ex vulgari loquendi modo NOLLENT. FACTVM. Hoc modo purgatæ animæ & præfinito tempore variis suppliciis circumactæ, clariores tandem emergebant, & in Elysio recipiebantur. Quod mire expressit idem Poeta, VI. *Æneid.*

Quisque suos patimur Manes; exinde per amplum
Mittimur Elysium, & pauci læta arva tenemus.
Donec longa dies perfecto temporis orbe,
Concretam exemit labem, purumque reliquit
Æthereum sensum atque auraï simplicis ignem.

Qui vero purgati, ad Campos Elysios transmittebantur, non semper illis excipiebantur. Tria enim post purgationem necessaria fuerunt, quæ Jo. Serranus ad Platonem notavit. Primum requirebatur contritio: Deinde confessio: Tertio satisfactio. Quæ ita Socrates explicabat, apud Platon in *Phæd.* Οἳ δ᾽ ἂν ἰάσιμα μὲν, μεγάλα δὲ δόξωσιν ἡμαρτηκέναι, ἁμαρτήματα, οἷον πρὸς Πατέρα, ἢ Μητέρα ὑπ᾽ ὀργῆς βίαιόν τι πράξαντες, καὶ μεταμέλον αὐτοῖς τὸν ἄλλον βίον βιῶσιν, ἢ ἀνδροφόνοι. τοιούτῳ ἄλλῳ τρόπῳ γένωνται, τούτοις δὲ ἐμπεσεῖν μὲν εἰς τὸν Τάρταρον ἀνάγκη. Ἐμπεσόντας δὲ αὐτοὺς, καὶ ἐνιαυτὸν ἐκεῖ γενομένους ἐκβάλλει τὸ κῦμα. Τοὺς μὲν ἀνδροφόνους κατὰ τὸν Κωκυτόν· τοὺς πατραλοίας καὶ μητραλοίας κατὰ τὸν Πυριφλεγέθοντα. Ἐπειδὰν δὲ φερόμενοι γένωνται κατὰ τὴν λίμνην, τὴν Ἀχερουσιάδα, ἐνταῦθα βοῶσί τε καὶ καλοῦσιν· οἱ μὲν οὓς ἀπέκτειναν· οἱ δὲ οὓς ὕβρισαν. Καλέσαντες δ᾽ ἱκετεύουσι, καὶ δέονται ἐᾶσαι σφᾶς ἐκβῆναι εἰς τὴν λίμνην καὶ δέξασθαι. Καὶ ἐὰν μὲν πείσωσιν, ἀποβαίνουσί τε καὶ λήγουσι τῶν κακῶν. Εἰ δὲ μὴ, φέρονται αὖθις εἰς τὸν τάρταρον, καὶ ἐκεῖθεν πάλιν εἰς τοὺς ποταμούς. Καὶ ταῦτα πάσχοντες οὐ πρότερον παύονται, πρὶν ἂν πείσωσιν, οὓς ἠδίκησαν. Αὕτη γὰρ ἡ δίκη ὑπὸ τῶν δικαστῶν αὐτοῖς ἐτάχθη. *Qui sanabilia peccata, sed illa ingentia commiserunt, veluti qui adversus patrem aut matrem violentum aliquid per iram perpetrarunt: sed pœnitentia ducti, eos in vitæ reliquo coluerunt. Vel qui alio quopiam modo homicidæ fuerint, his quidem imponitur necessitas, ut in Tartarum cadant, ibique per annum commorati a fluctu ejiciuntur, homicidæ quidem per Cocytum, parentum vero violatores per Pyriphlegethontem. Atque postquam ab iis ejecti fluminibus ad Acherusiam paludem pervenerunt, tum eos quos necaverint vel injuria affecerint, nomine compellant, rogant supplices atque obtestantur, ut se ex illa palude egredi patiantur, benigneque excipiant. Hoc si impetra-*

rint, ab illis malis illico liberantur. Sin minus, feruntur rursus in Tartarum & inde rursus ad fluvios, neque pœnas prius pati desinunt quam ab iis quos læserint veniam exorarint. Hæc enim pœna judicum decreto in eos constituta est. Quod ex sacrificiis & mortuorum Inferiis conjectare licet, inquit Socrates, ἀπὸ τῶν θυσιῶν καὶ νομίμων τῶν ἐνθάδε τεκμαιρόμενοι λέγομεν. Horum vero omnium exempla hæc idem Socrates (Plat. in *Gorg.*) Callicli proferebat ex Homero, *Odyss.* ξ. qui Reges & potentiores inducit apud inferos omni tempore cruciatos, veluti Tantalum, Sisyphum, Titium: quia, inquit, difficile est, ut vitam juste transigant in magna peccandi licentia constituti. At Thersitem qui imprudentia lapsus est, non obstinata peccandi libidine, privatim malum πονηρὸν ἰδιώτην bono publico non infestum, gravioribus his pœnis post fatalia tempora subduxit. Piorum autem sedes tribuit maxime iis, qui sceleribus puri vitam integram traxissent, aut iis qui extremum spiritum pro patria effudissent, quive illam auxissent, adjuvassent, conservassent. Certus enim iis in cœlo locus fuit, ubi beati sempiterno ævo fruerentur, Cicero in *somn. Scip.* Non temere ergo misera Andromache ab Ænea quærebat, III. *Æneid.*

Nate Dea, vivisne? aut si lux alma recessit,
Hector ubi est?

Quasi sciscitaretur incerta an mortuus Hector priorum sedes sortitus esset, vel iis adhuc pœnis teneretur, quas sustinent ii, qui humanis sordibus A purgarentur. Cæterum circulis novem Inferi cincti esse dicebantur, Servius VI. *Æn.* Primus animas Infantium tenebat. Secundus, eorum, qui sibi per simplicitatem adesse non poterant. Tertius, qui doloris impatientia violentas sibi intulerant manus. Quartus, quos amor crudeli tabe peredisset. Quintus virorum fortium fuit. Sextus nocentes tenuit, qui a Judicibus graviter punirentur. In septimo animæ purgantur. In octavo ita illæ purgatæ sunt, ut redeant. In nono ut jam non redeant, nullis amplius cupiditatibus obstrictæ. Quid vero apud Inferos puniretur, magna inter Veteres quæstio fuit. Communis tamen hæc opi- B nio prævaluit, ut animas perferre pœnas non putarent, idem *ibid.* sed illius conjunctionis reliquias, quæ inter animam & corpus fuit. In eo autem consenserunt omnes, *ut multis peccatis obrutam animam ad Inferos descendere, extremum omnium malorum esse tenuerint.* Πολλῶν γὰρ ἀδικημάτων γέμοντα τὴν ψυχὴν εἰς ᾅδου ἀφικέσθαι, πάντων ἔσχατον κακῶν ἐστίν. Nunc tamen contra Socratis sententiam, si impietatis certamen proponeretur, multi admodum in hoc genere summi reperirentur, quos extrema imprecatio non coerceret, si quis terram matrem, Deosque Manes oraret, ne mortuis ul- D lam, nisi impios, sedem darent, Sueton. in *Tiber.* Pœna quidem gravior majoribus visa est, qua mortuorum infamia & exitium, vivorum judicio & odio comprobarentur.



JACOBI GUTHERII
JC. NOBILIS ET PATRICII ROMANI,
DE JURE MANIUM,
SEU
DE RITU, MORE, ET LEGIBUS PRISCI FUNERIS,
LIBER TERTIUS.

AD AMPLISSIMUM ATQUE ILLUSTRISSIMUM

NICOLAUM VERDUNUM,

EQUITEM, SACRI CONSISTORII COMITEM, IN SUPREMA PARISIORUM CURIA PRÆSIDEM MAXIMUM.

CAP. I.

DE RELIGIOSIS, ET QUO TEMPORE INCIPIAT SEPULCHRUM RELIGIONE TENERI.



PErgebam ad ea solatia, Præses Maxime, quæ jucunda mihi atque salutaria ab his literis sæpe quæsivi, postremamque hujus operis partem inchoabam. Ecce libitinarii ad portam, qui Nico. Fabri V. C. funus indixerunt. Perculsus illico animus improviso fati hujus impetu, (nec enim illum male habere audieram) in luctum & dolorem desiliit, lachrimarumque vi obrutus, quæ in externorum casibus adversis ultro plerumque effluunt, mœrorem, quem occultare non potui, communi tandem mortalitatis ratione temperabam. Sedem illam ipsam, in qua domi meæ postremum insederat, contuebar, cum inter nos impendentes casus atque orbitatem literarum non ita pridem deflebamus. Tempora virtuti inimica querebamur, multaque vir prudentissimus prævidebat, quæ futura ex præteritis timeremus. Magnus illi virtutis amor, ad quem omnia referebat, nihil ad ostentationem, cum ambitione vita omnis libera, privatis magis officiis & ingenii laude floreret, quam fructu aut amplitudine dignitatis. Hanc tamen non exiguam consecutus est, cum Regi Christianissim. ad studia meliora datus, toti Galliæ, labentibus annis feliciter inservivit: omniaque vitæ & eruditionis optimæ consilia convertit, ut Principis mores, qui ad virtutem natura ipsa procliviores, optima disciplina firmarentur. O quam peritus ille historiæ veteris! quantum in Ecclesiasticis Annalibus Illustrissim. Cardinalis Baronii testimonio versatus, quantum exemplorum, quantum rerum, quantum antiquitatis tenebat unus! In eo sanctitas summa, par pietas, quæ longa P. Pithœi popularis mei consuetudine nitescebat. Uterque candore vitæ, morum inte-

A gritate, doctrinæ miraculo bono publico nati, Censorio funere literas meliores extulisse secum mihi videntur. Quarum reliquias tantum colimus, quæ cum viris illis præstantissimis jacent sepultæ. Nam quæ nunc vigere putantur, non literas, sed literarum cadavera dixerim, virtute destituta. Quid enim, si virtutem tollas, literæ dici possunt, quam inanes quædam imagines, quæ ut defunctorum umbræ illæ, minus peritos perterreant? Sciebant Pithœus & Faber quid veteres codices continerent, nec in apicibus solum literarum, sed in reconditæ doctrinæ monumentis exornandis operam dabant, ut & doctiores & meliores redderen-

B tur. Sed finem uterque suum consecutus est, non illum quem vetus Poeta ponebat, qui mortem hominis finem esse dicebat. Arist. lib. II. *Phys.* cap. II.

Ἔχει τελευτὴν ἧς περ οὕνεκ' ἐγένετο.

Finis enim hominis mors non est, *nec quod ultimum est finis est, sed quod optimum*, οὐ γὰρ πᾶν ἐστὶ τὸ ἔσχατον τέλος, ἀλλὰ τὸ βέλτιστον. Qualis immortalitas ea est, qua illi optimi viri perfruuntur, quo-

C rum præclara virtus superstes etiamnum vivit & vivet. Hanc quidem immortalitatem Veteres e Pontificio Jure & ceremoniis sepulchrorum intellexerunt primum, quas maximis ingeniis præditi nec tanta cura coluissent, nec violatas tam inexpiabili religione sanxissent, nisi hæsisset in eorum mentibus, mortem esse quandam quasi migrationem, commutationemque vitæ. Quare religiosa sepulchra sanxerunt, & religiosas res, ut sacras, inter divina jura posuerunt, *l.* I. *D. de rer. divis. l.* I. *D. de Interdict.* Religiosum tamen non utique sacrum est, ut sepulchra sacra non sunt, sed religiosa, Festus in verb. *religiosum.* Illudque demum Religiosum,

D quoniam sit aliquid, quod ibi homini facere non liceat, quod si faciat, adversus Deorum voluntatem fecisse videatur, ut dicebat Ælius Gallus. At Masurio Sabino & Servio Sulpitio religiosum est, quod propter sanctitatem aliquam remotum ac sepositum a nobis est, a relinquendo dictum, Agell. *lib.* IV. *cap.* IX. & Religiosa sepulchra illorumque sancti-

A fanctitudo, non lege inftitutoque majorum, fed Pontificio Jure introducta funt, Nonius in verb. *fanctitudo*, ut M. Tullius libro quarto *de Republica* monebat: quod jus naturæ antiquius aliqua ex parte comprobavit. Ab eo idem Tullius in *Topic.* triplicem conftituebat æquitatem: unam, quæ ad fuperos Deos, alteram, ad Manes, tertiam, quæ ad homines pertineret. Prima, pietas; fecunda, fanctitas: tertia, Juftitia nominatur. Sanctitas illa quidem non ita accipitur, quafi fanctione aliqua fit confirmata. Eft enim fanctitas fcientia colendorum Deorum, idem *lib.* I. *de nat. Deor.* a qua Religio dicta eft, quod ea homines regantur ad cultum
B divinum, Servius XII. *Æneid.* Nam Religio nihil aliud ipfa eft quam Deorum cultus, Cic. II. *de nat. Deor.* Hinc Religio fanctitudoque fepulchrorum, qua Dii Manes colebantur: hinc Majorum fepulchra cum Deorum aris & templis conjuncta funt, pro quibus non jufta folum, fed neceffaria bella ducebantur. Quare qui patrios Deos & avita fepulchra deferuiffent, illis merito nullam falutis curam effe debere Themiftocles dicebat, Plato in *Themift.* ut nihil in pugnæ difcrimine militum animos magis excitabat, quam fi pro Deorum Aris, & fepulchris majorum, dimicare monerentur, quafi ad difcrimen illud ultimum deveniffent, cui fuper-
C vivere puderet. Hac maxime ratione ufus eft Vibius Virius Campanæ defectionis author, cum fuorum animos Romanis redderet infeftos. Livius *lib.* XXVI. *Romanos*, inquit, *Roma circumfeffa, conjuges, liberi, quorum ploratus hic quoque prope exaudiebantur, Deum delubra, fepulchra majorum temerata ac violata a Capua non averterunt. Tanta aviditas fupplicii expetendi, tanta fanguinis noftri hauriendi fitis eft.* Ubique ergo Deorum templa & Manium Sepulchra pari fere jure cenfebantur. Hæc confecrata dicataque legimus in Infcriptionibus antiquis, ut *pag.* DCCCLXVII. 5.

D
HÆC. ÆDIFICIA. PROPRIA
COMPARATA. FACTA
DICATAQ. SVNT. MONVMENTI
SIVE. SEPVLCHRVM. EST. ET
OLLARVM. QVÆ. IN. HIS. ÆDIFICIIS
INSVNT. ET. CONSECRATÆ. SVNT
RELIGIONISQ. EARVM. CAVSA

Non quod Sepulchra per Pontifices folemni more Diis data, dicata, confecrataque effent, fed quod
E Religionis ergo inter divina cenferentur, quo modo confecratus locus profano opponitur, & a loco puro feparatur, Cic. in *Partition.* Purus locus eft, qui neque facer, neque fanctus, neque religiofus eft, fed ab omnibus hujufmodi nominibus vacat, *l.* 2. *§. purus. D. de Relig.* Recte itaque in Infcriptione fcriptum eft, *Confecratæ funt religionis eorum caufa*, quod fepulchrorum Religio quandam habeat quafi confecrationem. Sic Sepulchra dixit Ælius (Feft. in verb. *religiofum*) fancta, facra & Religiofa fieri, quod omnium religione quafi confecrata fint, & in perpetuum Diis Manibus data
F dicataque. Tum autem incipiebat fepulchrum effe & Religione teneri, cum jufta facta effent, cadaver incenfum, injectaque gleba tumulus effet, Cicero II. *de Leg.* quod fola mortui illatione fieri noftri putaverunt, fi modo corpus ibi conderetur & perpetuæ fepulturæ mandaretur, *l. Divi. D. de Relig.*

CAP. II.

QUOMODO RELIGIOSUS LOCUS FIERET, ET QUI ILLUM FACERE POTUERUNT.

Religiofum vero locum unufquifque fua voluntate facit, dum mortuum infert in locum fuum. In commune autem fepulchrum invitis cæteris licet inferre: fed in alienum locum, confentiente domino, qui licet poftea ratum non habeat, quam illatus eft mortuus, tamen Religiofus fit locus, *l.* 6. *§. Religiofum. D. de rer. divif.* Accidit ergo aliquando, ut qui dominus fit, Religiofum locum facere non poffit, & contra, qui dominus non fit, hanc habeat poteftatem. Scriptus heres priufquam hereditatem adeat, cum dominus non fit, patremfamilias mortuum inferendo, locum facit Religiofum. Ut quivis alius herede vel ceffante, vel abfente, vel vetante, ne pro herede gerere videatur, locum etiam Religiofum facit, *l.* 4 *D. de Relig.* Plerumque enim defuncti ante fepeliuntur, quam quis heres exiftat: fed tunc locus fit Religiofus, cum defuncti fuit. Naturaliter enim videtur ad mortuum pertinere locus, in quem infertur, præfertim fi in eum locum inferatur, in quem ipfe deftinavit.

Contra vero qui dominus eft, fi proprietatem ille habeat, alius ufumfructum, nec ille, nec fructuarius Religiofum locum facit: ut locum qui fervit nemo quoque Religiofum facit, nifi confenfus accefferit, ejus cui fervitus debetur, *l.* 2. *§. fi ufumfruct. & §. locum. D. de Relig.* At qui pignori dedit agrum, fi in eum fuorum aliquem mortuum intulerit, Religiofum facit locum: Sed & fi ipfe inferatur, idem eft, cæterum alii concedere non poteft. Elegans quæftio, cur, qui pignori locum dedit, Religiofum illum facere poffit: non poffit, fi alius ufumfructum vel fervitutem in agro habuerit. Hanc olim mihi movebat Pater meus, cum me his in rebus verfari advertiffet, quas in jure noftro difficultatis habere plurimum benigne monebat, hortabaturque, ut in iis explicandis ftudii operæque meæ, dum forenfes labores paterentur, partem aliquam impenderem. Annum ille LXXII. agebat, per annos L. in foro negotiifque ita occupatus, ut illorum multitudine quotidie obrueretur. Difcendi tamen cupiditate, quam unam vivendi optimam rationem ducebat, nullum unquam fe diem prætermififfe narrabat, quo Juris Civilis ftudio horas quatuor non conceffiffet, in quo fe hoc profeciffe dicebat, quod poft tot tantofque labores rerumque ufus, aliquem, fed illum exiguum, Juris ipfius fructum animadverteret fe deguftaffe, quem perfectum ætates decem legere vix poffent. Sfcifcitabatur ex me optimus fenex, qua ratione is, qui pignori agrum dediffet, Religiofum illum facere poffet, non confentiente creditore, & non poffet invito fructuario, vel eo cui fervitus alia deberetur? Advertas, inquiebat, Jacobe fili, Ulpianum creditoris jus hic a jure fructuarii feparare, cujus diverfitatis rationem non facile eft reddere. Nam creditor pignoris, ut fructuarius, habet jus in rem, & pignoris jus & ufusfructus aut alterius fervitutis, pactionibus, aut ftipulationibus conftituitur. Et quamvis jus pignoris ab intentione dominii feparetur: illius tamen datio fpecies alienationis eft, *l.* 3. *C. de iis qui ven. ætat. impe.* & creditor id juris habere dicitur in pignore, quod debitor habet, *l.* 3. *§. fin. D. de pign.* Nec movet quod in

pignore sola possessio ad creditorem transfertur, *l. cum & fortis. §. fin. D. de pigno. act.* Nam qui pignori rem dedit, eamque surripuit, furti obligatur, *l. in actione. §. fin. D. de furtis.* Nemo autem rei suæ furtum facere dicitur, quare qui mortuum in agrum pignori datum intulerit, in suum inferre jure dici non potest. Et rem pignori datam ita alienam a nobis juris authores existimarunt, ut si quid in ea factum esset, non ex creditoris voluntate confestim illud per quasi Servianam revocaretur, *l. 4. D. quib. mod. pign. solv.* Unde pignori servus datus, etiamsi debitor locuples sit, manumitti non potest, *l. 3. D. de manumiss.* Si favorem religionis opponas pro Religioso loco : occurrit etiam favor libertatis, cujus causa multa contra Juris rigorem fieri solent. Scimus quam dispar sit ratio Religionis & libertatis, sed eadem manet ratio legis, ne in alienum locum quis mortuum posset inferre. Nam debitor pure dominus non est, cum pignoris possessio in alium transierit, cui jus in ipsa re quæsitum est: quod satis agnoscit Tribonianus qui statim subjungit ex Pauli sententia, *l. 3. D. de Relig.* Ex consensu tamen omnium utilius est dicere, Religiosum posse fieri locum, idque Pomponium scribere. De usufructu & servitute viderimus postea. Nunc vero expendamus de pignore, & an Paulus cum Ulpiano pugnare videatur. Quid hac de re Pater sentiret, cum ab eo quæsiissem, subridens ille. Nihil in Jure nostro, ajebat, leviter perquirendum est. Nam quæ ex usu fori esse non putantur, eam plerumque scientiam continent, qua qui minus instructi sunt, in minimis etiam graviter peccant. Quæ de Jure pignoris a Veteribus tam diligenter tractata sunt, obsoleta plerisque videntur, aut incognita sunt iis, aut certe ab iis neglecta, illa ad Ulpiani intellectum multum mihi facere videntur. Pignus non solum traditione, sed nuda conventione, constitui, indubitati juris est: ut ex nuda conventione hypothecæ possessio apud debitorem remanebat, *l. si rem. §. proprie. D. de pignorat. act.* Quæ si transiisset ad creditorem, proprie pignus fuit. At si dominium, nec pignus, nec hypotheca, sed fiducia dicebatur, Paulus *lib. 1. Sentent.* tit. IX. Aliud ergo pignus, aliud hypotheca, fiducia & ἀντίχρησις: & omnia tamen pignora. In hypotheca & pignore aperte constitutum est, si in agrum debitor mortuum suum intulerit, Religiosum locum fieri, ut & si ipse inferatur. Si extraneum, aut id tollere debitor cogitur quod intulit, aut solvere, nisi creditoris consensus accesserit. Quod duabus rationibus niti crediderim. Prima est, summa illa quæ in publica utilitate consistit, ne insepulta cadavera jaceant, nam summa ratio est, quæ pro religione facit, *l. sunt personæ. D. de Relig.* Atque ut in omni conventione, vel in ipsa etiam stipulatione, quæ stricti juris est, contrahentium mentem attendimus & id sequimur, quod actum est, *l. semper. D. de reg. Jur.* non recte putaremus eam debitoris fuisse mentem, ut cum fundum pignori daret, sepulturæ locum sibi & suis adimere cogitaret. Altera ratio est, quod debitoris jus in pignore tantum est, ut pleno jure illud habeat, *l. servos autem. D. de leg. 3.* meritoque dubitatum sit, si a creditore pactum esset, ne liceret debitori pignus vendere, an pactio talis nulla esset, quasi contra jus posita, *l. si creditor. §. quæritur. D. de distract. pign.* Quod si debitori vendere licet, nisi aliud actum sit, quidni liceat pignoratum fundum privata religione obligare, cum pactionibus nemo efficere possit, ne sibi in suo sepelire mortuum liceret? *l. nemo. D. de pact.* Aliud in venditione : nam si locus monumenti hac lege venierit, ne in eum inferentur, quos jus est inferri: pactum quidem ad hoc non sufficit, sed stipulatione id caveri oportet, *l. quod si locus. D. de Relig.*

De fiducia, nihil in *Pandectis* relatum est, qua pignus creditori ita mancipabatur, ut cum mancipanti remanciparet, & restituendi fides interponeretur, Boet. *in Topic. Cic.* Illa quidem pleno jure dominium in creditorem non transferebatur, Paulus *lib. II. Sentent.* tit. XIII. Est tamen fiducia pignoris lex commissoria, cujus magis sub conditione resolvi emptio, quam sub conditione contrahi videtur, *l. 1. D. de leg. Commissor.* Retracta enim venditio redhibitioni similis est, *l. si hominem. D. de usurp. & usucap.* Unde servis legatis non veniunt, si qui fiduciæ dati sunt, Paulus *lib. III. Sentent.* tit. VI. ut servi pignori vel hypothecæ dati, qui sunt pleno jure testantis, *l. servos autem. D. de leg. 3.* Fundus ergo fiduciæ datus, licet pleno jure ad fiduciarium non pertineat, ille tamen ita dominus est, ut debitor causam dominii mutare non possit, nec locum Religiosum facere, cum locus alienus sit. Hoc quidem ex jure Quiritium. Sed novo jure cum fiduciæ pactum ut injustum ex Constantini Imp. Constitutione sublatum sit, *l. 3. D. de pact. pign. & l. unic. C. Theod. de commiss. rescind.* plenum in re data pignori dominium retinet debitor quam religiosam jure faceret. Quid si pactus est debitor, ut pecunia ad diem non soluta pignus creditori cedat? cum venditio contracta non sit, *l. 1. C. eod.* Idem juris esse puto quod & in ἀντιχρήσει clarum est, quæ ad fructus pertinet, & ab intentione dominii separatur, *l. 1. §. cum prædium. D. de pignoribus.*

Intelligo, inquam, quid juris sit in pignore ad usumfructum, nunc ad servitutem si placet veniamus. Tum Pater, Absolveram inquit, & ni properasses, ipse jam properabam, ut differentiæ rationem investigarem. Illatione mortui ususfructus aut alia servitus perit : non autem jus pignoris impeditur, quod quidem deterius fit, sed non omnino solvitur. Nec vero tantum juris habet creditor in pignore, quantum fructuarius in fundo. Hic enim appellatione domini continetur, *l. 8. D. de reb. auth. judic. possid.* creditor autem licet juste possideat, opinione domini non possidet, quod plenum in re pignerata debitor habet, *l. si servus. §. 1. D. de noxal. action.* Deinde sublato pignore quod personæ accedit, manet obligatio personalis: at ususfructus, licet personalis servitus sit, personam non obligat, sed rem, nec tamen quod res obligata sit, ideo Religiosa fieri non potest, sed quia ususfructus qui dominii pars non est, pars sit servitutis, *l. 25. D. de verb. sign.* Qui ergo, inquam, ususfructus in multis casibus pars dominii est? ut *l. 4. de usufruct.* Hic Pater, Habet, inquit, ususfructus partis dominii in certis casibus effectum, ut ex Papiniano intelligimus, *l. si Titius. §. fin. D. de usufruct.* cum vere servitutis pars sit. Locum autem qui servit nemo Religiosum facit, nisi consentiat is, cui servitus debetur, id est, nisi locum illum a servitutis jure liberarit, ut commode per alium locum servitute uti possit. Qui fit, ut in servitute & in usufructu consensus necessarius sit eorum, quibus jus est, ut Religiosus fieri possit, *l. 2. §. locum. D. de Relig.* Quod tamen favore Religionis receptum est: etenim consensus inutilis esset, ni favor Religionis accederet, quo juris rigor temperatur, *l. locum. D. de usufruct.* Quare cum Ulpianus locum qui servit consensu ejus, cui servitus debetur, Religiosum fieri dicit, recte adjecit & hoc habet rationem, id est, summam illam quæ pro Religione facit, cujus favore a stricto illo jure re-

ceditur, quo res nulla dicari potuit, nisi quæ in pleno esset dominio dedicantis, vide *lib.* II. *de Vet. Jur. Pont.* cap. VI. Sed quæres forte, cur fructuarii consensu Religiosus locus fieri possit, ejusdem consensu servitus imponi non possit? Nam proprietatis dominus ne consentiente quidem fructuario servitutem imponit, *l. sed si quid. D. de usufr.* Ad hæc ego: doctissimus Cujacius (*§. religiosum I. de rer. divis.*) putat dominum & fructuarium ita sibi obstare, ut nec soli, nec per se, nec simul servitutem fructuario prædio possint imponere. Ita est dicebat Pater: sed cur non possint, nobis illud quærendum reliquit, quod Paulus docet, *l. 1. de usuf. & usufr. leg.* quia servitus servitutis esse non potest. Cum ergo ususfructus pars servitutis sit, durante illo, alia servitute onerari non potest: nec salva rei substantia dici, si qua ex parte vel consensu ipsius fructuarii minueretur. At vero, dices, ususfructus in prædio serviente acquisitus, non impedit servitutem, nec extinguit, *l. si quis. §. fin. D. de servit. Urb. Præd.* Constitutam quidem non impedit, quia hoc in casu pars dominii est: constituendam non admittit, quia par servitutis est. Nec vero ita fructuarii consensus necessarius semper est, ut illo ignorante vel impediente Religiosus locus omnino fieri possit. Nam testator, a quo ususfructus legatus est, in fundum fructuarium inferri potest, cum alium in locum tam opportune inferri non possit, *l. 2. §. usumfructum. D. de Relig.* Cum multis verbis ultro citroque habitis consumptus nobis esset dies, quo mihi nullus unquam gratior fuit, in hæc porro desiit Pater. Hoc age fili & mecum Juliani exemplum imitare: Cum enim alterum pedem in tumulo habeam, aliquid addiscere pigebit nunquam, quod supra forensem usum, Juris me veteris non imperitum reddat. Hæc ita retuli, quæ ab illo tum accepi, a quo multa alia ante didiceram, quæ magnis me Juris angustiis hoc in opere liberarunt.

CAP. III.

QUI RELIGIOSUM LOCUM FACERE NON POSSUNT.

Sunt tamen quædam personæ, quæ religiosum locum facere non possunt, *l. sunt personæ. D. de Relig.* ut puta si dominus proprietatis in fundum, cujus fructus alienus est, mortuum inferat, aut inferre velit. Nam si intulerit, non facit justum sepulchrum, id est, non facit Religiosum. Justum enim sepulchrum est, quod omni Religionis solemnitate consecratum, quo modo & Justa sepultura dicitur. Sic dicimus, testamentum esse justam sententiam, perquam solennem, plenam, ut amorem justum Tibullus dixit, immensum & omnes Cupidinis vires complectentem. Eadem sunt servanda in socio, qui in fundum communem invito socio mortuum vult inferre. Potest tamen dominus mortuum in fundum suum inferre, & socius in communem fundum, sed neuter ibi mortuum sepelire potest. Illatio multum a sepultura differt Qui dominus non est, aut socius, nec sepelire potest, nec inferre: qui dominus est aut socius, in locum purum suorum aliquem inferre potest, sepelire non potest. Sepultura locum Religiosum facit: sola illatio non facit, sed profanus locus manet, *l. si quis ea. D. de Relig.* De illatione atque interdicto, suo loco agemus: satis est hic notasse proprietatis dominum vel socium in locum purum inferre posse suorum aliquem, favore Religionis, usque-

A dum oportunum locum nactus sit, in quo justæ sepulturæ mortuum tradat. Illuc proprie est corpus commendare, *l. & si quis. §. funeris. D. de Relig.* hoc est temporis gratia deponere. Sic in Inscriptione veteri a nobis allata *lib.* II. *de Vet. Jur. Pont.* cap. IX. ET. PRESSVS. NECESSITATE. FICTILI. SARCOPHAGO. CORPORA. COMMENDAVERIM. Suorum ergo aliquem inferre potest: extraneum non potest. Nam si extraneum, actione in factum compellitur, ut statim tollat: si suum communi dividundo, ut post præfinitum tempus tollat, vel fundus ipse dividatur, *l. 6. §. si quis. D. com. div.* Sic Ulpian. cum Labeonis & B Trebatii sententiam probat, ut in factum actio detur, de extraneo mortuo illato loquitur. At cum quærit, an socius teneatur, si ignorante socio intulerit, & verius putat, communi dividundo conveniri eum posse, *l. 2. §. an. & socio. D. de Relig.* de aliquo suorum illato intelligi debet. Nam quod socio in suis licet, id illi in extraneo concessum non est, *de leg. 2. l. fin.* Non igitur socius compelli potest actione in factum Prætoria, ut si quem suorum intulerit tollat: Nam communi dividundo id assequi potest, ut tollat, aut fundus dividatur. Pace id viri doctissimi dixerim, qui Ulpianum Labeonis & Trebatii sententiam afferre C dicit, sed non probare. Nam in communi dividundo judicio nihil venit ultra divisionem rerum ipsarum, quæ communes sunt, & si quid in his damni datum factumve est, sive quid eo nomine aut abest alicui sociorum, aut ad eum pervenit ex re communi, *l. 3. D. comm. divid.* Si vero plures sint domini loci puri, in quem mortuus infertur, omnes consentire debent, ut extraneus inferatur: Dominus autem ipse non solum recte inferetur, sed ibi sepelietur sine cæterorum consensu. Maxime cum alius non sit locus, in quo sepeliri tam opportune possit, *d. l. 2. §. si usumfr.* Atque hoc fa- D vore Religionis contra strictam juris rationem receptum est. Sed superest communi dividundo judicium. Hanc nostram distinctionem minus aliquando probabat vir in Juris scientia admodum versatus. Nam si civilis (inquit) actio competit communi dividundo, non opus est inducere honorariam, seu in factum actionem. Putabatque Trebatium & Labeonem de ea loqui in factum actione, non quæ competit ut mortuus illatus tollatur, sed quæ datur ei, qui jus habet inferendi mortuum, & inferre prohibetur. Veluti si socius mortuum inferat in locum communem, & prohibeatur a socio, recte aget interdicto de E mortuo inferendo, *l. sunt personæ. D. de Relig.* Vel si omiserit interdictum, aget in factum, quanti interest eum non fuisse prohibitum, cum mortuum inferret, *l. liberum. D. eod.* Quare ita Ulpianus Veterum sententiam refert, ut si quidem socius mortuum in fundum communem intulerit invito socio, non faciat locum Religiosum: si tamen prohibitus fuerit, actione in factum agere eum posse adversus socium, qui mortuum inferre prohibuerit. Quod mihi cum Trebatii & Labeonis sententia pugnare videtur. Illi enim diserte: si quis in communem locum mortuum intulerit, an Religiosum fecerit, vi- F dendum est. Et sane jus inferendi in sepulchrum unicuique in solidum competit: locum autem purum alter Religiosum facere non potest. Trebatius & Labeo quoque putant, non esse locum Religiosum factum: tamen putant in factum agendum. Ex his ita sentio, ut qui mortuum extraneum infert in communem locum purum, Religiosum eum non faciat: sed quasi in alienum locum intulerit, aut tollit, aut loci pretium præstat, per in factum actionem, *l. is qui. D. de Relig.*

Nam si intulerit, religiosum locum non facit, quia mortuus per in factum actionem tollitur. Nec agit interdicto de mortuo inferendo, qui jus inferendi non habet, invito socio. Quod tamen interdictum datur, si jus inferendi in sepulchrum habuerit, quod in solidum unicuique competit. Vel si quem suorum intulerit: tum enim si prohibitus sit, competit interdictum, favore religionis, *l. 2. §. fin. D. de relig.* In aliis jure nostro potior est conditio prohibentis, *l. Sabinus. D. comm. divid.*

Extraneus autem neque in locum alienum inferre mortuum potest, neque si intulerit, Religiosum locum facere, nisi domino consentiente, qui hoc casu, loci proprietatem amittit. Ut si quis locum vendiderit, & idem venditor ab herede suo, voluntate emptoris in eo sepultus fuerit: actio de evictione intercidit; quia emptor volens proprietatem amisit, quam ob loci Religionem retinere non potest, *l. si per imprudent. §. si quis locum. D de evict.*

CAP. IV.

QUOMODO QUÆ RELIGIOSIS ADHÆRENT, RELIGIOSA HABERENTUR.

CUM in medio Jure civili versemur, nobis eæ potissimum leges intelligendæ & in ordinem redigendæ videntur, quæ ad sepulchra eorumve jura pertinent, ut quæ scribimus & peritis & imperitis Juris, clara esse possint & explicata. In his præsertim nobis elaborandum est, quæ honorario jure introducta sunt. Prætor enim ut jus civile, sic Pontificium, edictis suis aut supplebat aut adjuvabat, quo privatorum actiones possent exerceri. Docet Paulus (*l. quæ religiosis. D. de rer. vendic.*) libro vicesimo septimo *ad edictum*, ea quæ Religiosis adhærent, Religiosa esse: & idcirco nec lapides inædificatos, postquam remoti essent, vendicari posse: sed petitori per in factum actionem extra ordinem subveniri: ut is qui hoc fecerit, eos restituere compelleretur. Quod si alieni sine voluntate domini inædificati fuerint, & nondum functo monumento, in hoc detracti erunt, ut alibi reponerentur, poterant a domino vendicari: ut si in hoc detracti erunt ut reponerentur, similiter dominum eos repetere posse. Vulgati Pandectæ habent, *nondum destructo monumento*; alii, *finito*: Florentini, *functo*, quæ pura & elegans lectio est. Functum monumentum est, non in quod corpus illatum est solum, sed in quo justæ sepulturæ traditum est. *Τάφος κυρίως*, *Basilic. περὶ μνημείων*, *βεβαίως, ἀσφαλῶς*, Hesychius: ab eo defuncti *τελευτήσαντες*, qui finem perfectum & absolutum sunt consecuti. Quicquid ergo functo monumento adhæret, pars illius censetur, veluti ossuaria vel statua, *l. 2. de sepul. viol.* At quæ monumentis adjacent, ut ædificia vel agri quæ in illorum tutelam cedunt, pura manent, nisi cum sepulchris sint consecrata. Nec enim totus, qui sepulturæ destinatus est locus Religiosus fit: sed quatenus corpus humatum est, ut Celsus ait, *l. 2. §. ut autem de relig.* Quare intra maceriam sepulchrorum hortis vel cæteris culturis loca pura servata, si nihil venditor nominatim exceperit, pertinent ad emptorem, *l. æde sacra. D. de contrah. empt.* Ager enim purus monumento cohærens profani juris est, *l. locum. C. de relig.* Hoc ita si semper vicinis ædificiis usui hominum destinatis cesserit, *l. si sepulchrum. C. eod.* Quod ex sententia Alfeni Senecionis, quam supra adscripsimus, *lib. 1. cap. x.* planum est. Ea enim ædificia quæ solo puro posita sunt, licet Religioso loco cohæreant, conjunctave sint, venire possunt: non autem loci sive agri qui ædificiis adjacet recta venditio est, si sepulchra dispersa habet. Quod si cum monumento agri vel adjacentia loca sint consecrata, pari qua monumentum religione obligantur vel sola defuncti designatione. Unde vulgares notæ in Inscriptionibus, IN. FRONTE. PEDES. X. IN. AGRO. PEDES. X. ambitum sepulchri Religiosum plerumque significant, quod consecrationis lege certius notabatur, ut in hac Inscriptione, *pag.* DCXVII. 2.

ÆDIFICIA. PROPRIA. COMPARATA.
FACTA.
DICATAQVE. SVNT. MONVMENTO
T. POMPONI

Tum enim quæ dicata & consecrata essent, Religiosa fieri, Inscriptio alia aperte demonstrat, *pag.* DCCCIX. 2.

MINDIA. IVLIA. ET. P. ÆLIVS. PHI-
LETVS. COMPA
RAVERVNT. SIBI. ET. LIBERTIS. LI-
BERTABVSQVE
POSTERISQVE. EORVM. HIC. LOCVS.
CVM. HOR
TVLO. SVO. RELIGIOSO. ET. ÆDI-
FICVLIS. SVIS
MVRO. CINCTOVS. AD. SEPVL-
CHRVM. MINDIÆ. IVLIÆ
ET. P. ÆLI. PHILETI. PERTINET.
ET. NE. QVIS. EA. LOCA
SS. NEQVE. VENDERE. NEQVE. DO-
NATIONIS. CAVSA
NEQVE. DE. NOMINE. VTRORVM-
QVE. EXIRE. POSSIT
QVOD. SI. QVIS. CONTRA. HANC.
INSCRIPTIONEM. FECERIT
INFERET. POENÆ. NOMINE. ARCÆ.
PONTIFICVM
SS. L. N. H. M. ET. LOCIS SS. D. M.
A

Sed an sine consecratione porticationes cæteraque quæ ad sepulchrorum exornationem facta sunt, partes illorum dici possint & religiosa fiant, dubitari potest. Et puto omnia quæ ad ornatum pertinent, pari jure habenda esse, ac statuas monumenti: nec enim usui alio hominum destinato cedunt.

CAP. V.

AN SEPULCHRA VENDI POTUERINT, ET DE PROHIBITA ILLORUM ALIENATIONE.

MOnumento nondum functo alieni lapides inædificati vendicari posse a domino, dictum est, quia nihil habent Religionis. Sic si monumentum adhuc purum est, cum in dominio nostro sit, potest quis hoc & vendere vel & donare, *l. 6. §. fin. de Relig.* Sed si locus Religiosus pro puro venisse dicetur, Prætor in factum actionem ei dabat, ad quem ea res pertineret, *l. ossa. §. si locus. D. de Relig.* Religiosum ergo monumentum vendi non potest; purum potest, *l. quid si locum. D. eod.* quia nondum functum est. *Τὸν καθαρὸν τάφον καὶ τὸ κενοτάφιον ἔξεστι πιπράσκειν καὶ δωρεῖσθαι. Τάφος γὰρ κυρίως οὐκ ἔστιν*, Basilic. *περὶ μνημείων δ.* Solas monumentorum venditiones prohibet jus religionis, *l. 2. C. de Relig.* quæ tum nec obligari possunt, nec permutari. SCto enim

cavetur, ne locus sepulchrorum permutationibus A polluatur, id est, ne sepulchra aliæ conversationis usum accipiant, *l. si quis. §. SCto. D. de Relig.* οἱ τάφοι εἰς ἑτέραν χρῆσιν οὐ μεταποιοῦνται, Basilic. περὶ μνημ. θ. nec pignori dari aliove genere alienationis teneri, *l.3.C. quæ res pig.* &c. nec in stipulationem deduci. Quare si quis sub hac conditione stipulatus sit, si rem sacram, aut Religiosam Titius vendiderit, ubi omnino conditio jure impleri non potest: nullius momenti est stipulatio: perinde ac si ea conditio, quæ natura impossibilis est, inserta esset. Nec ad rem pertinet quod mutari potest, & id quod nunc est impossibile, possibile fieri: non B enim secundum futuri temporis jus, sed secundum præsentis æstimari debet stipulatio, *l. continuus. §. cum quis. D. de verb. oblig.*

Sed cum sepulchrum Religiosum vendi non posset, aliquando tamen venditioni illud fundi cedebat. Nam si quis eum fundum vendidisset, in quo sepulchrum habebat, nominatim sibi sepulchrum non excepisset: parum sibi eo nomine illum cautum habere Labeo censet. Quem Paulus in eo solum notat, si modo in sepulchrum iter publicum transit, *l. si mercedem. §. si eum fundum. D. de act. emp.* Tum enim si venditori ad sepulchrum per viam publicam iter aditusve pateat, hoc casu sepulchrum C emtionem fundi non sequetur. Quod an omnimodo verum sit, postea expendemus.

Unum hoc loco quærendum est, si sepulchri venditio ipso jure ita prohibita est, ut qui res Religionis effectas sciens contigerit, & emere & distrahere non dubitarit, venditio non subsistat: sed emptor & venditor incidunt in læsæ Religionis crimen, *l.1.C. de sepulchr. violat.* quid in monumentis veteribus sepulchrorum venditio ita prohibetur, ut si quis contra fecerit gravi pœna multetur? Cur emptio loci Religiosi intelligitur, si ab ignorante ematur? Quid in fundi venditione loca sacra & Religiosa excipiuntur? Primum in Inscriptio- D nibus antiquis occurrit passim, ut *p.* DCXXXVIII. 4.

DIS. MANIBUS
M. ULPIUS. AUG. LIB. SYMPHOR. FLATURA
RIUS. AURI. ET. ARGENTI. MONETAR. SIBI
ET. ULPIÆ. HELPIDI. QUÆ. ET. CLAU
DIA. LIB. ET. UXORI. SUÆ. ULPIÆ. ARSI
NOE. FILIÆ. ET. CLAUDIO. ANTIOCIANO
LILIO. HELPIDIS. LIB. SUÆ. FECIT. ET. LI
BERTIS. LIBERTABUSQUE. UTRIUSQUE. SE
XUS. QUI. EX. FAMILIA. MEI. ERUNT. RE
LIQUIARUM. SUARUM. CONDENDARUM
CAUSA. ET. POSTERISQ. EORUM. QUI. IN. NO-
MINE. MEO. PERMANSERINT
EA. CONDITIONE. NE. FIDUCIENT. NE. VEN
DANT. NEVE. ALIO. QUO. GENERE. ID. SE
PULCHRUM. SIVE. MONUMENTUM. EST
ALIENARE. ULLI. POTESTAS. SIT
H. M. H. N. S

Lapis alius, *p.* DCCLXII. 3.

D. M.
M. AVRELIVS. ROMANVS. ET
ANTISTIA. CHRESIME. VXOR. EIVS
FECERVNT. SIBI. ET. LIBERTIS. LIBERTAB
POSTERISQ. SVIS. ITEM. LIBERTIS. LIBERTABVS
QVE. POSTERISQ. EORVM. MONVMENTVM. CVM
ÆDIFICIO. SVPERPOSITO. HOC. AVTEM. MONV
MENTVM. CVM. ÆDIFICIO. NEQVE. MVTABITVR
NEQVE. VAENIET. NEQVE. DONABITVR. NEQVE. PI
GNORI. OBLIGABITVR. SED. NEC. VLLO. MODO. AB
ALIENABITVR. NE. DE. NOMINE. EXEAT. FAMILIÆ
SVÆ

Hic habemus prohibitam fiduciariam mancipationem, venditionem, permutationem, donationem, pignoris obligationem. Locationem prohibet lapis Brundisii, *p.* DCCCI. 5.

M. LOLLIVS. ARPHOCRAS
V. F. S. ET. PÆLINÆ. VXORI
V. ET. LIB. LIBERTAB. POST. Q
EORVM. M. S. S. E. H. N. S
NEQVE. VLLI. LIQVEBIT. LOCATIO
NIS. CAVSA. IN. ANNIS. CENTVM. QVAN
DOQVE. TRANSVENDERE. QVOD. SIQVI
ADVERSVS. IT. FECERINT. EORVM
BONA. PERTINERE. DEBEBVNT
AD. REMPVBLICAM. BRVND
ISINORVM

Non est verisimile tam diligenter alienationes sepulchrorum vetitas a privatis, si jure ipso satis essent interdictæ. Nam cum juris ignorantia neminem excuset, *l. liberorum. §. fin. D. de his qui not. infam.* nec prosit acquirere volentibus, *l. 2. de jur. & fact. ignor.* cur loci sacri & Religiosi emptio intelligitur, si ab ignorante ematur? *l. & liberi. D. de contrab. empt.* Facilis horum omnium conciliatio est, si dicamus non incivile esse, quod jure publico constitutum est, privatis hominum legibus E comfirmari, cum præsertim noceant nunquam, quæ abundant. Ratio tamen certior in promptu est. Nam nulla pœna tenetur is, qui nesciens loca Religiosa pro profanis comparavit, quem ita facti ignorantia excusat, quæ neque in damnis neque in compendiis obesse solet, *l. error. D. de jur. & fact. ign.* ut hujusmodi emptio quidem valeat, licet non teneat. Quasi ex empto enim adversus venditorem experitur emptor, ut consequatur, quod interfuit ejus ne deciperetur, *l. qui officii. §. quæ nescius. de contrab. empt.* Quare ne justam ignorantiæ causam emptor allegare posset, monumentis plerisque inscribebatur prohibitio alienationis, ut sciens emptor, quod ignorare non poterat, pœnam cum F venditore effugere non posset: alioqui si ignoranti Religiosus locus pro puro venisset. Prætor in factum actionem in eum dabat ei, ad quem ea res pertineret. Quæ actio & in heredem competebat cum quasi ex empto contineret actionem, *l. ossa. §. si locus. D. de Relig.* hoc est, emptor prohibere poterat venditorem, qui dominus fuisset, illiusque heredem, ne mortuum inferrent, actione in factum, quæ ad verum dominum pertinebat: ut venditor

illiusque heres mortuum tollerent, si intulissent, quia actio in factum, quæ a Prætore introducta est, quasi ex empto actionem continet, ut quod illius interest emptor consequatur, si venditor sepulchri jure uti velit.

Hoc modo loci sacri aut Religiosi alienatio quædam est, fictione Juris, licet non teneat, ut bonæ fidei emptori succurratur, *d.l.& liberti de contrah. empt.* Loci sacri & Religiosi alienatio non est; publici alienatio est, sed commercium non est, *l.sed Celsus. D. eod.* Quod ideo notandum puto, quia video graves viros hac in distinctione plerumque errasse. Nam Sacrorum & Religiosorum alienatio non est, quia in divinis rebus computantur, neque ut publica usibus hominum subjiciuntur. At publicorum commercium non est, quæ profana usu promiscuo retinentur.

Quod autem diximus in fundi venditione loca sacra & Religiosa excipi solere, ita accipiendum est, ut hæc venditionis lex, si quid sacri vel Religiosi est, ejus nihil venit, supervacua non habeatur: sed ad modica loca pertineat, *l. hanc legem. & l.pacta conventa. D. de contrah.empt.* Cæterum, si omne Religiosum vel sacrum venierit, nullam esse emptionem Juris authores putant. Poterant etiam loca Religiosa quæ fundo vendito conjuncta essent in modum agri computari, si hoc ita a venditore caveretur, *l.litora D. eod.* & ædificia distrahi poterant, ex quorum reditu sportulæ essent relictæ, salva tamen causa legat, *l. nihil.D. de leg.*1. Fundus quoque, in quo Religiosus locus esset, dividi poterat, Religioso loco excepto, *l.fundus.D. famil.ercifcund.* Et quamvis vendi monumenta non possent, nec legari, recte tamen legabatur jus mortui inferendi.

CAP. VI.

DE POENA EORUM QUI SEPULCHRA VENDIDISSENT, AUT EMISSENT.

ADversus eas prohibitiones si quis secus fecisset, variis pœnis tenebatur, quæ legibus aut testatoris aut alia domini voluntate essent constitutæ. Nam sciens emptor & venditor in crimen læsæ Religionis incidebant, *l. 1. de sepulch. viol.* hoc est, pœna legis Juliæ de Sacrilegis coercebantur. Quæ quidem pœna pro qualitate personæ, rei conditione, temporis, ætatis & sexus, aut severius aut clementius statuebatur, *l.sacrilegii.D. ad leg. Jul Pecul.* Hac in re læsa Religio recte ab Imp. Gordiano dicta est. Lædi enim proprie res sacræ, Religiosæ, aut solemni Religionis vinculo obligatæ dicebantur, quæ temeratæ essent aut violatæ. Sic Augustus culpam inter viros & fœminas vulgatam, gravi nomine læsarum Religionum ac violatæ majestatis appellavit, Tacit.*l.*III. *Annal.* Læsam ergo Religionem dixerunt, ut læsam majestatem, quo modo alii eleganter perjurio lædere, M. Tull.in orat. *pro Cæcin.* fidem lædere, Cæsar.*l.*VI. *de bell. Gall.* pietatem lædere, M. Tull. *pro Rosc. Amer.* Sic Ulpian. *l.3.§fin. D. de Decurionib.* dixit: Qui Judaicam superstitionem sequuntur, Divi Severus & Antoninus iis honores adipisci permiserunt; sed & necessitates imposuerunt, qui superstitionem eorum non læderent. Pœnæ exemplum habemus egregium in sententia Alfeni, *l.*1. c.X. qui ob contemptum Religionis agro privavit emptoris heredes: venditorem vero forte mulctavit una cum anatocismo propter neglectam Religionem sepulchrorum.

Pœna testamento scripta, vel a domino fundi Religiosi constituta, multis Inscriptionibus explicatur, quam ærario Populi Rom. arcæ Pontificum aut Vestalium inferri jubent, *pagina* DCLXXVIII. II.

D. M
CORNELIÆ. CASTÆ. QVÆ
VIX. ANN. X. M. V. FEC
QVISQVE. EVM. MONIMENTVM
VENDERE. AVT. TERRA. EIVS. VOLET
INF. ÆRARIO. P. R. H-S. I. M. N
IN. FR. P. X. IN. AGR. P. X

Romæ, *p.* CCCLXIII. 4.

D M
C. CALPHVRNIVS. PHILOKYRIVS. V. C
ET. SEPTIMIA. AMMIAS. CONIVX
COMPARAVERVNT. SIBI. MEMORIAS. II
ET. C. CALPHVRNIO. AMMIANO. EQ. R
FILIO. SVO. ET. LIBERTIS. LIBERTABVS
QVE. POSTERISQVE. EORVM.
ARMARIVM. DISTEGVM. CVM. TABERNÆ. THORVLO. SI. QVIS. HOC
ARMARIVM. VENDERE. VOLVERIT. TVNC
INFERET. ARCÆ. PONTIFICVM. ES. L. M. N

Lapis alius, *p.* DCCCLXI. 13.

D. M
L. BOIONIVS. SENTILIS. VIVVS
FECIT. SIBI. ET. LIBERTIS. LIBERTABVSQVE
POSTERISQVE. EORVM. HOC
MONIMENTVM. SIVE. LOCVM. SI
QVIS. VENDERE. VEL. DONARE. VOLVERIT
INFERET. VIRGINIB. VESTALIB. H-S. XX
N. AVT. ÆRARIO. POPVLI. ROMANI. IN
FRONTE. PED. VII. IN. AGRO. PED. XVIII

Qua pœna emptor & venditor ex eadem voluntate nonnunquam multabantur, *p.* DCCLXXII. I.

D. M
AVR. MAXIMIANVS. AVR. OLYMPIADI.
FIL. DVLCISSIMÆ. QVÆ. VIX. ANN. XXII. DI. X
SI. QVIS. HOC. SEPVLCHRVM. VEL. MONVMENTVM
CVM. ÆDIFICIO. VNIVERSO. POST. OBITVM
MEVM. VENDERE. VEL. DONARE. VOLVERIT
VEL. CORPVS. ALIENVM. INVEHERE. VELLIT
DABIT. POENAE. NOMINE. ARK.
PONTIF. I-S. C. N.
ET. EI. CVI. DONATVM. VEL. VENDITVM. FVERIT
EADEM. POENA. TENEBITVR

Romæ, *p.* DCCCCXLVI. 6.

. . . . MES. EX. TRIBV
. . . . ORVM. HOC. MONI
. . AM. COMPARAVIT. VIRGINIO
. . . CIÆ. HELPIDI. LIBERTÆ
IDEM. CONIVGI. CARISSIMÆ. ET SIBI. ET
C. MARCIO. VICTORI. ET. LIBERTIS. LIBER
TABVSQVE. SVIS. POSTERISQVE. EORVND
NE. DE. NOMINE. MEO. EXIAT. QVOD. SI
QVIS. ID. MONIMENTVM. PARTEMVE. EIVS
VENDERE. QVIS. VOLET. VEL. DONATIO
NIS. CAVSA. CVI. MANCIPARE. VOLVERIT
ALIOVE. QVO. NOMINE. EIVS. MONIMENTI
PARTEM. ALIENARE. TEMPTAVERIT. DA
RE. DAMNAS. ESTO. ÆRARIO. POPVLI
ROMANI. S-I. XV. M. N. ET. COLLEGIO. PON
TIFICVM. S-I. XV. M. N. EMPTOR ET. VENDITOR
COMPARATVM. AVTEM. EST. DE. -S.S. VIIII. M. N.
H. M. D. M. A. H. M. EXT. H. N. S

Quomodo pœna hæc a venditore & emptore committeretur, lubet disquirere. Jure Civili si pœna adjecta non esset, non debebatur. Quidam suo testamento caverat, (*l. pater filium, §. Julius. D. de leg. 3.*) ne ullo modo reliquias ejus & prædium suburbanum aut domum majorum heres ejus pignoraret, aut ullo modo alienaret. Filia ejus heres scripta heredem reliquit filiam suam, neptem testatoris, quæ easdem res diu possedit, & decedens extraneos instituit heredes. Quæsitum est, an ea prædia extraneus heres haberet: an vero ad Juliam dominam, quæ habuit patruum majorem testatorem, pertinerent. Respondit Scævola, cum hoc nudum præceptum esset, nihil proponi contra voluntatem defuncti factum, quo minus ad heredes pertinerent. Nudum præceptum est, quod nullam causam, nullam pœnam continet, quæ non committitur, nisi scripta sit. De reliquiarum pigneratione specialis nobis est locus.

Prædiorum alienatio prohibita, nihil ad sepulchrorum religionem facit. Illa quidem non expressa causa nullius momenti est, *l. fil. fam. §. Divi 2. de leg.* 1. quæ in sepulchris semper pro expressa habetur & perspicua, cum Jure Civili extra alienationem sint. Mulctæ aut pœnæ dictio majorem habet dubitationem. Textus duo singulares in jure notavi, quibus mulcta a testatore dicta comprobatur, scil. *l. multa 6. l. in test. 27. de condit. & demonstr.* In utroque, mulcta indicitur, si monumentum ab herede vel legatario factum non esset. In cæteris ante Justiniani Constitutionem, pœnæ causa legari non poterat. Pœnæ autem causa legari dicebatur, quod coercendi heredis causa relinqueretur, ut faceret, aut non faceret, non ut legatum pertineret, (Ulp. *l. Reg. tit.* 24.) id est, ut legatum non competeret, quod genus loquendi Ulpiano familiare est, qui dixit, (*l. damni D. de damn. infect.*) damni infecti stipulatio pertinet, id est, competit. Lex improbabat legatum quod in arbitrio heredis poneretur, Theophil. *tit. de Leg.* ut si heres Testatoris obtemperasset voluntati, illud perimeretur. At in sepulchri alienatione prohibita, non voluntas heredis, sed factum, mulctatur, quod jus mulctæ dicendæ specialiter permissum est lege XII. Tab. *Uti quisque legassit rei suæ ita jus esto.* Quibus verbis tributa potestas latissima videtur, *l. 120. de verb. sign.* Nam quicquid testator secundum leges disponit, id ipsa lex disponere videtur. Hinc lege obvenire hereditatem non improprie dicimus, quæ ex testamento defertur, quia lege XII. testamentaria hereditas confirmatur, *l. 130. de verb. sign.* Cum ergo testatoris voluntas sit lex: & sanctio pars legis sit, quæ certam pœnam irrogat iis, qui legum præceptis non obtemperarint, *l. sanctio. D. de pœnis*, is qui contra testatoris voluntatem alienarit sepulchra, non dubium est, quin potuerit mulcta coerceri. Ab hac sanctione pœnæ, sancta dicta sunt, quæ Religiosa, *l. sacra. §. proprie. D. de rer. divis.* Sed quid si nullum esset testamentum factum, qua ratione pœna monumento inscripta committi potuit, atque ærario Populi Rom. inferri, cum stipulari alteri pœnam etiam Fisco nemo possit, *l. arbiter. §. intra. D. de recept. qui arbitr. recep.* Pœna quidem, de qua convenit inter contrahentes, Fisco jure non debetur, sed legitima illa, quæ legibus comprobatur, illi recte acquiritur, *l. 1. D. de Jur. Fisc.* non ex testamento solum, sed etiam ab intestato, favore Religionis, qui summa semper illa ratione nititur, quæ strictam aliam insuper habet. Verius tamen est, pœnas monumentis inscriptas conditiones nuncupari debere. Conditionem enim a pœna voluntas separat, *l. 2. D. de iis quæ pœn. nom.* Quare Tribonianus mulctam a testatore dictam ad titulum de conditionibus & demonstrationibus rejecit. Jus conditionis, quæ pœna dicitur in venditore, legatario vel herede perficitur; & ratio aperta est, quæ in emptore adfert dubitationem. Qui enim potest emptorem testator aut fundi dominus mulctare, cum nihil ille ab eo acceperit, nihilve cum eo gesserit? Hanc tamen in emptore pœnam statutam non omnino inutilem esse puto, sed comminationem continere severitatis non defuturæ (ut Ulpianus loquitur, *l. 1. D. de jur. Patron.*) a judice, qui hac de re cognoscet. Hic enim in mulctæ irrogatione in eum qui sciens & prudens locum Religiosum emerit, non facile ab hac voluntate recedet, qua spreta emptor huic se pœnæ videtur ultro subjecisse, quæ gravior videri non debet, ob crimen læsæ Religionis.

CAP. VII.

AN SEPULCHRORUM QUOD VENDI NON POTEST, DONARI AUT LOCARI POSSIT.

Pœnæ testamentis scriptæ, strictius semper accipiuntur: ut si venditio prohibita sit, pignoris datio, donatio, liberaque in aliis casibus dispositio relicta videatur, nisi si lex monumenti ita dicta sit, ne fiducient, ne vendant, neve alio genere sepulchrum alienare ulli potestas sit: vide supra c. V. Nam alienationis verbo generali, pignoris datio & donatio continentur, actusque omnes quibus dominium transfertur, *l. si ita quis. §. ea lege. D. de verb. oblig.* Cessante alienationis prohibitione, donatio recepta est, inter eas etiam personas, quarum donationes moribus non valent. Nam & maritus uxori, vel contra, donare potest sepulturæ causa, & si mortuum intulerit, Religiosum faciet locum, *l. si sponsus. §. concessa. D. de Donat. inter vir. & uxor.* Hoc ex eo venit, quod definiri solet eam demum donationem impediri solere quæ & donantem pauperiorem & accipientem facit locupletiorem. Porro hic non videtur fieri locupletior in ea re, quam Religioni dicavit. Nec movit quem-

quam; quod emeret uxor, nisi a marito accepisset: Nam etsi pauperior ea fieret nisi maritus dedisset, non tamen idcirco fit locupletior, quod non expendit. Hæc res & illud suadet, si uxori maritus sepulturæ causa donaverit, ita demum locum fieri intelligi mulieris, cum corpus humatur, cæterum antequam fiet Religiosus, donantis manet. Proinde si distraxerit mulier, manet locus donatoris. Secundum hæc si uxori suæ monumentum purum maritus magni pretii donaverit, valebit donatio. Sic tamen, ut cum fit Religiosus, valeat. Sed & si ipsa fuerit illo illata, licet morte ejus finitum est matrimonium, favorabiliter tamen dicetur locum Religiosum fieri. Quæ inter virum & uxorem favore Religionis concessa est monumenti puri donatio: illam inter exteras personas sepulchrorum etiam admittunt jura, ut ex veteri lapide probatur, *p.* DCCCCLVI. 4.

M. VALERIVS. DEVS
FECIT. VALERIÆ. CHRESTE
LIB. SVÆ. CARISSIMÆ. ET
M. VALERIO. TERTIO. LIB. SVO
ET. VALERIÆ. PRIMÆ. LIB. SVÆ
HOC. MONIMENTVM. L. TITVRIVS. SABINVS
SE. VIVO. DONAVIT. L. SALVIO. SYMPHORO
MANCVPAVITQVE. SESTERTIO. NVMMO. VNO

Formula contractus donationis Sepulchri, quæ reconditum vetustatis monumentum habet, hæc Romæ reperta est, *p.* CIϽLXXXII. 1.

MOMUMENTUM. QUOT. EST. VIA. TRIUMPHA
LE. INTER. MILIARIUM. SECUNDUM. ET. TER
TIUM. EUNTIBUS. AB. URBE. PARTE. LÆVA
IN. CLIVO. CINNÆ. ET. EST. IN. AGRO. AURE
LI. PRIMIANI. FICTORIS. PONTIFICUM. C. C
V. V. ET. APPELLATUR. TERENTIANORUM
IUXTA. MONUMENTUM CLAUDI. QUON
DAM. PROCULI. ET. SI. QUI. ALI. AT. FI
NE. S. SUNT. ET. QUA QUEMQUE. TAN
GIT. ET. POPULUM. STATI. AIRENEIUS. LIBE
RORUM. HABENS. M. LICINIO. TIMOTHEO. DO
NATIONIS. MANCIPATIONISQUE. CAUSA. H-S
N̄. L. MANCIPIO. DEDIT. LIBRIPENDE. CLAU
DIO. DATIVO. ANTESTESTATO. CORNELIO
VICTORE. IN. QUE. VACUA. CUAM. POSSESSIO
NEM. MONUMENTI. S. S. CESSIT. ET. ADIO. MO
NUMENTUM. ITUM. ADITUM. AMBITUM. AD
QUE. HAUSTUM. CORONARE. VESCI. MORTUUM
MORTUAS. MORTUOSVE. OSSA. INFERRE. UT
LICEAT. QUOT. MIHI. LICINNIO. TIMOTHEO
TU. STATI. AIRENE. I. L. H. MONUMENTUM. S
H-S N̄. L. MANCIPIO. DEDISTI. DE. EA. RE. DO
LUM. ABESSE. AFUTURUMQUE. ESSE. A. TE. HE
REDE. TUO. ET. AB. HIS. OMNIBUS. AD. QUOS
EA. RES. PERTINEBIT. HÆC. SIC. RECTE. DA
RI. FIERI. PRÆSTARIQUE. STIPULATUS. EST
LICINIUS. TIMOTHEUS. SPOPONDIT. STATIA
IRENE. I. L. H. ACTUM. PR. KAL. AUG. IMP. DD
N̄N̄. GALLO. AUG. II. ET. VOLUSIANO. AVG. COSS
ISDEM. COSS. EADEM. DIE. STATIA. IRENE. I. L.
H. DONATIONI. MONUMENTI. S.S SIC. UT. SU
PRA. SCRIPTUM. EST. CONSENSI. SUB. SCRIPSI
..... ET. ATSIGNAVI. ACTUM

In prima Inscriptione mancipatum monumentum Sestertio nummo uno: in altera, mancipationis causa H-S. N̄ L mancipio datum.

Hæc verba solemnia donationis vel alienationis, quæ fiebat per mancipationem. Mancipatio autem propria species alienationis erat rerum nec mancipi: & res nec mancipi fuerunt prædia in Italico solo tam rustica, qualis est fundus, quam urbana, qualis est domus, Ulpianus *libr. Regul. tit.* XIX. Horum mancipatio certis verbis fiebat, & quinque testibus præsentibus, quæ locum habebat inter cives Romanos & Latinos colonarios, Latinosque Junianos, eosque peregrinos, quibus commercium datum est. Sed mancipatio, imaginaria quandoque venditio est, qua donationes tamen inter parentes & liberos factæ valuerunt, ex Constitutione divi Pii, *l.* 4. & 5. *C. Theod. de donationib.* Interveniebat ergo in mancipationibus, quæ donationis causa fiebant, nummus unus dicis causa dabatur, *νόμῳ χάριν*, in cæteris contractibus, si quis conduxisset uno nummo, conductio nulla erat, quia & hoc donationis instar inducit, *l. si quis conduxerit. D. locat. l. si quis ante. §. fin. de acq. poss.* Et si quis pretium rei posuerit, ut H-S. N̄. L. quod in secunda Inscriptione habetur: si non exacturus sit donationis causa, vendere non videtur, *l. cum in venditione. D. de contrab. empt.* & si donationis causa minoris vendat, venditio valet, *l. quis donationis. D. eod.* Quare non temere scriptum est in veteri contractu, DONATIONIS, MANCIPATIONISQUE. CAUSA. ut constaret donationem esse, non venditionem. Nam mancipatio illa quæ fiebat sestertio uno nummo, erat imaginaria venditio, vel potius donatio, quia pretium non intercedebat, *l. Imaginaria. D. de reg. jur.* Ideoque mancipatio in donatione interveniebat, ut jure civili dominium transiret rei donatæ & fieret dominus pleno jure Quiritium. Sed sive donatio fuerit, sive venditio, ita intelligenda est, ut jus inferendi illa contineatur,

quod

quod a sepulchro diversum est, *l. 14. C. de legat.* Hoc enim cum ob religionem in nullius bonis esset, nullo modo potuit mancipari.

Sed an monumentum locari potuerit, videamus. Inscriptio, quæ prohibet, ne ulli liceat locationis causa in annos centum quandoque transvendere, (vide supra cap. v.) locationem permissam satis ostendit, earum quidem rerum, quæ monumenti Tutelæ cedebant, quas qui conduceret manceps monumenti dicebatur, *pag.* DCXIV. 10.

C. IULIUS. DIVI. AUG. L
HILARUS
MANCEPS. HUIUS. MONIMENTI
ANTEROS. MARMOR. VEDIAN
C. IULIUS. DIVI. AUG. L. ELAINUS

Nisi quis malit mancipem pro redemptore sartorum tectorum monumenti accipere, vel pro eo qui illius præcipuam curam gerebat, qualis est Tertulliano in *Apolog.* cap. XI. manceps divinitatis, & Plinio *lib.* x. cap. XLIII. manceps Sutrinæ. Quæ significatio omnis in hunc monumenti mancipem cadere potest.

CAP. VIII.

QUANDO SEPULCHRA DESINANT RELIGIOSA ESSE.

CUM loca ab hostibus capta sunt, desinunt omnia Religiosa esse; quia ut sepulchra hostium nobis religiosa non sunt, nec nostra eis, *l. sepulchra. D. de sepulchr. viol.* ideoque lapides inde sublatos in usum quemlibet convertere possumus. Quod si ab hac calamitate fuerint loca liberata, quasi quodam postliminio reversa pristino statui restituuntur, *l. cum loca. D. de Religios.* quo modo captivi uxor, tametsi maxime velit, & in domo ejus sit, non tamen in matrimonio est, & sanctitas nuptiarum solvitur, *l. in bello. §. medio. D. de captiv.* Postliminium jus est amissæ rei recipiendæ ab extraneo & in statum pristinum restituendæ, inter nos & liberos populos Regesque moribus & legibus constitutum, *l. postliminium. D. eod.* Nam a Piratis aut latronibus capta quæ sunt, libera remanent, *l. hostes. D. eod.* Nos alias de his attigimus pauca, nec illa forte vulgaria. Hujus autem moris ratio est, quod cum hostium alia atque alia sacra essent, a Romanis ritibus aliena, merito quæ jure belli sacra aut religiosa essent occupata, profana habebantur, cum religio omnis externo ritu violaretur.

Sed cum jure postliminii religiosa loca pristinum statum recepissent, non dubium est, quin expiarentur illa, & purgarentur. Gallis devictis, Camillus omnium primum, ut erat religionum diligentissimus cultor, quæ ad Deos immortales pertinebant, retulit, Livius *lib.* v. & SCto fecit, fana omnia quod ea hostes possedissent, restituerentur, terminarentur, expiarenturque. Qua de res nos amplius tractamus, *lib.* III. *de Vet. Jur. Pont.* cap XIII.

Est & alius modus quo sepulchrum religione solvebatur, translatione scilicet reliquiarum in commodiorem locum, *l. Divi. D. de Relig.* Religiosum tamen locum illum inutiliter quis stipularetur hoc casu, *Si profanus factus esset:* Nam cum quis rem profanam promisit, si sine facto ejus religiosa res esse cœperit, liberatur; nec revocatur in obligationem, si rursus lege aliqua profana res esse cœperit. Quia de his rebus negotium recte gerimus, quæ subjici usibus dominioque nostro statim possunt, *l. inter stipulantem. §. sacram. D. de verb. oblig.* ex præsenti enim vires accipere stipulatio solet.

CAP. IX.

DE JURE SEPULCHRORUM: ET QUÆ FAMILIARIA SINT, QUÆ HEREDITARIA.

SEpulchri jus a religione separatur, Cicero II. *de Legib.* & quæ Prætor decernit ad religionem non spectant, sed ad jus illud sepulchrorum. Quod quidem jus est facultas legibus aut moribus data vel permissa, quæ nec in bonis nostris est, nec extra bona, *l. 1. D. de usufruct. leg.* neque in re est, neque in corpore. Lapis Romæ, *pag.* DCCCXC. 9.

D. M
SYLVANVS. LIVE
TI. PIL. LIBER
POS
IUS. HABENS. HUI
MONUMENTO

Lapis alius, *pag.* DXVIII. 4.

FL. PROBINCIA. FECIT. SIBI
T. ÆLIUS. SENTINIANUS. FOR
COR. 7. COH. II. VIG. PETIT. A. PONTI
FICES. UT. SIBI. PERMITTERENT
REFICERE. N. MONUMENTUM
IURIS. SUI

Juris sui monumentum dicitur, in quo quis jus haberet, quomodo fons juris sui vocatur, in quo jus habet is, ex cujus agro profluit, *l. Præses. C. de Servitutib.* Authores limitum ubi de locis sacris & religiosis: *Habent & mœsilea juris sui, hortorum modos circumjacentes vel præscriptum agri finem*, Frontinus & Aggenus. Hæc quidem sepulchra a communibus & publicis distinguuntur, quæ juris sui dici non potuerunt, cum quæ sunt universitatis, non sint singulorum.

Jus autem illud a dominio differt, quod & competit ei, qui jure gentium aut civili proprietatem rei acquisivit, *l. in rem. D. de re vendic.* Sepulchra vero nostri dominii non sunt, *l. 1. D. si servit. vendic.* ideoque quasi nostra in rem actione peti non possunt.

Jus sepulchri ut plurimum aut hereditarium aut familiare juris authores fecerunt, quod sic in veteribus monumentis distingui solet, ut familiaria sepulchra has literas semper præ se ferrent H. M. H. N. S. id est, *hoc monumentum heredes non sequitur.* Contra hereditaria H. M. H. S. Familiaria sepulchra dicunt, quæ quis sibi familiæque suæ constituit, *l. familiaria cum seq. D. de Religios.* hereditaria, quæ quis sibi heredibusve suis, vel quæ paterfamilias jure hereditario acquisivit: Sed in utrisque dubio procul, heredibus quidem, cæterisque successoribus, qualescunque fuerint, licet sepeliri & mortuum inferre, etiamsi ex minima parte heredes ex testamento sint vel ab intestato, licet alii non consentiant. Libertis autem cujuscunque sexus vel gradus, etiam filiisfamil. & emancipatis, idem jus concessum est, sive extiterint heredes, sive sese abstinuerint. Exheredatis autem, nisi specialiter testator justo odio commotus eos vetuerit, humanitatis gratia

tantum sepeliri, non etiam alios, præter suam posteritatem, inferre licet. Liberti vero nec sepeliri, nec alios inferre poterant, nisi heredes extitissent patrono, quamvis quidem inscripserit, *monumentum sibi libertisque suis fecisse.* A

Familiæ significatio ad libertos refertur. Nam cum de patrono & liberto loquitur lex 195. *§. familiæ. D. de verb. sign. Ex ea familia*, inquit, *in eam familiam*: id est, ex ea familia, unde missus manu est, in eam familiam adscribatur, ut Alciatus interpretatur. Sed communi jure familiam dicimus, omnium agnatorum, qui sub unius potestate fuerunt ex eadem domo & gente proditi; in quam liberti summa humanitatis ratione adsciscì solebant. B Elegans Inscriptio in via Hostiensi, *pag.* DCCLV. 1.

DIS. MANIB
ANNIA. CYPRIS. MONV
MENTVM. FECIT. M. AIMILI
O. FELICI. CONIVGI. MEO. BE
NEMERENTI. CVM. QVO. VIXI
ANNIS L. SINE. VLLA. QVI
RELLA. SIBI. SVIS. LIBERTIS
LIBERTABVSQVE. NOSTRIS
POSTERISQVE. EORVM. HOC
MONVMENTVM NE DE. NOMINE C
EXSIAT

Liberti patronorum nomina assumebant, illorumque gentiles dicebantur, vide *lib.* 11. *de Vet. Jur. Pont.* cap. VII. Quod Scævola iisdem pene verbis docet. *Lucius Titius*, ait, *Testamento ita cavit: Prædolum meum dari volo libertis libertabusque meis, & quos hoc testamento manumisi, & Sejæ alumnæ meæ, ita ne de nomine familiæ meæ exeat*, &c. Post testatoris tamen obitum libertorum familia vocabatur, ut Papinianus docet *l. cum pater. §. libertis. D. de leg.* 2. De his amplissime Barnabas Brissonius Præses, *lib.* 11. *Select. Antiq.* cap. XIV. quibus D addo a sepulchris ex justa aliqua causa testatorem aliquando liberos aut libertos solitum prohibere, ut de Julia Augusti notabamus, quam, si quid accidisset, ut neptem etiam suam vetuit pater sepulchro suo inferri. De libertis Inscriptiones permultæ, ex quibus duas subjicio. Prima est, *pag.* CLXXXIV. 4.

M. ÆMILIVS. ARTEMA
FECIT
M. LICINIO. SVCCESSO. FRATRI
BENE MERENTI
ET. CÆCILIÆ. MODESTÆ. CONIV- E
GI
SVÆ. ET. SIBI. ET. SVIS. LIBERTIS
LIBERTABVSQ. POSTERISQ. EO-
RVM
EXCEPTO. HERMETE. LIB. QVEM
VETO. PROPTER. DELICTA. SVA
ADITVM. AMBITVM. NE. VLLVM
ACCESSVM. HABEAT. IN. HOC
N. MONVMENTO

Altera est, *pag.* DCCCLXII. 5.

C. CÆCILIVS. FELIX
E. C. CÆCILIVS. VRBICVS
LOCVM. ITA. VTI. EST. CONCAME-
RATVM
PARIETIBVS. ET. PILA. COMPRE- F
HENSIS
LONGVM. P. VI. LATVM. VIIS.
CONSECRA
VERVNT. SIBI. ET. P. CÆCILIO.
RVFINO. ET
C. CÆCILIO. MATERNO. ET. LI-
BERTIS. LI
BERTABVSQVE. POSTERISQVE. EO-
RVM. EX
CEPTA. SECVNDINA. LIBERTA. IM-
PIA. AD
VERSVS. CÆCILIVM. FELICEM.
PATRONVM
SVVM
H. M. H. N. S.

Aliquando tamen non omnes liberti jus sepulchri habuerunt, sed ii tantum, qui testamento essent honorati. Lapis Romæ, *pag.* DCCCXVII. 12.

DIS. MANIBVS
POMPONIVS. ATIMETVS. FECIT
SIBI. ET. SVIS. ET
HELVIÆ. HEREIDI. CONIVGI
BENEMERENTI. ET
LIBERTIS. LIBERTABVSQVE
MEQVM. QVOS. TESTAMENTO
HONORAVI
ET. POSTERISQVE. EORVM

Quod interpretor, quibus testamento jus sepulchri concessi, licet heredes scripti non essent, ex Papiniani mente, *l. vel quæ paterfam. §. libertor. D. de Relig.* Nam si heredes existerent, frustra jus sepulchri illud repeteretur, cum familiare sepulchrum, ut hereditarium libertos heredes sequatur. Vel ut Juretus meus notat, *ad Symmach. lib.* X. *ep.* LV. *quibus testamento aliquid reliqui.* Nam legatarii a Justiniano, honorarii vocantur, *Novell.* 1. Nonnunquam etiam libertorum nomina monumento sunt adscripta. Inscriptio Capuæ:

M. POMPEIVS. APOLLONIVS. SIBI. ET
PONTIÆ. HILARÆ. VXORI
M. POMPEIO. FELICI. LIB. Q. MA-
SVRIO. ATTICO
M. POMPEIO. CELERI. LIB. Q. MA-
SVRIO. FELICI
M. POMPEIO. AVCTO. LIB. PACTV-
MEIÆ. CAMPANÆ
INFERRI. HOC. NON. LICET. NISI.
QVORVM. NOMINA. SCRIPTA. SVNT
ET. QVIBVS. CAVERO
M. POMPEIO. ITHACO. POMPEIÆ.
VRBANÆ. ITHACI. LIBERT

Hoc autem de familiari sepulchro tenendum est, ut jus sepulchri tam hereditarii, quam familiaris, ad extraneos etiam heredes: familiaris autem ad familiam, etiamsi nullus ex ea heres sit, non etiam ad alium quemque, qui heres non est, pertinere potest, *l.* 13. *C. de Relig.* Prudenter Imperatores libertos ab agnatis separarunt, qui utrique ex familia testatoris æstimantur. Nam liberti nisi heredes sint, jus familiaris sepulchri non retinent. Agnati si nullus ex familia heres sit, illud suo jure consequuntur. At jus illud ad affines aut proximos cognatos, qui heredes instituti non essent, minime pertinebat, *l.* 8. *C. eod.* nisi hoc testamento cautum esset. Quod factum vetus Inscriptio testatur. Romæ, *pag.* DCCCXVI. 8.

SECVRITATI
COGNATIONIS. SVÆ
FORTVNATVS. AVG. LIB
VERNA. PATERNVS

AB. EPISTULIS
ACCENSUS. PATRON
DIVO. AUG. VESPASIANO
LICTOR. CURIAT
VIAT. HONOR. DEC. COS. ET. PR
ET. SIBI. ET
EPAPHRODITO. AUG. L
AB. EPISTULIS. FRATRI. SUO

CAP. X.

DE HEREDITARIIS SEPULCHRIS.

JUS monumenti heredes sequitur, *l. bis consequenter. §. sed etiam. D. famil. ercisc.* nam hereditaria sepulchra heredibus constituta sunt, vel jure hereditario acquisita. Non quod sepulchra acquiri possint, sed quod illorum jus ad heredes transmitteretur. In utroque hereditario & familiari sepulchro licet sepeliri, *l. vel quæ. D. de Religiof.* Sic legunt Pandectæ Florentini, & male vulgata lectio habet *sepelire*, ex qua minorum gentium doctores licere putaverunt heredibus in hereditario sepulchro se & alios quoslibet sepelire, cum heredes sepeliri quidem possint, non sepelire, quibus jus est quidem mortuum inferre, usquedum justæ sepulturæ mandetur. Hoc vero jus heredibus omnibus competit, etiamsi minima ex parte heredes sint, vel ex testamento, vel ab intestato, & solidum singulis debetur, *l. fundus. D. famil. ercisc.* Et liberi sive sui sint, sive emancipati, sive heredes, seu exheredati, vel se hereditate abstineant, jus tamen sepulchri retinent. Quin & si quis fuit heres, deinde hereditas ablata est quasi indigno, magis est, ut penes eum jus sepulchrorum remaneat, *l. si quis fuit. D. de Religiof.* Nec tamen ab omnibus indignis jus sepulchrorum retineri crediderim. Nam si heres privetur hereditate, quod aperte testatori maledixerit, & infaustas voces adversus eum jactaverit, vel mortem defuncti non vindicarit, hunc jura sepulchrorum non sequi, nemo dubitabit, *l. inimicitiæ. D. de his quæ ut indig.*

Interdum etiam suus heres includitur Fisco prælato, puta si perduellionis fuerit damnatus pater post mortem suam: tunc enim nec jus sepulchri filius habet, *l. 1. §. suos. D. de su. & legitim.* quia non possunt jus sepulchri sibi constituere ii, qui jura divina humanaque profane polluerunt. Horrenda prodigia flagitiis vitiisque omnibus inquinata, & ad publicam perniciem profligata! Ita moriantur, ut eorum scelesta cadavera terra non tangat: ita illorum posteritas vitam trahat, ut sanguinis impuri contagione fœdata, in morte nusquam conquiescat, sic furoris & insaniæ macula polluta putrescat, ut nullo sæculo elui possit.

In sepulchrorum jure hoc singulare fuit, ut restituta hereditate, illud apud heredem remaneret, *l. quia perinde. §. restituta. D. ad Trebell.* licet ille extraneus sit, & coactus adierit hereditatem. Quamvis enim alia omnia perdat, quæ jure illi competunt, nec Falcidiam exercere possit, nec substitutionis emolumentum percipere: jura tamen sepulchrorum firma illi atque inconcussa servantur, *l. si patroni. §. qui fideicommissariam. D. ad Trebell.* Quia cum semel heres fuerit, non desinit heres esse, licet ei, quæ relicta sunt, auferantur, *l. ex facto. §. Julianus. D. de vulg.*

Quid si impuberes liberi exheredati, contra tabulas patris bonorum possessionem adsequantur, ex Carboniano edicto, quod porrigitur etiam ad hereditatem ab intestato delatam? an dum impuberes status controversiam patiuntur, quæ in tempus rejicitur pubertatis, majorum sepulchro carebunt? Et Papinianus libro decimo tertio *Quæstionum* putat, (*l. cum fine. D. de Carbon. edict.*) jura sepulchrorum, ut jura libertorum, ad Carbonianum non pertinere. Carbonianum enim in iis consistit, quæ corporibus constant, non quæ sunt juris: at sepulchrum juris est, non corporis possessio. Quod quidem jus ad eum transit, cui bona addicta sunt: hic enim bonorum possessori adæquatur, *l. 4. §. is autem. D. de fideicommissar. libert.* Nam bonorum possessorem jus sepulchri sequitur ex Jaboleni sententia, *l. libertus. D. de bon. libertor.* Multi casus, inquit, intervenire possunt, quibus expediat patrono petere bonorum possessionem, quamvis æris alieni magnitudo, quam libertus reliquit, facultates patrimonii ejus excedat: veluti si prædia sint aliqua ex bonis liberti, quibus majorum patroni sepulchra sint, & magni æstimat patronus, bonorum possessionis jura pro parte ea ad se pertinere. Merito ergo a nobis dictum est, sepulchra, quæ per se vendi non possunt, accessionis instar ad bonorum emptores pertinere, subtili juris ratione, hæc enim & jure hereditario acquiri & successoribus, qualescunque fuerint, competere dicuntur.

Exheredatis familiaria sepulchra non tolluntur, quia exheredatio familiam non mutat, illis etiam posterisque eorum hereditaria manent, ut jamjam demonstravimus, nec vulgares notæ, quæ in sepulchris scribi solebant, H. M. H. N. S. ad liberos extenduntur, cum jus sepulchri exheredatis non denegetur, in quo liberi ab heredibus hac ratione differunt. Quare in plerisque monumentis est, *pag.* DXXIII. 5.

HOC. MONVMENTVM. EXT. HERED
NON. SEQVETVR. NEC. HERE-
DES. MONVMENTVM

Et additur, *nec heredes monumentum*, ut geminatio verborum majorem vim prohibitionis haberet, quam paulum immutata verba & a primo repetita, in extremum conversa interdum assequuntur.

Nonnunquam etiam jus sepulchri ad heredes pertinebat, pro portione, qua ii testamento scripti essent, *pag.* DCCCLXXI. 8.

D. M
FLAVI. ELEUTERI. SECUN
DIANI. ASIUS. SOTERICHUS
DE. SUA. IMPENDIA
ET. PARMENIONI. LUDO
AMICO. VETERI
HUIUS. SEPULCHRI. IUS
AD. HEREDES. PERTINET
PROUT. TESTAMENTO
QUISQUE. EORUM. SCRIPTUS
EST

Nulla prohibitio amplior invenitur ea, quæ in veteri hoc fragmento legitur, *pag.* DCCCX. 10.

IN. QVEM. INDVXI. SARCOPHAGVM
IN. QVEM. DVM. RECEPTVM. FVE
RIT. CORPVS. MEVM. NVLLI. VN
QVAM. LICEAT. ACCEDERE. NEQVE
VEXARE. OSSA. MEA. NON. FILIVS
NEQVE. NEPOTES. NEQ. DE
AFFINITATE. VLLVS. SI
QVIS. AVTEM. INFRINGERE
VEL. APERIRE. AVSVS. FVERIT. IS
TVM. INFERET. POENAE. NOMINE

REIP. FOLLES. MILLE. SANE. NE
VIA. PRISCA. SI. PERMANSERIT
VSQVE. IN. DIEM. FINITIONIS. SVÆ
RECIPIETVR. IBI. IVXTA. MARITVM
SVVM

Folles sunt sacculi, in quibus pecunia deponebatur, Veget. *lib.* II. c. XX. In eorum gratiam qui forenses saccos tractant, quique majorem marsupii curam habent, quam doctrinæ purioris, veteres hos folles excutere placet, & ex Plauto nostro hic aliquid enumerare. Elegans apud illum jocus est, qui fugit interpretes. Cum Epidicus servus fallacias in senem intenderet, ut esset adolescenti, amicæ quod daret, tantumque argenti pararet, quantum opus amatori. Sic ille in *Epidico*.

> EP. *Decem*, inquit, *minis plus attuli, quam tu Danistæ debes.*
> ST. *Quid ita?* EP. *quia ego tuum patrem faciam perenticidam.*
> ST. *Quid istuc verbi est?* EP. *Nihil moror vetera & vulgata verba,*
> *Peratim ductitate: at ego follutim ductitabo.*

Follis ditiorum est, qui pecuniis abundant, pera mendicorum, Martialis, *lib.* IV. *epigr.* LIII.

> *Cum baculo peraque senem, cui cana, putrisque,*
> *Stat coma, & in pectus sordida barba cadit.*

Qualem Minerva Ulyssem finxit, *Odyss.* P.

> Καὶ ἀμφ᾽ ὤμοισιν ἀεικέα βάλλετο πήρην.
> *Quem circa humeros vestibat amictum*
> *Pera inhonora.*

Peratim ductitate, id est, mendicum producite dum illum fortunis spoliavero. Follutim ductitabo, bene nummatum deludam, tantasque a follibus pecunias exhauriam, quantæ vel prodigo amanti satis esse possint. Ducere vel ductitare est decipere, in fraudem impellere, ut feras in retia, Donat. *in Andria.* Ludus Plauti in eo, quod *perenticidam* facit senem novitate vocabuli, unde adolescens quærit, quid istud verbi esset, cum servus nequam alluderet ad parricidarum supplicium, quibus judicatis statim folliculo lupino os obvolvebatur, Auth. *ad Herennium lib.* I. Quod Lambinus somniat de folle, qui manibus pulsari solet, nihil facit ad hunc ludum. Nos dum ex vetere sepulchro argentum hoc effodimus, non longe a nostro instituto aberramus.

CAP. XI.

SEPULCHRA NEC USUCAPI POSSE, NEC SERVITUTEM RECIPERE.

JUra vero sepulchrorum hæc præcipua numerantur, ne aut usucapiantur, aut serviant. Lex est XII. *Tabul.* FORI BUSTIVE ÆTERNA AUCTORITAS ESTO. Quam M. Tullius sic interpretatus est, *lib.* II. *de Legib.* forum, id est, vestibulum sepulchri, Bustumve usucapi, cum lex vetat, tuetur jus sepulchrorum. Auctoritas æterna jus immutabile designat, ut instrumenta autoritatis dicta sunt in Pandectis Florent. *l. fin. D. de pignor. act.* quibus probatio juris nostri demonstratur. Cum ergo æterna sit auctoritas sepulchrorum, longa possessio nullum jus ei tribuit, qui possedit, *l.* 4. *D. de mort. infer.* Lex tamen XII. forum bustumve comprehendit, quæ a jure sepulchri separantur. Nam forum bustumve res corporalis est, quæ usucapi non potest, ut res sacra, sancta, publica populi Rom. quæ speciali lege indigebant, cum usucapionem recipiant, maxime res corporales, *l. usucapionem. D. de usurp. & usucap.* Juris sepulchri non meminit lex XII. quod res sit incorporalis, quæ nec possessionem recipit, nec usucapionem, *l. servus.* §. I. *D. de acq. Rer. domin.* Nam usucapio est acquisitio dominii, per possessionem temporis: quæ quidem possessio sine possessione non consistit: quod est, sine rei corporalis apprehensione. Quamvis ex lege XII. quidam putant, rei incorporeæ usucapionem esse, & hoc jus lege Scribonia correctum, quæ eam usucapionem sustulit, qua servitus constituebatur, non etiam eam, quæ libertatem præstabat, sublata servitute, *l.* 4. §. *fin. D. de usurp. & usucap.* Quod postea a Justiniano immutatum est, *l. fin. C. de præscript. long. tempor.* At lex Scribonia, cum de servitute loquatur, ad jura alia incorporea non extenditur, quæ ex legibus XII. usucapioni obnoxia intelligi non possunt. Quod liberalis apud Senecam *lib.* VI. *de Benef.* cap. V. intelligendo, non satis intellexit. *Istæ*, inquit, *acutæ ineptiæ sunt JCtorum, qui hereditatem negant usucapi posse, sed ea quæ in hereditate sunt: tanquam quicquam aliud sit hereditas, quam ea quæ sunt in hereditate.* Hunc jure vir doctus ridet, ut scientiæ civilis imperitum, qui non viderit, quid jus a corpore, quid hereditas, quæ in quibusdam vice personæ fungitur, a re hereditaria differret, *l. si is qui. D. de usurp. & usucap.* Atque ut usucapi sepulchrum non potest, sic de jure illius est, ut servitutem non recipiat, cum religiosi loci interventus, etiam itineris servitutem impediat, *l. servitus.* §. *fin. D. de servitutib. l. si prius.* §. *sed loco D. de aq. & aqu. pluvi.* Sed nec secundum rivum, nec supra eum, si forte subter aqua ducatur locum religiosum dominus soli facere potest, ne servitus intereat, *l. refectionis. D. de commun. prædior.* At caveri, ut ad certam altitudinem monumentum ædificetur, non potest, quia id, quod humani juris esse desiit, servitutem non recipit. Sicut nec illa quædam servitus consistere potest, ut certus numerus hominum uno in loco humetur, *l.* 4. *D. Commun. de servitutib.* Quod ita procedit, si justum sepulchrum est: nam dum monumentum adhuc purum est, quod ad humationem spectat, is hominum numerus definiri potest, quem scripserit testator, quod veteribus monumentorum inscriptionibus comprobatur.

CAP. XII.

DE JURE ITINERIS AD SEPULCHRUM.

JUS itineris, aditus, ambitus ad sepulchrum, non ad illud quidem, sed ad personas referri debet. Iter enim ad sepulchrum, est jus sepulchri, *l.* 3. *D. quemad. servit. amit.* Quod Paulo JC. est iter sepulchro debitum, *l.* 4. *D. eod.* Nec tamen jus illud itineris pars est sepulchri: nullam enim servitus hæc religionem habet, quæ privati juris manet, ideoque remitti domino fundi servitutis, & acquiri potest, *l. servitus.* §. *servitutem. D. de servitutib.* Hanc servitutem usus religionis admisit, cum aliter non possit constitui, nisi inter dominos prædiorum. Quare sepulchrum licet in nullius sit bonis, viam tamen ad sepulchrum possumus vindicare, *l.* I. *D. si servit. vindic.* Quod si nulla via sit ad sepulchrum, iter quod non debetur, vicinus præstare cogitur, & si a vicino id prohibeatur, Imperator Antoninus cum patre rescripsit, iter ad sepulchrum peti precario & concedi solere, ut quoties debetur, impetretur ab eo, qui fun-

dum habet conjunctum. Nec tamen hoc Rescriptum, quod impetrandi dat facultatem, etiam civilem actionem inducit, sed extra ordinem vicinum interpellare permittit, quem Præses compellere debet, ut justo pretio iter præstet: ita tamen ut de opportunitate loci prospiciat, ne vicinus magnum patiatur detrimentum, *l. si quis sepulchr. D. de Religios.* Actio ab interpellatione in eo differt, quod illa est jus persequendi in judicio quod sibi debetur: interpellatio est extra judicium petitio quæ extra ordinem fit, id est, præter legitimum & ordinarium judiciorum morem. Tum enim subvenire Prætor vel Præses dicitur, ubi nulla actio prodita est, *l. 1. §. quæsitum. D. de separationib.* Hac ratione extraordinaria crimina appellantur, quorum certæ pœnæ constitutæ non sunt, perpetua quæstione, sed quorum animadversio judicis arbitrio relinquitur, *l. hodie. D. de pœn.* Extra ordinem ergo Præses ipse judicabat de itineris præstatione ad sepulchrum, non dato judice speciali: sed post acceptum judicium tunc dabat judicem, qui de loci opportunitate cognosceret. Et quod M. Tullius in *orat. pro Roscio Amerin.* querebatur de grandi patrimonio, ne iter quidem Roscio ad patrium sepulchrum relictum esse: docet jure veteri invitum neminem cogi potuisse, ut per suum fundum iter ad sepulchrum præstaret. Quod jus Imperatorum Rescriptis correctum, quæ sæpe cum receptis legibus pugnant. Tradunt Authores limitum, Siculus Flac. *Ad omnes agros semper iter liberum esse: nam aliquando deficientibus viis vicinalibus, per agros alienos iter præstatur, quæ etiam conveniunt precario, uti servitutem præstent his agris, ad quos necesse habent transmittere pervium.* Lego *per suum* ex veteri Cod. In cæteris vera lectio, quæ temere interpolari non debet. Sic precaria possessio juris dicitur, si quis præcario aliquem rogaverit, ut per fundum suum ire vel agere liceret, *l. 2. & 3 D. de precar.* sed penes utrumque & eum qui rogat, & qui rogatur, possessio remanet, *l. & habet. §. eum qui. D. eod.* quæ a servitute separatur. Cujacius *lib.* XXII. *Observ.* cap. XXXVII. putat servitutes precario concedi posse, quæ tamen proprie servitutes non sint, quia perpetua eorum causa non est. Nam qui habet precario servitutem, non constituit jus itineris ad sepulchrum, sed possessionem juris adipiscitur, ex hac solummodo causa, quod adhibuit preces & impetravit, ut per fundum alienum ire ad sepulchrum sibi liceret. Quare precaria possessio, servitus dici non potest, quia servitus neque ex tempore, neque ad tempus constitui potest, *l. 4. D. de servit.* Servitus jus est, precaria autem possessio in facto magis, quam in jure consistit, *l. denique. D. ex quibus caus. major.* nec jus incorporale possideri intelligitur, *l. 4. §. si viam. 2. D. de usurp. & usucap.* Ulpianus aperte, *l. si precario. D. commun. præd.* Si precario vicinus in tuo maceriam duxerit, interdicto *Quod precario habet*, agi non poterit. Nec maceria posita donatio servitutis perfecta intelligitur. Donatio hic pro remissione servitutis ponitur, quæ servitutem tollit. Quod idem de aditu dicendum est. Hoc enim jus est transeundi personæ cohærens, *l. Olympico. D. de ser. urb. præd. l. damna. D. de usufruct. leg.*

Jam ad eam quæstionem venio, de qua amplius quærendum reliqui, cap. V. quæ ex his, quæ hic allata sunt, facile solvi potest, quomodo scilicet venditioni fundi sepulchrum accedat, si nominatim non excipiatur. Nam cum religiosa loca non possideantur, etsi mortuus in alienum locum illatus sit, fundi proprietas amittatur, *l. qui universas. §. possessiones. D. de acquir. possess.* qui fieri potest, ut quod possideri non potest, etiamsi religio contem-

A natur, emptorem tamen sequi possit? Nos dicimus sepulchrum ipsum a jure sepulchri distinguendum esse, quod jus longa possessione usucapi non potest per se, sed cum fundo potest, ut servitus neque per se, neque longo tempore, capi potest, *l. si aliena. §. jure. D. de usurp. & usucap.* sed qui agrum possidet, servitutem, quæ illi debetur, intelligitur possidere, *l. si ædes. §. fin. D. de servit. urb. præd.* Sic qui fundum emit, jus sepulchri, quod exceptum non est, & quod per se vendi non potest, videtur acquisisse. Quod certe jus summum est, & a summa illa ratione, quæ pro religione facit, valde remotum. Sed quid si venditor

B in fundi venditione sepulchrum exceperit, ad quod per viam publicam iter aditusve nullus patet, quod nec cum sepulchro exceperit? Certi juris est, si venditor fundi exceperit locum sepulchri ad hoc, ut ipse posterique illo inferrentur: si via uti prohibeatur, agere posse. Videtur enim hoc exceptum inter ementem & vendentem, ut ei per fundum sepulturæ causa ire liceat, *l. si venditor. D. de Religios.* Legibus namque prædiorum vendendorum cavetur, ut ad sepulchra, quæ in fundis sunt, iter & jus, aditus, ambitus, funeris faciendi causa sit, *l. utimur. D. de sepul. viol.* Corrupta Pandectarum lectio, in qua *iter ejus* pro *iter &*

C *jus*. Leges prædiorum Accursius interpretatur pacta seu conditiones, quibus agri vendebantur. Sic quidem lex Commissoria dicitur pactum, quam Hotomanus inter leges populi Romani non bene aliquando recensuit, ut male Justus Lipsius libro posthumo *de Magistratibus populi Romani* existimavit, Censores dedisse leges per Provincias, quæ Censoriæ sunt appellatæ. Cum Censoriæ leges sint pacta & conditiones, quibus Censores tam Romæ quam in Provinciis vectigalia locabant, *l. 203. D. de verb. signif.* Unde pacta, quæ a Censoribus, vel etiam privatis, in contractibus ponun-

D tur, legis appellationem habuerunt, quod ea pacta verbis legum concepta essent. Accursium tamen non sequor: nam leges hujusmodi, quæ ad pacta referuntur, in contractibus dici solebant. Ut Commissoria lex nunquam contractui inesse dicebatur, nisi venditor ita cavisset. At sine cautione, qui fundum vendiderat, sepulchrumque sine itu & aditu exceperat, legibus prædiorum, nulla alia stipulatione adhibita, satis illi cavebatur, ut iter & jus, aditus, ambitus, funeris faciendi causa esset. Quæ quidem leges ex populi jussu promanarunt, quales fuere Manilii leges venalium vendendorum. Cicero *lib. 1. de Oratore*, Varro *lib.*

E II. *de Re Rust.* cap. V. Quod aperte Pomponii verba confirmant. Ille enim, *utimur eo jure*. Quod idem est, ac si dicatur, usus obtinuit, qui optimus est interpres legum. Usus enim leges imitatur, aut interpretatur. At pacta ex conventione legem accipiunt.

Ambitus monumenti sunt pedes in fronte & in agro, qui longitudinem & latitudinem designant. Aditus autem ab itinere non separatur, nec enim sine itinere esse potest, *l. 1. si item. D. si usufr. pet.*

De itinere, aditu, ambitu, quod ex sententia Præsidis adjudicatum est, cujus executio commis-

F sa judici, qui opportunitatem loci sequeretur, sententiæ veteris exemplum hoc habemus, *pagin.* DCXI. 13.

HUIC
MONUMENTO. ITER
ADITUS. AMBITUS. DEBETUR
EX. SENTENTIA. EROTIS. AUG. L
IUDICIS. A. VIA. CAMPANA
PUBLICA. DEXTRORSUS. INTER

MACERIEM. CALAMIANAM
ET. INSULAM. EUCARPIANAM
PER. LATITUDINEM. PEDES. DUO
SEMIS. USQUE. AD. HOC
MONUMENTUM. ET. HINC
PER. CIRCUITUM. TOTIVS
MONUMENTI. USQUE. IN. VIA
QUÆ. DUCIT. IN. AGRO. ITEM
IDEM. MONUMENTI. ITER
ADITUS. DEBETUR. HINC
SECUNDUM. MONUMENTUM
ATINIÆ. TICHES. ET
EUCARPIANAM. IN. QUA. OLEÆ.
SUNT. ET. INDE. RECTO. QUAQUE
USQUE. AD. VIAM. PUBLICAM.
CAMPANAM

Cum hac de re Edmundum Merillium consuluissem, respondit ille, non intelligendam videri Inscriptionem de judice, cui executio mandata esset a Præside: quia ut Magistratus in libris nostris judicis appellatione quandoque intelliguntur, non male, in hac Inscriptione Consularis seu juridicus Campaniæ accipietur, quod verba ipsa suadent, *a via Campana*. Erant enim in Italia Piceno & Campania Consulares, deinde juridici ab Imperatoribus constituti, qui Augustales seu Augusti judices vice Præsidis fungebantur. Quod verius puto.

De eodem a vicino permissu lapis vetus, *pagin.* DCCCXXVII. 5.

D. M. SERTORIA. PAULINA
FEC. M. DOMITIO. SUCCESSO
CONIUGI. B. M. AD. HOC
SEPULCHRUM. ITUM. AMBITUM. OMNI
TEMPORI. PERMISSUM
EST. AB. Q. SULPICIO
EPITYNCHANO

Quod jus itineris proximis concessum, sacrificii faciendi causa. Proximos intelligo superiores & inferiores vicinos, *l. non solum. D. de oper. nov nuntiat.* Alter lapis, *p.* DCCCCLXIV. 2.

CÆCILIÆ. D. D. CÆCILIOR
TROPHIMI. ET. LOGI. LIB. HELPIDI
D. CÆCILIUS. VINDEX. AVIÆ. PIENTISS
FECIT. ET. LIBERT. LIBERTABUSQUE. POSTE
RISQ. EIUS. ET. PRÆCEPIT. UT. AD. ID
SEPULCRUM. HORTUS. QUI. EST. CINCTUS
MACERIA. ET. DIETA. AIUNCTA. IANVÆ
CUSTODIÆ. CAUSA. SEPULCRO. CEDAT
ET. ITUM. ADITUM. AMBITUM. SACRIFI
CIQUE. FACIUNDI. CAUSA. PROXIMIS
EIUS. RECTE. LICEAT

Hic permissus jus adeundi denotat, non servitutem, quæ sine testamento pactionibus & stipulationibus constitui non potest. Sic permitti dicimus, quod jure, lege, vel a Principe aut Magistratu conceditur, vel a privato in suo, ut permittitur aquam vel ex castello, vel ex rivo, vel ex quo alio loco publico ducere, idque a Principe, *l. 1. §. permittitur. D. de aq. quotidia.* quod nemo servitutem dixerit, quo modo etiam lex municipalis permittit in civitate sepelire, *l. 3. §. dicimus. D. de sepulch. viol.* Hoc quidem jus interdum datur prædiis, interdum personis. Si prædiis datur, extincta persona non extinguitur: Si personis, cum illis amittitur. Et proprie jus assignatum dicitur, *d. l. 1. §. fin. D. de aqu. quotid.* Quod assignationis divisionisque authores non satis recte dixerunt, *Uti servitutem præstent his agris*. Uti, id est, quasi servitutem. Hæc enim dictio *uti* vel *quasi*, improprietatis & fictionis nota est: quasi servitus tamen hoc jus adeundi dici non potest. Quare addit Siculus Flaccus. *Et in his verbis comprehenditur ita, ut optimus maximusque est*. At si ut optimus maximusque traditus est fundus, liber ab omni servitute præstandus est, *l. quod ad servitutes. D. de evictionib. l. sermo. §. si fundus. D. de leg.* 1. vel quasi servitute: qui huic juri ex permissu domini quodammodo obligatur, sed servire non dicitur. Ex his Julianum emendo & interpretor, *l. Lucio. & l. cum constet. §. inter duos. D. de aqu. quot. Lucio Titio*, inquit, *ex fonte meo, ut aquam duceret concessi, quæsitum est, an & Mævio concedere possim*. Pandectæ Florentini legunt, *cessi & cedere*. Quam cessionem Julianus ipse servitutem vocat, insequenti lege. Quia cedendi verbum importat servitutem, & proprie cedi actus, aquæ ductus, iter, via dicuntur, *l. qui per certum. & l. fin. D. commun. prædior. Aquæ servitus cessa*, Paulo, *l. si prius. D. de aqu. & aqu. pluv.* male in vulgatis *concessa*. Qui error in multis legibus irrepsit, ubi *concedere* legitur pro *cedere*, cedi enim res incorporeæ & jura dicuntur, ut corpora tradi. Gloss. vet. *cedo*, παραχωρῶ, & ceditur servitus, non conceditur: concedere enim est permittere. Quare ubi scriptum est apud Pomponium, *l. quoties. D. de servitutib. Si mihi concedas jus tibi non esse fundo tuo uti frui*, lego, *Si mihi hoc cedas.* Sic Ulpianus loquitur, *l. 1. § si quis hoc cesserit. D. de aq. quotid. Si quis hoc cesserit, ne liceat sibi aquam quærere, ea cessio valet.* At concessio, ut permissus possessionem precariam inducit, non servitutem, illamque temporariam, ut in permissu principis, qui personæ cohæret, nec ad heredem transmittitur, sed cum ad eum dominium transit, impetrabilis est, ait Ulpianus, *l. 1. §. permittitur. D. eod.* Quod frontinus *l. 1. de aquæ duct.* dixit, *Jus impetratæ aquæ, neque heredem, neque emptorem, neque ullum novum dominum prædiorum sequi.* Nunc omnis aquæ cum possessore instauratur beneficium.

At servitus itineris ad sepulchrum privati juris est, ut docet Paulus, *l. servitutis. §. servitus. D. de servitutib.* quæ & remitti domino fundi servientis & acquiri etiam post Religionem sepulchri potest. Quis hoc negat? Sed si servitus itineris ad sepulchrum nulla sit, non debetur illa, si precario iter aut via præstatur. Qui totum studium, Præses Max. & doctissime, in verbis & literarum apicibus ponunt, his juris angustiis sese expedire vix possent. Sibi illi placeant, sibi vivant, & nos, ut plerosque omnes, aspernentur, qui in veris literis versamur; vicissim illos contemnimus & ridemus, & in veris scientiis mutam infantiam ad nostrum arbitrium libidinemque eludemus. Nec exiguum laboris nostri fructum consequemur, si malignorum, ut Frontinus loquitur, lucri fecerimus existimationem.

CAP. XIII.

DE INTERDICTIS, QUÆ PRO SEPULCHRORUM JURE COMPETUNT.

SEpulchrorum jus tuentur interdicta Prætoris, quæ sunt formulæ atque conceptiones verborum, quibus Prætor aut jubebat aliquid fieri, aut prohibebat. Quæ vetant, prohibitoria sunt: restitutoria, quibus restitui aliquid jubet, *Instit. de interdict.* Interdictis ergo & jubet & vetat Prætor. Edicimus, quod jubemus fieri: interdicimus, quod vetamus. Edicimus etiam uni generi hominum, interdicimus diversis, Donatus *in Hecyr.* Interdicta vero competunt vel hominum causa, vel divini juris, vel de religione; sicut est, *Ne quid in loco sacro fiat, vel quod factum est, restituatur: & de mortuo inferendo: vel sepulchro ædificando.* Hæc Paulus *l. 2. §. interdict. D. de interdict.* quæ Ulpianus brevius: *Interdicta*, inquit, *aut de divinis rebus, aut de humanis competunt*, *l.1. D.eod.* De divinis, ut ne locis sacris & religiosis. Religiosa enim quæ sunt, rerum divinarum nomine continentur, licet ea Paulus a divinis separarit, hæc enim ad sacra tantum videtur transtulisse.

De interdictis, & quæ differentia sit inter actionem, quæ interdictum non est, & ipsum interdictum, cujus utriusque effectus idem est, executio diversa, ea, quæ sunt scitu dignissima, Cujacius observavit, *lib.* V. *Observ.* cap. XVII Nos ea, quæ ad religionem faciunt, persequamur. Ex edicto de novi operis nuntiatione Prætor interdicta reddit, quibus nuntiationis effectus continetur. Nuntiatio fiebat aut juris nostri conservandi causa, aut damni depellendi, ut si quid in loco sacro religiosove fiat, *l. 1. §. nuntiatio. D. de oper. nov. nunt.* quibus ex causis interdicta pronuntiantur. Interdictum autem de novi operis nuntiatione, quod & edictum dici videtur, non sic accipi ex Donato debet, ut edicere sit jubere: Nam interdictum de novo opere est prohibitorium, sed quod cum Prætor edixisset, ut sive jure, sive injuria opus fieret, per nuntiationem inhibetur, ex illo edicto Prætor interdictum redderet, quo ageretur ad jus edicti conservandum.

Interdictum de novi operis nuntiatione adversus futura opera introductum est, ne illa fiant. Quod cessat, si quid operis factum sit, quod fieri non debuit: est etenim transeundum ad interdictum, *quod vi, aut clam, factum erit, ut restituatur:* & quod in loco sacro religiosove ut restituatur, quod illicite factum est. Sed quoniam iniquum erat, impediri in ædificando eum, qui satisdare paratus esset, de opere demoliendo, si quis juxta monumentum ædificasset, vel juxta ædificium suum monumentum fieri passus esset: de damno infecto ei postea cavendum non erat, quia rem illicitam admisisset. Alias autem si monumento ædificium noceret, in quo nihil esset, quod imputari posset ei, ad quem jus monumenti pertineret, cavendum erat ei, cui jus illud competeret, *l. qui bona. §. si quis juxta. D. de damn. infect.*

Quod vi aut clam interdicto agi permittebatur, si quis statuam monumento sustulisset, ei ad quem jus monumenti pertineret. Nam quæ ornandi causa sepulchro apposita sunt, sepulchri videbantur esse. Idem est & si ostium avellat vel effringat, *l. is qui. §. si quis de monumento. D. quod vi aut clam*: in quibusdam exemplaribus scriptum est, si ostio appellat, quæ lectio non undequaque rejicienda

A est: nam scribit Tacitus *lib.* III. *Annal.* inter irritamenta Pisonis illud unum fuisse, quod Dalmatico mare transmisso, Tiberi devectus vulgi iras concitavit, quod navem tumulo Cæsarum appulisset. Quod tamen magis ad sepulchri violati crimen rejicitur: sed in privato si quis ad monumenti ostium appulisset, quod in ripa Tiberis fuisset, ei interdicto locus esse potuit, quo & ex quo experiri licet, si in sepulchro alieno terra congesta sit jussu meo, ex Labeonis sententia: & si communi consilio plurium factum id sit, cum uno vel cum singulis agi potest. Opus enim quod a pluribus pro indiviso factum est, singulos in solidum obligare. Si tamen B hoc proprio quisque eorum consilio fecerit, cum omnibus esse agendum, scilicet in solidum. Itaque alter conventus alterum non liberabit, quinimo perceptio ab altero. Ut si cum uno actum fuerit, cæteri non liberentur, id est, ut si cum uno actum fuerit, cæteri amplius non teneantur, quia singuli in solidum manent obligati, quando proprio cujusque consilio hoc factum est, ut si plures trabem dejecerint & hominem oppresserint, æque Veteribus placet, omnes teneri, nec quod alius præstitit, alium relevat, quia sit pœna, *l. item mela. §. sed si serv. D. ad l.g. Aquil.* Multum C ergo interest, utrum proprio quisque hoc fecerit consilio, an communi consilio plurium factum sit. Nam hoc imprudentiæ, illud culpæ annumeratur. In priore casu pœna est, ob plurium delictum, quod gravius coercetur: In posteriore damnum est, ob plurium factum, quod unus executus est. Quare recte Labeo hoc in casu alterius conventionem alterum liberare scripsit, ut si cum uno actum sit, & condemnatio & præstatio secuta, cæteri amplius non obligentur, *l. 4. D. de his qui dejec. vel effud.* Sed si sepulchri violati actum sit, qua etiam agi potest, (*l. semper. §. in sepulchr. D. quod vi aut clam l. prætor. D. de sepulchr. viol.*) D cum actio concepta sit in bonum & æquum, idem dicendum putamus. Item si quis projectum vel stillicidium in sepulchrum miserit, etiamsi monumentum ipsum non tangeret, recte cum eo agi, quod in sepulchro vi aut clam factum sit, quia sepulchri sit non solum is locus, qui recipit humationem, sed omne etiam supra id cœlum, eoque nomine sepulchri violati agi potest, *l. si vitem. §. si quis projectum. D. quod vi aut clam.* Sepulchri enim appellatione omnis sepulturæ locus contineri existimatur, *l. prætor. §. sepulchri. D. de sepulch. viol.*

His tamen obstare videtur, quod Ulpianus scri- E bit, *l. si duo. §. item videamus. D. ut possid. Nam si projectum quis supra vicini solum non jure habere dicatur: apud Cassium relatum est, utrique interdictum uti possidetis inutile esse, quia alter solum possidet, alter cum ædibus superficiem.* Contendit Cujacius *l.* V. *Observ.* c. XXII. Quod verum est, nam & ea est Labeonis sententia, quæ subjicitur, qui non ejusdem sectæ fuit, qua Cassius: Idem quoque scripsit, id est, cum Cassio consensit, ut utrique interdictum utile putaret.

Illa vero interdicta, quæ de locis sacris & religiosis proponuntur, veluti proprietatis causam continent, *l. 2. §. quidam. D. de interdict.* in aliis F interdictis non perpetua possessio, sed temporaria, addicitur, donec de proprietate judicatum sit, *l. 1. § fin. D. de aq. quot.* At in interdictis de loco religioso non tantum quæritur, an quis sit in possessione, sed an sit quasi dominus sepulchri, vel an jus habeat in sepulchro. Nam sepulchri dominus nemo est, si quid tamen in eo fiat, & actione & interdicto expediri potest, quia jus illud habet, *l. denique. §. quæsitum. D. quod vi aut clam.* At si quis sepulchrum ædifica-

verit, ex quo aqua noceat, & si operis dominus esse desierit, loco facto religioso, magis probandum Labeo putat, aquæ pluviæ arcendæ eum teneri, quia fuit dominus cum opus faceret, licet dominium amiserit loco facto religioso, sed remanet quasi dominus sepulchri, ut juris quod habet quasi possessor, *l. sunt personæ. D. de Relig.* Et licet interdicta annua sint, si tamen is locus, in quo opus factum facile adiri non poterat, ut puta, si quid in sepulchro vi aut clam factum est, etiam post annum causa cognita competit interdictum de eo quod factum est, *l. semper. §. sed & si is. D. quod vi aut clam.*

Interdictum etiam, ne quid in loco sacro fiat, porrigitur ad religiosum, *l. 1. §. hoc edictum. D. de op. nov. nunt.* Locorum autem sacrorum & religiosorum a publicis diversa causa est. Nam si quis nemine prohibente in publico ædificaverit, non cogitur tollere, quia prohibitorium est interdictum, non restitutorium. Et loca publica utique privatorum usibus deserviunt. At in loco sacro, religiosove, non solum facere vetamur, sed factum restituere jubemur propter loci religionem, *l. 2. §. locorum. D. ne quid in loc. pub. vel itin.* cujus favore restitutorium interdictum datur. Nemini tamen licet via publica monumentum extruere, *l. 2. D. ne quid in loc. publ. vel itin.* quod & ad viam vicinalem traho, & privatam, quam agrariam quidam dicunt, in quibus facere, immittere quid quo ea via idve iter deterius fit, fiatve, Prætor vetat, *d. l. 2. §. prætor. eod.*

CAP. XIV.

DE MORTUO INFERENDO.

INterdictum de mortuo inferendo prohibitorium est: prohibet enim Prætor, ne quis ei vim faciat, qui mortuum in locum suum inferre velit: cum autem, qui jus inferendi habet, non prohibet. Interdicti formula hæc ab Ulpiano traditur. *Quo quave illi mortuum inferre invito te, ei jus est, quominus illi eo cave mortuum inferre, & ibi sepelire liceat, vim fieri voto, l. 1. D. de mort. infer.* Duo continet hoc interdictum: primum est, de mortuo inferendo in locum suum: alterum, de eo loco religioso faciendo per hominis sepulturam. Unum tamen ab altero plerumque separatur. Nam qui nudam habet proprietatem, agere potest hoc interdicto de mortuo inferendo, ne fructuarius eum prohibeat, aliquem inferre: non tamen sepelire potest: illatio enim non omnis sepulturæ causa fit, *l. sunt personæ. D. de Relig. l. 1. D. de usufruct.* Quod in domino proprietatis, hoc & in socio obtinuit, ut suorum aliquem scilicet inferre possit, donec opportunum locum nactus sit ad sepulturam. Nec solum experitur, quæ in suo prohibitus est, sed si in fundum via de eatur, & cum in fundum inferre quis velit, via prohibeatur, interdicto locus est, quia inferre prohibetur, qui via uti prohibetur, idque probandum est, si & alia servitus debeatur. Quid si precario via concessa sit, ex Antoninorum Rescripto, & postea prohibeatur, an ad hoc interdictum recurrendum est? Si omni tempore via permissa est, quod factum ex veteri inscriptione notavimus, dubium non est, quin Interdicto locus sit. Quoties vero aliter debetur, impetratur ab eo, qui fundum conjunctum habet non actione civili, sed extra ordinem interpellatione. Quod autem de proprietatis domino diximus, hoc ita accipiendum est, ut non solum inferre in suum, sed & religiosum locum facere possit, invito fructuario, si forte ipsum, qui usumfructum legavit, intulerit, cum in alium locum inferri tam opportune non posset, *l. 2. §. si usufruct. D. de Relig.* Hoc interdictum domino dat actionem, non etiam bonæ fidei possessori. Ex quo liberum est ei, qui prohibetur mortuum ossave mortui inferre, aut statim hoc interdicto uti, aut alio inferre, deinde in factum actione experiri, per quam consequetur actor, quanti ejus interfuit, prohibitum non esse, *l. liberum. D. de Relig.* Quæ actio aut interdictum competit, etiamsi non ipse prohibitus sit, sed procurator ejus, quia intellectu aliquo & prohibitus ipse videatur, *l. ossa. §. fin. D. eod.*

CAP. XV.

DE SEPULCHRO ÆDIFICANDO, REFICIENDO ET PERFICIENDO.

ALiud interdictum est prohibitorium de sepulchro ædificando, reficiendo, & perficiendo. Prætor ait: *Quo illi jus est, invito te mortuum inferre; quominus illi in eo loco sepulchrum sine dolo malo ædificare liceat, vim fieri voto, l. 1. §. prætor ait. D. de mort. infer.* Hoc interdictum propterea propositum est, ait Ulpianus, quod religionis interest monumenta, extrui, exornari, vel quia, ut ait M. Tullius *lib. II. de Legib.* mortuis religiosissima jura tribuerunt, quæ monumentis pleraque continentur. Prohibere videtur, qui constructionem monumenti, qui materiam impedit eo convehi, quæ ædificationi necessaria est, vel qui operi necessarios venire prohibet, vel ne machina alligetur eo loci, qui servitutem debet. Nam qui non patitur apportari ea, sine quibus monumentum extrui non potest, aut qui artifices moratur, ei operi adlectos, vim facere videtur, quo minus sepulchrum ædificetur, *l. vertices. D. de itin. act. quæ priv.* Quid si machinas ponere, omnibus notum est: quid illas alligare, Vitruvius docet, *l. X.* cap. III. *Antari funes*, inquit, *ante laxi collocentur, retinacula supra scapulas machinæ longe disponantur: & si non erit, ubi religentur, pali resupinati defodiantur, & circum fistucatione solidentur, quo funes alligentur.* Antarios funes non bene in Vitruvii lectione collocatos putat Philander, qui *dictario* scribendum ducit. Sed funes antarii laxandi non sunt: sic dicti, ut Antes lapides eminentiores illi, quibus fabrica sustinetur, Servius II. *Georgic.* ἀπὸ τοῦ ἀντιστήκειν. Ut lapides ostii latus munientes, Antæ dicuntur, in vetere *Glossar.* παραστάδες. Hujus verbi origo a mera Græcia profluxit, & Antarii funes dicti a verbo ἀνταίρω, id est, *tollo*. Antarii funes summa in trochlea religantur, ducendi & reducendi ponderis gratia, ut facile in sua sede lapides collocentur. Hique Antarii funes præcipui fistucatione solidantur. Fistuca est ligneum instrumentum ferratum, quo pali sublicæque in terram panguntur. Quod instrumenti genus machinam Ulpianus appellat, qua Antarii funes alligebantur. Quomodo autem illa machina alligaretur eo loci, qui servitutem debet, ex hac figura facile intelligetur.

Si



Si ergo in solo, qui servitutem non debet, velit quis machinam imponere, vel funes palis alligare, qui fistucatione firmentur, fundi dominus, si impediat, hoc interdicto non tenetur, sed illud precario peti poterit & concedi, sicut via & iter ad sepulchrum, *l. si quis sepulchrum. D. de Relig.* Justo tamen pretio constituto, quo domino fundi damnum sarciretur. Idem juris est in sepulchro reficiendo, quod licebat corporibus non contactis; nam qui prohibebat, interdicto tenebatur, ut in monumento quoque perficiendo, si imperfectum esset, *l. fin. de mort. infer.* Is etiam adversus eum, qui id agebat, ut sepulchrum laberetur, hoc interdicto experiebatur, *l. 1. §. fin. D. eod.*

Quæ levia putantur & intellectu facilia, magnam sæpe habent difficultatem. Unus hic locus argumento est, in quo machinæ alligatio tempus aliquod desideravit, ut recte funes collocarentur & firmarentur. Sæpe ego patrem meum dicere memini, idem iis observandum qui tractant libros, ac qui sentes in agris rescindunt: caute utrisque & lente ambulandum, quia, ut Plautus noster in *Casin.* loquitur,

> *Quod tetigere illico rapiunt: si eas ereptum illico scindunt.*

Nec facile obvias illas quivis potest perspicere aut purgare.

CAP. XVI.

DE ACTIONIBUS, QUÆ PRO SEPULCHRORUM JURE, AUT PRO FUNERE SUNT INTRODUCTÆ.

INterdictum de mortuo inferendo ei statim competit, qui mortuum inferre vult in locum suum, ne prohibeatur, quo interdicto impedimentum removetur. Actione in factum experitur, cum impedimento omisso, qui prohibitus est, & ad id, quod interest, agit, quod alio inferre coactus est, in quam computationem cadit loci pretium: aut si conduxerit, conducti merces. Loci sui pretium intellige, quem quis, nisi coactus, religiosum facturus non esset. Unde miratur Cajus, quare constare videatur, neque heredi, neque in hæredem dandam hanc actionem.

A Nam, ut apparet, pecuniariæ quantitatis ratio in eam deducitur. Cujacius lib. VIII. *Observ.* cap. XII. legis hujus exemplum ponit, ut doceat, non omnium, quæ a majoribus introducta sunt, rationem reddi posse. Quid enim heredi ejus, qui prohibitus est mortuum inferre, ad id, quod interest, actio in factum denegatur, cum illa neque pœnæ, neque vindictæ persecutionem habere videatur? Et hoc etiam se mirari Cajus ait, *Constare inter omnes*, id est, neminem ab hac opinione dissentire. Putarem tamen hac in factum actione, non id contineri, quod in veritate est, sed quanti locus ab actore æstimatus esset, ut appareat etiam,
B si calumniator quis sit, tamen hanc pœnam eum persequi, *l. si per alium. §. in eum. D. ne quis eum qui in jus voc.* Nisi enim hæc actio vindictam quandam contineret, heredi non posset denegari. Quod eo liberius assero, quia si homo mortuus, ossave hominis mortui in locum purum alterius, aut sepulchrum, in quo jus non fuit, illata esse dicantur, qui hoc fecerit, in factum actione tenetur, & pœnæ pecuniariæ subjicitur. De ea autem illatione Prætor sentit, quæ sepulturæ causa fiebat, *l. 2. §. prætor ait. D. de Relig.*

Jus etiam sepulchri actione in factum Prætoria
C persequimur, quæ rei vindicationis loco succedit, *l. in rem. §. loca. D. de re vind.* Sed viam ad sepulchrum, quæ privati juris est, possumus vindicare, *l. 1. D. de servit. vind.* Nos vero ab actione in factum non recedamus, qua is tenetur, qui in fundum alienum mortuum intulit, vel curaverit inferre, *l. 2. §. qui mortuum. D. de Relig.* vel ut tollat, quod intulit, vel loci pretium præstet. Atque hæc actio in factum perpetua est, *l. is qui. D. eod* ut qui intulit mortuum in locum alienum in factum actione teneatur, quæ tam heredi quam in heredem competit, quia perpetua est & rei persecutionem continet, non
D pœnam. Ὁ δ' εἰσάγων νεκρὸν εἰς ἀλλότριον τόπον, ἢ ἀναγκάζεται αὐτὸν ἐπᾶραι, ἢ τὴν τιμὴν τοῦ τόπου δίδωσι δ' ἀγωγῆς, ἣ τοῖς κληρονόμοις καὶ κατὰ κληρονόμων ἁρμόζει καὶ διηνεκής ἐστι, lib. LIX. *Basil.* tit. LIX.

Adversus eum, qui in alterius arcam lapideam, in qua adhuc mortuus non erat conditus, mortuum intulerit, utilis actio in factum dabatur: quia non proprie vel in sepulchrum, vel in locum alterius intulisse dici potest. Quod si ossa ab alio illata, vel corpus in alterius Ossuaria sepelivit, in qua mortuus ne dum conditus fuerat: domino loci non licebat ea effodere vel eruere, sine Pontificum decreto, seu jussu principis, qui Pontifex
E Max. erat: alioqui injuriarum erat actio adversus eum, qui ejecisset, *l. ossa. D. de Relig.* Terruit me aliquando P. Clodii audacia singularis, qui ausus est Furfanio dicere, si sibi pecuniam quantam poposcerat non dedisset, mortuum se in domum ejus illaturum, Cicero *pro Milon.* non quo religiosam domum faceret, nec enim in urbe id fieri potuit, sed ut viro optimo negotium faceret, scrupulum injiceret, invidiamque in eum concitaret, cum nondum actio hæc in factum prætoria forte introducta esset.

Datur etiam actio, si ex sepulchri ædificatione damnum aliquod vicinus patiatur, ut in
F aquæ pluviæ arcendæ actione observatur, *l. quanquam. D. de aqu. & aq. pluvi.* In qua si jussu judicis qui sepulchrum ædificavit, compulsus sit opus restituere, nulla est sepulchri violati actio. Sed quænam hac in re judicis partes esse possunt, qui hic pro Prætore aut Præside accipitur? Nam cum Religiosus locus factus sit, ut Pontificum fuit explorare, quatenus salva religione imperfectum opus perficeretur, eadem ratio servanda videtur in illius destructione vel

commutatione. Sed cum aquæ pluviæ actio ex legibus XII. fluat, & ad judices derivetur, non ad Pontifices, nec ædificationem sepulchri respicit, nec destructionem, sed operis restitutionem, in qua Prætoris officium pernecessarium fuit, ne etiam vel ipsa sepulchra deformarentur.

CAP. XVII.

DE FUNERARIA ACTIONE.

DUo edicta Prætor proposuit quæ sub titulo de religiosis explicantur. Nam quot partes edicti unius sunt, tot edicta computantur, *l. 1. §. deinde. D. de postul.* Primum edictum est: *Si homo mortuus, ossave hominis mortui in locum purum alterius, aut in id Sepulchrum, in quo jus non fuerit, illata esse dicentur, aut qui eum, cui jus est inferendi, prohibuerit, in omnes qui hoc fecerint, in factum actionem dabo.* Alterum est. *Qui funeris causa sumptus factus erit, ejus recuperandi nomine, in eum, ad quem ea res pertinet, judicium dabo.* Ex primo edicto actionem dat: ex secundo, judicium. Actionem dare duobus modis Prætor solebat. Primum cum agendi potestatem faceret, formulamque daret & judicem. Quæ legis actiones dicebantur, & formam agendi continebant, *l. 2. §. eodem. D. de orig. jur.* Secundo, cum ex edicto actionem induceret, quæ ante prodita non esset, quamque Prætor pollicetur. Non idem est ergo actionem dare & agendi potestatem facere. Ut nec idem semper est actionem dare, & judicium dare. Nam judicium dat Prætor in arbitrariis actionibus, vel iis quibus damnum datum factumve imprudentia, dolove, præstabatur. Tum enim judicium dabat, id est, judicandi potestatem judicibus datis faciebat ad certam usque quantitatem, quam excedere ipsi non possent. Quod ex edicti verbis probatur, in eos, qui dejecerunt vel effuderunt. Nam triplex in eo judicium notatur. Unum, in duplum: alterum quinquaginta aureorum: tertium quanti ob eam rem æquum judici videbitur, tanti judicium Prætor pollicetur, *l. 1. D. de his qui dejec. vel effud.* id est, eam quantitatem statuit, quæ ex eo, quod intererat, a judice postea æstimabatur, *l. 3. §. qui de sepulchri. D. de sepulc. viol.* Quod si intra certam quantitatem judicium datum non esset, ut in arbitrariis actionibus, tum judicis arbitrio relinquebatur, quid de ea re æstimaret.

Funeraria actio, non pura, certa, stricta actio est, sed arbitraria, cujus quantitas & augeri & minui arbitrio judicis potest. Hæc enim ex arbitrio judicis pendet, ut funeris impensam prius æstimet, deinde condemnatio sequatur. Sic judicium dat Prætor in nautas, caupones, stabularios, nisi restituant, *l. 1. D. naut. caup. stab.* & in actione quod metus causa, si quis non restituat, judicium dat in quadruplum, *l. si cum exceptione. §. si quis. D. de eo quod met. caus.* Licet actio, quæ adversus nautas, & actio quod metus causa, arbitrariæ non sint, ut Accursius putat: sed pœna a Prætore constituta adversus eos, qui non restituant, in arbitrio sit judicis dati. Nam doli clausula adjicitur sæpe civili vel honorariæ actioni, *l. si semel. D. de pecul.* & cum dolo faciat, qui non restituit, quod restituturus est, judicium de dolo datur, quod arbitrarium est, & contra non restituentem juratur in litem, *l. arbitrio. D de dolo.*

Quare mirari non debuit Pomponius judicium a Prætore dari adversus nautas & caupones, & actionem ab eo inductam honorariam cum esset civilis, *l. 3. §. ex hoc edicto. D. naut. caup.* Nam ex arbitrio pœnalem actionem constituit, eo solum casu, quo illi non restituissent. Nec ex officio solum vel in arbitrariis actionibus judicium dat Prætor: sed in extraordinariis, sive publicis, sive privatis, ut in sepulchri violati, *l. 3. D. de sepulch. viol.* & in negotiorum gestorum actione: nam hæc quoque civilis est & extraordinaria, quæ datur ei, cujus interest hoc judicio experiri: in qua non refert directa quis, an utili actione agat, quia in extraordinariis judiciis, ubi conceptio verborum non servabatur, hæc subtilitas erat supervacua, *l. actio. D. de neg. gest.* Quare si quis negotia alterius gesserit, judicium eo nomine datum se Prætor pollicetur.

Aliquando in edictis nec actionem dat Prætor, nec judicium, sed animadvertit: ut in edicto de minoribus, *l. 1. D. de minorib.* quod sic intelligendum est, ut plenior sit Prætoris animadversio, id est, quodcunque eum moverit vel in persona ejus, qui agit injuriarum actione, vel etiam in re ipsa, in qualitate audiat eum, qui agit, *l. item apud Labeon m. §. quod ait Prætor. D. de injur.* Animadvertit ergo Prætor, cum ipse cognoscit, ut in restitutionibus in integrum, quæ causa cognita dantur, & similibus, *l. omnes. D. de in integr. restit.* Cognoscit autem non jure ordinario, sed extra ordinem. Sic etiam cognitio Principis ordinario juri opponitur: quod aperte Suetonius docet in *Claud.* cap. XV. cum inconsultum & præcipitem Claudium Imperatorem in cognoscendo notat, qui interpellatus ab adversariis de propria lite, negantem cognitionis rem, sed ordinarii juris esse, agere causam confestim apud se coegit. Adrianus Turnebus recte, lib. 11. *Advers.* cap. IX. ordinarii juris advertit ea esse, quæ per judices a Prætore datos jure ordinario deciduntur. Cognitionis vero, quæ extra juris ordinem ad Prætorem ipsum deferuntur, qualia fere sunt ea, quæ ad Remp. spectant, vel ad exemplum trahuntur, de quibus titulus est in Pandectis *de extraordinariis cognitionibus*. Hæc prætermisissem, ni aliquando, cum illorum rationem a viris doctis peterem, hæsitassent ipsi, & nihil ad usum forensem pertinere respondissent, cum aliter sese non possent explicare.

Mirum quo evadat tandem multorum inertia, qui JCti spreto nomine, quod sine labore maximo assequi nemo potest, toti se usui manciparunt, beatique sibi videntur, si pragmaticorum fama ingloria insigniti, procuratoribus imperitis fumos vendant, juris ipsius, de quo quæruntur, ignari. Horum tamen, ut Fabii verbis utar, nonnulli *ad arculas sedent, & tela agentibus subministrant*, quorum ingenium & industriam non improbo, dum alios, qui in jure civili desudant, modo non aspernentur & rideant. Nec enim usus fori minus est ad lites dirimendas necessarius, quam juris cognitio summa: ut nec sine ratione nostri passim afferant, *& hoc jure utimur*. Sed & usus sine juris scientia, atque hæc sine usu, in foro prodest minimum. Idem certe de Advocatis dici potest, quod de Architectis peritus Artifex dicebat, Vitruvius scil. *lib. 1. cap. 1. Quorum hi, qui sine literis contenderunt, ut manibus essent exercitati, non potuerunt efficere, ut haberent pro laboribus authoritatem. Qui autem rationibus & literis solis confisi fuerunt, umbram non rem persequi videntur, ait, qui utrumque perdidicerunt, uti omnibus armis ornati, citius cum authoritate, quod fuit propositum, sunt assecuti.* Alii porro interdum juvant, interdum lædunt: ut fortitudo remota prudentia, inquit Socrates, aliud nihil est, quam audacia quædam, Plato in *Menon.* Quoniam *qui sine ratione audet aliquid, lædet quidem, at qui*

cum ratione, prodest multum. Οὐκ ἄνευ τοῦ θαῤῥῆ ἄνθρωπος, βλάπτεται, ὅταν δὲ σὺν νῷ, ὠφελεῖται. *Num jus civile nostrum*, inquit Tullius *lib.* VII. *epist.* XIX. *ex libris cognosci potest? Qui quanquam permulti sunt, doctorem tamen lucemque desiderat.* Mallem ego exercitatum in foro hominem juris imperitum, quam doctrina varia refertum, qui usum nesciat: Usus enim assiduus & ingenium & artem vincit sæpe, idem *pro Cornel. Balb.* Quod si ad usum juris studium accesserit, hi demum, qui ad utrumque parati sunt, nusquam satis laudari possunt, quales inter nos sunt plurimi, qui suis laboribus hoc meum judicium comprobarunt. Suntque alii qui brevi ea edituri sunt, Præses Max. quæ tuo nomini dicata omnium superent expectationem. Unum optarem, ut Quiritium jus illud vetus aliquando a nobis tractaretur, quod neglectum veram intercipit multarum rerum cognitionem, quas pro minimis habemus, cum magnæ illæ sint. Qui fit, ut id accidat nobis, quod Philosophus dicebat, lib. II. *prior. Analytic.* cap. XVII. in eadem sæpe re tum nos scire, tum decipi. Quare in iis etiam, quæ minima putantur, operam me ponere non piget, quod non peritis juris, quibus nihil isthac mea opus est arte, sed omnibus iis scribam, qui amore literarum ducuntur, in quorum gratiam ea explicare non recuso, quæ vel ad juris elementa ipsa pertinent, quæque illius desiderium concitant, nobilitatem commendant, & prudentiæ nomen, quod inter ceteras scientias sortitur, undique extollant.

Ex secundo Prætoris edicto judex datur, qui de funeraria cognoscat, quæ ex bono & æquo oritur, continetque funeris causa tantum, non etiam sumptuum ceterorum impensam, *l. & si quis. §. hæc actio. D. de Relig.* Funeraria ergo actio in bonum & æquum concepta est, quæ alterum alteri ex bona fide & summa æquitate præstare cogit, quod in funus impensum est. Quare qui alienum mortuum sepelivit, quod impendit in funus, id ab herede, vel a patre, vel a domino accipere potest, inquit Paulus, l. VI. *Sent.* tit. XXI. vel a patrono, qui bonorum possessionem contra tabulas petit, *l. funeris. 1. D. de Relig.* vel ab eo, ad quem dotis nomine quid pervenit, *l. in eum. D. eod.* vel ab iis, ad quos funus pertinet, sive bonorum possessores sint, sive heredes. In patrem, cujus in potestate fuerit is, cujus funus factum erit, competit funeraria actio, pro facultatibus & dignitate, *l. in patrem. D. eod.* Funus enim filii, æs alienum patris est, *l. filiusfam. D. de in rem vers.* Hoc ita si filiusfam. non habuerit peculium: Nam si miles sit, & habeat castrense, successores ejus ante tenentur: sic deinde ad patrem venitur. Excepta hac funeris causa, qui castrensium rerum scriptus est heres, in æs alienum, quod in castris contractum est, solus tenetur: extra castra contracto ære alieno, is solus obligatur, qui cæterarum rerum heres est, *l. si certarum. §. Julianus. D. de milit. testam.*

Datur etiam adversus dominum funeraria actio ei, qui servum alienum vel ancillam sepelivit, propter publicam utilitatem, ne insepulta cadavera jacerent, *d. l. filiusfam. §. qui servum.*

Patronus, vel alius bonorum possessor, eadem actione obligantur, quia sumptus justi sunt, qui ex hereditate deducuntur, *l. impensa. 2. D. de Relig.* & in maritum etiam, ad quem dotis nomine quid pervenit, dat Prætor funerariam actionem. Æquissimum enim visum est Veteribus, mulieres quasi de patrimoniis suis, ita de dotibus funerari; & eum, qui morte mulieris dotem lucraretur, in funus conferre debere, sive pater mulieris sit, sive maritus, *l. in eum. D. de Relig.* Sed & si nondum pater recuperaverit, vir solum convenietur, reputaturus patri, quod eo nomine præstiterit, *l. sed si nondum. D. eod.* Quare, si maritus lucretur dotem, funeraria convenietur, pater autem non tenebitur; nisi dos permodica sit, quæ in funus non sufficiat: tunc enim in superfluum actio datur in patrem, *l. Neratius. §. si maritus. D. eod.* Si vero materfamilias decedat, nec est solvendo hereditas, funerari eam ex dote tantum oportet, *d. l. Neratius. §. fin.* Quæri tamen potest, quid intersit, utrum solvendo sit hereditas, necne, cum impensa funeris omne creditum præcedat? *l. impensa 2. D. eod.* Multum illud quidem: dos enim ab hereditate ipso jure separatur. Nam maritus lucratur dotem, mortua in matrimonio muliere, si pater non sit, Ulpianus lib. *Regular.* tit. VI. Ex dote autem, quæ penes virum remanet, & cæteris mulieris bonis, pro portione funeranda est, *l. Celsus. D. de Relig.* veluti si in dote centum sint, in hereditate ducenta: duas partes heres, unam vir conferet, *l. veluti. D. eod.* ære alieno non deducto, *l. nec ære. D. eod.* Inhumanum enim esset, hereditarios creditores debito fraudari, dum Funeris impensa debitum omne præcedit, illorumque jacturam mariti lucro cedere. Quare prudenter constitutum est, ut impensa funeris æs alienum dotis esset, *l. impensa. D. eod.* ut cum solvendo non esset hereditas, ex dote mulier funeraretur, nulla inter maritum & heredem facta collatione in creditorum necem. Hoc ergo casu maritum non heredem conferre in funus oportet: sed maritus funeraria in id demum tenetur, quod facere potest: id enim lucrari videtur, quod præstaret mulieri, si conveniretur, *l. sic pro rata. §. fin. D. eod.* Porro is, qui filiamfamil. funeravit, antequam dos patri reddatur, cum marito recte agit: reddita dote patrem obligatum habet: utique autem si cum marito actum fuerit, is eo minus patri mulieris restiturus est, reputaturus quod eo nomine præstiterit, *l. quid si nondum. & l. si mulier in fin. D. eod.* Contra quoque, quod pater in funus impendit, quodque alio agente secum funeraria præstitit, ipse actione de dote a marito recipiet. Quid si eodem momento vir & uxor decesserint: & Labeo ait in heredem viri pro portione dotis dandam hanc actionem, quoniam id ipsum dotis nomine ad eum pervenit, *l. si possessor. §. si eodem. D. de Relig.* Nam si maritus & uxor simul perierint, stipulatio de dote ex capitulo, *Si mulier in matrimonio decessisset*, habebit locum, si non probetur illa superstes viro suo fuisse, *l. qui duos. §. si maritus. D. de reb. dub.* Donatione quoque facta inter virum & uxorem, si simul perierint, quæstionis decidendæ gratia, magis placuit valere donationem: eo maxime quod donator non supervivat, qui rem condicere possit, *l. si inter virum. D. eod.* Quæ verba adjecta sunt responso Pauli, & interpretationem veterem sapiunt, ut Cujacius advertit, *l. ad Paul. lib.* II. *Sent. tit.* XXIII. Atque hæc quidem interpretatio minus forte recta est, donatio enim valet, quia cum incertum sit, quis prius decesserit, maritus mulieri per naturam supervixisse creditur. Ex duobus quidem sexibus alter infirmior est, alter fortior, robustiores mares sunt fæminis, fæminæ imbecilliores, Lactant. lib. I. *de fals. Relig.* cap. XVI. atque hunc ordinem natura servat, ut robustior supervixisse videatur, *l. qui duos. §. fin. D. de reb. dub.*

De Lucio Vetere socruque ejus Sextia & Pollutia luctuosum exemplum Tacitus refert, lib. XVI. *Annal.* qui in eodem cubiculo eodem ferro

abscindentes venas certatim precabantur labenti animæ celerem exitum: servavit ordinem fortuna, ut senior prius, tum cui prima ætas extinguerentur. Sed his in casibus pro rei & personarum qualitate, solutius æquitatem judices sequi solent. Quid si in fundo mariti mulier habens usumfructum, eum dotis causa marito dederit, & in matrimonio illa decesserit, an in funus mulieris maritus aliquid conferet? Putat Tryphonius libro undecimo disputationum *l. cum in fundo. D. de jur. dot.* nihil emolumenti ob dotem maritum habere: quia etsi uxorem eam non duxisset, tamen fructuariæ morte finitus ususfructus ad proprietatem rediret: ideoque nec in funus mulieris conferre.

Funeraria actio perpetua est & heredi ceterisque successoribus, & in heredes datur, *l. si filiusfam. § fin. D. de Relig.* Quæ utilis competit, etiam ei, cui vestimenta sunt legata, si in funus erogata sunt, funerariæque privilegio gaudet, *l fin. §. fin. D. eod.* Quæsitum vero est, utrum ita demum privilegium habeat funeraria, si is cujus bona veneunt, funeratus sit: an etiam si proponamus alium funeratum? *l. quæsitum. D. de reb. auth. judic. possid.* Et hoc jure utimur, ut quicunque sit funeratus, id est, sive is cujus de bonis agitur, sive quid is debuit, quod reddere eum, si viveret, funeraria actione cogi oporteret, privilegio locus sit: parvique referre dicamus, qua actione hic sumptus repetatur, funeraria, an familiæ erciscundæ, an qua alia, dummodo sumptus funeris causa factus sit. Quacunque ergo actione ob funeris sumptum utatur, etiam funerariam ei competere. Quare si in stipulatum funeris impensa deducta sit, dicendum est, locum esse privilegio, si modo quis non abjiciendi privilegii causa stipulatus est. Quid ergo Labeo dixit, *l. & si quis. §. Labeo. D. de Relig.* quoties qui aliam actionem habet, de funeris impensa consequenda, funeraria eum agere non posse? Et si familiæ erciscundæ agere possit, funeraria non acturum: sed si familiæ erciscundæ judicio actum sit, posse agi? Optime Accursius, in familiæ erciscundæ judicio funerariam etiam competere intellexit, id est, privilegium funeris, quod ad omnes eas actiones extenditur, quibus funeris sumptus repetitur. Quod si familiæ erciscundæ judicio jam actum sit, quia illo amplius quam semel agi non potest, *l. si filia. §. familiæ. D. famil. ercis.* ad funerariam est deveniendum: ut puta heres, qui defunctum sepelivit, testatus est se hoc animo facere, quasi recepturus sumptum quem fecit, *l. & si quis. §. si interdum. D. de Relig.* si in familiæ erciscundæ judicio sumptum illum non repetit, potest funeraria uti, ut a coheredibus sumptum consequatur, *d. l. & si quis. §. plerique.* Si vero funere facto heres vendiderit hereditatem, an impensam funeris ab emptore consequetur? & ait Labeo, impensam funeris emptorem præstare debere, quia & ea hereditaria est, *l. 2. §. si quid publici. D. de hered. vel act. vendit.*

CAP. XVIII.

QUI FUNERARIA AGERE NON POSSUNT.

INterdum is qui sumptum in funus fecit, sumptum non recipit, veluti si pietatis gratia fecit, nec hoc animo quasi recepturus. Igitur æstimandum erit & perpendendum, quo animo sumptus factus sit, utrum negotium quis vel defuncti, vel heredis gesserit, vel ipsius humanitatis, *l. & si quis. §. sed interdum. D. de Relig.* An vero misericordiæ vel pietati tribuat vel affectioni, potest distingui & misericordiæ motus: ut si in hoc fuerit misericors vel pius, qui funeravit, ut eum sepeliret ne insepultus jaceret, non etiam ut de suo sumptum faceret. Quod si judici liqueat, non debet eum, qui convenitur, absolvere. Quis enim sine pietatis intentione alienum cadaver funerat? Oportebit igitur testari quemque quo animo fecerit, ne postea patiatur quæstionem. Si quis etiam, dum se heredem putat, patremfamil. funeraverit, funeraria actione uti non poterit, quasi alienum negotium gerens, & ita Trebatius & Proculus putant: At Ulpianus ei ex causa dandam actionem funerariam arbitratur. Ex causa, interpretor ex animo ejus, qui sumptum fecit. In hac enim actione consideratur dignitas ejus, qui funeratus est, causa, tempus, & bona fides. Causæ probatio ex testatione sumitur quæ plenior debet esse, ut dignoscere judex possit, utrum pietatis gratia sumptus factus sit, an illum servare voluerit, qui impendit. Sic ei qui herede prohibente testatorem funeravit, competit funeraria ex causa. Ut si heres scriptus filium testatoris prohibeat patrem sepelire, & filius sine testatione sepeliat, id pietati tribui potest. Quod si plenius testatus sit, funerariam habebit actionem, de suo enim expedit mortuum funerari, in quo judex justus solutius æquitatem sequetur, *l. & si quis. §. si quis, & §. Labeo. D. de Relig.* Solutior æquitas summa æquitas est, expedita & libera subtili juris ratione, cui solet adversari. Nam inter jus & æquitatem hoc interest, Donatus *in Adelph.* ut jus sit, quod omnia recta & inflexibilia exigit: æquitas, quæ de jure multum remittit: Solutior æquitas quæ multum ordinariam æquitatem auget atque explicat. Ex hac æquitate si possessor hereditatis funus fecerit, deinde victus in restitutione, non deduxerit, quod impendit, utilem habet funerariam, *l. si possessor. D. eod.* Cur non directam? quia si quis, dum se heredem putat, patremfam. funeravit, funeraria actione uti non potest: hoc enim non eo animo fecit, quasi alienum negotium gerens. Funerariam autem actionem non habet, qui mandato alterius funeravit, *d. l. & si quis. §. qui mandato.* sed is scilicet, qui mandavit funerandum. Si tamen quasi negotium heredis gerens funeravit, funeraria agere potest. Quasi heredis autem negotium gessisse dicitur, qui antequam scriptus heres adiret, testatorem sepelivit. Nec enim negotium heredis gessit, qui nullus adhuc erat, ut contra eum negotiorum gestorum actione experiretur: sed quasi negotium administravit. Non alienum erit hic quærere, quare de suo expediret mortuum funerari? & quare oporteret pretium funebre, naufragum cadavera ferre, ut qui in littore cadaver reperisset, & pretium illud lucratus fuisset, leges Nemeseos revereretur, nisi parvam aliquam partem tribueret ei, qui multo plus largitus esset. *φέρειν δεῖ τιμὴν ἐντάφιον τὸν ἐκ ναυαγίου νεκρὸν ἐκ γῆς προσυχὼν καὶ κερδάνας, νόμους Ἀδρασίας αἰδεῖσθαι, μὴ οὐχὶ μικρὸν τι μέρος ἀποδάσασθαι τῷ χαρισαμένῳ τὸ πολλαπλάσιον*, Synes. *epist.* IV. Putarunt aliquando viri in juris studio primarii, neminem de alieno funerari posse, atque hoc religionem aliquam habere. Sed nulla alia ratio est, quam ne insepulta cadavera jaceant, neve quis de alieno ingratiis funeraretur. Quare dixit Labeo, expedire ut quis de suo funeretur. Expedire *συμφέρειν*, publicam utilitatem habet, necessitatem nullam, nullam religionem. Nam & de alieno funerari quem posse indubitati juris est, ut si quis pietatis gratia aliquem sepelivit; & impensa publica elati multi, qui de suo nihil in

funus impenderunt. De alieno ergo nemo funeratur, invito eo, qui funeris sumptus fecerit animo recuperandi. Huic enim non aliis judicium dat Prætor, ut persequatur id quod impendit.

CAP. XIX.

DE SUMPTIBUS FUNERUM.

FUneris causa sumptus factus videtur qui ideo fuerit, ut funus duceretur, & sine quo funus duci non possit: ut puta si quid impensum est in elationem mortui. Sed & si quid funeris causa fuerit erogatum, in locum in quem mortuus infertur, funeris causa videri impensum Labeo ait, quia necessario locus paratur, in quo corpus conditur. Elatio mortui ἐκκομιδὴ ad funeris pompam, illatio ad sepulturam pertinet. Efferri proprie dicuntur cadavera mortuorum, dum cum exequiis exportantur: inferri, quæ in locum aliquem commendationis vel sepulturæ causa importantur.

Pro funeris quoque sumptu accipitur quicquid corporis causa, veluti unguentorum, erogatum est. Item pretium loci, in quo defunctus humatus est, & si qua vectigalia sunt, vel sarcophagi & vecturæ, & quicquid corporis causa, antequam sepeliatur, consumptum est, *l. funeris. 2. D. de Relig.* Quod ad impensam peregre mortui referendum est, quæ facta est, ut corpus perferretur, vel ad illud custodiendum, vel etiam commendandum: vel si quid in marmor & vestem collocandam, quod ad omne funus referri potest.

Vectigalia funeris sumptibus imputantur, quæ in vulgatis Pandectis vestiaria, de veste collocanda intelligi possunt. Illa quidem in *Basilicis* vectigalia leguntur, non vestiaria, τὸ τέλος ϗ ἡ σορὸς ϗ ἡ στολή. Vid. Cujacius lib. v. *Observ.* cap. XL. Ideoque vectigalia, sarcophagi & vectura junguntur, quæ impensam peregre mortui continent. Vectigalia autem in pontibus quibusdam pro transitu dabantur. Nam qui iter faciebat, cum pontem transiret, redemptor pontis portorium ab eo exigebat, *locum in pluris vehiculum. D. locat.* quod etiam pro ipsa rheda vel vehiculo solvebatur. Vectigal illud quidem in itinere præterea præstari solebat, *l. si quis pro uxore. D. de donat. int. vir & uxor.* a quo sarcophagus immunis non fuit, qui peregre comparatus inter peregrinas merces numeratur. Si quid ergo in marmor, id est, in sarcophagum vel vestem collocandam impensum est, funeris sumptus est. Collocare vestem eleganter dictum. Ovidius II. *Metam.*

——Clamydemque ut pendeat, apte
Collocat.

Funeris vero sumptus æstimatur, ex dignitate ejus qui funeratus est, ex causa, tempore, ex bona fide, ut neque plus imputetur sumptus nomine, quam factus est, neque tantus, quantus factus est, si immodice factus, *l. & si quis. §. hæc actio. D. de Relig.* Debet enim haberi ratio facultatum ejus, in quem factus est, & ipsius rei, quæ ultra modum sine causa consumitur. Quid ergo si ex voluntate testatoris impensa facta est? nec voluntatem testatoris sequi debemus, si res egrediatur justam sumptuum rationem, sed pro modo facultatum sumptus fieri debet.

Sed & judex, qui de æquitate cognoscit, interdum sumptum omnino non debet admittere modicum factum, si forte in contumeliam defuncti hominis locupletis modicus factus sit. Nam

A non debet hujus habere rationem, cum contumeliam defuncto fecisse videatur, qui illum ita funeravit, *d. l. & si quis. §. plerique.* Sic modico funere elatus Britannicus, Neronis in eum contumeliam arguit, qui inter sacra mensæ veneno juvenem sustulerat, Tacitus XIII. *Annal.*

Aliæ præterea judicis partes fuerunt in funeris sumptu, ut scilicet illum decerneret, si pecunia esset in hereditate, ex pecunia: si non esset, ut distraheret ea, quæ tempore essent peritura, quorumque retentio hereditatem oneraret. Si minus esset: si quid auri argentique fuisset, distrahi aut pignorari juberet, *l. si quis sepulchrum.*
B *§. fin. D. de Relig.* Quod perpetuum fuit, ut nulla habita creditorum ratione, de suo mortuus funeraretur, & si quid superfluum remansisset, creditoribus solveretur, *l. & si quis. §. si colonus.* Imo si res legatæ sint a testatore, de cujus funere agetur, nec sit unde funeretur, ad eas quoque manus mittere oportebat. Satius est enim de suo funerari, quam aliquos legata consequi, & inhumatum jacere testatorem, *d. l. & si quis. §. sed & si res.*

CAP. XX.

C
DE DIMINUTIONE CAUSA FUNERIS, ET IMPENSÆ ILLIUS DEDUCTIONE.

HEreditate nondum adita, bona interea non patiebatur Prætor diminui, *l. ait Prætor. §. fin. D. de jure delib.* sed funeris causa diminutionem permittebat, hoc est, bonorum alienationem, ad eam quantitatem, quæ funeri necessaria esset. Et cum ex D. Pii Rescripto prohiberentur possessores hereditatis, de qua controversia erat, antequam lis inchoaretur, aliquid ex ea distrahere: causa cognita, & si data non sit satisdatio, sed solita cautio, etiam post litem cœptam, di-
D minutionem se Prætor concessurum dixit, ut puta si ad funus sit aliquid necessarium: nam funeris gratia diminutionem permittit, *l. divus. D. de petit. hered.*

Deductio vero est detractio seu separatio, quæ ob funeris impensam inter coheredes fiebat, legatarios, cæterosque successores. Quicquid enim in funus erogatur, inter æs alienum primo loco deducitur, Paulus lib. I. *Sent.* tit. XXI. Inter coheredes quidem, si eorum unus post aditam hereditatem sumptum funeris causa fecisset, quem a coheredibus consequebatur, familiæ erciscundæ judicio, si quasi recepturus fecisset, non pietatis
E causa, *l. qui erat. in fin. D. famil. ercis. l. & si quis. §. sed interdum. D. de Religios.* Nam qui propter funus aliquid impendit, cum defuncto contrahere putatur. Quod & in restituenda hereditate observatur, in qua compensatio ejus habetur, quod heres in mortui infirmitatem & funeris sumptum, bona fide ex proprio patrimonio erogarit, *l. 1. C. de petit. hered.* Sed si certa pars hereditatis legata sit: D. Adrianus rescripsit, ut neque pretia manumissorum, neque funeris impensa deduceretur, *l. si quis servum. §. fin. D. de leg. 2.* Certam partem intelligo, eam etiam a qua legati species partitio appellatur, Ul-
F pianus lib. *Regul.* tit. XXIV. Sed cum pars bonorum ita legatur, *Bonorum meorum quæ sunt cum moriar*, dos & manumissorum pretia de medio deducenda sunt, cum funeris impensa, *l. cum autem. D. de leg. 2.* Quia bona non dicuntur, nisi ære alieno deducto.

Inter legatarios tamen impensæ funeris deductio fiebat, Falcidiæ gratia. Nam cum ratio legis Falcidiæ ponitur, ante deducitur æs alienum, item funeris impensa & pretia servorum

manumissorum, tunc deinde in reliquo ita ratio habetur, ut ex eo quarta pars apud heredes remaneat, tres vero partes inter legatarios distribuantur, *§. cum autem Inst. de leg. Falcid.* Pretia ergo servorum manumissorum deducuntur, ut quarta, quæ naturæ jure filiis, Falcidiæ lege extraneis heredibus scriptis integra servetur. Quod inter bonorum possessores cæterosque successores obtinuit. Nam inter maritum & heredem funeris impensam deducendam supra diximus: inter successores autem fiscum annumerare possem ob legem vicesimam hereditatium, ad quam Martianus libros duos scripsit, non quod fiscus proprie successor dici possit: siquidem successio de jure universo, non de re aliqua intelligitur. Sed cum ex Constitutione fiscus in vicesima succedat, jure legitimus successor diceretur. Augustus constituit, ut vicesima pars hereditatium & legatorum, exceptis iis, quæ proxime genere junctis ac pauperibus morte aliorum relinquebantur, in ærarium militare inferretur, Dio *lib.* LV. De hac Plinius in *Panegyr. Vicesima recepta est, tributum tolerabile & facile heredibus duntaxat extraneis, domesticis grave. Itaque illis irrogatum est, his remissum.* Duram hanc legem Nerva & Trajanus temperarunt. Vicesima autem, deductis funeris impensis intelligebatur, de qua Procuratores Principis consulto Principe transigere solebant, *l. nulli. D. de Transact.*

CAP. XXI.

DE IMPENSA MONUMENTI.

DE impensa monumenti quæsitum est, an deduci illa debeat? Et Sabinus deducendam putat, si necessarium fuerit monumentum extruere. Marcellus consultus, an funeris monumentique impensa, quantam testator fieri jussit, in ære alieno deduci debeat: Respondit non amplius eo nomine, quam quod funeris causa consumptum sit, deducendum. Nam ejus, quod in extructione monumenti erogatum est, diversam esse causam. Nec enim monumenti ædificationem ita necessariam esse, ut funus & sepultura, idcirco eum, cui pecunia ad faciendum monumentum legata sit, Falcidiam passurum, *l. 1. §. fin. D. ad leg. Falcid.* Nec amplius concedendum erit, quam quod sufficiat ad speciem modicam monumenti, *l. 2. D. eod.* Impensa ergo monumenti inter funeris sumptus non ita numeratur ut omne creditum præcedat, quamvis testatoris jussu facta sit. Sed si æs alienum non impediat, heredes hanc deducere debent familiæ erciscundæ judicio: & si non possit, funerariæ locus erit ad impensam recipiendam. Sed & cum monumentum testator fieri jussit familiæ erciscundæ judicio agetur, ut fiat: & quia heredum interest, quos jus monumenti sequitur, præscriptis verbis eos etiam experiri, ut monumentum fiat, Pomponius tradit, *l. his consequenter. §. cum monumentum. D. famil. ercisc.*

Et quoniam in actionibus versamur, quæ pro monumento competunt, de eorum conditionibus huic capiti attexemus ea, quæ monumenta ipsa exornare possint. In testamentis, ait Pomponius, *l. Quintus. §. Pomponium. D. de ann. leg.* quædam scribuntur, quæ ad auctoritatem duntaxat scribentis referuntur, nec obligationem pariunt: hæc autem talia sunt. Si te heredem solum instituam & scribam, *Uti monumentum mihi certa pecunia facias.* Nullam enim obligationem ea scriptura recipit: sed ad auctoritatem meam conservandam poteris, si velis, facere. Aliter atque si coherede tibi dato, idem

A scripsero: Nam sive te solum damnavero, uti monumentum facias, coheres tuus agere tecum poterit familiæ erciscundæ, uti facias, quoniam interest illius; quin etiam si utrique jussi estis hoc facere, invicem actionem habebitis. Auctoritas ad legem testamenti refertur, cui adjectum est verbum, *Conservandi*: quo in legibus uti solemus, quodque imperantis est, non precantis, Cicero *pro Cornel. Balb.* Et licet heres actione nulla teneatur testatoris satisfacere voluntati, Principali tamen aut Pontificali auctoritate compellitur ad obsequium supremæ voluntatis, *l. hereditas in fin. D. de petit. hered.* Auctoritas Pon-
B tificum, ut officium judicium, actio non est: Actio enim judicium præparat: auctoritas confirmat & exequitur quæ communi jure constituta sunt & comprobata. Officium judicis ex æquitate ad tollendas lites exercetur, ut tranquillitati & bono publico consulatur: sic ad officium judicis pertinet, ne corpora aut ossa mortuorum detineantur, *l. nec corpora. D. de relig.* Quod officium ἐνέργειαν καὶ τὴν ἀρχὴν, *Auctoritatis vim ac potestatem* continet. Compellitur heres Pontificali auctoritate, non judicis officio. Hoc enim ad res, quæ ad religionem pertinent, non extendi-
C tur, si nullum respubl. detrimentum patiatur. Sed si de iis actio competit, apud judicem illa exerceri potest. Sicque intelligendus est Papinianus *in d. l. hereditas*, cujus mentem vir doctissimus non satis explicavit.

Pro monumenti vero ædificatione variæ proditæ sunt actiones. Quæ inter coheredes exercentur, explicatæ sunt: aliæ ex variis causarum figuris oriuntur. Ut si quis mandaverit, post mortem sibi monumentum fieri, heres poterit agere mandati, ut perficiatur: ille vero qui mandatum suscepit, si sua pecunia fecit, aget etiam mandati, si non ei ita mandatum est, ut sua pe-
D cunia faceret monumentum, *l. si vero. §. fin. D. mandat.* At si heres arbitratu liberti certa summa monumentum jussus facere, dederit liberto pecuniam, & is accepta pecunia monumentum non fecerit, condictione libertus tenetur, *l. si heres. D. de condict. caus. dat.*

Sed quid si monumenti ædificandi cura alicui data est, & plus ille impenderit, quam testamento relictum est, an quod amplius fuerit erogatum, negotiorum gestorum actione recte ab herede petetur? Quod Papinianus negat, quia voluntas testatoris finem fecerit erogationi, *l. liberto. §. liberti. D. de neg. gest.* At si heres qui hoc negotium su-
E scepit amplius impenderit, quam quod a testatore præstitutum est, non videtur facere contra testamentum. Quod si in testamento scriptum sit, ut in monumentum duntaxat aureos centum consumeret, non licet illi minus consumere, *lib. 202. D. de verb. sig.* nec admittitur sumptus si modicus contra voluntatem defuncti factus sit, *l. & si quis. §. plerique. D. de Relig.* Hoc ita tamen, ut voluntatem testatoris sequi non cogatur heres, si res egrediatur justam sumptuum rationem, *d. l. & si quis. §. hæc ratio.*

Quod ad conditiones monumentorum attinet,
F si testator scripserit, quorum arbitratu monumentum sibi fieri velit: deinde ita legaverit: *Luciis, Publiis, Corneliis ad monumentum meum ædificandum mille heres meus dato:* pro eo habendum est, ac si ita legatum esset, si satis dedissent se ita id monumentum ex ea pecunia facturos: quia hæc mens testatoris fuit, ut ea pecunia in monumentum consumeretur, *l. quibus. §. fin. D. de condit. & demonstr.* Qui vero heres scriptus est, sub hac conditione si juraverit se monumentum facturum, quamvis ex verbis edicti ad heredita-

tem admittatur, quaſi nulla jurandi conditio inſerta ſit, & quæ ſub conditione jurisjurandi relinquuntur a Prætore reprobentur, *l. quæ ſub conditione. D. de condit. inſt.* tamen monumentum compellitur facere, quod facturum jurejurando juſſus eſt, ſolo jurejurando remiſſo, *l. hæc ſcriptura. D. de condit. & demonſtr.* Sed quomodo compelletur? Pontificali ſcilicet aut Principali auctoritate, vel etiam per Prætorem, ſi heredes ex teſtamento agant. Nam & Prætor jusjurandum ex edicto remittere potuit, ut perjurii expiatio Pontificum fuit, ut Nos lib. II. *de Vet. Jur. Pontific.* cap. III. Si quis autem ita inſtitutus ſit, ut poſt mortem teſtatoris in triduo proximo mortis ejus monumentum faceret: cum monumentum in triduo perfici non poſſit, dicendum erit conditionem quaſi impoſſibilem evaneſcere, *l. ſi quis ita. D. de condit. inſtit.* Obtinuit enim impoſſibiles conditiones, teſtamento ſcriptas, pro nullis habendas: *obtinuit*, id eſt, cum de ea re dubitaretur, poſt magnas varietates eorum opinio prævaluit, qui conditionem rejecerunt, *l. cum ex uno. D. de oblig. & act.* Quod ita accipiendum eſt, ut heres ſcriptus congruo tempore voluntati teſtatoris obſequatur. Nec enim remiſſa omnino conditio eſt monumenti faciendi, quæ nulla quidem eſt quantum ad heredis inſtitutionem vitiandam, ſed firma remanet, ut monumentum extruatur. Duo enim ſunt teſtatoris præcepta, unum ut monumentum fiat: alterum ut triduo. Hoc inutile eſt propter conditionis impoſſibilitatem: alterum non tollitur, quia longiore tempore præſtari poteſt, *l. Celſus. §. 1. D. de Recept. qui arbitr. recept.* Tales autem conditiones, *ſi monumentum fecerint*, pluribus propoſitæ, non poſſunt niſi in omnibus ſimul perſonis exiſtere, *l. tales. D. de condit. & demonſtr.* Quia ædificatio monumenti diviſim præſtari non poteſt, ideoque ſinguli in ſolidum tenentur, quod operis effectus ſcindi non poteſt, *l. in exectione. §. ſecunda. D. de verb. oblig.*

Sed dubitatur, ſi paterfamil. duos pluresve heredes ſcripſerit ſub hac conditione, *ſi monumentum fecerint in diebus certis*, deinde ita ſcripſerit, *Qui eorum non ita fecerit, omnes exheredes ſunto*: nunquid heredum unus, qui extruxit monumentum, cæteris defuncti voluntatem aſpernantibus, aut illius hereditatem non adeuntibus exheres fiet? Reſpondet Alphenus neminem ex alterius facto, neque hereditati alligari, neque exheredari poſſe, ſed uti quiſque conditionem impleſſet, eum heredem futurum, *l. paterfam. D. de hered. inſtit.* Huic quæſtioni aliam ex Scævola ſubjicio. Titius heredes inſtituit Sejam uxorem ex parte duodecima, & Mevium & ex reliquis partibus, & de monumento quod extrui ſibi volebat ita cavit: *Corpus meum uxori meæ tradi volo, ſepeliendum in fundo illo, & monumentum extrui, uſque ad quadringentos aureos.* Quæ ſitum cum ex duodecima parte non amplius quam centum quinquaginta aurei ex bonis mariti ad uxorem perveniant, an hac ſcriptura, ab ea ſola monumentum ſibi teſtator extrui voluerit? Et magis eſt monumentum ab utroque herede pro hereditariis portionibus inſtruendum, *l. Titius heredes. D. de leg. 3.* Qua re niſi uterque heres defuncti contempſerit voluntatem, nulla Pontificum auctoritas eſt. Heres enim agere poteſt, cum coherede familiæ erciſcundæ judicio, quod apud Prætorem exercetur. In cæteris, Pontificum auctoritas interponitur, cum ſcriptura teſtantis nullam recepit obligationem, nullam prodit actionem, *l. Quintus. D. de annu. leg.* Quod jus immutatum non eſt ab Antoninis, qui leges ſepeliendi ſepulchrorumque aſperrimas ſanxerunt, caveruntque, *Ne uti quis vellet fabricaret ſepulchrum*, Capitolinus *in M. Antonin.* Hoc enim ad ſumptus ſepulchri minuendos ſpectat. Nec video cur Capitolini lectio debeat immutari, ignoſcat vir doctiſſimus, qui vocis unius adjectione locum ita cenſet integrandum, *Caverunt, ut, ſi quis ſuccedere vellet, fabricaret ſepulchrum.* Repugnat enim Papiniani reſponſum, *l. heredis. D. de petit. hered.* qui Pontificum auctoritatem implorat, qua opus non fuiſſet, ſi conſtitutione aliqua, hac de re cautum eſſet.

CAP. XXII.

DE EDICTO D. SEVERI.

EDicto D. Severi mandatur: *Ne corpora aut oſſa mortuorum detinerentur, aut vexarentur, neve prohiberentur, quovis per territoria oppidorum via publica transferri, aut quominus ſepelirentur.* Quod Præſidis Provinciæ officium fuit, *l. ne corpora. D. de Relig. l. 3. §. non perpetuæ. D. de ſepulcr. viol.* Per vicos igitur aut oppida defuncti corpus in itinere tranſvehere licuit, quamvis talia fieri ſine permiſſu eorum, quibus permittendi jus eſt, non debeant. Si quis tamen ſecus fecerit, ex Reſcripto D. Marci pœnam non meretur, *l. 3. §. Divus. D. de ſepulc. viol.* At ſi quis quid fecerit, quominus aliquis funeretur, ſepeliaturve, de eo lege Julia cavetur, *l. qui cœtu. D. ad leg. Jul. de vi public.* ſive fecerit, quo magis funus diripiatur, diſtrahatur. Hos tamen non lege Julia de vi publica teneri Paulus ſentire videtur, lib. v. *Sent.* tit. XXVI. ſed de vi privata ſi cœtu concurſuve eripuerint, turbaverint. Sed ut obſervat Cujacius, fuit ſæpe legibus Juliis, SCtis. derogatum, obrogatum, ſubrogatum, & retento ſolo legis nomine eis adjecta ſunt, quæ aliæ poſtea vel leges, vel conſtitutiones introduxerunt: ſicque factum eſt, ut omnis vis armata ad pœnam legis Juliæ de vi publica redigeretur.

Idem Severus reſcripſit adverſus eos, qui cadavera ſpoliant: quod intelligendum eſt, dum in itinere transferrentur, ut Præſides interveniant, ſeverius, quorum hoc officium in Provinciis eſt, maxime ſi auctores ſceleris armata manu aggrediantur, ut ſi armati more latronum id egerint, etiam capite plectantur, *l. 3. §. adverſus. D. de ſepulc. viol.* ſi ſine armis uſque ad pœnam metalli procedatur. Atque hæc quidem vis legibus vindicatur. Sed his legibus creditor non tenebatur, qui debitoris corpus funerari prohibebat aut detinebat. Vulgaris D. Ambroſii locus facit ad hujus rei elucidationem, lib. *de Tobia* cap. x. *A fœneratoribus*, inquit, *quoties vidi teneri defunctos & negari tumulum, dum fœnus expoſcitur? Quibus ergo acquieſcens libenter ut ſuum conſtringerent debitorem, ut electo eo fidejuſſor evaderet. Hæ ſunt fœneratoris leges. Nihil intereſt inter fœnus & funus, nihil inter mortem & ſortem. Juſſi lavari corpus, & ad fœneratoris domum exequiarum ordinem duci. Victus religionis conſuetudine fœnerator rogat, ut ad tumuli locum reliquiæ deferantur.* Quod ad Juſtini tempora, id eſt, ad annum CHRISTI DXVIII. uſque duravit, *l. VI. C. de ſepulc. viol.* Nam edictum D. Marci ad vim privatam retulit, ſi quis id, quod deberi ſibi putaret, per judicem non repoſceret: hic quidem jus crediti amittebat, *l. creditores. D. ad leg. Jul. de vi public.* Nihil de defunctorum corpore aut reliquiis decernebat, quæ ab injuriis creditorum Juſtinus primum vindicavit: prohibuitque, Μηδὲ ἐνυβρίζεσθαι τὰ λείψανα τῶν νεκρῶν. Ut qui hoc feciſſet quinquaginta libras auri dependeret, vel ſi

A minus idoneus ad eas persolvendas esset, suo corpore sub competenti judice lueret pœnas, *d. l. 6. C. de sepulc. viol.* Addit Justinianus tertiæ partis bonorum mulctam & infamiam. Nam eum, qui erga mortuum hominem nullo pudore usus est, par est eum tam bonis, quam existimatione, cæterisque rebus omnibus mulctari. Ὁ γὰρ τὴν ἀνθρώπου φύσιν οὐκ αἰσχυνθεὶς, δίκαιος ἂν εἴη καὶ χρήμασι, καὶ δόξῃ, καὶ τοῖς ἄλλοις ἅπασι ζημιοῦσθαι, lib. XXIII. *Basilic.* tit. II. cap. I.

Hæ constitutiones novæ juri veteri derogarunt, quo nulla pœna in creditores constituta est, sed tantum si quis jus crediti non haberet, & per injuriam corpus defuncti detinuisset, in eum B injuriarum actio prodita erat, *l. 1. §. denique. D. de injur.*

Inhumanum illud mihi videtur magis: quod heres defuncti reliquias illius pignerare posset, nisi a defuncto prohiberetur. Cujus rei exemplum hoc habemus a Scævola relatum, *l. pater filiam. §. Julius D. de leg. 3.* Julius Agrippa, inquit, testamento cavit, ne ullo modo reliquias & prædium suburbanum, aut domum majorem heres ejus, pigneraret, aut ullo modo alienaret. Quod frustra intelligeremus de monumento, in quo reliquiæ conditæ sunt, cum illud alienari nullo modo C posset, nec pignori dari: & reliquiæ hic accipi debeant pro ossibus aut cineribus, quæ nondum tradita sunt justæ sepulturæ. Ut si quis peregre mortuus esset, dum heres asservaret reliquias, in patriam sedem transferendas, necessitate aliqua coactus, duriori creditori dabat quandoque eas pignori. Hoc me alibi notare non memini, quam apud Lucianum, *Dialog. de Luctu.* ubi de Ægyptiis loquitur: Πολλάκις δὲ καὶ δεομένῳ χρημάτων, ἀνδρὶ Αἰγυπτίῳ ἔλυσε τὴν ἀπορίαν ἐνέχυρον, ἢ ὁ ἀδελφὸς, ἢ ὁ πάτηρ γενόμενος ἐν καιρῷ. Desiccatum cadaver Ægyptiis convivam & compotorem adhibet. *Fit autem frequenter, ut Ægyptium aliquem* D *indigentem pecuniæ, levet egestate, pignus frater aut pater in tempore factus.* Fuit huic genti ea consuetudo, ut creditoribus corpora mortuorum oppignerarent, quæ qui non redemisset, perpetua infamia notabatur. Creditores quidem Reliquias aut corpora defunctorum olim detinuerunt, nec sepultura eos affici permiserunt, priusquam illis esset satisfactum, quod Justini constitutione correctum est. De reliquiis nihil sancitum: nec tamen in heredis potestate fuisse comperio, ut Reliquias oppigneraret, qui fit ut Julium Agrippam Ægyptium fuisse mihi persuadeam. Servus potuit E opponi pignori, ut statuliber, *l. obligatione. D. de pignorib. & l. grege. §. statuliber. D. eod.* Sed conditione existente, pignus evanescebat. Liber homo pignori non datur, imo creditor, qui sciens filiumfamilias, a parente pignori acceperit, relegatur, *l. fin. D. quæ res pign. dar. poss.* Qua ergo ratione liberi hominis reliquiæ pignerari potuerunt? An quod insepulti mortui reliquiæ, cum nulla amplius libertatis facultas in iis eluceat, extinguere libertatem videantur? Quod habet rationem, si summa illa, quæ pro religione facit, pignoris reciperet dationem.

CAP. XXIII.

F

DE EDICTO DD. FRATRUM. DE TRANSLATIONE RELIQUIARUM.

Divi fratres edicto admonuerunt, *Ne justæ sepulturæ traditum*, id est, *terra conditum*, *corpus inquietetur*. Videtur autem terra conditum & si in arcula conditum hoc animo sit, ut non alio transferatur: Sed arculam ipsam, si res exigat in locum commodiorem licere transferre, non est denegandum, *l. Divi. D. de Relig.* De translatione reliquiarum plura olim diximus, quæ ad Pontificum jurisdictionem pertinere videbantur, vide lib. III. *de Vet. Jur. Pont.* cap. IX. ea nunc persequemur, quæ extra Pontificum auctoritatem posita sunt.

Quæ perpetua sepultura reliquiæ conderentur, Præses Provinciæ, si justa causa videretur, in alium locum illas transferre permittebat, ut si vi fluminis contingerentur vel metus, vel alia justa & necessaria causa intervenirer. Eorum vero, qui peregre mortui essent, si corpus commendaretur, aut loco in aliquo deponeretur, potuit illud transferri ex D. Severi edicto, *l. 8. §. non perpetuæ. D. de sepul. viol.* Nam etsi quis eo animo corpus intulisset, quod cogitaret inde alio postea transferre, magisque temporis gratia deponere, quam quod ibi sepelire mortuum & quasi æterna sede dare destinasset, manebat locus profanus, *l. si quis eum. D. de Relig.* Corpus igitur ita commendatum, sine Augusti afflatibus, sine permissu Pontificum, vel Magistratuum in Provinciis, aut si testator illud prohibuisset, non transferebatur. Quod vetus Inscriptio monet, *pag.* DCCCCXXV. 21.

VETO. RELIQVIAS
P. VERONIVS
CALLISTVS
HOMO. OPTIM
HIC. IACET

Vetandi verbum omnem omnino reliquiarum translationem prohibet. Monuimus supra, ubi in monumentis, reliquiarum, ossium aut cinerum nomen legeretur, peregrinam illud mortem ut plurimum denotare, quod verba edicti etiam confirmant. *Si homo mortuus, ossave hominis mortui, l. 2. §. prætor. ait. D. de Relig.* Cadaver integrum condebatur, ubi cremaretur: mortui ossa & cineres sunt cadaveris reliquiæ. Mortui proprie est sepulchrum: reliquiarum, ossuarium vel cinerarium, quod & sepulchrum appellatur, *d. l. 2. §. sepulchrum.* Non temere ergo in antiquis Inscriptionibus scriptum est, corpus integrum conditum, quod & ad fulguritos retulimus, & ad eos referri potest, qui cremati & sepulti statim essent. Romæ, *pag.* DCLXXXIX. 8.

L. IVLIVS. GAMVS
DIS. MANIBVS
L. IVLI. MARCELLI
NEPOTIS. SVI
VIXIT. ANN. V
CORPVS. INTEGRVM
CONDITVM
SARCOPHAGO

Atque ut reliquiæ, sic & ossa translata dicuntur, *pag.* DCCLXXXIX. 1.

HERENNIÆ. LAMPADI
CONCVBINÆ
HERENNI. POSTHVMI
CVIVS. OSSA. EX
SARDINIA. TRANS
LATA. SVNT

Et cum ossa, cineres, aut reliquiæ corporis leguntur, illorum translatio denotatur, *pag.* CCCCLXXI. 7.

D. M
RELIQVIÆ
CORPORIS
TARQVINI. CRISPI
FRONTONIS. C. L
TRIVMVIRI. CAP

Quare recte corpus a reliquiis Florentinus JCtus separavit, *l. monumentum. D. de Relig.* Nonnunquam tamen corpus integrum reportabatur, ut familiari monumento conderetur, quod ex veteri testamento colligimus, in quo Seia liberta ab heredibus petit, ut si in Provincia decessisset, sexaginta L. Titio darentur, ut is corpus ejus curaret & in patriam reportaret: & adjecerat hæc verba, ut sive in Provincia, sive in via aliquid sibi humanitus contigisset, corpus illius heredes curarent, & in Campaniam, & in monumentum filiorum reportaretur, *l. alumnæ. §. Seja. D. de adim. leg.* Corpus tamen hic pro reliquiis accipiendum videtur: nec enim Ægyptiorum more libertæ conditum corpus crediderim, nec Cerbidii Scævolæ ætate, ex cujus libris lex desumpta est, qui vixit ad M. Antonini tempora, cremandorum mos abolitus. Nam qui M. Antoninum edixisse scribunt, ut corpora mortuorum terra in posterum obruerentur, id nullo indicio probant. Verum quidem est cum pestis Romæ grassaretur, Antoninos leges sepeliendi sepulchrorumque asperrimas sanxisse, Capitolinus in *M. Anton.* Sed quod sanxerunt illi, ne uti quis vellet, fabricaret sepulchrum, nihil ad morem urendorum corporum pertinet, qui servatus Septimii Severi imperio, sub quo vixit Tertullianus. *Hic vero magis,* (inquit *lib. de resurrect. carn.* cap. I.) *video vulgus cum ipsos defunctos atrocissime exurit.* Minutius Felix, in *Octavio*, qui Diocletiani sæculo: *Magis miror*, ait, *quemadmodum tribuatis exanimi, aut non sentienti facem, aut non sentienti coronam.* Suspectæ mihi sunt geminatæ voces, *sentienti*, Minutius enim auctor elegantissimus frustra easdem repeteret, sed in unam contraheret. Minus tamen plena periodus esset, quæ hoc in oratore facit, ut suspicer, salva veterum Codicum fide, scriptum, *aut non sentienti facem, aut non sectanti Coronam.* Tertullianum hac in conjectura sequor, *lib. de coron. milit.* cap. V. *Tam contra naturam est,* inquit, *florem capite sectari, quam cibum aure, quam sonum nare.* Pro *sectanti* imperite scriptum a librariis *sentanti*, unde repetitum illud, *sentienti* Sectari flores Latini dicunt, non sentire, hujus tamen conjecturæ judicium ad emunctæ naris lectores remitto.

Sed dum corpus pro reliquiis a Scævola usurpatum dico, & falsos illos, qui ex Antoninorum legibus cadaverum ustionem tollunt: advertendum est, ex Christianorum institutis, cremari cadavera desiisse, circa tempora Constantini, adolescente pietate: qui mos omnino sublatus est, Theodosio imperante, Macrobius *lib.* VII. *Satur.* cap. VII. Nos interim hujus capitis reliquiis adjiciemus vetus testamentum Sempronii Tucidani militis. *Aurelius Tucidanus tacitam pecuniam si via Lat. Oss. meis re.* (id est, ossibus meis relatis,) *monumentum suo sumtu ædificaverit, habeto.* De tacita pecunia hic tacere non possum, de qua multa Cujacius *ad l. emptor. §. Lucius. D. de pact.* Tacitam pecuniam dare nos diceremus, *Donner sous-main une somme d'argent*, ut tacitum fideicommissum, quod quis indigno aut incapaci rogatus est restituere, *l. eum, qui tacitum. D. de his quæ ut indig.* & quod testator fidei heredis commisit, ut præstaret, si forte legatarius conditioni non expressæ paruisset. Sic tacite etiam relictum dicitur, quod neque testamento, neque codicillis expressum est palam, sed chirographo aut cautione domestica, quod ita valet, si fraus nulla facta legibus judicetur. Hoc Callistratus libro tertio *de jure fisci* nos docet, *l. 3. D. de jur. fisc. Cum quidam,* inquit, *testamento suo ita scripsisset, Vos rogo, ut in eo, quod a vobis peti, fidem præstetis: perque DEUM, ut faciatis, rogo;* & quæreretur, an id palam datum intelligeretur: Julianus respondit non quidem apparere, quid ab heredibus ex hujusmodi verbis petitum esset: quæri autem solere, quando intelligatur, quis in fraudem legis fidem suam accommodare, & fere eo jam decursum, ut fraus legi fieri videatur, quoties quis neque testamento, neque codicillis rogaretur, sed domestica cautione obligaret se ad præstandum ei, qui capere non potest, ideoque dici posse ex supradictis verbis non esse fraudem legi factam.

CAP. XXIV.

DE RESCRIPTO DD. FRATRUM, ET FUNERIS PRIVILEGIO.

In jus vocari non oportet funus ducentem familiare, justave mortuo facientem: Hoc quidem ex Prætoris edicto, *l. 2. §. fin. D. de in jus voc. Ut, nec qui cadaver prosequitur*, ex DD. Fratrum Rescripto, *l. 3. D. eod.* Quod male de funere familiari veteres interpretes intellexerunt. Funus enim familiare parentes aut liberi, agnati aut cognati ducebant, *l. parentes D. de his, qui not. infam.* quod sequebantur amici & vicini, Terentius in *Andr.* In eo autem differunt is, qui funus ducit, & qui cadaver prosequitur; ut si quis cautionibus judicio sistendi causa factis non obtemperaverit domestico funere impeditus, nec adsit præstituta die, non incidit in pœnam edicti, *l. 4. §. illud sciendum. D. si quis cautionib.* sed ei datur exceptio, atque ex causa funeris, cognitio sustinetur ex Antoninorum Rescripto. Humanum enim putaverunt propter fortuitos casus dilationes accipi, veluti si pater litigator filium vel filiam, vel uxor virum, vel filii parentes amiserunt, *l. interdum. D. de judic.* Qua exceptione is, qui funus prosequitur, non juvatur: hic enim in jus vocari quidem non potest, sed si vocatus ante fuerit, non debet causari funeris prosecutionem, ut exceptione utatur, quæ solum datur funere domestico impeditis. Hoc privilegium, *religionis beneficium*, Modestinus vocat, *l. aut religionis. D. de procuratorib.* cujus favore non compellitur judicium suscipere procurator, *l. post litem. §. fin. D. eod.* Loci tamen religionem a funere Ulpianus separavit, *l. 2. D. de in jus voc.* & certe religionis beneficium a religione loci differt multum. *In jus vocari non oportet*, Ulpianus ait, *neque Pontificem dum sacra facit, ne eos, qui propter loci religionem inde se movere non possunt, sed nec eum, qui equo publico in causa publica transvehatur.* Quid sibi hæc verba velint, & quid proprie sit loci religio, viri doctissimi non satis aperuerunt.

Religiosum locum mortui illatione fieri indubitati juris est: nec tamen loci religio hæc ad mortuos tantum pertinet ex Ulpiani mente, qui loci religionem sacris conjunxit, & interjectis verbis de transvectione equitum, post multa, de funere loquitur. Quare certum est loci religionem intelligi de loco sacro & religioso, omnis enim locus sacer religiosus est, non con-

tra: ut dedicatio omnis religiosa dicebatur, Cicero *pro domo sua*. Jacobus Rævardus *lib.* I. *Variar.* cap. VI. existimat Ulpiani locum corruptum, quem sic restituit, ut pro *se movere:* legat, *semoveri:* quasi dixerit Ulpianus eos, qui ad aras Deorum aut religiosa loca confugerint, vocari in jus, trahi aut rapi non posse. Nam is, qui domi est, interdum vocari in jus potest, tamen de domo sua nemo extrahi debet, *l. sed & si. D. de in jus voc.* Quod variis Plauti locis conatur probare, & ex illo maxime, qui est in *Rudente*, de ancillis, quas de Veneris ara abducere volebat leno. Sed hi loci nihil ad vocationem in jus faciunt, nec enim servus ancillave in jus vocari poterant, & si noxali judicio ageretur, illorum nomine judicium dominus accipiebat, *l. servus. D. de his, qui not. infam. l. si cum uno. D. si ex nox. caus. ag.* Retinet Cujacius *l.* XIII. *Observ.* c. XXIX. vulgatam, & putat neque ex loco, sive asylo, nec de domo sua ullum in jus vocari oportere. Quod M. Tullii testimonio Rævardus confirmavit, sed quo modo de loco sacro vel asylo movere se quis non posset, nullus dicit, ut vix dici quidem potest, nec enim in loco sacro vel religioso ita constrictus ullus tenebatur, ut inde si luberet, movere se non posset. Nam quod nonnulli putant, quosdam ita certo loco fuisse addictos, ut sacerdotes, qui a muneribus excusabantur, si id sacerdotium nacti essent, ut discedere ab eo sine religione non possent, *l. Prætor. D. de vacat. & excusat. muner.* vulgatam non probant lectionem. Ut nec illud Senecæ, *lib. de Tranquill.* cap. X. *quosdam exilia uno in loco tenent, quosdam sacerdotia.* Ita enim locis illis tenebantur sacerdotes, ut Flamen Dialis Romæ, qui a sacris discedere non poterat, nec urbem egredi, Val. Max. *lib.* I. c. I. poterat tamen in jus vocari, nisi dum faceret sacra. Privilegium sacerdotii, non loci, ab honoribus & muneribus civilibus excusationem præstabat. Inscriptio Neapoli, *pag.* CCCCLXXXIV. 6.

VERATIO. A. F. SEVERIANO
EQVITI. ROM. CVR. REIP. TEGIANENSIVM. AD
LECTO. IN. ORDIN. DECVRION. CIVI. AMAN
TISSIMO. QVI. CVM. PRIVILEGIO. SACERDOTI
CÆNIENSIS. MVNITVS. POTVISSET. AB HONO
RIB. ET. MVNERIB. FACILE. EXCVSARI. PRÆ
POSITO. AMORE. PATRIÆ. HONOREM. ÆDI
LITATIS. LAVDABILITER ADMINISTRAVIT

At ab in jus vocatione sacerdotes immunes non erant, nisi dum sacris operarentur.

Assentior Rævardo, & *semoveri* legendum puto, hujusque meæ sententiæ rationem reddo. In jus vocare est ad Prætorem aut eum, qui jurisdictioni præest, juris experiundi gratia manu ducere: etenim nisi manu duceretur in jus vocatus, frustra proponeret Prætor edictum, ne quis eum, qui in jus vocatus est, vi eximat.

De vocatis in jus leges duæ in XII. habentur: Prima: *Si in jus vocatus, ni it antestamino.* Altera, *Si calvitur pedemve struit, manum endojacito.* Calvitur, ἐξαπατᾷ, *Gloss. vet.* Privata delicta, quorum per actionem persecutio est, fallaciæ nomine apud Veteres designantur. Ab hoc M. Tullio, *l.* X. *ad Attic.* 4. I. *Homo sine fuco & fallaciis*, pro viro integro, qui nullo crimine pollutus est. Qui igitur in jus vocabantur ex contractu, vel quasi, ni irent, qui vocabat, antestabatur, quod est, testes adhibebat, qui antestati, de in jus vocatione testimonium præberent: nec trahi poterat ad Prætorem, qui vocaretur. At in privatis delictis, quæ dicuntur, si quis vocatus resistebat, obtorto collo ad Prætorem rapiebatur. Ex locis Plauti permultis, unum adfero, in *Persa*.

S. Age, ambula in jus, leno. D. quid me in jus vocas?
S. Illic apud Prætorem dicam, sed age in jus voco.
D. Nonne antestaris? S. Tuane ego causa carnufex,
Cuiquam mortali libero aureis atteram,
Quis hic commercaris cives liberos?

Privato delicto obstricti, ob loci religionem non poterant semoveri, id est, obtorto collo in jus ad Prætorem rapi. De asylo, loco sacro, vel domo sua neminem abripi posse, nemo nescit: Sed an de religioso loco per mortui illationem potuerit, hic locus postulat, ut quæratur. Puto ego ex religioso loco fas non esse aliquem in jus rapi. Quod si ad sepulchrum commoretur, nulla causa est, quin vocari in jus possit, *l. libertis. §. cibaria. D. de alim. & cibar. leg.* Hos autem justa causa detinebat, quos religio moraretur, ut nec vocari possent, nec judicio sisti cogerentur, nec Rubriano SCto continerentur, secundum Mæciani sententiam, *l. infantes. D. de fideicommiss. libert.* Evocati enim a Prætore si non adessent, excusabantur. Religio autem eos morari dicitur, qui funus ducebant, vel feriis novemdialibus, aut denicalibus detinentur, sacrificiumve anniversarium, quod recte fieri non posset, nisi eo die adessent ipsi, ut Cincius *lib.* III. *de re militari* referebat, apud Agel. *lib.* XVI. cap. IV. Quæ omnia religionis beneficio continentur.

CAP. XXV.

DE SEPULCHRO VIOLATO.

Prætor ait, *l.* I. *D. de Sepulc. viol. Cujus dolo malo Sepulchrum violatum esse dicetur, in eum, in factum judicium dabo, ut ei, ad quem res pertineat, quanti ob eam rem æquum videbitur, condemnetur. Si nemo erit ad quem pertineat, sive agere nolet, quicumque agere volet, ei centum aureorum actionem dabo. Si plures agere volent, cujus justissima causa esse videbitur, ei agendi potestatem faciam. Si quis in Sepulchro dolo malo habitaverit, ædificiumve aliud quam quod Sepulchri causa factum sit, habuerit: in eum, si quis eo nomine agere volet, ducentorum aureorum judicium dabo.* Hujus edicti verba, non ita perspicua sunt, ut magna luce non indigeant. Primo capite, in factum judicium pollicetur Prætor in eum, cujus dolo malo Sepulchrum violatum esse dicetur: quod est pœnalem in factum actionem, cujus certa pœna constituta non sit, sed quæ Prætoris arbitrio relinquatur, ut quanti ob eam rem æquum esse videbitur, Sepulchri violator damnetur.

Diversæ tamen proditæ sunt actiones & pœnæ variæ. In factum judicium datur iis, ad quos res pertinet. Si nemo erit aut agere noluerit, popularis actio datur civilis & pœnalis in factum. In hac populari actione, si plures simul agunt, Prætor eligit idoneiorem, *l.* 2. *D. de popular. act.* atque hoc genus judicii divinatio appellatur. Sed si is, cujus interest, agere noluit, & data populari actione, pœnitentia acta velit agere, antequam lis contestetur, a Prætore adjuvatur, *l.* 3. *§. si is cujus. D. de sepulc. viol.* Nam & is cujus

interest ante litis contestationem, creditor est ob privatum damnum: & ex populari causa, ante litis contestationem, nemo creditoris loco est, nec actio in illius bonis computatur, *l. pœnales. D. ad leg. Falcid.* Quod si lis contestata fuerit, cessante eo, ad quem res pertinet, quamvis Reip. causa ille absuerit, non debebit ex integro dominus adversus eum Sepulchri violati agere, qui litis æstimationem sustulerit. Nec enim potest videri, deterior fieri conditio ejus, qui Reip. causa absuit, cum hæc actio non ad rem familiarem ejus pertineat, sed ad ultionem, *l. 6. D. de sepulc. viol.* Qui Reip. causa absunt, in integrum a Prætore restituuntur, *l. 1. D. ex quib. caus. major.* hi enim non sui commodi causa, sed coacti absunt. Quare Sepulchri violati judicium, quod ad rem familiarem pertinet; integrum manere videtur, intra annum, quo primum de eo experiundi potestas fuerit. Sed si antequam abesset, noluerit agere, illoque absente postea lis contestata sit, & judicium acceptum: reus, qui litis æstimationem sustulit, id est, centum aureorum summam, de qua lis fuerat, damnatus solvit, securus est. Nam in executionibus pœnarum, paratum non est auxilium in integrum restitutionis, *d. l. auxilium. D. de minorib.* Utrum vero ea pecuniæ summa, quæ in populari actione ex bonis damnati solvitur, tota ei, qui egerit, debeatur: an partem illius dimidiam sibi fiscus vendicarit, est quæstionis. Scribit Cujacius *ad l. si quis id. D. de jurisdict.* plerumque actorem cum fisco pœnæ emolumentum partiri, quod ex Frontino *lib.* II. *de aquæ duct.* probare nititur. Nam si adversus SCtum de spatiis aquarum quis commisisset, in dena millia damnas erat, ex quibus pars dimidia præmium accusatori daretur, cujus opera maxime convictus esset, pars altera dimidia in ærarium redigeretur. Quod in publicis judiciis obtinuisse facile credo, si ita lata lex esset, *l. lege Cornelia. D. ad Syllanian.* in aliis non puto. Nam ut pœnales cæteræ, quas Prætor ex sua jurisdictione introduxit, actoris lucro cedunt: idem in popularibus sentiendum, si nihil de publico caveatur. Nam & in publicis judiciis, ubi pœna a lege aut Prætore non dividitur, nihil in publicum redigendum est. Quod enim præmii nomine datur, nec dividitur, nec restringitur, sed augetur plerumque, pro modo substantiæ accusatæ personæ, & judicis æstimatione, cum utilitas publica emergit ex accusatione, *l. 5. §. fin. D. de injur.* Sic lege Servilia jus civitatis assequebantur Latini, in ejus locum, quem repetundarum peregissent, Cicero *pro Cornel. Balbo.*

Sepulchri autem violati actio, quæ pecuniaria est, ita datur, si dolo malo Sepulchrum violatum esse dicetur. Nam si dolus absit, cessabit & pœna. Ut si per imperitiam, vel rusticitatem, vel casu aliquid factum sit, *l. si quis &. D. de jurisd.* Judicium vero in factum pro Sepulchro violato ita a Prætore datur, ut, qui de actione, quæ pœnalis est judicarit, æstimet quatenus intersit: scilicet ex injuria, quæ facta est, ex lucro ejus qui violavit, vel ex damno, quod contigit, vel ex temeritate ejus, qui fecit, *l. 3. §. qui de sepulch. D. de sepulch. viol.* nunquam tamen minoris condemnabit, iis quorum interest, quam solet extraneo agente, quod ad aureos centum extenditur. Potest & is ad quem res pertinet, interdicto quod vi aut clam agere, ut sepulchrum restituatur, *l. 2. D. eod.*

Quin & Sepulchri violati crimen publicum est, & potest dici ad legem Juliam de vi publica pertinere, ex illius parte, qua cavetur. *Qui quid fecerit, quo minus aliquis funeretur sepeliaturve:* quia & qui Sepulchrum violat, facit quo minus quis sit sepultus, *l. 8. D. eod.* Quod ita verum est, si cum cœtu, concursu, turba, & seditione Sepulchrum violetur, *l. 5. D. ad leg. Jul. de vi publ.* Sed ex quibus causis publica sunt judicia, ex his nemo prohibetur, quo minus & privato agat, ubi non principaliter de ea re agitur, quæ habet publicam executionem, *l. Prætor edixit. §. atque. D. de injur.* Et cum judicium Sepulchri violati in bonum & æquum conceptum sit, nec in certam quantitatem pecuniæ detur, sed in quantum Judici æquum esse videbitur: ei omni competit, cui æquum est eam dari, licet heres sit necessarius, & se defuncti non immiscuerit bonis, sed abstinuerit. Nam & si per hereditatem obtingat hæc actio, nihil tamen ex defuncti capitur voluntate, neque id capitur, quod in rei persecutione, sed in sola vindicta est constitutum, *l. quæsit. D. de sep. viol.* Quare jus Sepulchri ab hereditate ita separatur, *l. per hered. D. de acquir. her.* ut si Sepulchrum dirutum sit, vel in eo terra congesta, Sepulchri violati actio ei competat, qui heres non est, & quem jus Sepulchri sequitur. Sed si patris statua applumbata & adfixa non fracta, sed saxis cæsa est, Sepulchri violati agi non potest, injuriarum potest, *l. si statua. D. de injur.* Idem est, si forte cadaveri defuncti fiat injuria, tum actio competit heredi bonorumve possessori suo nomine. Spectat enim ad eorum existimationem, si qua defuncto injuria fiat: Idemque etiam est, & si fama ejus cui heres, quis extiterit, lacessatur, *l. 1. §. & si forte. D. de injur.* Quoties autem funeri testatoris vel cadaveri fit injuria, si quidem post aditam hereditatem fiat, dicendum est heredi quodammodo factam: semper enim heredis interest, defuncti existimationem purgare. Quoties ante aditam hereditatem, magis hereditati & sic heredi per hereditatem acquiritur. Denique si defuncti corpus ante aditam hereditatem detentum sit, acquiri hereditati actionem Julianus scribit. Quæ omnis actio sepulchrum non sequitur, sed heredem, cum alioqui neque heredi, neque in heredem detur, *l. injuriarum. D. de injur.*

Aliæ præterea in Sepulchrorum violatores pœnæ sunt constitutæ, quas Constantinus Imperator ad librarum auri XX. summam produxit, *l. 3. D. de sepulch. viol.* Sed & ii, qui ossa extraxerint, vel eruerint humilioris quidem fortunæ, summo supplicio afficiuntur; honestiores in insulam deportantur, relegantur, aut in metallum damnantur, *l. fin. D. eod.* Qui de Sepulchris materias auferunt, *tanquam sacrilegii crimini subjiciuntur*, *lib.* LX. *Basilic.* tit. XXXIII. ὑποκείσθωσαν τῷ τῆς ἱεροσυλίας ἐγκλήματι, cui proximum Majestatis crimen dicitur, *l. 1. D. ad leg. Jul. Majest.* & cujus pœna ignis aliquando & furca, quæ temperata est ad bestiarum damnationem, *l. 6. ad leg. Jul. pecul.* Magnum enim crimen est Sepulchra violare, nec in hoste ipso tolerandum. Quod Atheniensium legati ad Ætolos querebantur, cum Philippi Macedonis factum detestarentur. Quod is, qui Romanos atque alienigenas barbaros vocaret, omnia simul divina, humanaque jura pollueret: ut priori populatione cum Inferis Diis, secunda cum Superis bellum nefarium gessisset. Omnia sepulchra monumentaque diruta esse in finibus suis, omnium nudatos Manes, nullius ossa terra tegi, Livius *lib.* XXXI.

Aliquando accidit, ut qui heres est Sepulchri violati teneatur, si contra testatoris voluntatem intulerit, licet enim cavere testatori, ne quis eo inferatur, & servari voluntatem ejus oportet ex Imperatoris Antonini Rescripto, *l. 3. §. si quis. D. de sepulch. viol.* Qui autem violatum Sepulchrum vindicassent, quidam vindictam tumulo inscripserunt. Lapis Romæ, *pag.* DCCXXIV. 3.

HERACLIDES. MENEDOTI. F.
CALLISTE. MATRI. SVAE. ET
MENODOTI. FRATRI. L. L. L. P. O. M. S
TI. PLAVTIVS. LVPVS
TI. PLAVTIVS. SYNEGDEMVS
HOC. MONVMENTVM. SVVM
VIOLATVM. VINDICARVNT. ET
RESTITVERVNT. NOMINA
OBITORVM

Tertio edicto ducentorum aureorum judicium datur in eos, *qui in sepulchro violato habitarint ædificiumque alium, quam sepulchri causa factum sit habuerint.* Pandectæ Florentini legunt, *Quamque Sepulchri causa factum sit.* Vulgati *quam quod.* Lipsius *lib.* v. *Epist. quæst.* cap. XVIII. Florentinorum lectionem emendat, legitque *ædificiumve aliud quamde Sepulchri causa.* Quamde (inquit) antiqui pro quam, qua voce Ennium & Lucretium usos probat. At Romani Prætores antiqua hæc & obsoleta verba non affectarunt, quasi cum Evandri matre locuturi, sed scire atque intelligere omnes voluerunt, quæ suis edictis proponerent. Vera & germana lectio, *ædificium alium quam Sepulchri causa factum sit, habuerit*, juris auctoribus familiaris, ut multis exemplis Antonius Augustinus probat, *lib.* IV. *Emend.* cap. VIII. Sic Ulpianus, *l.* 2. *§. sed si. D. de judic.* alioqui compelletur judicium accipere, quam invenire eos, qui satis pro eo dent. Paulus, *l.* 2. *§. mutui. D. de reb. cred.* quia in genere suo functionem recipiunt per solutionem, quam specie. Quo loquendi genere Latinæ linguæ princeps Plautus usus est aliique permulti, a quibus dictio *quam* ponitur pro *potius quam.* Si quis ergo ædificium aliud in sepulchro potius habuerit, quam quod Sepulchri causa factum est, edicto tenetur. Hujus ratio est ne Sepulchra alienæ conversationis usum accipiant, *l. si quis. §. SCto D. de Relig.* Quod SCto. cavetur, in quod peccat is, qui in Sepulchro violato habitat, ædificiumve novum instruit, in quo moretur, hæc quidem contumacia est, propter quam pœna edicti duplicatur. Violati ergo Sepulchri reus est, qui eo dolo malo habitaverit, non is, qui ex officio vel testatoris voluntate. Ex officio ut nobilis illa Ephesi matrona, quæ ipso in Sepulchro, mariti cineres infami turpitudine violavit, cuique ancilla ad ingenium ficta lachrimas commodabat lugenti. Sic lego apud Petronium ubi scriptum, *lachrymas commendabat.* Nam ancilla perdita, quæ dominam ad nequitiam impulit, verius commodabat lachrymas, quam commendabat. Ex testatoris voluntate; ut liberti illi, quos ibi morari jussit testator, ubi corpus positum esset, ut per absentiam filiorum ad Sarcophagum illius memoriam quotannis celebrarent, *l. libertis. §. cibaria. D. de alim. & cib. leg.* Aliter vero si servus in sepulchro habitet, vel ædificaverit, noxalis actio cessat, & in eum Prætor hanc actionem pollicetur. Si tamen non habitet, sed domumculam ibi habeat servus, noxale judicium erit dandum, si modo habitare posse videatur, *l.* 3. *§. fin. D. de sepulch. viol.* Noxalis actio cessat, si servus in sepulchro habitet, quæ datur ex privato servi delicto. Hic vero publicum judicium est. Omnibus autem legibus servi rei fiunt, excepta lege Julia de vi privata, quia illius pœna, quæ tertiæ partis bonorum publicatio est, in servum cadit, *l. hos accusare. §. omnibus. D. de Accusat.*

Sed quid Prætor hanc actionem in servum pollicetur, quæ cum ducentorum aureorum sit, civilis videtur? Itaque in servum cadere non possit, qui nulla actione convenitur. Deinde publica judicia per actionem non ordinantur. An ergo hic actio pro accusatione accipi debet? Quod verum puto, quo modo M. Tullii *in Verrem* actiones dictæ sunt, & populares actiones dicuntur, quamvis criminis persecutionem contineant, & actio majestatis pro accusatione usurpatur, *l. in SCto. §. si propter. D. ad Turpill.* Certum est hic violati crimen in servo vindicari, quod in metallum damnatione aut capite punitur.

Cap. XXVI.


DE LEGIBUS SEPULCHRORUM.

Legem rei suæ dicere quilibet privatus potest, quod est, eam conditionem pacto convento adscribere, quæ fundi quoslibet possessores sequatur. Sed quod disponit testator, lex est, non conditio, quia a lege XII. hanc habet potestatem: ideoque lege obvenire hereditatem non improprie dicimus eam, quæ testamento defertur, quia lege XII. testamentariæ hereditates confirmantur, *l.* 130. *D. de verb. sign.* A lege ergo testator habet, ut legem dicat, ut quidquid disposuerit legis vim habeat. Quod nuper, cum apud Regem Christianissimum dicerem in sacro illius Consistorio multis argumentis comprobavi, I. *Idib. Novembr.* MDCXIV. Quare si pro jure Sepulchri scripserit testator, ne quis eo inferatur, ne Sepulchrum heres vendat, locet, donet, lex est: & mulcta testamento dicta debetur, ab eo, qui contra fecerit, *l.* 6. *& l. in testamento. D. de condit. & demonstr.* Mulcta ex ejus arbitrio venit, qui eam dicit. Is autem dicere potest, cui adjudicatio data est, *l.* 131. *§. inter. D. de verb. sig.* Nec conditio ex scriptura dici potest: Pœnam enim a conditione voluntas testatoris separat, *l. fin. D. de his, quæ pœn. nom.*

Quæ leges de conditionibus agrorum, ab authoribus divisionis, assignationisque dictæ sunt, conditiones plerumque sunt, quibus agri constituuntur, finiunturque. Nec enim authores limitum dederunt leges, sed legis habuerunt actionem, id est, legis executio iis mandata est. Ideoque de agrorum conditionibus libros suos inscripserunt. Hi quidem ex veteri legis Agrariæ Thauriæ fragmento, quod Carolus Sigonius *lib.* II. *de antiq. jur. Ital.* cap. II. ex Bibliotheca P. Bembi Card. Illustriss. exscripsit, assignabant, relinquebant, judicabant, commutabant, dividebant, finiebant, terminabantque, & conditiones colonis adscribebant, ut qui agri delubris Sepulchrisque publicis, qui publicis utilitatibus servirent, ad id usque tempus, quo agri divisiones fierent, in eadem conditione essent, qua fuerant.

Lex est Tiberii Cæsaris Imp. de Sepulchris sic scripta apud Frontinum. *De ea agrorum lege custodienda, & limitum, fidem stare oportet, qua, ad non*. anitum decumanis antebac adsignatum est, cum ager divisus militi traderetur, ut extremis a compaginantibus agris, limitibusve, monumenta sepulchrave sacrarentur,* &c. Deinde: *Eorum igitur Sepulchrorum sequenda est constitutio, quæ extremis finibus concurrentes, plures agrorum cursus spectant,* &c. Locum mutilum & obscurissimis antiquitatis tenebris eruendum ex veteri numismate restituo. *Qua ad novam Coloniam Atinam decumanis antebac adsignatum est.* Tiberius hanc legem tulit, quinto consulatu, quem solus tum gerebat anno Urbis DCCLXXXIII. hoc consulatu

ærei tres nummi percussi, inter quos unus est, cum hac subscriptione, VETTIACUS: Duo signa militaria, in quorum medio Aquila, CATO. IIVIR. CC. A. Vettiaci & Catonis nomina sunt Duumvirum agris assignandis, qui ab Augusto Præfecti, cum Nero Claudius Drusus frater Tiberii Coloniam deduxit. *Atina*, (inquit Frontinus, *De Coloniis*,) *muro ducta Colonia: deduxit Nero Claudius. Ager ejus pro parte in laciniis & strigis est adsignatus.* Ac ne quis verborum vicinitate & & nominum fallatur, Antium Coloniam deduxit Nero Imperator, quam populus ante deduxerat, Sueton. in *Neron.* c. IX. quamque ab Atina Frontinus separat, qui idem Neronem Claudium Drusum, a Nerone Imperatore sejunxit. Illum enim Neronem Claudium dixit, hunc Neronem Claudium Cæsarem. Atina, muro ducta, quæ in Germaniæ limitibus, Plin. *l.* III. c. XIX. veteranisque assignata, ad Germanorum incursiones reprimendas, adversus quos Drusi auspiciis bellum gerebatur. Ob cujus rei memoriam Tiberii Imperio percussus nummus.



Duumviri CC. A. signantur, quod interpretor, centuriandis agris. Centuriare est limitibus includere & separare: & agri ex hostibus capti, per centurias dividuntur, & militibus adsignantur, Higenus *de limit.* Quod Frontini verba confirmant, ager enim pro parte in laciniis, & separatim in partes distributus. Ideoque divisus ager in lege Tiberii dicitur, & decumanis adsignatus, militibus non limitibus.

Notum est legiones secundum ordinem delectuum nominari, Dio *l.* XXXVIII. Unde Primana, Secundana, Decumana, aliæque sic dictæ. A Decuma legione, Decumani milites veterani, quibus hi agri adsignati. Hac de re cum viro doctissimo sermonem habui, qui dubius, adverte (inquit) quomodo Decumanis Atinæ ager divisus sit, cum Plinius doceat Narbonam Martium Decumanorum ipsorum Coloniam. Ille enim ubi de Narbonensi Provincia, *lib.* III. cap. IV. *Narbo Martius Decumanorum Colonia. Forum Julii Octavianorum Colonia, quæ Pacensis, & Classica appellatur: In Mediterraneo Arelate, Sextanorum: Blitera Septumanorum: Arausio, Secundanorum.* Ita est inquam, sed hæ legiones ad Augusti tempora, quibus a Druso deducta est Colonia, sunt reducendæ. Nam bello civili confecto legiones Augustus legit, quæ Romanum a Barbaris Imperium tuerentur. *Ex his*, (ait Tacitus, *lib.* IV. *Annal.*) *præcipuum robur, Rhenum juxta, commune in Germanos Gallosque subsidium, octo legiones erant.* Quatuor in inferiore Germania, quatuor in superiore, inter quas decima non numeratur. Nam in Hispania legio X. Fretensis: in Suria, legio X. Gemina Pia fidelis, quæ Dionis temporibus in Pannonia superiori & Mysia, Dio *lib.* LV. Unde constat legiones pro temporum opportunitate de loco in locum traductas. Nam & quæ Arausio Se-

A cundanorum fuit, Cartenna Colonia Augusti legionis secundæ erat in Provincia Tingitana, Plin. *lib.* V. cap. II. Atinam vero Decuma legio deducta non est, sed Decumanis, hoc est, decumæ legionis militibus veteranis assignata, qui emeriti meruerant vacationem. Horum quidem non exiguus numerus fuit: Nam decumana legio ex veteribus epigrammatis non una fuit, in quibus legitur Augusta, Fretensis, quæ in Germaniam missa primo Vespasiani Imperii anno contra rebelles Batavos, Batavorum legio dicta, Inscriptio vet. *pag.* DXIV. 12. Illa eadem Gemina, Salutaris, Venerea. Ex his verus legis Tiberii intellectus elici potest, quæ
B absque hoc nummo vetere esset, intelligi non potuit.

Extremis autem compaginantibus agris monumenta sepulchrave sacrabantur, ut lex ipsa loquitur, in qua sacrare idem est quod consecrare, hoc est, terminum constituere, sacrificio facto, hostiaque cæsa, ut in defigendis terminis solebant, ut Nos *lib.* III. *de Vet. Jur. Pontif.* cap. V. ne sepulchra in extremis finibus poni solita pro termino errorem facerent, cum in mediis possessionibus illa etiam ponerentur, Siculus Flac. Eorum igitur (ait lex) sepulchrorum sequenda est constitutio,
C eorum sepulchrorum positio consideranda, cum pro finalibus accipiuntur, quæ extremis finibus concurrentes plures cursus agrorum spectant. Nam sunt monumenta, quæ propter perennitatem itinerum constituta sunt, ut dicunt Mago & Vegojas, quæ nullam limitum recipiunt rationem. Monumenta autem finalia non conjunguntur itineri publico, ei maxime, quod authoris nomen obtinet, & per Redemptores & Magistros pagorum munitur: sed ab itinere publico separata sunt, & sæpe pumices habent, per quos ex industria finales lineæ diriguntur. Corfinius ager finitur rivis, viis, monumentis. Teatæ, quæ est civitas
D Apuliæ, ager finitur viis, sepulturis. Civitates Provinciæ Calabriæ finiuntur terminis, viis, sepulturis. Hi fines sepultuarii sive cinerarii a Dolabella dicuntur.

Lex Tiberii me quasi in novam Coloniam deduxit. Sic soleo, si forte possim, ut Archimedis Sepulchrum M. Tullius, sic literarum monumenta septa undique & vestita vepribus & dumetis, indagare & falce purgare.

Veteres leges de Sepulchris in his libris hactenus attactas, quæ minuunt Sepulchrorum magnificentiam, prætereo consulto: ad Juliam venio, quæ sepultas illas suscitavit. Inter Juliæ sumptua-
E riæ capita unum fuit de Sepulchris. Quod ex M. Tullio *lib.* X. *ad Attic.* ep. XXXIV. probatur. Ille enim, *Numquam mihi venit in mentem, quo plus insumptum in monumentum esset, quam nescio quid quod lege conceditur, tantumdem populo dandum esse.* Idem, *lib.* XXXV. *Fanum fieri volo, neque hoc mihi erui potest. Sepulchri similitudinem effugere, non tam propter pœnam legis studeo, quam ut maxime assequar Ἀποθέωσιν, si in ipsa villa facerem. Lege quæso legem, mihique eam mitte: si quid in mentem veniet, quomodo eam effugere possumus, utemur.*

Aliæ sunt leges de Sepulchris, quæ privatorum
F ædificiis agrisve cavent. Nam Rogum Bustumve (Cicer. *lib.* II. *de Legib.*) vetant novum propius sexaginta pedes, adjici ædes alienas invito domino, quod incendium vererentur acerbum. Aliæ forum, id est, vestibulum Sepulchri, usucapi vetant, quæ tuentur jus Sepulchorum, hæc habemus in XII. *Tabulis* secundum naturam, quæ norma legis est. Translata etiam est Solonis lex ad Romanas leges. *Si quis sepulchrum aut foveam effoderit, quantum profundum, tantumdem relinquat*

Ἐὰν δὲ τάφον ἢ βόθρον ὀρύττῃ, ὅσον τὸ βάθος ᾖ, τοσοῦτον ἀπολείπειν, *l. fin. D. commun. div.* Cætera ſuo quæque loco explicamus.

CAP. XXVII.

DE REBUS LEGATIS AB HEREDE ET IN FUNUS CONSUMPTIS. DE LEGATIS CÆTERIS, QUÆ AD ALIMENTA PERTINENT, AUT AD TESTATORIS MEMORIAM CELEBRANDAM.

SI heres rem legatam ignorans, in funus conſumpſit, ait Calliſtratus libro quarto edicti monitorii, ad exhibendum actione non tenebitur, quia nec poſſidet, nec dolo malo fecit, quo minus poſſideret, *l. ſi heres. D. de leg.* 2. ſed per in factum actionem legatario conſulitur, ut indemnitas ei ab herede præſtetur. Quid ſi ſciens? exhibitoria actione tenetur, quaſi dolo malo fecerit, quo minus poſſideret, ut legatum evaneſceret, quod vindicari non poſſet, quod Julianus probare videtur. Nam ſi quis hominem, quem poſſidebat, occiderit, ſive ad alium tranſtulerit poſſeſſionem, ſive ita rem corruperit, ne haberi poſſit: ad exhibendum tenetur, quia dolo fecit, quo minus poſſideret, *l. Julianus. D. ad exhib.* Hoc ita debet intelligi, ut æquitas exhibitionis proficiat, & quamvis ad exhibendum directo agi non poſſit, in factum tamen actio detur, *l. exhibitionis. C. ad exhib.* quæ utilis eſt exhibitoria, utilitate ſuggerente, ideoque æquitas exhibitionis vocatur, *l. 3 §. interd. D. eod.* Quod ſi de fundo agatur, actio datur ex teſtamento. Ut ſi in fundo legato heres ſepelierit, æſtimatio referenda eſt ad totum pretium fundi, quo potuit ante ſepulturam æſtimari. Quare ſi fuerit ſolutus, actionem ex teſtamento durare, propter locum alienatum rationis eſt, *l. Mævius. §. in fundo. D de leg.* 2. Nam ſi ſolverit heres legatario fundum, hic poteſt poſt ſolutionem heredem ex teſtamento convenire, ut præſtet æſtimationem loci religioſi facti, quia legatum fuit fundi puri non religioſi. Durat ergo ex teſtamento actio, etiam poſt ſolutionem legatæ rei, ſi quid deſit, *l. ſi imaginem. D. de aur. & argent. leg.*

Sed quare in factum actio datur, ſi res in funus conſumpta ſit, & pro fundi æſtimatione actio ex teſtamento præſtatur? Has leges ſic conciliat Cujacius, ut putet actionem in factum utilem eſſe ex teſtamento. Omnis enim actio utilis appellatur in factum. Quare quæ actio, *§. in fundo*, ex teſtamento datur, utilis eſt ſive in factum, non directa, quod magnam habet dubitationem; quia res in funus conſumpta, a fundo debet ſeparari. Conſumi enim proprie dicuntur res mobiles, non ſoli, quæ perire magis poſſunt, ut chaſmate. Quare ſi quod legatum eſt, conſumptum eſt, ut puta veſtis & ea, quæ pondere numero & menſura conſtant, utilis actio ad exhibendum datur, quæ in factum eſt, quæque arbitraria eſt & ex bono & æquo ſecundum cujuſque rei de qua actum eſt naturam, ut judex æſtimet, quemadmodum actori ſatisfieri oporteat, *§ præterea. Inſt. de actionib.* Ex æquitate ergo ignoranti ſubvenitur, qui ſi in factum actione conveniatur, ut exhibeat, indemnitatem præſtat, quod eſt juſtam rei æſtimationem. At ſi dolus malus inſit, actio in factum a rei æſtimatione ſeparatur: utilitas enim legatarii venit in æſtimationem, & quantum illi abſit, & quantum lucrari poſſit, *l. ſi commiſſa. D. rem. rat. babet.* quod quidem judicis arbitrio relinquitur. Sed cum de fundo agitur in quo teſtator ſepultus eſt, actio ex teſtamento in heredem danda eſt, ex Papiniani ſen- A tentia in libris quæſtionum, qui variam interpretationem admittunt. In his juris difficultatibus, dici forte poſſet rem illam mobilem, legatam fuiſſe per vendicationem, quam jure legatarius vendicaret, vel ad exhibendum ageret. Quæ, ſi comſumpta ſine dolo eſſet, competeret in factum actio ſubſidiaria, quam daret Prætor æquitate ſuggerente. At fundum legatum fuiſſe per damnationem, quo in genere legati, non vendicatio vel in rem actio, ſed perſonalis ex teſtamento adverſus heredem præſtatur. Quod Tribonianus, cum ſublata eſſet legatorum a Juſtiniano differentia, minus perſpicuum fecit.

B Si vero fundum a teſtatore legatum, heres alii legaverit, pendente conditione: poſt exiſtente conditione, quæ priori teſtamento præpoſita fuerat, neque proprietas a legatario recedit, neque locum religioſum in eo fundo heres faciet, nec ſervitutem imponere poterit, ſed impoſita ſervitus finietur exiſtente conditione, *l. ſi fundum. D. de condit. & demonſtr.* At ſi loci religioſi pretium, per in factum actionem præſtare cogitur, illa actio tam heredi, quam in heredem competit, & perpetua eſt, *l. is, qui intulit. D. de Relig.* Nunc de conditionibus, quæ his legatis inferuntur, videamus.

C Conditionum inquit Mæcianus, quæ in futurum tempus conferuntur triplex natura eſt, (*l. conditionum. D. de condit. & demonſtr.*) ut quædam ad id tempus, quo teſtator vivat: quædam ad id, quod poſt mortem ejus futurum ſit: quædam ad alterutrum pertineant. *Si ad exequias funeris mei venerit*, niſi poſt mortem impleri non poteſt, hæc ergo ad certum tempus ſcripta eſt, quia legatum debetur, non ei, qui poſt mortem, ſed ei, qui ad exequias funeris venerit, cum ducerentur. Eadem conditio eſt, ſi tibi & ei, qui ex tribus liberis meis, in funus meum venerit, centum aureos legavero: nam etſi nemo venerit, non minuetur in tua per- D ſona legatum, *l. ſi tibi. D. de leg.* 3. Quid ſi fuerit legatum relictum ei, qui in monumentum fecerit, & plures fecerint: utrum datio in utriuſque perſona valebit, aut infringetur? Et verius eſt in his legata impediri, *l. ſi fuerit. D. de reb. dub.* Advertendum autem eſt, parem non dici eum, cui ita datum eſt, ſi monumentum fecerit, & eum, cui datum eſt, ut monumentum faciat. Nam quod relictum eſt, ut quid fiat, ſub modo relictum eſt, & cum habeat moram cum ſumptu, cautione oblata præſtatur. Quod ſi ita datum eſt, ſi monumentum fecerit, conditio eſt, quæ adimpleri debet, antequam legatum capiatur, *l. eas cauſas. D. de condit.* E *& demonſtr.* Tales vero conditiones ſi monumentum fecerint, non poſſunt niſi in omnibus ſimul perſonis exiſtere, *l. tales. D. eod.* Item, ſi cui aliquid legatum ſit, ut ex eo aliquid faceret, puta ut monumentum teſtatori, aut epulum Municipibus faceret, ſub modo legatum videtur, *l. demonſtratio. § fin. D. eod* Relictum quoque ſub modo eſt, quod ita ſcriptum eſt. Titio centum do, ut a monumento meo non recedat, vel ut in illa civitate domicilium habeat. Poteſt dici non eſſe locum cautioni, per quam jus libertatis reſtringitur, *l. Titio centum. §. Titio centum. D. eod.* quare modus pro F non ſcripto eſt, & legatum pure debetur. Sed in defuncti libertis alio jure utimur. Nam & ſub modo eis legari poteſt, ſi ad Sarcophagum morentur, *l. libertis. §. cibaria. D. de annu. leg.* Quod ſuis temporibus vulgatum, ridet Lucianus, in *Nigrino*. Μετὰ δὲ ταῦτα ἑτέρου δράματος ὑπέστη τῶν ἀμφὶ τὰς νεκύας τε καὶ διαθήκας καλινδουμένων, προστιθεὶς ὅτι μίαν φωνὴν παῖδες ἀληθῆ παρ' ὅλον τὸν βίον προΐενται, τὴν ἐν ταῖς διαθήκαις λέγων, ἵνα μὴ ἀπολαύσωσι τῆς σφετέρας ἀληθείας. Ἃ δὲ καὶ μεταξὺ λέγοντος αὐτοῦ γελᾶν προήχθην, ὅτι καὶ συγκατορύττειν ἑαυτοῖς ἀξιοῦσι τὰς

ἀμαθίας, καὶ τὴν ἀναλγησίαν ἔγγραφον ὁμολογοῦσιν. οἱ μὲν ἐσθῆτας ἑαυτοῖς κελεύοντες συγκαταφλέγεσθαι, τῶν παρὰ τὸν βίον τιμίων, οἱ δὲ καὶ παραμένειν τινὰς οἰκέτας τοῖς τάφοις. Vertit Interpres: *Post hæc autem quasi alteram fabulæ partem attingebat, notando ea, quæ circa funera mortuorum & testamenta agitantur: hoc addens, quod unam hanc vocem Romanorum pueri per omnem ætatem veram emittant, eam intelligens, quæ in testamentis usurpatur, ne a sua veritate depellantur. Illa vero etiam interea cum ab eo dicerentur, risu prosequi coactus sum, quod & secum sepeliri, stultitiam suam velle eos ajebat, & stultitiam suam aperte scripto etiam testari, dum alii vestes, quibus in vita pretiosioribus usi sunt, comburere eodem rogo secum mandant: alii autem & servos certos, ad Sepulchra adstare.* Non prætermittam, quod hic dicitur, liberos a parentibus petere, μὴ ἀπολαύειν τῆς σφετέρας ἀληθείας. *Ne veritatis suæ detrimentum patiantur.* Nam ἀπολαύειν in malam quoque partem usurpari Grammatici docent. Vertit Interpres Luciani, *ne a veritate sua depellantur*, quem authoris sensum non assecutum Brissonius Præses asserit, *l.* VII. *Formul.* in princip. *Hoc enim significabat*, (inquit) *Romanos veras demum voces emittere, dum suprema sua ordinarent, nudaque eorum pectora in testamentis patere: neque dum vivunt, sua ipsos voluntate uti, frui, sed ad alios ejus fructum pervenire.* Quæ mihi a Luciani mente longe remotiora videntur, quam quæ reddidit Interpres. Ego quidem veritatis suæ damnum capere, idem puto ac bonis avitis, aut justa hereditate privari, quæ lege obvenit, & jure quodam naturæ liberis defertur, Ἀλήθεια ἀληθεῖς δικαῖα, Hesych. & ἀληχὲς τὸ μὴ λήθῃ, ὑποπίπτον τῷ δικαίῳ, Aut. *Etymolog.* Ut veritas pro justitia, & verum pro justo a Latinis dicuntur. Quod Budæus pluribus exemplis docet, quam aliunde quæramus, *ad l.3. d. 3. D. pro soc.* Unum adfero ex Platone, apud quem Socrates *lib.* I. *de Rep. Hoc autem ipsum* (inquit) *justitiam scilicet, utrum ita simpliciter veritatem dicemus esse, & reddere quod quis acceperit?* Τοῦτο δ' αὐτὸ τὴν δικαιοσύνην πότερα τὴν ἀλήθειαν αὐτὸ φήσομεν εἶναι ἁπλῶς οὕτω, καὶ ἀποδιδόναι ἄν τις τι παρά του λάβῃ, Qui avita bona liberis ab intestato relinquunt, non tam dare illa quam reddere putantur. Atque hoc naturæ jus est, quo verus debitor Juliano, (*l. Julianus. D. de condict. indeb.*) is vocatur, qui natura debet. Ex quo veritas & natura sæpe pro eodem sumuntur. Adoptio naturam imitatur, ait Imperator *Instit. de Adopt.* M. Tullius adoptionem imitari veritatem dixit, in orat. *pro domo sua*. Idem ille *l.* II. *de Invention. Naturæ quidem jus est, quod nobis non opinio, sed quædam innata vis afferat, ut religionem, pietatem, veritatem.* Qui etiam. *Veritas est, per quam immutata ea, quæ sunt, aut ante fuerunt, aut futura sunt, dicuntur.* Ab eo Ulpiani vulgarem legem sic intelligebam: *Res judicata pro veritate habetur*, (*l. ingenuum. D. de stat. hom.*) ut in causa status, qui ingenuus semel pronuntiatus est, licet libertinus sit, ad naturæ jus illud rediisse videatur, quod nullo alio judicio postea infringi possit. Nam servitus est constitutio juris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam subjicitur, *l.4. §. servitus. D. de stat. hom.* In cæteris mallem, ut res judicata sit, quæ finem controversiæ judicis pronuntiatione recipit, *l.* I. *D. de re judic.*

Ad memoriam celebrandam quædam, quæ relicta essent, permisimus, *lib.* II. c. X. quod frequentissimum Veteribus fuit, ad certamina, ad ludos, spectacula, quibus populus oblectaretur. Certa pecunia, inquit Marcellus, *l. cum erat. D. de annu. leg.* id est, centum Reipublicæ Sardianorum relicta, per quadriennium certaminis Chrysanthiani. DD. Severus & Antoninus rescripserunt, videri perpetuam pensitationem reliquisse testatorem per quadriennium, non in primum quadriennium, honestum certamen, & disputatio splendita, si de Chrysanthiano contendamus, quod aliquantum me detinuit. Sardis Lydiæ quondam regia, quæ postea Mæonia dicta est, in qua Sardis eadem urbs præcipua, omni copiarum genere cæteras anteibat, quæ ejus, qui maritimam Præfecturam obtinebat, sedes fuit, τῷ σατραπεύοντι ἐπὶ θαλάσσῃ οἰκητήριον, Pausanias in *Laconicis.* Ab ea civitate Sardiana jurisdictio, quæ multas urbes complectitur, Plin. *l.* V. c. XXIX. Nam jurisdictio est, quam & diœcesin appellabant, quod nos *Ressortum* dicimus. A Sardibus Sardiana Respublica, non procul ab Ionio mari, quod me impulit, ut putarem primum navale aliquod in Neptuni honorem celebratum certamen, legendumque apud Martianum, *certaminis Chrysotriæni*, pro Chrysanthiani. Nam χρυσοτρίαινος Neptunus dicitur Aristophani in *Equitib.* a trifida cuspide χρυσῆν τρίαιναν ἔχων. Sed receptam lectionem confirmat lapis vetus, *p.* CCCXIV. I. effossus Romæ in Palatio Illustriss. Card. Farnesii, in cujus latere:

ΑΔΡΙΑΝΑ. ΟΛΥΜΠΙΑ
ΠΟΔΟΝΑΛΕΙΑ
ΧΡΥCΑΘΙΝΑ. ΕΝ. CΑΡΔΕCΙΝ

Chrysanthianum certamen ab eo dictum, qui illud primum instituit, vel in cujus honorem celebratum. Quale fuerit hoc certamen ex cippo vetere licet suspicari, qui est Romæ, *p.* DCLIX. 9.

D. M
CHRYSANTHUS
THRYPHOSAE
ALUMNAE
MEMORIAE. CAUSA

In hoc lapide insculptus est equus, cui venator insidet, & Aper, qui arborem contorquet, quod Venationem denotat.

Chrysanthii nomen Sardibus familiare. Chrysanthium Sardianum Suidas refert Philosophum Imperatoris Juliani temporibus vixisse, eumque Christianum. Cujus vitam conscripsit Eunapius, qui etiam Sardibus oriundus est. Alter ille, cujus nomen in lapide scriptum est, Sardianus videtur, ex vetere illa Chrysanthiorum gente, & venatio, quæ eodem in lapide expressa est, arguit Chrysanthianum certamen, venationem fuisse, quæ conjectura mea est, in qua nulla est rationum aut firmamentorum contentio ex Rhetorum disciplina. Illam sequatur, aut respuat, quisquis velit.

Et quoniam de Venatione hoc certamen intelligimus, non abs re fuerit notare, illam ubique permissam non fuisse. Aburnius Valens libro II. *fideicommissorum* scripsit, *l. legatam in fin. D. de administr. rer. ad civit. pertin. Municipio pecuniam ita legatam, ut ex reditu ejus venatio aut spectacula edantur, Senatus in eas causas erogari vetuit. Et pecuniam eo legatam, in id quod maxime necessarium municipibus videatur, conferre permittitur, ut in eo munificentia ejus, qui legavit, inscriptione notetur.* Quod idem Modestinus tradit *lib.* IX. *Re-*

sponsorum. *l. legatum. D. de us. & usufr. leg.* *Legatum*, inquit, *civitati relictum est, ut ex reditibus, quotannis in ea civitate memoriæ defuncti conservandæ gratia, spectaculum celebretur, quod illic celebrari non licet*. Modestinus respondit, cum testator spectaculum edi voluerit in civitate, sed tale quod ibi celebrare non licet: iniquum esse, hanc quantitatem, quam in spectaculum defunctus destinaverit lucro heredum cedere. Igitur adhibitis heredibus, & Primoribus Civitatis dispiciendum esse, in quam rem converti debeat fideicommissum, ut memoria testatoris, alio & licito genere celebretur. Sed quænam spectacula celebrari non licuit? Venationem credo, nec tamen omnem quidem illam, sed plenam solum. Venatio enim præcipuum Principis oblectamentum, Domitiani maxime temporibus, sub quo vixit Aburnius Valens, & Senatusconsultum cujus meminit factum: hinc illæ leges de Venatione ferarum, quas Honorius & Theodosius scripserunt, qui occidendi leones cunctis potestatem dederunt, non venandi. Bestias enim ad Principis voluptatem conquirebant limitum Duces, quas ad illius comitatum transmitterent. Quare plena Venatio sine permissu Principis edita nullibi est: leonum ut ferarum vulgarium multis permissa, quod ex Paulo clarum est, *l. Civitatibus. D. de leg.* 2. Civitatibus enim legari potest, quod ad honorem, ornatumque illarum pertineat. Ad honorem puta, quod ad edendum munus, Venationem, ludos Scenicos, ludos Circenses: licet Venationem plenam in municipiis aliquando datam observamus, *l.* III. *de Vet. Jur. Pont.* c. XX. quod aut a Senatu concessum est, aut Principis, vel temporis indulgentiæ tributum: cum labante Imperio ruerent leges.

Genera alia certaminum ita permissa, ut converti, aut aboleri sine publica, aut Principis authoritate non possent, ut Tribonii Rufini factum testatur. Ille vir egregius, (Plin. *l.* IV. *Epist.*) cum gymnicus agon apud Viennenses ex cujusdam testamento celebraretur, in Duumviratu tollendum, abolendumque curavit. Negabatur ex authoritate publica fecisse: Egit causam in Consilio Trajani Rufinus, non minus feliciter, quam diserte. Placuit agona tolli, qui mores Viennensium infecerat. Quod cum Imperiali sententia in Cognitionibus prolata judicatum esset gymnicum agona Viennæ non licitum, testamento postea restituere nullus potuit. Quod si ad memoriam celebrandam illum quis testamento jussisset, converti debuit fideicommissum. Notat Suetonius, in *Tiberio* cap XXXI. quædam adversus Tiberii sententiam decreta esse: Nam censente illo, ut Trebianis legatam in opus novi theatri pecuniam ad munitionem viæ transferre concederetur, obtinere non potuit, quin rata voluntas legatoris esset. Ubi notandum legatorem pro testatore dici, quod alio in authore vix legetur.

Ad ludos licitos transeamus, quidam (inquit Scævola *l. quidam. Reip. D. de usu & usufr. leg.*) Reip. prædia legaverat, de quorum reditu quotannis ludos edi volebat, & adjecerat. Quæ legata peto Decuriones, & rogo, ne in aliam speciem aut alios usus convertere velitis. Respub. cum per quadriennium continuum ludos non edidisset, quæsitum est, an reditus, quos quadriennio percepisset, restituere deberet heredibus, vel compensare in aliam speciem legati ex eodem testamento. Respondit etiam invitis heredibus, possessione apprehensa, perceptos fructus restituendos esse, & non erogatos secundum defuncti voluntatem, in alia, quæ deberentur, compensari.

Aliam movet quæstionem Modestinus, *l. annua. D. de annu. leg.* ***Annuam pecuniam***, ait, *ad ludos civitatis reliquit, quibus præsidere heredes voluit. Successores heredum negant se debere, quasi testator tamdiu præstari voluerit quamdiu præsiderent heredes: quærebatur, cum præsidendi mentionem fecisset testator, ad tempus, fideicommissum, an perpetuo præstari voluerit?* Modestinus respondit fideicommissum quotannis in perpetuum Reip. præstandum esse. Qui hos testamento instituebant ludos, plerique voluerunt, ut heredes iis præsiderent. Quod eorum errorem arguit, qui designatores, ludorum præsides vocant, de quibus nos hactenus, *l. b.* I. cap. XV. Num enim heredes, qui προκαθίζουσι, καὶ ἀγωνοθετοῦσι, ut Modestinus loquitur, *l. Sepititia. D. de pollicitat.* & ipsi designatores erant? quod absurdum est. Etenim in designatoris persona, in pollicitationibus, vel stipulationibus inutilis esse stipulatio: quæ ex æquitate liberis & heredibus prodest, *l. quodcumque. D. de verb. oblig.* Quo casu ergo certaminis editio licita est, heredum favore, forma pollicitationis servanda est, ut illi præsint ludis, ut Nos *lib.* III. *de Vet. Jur. Pont.* c. XX.

CAP. XXVIII.

DE ANNUO LUCTU.

Domesticus luctus, de quo nos supra, a more est, ut luctus annuus, qui a lege firmatur. Prætoris verba dicunt, *l.* I. *D. de his, qui not. infam.* *Infamia notatur, qui eam, quæ in potestate ejus esset, Genero mortuo, cum eum mortuum esse sciret. Intra id tempus, quo elugere virum moris est, antequam virum elugeret, in matrimonium collocavit: eamve sciens, quis uxorem duxit, non jussu ejus, in cujus potestate est. Et qui eum, quem in potestate haberet, eam, de qua supra comprehensum est, uxorem ducere passus fuerit*. Elugere est tempus moribus aut legibus præfinitum sumptis lugubribus explere. Grammaticis veteribus, elugere est luctum deponere, Agrœt. *de Ortogr.* mallem luctum perficere. Nam E. in compositis perfectivum est, ut efficio, exoro, Priscian *lib.* XIV. Lapsus est Rævardus, *lib.* I. *Var.* c. XX. quem Lapsius Belgarum Papinianum prædicat, cum elugendi rationem ad solas nuptias pertinere scripsit. Etenim & filii parentes, & ii filios elugere consueti, ex quo more, M. Tullius *libr.* IX. *epist.* XX. *patriam*, inquit, *eluxi, & diutius quam mater ulla, unicum filium*. Propertius *l.* IV. *eleg.* XII.

Et bene habet, nunquam mater lugubria sumpsi.

Quod & patribus familiare, ut M. Antonini factum probat, *qui proficiscens ad bellum Germanicum sub ipsis profectionis diebus filium nomine Verum, Cæsarem septennem amisit, quem non plus quinque diebus luxit, quod contra morem factum* refertur a Capitolino, in *M. Antonino*, apud quem pro *luxit*, legendum forte *eluxit*.

Aliud enim est lugere, aliud elugere. Nam & uxor elugere maritum cogitur, quem lugere quandoque prohibetur. Quod ut apertius explicetur, videndum est, qui elugeri debuerint, qui lugeri. Ex veteri Codice *Sententiarum* Pauli, hæc verba Cujacius quondam collegit. *Parentes & filii majores sex annis, anno lugeri possunt* (puto scriptum *elugeri*) *minores, mense. Cognatos proximioris gradus, octo. Qui contra fecerit infamium numero habebitur*. Quod Tribonianus immutavit, *l. parentes. D. de his, qui not. infam.* Nam lugendos quidem eos omnes censet, sed non elugendos, cum hoc rejicit ad pietatis rationem, & animi uniuſ-

uniuscujusque patientiam: ut qui non eluxerit infamia non notetur, contra veterem prudentiam, quam ad animi sui rationem, prout voluit, Tribonianus deflexit. Jure enim veteri, parentes liberos, liberi parentes, uxores maritos, atque omnes agnatos, & cognatos proximioris gradus, quibus heredes extitissent, elugere compellebantur. De parentibus & liberis Inscriptiones innumeræ. Sed exheredatum etiam filium luctum habere memoriæ patris placuit: idemque in matre juris fuit, cujus hereditas ad filium non pertineret, *l. fin. D. eod.* Proximiores autem agnatos aut cognatos, ita a proximioribus elugendos puto, quibus illorum hereditas, vel ex testamento, vel ab intestato deferretur. Nam qui heres non est, elugere alios non cogitur, quam parentes. Quod & ad heredem extraneum porrigitur, qui porcam contrahebat, si justa defuncto non fecisset ἔθιμα, consueta, more introducta. Sed heres extraneus lugere debet secundum animi sui patientiam, non elugere. Luctuosa enim hereditas ea est solum, quæ liberis aut parentibus defertur, *l. fin. C. de inst. & subst.* aliorum Luctus, sub persona risus est, ut Mimus notat.

In uxore duriores elugendi leges, propter sanguinis turbationem, & publicam morum disciplinam, qua mulierum intemperantia coercetur. Nam quæ nuptias festinassent, existimationem minuebant. Nec Ræyardo *lib.* I. *Variar.* cap. XX. assentiri possum, qui putat, si intra legitimum tempus, mulier partum ediderit, quamvis maritum luxerit, elugere eam non compelli, & decem mensibus a nuptiis abstinere, siquidem edito partu nubere potest. Nam ex Pomponii sententia, quæ intra legitimum tempus partum edidit, statim se nuptiis collocare potest, quod Ulpianus verum putat, *l. liberorum. §. unde. D. de iis, qui not. infam.* Non advertit vir doctus, Ulpianum de iis loqui, quos more Majorum lugeri non oporteret. Nam hi, qui non lugebantur, elugebantur tamen, propter sanguinis turbationem. Quare in eorum odium, qui lugendi non essent, nuptias licuit festinare, sine Principis rescripto. In cæteris rescripto opus fuit iis, quæ prægnantes non essent. Cum justitium Caligula indixisset, ne cui excusatio ulla esset, ad spectacula veniendi, lege lata, *luctus ita inhibuit, ut liceret viduis nubere intra legitimum tempus, si qualem uterum non gestarent.* Καὶ τὰ πένθη πάντα ἐπέσχεν, ὥστε καὶ ταῖς γυναιξὶ ταῖς τῶν ἀνδρῶν ἐστερημέναις γαμεῖσθαι, καὶ πρὸ τοῦ καθήκοντος χρόνου, ἄν γε μὴ ἐν γαστρὶ ἔχωσιν, ἐξεῖναι. Dio *lib.* LVI. Et M. Aurelius notatur, quod filiam suam non decurso luctus tempore, Claudio Pompejano dedisset, Capit. in *M. Ant.* Solebant ergo mulieres a Principe impetrare, ut intra legitimum tempus nubere liceret, *l. solet. D. de iis, qui not. infam.* Impetrare ἐπιτυγχάνειν, precibus assequi, quod jure non licet, obnixe exorare, quod passim non conceditur: Ut jus aureorum annulorum impetrare dixerunt, *l.* 4. *&* 5. *D. de jur. aur. annul.* Hinc Plauto luculentus, atque impetrabilis dies, qui diu expectatus feliciter successisset, in *Epidico.*

Prætoris edicto infamia notatur, quæ intra legitimum tempus nupserit. Id est, ante exactos luctus menses decem, qui a Numa præstituti sunt, Plutarch. in *Numa*, ex cujus legibus, si quæ nupsisset βοῦν ἐγκύμονα κατέθυσεν, *bovem prægnantem immolabat.* Numa indulgentior, religioni Prætor pudori consuluit. Religio quidem priori viro debita, nuptiarum festinatione violatur, *l. si qua. C. ad SCt. Tertul.* Decreto amplissimi ordinis luctus feminarum minutus, quo tristior habitus cæteraque mœstitiæ insignia mulieribus remittuntur, *l. decreto. C. ex quib. caus. infam. irrog.* non ita tamen ut intra tempus, quos his elugere maritum moris est, matrimonium contrahere permittatur. Nam quæ nuptias secuta est, perpetuo edicto labem pudoris contrahit, quod Accursius recte, infamis est ipso jure, & ipso facto, non expectata judicis sententia.

Sed & ea, quæ nondum a viro cognita est, & adhuc virgo est, elugere debet virum, Καὶ μὴ συναφθεῖσα ἀνδρὶ ἀλλ' ἔτι παρθένος οὖσα, πενθεῖν χρεὼν τὸν ἄνδρα, Harmenopul. *lib.* IV. *tit.* VII. Quod Cinna scribebat, *l. denique D. de rit. nuptiar.* eum scilicet, qui absentem accepisset uxorem, deinde rediens a cœna juxta Tiberim periisset ab uxore lugendum esse. Nam uxor ea dicitur, quantum ad hæc luctus solemnia, quæ in domum mariti deducta est. Illa enim jure sponsalium ex mariti bonis consequitur, quæ data, donata, relicta sunt.

Tempus autem luctus continuum est, *l. genero. D. de his, qui not. infam.* meritoque ignoranti cedit: ideoque si post legitimum tempus uxor de viri morte certior facta sit, Labeo ait, ipso eodem die eam sumere lugubria & deponere.

Interdum vero accidit, ut qui lugeri prohibentur, debeant elugeri, quod interpretor sine tristioris habitus insignibus eorum uxores legitimum tempus servare, ad nuptias contrahendas. *Non solent autem lugeri* (ut Neratius ait, *l. liberor. §. non solent. D. eod.*) *hostes vel perduellionis damnati, neque suspendiosi, neque qui sibi manus intulerunt, non tædio vitæ, sed mala conscientia.* Hostes a Neratio hic vocantur transfugæ, neque enim cum hostibus mores erant, aut jura communia, Cujac. *lib.* XV. *Observ.* c. XXXIV. Illi a perduellibus differunt, qui ad patriam delendam, parentes & liberos interficiendos veniunt, *l. minime. D. de Religios.* De his nos satis multa *lib.* I. cap. VII.

At viri uxores lugere non compelluntur, *l. uxorem. D. de his, qui not. infam.* Male vulgati Codices habent, *sponsi enim nullus luctus est.* Nam causalis illa conjunctio *enim*, abest a Florentinis. Quare legendum puto, *uxores viri elugere non compelluntur,* nullum quidem legitimum tempus viris est constitutum: aliquot tamen honeste moribus receptum, ob matrimonii honorem, ut uxores viri lugeant, secundum pietatis suæ rationem. Sponsi vero nullus luctus est, quia sponsus nondum maritus est, ut nec sponsa sponsum eluget, Cujacius, *lib.* IX. *Observ.* c. XVII.

Porro qui luget, abstinere debet a conviviis, ornamentis, purpura, & alba veste, Paulus *l.* I. *Sent.* tit. XXIII. *In domesticorum & necessariorum luctu, moris est mulieres, aurum & purpuram, ornatusque cæteros ponere, & atro amictu uti.* Dionys. *l.* VIII. Νόμος ἐστὶν ἐπὶ τοῖς ἰδίοις καὶ ἀναγκαίοις ποιεῖν κήδεσιν ἀποθέμενας χρυσόντε, καὶ πορφύραν, καὶ τὸν ἄλλον ἅπαντα κόσμον, μέλασιν ἀμφιασμοῖς γυναῖκες χρώμεναι. Lugentem mulierem egregie depinxit Terentianus Syrus, in *Heautontim.*

—— Ipsam offendimus
Mediocriter vestitam veste lugubri,
Sine auro tum ornatam, ita ut quæ ornantur sibi:
Nulla mala re expolitam muliebri,
Capillus passus, prolixus, circum caput
Rejectus neclegenter.

Cato ait apud Serv. *l.* III. *Æneid.* deposita veste purpurea fœminas usas cærulea: sed color cæruleus in acerbo funere filiorumfamil. præcipue adhiberi solebat. Purpuratos tamen legimus Severi Imp. filios, urnam cum patriis reliquiis gestantes, quos populus universus laureatus excepit, Herodian. *l.* IV. Quia forte infausti ominis fuisset, in veste lugubri Imperium auspicari. Alba tandem vestis in luctu ab ipsius Severi temporibus, quod alii ante nos observarunt, Lipsius *ad Tacit. l.* II. *Ann.*

CAP. XXIX.

DE PUBLICO LUCTU.

Luctus Publicus, stante Rep. nullus indictus, ne in publica quidem calamitate: ingentem tamen illum fuisse narrat Livius, *lib.* IX. sed sponte susceptum & sine publica authoritate cum exercitus ad furcas Caudinas, sub jugum missus est. Tum enim tabernæ circa forum clausæ, justitium in foro sua sponte cœptum, priusquam indictum, lati clavi, aurei annuli positi. Justitium mœstitiæ speciem præferebat & luctus, non hujus tamen, qui vestis mutatione ob alicujus mortem ostentabatur. Nam justitio vetabatur privatæ quidquam rei agere, non lugere: sed præsto omnes esse & Magistratuum imperio audientes, Livius *lib.* III. Quare cum matronæ Brutum & Publicolam depositis auro & purpura per annum luxerunt: non publico consilio id factum, sed suo, Livius *l.* II. Dionys. *l.* V. De Numa Pompilio Dionysius, *l.* II. πενθήσαντος δ' αὐτῷ πένθος μέγα προὔθετο ἡ πόλις. Vertit Interpres, *defunctum Luctu publico civitas bonoravit*: sed πένθος μέγα προτίθεσθαι, est *magnum luctum præferre, magno Luctu defunctum prosequi*, quod nullo edicto jussum est, ut nec civitas, sed Magistratus edicebat.

In privatorum periculis proximiores & amici vestem mutabant, quod ingentis Luctus erat indicium: civitas vel Senatus nusquam. Hoc M. Tullius nos docet, ille enim, in orat. *post redit. in Senat. Nostra memoria Senatus ne in suis quidem periculis, mutare vestem solebat: in meo periculo Senatus veste mutata fuit.* Hoc quidem pro se uno, post hominum memoriam publico consilio susceptum etiam testatur, in orat. *pro Planc.* nam Prætores omnes Ædilesque prætextam abjecerunt, quam Consules retinuerunt, in *orat. post. red. in Senat.* Quod vero dicit M. Tullius, pro se uno post hominum memoriam hoc factum, non omnino verum est. Nam conjecto in carcere Manlio fatis constat magnam partem plebis vestem mutasse, & multos mortales, capillum & barbam promisisse, Livius *lib.* VI. Ut cum Censoribus dies dicta esset, a Rabirio Tribuno pleb. Principes Civitatis in conspectu populi aureis annulis positis vestem mutarunt, idem *lib.* XLIII. Post Ciceronis casum frequentius id accidit: Nam cum M. Catonis Tribuni pleb. intercessionibus comitia tollerentur, Senatus vestem mutavit, Florus *Epitom.* CV. Paulo post civilibus discordiis turbata Republica cum Cæsar bello Gallico confecto exercitum deportare nollet, impedita comitia, cædes multæ, accersitus Pompejus: Consules ob eorum tumultus, qui cædes edebant, tanquam in magno Luctu, Senatoria veste posita, Senatum in veste equestri habuerunt, Dio *lib.* XL. Καὶ περὶ τὸ βουλευτήριον ἐσθῆτα ὥσπερ καταθέμενοι, κἂν τῇ ἱππάδι τὴν γερουσίαν, ὥσπερ ἐπὶ μεγάλῳ τινὶ πένθει συνάγοντες.

Atque hoc in publicis vel privatorum periculis, in nullius morte usitatum, quod mutata Rep. immutatum est. Nam & justitium ad Luctum indictum est, & Luctus publice decretus, quod primum in funere Augusti introductum. Placuit enim, ut eum viri dies aliquot, mulieres vero annum integrum elugerent, Dio *lib.* LVI Τότε δὲ πένθος, τὸ μὲν ἐκ τοῦ νόμου, ὃν μὲν ἄνδρες οὐ πολλὰς ἡμέρας, αἱ δὲ γυναῖκες ἐνιαυτῷ ὅλῳ κατὰ ψήφισμα ἐπένθησαν. Senatus deinde gliscente adulatione Livia mortua, Luctum mulieribus annuum edixit, idem *lib.* LVIII. Πένθος αὐτῇ παρ' ὅλον τὸν ἐνιαυτὸν ταῖς γυναιξὶν ἐπήγγειλαν. Quod tandem eo crevit, ut Druso mortuo justitium longius Tiberius inhibuerit, Sueton. in *Tiber.* cap. LII. Sed Drusilla defuncta ita Caligula indixit, ut

A veri Luctus & multorum funerum tendicula esset, idem in *Caligul.* cap. XXIV.

In publico Luctu Senatores equestri habitu, Magistratus Senatorio, positis prætextis considebant. Illi solito quisque loco: Consules inferius, alter in Prætoriis, alter in subselliis Tribunorum pleb. Dio *lib.* LVI. fragmentum marmoreum Luctus publici visitur Romæ, pag. CCCCXCIII. 2.

CONSILIS. PVBLICIS. CON . . .
ANNVM. EXPLETVRVS . . . .
MORTEM. EIVS. IVSTITIO. PER. CON
B OMNES. LVXERVNT. CENSV . . .
INSIGNIBVS. DECORATA. CV . . .

Plura de Luctu prætereo, hunc enim viri permulti scriptis suis magnifice adornarunt.

CAP. XXX.

DE LUCTUS MINUTIONE.

Ut Luctus publicus Magistratuum edicto aut SCto indicebatur: eodem quoque modo C inhibebatur ille, minuebatur, aut tollebatur. L. Posthumius a Gallis deletus cum nunciata clade, per dies multos in tanto pavore fuisset civitas, ut tabernis clausis velut nocturna solitudine per urbem ageret: Senatus Ædilibus negotium dedit, ut urbem circumirent, aperirique tabernas & mœstitiæ publicæ speciem Urbi demi juberent, Livius *l.* XXXIII. Sic in M. Tullii periculo, vestis mutatio edictis atque Imperiis vetita, Cicero in *orat. post. red. ad Quir.* & Consules, ut ipse loquitur, Luctus indicia, Patribus Conscriptis, non Luctum ademerunt. Edicti formula hæc fuit: *Ut ad suum vestitum Senatores redirent*, idem *pro Sextio.*

D Causas minutionis Luctus has Festus profert, in verb. *minuitur: Minuitur populo Luctus, ædis dedicatione, cum a Censoribus lustrum condebatur: cum votum publice susceptum solvebatur. Privatis autem cum liberi nascerentur, cum honos in familiam veniret, cum pater aut liberi, aut vir, aut frater, ab hoste captus, domum rediret, cum puella desponsaretur, cum propiore quis cognatione, quam is, qui lugetur, natus esset, cum in Casto Cereris, omnique gratulatione.* Quatuor causæ minuendi Luctus populi referuntur, qui populi Luctus publicus non erat, sed privatorum, qui multi universitatis nomine designantur. Una causa minutionis fuit gratu-E latio, id est, *gratiarum actio*, εὐχαριστία, qua diis gratias agebant ob publicam lætitiam vel bellum prospere gestum, ut Nos *lib.* IV. *de Vet. Jur. Pont.* cap. XVI. Cum lugubri bello finis impositus supremа Carthaginensibus pugna, gaudium id populo impertiri, Patres jusserunt, Livius *l.* XXX. patefacta gratulationi omnia in Urbe templa, supplicationes decretæ, ludi etiam facti, quæ universum populum a Luctu avertebant.

Ob votorum Solutionem, dum Respublica vixit: ob illorum nuncupationem sub Imperatoribus mi-F nutus & inhibitus Luctus. Ælius Verus cum pulcherrimam orationem parasset, qua Kalend. Jan. Adriano patri gratias ageret, Kalendis ipsis periit, quem vetuit Adrianus lugeri, quia vota interveniebant, Spartian. in *Adrian. & Ælio Vero.* De votis ea aliquando solvimus, quæ iterum a nobis hic exigenda non sunt, *lib.* IV. *de Vet. Jur. Pont.* cap. XIII.

In ædis dedicatione & lustro condendo minutus Luctus: quod in dedicatione ea fuit Populi Romani lætitia, ut spectacula & ludi epulæque darentur, quibus lugentes interesse non pos-

ſent Livius *lib.* XXXVI. Dio *lib.* XLII. Caligula cum triumphali habitu templum Auguſti dedicaret, epulum Senatoribus ac eorum uxoribus, & populo dedit, varia ſpectacula edidit, juſtitium indixit, Luctus prohibuit, Dio *l.* LIX. *Τὰ πάθη πάντα ἐπέχειν.* Verbum *ἐπέχειν*, ſignificat *minuere* & *inhibere* ex Majorum inſtituto. Ob ædis dedicationem minutus eſt populo Luctus: ex Caligulæ inſania inhibitus & ſublatus, qui viduis permiſit, ut nubere poſſent, quibus alioqui Luctus impedimento nuptiis fuiſſet.

Cum luſtrum conderetur, hoc maxime Cenſores obſervarunt, ne ominis infauſti quid committeretur, vel quod Luctum portenderet. Quare Luctus omnis minutus luſtri tempore, quod eſt lugubria interim depoſita, omnia triſtitiæ inſignia intermiſſa: nihil enim religionum ceremoniis adverſatur magis, quam Luctus, qui ideo minuebatur, quod eſt, non omnino tollebatur, ſed ad tempus deponebatur. Aliud enim eſt minuere Luctum, tollere, vel inhibere. Minuitur Luctus: dum aliquid de luctu detrahitur, id eſt, cum lugubria diebus ſolemnibus deponuntur, quibus elapſis, a lugentibus reſumebantur.

Luſtro completo Cenſores victimas offerebant ſolemni ſacrificio. Unde a luſtro hoſtiæ luſtrales dictæ, & luſtralia, Serv. VIII. *Æneid.* quæ duabus manibus accepta Cenſor ingerebat, quæ non proſecarentur. Hæc ratio fuit, cur Cenſori cum luſtrum condit, mortuum intueri nefas eſſet. Nullum enim publicum ſacrum a lugentibus aut funere pollutis perfici potuit, nulla dedicatio, ut vulgatum Horatii Pulvilli exemplum teſtatur.

Luctus olim non minuebatur ob ludorum celebrationem, niſi publicæ gratulationis cauſa novi exhiberentur. Nec enim ludorum celebritas populum ad ſpectacula adſtringebat. Quod ſub Principibus aliter ſervatum.

Finiti Luctus unum habet Romana hiſtoria exemplum, cum poſt Cannenſem cladem triginta diebus terminatus eſt, Liv. *l.* XXII. quia matronæ ſacris Cereris non intereſſe ſolum, ſed præeſſe debuerunt. Quod cum omnibus matronis lugentibus intermiſſum eſſet, SCtum factum ne ſacra publica, aut privata defererentur. Nam ſacrum Cereris a matronis veſte candida, nec funere pollutis fieri debuit, Græco ritu, idem *l.* XXXIV. Male ſcriptum eſt apud Feſtum, in verb. *Græca ſacra*, Luctum illum centum diebus finitum, contra Veterum fidem.

Aliæ ſunt minuendi Luctus cauſæ privatis, aut finiendi, ut ſi quæ illorum opera felicitas Reipublicæ contigiſſet, *ὅταν δ᾽ ἐτυχήσῃ δι᾽ αὐτὰς τὸ κοινὸν*, Dionyſ. *l.* III. vel ſi quid proſpere aut exoptatum obveniſſet. Sic cum exceſſiſſe Germanicum Piſoni nunciatum eſſet, Plancina uxor inſperato gaudio inſolens, Luctum amiſſæ ſororis tum primum læto cultu mutavit, Tacitus *l.* II. *Annal.*

Ego vero, Præſes Maxime, dum exoptato otio fruor, lugubria hæcce depono, & hilariore animo luctum finio, ſi ex Græcorum more Apollini vero hoc ſacrum poſuero, quod animi mei teſtationem habeat, quæ in hac ſcribendi ratione non aperta eſt ſatis. Nam cum hæc primum ſcriberem, ea mihi mens erat, ut poſt transfactam vitæ meæ fabulam nomini meo, ſi qua eſt ea gloria, conſulerem, eamque laudem pararem, quam viri, de literis bene meriti, ſuis laboribus aſſequi ſolent. Sed cum diligentius ea, quæ ſcripſi, recenſerem, aliter multo evenit, quam infirmiore animo prius conceperam. Etenim ab his ſtudiis, a quibus antea laudem & delectationem modo petebam, nunc vero ſalutem etiam quæſivi & veram virtutis hereditatem cernere diebus paucis, quibus ſcivi potuique. Cogitavi illico ecquid moles iſta corporis, quæ tot ambitionum machinis fulcitur, laudis tandem aut gloriæ meretur? quid honores? quid triumphi? quid rerum feliciter geſtarum memoria? quid divitiæ? quid orbis terrarum Imperium? quorum vanæ imagines tot funera antecedunt & ſequuntur? Tot illa funera, tot Urbium vaſtationes, tot Imperia proſtrata, atque diruta, cum ante oculos jacerent: Intuebar magis in Sepulchris homines florentes ætate, opibus, honoribus, ingenio, liberis, propinquis, affinitatibus, amicis ſpoliatos & ſepultos. Videbam ſepulchra ipſa neglecto cinere abjectis cadaveribus, vermium fœtoribus repleta: quæ cum me mortalitatis ipſius monerent, mecum ſæpe collocutus, adhibui me in conſilium, me audivi, mihi obtemperavi, ut quæ habent ſpeciem gloriæ collecta, ex inaniſſimis ſplendoris inſignibus contemnerem, brevia, fugacia & caduca exiſtimarem. Profuit ergo ſi non ad virtutem comparandam, certe ad eruditionis, quæ via ad illam eſt, vetera inſtituta e Sepulchris eruere, pulchraque antiquitatis facinora meditari, quæ in virtute poſita e tumulis viros probos ubique excitant redivivos. Cum itaque his cogitationibus detinerer, DEI Opt. Max. vox illa prima aures perculit: *Ecce poſui coram te vitam & mortem, bonum & malum.* Bonum illud, inquam, virtus eſt & vita: malum vero mors & vitium. Virtutem ergo, a qua vita proficiſcitur, amplexatus, diligentius quid illa eſſet, quid vita, quibuſve artibus parari poſſent, cum animo volverem, tria vitæ genera ab optimis & ſapientiſſimis viris conſtituta reperio. Unum, ſuave: triſte, alterum: tertium, hilare. Suavem vitam putaverunt, quæ ſine mœrore tranſigitur: Triſtem, quæ variis jactatur fortunæ ſævientis, aut vitiorum procellis: hilarem porro, quæ dolorum effugia quærit, quas Philebi ſectatores nuncupant voluptates. Hæc quidem in rebus humanis ita verſatur, ut inter dolores & voluptates media, ei magis ſtudeat, quæ habet delectationem. Quæ tamen ad meliorem ſæpe tracta ordinem, certo quodam numine juvatur: ſed interdum reluctata, ordine virtutis relicto ad hoſtium caſtra transfugit, quibus impietas & injuſtitia dominantur. Sæpe vero in virtutis & vitiorum vicinia ita traducitur, ut ſuavitatem nunc aliquam, mox triſtitiam experiatur. Sic humana vita eſt, quæ diverſis fluctibus obruta, nunc adverſis ventis navigat, nunc ſecundis: quam merito ſcalæ imaginem habere dixerunt. Una enim dies nos de faſtigio detrahit, alia extollit in altum, variique aſcenſus, & deſcenſus, qui nos in cœlum ferre nunc videntur, nunc in terræ viſcera præcipites dare. Prudenter hercle Plautina mulier,

Satin' parva res eſt voluptatum in vita
Atque in ætate agunda,
Præ quam quod moleſtu': ita quoique comparatum
Eſt in ætate hominum,
Ita Dis placitum, voluptati ut mœror comes conſequatur.
Enim incommodi plus malique illico adſit, boni ſi obtigit quid.

Nam in totius vitæ tragœdia, vel comœdia dolores voluptatibus ſic immiſcentur, ut ſua ſorte nemo contentus vivat. In ea maxime perturbatione, & confuſione, rerum, quæ tanta eſt, ut cuique locus, ubi ipſe ſit, miſerrimus eſſe videatur. Loquor forte apertius, quam tempora noſtra patiuntur, vel multorum hominum poſtu-

lant mores: sed aberrationem a molestiis hanc mihi habere liceat; inter eorum gemitus & querelas, qui philosophiæ asperitatem amplectuntur, multis ridiculam, aut invisam. Quid enim aliud hodie illa, quam generosa stultitia æstimatur? ut Socrates quondam Trasymacho dicebat. Non horum temporum, non horum hominum atque morum negotium est, de altiore sapientia tractare: quæ tamen cum eam habeat suavitatem, quod genus vitæ primum positum a nobis est, minimo periculo vel cum perditis hominum ingeniis possem confligari. Antisthenis verum vetus illud est, *Virum bonum molestam esse sarcinam.* Nec enim facile feruntur ii, qui virtutis excellentiam prædicant, quorum gravis & molesta fere semper est oratio, quasi sapere videri velint ad ostentationem. Sed a funebri pompa nemo facile ad umbram gloriolæ transire credet eum, quem a prima ætate maxime philosophia delectavit, quæ mortem corporum meditatur, ut incorruptibilem vitam possit adipisci. Prioris ergo vitæ suavitas, quæ sola vitalis est, in corporis & animæ separatione consistit: aliorum vita somnus est & insomnium, vel vera mors, cum vanis affectibus sepultus animus e virtutis vita migrat & emoritur, ut in vitiis vivat & volutetur. Optime Heraclitus, *nos vivere illorum mortem, & mori illorum vitam*, monebat. Quasi diceret, nunc cum vivimus mortuum animum monumento corporis sepultum contineri: qui liber & corporis ipsius vinculis solutus vivit, nec solum adversam, sed etiam eversam fortunam fortiter tolerat, contra illius omnes impetus armatus.

Quis servus est, ait Poeta, *mortem qui potest temnere?*

Nimirum intellexerat quisquis hujus sententiæ auctor fuit, nihil æque a corporis servitute animum liberare, quam mortis contemptum, qui ex assidua illius meditatione oritur. Hæc profunda sapientia est, quæ, ut Parmenidi Plato dicebat, vulgarium animarum oculos fugit, qui divinæ mentis radios suscipere non possunt: quam quidem sapientiam primigeniam hominis possessionem jure appellavit. Cujus is finis est, ut nosmetipsos & mortales omnes stultitiæ damnemus, si a virtute tantisper peregrinamur. Vere enim scripsit alter Poeta,

—— *Sapientia prima est,*
Stultitia caruisse.

At quæ major stultitia, vel potius insania est, quam ita vivere quasi nunquam simus morituri, vitamque ipsam miseram æternæ felicitati anteferre? quæ vero æterna illa felicitas est? num virtus? num sapientia? num ea quæ sapientes ipsi enumerant bona? de quibus recte sentiunt quidem nihil illorum summum esse, sed tertium aliquid, quod iis omnibus præstantius est. Hæc enim quæ bona putantur, a foribus veræ sapientiæ, & ab illius pomœrio longe remota sunt, quæ tamen, ut in urbis amplissimæ superbiis morari videntur, in qua æterna mens degit, quæ una perfectam continet felicitatem, quam nobis morte crudelissima comparavit primogenitus mortuorum. Felicitas quidem illa summum hominis bonum est, quo fruitur demum, cum ad finem ultimum pervenit, & quod illi optimum est consecutus, quod ipsam superat mortem. Mors enim neque felicitatis ullius habet rationem, neque id est, cujus gratia nati sumus. Nam mortalis omnis natura sua ad Deum ita dirigitur, ut ipse ad aliud non referatur. Atque ut prima duntaxat rerum omnium causa Deus est: sic finis etiam appellatur, ad quem peracto vitæ curriculo redeunt omnes boni. Hunc finem altioris sapientiæ Magistri beatitudinem objectivam dicunt, cujus effectus amor est, qui per objectum movet voluntatem: & hic quidem amor est effectus finis, ut finis. Ut enim unicum & primum principium est, nec duo ulla ratione dari possunt: sic unus & ultimus finis est, qui ad primum illud principium, qui Deus est, redire debet. Si ergo Deus finis est hominis & summum illius bonum, nullam aliam extra Deum felicitatem esse necesse est, quæ duas animæ partes præcipuas moveat, intellectum scilicet & voluntatem. In illo vera residet cognitio Dei: in hac amor perfectus. Intellectus divinam, hoc est, absolutam boni naturam, per sapientiam contemplatur: voluntas appetit, quod porrigit intellectus, cum nullo impedita corporis vinculo in Dei vultum avide reflectitur, quam aviditatem, Dei vultui penitus inhærentem, amorem dicimus. Quo si quis correptus in terris vivat, verum illud dictum sentiet, *Moritur quisquis amat*. A proprio enim solutus corpore vivere videtur, qui cum ad verum tendit finem, totum se Deo devovet, qui nos ex hominibus faciat Deos. Nemo autem potest dicere, sibi unum & solum Deum esse, nisi qui inferiora omnia despicit, & flocci facit. Procul hinc impia Sophistarum phantasmata, quorum multos tanquam numina doctrinæ vulgus veneratur, cum nihilo plus sapiant, quam Gyrinæ ranæ. Abeant illi, qui de Dei sermonibus, ut de lectione non recta aut corrupta, perperam sentiunt, fabulantur temere & cavillantur, atque unius literulæ mutatione errores veteres calide fovent. Audiant quæ semel Deus locutus est, cum duo hæc audita sunt: *Quia potestas Dei est Domini misericordia, qui reddet unicuique secundum opera sua.* Potestas improbis damnationem parat: misericordia bonis felicitatem. Mortem illa & vindictam: hæc vitam promittit & gratiam. Atque ut sua ii stultitia occidunt, qui divina providentia salvi esse potuissent: sic qui immortale malum, quæ insipientia est, devitarunt, summa animi æquitate, quasi secundo flumine, ad felicitatis portum contendunt. Faxit Deus, ut ætatis maturitate his temporum vitiis, sapientiæ præcepta sectemur: & conscientia rectæ voluntatis ad illa se tempora muniat, quibus a Deo ratio exigetur factorum. Nos interim angorem animi luctus profani remissione, & divinis in posterum colloquiis sublevemus.

FINIS.

JACOBI GUTHERII,

CIVIS NOBILIS ET PATRICII ROMANI,

CHOARTIUS MAJOR,

VEL DE

ORBITATE TOLERANDA,

AD

ANNAM ROBERTUM J. C.

PRÆFATIO.

JACOBI GUTHERII,

CIVIS NOBILIS ET PATRICII ROMANI,

CHOARTIUS MAJOR,

VEL DE

ORBITATE TOLERANDA,

AD

ANNAM ROBERTUM J. C.

PRÆFATIO.



MAGNUM opus omnino & arduum est, Anna Roberte, patris pietati acerbiore fato perculsæ, mederi velle. Etenim quicunque istud conati sunt, næ illi plerique oscitantem & dormitantem mœrore nimio dolorem excitare potuerunt, non frangere. Pertinax animi ægritudo est, quæ cum in virum sapientem cadit, subitis remediis opprimi non facile potest. Nam ut stomachi, qui lateribus cingitur, vehementes dolores ad perniciem sæpe procedunt, nec sanguinis missione levantur: sic acutiores paterni pectoris morbi, ex immaturo luctu, nullis lachrymis, nulla eloquentia curantur: sed dandum naturæ aliquid est, quod solatiis vulgaribus assequi vix Stoicorum Principes possent. Nunc tamen jam quocunque feremur, danda nimirum vela sunt, & ex ipsis mœroris scopulis, fractis remis, quacunque arte possimus, enatandum: Alcedonia quærenda in tranquillo aliquo mari literarum. Atque ut ii, qui tempestate jactantur, si in deserta ferantur loca, quovis excepti hospitio, quem incusabant prius, laudant Neptunum: sic tibi domestici funeris fluctibus obruto, si tectum humile obtulero, in quo ejectus in littus, appensas naufragorum tabulas perlustres, alienis fortean edoctus exemplis, adversos fortunæ impetus æquiore animo tolerabis. Volo ergo aliquod ex meis monumentis extare, quod nostræ amicitiæ memoriam posteris quoque prodat, & dolorem consoletur. Eleganter vetus Poeta dicebat:

Animus æquus optimum est ærumnæ condimentum.

Æquitasque illa paribus in rebus, paria jura desiderat ex Rhetorum institutis. Primum itaque postulo, ut æquum in his perlegendis te mihi præbeas, dum ad ea te fori nostri exempla revocabo, quæ summum illud naturæ jus, bonum & æquum magna ex parte comprobarunt. Nec vero te in hoc

A primo naturæ conflictu sine oculis & sine mente vivere jubeo. Quis enim est, qui super flentem parentem censuram lugendi postularet? Nec ego imperitos Medicos volo imitari, qui exulcerant, si sanare non possint. Sed ea de re Ludoico filio tibi charissimo dicere, ut cum leviter vulnus intumuerit, fomenta parem, quibus temperetur, nec ei callus doloris diuturnitate inducatur. Ludoicus filius abs te tumulum insperatum accepit, quem dare debuisset. Ille si vita suppeditasset, paternam esset & avitam gloriam ex omnium sententia consequutus. Ferax adolescentis ingenium omnibus disciplinis excultum, acerrimum judicium, B exquisita doctrina, industria singularis. Orsus in foro dicere, duodevicesimo ætatis anno, celeriter ad majores causas adhiberi cœptus est; nulla enim tanta causa fuit, quæ non illius patrocinio digna videretur. In illo canescens oratio tua & ad senectutem vergens adoluerat, & quasi virescebat quotidie, illumque verborum splendor & copia, suavitas vocis, perfacile current oratio, in principibus patronis collocabat. Sed pietas in eo & fides doctrinam adæquavit, quas in celeberrima Trimolii principis causa, cum in integrum restitutionem contra Curiæ amplissimæ placitum impetravit, te C præsente, tantas ostendit, ut merito Antonius Arnaldus, qui primas tecum in foro tenet, audiente foro, elatus gaudio exclamarit, *Tydites melior patre*. Rogo te, Anna Roberte, hæc una vox emissa ab amico & præstanti doctrina viro, nonne tibi fœnus uberrimum præstitit, omnemque sustulit querelæ rationem, si quando pignus charissimum a Deo Opt. Max. repeteretur? Liberos nostros pignora nuncupamus: atque ut pignoris jus ab intentione domini separatur, si quid humanitus contigerit, pristino domino restitutum videtur, qui sortem cum usuris gravioribus exsolvit. Quare cum per annos aliquot majores D pignoris tui usuras acceperis, quas vix ullus alius auderet sperare: inverecunde ex bonæ fidei judicio ampliores præstationes desiderares. Sed hæc forte nimis subtiliter ex prudentibus nostrorum responsis: alia adfero, ut sæpius linamenta mutem, quibus sanguis ille conquiescat, qui doloris

profusione decurrit, nec fori amplius præceptis supprimitur. Cecidit in cursu filius: sed in principibus patronis fuit, forum tenuit adolescens, famam, virtutem, gloriam superstites reliquit, quas posteri laudent & æmulentur: hoc non est cadere, sed immortalitatem ipsa morte comparasse: vel ut dicebat ille, mature decedere. Præsagibat hoc uxoris tuæ castissimæ animus, cum ante dies paucos issem ad te, qui de re dubia consulerem. Nam ut renunciatum est te sesquihoræ spatio in ducis Maynæi negotiis occupari: de filio multa, ut fere fit in otio, sumus collocuti. Summam illius eruditionem commendabam: summam laudabat mater pietatem. Ab iis sermonibus digressi paululum, cum hæc patrem tuum vixisse diceret, anxie quæsivi, qua magnitudine animi fatorum ictus repulisses. Fortiter, inquit, ut virum decuit. Hoc, inquam, mihi maxime defuit, cum de patris mei morte esset allatum. Eum enim cepi dolorem, ut & remedia fugerem, & recordatione, quasi morsu quodam, in solitudine lachrimas excitarem, in easque me solicitudinis angustias conjicerem, ut Dei tandem misericordia vivam. Inter hos sermones utrinque lachrimæ, quasi imminentis casus prænunciæ, ultro exciderunt: & cum ad vesperum prior consultatio traheretur, meam distuli, & recessi. Qui diligenter mortis præsagia notarunt olim, illud forte non omisissent, quod domum reversus, inter epulas familiæ meæ narrabam. Et nescio, inquam, unde illuc nostra digressa est oratio. Vos juvenes, in liberos intuens, si quando me fata interceperint, Annæ Roberti constantioribus exemplis animos confirmate. Quæ enim insania est ad naturæ aut fortunæ crimina relegare, quæ æquo jure ac lege ita constituta sunt, ut de iis nemo prudens juste queri possit? Ecquæ jam bonis omnibus vitæ ratio exoptanda est, quæ omnis acerba esse potest, in hac temporum, quam olim prævidi, infelicitate? Nos si quid agimus, quo vixisse testemur, invidiæ obtrectatio dilacerat. Si forensem laborem suscipimus, ea jam nobis devoranda sunt, ut in negotiis sine fastidio esse non possimus. Duriora certe sunt illa incommoda, quibus assuescere liber homo nullo modo potest. Quapropter si juris scientia in causis agendis sola versaretur, nec animus exquisita illius cognitione ad virtutem effingeretur: artem veteratoriam defugerem, prudentiæ honoribus destitutam. Sed nos ea in civili jure addiscimus multa, quæ extra causam sunt, quæque optimam vivendi rationem, quid deceat, quid honestum sit, quid justum, quid in rebus humanis optandum sit vel fugiendum, certius edocent, quam quæ in veteris Academiæ spatiis traduntur ab iis, qui falsam sibi prudentiæ persuasionem induerunt. Pauci enim, ut ad te redeam, Anna Roberte, inter magnates illos sapientiæ magistros inveniuntur, qui filii morte nunciata dixerint, CADAVER SIT, EFFERATUR. Quod unum Romani Consulis exemplum memoratur ab omnibus sapientiæ cultoribus: sed cum tale aliquid contigisset, protinus ab iis repudiatum est. De tolerando dolore, de ægritudine lenienda inter scriptores innumeros ita unus excellit M. Tullius, ut scriptis suis & naturam hominum, & Philosophorum doctrinam omnem superarit. Sed umbratilis illius prudentia minus laudatur, quæ ita in morte filiæ concidit, ut studii fructus ad neminem minus, quam ad ipsum pervenisse diceretur. Quanto æquior Choartii majoris & laudabilior mens fuit, qui ea nobis scripta dinumerat, quæ veram & non simulatam philosophiam affectant: ea virtutis exempla prodit, quæ majores nostri clarioribus suis anteferre non dubitarent? De his nuper cum juniore Chauvelino

A collocutus, insequenti die cum dimisso Senatu illum in foro salutassem: Ecquid, inquit, de Roberti filio audisti? Audivi, inquam, illum heri causam agentem peroranтe & acute. Tum Chauvelinus. Ab eo forte sudorem consecutus, lateris dolor est, quo vexatur. Haud istud dicas, inquam ego: Etenim adolescentes plurimi populari hoc morbo consumuntur. Imo melius spero, ait ille. At ego quidem & melius opto. Abrupit sermonem ex nostris unus, qui ad consultationem cellulas Chauvelinum deduxit. Postera die cum ad illum a cœna divertissem, spatiis aliquot in horto confectis, intervenit Bignonius pater. Nunquid-
B nam moleste? ait: Imo opportune, inquam ego. At ille: quid vos tandem? Nihil sane, inquit Chauvelinus, Roberti patris casum querebamur: Etenim ut audimus Lodoici filii morbus ingravescit. Tum Bignonius. Eheu! casum acerbissimum merito doletis, quem dubium & incertum patres solliciti, de suis rebus statuentes, in testamentis abominari solent. Totus certe horreo, inquit, cum impendentes hujusmodi casus in memoriam revoco: Sed agitedum jure viciniæ invisamus ad eum, ut si quid opus est, afflictum consolemur. Annuebat Chauvelinus: restiti ego.
C Immatura, inquam, consolatio illa est, quæ futura mala prænuntiando, frustra nascentibus illis occurrit. Nos itaque tantisper hic sedeamus. Consensere illi, & cum aliquantulum in cogitatione defixi essemus omnes, rupit silentium Chauvelinus. Non sinit, inquit, Roberti mœror, ut alio sermones nostri conferantur. Filium amisi pridem, cujus morte dolor me intolerabilis exercuit, &, ni servasset Deus, jamdudum periissem. Labentibus lachrymis & singultu interrupta voce affecit meum & Bignonii animum, qui metu quodam perterritus, obmutuit. Ego vero, inquam, sic existimavi semper, malum illud, si
D quidem mors malum est, quod provisum ante non sit sapienti, vehementius prudentiam ferire, non occidere. Nam quantum & quale illud sit, diuturnitate temporis aut ratione recta superatur. Atque jam indocta vulgi consuetudo, artifex est minuendi doloris, quem prudentiores, non sublevare solum, sed tollere non difficile ex animo possunt. Horum exempla habemus in foro plurima. Nam quæ Veteres de suis scripta reliquerunt, elegantiora forte sunt quam vera: nostra certiora, quæ prior ætas omnis majore laude digna fateretur. Ex multis unum afferre possum, quod rei veritatem declaret. Pericles Græcorum
E oratorum antiquissimus atque eloquentissimus, & consilii publici optimus princeps, cujus in labris poetæ veteres leporem habitasse cecinerunt, & in pectore prudentiam: Ille in Parali minoris filii funere, cum justa persolveret, ita mutatus est, ut nec opinato mœrore captus, in eos ejulatus eruperit, quasi Bacchantium more furere videretur. At vero noster Choartius, qui ex consuetudine fori & rerum varietate edoctus adversa tolerare, cum filium ætate provectiorem, & a causis agendis ad jus civile transfeuntem, levi quodam ac facili lapsu ad Deos
F pervolasse videret: vultu semper eodem, tranquilla fronte & serena, condolentes amicos ea moderatione consolabatur, ut nullus illius casibus amplius ingemisceret, sed tanti viri virtutibus omnes congratularentur. Vidimus virum, iterum dico, vidimus plane virum, cujus plena literatæ senectutis oratio eam nobis prudentiam commendavit, quam velle imitari (quis enim posset?) inter non minima prudentiæ exexpla ponetur. Hunc, rogo vos, cum videmus, quem Philosophum non contemnimus? Pri-

Primus Choartius temporibus nostris sævissimum A
hunc ictum adverso pectore cum recepisset: cæteros singulari sua prudentia docuit, qua ratione tantas fatorum injurias possent voluntaria quadam oblivione conterere. Nulla orbitas est, quæ Choartii nostri solitudini possit adæquari. Amisit filium annorum circiter quadraginta, in causis illustrioribus percelebrem, in cæteris peracutum, facilem, benignum, gravem, perurbanum, cujus interitu forum multis ornamentis spoliatum atque orbatum lugebamus. Sed ea patris magnitudo animi fuit, ut non mortem filii, sed mortis opportunitatem cogitaret. Etenim ea est Dei Optimi Clementia, ut cum nullum vitæ terminum constituerit, B
eum tamen ponat semper, quem opportunum & commodum novit. At quod in morte tempus illud opportunum aut optandum magis est, quam quo perfecta virtus ad gloriæ cacumen pervecta, altius tolli non potest, nisi ad cœlum divina quadam providentia trahatur? Ut in floribus, qui spectatissime florent, eos celerius marcescere videmus: & rosa, cujus in coronis usus præcipuus, sponte decidit, si tardius decerpatur: Sic in vita est eorum, quos ut virorum flores suavitate virtutis charissimos habemus. Hi enim ea maxime hora divinitus leguntur, qua pulchritudo gloriæ, si canesceret, venustatis aliquid deperdere posset aut C
dignitatis. Atque hoc plerumque experti sumus, ut non posset in eo vita diuturna esse, qui maturitatem gloriæ & ingenii celeriter esset assecutus. Præclarum carmen illud est, quod de viris hujusmodi Poeta canit:

Ostendunt terris hos tantum fata, neque ultra
Esse sinunt.

Hic Bignonius. Dura lex profecto quam nobis natura præscripsit, quæ cum parentibus dulcissimos D
filios eripit, altius infigit paterni affectus aculeos, qui nulla ratione convellantur: sed vel illa ipsa cogitatione eas perturbationes movent, ut parentes metu oppressos, infelicissimos reddat. Ad hæc ego. Noli, inquam, Bignoni doctissime, præmatura accusatione naturam lædere, atque abominari ea, quæ si acciderent, ad Choartii prudentiam recurrendum esset. Quid enim in naturæ legibus aut accusare merito possumus, aut dolere? An ab ea stipulati sumus filios immortales, aut promisit illa ad extremam usque hos senectutem perducere? Primum si cupias, impetrasti. Jam enim filium im- E
mortalem habes, cujus ea sunt ingenii monumenta, ut nemo ejus ætatis sit adolescens ad virtutem natus, qui non lubens vitam cum Hieronymi tui gloria commutaret. Sed de illius laudibus neque hic locus est, ut multa dicantur, neque plura dici possunt, quam quæ postera ætas memoria celebrabit. Nunc de iis loquor, quos eo ordine, quo natura jusserit, sequi nos oportet: Quorum e corporis vinculis liberatus innocens animus, cum inter homines esse desiit, in Divorum numerum facile recipitur. Cum igitur perbeatos illos vere credimus, qui eum vitæ finem habuerunt, quid jam est, quod lugeamus? quid turbamur? quid F
torquemur? An quieti illorum invidemus, quos scimus perpetuo vivere felices? Quod si ab Inferis ut ajunt, illos excitare possemus, nonne imprudenter illorum a nobis Manes læderentur? Quæ enim imprudentia esset, immortalem animum ad caducam & miseram vitam reducere, & conditione dissimili arma aurea æneis vilioribus permutare? Nescit paterna pietas, omnino nescit, vel quid doleat, vel quid de natura queratur: nam si quid dolendum est (quod in homine vulgari tolerari posset) in eo, qui in fori prudentia exercitatus est, nullomodo esset ferendum. Solet vulgus mala consuetudine, in luctu domestico ad aliquam animi deformitatem venire, ut cum æterna & diuturna in illo insideat opinio doloris, aliis miserandum, aliis se præbeat irridendum. Vulgus voco non solum plebeculam, sed eos omnes animos, qui in prudentiæ officina non sunt perpoliti. Quæ cum in foro maxime discitur, quod doloris aliis, nobis imprudentiæ peccatum esset, quod rerum imperitiæ solet assignari. Ea porro gravis exprobratio semper iis esset, quorum prudentia quotidie in aliorum periculis depellendis occupatur. Sæpe ego audivi Choartium dicentem, malos consultores eos esse, qui sibi rebus in adversis consulere ipsi non possent. Nam qui suis vulneribus in acie miles pavidus exanimatur, nec honeste cadere potest, nec vincere, ne viris fortioribus imperare. Qui militant in foro, principes patroni, ancipiti causarum fortunæ assueti, qui possent prudenti consilio aliorum periculis occurrere, si sua ipsi nec ferre possent, nec prævidere? Sæpenumero accedit pater mœstissimus de filii forte hereditate quæsiturus: hic plorans & ejulans consilium petit, quo modo delatam sibi ordine præpostero hereditatem tueatur. Multa de filio loquitur, quæ vulgares illos animos facile commoverent. Non minimum est Jurisperiti officium, antequam de jure respondeat, patris pietatem paucis collaudare, & doloris acerbitatem delinire. Si vero prudens ille qui consulitur, præteritorum recordatione perturbetur, & juris & facti ignorantia, fallet & falletur. Hoc si accideret, ecquam de fori prudentia opinionem litigatores conciperent? Consilium petunt, non lachrymas; jurisperitum quærunt, non ægritudinis socium, qui domestico luctu impeditus, non possit aperte rem, de qua quæritur, explicare. Sed imbecillior forte hæc ratio est, quæ ab iis, quæ raro accidunt, peti non debet: fateor illud quidem. Jam ergo ad fortiora recurramus, & desertis fori septis, quasi in Lycæo, naturæ causam expendamus. Primum, quid aliud est ægritudo, quam opinio doloris, quæ mala consuetudine comprobatur? Etsi ratione pugnandum sit, audacter assero, quicquid sine ratione sit, illud honestum esse nullo modo posse: vel certe quod contra rationem est, imprudentiæ annumerari. Ratio enim naturæ lex est, quæ & legum civilium anima prædicatur. Atque ut Martiano, ex Demosthenis sententia, lex est inventum ac munus Deorum: Sic Philoni ratio donum Dei nobilissimum, quo ornati, a carceribus ad metam usque vitæ stadium, percurrimus. Qui ergo per hoc vitæ curriculum, decursis virtutis & gloriæ pluribus spatiis, ad metam celerius provecti sunt: hoc illi nobilissimo divini muneri dono consequi videntur ex legis naturæ præscripto. Quæ quidem lex & communem sponsionem continet, & pure concepta est, ut confestim vita debeatur, cum petitur. Quare incivile admodum esset, illud, quod generaliter constitutum est, contra rationem singulari aliquo jure tollere. Nihil quidem præcipue cuiquam dolendum est in eo, quod accidit universis. Levat enim dolorem communis quasi legis & humanæ conditionis recordatio. Docent Philosophi, rationes illas esse fortissimas, quæ ex propriis principiis ducuntur, illaque principia ita certa esse, ut cum eo disputandum non sit, quia ea negaret, aut de illis dubitaret. Tale illud nostrum est: MORS OMNI ÆTATI COMMUNIS EST. Quid hoc Sophista negaverit? quis dubitarit? Quod cum ita sit, inscientia esset, incerta pro certis, falsa pro veris optare vel sperare.

Sed, ut Neoptolemus apud Ennium, philosophemur paucis, atque rationi ex veterum disciplina filias duas effingamus, prudentiam & virtutem. In hoc consistendum est, ut virtus nihil aliud sit, quam rationis absolutio, quæ casus humanos omnes sibi inferiores putet. Virtus eadem naturæ est ratio, quam nullus constituere potest, nisi ea quæ sunt, PRIMA NATURÆ teneat, id est, nisi propria naturæ principia noverit, quæ usuram vitæ dedit tanquam pecuniæ præstituta die. Atque illa naturæ ratio divina lege regitur aut humana. Si divinam optimam ducem tanquam Deum sequimur, ea nobis in luctu solatia succurrunt, ut quas ægritudinis causas putamus, illas benignitatis divinæ certissimas notas experimur. Hoc unum, inquit Bignonius, & commonendi gratia dicam & disputandi, si lubet. Vide sis, Gutheri, ne sensu insuperhabito ad rationem confugere, tutum non sit, quod Aristoteles vanum & absurdum esse credebat, atque, ut illius verbis utar, ἀῤῥωστίαν τῆς διανοίας. Nam quicquid est, quod sensum habet, id necesse est, voluptatem sentiat & dolorem: Ut sensus, quibus inest, eisdem & dolor & voluptas concedi debet. Quibus vero dolor & voluptas, eisdem & cupiditas inhæret: quam naturalis affectio comitatur. Hæc ita & dolorem discernit & voluptatem, quæ aut recte fugiat aut persequatur: ut idem esse Philosophi dixerint, sentire ac intelligere. Mortem omni ætati communem nemo diffitetur: at communi doloris sensu in filii funere patrem carere debere, hoc vero contra rationem est, & legem, & naturam ipsam. Principio enim amorem præcipuum in eos, qui procreati sunt, ingenerat natura, cujus vincula rumpi sine maximo dolore non possunt. Hinc lex, quæ summa ratione nititur, dolorem justum temperare difficile esse non negat, sed affectioni paternæ nonnihil condonandum imperat, & patris pietatem reprehendi vetat. Quare cum virtus & vitium in voluptate & dolore versentur, qui erepto filio nihil doleret, hunc in maximum animi vitium incidisse, a communi sensu abhorrere, atque a virtute alienum esse, merito diceremus. Optime, inquam, si modo hæc recte tractentur. Nam quæ de sensu & ratione adfers, vera quidem illa sunt in rerum cognitione disquirenda, quæ sensus beneficio plerumque ad intellectum perducuntur. In iis enim sensus cum ratione pugnare potest, si quod omnibus certo comprobatum est, contraria ratione disputaretur. Ut parentes filios adamare, ignem calidum esse, ita certum est & perspicuum, ut qui contra sentiret, nihil sentiret. Cæterum quanquam judicium a sensibus oriatur, non est tamen in sensibus judicium veritatis, quos omnes hebetes & tardos esse Academici arbitrantur: nisi si eæ animæ parti juncti sunt, cui ratio dominatur. Tum enim sentire idem esse ac sapere Veteres putaverunt, cum ratio scilicet sensui & sensus rationi accommodatur. Jure itaque Empedoclis contraria sententia rejicitur. Nam si idem omnino est sapere & sentire, bruta ipsa quæ sentiunt, furiosi & amentes, sapere falso dicerentur. At vero virtus, ais, in voluptate & dolore consistit: Certe. Nec voluptatem tamen nec dolorem ullus virtutem dixerit, quæ ex animi perturbatione sæpius oriuntur. Ut nec voluptas aut dolor qualitas est, nullaque est ars voluptatis aut doloris, quibus cupiditas ancillatur. Sed voluptas & dolor in genere infinitorum sunt. Atque ut voluptas omnis appetenda non est, ut bonum: Sic dolor omnis, ut malum, non est fugiendus. In utroque cupiditas plurimum valet, cujus tria genera traduntur. Una enim legitima est, vulgo quæsitæ duæ. Legitima ad rationem tendit, & voluntas est, quæ a ratione non separatur. At spuriæ iram sequuntur, & dolorem & cœco impetu legem & rationem fugiunt, vitiorumque fenestræ vocantur. Cum ergo dolor ex cupiditate nascitur, illum si rationi conveniat, non improbamus: Si consuetudine immoderatus ducitur, plane fugiendum putamus. Itaque si vir prudens & in rebus humanis exercitatus filium amiserit, non doloris expers prorsus erit, sed dolorem moderatus omnem animi perturbationem ratione & lege temperabit. Sicque virtus in voluptatibus versabitur, quæ ex rebus honestis capiuntur: & dolor, qui propter virtutem toleratur, non fugiendus modo non est, sed quærendus. Quod si ex filii morte accidat, cum pietatem moveat, non longe a virtute est, cum ab illa pietatis ratione viros bonos lachrimabiles Homerus vocet, quorum mentes nunquam immodico dolore depravantur. At qui dolorem in filii funere superavit, quod difficilius, quam a voluptatibus abstinere, hic demum emeritus prudentiæ miles est, cui castrorum virtutis disciplina, ut Paulus noster loquitur, antiquior est, quam charitas filiorum. In hunc militum numerum relatus Choartius fortiter ubique pugnavit, & divinus illius animus, non fomenta doloris, sed virtutis oblectamenta ex hac cella deprompsit, cum abeunte filio summa mentis tranquillitate in Prophetarum libris exercebatur, & reluctantes motus, amicorumque mœstitiam sereno vultu coercebat. Habemus hujus viri carmina, quæ Jonam etiamnum redivivum reddunt, Genesin nobilitant, multaque Dei Optimi oracula edunt & exponunt, quæ civili admixta prudentiæ, in foro Choartius ad summam productus ætatem, reddit quotidie. In quo humanam rationis legem conspicio, quam vir ille singulari prudentia adornavit. Optime dicebat Philo, humanas leges animatas esse & ratione præditas. Nam & mutæ quæ putantur, colloquuntur nobiscum, vivendi artem excolunt, affectus tractant animorum, quibus per interpretem rationem ea explicant, quæ tacitam virtutem, disertam efficiunt, non verbis ad ostentationem compositis, sed rebus ipsis, quæ ex prudentiæ actionibus traducuntur. Pessime prudentem putaremus eum, qui Sophistarum more satis eloquentiæ haberet, sapientiæ parum. Nam prudentia non in veteratoria dicendi arte consistit, sed circa res versatur, quæ hominem cæteris præstantiorem demonstrant. Qualem habemus Choartium, cujus virtutes singulas enumerare immensi operis esset, atque adeo super vires meas. Quare hac in re satis mihi est, eam prudentiæ partem mirari, qua filii optimi luctum temperavit. Choartius filius ætate in media, florentibus rebus, vita decessit, uxorem reliquit cum liberis septem, quorum major natu vix septem annos attigerat: atrocissimum orbitatis vulnus illud est, non propter recentem memoriam clarissimi patris, quæ nunquam occidet, sed ob liberorum ætatis teneræ infirmitatem multis captionibus multorumque insidiis expositam, quam avorum auxilio & opitulatione posse defendi, ad perfectam usque ætatem, nullus sperasset. Vidi ego cum pax funeri data est, atro vestitu, velatis pro more capitibus, prolem numerose incedentem, quæ ita me visu ipso perturbavit, ut abjectis armis (quod ajunt) terga dederim & fugitivam hoc in loco prudentiam senserim, longo veluti postliminio reversuram. Sed quam fallax mens est hominum, in iis maxime, quæ jubente natura accidere solent. Parvula hæc ætas avorum senectute tutata, cum

vitricum nacta est, ut ipsa avis comprobantibus, A patrem non amisisse, sed recepisse videatur. Sic natura, quam novercam fingimus, semper natura est, hoc est, æquior & constantior quam fortuna, quæ sine ratione blanditur semper aut lædit. Illa vero si lege nobiscum agat, cum provocationis negat auxilium, ægritudinis temperamentum largitur. Nasci igitur & mori naturæ lex est, vel potius lex est rationis. Itaque prudenter nostri cum de conditionibus, & demonstrationibus disputant, in ipso tituli capite diem incertum dicunt, cum ita scribitur: HERES MEUS CUM MORIETUR, DECEM DATO. Nam diem incertum mors habet, ut natura incertam quoque habet B causam rationis, quæ certi stipulatione juvatur, certum enim est debitum iri. Etenim cum nascentes vitam naturæ reddere promittimus, ex eo quod reddenda est, certi stipulatio est ex Papiniani sententia, ut cum petitur, statim debeatur. Naturæ judicio sisti nos omnes promittimus, in potestate stipulatoris est diem ponere: cum promissioni nostræ committimur, vadimonium deferere aut differre nec possumus, nec debemus. Et quoties dies non adjicitur, præsenti die debetur. Hæc in foro cum Choartius didicisset adolescens, & multo rerum usu ad senectutem firmasset, innatam illam prudentiam, quæ in ipsa senectute adolescit: nusquam naturæ extrema, & inimicissima jura putavit, sed æque illius leges tutatus est C admiranda virtute. Hoc tamen singulare in illo est, quod Talæum adscivit generum sibi, qui & fratrem referat in causis agendis, & socerum in consultandis patris assequatur, eosque nepotes dederit, qui patris, avi & avunculi similes essent: quorum alter in foro nobilis a Præside Maximo cum in majore causa perorasset, judicio Curiæ laudem non minimam publice promeruit. Alter ex Sorbonæ doctissimæ & sanctissimæ dissertationibus acutissimis, eam lauream expectat, quam doctorum omnium suffragiis jam jam adeptus est. D O te Choarti felicem! seu mortuum filium quæramus, seu redivivum illum tecum in nepotibus contemplemur. O te beatum! qui ea prudentiæ, & virtutis exempla tradidisti, quæ prudentes nostri cæteri admirati, postea imitarentur. Etenim ut virtutis tuæ imitamenta, sic doloris causæ non defuerunt fori Principibus, quorum hoc unum fatum fere fuit, ut immatura liberorum morte vexarentur. Antonius Oisellus alter parens meus, quem virum omni eruditione, & virtute præstantem magnus Cujacius agnoscit, Petri Pithœi amicitia strictior posteritati commen- E dat, Majora omnia Galliarum Tribunalia venerantur, Oisellus ille filium alterum natu majorem in Parisiensi Curia Senatorem meritissimum extulit: sed idem tanquam ex incendio fortunæ effugiens, ad naturæ leges se contulit, quæ rationis præsidio munitæ gravissimos luctus acriter repulerunt. Ille ipse Petrus Pithœus popularis meus, vir summo ingenio, summa prudentia, summo splendore, & gratia præditus, cujus doctrina singularis, spectata pietas, & fides a nobis atque ab exteris omnibus ad miraculum usque prædicatur, filios quatuor, quos ex uxore sustulerat, acerbo fato ereptos omnes vidit. F Sed huic virtutum omnium, & literarum optimo parenti, plures liberos elegantior doctrina substituit. Vix enim ullus est eorum qui meliores literas attigerunt, qui Petrum Pithœum, & probitatis, & eruditionis reconditæ patrem non agnoscat, illiusque nomen non revereatur, & colat. Magni Cujacii de illo judicium facit, ut discipulo præstanti doctissimum magistrum conjungam. Hic filii unici funus prosequutus est, & quanquam forensi luce caruerit, cum in juris officina perfectus magister prudentiæ comparandæ vixerit (nam in ejus scriptis litera nulla est, quæ multorum voluminibus non debeat anteferri) eam præterea gloriam ex domestico luctu consequutus est & moderationem, quam fori patroni postmodum edocti sunt & æmulati. Chauvelinus major Choartii generi & filii Senatoris integerrimi interitum expertus est: Hunc fori nostri alterum Scævolam omni parte humanitatis dixerim hominem perfectum, cujus indulgentiam laudamus, quæ nervos prudentiæ nusquam debilitavit. Ordinem non sequar, quem in morte natura non servat. Tu, Chauveline, filio mœstas exequias celebrasti: Comprehendit manum, atque hic interfatus Chauvelinus, cum spiritum alte petivisset, suspexit in cœlum: & nunquam, inquit, ex animo meo discedit charissimi filii memoria: sed gratias immortali Deo habeo maximas, qui id mihi solatii præbuerit, ut cum me hominem esse meminissem, nihil a me, ut Terentianus senex, humani alienum putarem. Divinis itaque & humanis legibus eruditus, quas percurristi, cum a Propheta Rege viderem filios olivarum novellis comparari: ex Jaboleni responso edoctus sum, oleam immaturam plus habere reditus, quam si matura legeretur. Quare Dei optimi providentiam veneror, qui eam nostris ætatibus tempestivitatem dedit; ut solus norit, quæ opportunior uberiores fructus ferat. Nec vero, inquam, tu solus nosti hæc, quæ aliis multis nimis forte perspecta sunt. Nam ut dicebamus, plerique in foro clari & magni reliquias unicorum condiderunt, quos unice diligebant. Mauguinius noster, quia jure civili instructissimus, eum ordinem in foro obtinet, quem præstantes patroni, unicum habuit filium & amavit: hunc mors importuna patri præripuit. At septennem illum, dices, verum id quidem: sed ut gratior ætas tenera nobis est, sic fatum acerbius, cum ictu uno spes omnis liberorum occidit. Buthillerium non taceo, quem omnes amamus meritissimo pro ejus singulari doctrina & eximia suavitate. Huic generum mors eadem abstulit, qui non minimam in fori exercitationibus laudem sibi conciliarat, & socerum non vulgaris scientiæ Pontificem exhibuisset aliquando, ni fatis concessisset. Tam moderate Buthillerius, tam prudenter, tam constanter filiæ viduitatem ac solitudinem ad naturæ leges revocavit, ut ab ipso Choartio maxime laudaretur. Quid de Lodoico Dolæo dicam? qui cum primas in causis egerit per vicennium, iis literis exornatus, qui gravitatem vitæ & integritatem decorant: quem summa prudentia in Christianissimi Principis consilium assumpsit, atque iis affecit honoribus, qui virtutis præmium aliquod contulerunt: Hic charissimo genero in supplicum libellorum Curia præsidi, justa persolvit, viduamque filiam recepit intra conjugii annum. Dolæum in patronorum numero colloco, cujus animum aucta dignitas non immutavit, quin partam in foro gloriam, ut præcipuam, semper tueatur. Ad multam noctem cum hunc sermonem produxissemus, in crastinum rejecimus, qui cum tacitus effluxisset, perendie in eundem convenimus locum, sed ut assedimus, Robertum filium vixisse nuntiatum nobis est. Illico Bignonius. Si quid habes Gutheri ex sermonibus hesternis reliqui, tute obloquere, faventes adsumus. Verum ut veteres leges sua vetustate consenescunt & novis aliis sæpe tolluntur: sic adhibendæ nobis eæ sunt rationes, quas audivimus nunquam, legimus nunquam. Nam quæ auditæ aut lectæ sunt, succurrunt ultro, sed ab acerbis cogitatio-

nibus animum non abstrahunt satis. Tum ego: A Roberto patre eas rationes repetere possum, quas requiris. Ille enim in suis rerum judicatarum libris, qui præcipuam fori disciplinam continent atque explicant, in eam primum controversiam incidit, quæ contra patrem mota est, cum pietas scilicet contra pietatem contenderet, & quereretur: Utrum legata ad pias causas legitimam patris portionem in filii hereditate minuerent. Legatorum petitionem scindi debere Senatus judicavit. Quod ad naturæ jura porrigi non potest, illa enim præcipua sunt, & extra causam bonorum. Nam ut solatii causa patrem vocat illa ad filii hereditatem: sic liberos perenni lege sisti jubet præstituta die, & vocati nulla parentum pietate eximi possunt: ut nullam parentibus natura querelam dedit, quam si quid a liberis rite factum quidem est, sed non ex officio pietatis. At illa ipsa inofficiosi argui non potest, & parum sanæ mentis esse diceretur, qui maligne judicium suum intulisse illam quereretur. Etenim pietatis omnis ratio a natura sumitur, & jus nostrum primum naturale dicimus. Quicquid ergo natura constituit jus primum est, quod novo alio jure tolli non potest. Atque ut legitima portio, quæ parentibus debetur, naturæ jus est: sic filiorum mors immatura quæ putatur, eodem jure censetur. Quare hoc tanquam prudentiæ principium concedendum est. Quicquid natura facit, id illam suo jure facere citra reprehensionem & querelam. Quod si civilibus legibus interitum machinari nullus sine capitis pœna potest, ut Socrates ad Critonem dicebat, nec vir bonus dicere audeat, civitatem leges suas non recte tulisse, quia quod lex imperat, justum semper est: quis naturæ leges vanis questibus violare sine prudentiæ discrimine potest, quæ summa æquitate nituntur? In hominum legibus si quid durum videatur; vim tamen illud obtinet, quia ita lex scripta est: at naturæ jura non scripta, scriptis legibus fortiora sunt, quæ mortalium omnium consensu comprobantur. Nunc vero quid ad hanc rem Anna Robertus attulerit, videamus. Pietatis genus aliquod ex Hieronymo constituit aliquando in parentes esse crudelem. Si hoc liberis in parentes licet, cur non & naturæ liceat suo jure uti, cum lubet? Mea ergo sententia hæc est, naturæ leges summam habere æquitatem: civiles a bono & æquo plerumque recedere. Num minus æqua Papia lex est, quæ orbum & solitarium patrem, eorum quæ sibi relicta testamento essent plusquam semissem capere vetuit, al tero semisse multatum? Duriores etiam leges aliæ, quæ pietatis rationem inter parentes & liberos non servant, quales sunt eæ, quæ filii institutionem hoc modo conceptam admittunt: *Filius meus impiissimus latro, gladiator, heres esto:* aliæque permultæ, quas hoc loco enumerare longum esset. Malo in aliis immorari, quæ ad naturam propius accedere videntur, ut sunt de luctu parentum aut liberorum, qui lege quidem & jure introductus est, sed ex more majorum primum receptus. Inter majores illos, ut Dionysius refert, nonnulli illustres, Diis Patriis ipso funeris die mactarunt victimas, coronas gestarunt, egerunt triumphos. Æschines in Demosthenem invehitur, quod is septimo die post filiæ mortem hostias immolasset coronatus, albaque veste amictus, quod lætitiæ indicium fuit. Nimis rhetorice hoc quidem. Nam & Paulus Æmilius duobus e filiis, quos solos nominis sacrorum familiæque heredes retinuerat domi, post diem quintum, quo ex illis funeratus unus est, de Perseo Rege triumphavit; & alter triduo post triumphum decessit. Utriusque exitum eo animo Paulus tulit, quem Imperatorem deceret. Nam in sua ad Quirites oratione: *Hanc cladem*, inquit, *domus meæ vestra felicitas, & secunda fortuna publica consolatur.* Ego vero nunc Deos oro, ut prohibeant, ne publica calamitas faxit, ut quam acerbitatem fingimus, summam tandem felicitatem grato animo interpretemur. Multa enim nobis impendere videntur, quæ perbeatos illos aliquando fuisse probent, qui rerum omnium perturbationem citius effugerunt. In hac enim temporum perturbatione beatissimi sunt forte, qui liberos non susceperunt; minus autem miseri, qui amiserunt. Quare falli mihi videntur, si qui inter maxima fortunæ vulnera orbitates ponunt, atque inter turbam malorum, suorum amissionem. Nec enim vere quis filium bene institutum unquam amisisse videtur, sed præmisisse: nec intueri debemus mortem tanquam vitam finierit, sed quasi illam inchoarit. Mihi non placent illa convivia, quæ futura ex præsentibus metiuntur, in quibus voces illæ per mensas jactantur, AMICI DUM VIVIMUS VIVAMUS. Gratior est Satyrici cœna, in qua larva argentea circumferebatur, quæ moneret nos homunciones nihil esse, quos salillum animæ non insulsæ Comicus ridet. Præsens præsentibus dico, utinam meus me fallat animus, & præteritorum meminisse debemus & futura pertimescere. Qui vivunt, dum vivunt, in diem quandoque vixerint ipsi: Cæterum cogitemus ea tempora, quibus peritorum spes infringetur, languescet industria, afflicta & prostrata dicendi ratio vel scribendi erit etiam luctuosa. Sed his omissis ad naturam redeamus, cujus extremum in jurisdictione est, ut præfinita die moriamur. Quod quidem, quia commune est, summam habet æquitatem, & sine cujusque indignatione justa. Quod enim odium atque gravis offensio in naturam concitari potest, si liberos a parentum complexu avulserit, ut opportune illos recipiat in suum: Filios idcirco concipimus ex Callistrati sententia, ut ex eorum prole diuturnitatis nobis memoriam in ævum relinquamus. Sed cum suis laudibus, tum vero tali filio Robertus pater omnium fortunam superarit, quæ nulla vetustate tolletur, quid de posteritatis memoria laboraret, quam immortalem suis sibi sciptis comparavit? Muliercularum conquestio hæc miserationem quandoque captat: Non adfui, non vidi, non postremam hujus vocem audivi, non extremum ejus spiritum excepi; Inimicorum in manibus mortuus est: hostili in terra turpiter jacet insepultus, a feris diu vexatus communi quoque honore in morte caruit. Patris omnino vix consolabilis dolor est, qui tamen ex aliorum miseriis facile lenitur. Nam & exempla prosunt, quæ sunt innumera illaque quotidiana, quibus exhauriri vel immodicus dolor potest & cum lachrimis ipsis arescere, quæ in exemplorum ratione plerumque effluunt. Ego quidem vix unquam sine lachrimis legi patris querelam veteri lapidi inscriptam:

M. FLORUS. M. FL. M. L. F. PRONEPOS
INFELICISS. PARENS. AFFLICTUS
PRÆPOSTERITATE. NAT. HU. FILIUM
UN. H. COND. QVEM. IMPORTUNA
MORS. ADEMIT. PRÆREPSITQVE. SE
NII. BACULUM. CUI. IAM. DEFESSA
ÆTAS. ADNITENS. PERBREVES. AN
NOS. SS. ALLEVABAT. HUNC. ANTE
MORS. ADSEQVITUR. QVAM. TRI
STES. LACHRIMÆ. DESERVERINT
NOTATE. POSTERI

Falſo tamen crederemus a fatis turbari ordinem rationis, quæ ſapientem ubique conſolatur: nam & dies ſtultis etiam mederi ſolet. Quare vir ſapiens, qui filium amiſit, fatorum acerbitatem non immoderate tolerabit: ſed cum neque ex quercu, neque ex petra natus ſit (ut Homerus loquitur) ita dolori imperabit, ut ſolus ea dicere audeat, quæ palam emittere erubeſceret. Sapienter idem Poeta cum Achillem fingit luctu perditum jactantius Patrocli caſum deflere, inter equos tandem collocutum collachrimantes. Equi certe illi partem hominis inferiorem deſignant a ratione ſejunctam, ex qua dolor oritur aut voluptas. Animo enim immortali, aliam animi ſpeciem mortalem ineſſe Sapientes tradunt, quæ variis affectibus ducatur. Quorum prima eſt voluptas malorum multorum illecebra: dolor deinde fuga & impedimentum bonorum. Unde dolor & voluptas graviſſimi animi morbi judicantur. Morbum autem animi dementiam eſſe cenſuerunt. Etenim quiſquis voluptati inſervit, vel doloribus frangitur, neque cernere, neque audire quidquam poteſt rationi conſentaneum, a qua longe peregrinatur. Hæc vero dolorum irritamenta cum naturam lædere non poſſint, damnant fortunam: quam Robertus in morte filii jure accuſare non poteſt. Filius enim ad ſummum virtutis & gloriæ forenſis faſtigium evectus, ſuperſtitem reliquit optimam conſcientiam, immortalem famam, veros amicos: ut, ſi quid dolendum ſit, dolorque in partes innumeras poſſet dividi, is amicorum eſt numerus, ut poſtquam minimam quiſque doloris illius partem acceperit, totus conſumatur, nec patri pars ulla relinquatur. Trajano non aſſentior, qui patrem ſocium luctus non habere credebat. Nam ubi publicus eſt & tota urbe pervagatur, domeſticis parietibus includi non poteſt. Hoc vero eſt felicem eſſe, non miseratione dignum, quod de plebejo homine ſapiens Solon Perſarum Regi olim referebat, & civem Atticum fortunæ regiæ præferebat. Neque enim vita beata dici poteſt, niſi confecta & abſoluta; nec poteſt quiſquam alias vere laudari ante ultimum illud vitæ tempus, ut nec ante partam victoriam triumphus decerni. Quare cum in pace Robertus filius exceſſerit, illiuſque vitam & virtutem immortalitas exceperit, ſi verum fateamur, hoc non eſt de vita migrare, ſed mortem ipſam præmaturo exitu decipere. At vero commune parentum omnium votum eſt, ut filios ſuperſtites habeant. Nec ullus eſt, qui non liberos ſuos incolumes & beatos eſſe cupiat, & hoc apud Homerum Hector votum concipiebat, filiumque non ſibi ſimilem ſolum, ſed ſeipſo fortiorem a Diis immortalibus expetebat, illumque ſuperſtitem. Sed hunc ab Ulyſſe in funere patriæ præcipitem datum narrant Poetæ. Quod forte eſſet vitam amittere, quæ ab iis retinetur, qui hanc ſemel bene ſuſceptam, honeſte cum natura poſceret, dimiſerunt. Incerta eſt rerum omnium felicitas, caduca, nuſquam illæſa, cum anniculum filium difficillimis temporibus mater profugiens Cæſarodunum Turonum deduceret, effugit cruentas hoſtium manus, quæ Lodoicum Robertum dilacerare in matris miſerrimæ conſpectu potuiſſent. Quod factum cum non ſit, fortunæ benignitas eſt. Quod pacatis rebus domi illum inter complexus abſumptum, eadem mater funera produxit: pietatis ſolatium. Quod luctu publico uterque parens elatum illum conſpexit: hoc certe eſt perfectæ præmium virtutis, nullis amplius fortunæ inſidiis obnoxium. Quas ego tot & tantas expertus ſum, ut mortem miſeriarum finem bonorumque perfugium unum eſſe putem. Quid enim eſt, quod omnes boni aut eruditi vitam poſthac diutius trahere deſiderent? Jacent ſepultæ ubique Literæ, jam virtus, ſi qua eſt, & ludibrio eſt, & odio maximo. Scitis vos, ut primum mei *de Vet. Jur. Pontificio* libri prodierunt, quantas latentium inimicorum turbas excitarim. Novum enim & inauditum quoddam imperitorum & improborum hominum genus accurrit undique, qui lippientibus animis librariorum tabernas circumirent, ſcripta dilacerarent, famam læderent. Hic me Latinitatis ignarum contemnebat: ille in numiſmatis veteribus dicebat imperitum & fallacem. Hic ea me ſcribere, quæ a Lilio Gyraldo eſſem ſuffuratus, quem nunquam tractavi, & hoc ſatis libri mei comprobant. Ille, authorum & verba & mentem temere ubique immutaſſe. Hinc Græculi otioſi & loquaces & fortaſſe docti, cachinnis ſuis labores noſtros eludebant. Hinc ſcriptorum greges claſſicum canebant, immenſaque volumina, quis meam inſcitiam contunderent, pollicebantur, & chartas aliquot librariis offerebant injuriarum plenas & larvarum. Hæ minæ fortis humanæ inconſtantiam me docuerunt, improbitatis duritiem, invidiæ temporum malignitatem. Malevolis reſponſum non dedi, cum res ipſa per ſe ſatis loqui videatur. Si pergant vero, alius forte offenſior uncos & clitellas parat, quibus conductitii ſcriptoris injuriarum ſtercora ad cloacas deferantur, & in Gemonias putrium cadavera literarum aliquando trahantur. Illa interim mea ſtudia, Anna Roberte, quæ me in Curiam olim deducebant, nunc oblectant domi, tum placuerunt plurimum, cum Lodoicus filius tuum de illis judicium primus attuliſset, & primus in foro inter æquales aperuiſset, quid de nobis ſentires. Quo magis in illius meminiſse debeo, teque & Choartium cum aliis multis colere, qui eam de libris meis ſententiam tuliſtis, ut ab ea fruſtra ad minores judices velit invidia provocare. Quare frendat illa & rumpatur, nugetur in librariorum officinis, me nec Latine ſcire, nec prudentiæ artem dignoſcere, quæ recentes plagas ante finitam inflammationem purgare vetat. Malim ego ab iis meam in his ſcribendis imprudentiam accuſari, quam ob illorum intemperantias, debitam erga te benevolentiam retardare.

HActenus vivo Choartio hæc a me vulgata ſunt: nunc cum ſuperſtes ei ſim, de illius vitæ & ſtudiorum ratione pauca conjungenda duxi, quæ ab illo familiaribus colloquiis aliquando acceperim. Captus enim viri humanitate & doctrina, ea plerumque in memoriam tempora revoco, quæ mihi aut literis aut conſiliis largitus eſt. Habui quidem illum in rebus fori dubiis ducem præcipuum: In privatis & publicis parentem alterum: in ſtudiis & virtutum diſciplina Principem maximum. Percontabar ab eo, quem optimum tenuiſſet curſum in Literis, & quos habuiſſet in iis & jure ipſo civili præceptores. Optimos nominabat & doctiſſimos. Nam a prima ætate doctrinis omnibus eruditus, felici illo ſæculo Literarum, quorum monumenta ubique gentium celebrantur, Joan. Aurati auditor fuit. Fabrum Sanjoranum, Ronſardum, alioſque condiſcipulos habuit multos, illos vero per omnem ætatem familiares, ut Turnebum, quo cum vixit conjunctiſſime. Deinde cum ad juris ſcientiam animum appuliſſet, ſucciſivis horis ad ea ſe ſtudia referebat, quæ delectare poſſunt & prodeſſe. Tholoſam profectus Georgio Buchanano, qui tum Conſtantienſi Epiſcopo a ſtudiis erat, ob litterarum affinitatem familiariſſime uſus eſt. Huic cum Poema Chriſtianum obtuliſſet de Natali Domi-

ni, *Trinoctium* inscriptum (nec enim carmen ullum, nisi de sacris historiis, fecit unquam, & ea volumina versuum confecit, queis integræ fere illæ decantantur) æqualem sibi Buchananus ubique prædicavit: cui cum suæ in *Psalmos Paraphrasis* partem aliquam ut amico & intelligenti vicissim dedisset recensendam, multo tempore se a scribendo deterritum Choartius narrabat, eamque potissimum fuisse causam, qua motus assiduam in jure addiscendo operam collocaret. Cadurcum profectus, Goveanum nactus est juris interpretem, de quo Magni Cujacii judicium facit, ut tacere satius ducam, quam plura dicere: cum is uno Cujacii verbo sit antiquæ eruditionis laude cumulatus. Ab eo Avaricum Biturigum concessit, ubi audivit Duarenum & amavit. Morum & studiorum similitudo ita discipulum cum magistro conjunxit, ut magna omnium rerum, consiliorum, voluntatum inter eos communitas esset. Lutetiam rediens, ut fori labores susciperet, illi Duarenus pictam sui in tabella imaginem pignus amoris certissimum dedit, quod ad mortem usque servavit diligenter, filioque tradidit quasi hereditarium. Præterea ad Michaelem Hospitalium Duarenus literas dedit amicitiæ testes, quibus Choartii virtutem commendabat ea commendatione, quæ diligentissima esse potest. Prima hæc cum Hospitalio consuetudo (cujus etiam mortui auctoritas vivit immortalis) familiaritatem attulit, hæc eam gratiam, quæ observantiam tenuit sine ulla officiorum aut virtutis remuneratione, quam Choartius minime appetebat. Quæstus turpes, ut honorum nundinationem, execrabatur. Dicebat enim, dum singuli suis rebus nimis consulerent, perire universos: & ubi honos hastæ subjiceretur, captivum illum dominorum servire libidini, quam ultimæ servitutis partem fœdissimam ab Hospitalio didicerat, & horrebat, ut quæ judiciorum religionem veritatemque perfringeret. Naturæ ac doctrinæ præsidiis ad dicendum paratus, post sextum & vicesimum ætatis annum, causas egit, sed paucas, illasque celeberrimas: nec ex dignitate putabat, levioribus negotiis implicari, aut quotidie dicere eum, qui suæ existimationi consultum vellet. Et cum in foro eorum præcipue consilia petantur, quorum in dicendo ingenii magnitudo frequentior claruit: omnium tamen oculos tam cito in se convertit Choartius, ut relictis actionibus, quæ plus habent molestiæ quam dignitatis, de jure respondere maluerit, quam ingenii periculum ulterius facere. Quod singulare eruditionis summæ exemplum est & fortunæ, quæ Carolum Molinæum juris Gallici scientissimum hoc honore privavit, quem cum nullus audisset dicentem, mirati sunt omnes scribentem in otio: & vetus Sidonii dictum comprobarunt, eum advocatorum morem esse, ut cum finiunt actiones, incipiant dignitates. Quare cum auxilium ab eloquentia Molinæus non petiisset, ea repugnante, paucos quidem suis consiliis juvit, & nulli profuit minus, quam sibi. Choartius vero, cum vel aliis consultatio senectuti celebrandæ & ornandæ honestum perfugium esse dicatur, hoc sibi subsidium jam a primis actionibus comparaverat, ut ad virilem perductus ætatem mature senex factus, diu senex, ut est in proverbio, cum iis vitæ integræ ornamentis vixerit. Hujus janua & vestibulum, maxima litigatorum frequentia ac summorum hominum, & Principum splendore celebrata sunt. Nullum enim quadragenarius habuit diem quem omni generi hominum certis in re incerta consiliis non sit impertitus. Ab illo edoctus primum his fruebar colloquiis quæ juris aut negotiorum nodos dissolverent, in quibus latebant ea eruditionis indicia, quæ attentum animum pascerent, non satiarent. Sed cum sub ætatis fine biennium, quam fatis concederet, honesto otio frueretur, seque totum divinæ lectioni relictis forensibus tradidisset: non recusabat optimus senex suis sermonibus amicos sublevare, qui perfectæ & virtutis amorem ostenderent & excitarent. Rebus prolatis bis illum conveni, non amplius. Ea enim verecundia mea est, ut temporis, & loci, & hominum magna habeam rationem, odiosusque videri maxime timeam. Quare ad unum item aut alterum amicorum, si quando datur otium, quod minimum est, divertere soleo, cæteros revereri, & qua possum observantia colere. Ad illum ut veni, complexus me senex sedem jussit afferri, & diei reliquum multis variisque sermonibus consumptum est nobis, quo mihi jucundior nullus in vita fuit. Primum illud fortunæ munus numerabat, quod in ea urbe natus esset, quæ virorum doctissimorum ubertate cæteris præstat & societate gloriatur. Ex quorum consuetudine ea discuntur, quæ nullo studio, nulla opera posset sibi parare privatus. Solitudo, ajebat, fallax iis est, qui in media hominum luce versantur. Initur quidem in illa consilium facilius: studia liberalia commodius in eruditorum turba perficiuntur. Quæ, ubi perfecta sunt, non modo sine ullis molestiis, sed etiam in maximis voluptatibus unicuique licet domi vivere. His tamen temporibus cum audacia pro sapientia uti liceat, eum arbitrabatur bene vivere, qui bene latuisset. Tanta est varietas temporum, ut viros multos quidem eruditos habeamus, paucos amicos. Obtrectatio & invidia exulcerant æqualium gratiam, æmulatio inimicitias parat, cum alieno bono anguntur ii, quod ipsi non habent. Cum mercatu turpissimo omnia esse venalia quereretur, mercedem laborum in honoribus positam negabat, quos nemo more Majorum obtinere, neque servatis legibus capere, neque sine periculo posset exercere. Nudis imaginibus similes dicebat multos, quibus præter titulum nihil est additamenti. De Republica parcissime & fere nunquam, atque ea tantum exempla referebat, quæ temporum recordatione tranquillum animum ita redderent, ut nullo studio partium duceretur. Oderat factiones eorum præsertim, qui rumores disseminant, novarum rerum cupidi. Si quando novi aliquid nunciaretur, subridens dicere solebat: Nihil hæc ad edictum Prætoris. Cum de literis sermo incidisset: prior, inquit, ætas vidit, quid esset in studiis primum, nos quid in illis ultimum est, lugere possumus, cum virtuti locus nullus relinquatur. Oppressa ingenia, spreta studia remissius querebatur, quod querelam temporum inanem & periculosam sciebat. Integritatem in tanto viro referre, injuria virtutum esset: prudentem dicere, minus dicere quam debeatur, cum divinum illum & quasi de cœlo delapsum mirati sint omnes & æmulati. Magna morum ejus suavitas, magna comitas, quæ severitatem, gravitas humanitatem præferret. Nulla senectutis vitia habuit, indefessus labor, memoria exculta in numerato dabat, quæ a puero didicisset. Somnus illi brevior ob cerebri ariditatem: noctis partem plurimam accenso cereo in auctorum lectione transigebat, aut obductis velis memoriam ipsam exercebat. Cum meum in malevolos animum vehementiorem animadverteret, blande suadebat illatas injurias aut leviter refellere, aut voluntaria quadam oblivione conterere; eos autem homines perpetuo contemnere, qui

A contentionis cupidiores sunt, quam veritatis: nec ulli satis honestum credebat aut provocare improbos, aut ulcisci, quod ultio semper sit infra boni viri dignitatem. Eruditos valde probabat eos, qui multa memoriter tenerent: alios, qui ex commentario sapiunt, laudabat minus. Hæc ita scripsi, ut ab illo acceperim, innumeraque alia consulto prætereo, quæ audierunt alii, qui illius frequentiore conspectu sunt recreati. De pietate, cujus exempla innumera præbuit, hoc unum vir pius memoratus est, tantum cum extingueretur illuxisse, ut Prophetarum voces obscuriores multum
B illustraret. Cum enim Davidicum illud a doctissimis Theologis, qui tum aderant, divine tractaretur, *Imperfectum me viderunt oculi tui, & in in libro tuo omnes scribentur*: eas Patrum veterum interpretationes attulit, quæ ita summam pietatem illam testarentur, ut vere in libro Dei scriptum hominem sperarent, & prænuntiarent. Antonius Mornacius ob literarum varietatem, & vitæ honestatem Choartio charus, mihi vero amicissimus, ampliora de tanto viro posteris tradet, quæ immortalem illius laudem commendent. Hoc
C unum illi præripiam, quod retulit: cum urgerent fata, Choartium suis nuntiasse, hora se noctis octava migraturum. Quod, ut prædixerat, accidit. Ea enim hora excessit quinto & octuagesimo ætatis anno florente fama, sana mente, corpore nullis doloribus affecto, liberorum & nepotum pietate felix. Hujus viri cum vita mihi laudabilis fuerit, illius mors silentio non debuit præteriri, quæ quidem & necessitati naturæ, & laborum quieti, & præmio recte factorum est tribuenda: quæ omnia sempiterni nominis gloria nituntur.

D. M.

IAC. CHOARTII. J. C. DOCTRINÆ. ELEGANTIA. MORUM. INTEGRITATE. PERITIA. JURIS. BONORUM. JUDICIO. NOBILISSIM. QVI. PER. ANNOS. LXXXV ÆTERNUM. VICTURUS. EUM. VITÆ CURSUM. TENUIT. QVEM. PAUCI SUNT. ASSECUTI

UT. QVEM. MORTALEM. COLVIT IMMORTALEM. VENERETVR JAC. GVTHERIVS. NOBILIS. ET. PATRICIVS. ROMANVS. VIRO. INCOMPARABILI. DE. QVO. NIHIL. DOLENDVM EST. HOC. SVPREMI. OFFICII. MONVMENTVM SINE. LACHRIMIS. POSVIT

F I N I S.



PETRI MORESTELLI,

TORNUSIENSIS, ARTIUM LIBERALIUM MAGISTRI, DOCTORIS THEOLOGI, ET SANCTI NICOLAI DE LA TAILLE RECTORIS,

POMPA FERALIS,

SIVE

JUSTA FUNEBRIA VETERUM.

LIBRI DECEM.

AD ILLUSTRISSIMUM POTENTISSIMUMQUE PRINCIPEM HENRICUM A LOTHARINGIA, COMITEM DE BRIOSNE, ET DE LA CARNAILLE, &c.


ILLUSTRISSIMO POTENTISSIMOQUE

PRINCIPI DOMINO HENRICO A LOTHARINGIA,

COMITI DE BRIOSNE, DE LA CARNAILLE, NEC NON CENTUM CATAPHRACTORUM DUCI,

PETRUS MORESTELLUS, DOCTOR THEOLOGUS,

S. D. P.



NIhil magis homini convenit, PRINCEPS ILLUSTRISSIME, quam meditatio mortis quæ ſemper imminet : Quare Muſonius apud Stobæum ait, *Non eſſe præſentem diem recte tranſigere, niſi ſtatuas eam quaſi ultimam.* Salutare dictum : Nam ſurgimus? poſſumus non ire cubitum. Decumbimus? poſſumus non exſurgere. Rupellam imus: an domum redibimus? Hoc modo fit homo fortior : *Tela enim prævisa minus nocent.* Etiam fit lætior : Quid enim turbet quem

-------- Ille timorum
Maximus haud urget lethi metus?

Illuſtrior quoque virtutibus dum cœleſtia ſpectat humana contemnens, quæ unde orta ſunt cito abeunt. Quid enim eſt in hominis vita diu? mihi ne diurnum quidem quicquam videtur in quo eſt aliquid extremum, cum enim advenit, tum illud quod præteriit, effluxit. Horæ cedunt, & dies, & menſes & anni, nec præteritum tempus unquam revertitur, nec quid ſequatur ſciri poteſt, tantum remanet quod virtute, & recte factis ſit conſecutus, virtus enim eripi, nec ſurripi poteſt unquam, neque naufragio aut incendio amitti :

Nunquam ſtygias fertur ad umbras
Inclyta virtus :

Hæc ſola ſepulchri expers : homini vero mors, quaſi ſaxum Tantalo ſemper impendet. Hanc omnibus natura ſemel propoſuit. Semel tantum? Immo *quotidie morimur, quotidie pars aliqua vitæ noſtræ demitur, & dum creſcimus vita noſtra decreſcit.* Quid eſt ergo in vita tantopere quærendum quam præclara æternaque virtus, qua nihil pulchrius, nihil amabilius : verum decus in ea poſitum, quod cum tibi ſemper fuerit notiſſimum, POTENTISSIME PRINCEPS, tantas virtutes adeptus es Matris Illuſtriſſimæ cohortatione plena prudentiæ, plena fidelitatis, ut Gotefridis majoribus tuis te dignum in dies præbeas, memor verſiculi,

Sera nimis vita eſt craſtina, vive hodie.

Vive, GENEROSISSIME PRINCEPS, non hodie ſolum, ſed quatenus homini

ſatis eſſe poſſit, ex animo tamen tuo nunquam mortis memoria effluat, quæ propter incertos caſus quotidie imminens, & propter brevitatem vitæ non longe poteſt abeſſe, nunquam tamen ſapientem deterret: Sapientis enim animus, magnitudine conſilii, tolerantia rerum humanarum, contemptione fortunæ, virtutibus omnibus ut mœnibus ſeptus vinci, aut expugnari non poteſt: Non lætabitur unquam aut mœrebit nimis, ſemper enim in Deo, ſeipſoque omnem ſpem reponit ſui. Deo inquam & ſeipſo: Recte, nam ex Seneca, *Sapiens vicinus proximuſque Diis conſiſtit, excepta mortalitate ſimilis Deo.* Hanc ob cauſam Triſmegiſtus hominem θεὸν θνητὸν vocavit, qui certe ita mortalis, ut nullo clypeo tela mortis retundere poſſit;

Omnibus obſcuras injicit illa manus.

Priſcis Romanis injecit, CLARISSIME PRINCEPS, quorum *Pompam Feralem*, ſub tui nominis fulgore in lucem prodire volui propter ſummam tuam in me benevolentiam. In hac Pompa præter magnam vim auri, argentique, miraberis unguenta, odores, thura, omniſque generis pigmenta & aromata, fœminarum ornamenta, armillas, zonas, vittas, concinnos torques, bullas prætextas omnemque mundum muliebrem. Inferunt viri ſceptra, balteos, enſes, arma, ſcutaque rogis abſumenda, immo canes, equos, homines quoque vivos: Quid

Deſertas exoſus opes, ſed non capit ignis
Invidus, atque arctæ deſunt in munera flammæ.

Tam inſanam profuſionem quis feret? non ferenda, nec ignoranda, cum priſca omni vel Ambroſia, vel Nectare ſuaviora. Qui non amet, eum Muſæ non ament. Amas priſca, PRINCEPS INVICTISSIME, amas & qui priſca, & qui priſcam amant obedientiam Regi Chriſtianiſſimo Ludovico Juſto juſte debitam, a qua hodie abducti ſunt qui a fide defecerunt: ſed caveant: Nam, ait Sophocles,

Confuſione nullum tetrius malum,
Hæc perdit urbes, iſta perdit & domos,
Vaſtaſque reddit: Martis in certamine
Hæc terga vertit. Rite ſed parentium
Res ſervat atque vitam obedientia.

Conſilio Tullii utantur dicentis, ſine imperio nec domum ullam, nec civitatem, nec gentem, nec hominum univerſum genus, nec rerum naturam omnem, nec ipſum mundum ſtare poſſe. Qui poteſt enim fortuna uti proſpera Civitas, quæ quicquid habet virium contra Deum Opt. confert? Conferunt hoſtes fidei & Regis, ex Apoſtolo volente Timotheum *Admonere illos Principibus ſubditos eſſe, dicto obedire. Non eſt enim poteſtas niſi a Deo, itaque qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit: qui autem reſiſtunt, ſibi damnationem acquirunt.* Itaque, PRINCEPS POTENTISSIME, cum illorum copiis pro fide & Rege Chriſtianiſſimo eventu proſpero in obſidione Angeliana pugna & nomen tuum Henricum, nomenque matris Illuſtriſſimæ quæ te peperit omnium ſermonibus exornandum trades: Vale. Pariſiis Non. Junii 8. ab illato vulnere Illuſtriſſimo fratri tuo in obſidione Angeliana.

GRATULATIONES
AMICORUM.

DOMINI AUTHORIS

SERVUS OBSEQUENTISSIMUS JOANNES FRANCISCUS DE CHANLECY

IN POMPAM FERALEM.

LUmina fœmineo planctu violare luberet,
Dum tangunt mentem funera mœsta meam.
B Qualem egressus homo cunis contingere finem,
Ipse sibi censet, dum moriturus adest?
Advena qui cum sit mortem meditetur oportet,
Ne vitam fragilem per freta cœca vehat.
Huic quid divitiæ prosunt, quid vana voluptas?
Cum sibi mox rapiat Parca cruenta dies?
Musa fleas, pariter funestos edito cantus,
Hæc ubi commemoror funera mœsta, fleo.

AD

C *ILLUSTRISSIMUM ET INVICTISSIMUM*

HENRICUM A LOTHARINGIA

PRINCIPEM COMITEMQUE DE BRIOSNE, DE LA CARNAILLE, &c.

EPIGRAMMA.

CÆsar ab antiquis ducens exordia primis,
Imperio cedat; Cæsar hic alter adest.
D Longævum Cæsar servabat ab ordine nomen:
Ast hic virtutes servat honore Patrum.
Vive diu, PRINCEPS, tua gens renovatur in ævum:
Magnanima est virtus quæ tua facta movet.
Virtutem egregiam non tollit dira Lachesis,
Non mors, non funus laudibus officiunt.

A Exequias post mille datas manet illa superstes;
Alcidem nescis vivere in ora virum?
Fac fœlix vivas, obitus fœlicior adsit;
Hæc tua nobilitas te super astra feret.
Quid minus impediet, si quosdam accumbere mensis
Divorum Heroas vulgus inane refert?
Quis non te Heroas virtute excellere dicet,
Dum fidei adversis bella cruenta geris?

Tibi obsequentissimus offerebat P. LANGLOSIUS, *Bellovacus.*

IN
ERUDITISSIMUM
AUTHOREM POMPÆ FERALIS

EPIGRAMMA.

FRigida dum scribis veterum monumenta Quiritum,
Morem demiror, miror & ingenium.
Unde mihi non frigus iners, non ulla sepulchri
Digna movent animum; nullus adestque labor.
Quin versu celebrem tantos de nomine Martis.
Martigenas dictos, atque trophæa canam;
Quædam ridebis forsan, charissime lector.
Hæc usu non sunt facta probanda tuo.
Hos lex naturæ cæcos ducebat ad artes,
Hos natura sua lege docebat avos.

Ex animo offerebat P. LANGLOIS, *Bellovacensis.*

INDEX CAPITUM.

LIBER PRIMUS.

LIBER SECUNDUS.

LIBER TERTIUS.

INDEX CAPITUM.



PE-

PETRI MORESTELLI,

TORNUSIENSIS, ARTIUM LIBERALIUM MAGISTRI, DOCTORIS THEOLOGI, ET SANCTI NICOLAI DE LA TAILLE RECTORIS,

POMPA FERALIS, SIVE JUSTA FUNEBRIA VETERUM.

LIBER PRIMUS.

CAP. I.

1. *Materias Operis.* 2. *Funeris ἔτυμον duplex.*

1. CUm mirum in modum delectentur, afficianturque nonnulli vetustate quam in Veterum monumentis aspiciunt: iis arandum, occandum, ferendum, metendumque. Ideo priscorum Romanorum cerimonias in JUSTIS FUNEBRIBUS aggredimur, sed ἔτυμον primo.

2. Funus igitur sic dictum a *funalibus* quod incensi *funes* praeferebantur, cum noctu cadavera efferrentur ob sacrorum celebrationem diurnam. Credes Donato *in Andr. Terent. Funus est pompa*, inquit, *exequiarum, dictum a funalibus*. Credo ego & Servio *in* XI. *Æneid. Funera a funalibus candelis sevo vel cera circundatis dicta censent*. Cur non etiam Isidoro? lxx. *Etym.* c. x. *Funus a funibus accensis quos ante pheretrum ferebant*. Vel dicitur etiam ab eo quod φῦνος Ionice dicitur, pro φόνος, quod *caedem* vel *cladem* significat.

CAP. II.

1. *Oscula dabantur morientibus.* 2. *Caussae hujus ritus.* 3. *Mors quomodo dicta.*

1. CUm spes omnis vitae in aegro abjecta esset, amici & sanguine proximi morientem osculabantur cum amplexibus. Ideo Ausonius *Parent.* carm. XXIII.

Illa manus inter genitricis & oscula patris
Occidit.

Sic Augustum Caesarem in osculis Liviae defecisse auctor Suetonius in *ejus Vita*.

2. At qua de caussa Romani morientes osculabantur?

3. Quia cum mortem antiqui dixerint *abitionem*, ut multi notarunt, morientes osculo quemadmodum peregre abeuntes dimittendos censuerunt. Vel quia *exeuntem animam hoc modo excipere & in se transferre voluerunt: quod fieri posse veteres muliebriter existimarunt*, ut ait Kirchmannus. Osculabantur itaque morientem donec animam exhalaret.

A

B

C

D

CAP. III.

1. *Anima aegroti primo ore excipitur a proximioribus vultum vultui imponentibus.* 2. *Quid sit animam in primo ore tenere.*

1. UBi autem animam aegrotus exhalare coepisset, proximiores spiritum ejus, ore excipiebant vultum vultui imponentes. Cicero VII. *in Verrem. Matres miserae pernoctabant ad ostium carceris, ab extremo complexu liberum exclusae, quae nihil aliud orabant, nisi ut filiorum extremum spiritum excipere sibi liceret*. Idem, afferit Quintilianus *Declam.* VII. *Non morienti pater assedi; non aegri caput molliori sede composui, non fatigatum latus mutavi, non excepi spiritum*. Virgilius item aperte *Æneid.* IV.

—— Extremus si quis super halitus errat,
Ore legam.

Albinovanus Liviam deplorat, quod ipsi non licuerit filii animam excipere, in *Epicedio de Livia*. Putabant enim antiqui animam a corpore discessuram per os tanquam januam aliquam exire.

2. Atque ideo *animam in primo ore vel labris tenere*, dicebant de iis qui in mortis erant confinio. Seneca *epist.* XXX. & in *Herc. Furent.*

——— hanc animam levem
Fessamque senio, nec minus quassam malis.
In ore primo teneo.

Utitur & Cyprianus *Serm. de coena. Cum jam anima festinet ad exitum, & egrediens ad labia exspirantis emerserit.*

CAP. IV.

1. *Annuli morientibus detracti:* 2. *Ratio.* 3. *Iterum digito redditi.*

1. POrro annulos quoque morientibus detrahi solitos discimus ex Plinio *l.* XXXIII. *Gravatis somno aut morientibus religione quadam annuli detrahuntur*. Ex hoc more intelligendus Ælianus Spartianus qui annuli spontaneum de digito casum inter signa mortis Hadriano Imperat. oblata retulit. *Signa mortis haec habui: annulus in quo imago ipsius sculpta erat, sponte de digito lapsus est.*

2. Forte autem detrahebantur annuli ne in *Pollinctorum* manus pervenirent.

3. Nam iterum digito redditos & una cum cadavere combustos indicat Propertius *lib.* IV.

Et solitum digito beryllon ademerat ignis.

A

CAP. V.

Oculi morientibus clausi apud Græcos & Romanos. Vocabula ad hoc officium.

POst hæc mortui oculos claudebant iidem proximiores cum apud Græcos, tum Romanos. Frequens locus in Poetis de hoc officio apud Romanos. Ovidius *epist.* I. *Penel.*

Dii precor hoc jubeant, ut euntibus ordine fatis,
Ille meos oculos comprimat, ille tuos.
Respice Laerten, ut jam sua lumina condas.

B

Ariadne Theseum sic alloquitur, *epist.* X.

Ergo ego nec lachrymas matris moritura videbo,
Nec, mea qui digitis lumina condat, erit?

Hoc sequentes versus pulchre, apud eundem *consolat. ad Liviam.*

—— tu mea condas
Lumina, & excipias hanc animam ore pio.
Atque utinam Drusi manus altera, & altera fratris
Formarent oculos comprimerentque meos.

C

Belle etiam Martialis:

Quinque dedit pueros, totidem mihi Juno puellas:
Clauserunt omnes lumina nostra manus.

Græcis etiam hunc ritum familiarem diximus. Clarum est ex Homero qui fingit Agamemnonem querentem de officio hoc ab uxore neglecto sic:

—— Neque mihi eunti ad Plutonis domos voluit
Manibus oculos comprimere, neque os componere.

D

Id est, malas hiantes & deformatas corrigere. Elegans locus est ejusdem in *Iliade*, in quo Ulysses socium interficiens sic loquitur: *Ah miser non quidem tibi pater & honoranda mater, oculos claudent mortuo.* Hinc Polynices ad mortem apud Euripidem.

Jam claude mater oculos mihi manu tua.

Ad hunc ritum claudendi oculos respexit Bion, qui *facilem esse dicebat ad inferos viam: clausis enim oculis illuc ire.* Apud Laertium.

E

CAP. VI.

Quid ritu claudendi oculos indicare voluerint Veteres.

AT quid eo ritu condendi oculos indicare voluerunt? Mortem fortassis quendam somnum esse, aut somno quam simillimam: vel cavere ne horror aliquis circunstantibus oboriretur, cum terribile appareat apertis oculis a mortuo velut conspici: vel etiam gratificari ipsis morientibus, quibus maxime curæ esse solet, ut membris decenter compositis e vita migrent. Sic enim Augustus Cæsar eo die qui supremus ipsi illuxit, *Petito speculo capillum sibi comi, ac malas labentes corrigi præcepit.*

F

CAP. VII.

An lege Mænia fuerit prohibitum filiis officium claudendi oculos.

LEge Mænia videtur cautum fuisse ne filii hoc officio defungerentur. Extat ea apud Varronem in *Geminis*: NE FILII LUCI CLARO SIGILLENT OCULOS. Nonnulli ita interpretati sunt, quasi caveatur, ne filii morituris patribus oculos occludant: sed ut id faciant propinqui & necessarii. Alii filiis quidem licuisse arbitrati, sed velarium fuisse obductum, aut clausas fenestras, ne assistentes viderent oculos morientis. Neutrum placet Kirchmanno; sed assentitur Antonio Augustino Tarraconensi Archiepiscopo existimanti dictum id per translationem esse, videlicet, ne parentum mortem maturent, iisque adhuc spiritum ducentibus oculos operirent.

CAP. VIII.

1. *Mortuum proprio nomine inclamabant.* 2. *Duæ caussæ hujus ritus.*

1. QUid præter hæc? Introducta familia viciniaque, terni quaternive altissimis vocibus mortuum ter inclamabant nomine.

2. Eo scilicet fine, ut vel exeuntem animam retardarent: vel in corpore adhuc delitescentem expergefacerent. Priorem causam habet Ovidius lib. I. *Trist.* eleg. II.

—— nec cum clamore supremo
Labentes oculos claudet amica manus.

Alteram Plinius, quod *solet plerumque vitalis spiritus inclusus putari & homines fallere.*

CAP. IX.

1. *Mortuo tacente quid dicebatur.* 2. *parœmia.*

1. MOrtuo tacente dicebatur CONCLAMATUM EST. Pono verba Montfortii. *In funebribus cærimoniis solenne fuit mortuum proprio nomine ter inclamare, &c. quod si ne tum se proderet spiritus vitalis, de eo* CONCLAMATUM *dicebatur.*

2. Hinc in parœmiam abiit, *Conclamatum est*: quum significamus, nihil superesse spei. Eo alludit Seneca, *de Tranquillit. animi* cap. XI. *Toties in vicinia mea conclamatum est.* Apulejus: *Optimi medici conclamatis desperatisque corporibus non adhibent medentes manus.*

CAP. X.

De lotione & unctura non tantum apud Græcos & Romanos: sed alios, Judæos, Dardanenses, Ægyptios, imo & Christianos.

COnclamato mortuo, eoque tacente, corpus a propinquis & affinibus, calida aqua abluebatur, unguentisque ungebatur. Quare Anna sororem lamentans ait, apud Virgilium lib. IV. *Æneidos*:

—— date, vulnera lymphis
Abluam.

Idem *ibid.* lib. VI.

—— corpusque lavant frigentis, & ungunt.

De eodem more Ennius.

Tarquini corpus bona fœmina lavit & unxit.

Hoc quoque ritu prisca Græcia usa est. Creon enim Jocasten accersit ut filium suum mortuum lavet, Euripides in *Phœn.*

——— ipse eo
Ad sororem Jocastam, ut
Abluat cadaver filii atque collocet.

Et in eadem *Tragœdia* circa finem Antigone a Creonte petit, ut sibi fratrem lavare liceat,

At tu abluam saltem concede mortuum.

Apud Dardanenses autem quam solemnis hujusmodi lotio fuerit, audiamus ex Æliano lib. IV. *Var. Hist.* c. I. *Dardanenses Illyricos ter tantum lavari audio per universam vitam, & post partum, & cum nuptias inirent, & post mortem.*

Sed & in primitiva Ecclesia receptam fuisse lotionem apparet ex *Act. Apost.* c. IX. ubi Tabitham confestim lotam fuisse vita functam legimus: *Factum est autem, ut infirmata moreretur. Quam cum lavissent, posuerunt eam in cœnaculo.* Ex Tertul. *Apol.* c. XLII. qui inde jocum captavit: *Non lavor diluculo Saturnalibus, ne & noctem & diem perdam: attamen lavor honesta hora & salubri, quæ mihi & colorem & sanguinem servet. Rigere & pallere post lavacrum mortuus possum.* Cujus loci hæc est sententia, interprete Desid. Heraldo: Nolo ex lavacro matutino rigorem & pallorem mihi contrahere: satis mihi est quod mortuus rigere & pallere debeo post lavacrum. Nam fieri nequit, ne ii qui diluculo lavantur palleant, & de sanguine amittant. Peregi de *Lotione*, in qua pauca de *unctione* & per transennam coactus: de qua plenius scribam.

CAP. XI.

1. *Cur abluerentur aqua calida mortui.* 2. *Qui revixerint in Rogo, & aliter.*

1. 2. Capite X. diximus mortuos ablutos aqua calida: vin' caussam? Eadem est quæ de *conclamatione* in octavo capite, ut videlicet expergefacerent spiritum vitalem, qui sæpe inclusus solet homines fallere. Refert enim Plinius in *Nat. Hist.* lib. VII. cap. LII. quendam superpositum pyræ in ipsis ignibus erectum esse nec potuisse liberari. Beroaldus nusquam hoc a Plinio scriptum asseverat *Annot. in Serv.* fallitur: habet enim aperte sequentia. *Aviola consularis in rogo revixit, & quoniam subveniri non potuerat prævalente flamma, vivus crematus est. Similis caussa in L. Lamia prætorio viro traditur. Nam Cælium Tuberonem prætura functum a rogo relatum, Messala, Ruffus & plerique tradunt....... Varro quoque auctor est XX-Viris agros dividentibus Capuæ, quendam qui efferretur pheretro domum remeasse pedibus.* Manilius lib. IV. *Astron.*

Ex ipsis quidam elati rediere sepulchris.

Narrat similem historiam Apulejus l. IV. *Flor. Asclepiades cum forte in civitatem sese reciperet, & rure suo suburbano rediret, aspexit in pomeriis civitatis funus ingens locatum, plurimos homines ingenti multitudine qui exsequias venerant, circunstare, omnes tristissimos & obsoletissimos vestitu. Propius accessit ut etiam cognosceret, more ingenii humani, quisnam esset, quoniam percontanti nemo responderat. Pertractavit corpus hominis & invenit in illo vitam latentem. Confestim exclamavit vivere hominem: procul ergo faces abigerent, procul ignes amolirentur, rogum demolirentur, cœnam feralem a tumulo ad mensam referrent. Murmur interea exortum, partim Medico credendum dicere, partim irridere Medicinam. Postremo propinquis etiam hominibus invitis,* sive propter *hæreditatem,* sive *quod adhuc fidem illi non habebant impetravit Asclepiades brevem mortuo dilationem. Atque ita Vespillonum manibus extortum domum retulit, confestimque spiritum recreavit & animam in corporis latibulis delitescentem quibusdam medicamentis.* De Joanne Duns, Scoto quoque Scholastico illo subtilissimo, memoria proditum est, illum cum in ecstasin incidisset ipsi peculiarem ob acutissimas meditationes, diutiusque ea detineretur, a Discipulo pro mortuo elatum, sepultumque esse Coloniæ, Anno M.CCCVIII.

CAP. XII.

1. *Plenius de unctionibus quarum multæ differentiæ.* 2. *Unctio apud varias Gentes.* 3. *Cur ungebantur apud Romanos.*

1. De his suggerit Horatius, *Epod.* od. XVII.
Unxere matres Iliæ addictum feris
Alitibus, atque canibus homicidam Hectorem.
Theodoro Marcilio affirmanti *in Persii sat.* feralium unctionum multas differentias credo. *Unctionum,* inquit, *Feralium differentiæ multæ: I. alia libera & prisca: alia servilis & nova. II. Unctio una mortui ante exequias & collocationem: altera posterior. III. Unctio aut mortui est, aut reliquiarum. IV. Unctio aut odoribus & aromatis fieri solita, aut abomine. Aliæ item multæ unctionum differentiæ, sed justi voluminis ea res, non perfunctorii commentarioli.*

2. De unctione mortui non inurbanum dictum Martialis, *lib.* III. *ep.* XII.
Qui non cœnat & ungitur, Fabulle,
Hic vero mihi mortuus videtur.
Et quidam Græcus Epigrammatum scriptor ait, malle se vivum madere unguentis & vino, quam utrumque servare ad exequias suas. Ægyptii etiam condiebant cadavera myrrha, aloe, cedro, melle, sale, cera, bitumine & resina odoribus & unguentis delibuta, Muretus *lib.* III. *c.* XIX. Ex succo enim Cedri exanimum corpus servari, sicut viventium corrumpi, haud dubie perspectum est. Eundem morem fuisse Judæorum disce ex *Marc.* c. XVI. *Cum enim transisset Sabbathum, Maria Magdalene, & Maria Jacobi, & Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent* JESUM. Et *Lucæ* XXIII. *Et revertentes paraverunt aromata & unguenta.*

Et Christus peccatricis a qua ungebatur pietatem laudans ait, *Matth.* XXVI. *Opus bonum operata est in me: mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.*

Transiit is mos deinde ad Christianos: Tertullianus *Apolog.* cap. XLII. *Sciant* enim *Sabæi pluris & carius suas merces Christianis sepeliendis profligari, quam Diis fumigandis.* Minucius Felix inter crimina Christianis objecta: *Non floribus caput nectitis, non corpus odoribus honestatis, reservatis unguenta funeribus.* Recte autem Tacitus instituti hujus originem ad prædictos Ægyptios retulit, ex quorum ritu Josephus præcepit Pollinctoribus ut patrem Jacob vita functum aromatibus condirent, *Genes.* cap. L. Et paulo post Josephus ipse simili ritu ab Ægyptiis sepultus legitur: *Mortuus est expletis centum decem vitæ suæ annis. Et conditus aromatibus repositus est in loculo in Ægypto.*

3. Sed cur mortui ungebantur apud Romanos? *ut celerius arderent,* inquit Donatus. Apud quos, ut finiam, omniumne corpora ungebantur? In Servorum corporibus id fieri lex vetat, quæ sumpta ex legibus Solonis, SERVILIS UNCTURA TOLLATUR.

CAP. XIII.

1. *Ungentes dicti Pollinctores*. 2. *Jocus ex his*. 3. *Vocabuli origo*. 4. *Fuerunt ex familia Libitinariorum*.

1. UNgentium nomen expetenti largior. Ungentes itaque cadavera, *Pollinctores* dicebantur. Genus hominum, quod funebribus ministeriis obeundis victum quæritabat. Plautus in *in Pœn*.

Carthaginienses fratres patrueles duo
Fuere, summo genere & summis divitiis:
Eorum alter vivit, alter est emortuus.
Propterea apud vos dico confidentius,
Quia mihi pollinctor dixit, qui eum pollinxerat.

Et Martialis *lib*. x. *ep*. XCVII.

Jam scrobe, jam lecto, jam pollinctore parato,
Hæredem scripsit me Numa: convaluit.

2. Et jocum inde captavit parasitus Plautinus, *Asinar*. Act. v. Sc. II. qui Demænetum visa uxore, ejusque minis auditis, metu esse exanimatum & pene mortuum significaturus exclamat:

Ecquis currit pollinctorem accersere.

3. Vocabuli originem multum diuque volutavi, tandem arbitratus sum a pelle ungenda dici, ficto vocabulo, quasi *pellis unctor*, ut *pollincere*, sit tanquam *pellem ungere*. In vetustis enim monumentis reperitur *pellinctor*. Nihil miri: Nam E, & O, non raro tradunt mutuas operas, & in alternas sedes subeunt: sic *polluceo* a *pelluceo* est deflexum; & *polluctum* quasi *pelluctum*: quod illo in genere Sacrificii pelluceamus. Alii *pollinctorem* putant, quasi *pollutorum unctorem*. Quidam deducit a *polingo*, id est, *poliens*, *ungo*. Non desunt qui a *poliendis* cadaveribus.

4. Erant autem *pollinctores* ex familia Libitinariorum, quod Ulpianus ostendit, *l. Quicumque ff. de inst. Act.*

CAP. XIV.

1. *Quandiu servata cadavera post unctionem*. 2. *Ara constituta & ad quid*.

1. SIc uncta corpora diebus septem servare solebant, ara constituta ubi odores incenderent, quæ Acerra dicta est. *Thuribulum* vulgo dicitur.

2. Alii tamen *arculam thurariam* in qua thus reponebant, *Acerram* ajunt dictam. In hac significatione mentio est apud Horatium *Ode* VIII. *lib*. III.

Quid velint flores & Acerra thuris
Plena, miraris.

Cornutus scribit esse pateram in qua libatur, & hanc agnoscit Virgilius *Æneid*. v.

—— *Et plena supplex veneratur Acerra.*

In priore autem, nostraque significatione est lex XII. qua prohibitum, NE ACERRÆ ADHIBERENTUR. Vetat lex aras ejusmodi quæ fiebant cum thure, incensisque odoribus in mortui honorem.

CAP. XV.

1. *Vota Libitinariorum*. 2. *Qui fuerint*. 3. *In templo Libitinæ funeribus necessaria vendebantur*. 4. *Causæ duæ*. 5. *Institutum Regis Servii Tullii*. 6. *Libitinariorum exercitium honestius quam Pollinctorum*. 7. *Unde dicti*. 8. *Libitina*. 9. *Curatores funerum apud Ægyptios*. 10. *De iis res valde notanda*.

A 1. DE Libitinariis sæpe mentio in funebribus pompis. Seneca l. VI. *de Benef*. c. XXXVIII. Eorum *vota sunt*, *ut mortes plurimorum optent*, *quod illis quæstuosissimum est*. *An tu Aruntium & Aterium & cæteros qui captandorum testamentorum artem professi sunt, non putas eadem habere quæ & Libitinarios vota? Illi quorum mortes optent, nesciunt: hi familiarissimum quemque ex quo propter amicitiam spei plurimum est, mori cupiunt*. Et paulo ante narrat Demadem Athenis damnasse

B eum qui necessaria funeribus venditabat, cum probasset, magnum lucrum optasse, quod contingere illi sine multorum morte non poterat.

2. 3. Erant enim *Libitinarii* qui necessaria funebribus vendebant, & qui rationibus præerant *Libitinæ* Deæ, in cujus templo quæ ad sepulturam pertinebant vendebantur. Quo videtur respexisse Phædrus.

Qui circumcidis omnem impensam funeris,
Libitina ne quid de tuo faciat lucrum.

C 4. Hujus moris duas rationes affert Plutarch. in *Problem*. *Quid est caussæ*, ait, *quod in æde Libitinæ quæ ad sepulturam pertinent vendere consueverunt, Libitinam nihil aliud nisi Venerem esse existimantes? An hoc unum ex Numæ Pompilii commentis fuisse putandum est, ut discant homines talia non aspernari, nec tanquam rem pollutam, aut sceleratam fugere? An ea re homines fragilitatis humanæ admoneri putant, quod una & eadem Dea principium ac finem vitæ in potestatem habeat? quippe quæ ingredientibus vitam, vel decedentibus præsideat?*

D His Plutarchi causis, funebribus necessaria in Libitinæ templo vendebantur a *Libitinariis*, qui hinc dicti sunt *Libitinam exercere* a Valer. Max. *Qui tunc Libitinam exercebant, tum rerum suarum usum, tum ministerium suum gratuitum polliciti sunt*.

5. Non possum hic insigne institutum Servii Tullii Rom. Regis præterire, qui, referente Dionysio Halic. *lib*. IV. ut sciret numerum nascentium & denascentium adinvenit, ut propinqui nata prole certum aliquem numerum in ærarium Junonis Lucinæ inferrent: iidem aliquo mortuo in Veneris Libitinæ: & sumente quopiam virilem togam decimo septimo anno in Juventutis. Vero simile ta-

E men est *Libitinarios* numerum morientium observasse, quod ut credam me pervincit Sueton. in *Nerone* c. XCIII. *Pestilentia unius Autumni qua triginta funerum millia in rationem Libitinæ venerunt*.

6. Jam colligis *Libitinariorum* exercitium honestius fuisse quam *Pollinctorum*. Habebant enim *Libitinarii* domi suæ *pollinctores* servos, quorum opera utebantur ad pollicienda, hoc est, abluenda, ungenda, & consuenda cadavera. Verum etsi hi homines perquam necessario in Republica ministerio fungerentur: inter viles tamen habitos opinantur quidam propter sordidum & turpe genus vitæ.

F 7. 8. Colligis amplius *Libitinariorum* nomen tractum a *Libitina* funerum præside, ita dicta a *Libidine*. Hanc Plut. Venerem fuisse putavit superius. Alii malunt esse *Proserpinam* Plutonis uxorem, quam mortuis præesse putabant: ideoque etiam ea quibus mortui exornati veluti ad inferos deducuntur in ejus Templo voluerunt asservari. Unde factum est ut *Libitina* Poetis pro *morte* ipsa, seu pro pheretro quo mortui efferuntur, non raro accipiatur. Horatius lib. III. *Car*. od. XXX.

—— Multaque pars mei
Vitabit Libitinam.

Dionyſ. Lamb. vertit, *Mortem effugiet*. Animadverto etiam in Livio *lib.* XL. Libitinam pro *funebri apparatu* legi, quem *Libitinarii* in uſum exequiarum locabant: *In urbe*, inquit, *tanta fuit peſtilentia, ut vix tunc Libitina ſufficeret ad ſuppeditanda, ſcilicet funeribus neceſſaria.*

9. Qui funera mortuorum apud Ægyptios curant, funeris impenſam Domeſticis deſcriptam ferunt, ſcrutantes quanti velint celebrari funus. Conventione facta, corpus ei traditur, ut juxta impenſam curetur funus.

10. Uxores tamen inſignium virorum non ſtatim vita defunctas tradunt, ac ne eas quidem fœminas quæ conſpicuæ valde fuerint, ſed triduo, atque quatriduo defunctas: *Deprehenſum enim quemdam ajunt coeuntem cum recenti cadavere muliebri, delatumque ad ejuſdem artificii ſocios.* Herodianus *lib.* II.

CAP. XVI.

1. *Mortui induti veſte apud Romanos.* 2. *Pallio apud Græcos.* 3. *Prædicta veſtis alba fuit, imo Toga.* 4. *Ditiores toga varia pro conditione mortuorum induti: & qua Martyres.* 5. *Cura Veterum in conficienda ſibi veſte.* 6. *Vivos inſtante morte ſplendide ſeſe veſtire ſolitos.* 7. *Veſtis Græcorum etiam alba, non tamen pauperum.* 8. *Veſtis Spartanorum, Lacedæmoniorum, & Meſſeniorum, qualis fuerit.*

1. RElictis *Libitinariis* ad cadavera redeo, quæ abluta, unctaque, candida vel alba veſte induebantur. Veſte quidem cum dicat Apulejus lib. I. *Florid. Togam parari funeri.* Hinc lucem capit Paul. Juriſconſultus *in lib.* XIX. *Filiusfamilias togam emit, mortuo deinde eo pater ignorans & putans eſſe, dedicavit eam in funus ejus.* Nam *Togam in alicujus funus dedicare*, nihil aliud eſt quam in *id* eam dare, ut ea mortuus involvatur. Valer. Max. *lib.* IV. *c.* V. *Ut fratrem germanum eſſe cognovit pretioſa veſte opertum rogo impoſuit.* Juvenalis etiam admonuit, *Sat.* III.

Pars magna Italiæ eſt, ſi verum admittimus, in qua
Nemo togam ſumit niſi mortuus.

2. Et hoc in Italia tantum. Nam in Græcia *pallio cadavera operiri & Philoſophos amiciri* aſſerit Apulejus *loc. cit.*

3. Non *albam* dixerunt hanc veſtem vel *candidam* autores nominati: ſed hunc tangit colorem Martialis,

Et pallens Toga mortui.

Idem indicat Artemidorus: *Viro ægrotanti albas habere veſtes mortem denotat: propterea quod mortui in albis veſtibus efferuntur.* At quid per *candidas* illas *veſtes* capis? *nihil aliud quam Togas*, inquit Lipſius *Elect.* I. cap. VI. *quæ vulgo albæ. Nam cadavera in honeſtiſſima veſte efferri mos, quæ in vulgo Civium & in tacito funere toga vulgata fuit.*

4. Qua induebantur Ditiores? albane illa & vulgata? *In Magiſtratibus*, reſpondet Lipſius *ibidem*, *Toga prætexta fuit: in Cenſoribus purpurea tota.* Certe apud Virgilium VI. *Æneid.*

Purpureaſque ſuper veſtes velamina nota
Conjiciunt.

De uſu purpuræ etiam in funeribus meminit Suetonius in *Cæſare* cap. LXXXIV. *Intra lectus eburneus auro & purpura ſtratus.* Quare de re etiam Livius *lib.* XXXIV. *Purpura viri utemur: prætextati in Magiſtratibus, in ſacerdotis. Nec id ut vivi ſolum habeamus inſigne: ſed etiam ut cum eo crememur mortui.* Et hæc eſt cauſa cur Marcus Antonius poſtquam M. Bruti corpus liberto ſuo ſepeliendum tradidiſſet, quo honoratius cremaretur, ſuum ei injici paludamentum purpureum juſſerit, teſte Valerio Max. *lib.* V. cap. I. Forte huc Eutychianus Pontifex etiam reſpexit, qui autore Damaſo *lib.* V. *cap.* I. conſtituit, *ut quicunque fidelium Martyrem ſepeliret, ſine Dalmatica aut Colobio purpurato nullatenus ſepeliret.* Dalmatica eſt *tunica ſacerdotalis candida cum purpura*, ut explicat Iſidorus lib. XIX. *Orig.* cap. XXII. quæ quod manicata ſit crucis ſpeciem aliquo modo referre videtur. Colobium vero veſtem ſine manicis eſſe ait Albin. *lib.* II. *c.* XXI.

At quæres an illud veſtium diſcrimen in viris tantum fuerit obſervatum. Minime, ſed & in Matronis. Quarum enim filii Magiſtratus curules geſſiſſent, eas in honoratiore veſte elatas, patet ex Propertio *lib.* IV. *eleg. ult.*

Et tamen emerui generoſos veſtis honores.

5. Cæterum Veteribus tanta ſemper cura fuit veſtium funebrium, ut eas plerunque in vita ſibi & ſuis conficerent, ut videre eſt apud Virgilium l. IX. *Æneid.*

—— Nec te tua funera mater
Produxi; preſſive oculos, nec vulnera lavi,
Veſte tegens; tibi quam noctes feſtina dieſque
Urgebam, & tela curas ſolabar aniles.

6. Ex hoc ritu mortuos ſplendide veſtiendi ortum, ut etiam vivi in mortem, quam ſibi jamjam ſubeundam videbant, pretioſiſſimis veſtibus ſeſe exornarent, viri pariter ac mulieres. De viris inſigne exemplum habemus in Rom. patribus, cum Galli Duce Brenno urbem cepiſſent: Livius *lib.* V. *Romæ interim ſatis jam omnibus, ut in tali re ad tuendam arcem compoſitis, turba ſeniorum domos regreſſa adventum hoſtium obſtinato ad mortem animo expectabat. Qui eorum curules geſſerant Magiſtratus, ut in fortunæ honorumque aut virtutis inſignibus morerentur, quæ auguſtiſſima veſtis eſt thenſas ducentibus, triumphantibuſve, ea veſtiti medio ædium eburneis ſellis ſedere.* Et in Varo, qui *cum ſe inſignibus honorum velaſſet, jugulatus eſt*, apud Paterculum *l.* II. Sic Philoclem Athenienſem lotum & ſplendida ſumpta læna ſe jugulandum præbuiſſe refert Plutarchus in *Lyſandro*. Eadem de cauſſa Apollodorus videtur Socrati jamjam venenum bibituro pallium & pretioſam veſtem attuliſſe, teſte Æliano l. I. *Var. Hiſt.* cap. XVI. Nec prætereundum militares etiam viros, in aciem ad extremum diſcrimen euntes, hunc morem uſurpaſſe: unde Artabaſus apud Q. Curtium *lib.* V. *Nos pretioſiſſimis veſtibus induti, armiſque quanto maximo cultu poſſumus adornati, Regem in aciem ſequemur.* Habes de viris: habe jam de fœminis. Juſtinus *lib.* XIII. *Olympias* (magnanima illa Alexandri M. Mater) *ubi obſtinatos venire ad ſe armatos vidit, veſte regali duabus ancillis innixa ultro obviam procedit.* Vis Cleopatram? Florus *lib.* IV. *Ubi ſervari ſe triumpho videt incautiorum nacta cuſtodiam in Mauſoleum* (ſepulchra Regum ſic vocant) *ſe recepit, ubi maximo ut ſolebat induta cultu, in differto odoribus ſolio juxta ſuum ſe collocavit Antonium, admotis ad venas ſerpentibus, ſic morte quaſi ſomno ſoluta eſt.*

7. Agnoſco & ritum efferendi in veſtibus albis apud Græcos: Homericum enim eſt hoc *Iliad.* Σ.

In lectum autem imponentes linteo ſubtili texerunt,
Ad pedes a capite: deſuper autem alba veſte.

Pauperes tamen & tenuioris fortunæ homines non videntur elati in albis. Artemidorus. *Novi ego multos & pauperes & ſervos & vinctos ægrotantes, qui*

etiam cum viderentur sibi nigra habere vestimenta mortui sunt. Verosimile enim erat hos non in albis propter inopiam efferendos esse. Existimo ego hos vilibus pannis fuisse involutos, monitus ab Eusebio in *Chron. Cassius Severus Orator egregius vigesimo quinto exilii sui anno summa inopia moritur, vix panno verecunda contectus.*

8. Spartæ cadavera veste contegebantur punicea, oleæ præterea foliis advectis: Cælius lib XVII. c. XIX. *Apud Lacedæmonios qui strenuam in militia operam navassent, ac pro patria fortiter occubuissent, oliva & aliis ramis redimiti vehebantur: ac demum amicti purpura pretiosissima, gloriose ac honorifice sepulchris mandabantur.*

Messenii, Optimates coronatos, & candida veste velatos efferunt. Hunc autem morem ut plerosque alios salse deridet Lucianus *de Luctu*, illudens Veterum superstitionem existimantium mortuos in inferis rigere absque vestibus, & frigore confici.

CAP. XVII.

1. De coronis mortuorum & lecto floribus sparso. 2. Hic ritus ortus a Græcis. 3. Cur Veteres suos mortuos coronarunt.

1. A Vestitu ad *coronas*, *lectum & flores* veniamus. Si quis virtute sibi *Coronam* aliquam peperisset, eadem etiam mortuus solebat condecorari, idque ex permissu legis XII. Tabul. quæ sic habet: QUEI CORONAM PARET, &c. *Quæ lex*, inquit Kirchmannus, *plurimorum ingenia mire torsit: sed nihil aliud voluisse videtur, quam ut qui coronam ludis adeptus esset, præterquam quod ejus nomen ludis peractis publice a præcone omnibus audientibus pronunciatur, (sive equo, sive quadrigis victoriam consecutus fuisset) eidem etiam mortuo corona virtute acquisita sine fraude imponeretur, non tantum illis septem diebus, quibus intus id est domi positus esset: sed eo etiam die, quo cum pompa & ornatu in forum ad Rostra efferretur, ut explicat* CL. V. Fulvius Ursinus, in *Notis ad leg.* Halicarnassæus de funere filiæ Virginii clare ait: *Quare ædibus exsiliebant & mulieres & virgines, casum illum lugentes, atque alii flores & coronas in lectum jaciebant.* Plin. *lib.* X. *cap.* XLIII. *Tibicine præcedente & coronis omnium generum ad rogum usque.* Cicero *Pro Flac. Vellem tantum habere otii ut possem recitare psephismata quæ fecerunt in Castricium mortuum: primum ut in oppidum introferretur, quod aliis non conceditur: deinde ut ferrent Ephebi: postremo ut imponeretur aurea corona mortuo.*

2. Videtur autem hic ritus a Græcis originem traxisse: Creon enim Rex apud Euripidem de non sepeliendo Polynice ejusmodi Edictum proponit:

Hunc mortuum quisquis corollis induet
Terraque operiet, morte mulctator mala.

Sic Hercules ab inferis redux liberos suos quibus Lycus mortem intulerat funebri ritu coronatos cernens, in hæc verba erumpit, apud Euripidem,

Quid hoc rei? Video ante domum
Liberos coronatos capita, mortuorum ritu.

Tetigit hoc institutum Aristophanes introducens virum uxorem increpantem, quod eum nocte in lectulo dormientem reliquisset tanquam cadaver: addit enim nihil desiderari potuisse ut plenam speciem ejus rei redderet, nisi quod coronam capiti ipsius non imposuerat. Chion quoque in Epistola *ad Platonem*, cujus verba Joannes Casalius sic extulit: *Conspexi visionem manifestiorem quam in somno appareat. Mulier enim quæpiam divina prorsus specie & statura, redimire me corona ex oleastro & vittis videbatur, ac paulo post monumentum quoddam ostendere affabre factum, meque sic affari.* QUONIAM CHION LABORIBUS DEFESSUS ES, INGREDERE HOC MONUMENTUM, ET QUIETEM CAPE. Artemidorus *lib.* IV. *cap.* XLIX. *Cum mortuis simul coronas ex oleastro efferunt.*

3. Coronarunt autem Veteres suos mortuos corollis, sive ut hac florum sparsione in memoriam sibi revocarent ævi hujus brevitatem, & *Quæ spectatissime floreant celerrime marcessere*, ut ait Plin. *l.* XXI. *c.* I. sive ut defunctis animabus honorem habitum irent; vel etiam ut significarent ex victoria sæculi servitutem; Clemens Alexandrinus lib. II. *Strom.* cap. VIII. *A turba & negotio remota securitatis signum est corona, quare & mortuos coronant.*

CAP. XVIII.

1. Collocabatur corpus ad januam. 2. Ornatus mortui liber. 3. A quibus fieri solita collocatio. 4. Cur receptus collocandi ritus.

1. ITa ornatus mortuus in ædium vestibulo collocabatur ad januam ipsam. Lucianus *de Luctu. Deinde lotos eos unguentoque optimo delibutos & coronatos tempestivis floribus collocant.* Id autem proprio verbo dicebatur *Collocatio*. Glossæ priscæ *Conlocatio*: Græcis πρόθεσις. Sueton. in *Aug.* cap. c. *A Bovillis equester ordo suscepit urbique intulit, (corpus) atque in vestibulo domus collocavit:* Illustris locus & hujus moris clarum vestigium.

2. Sic Attica lex apud Demosth. *in Macartatum. Mortuum collocato in ædibus* (scilicet Dominus funeris) *ut voluerit.* Hoc verbo liberum facit Domino funeris ornatum mortui ut palliolum, coronam floream, & alia: sed non partem ædium. *Collocationi* enim præfinitus locus, scilicet limen, sive vestibulum.

3. Non omittenda Lipsii verba *Elect.* I. docentis a quibus ea *Collocatio* fieret. *Scaliger ille nostri senatus merito princeps bene colligit eam Collocationem a filiis, aut certe hæredibus solitam fieri.* Dio etiam *lib.* LVIII. notat Tiberium, quod Liviam *Neque ægrotantem viserat, neque mortuam ipse collocaverat.*

4. Receptus autem mortui collocandi ritus ad januam, testificandi causa vocatis amicis illum qui effertur, nec veneno, nec ferro extinctum, sed morte sua obiisse. Unde Jul. Pollux: *Collocationes idcirco fiebant ut cerneretur mortuus ecqua ei vis allata.*

CAP. XIX.

Situs cadaveris in Collocatione.

IN hoc ritu collocandi, ceremonia quædam adjuncta fuit. Servabant enim ut corpus mortui spectaret foras & facie pedibusque esset in publicum versis. Nam ut ait Plin. *lib.* VII. *c.* VIII. *ritu naturæ capite hominem gigni mos est, pedibus efferri.* Fortasse eo situ abitionem illam postremam significantes. Hinc Persius,

—— tandemque beatulus alto
Compositus lecto, crassisque lutatus amomis,
In portam rigidos calces extendit.

Homerus item *Iliad.* VII. in funere Patrocli.

Qui mihi in tabernaculo confossus acuto ære
Jacet, ad vestibulum conversus.

Ab hoc ritu, Senecæ *ep.* XII. dat lucem Lipsius.

Quid Seneca? *Quis est*, inquit, *decrepitus & merita ad ostium admotus? Foras enim spectat. Unde istum nactus es? Quid te delectavit alienum mortuum tollere? At ille: non cognoscis me? Ego sum Felicio cui solebas sigillaritia adferre: Ego Philositi villici filius, deliciolum tuum. Perfecte, inquam, delirat iste vetulus: etiam deliciolum meum factus est. Prorsus potest fieri: dentes illi cum maxime cadunt.* Ab hoc inquam ritu huic Senecæ loco dat lucem his verbis Lipsius. *Locus hercle*, inquit, *argutus, & cujus sententia, quis neget, quin diserte ad hunc ritum? Nam ait illum senem merito ad bostium admotum. Quare? quia ludere ei visum & in officium hominis: bostiarius enim erat & in senium, quasi jam in extrema tegula staret semimortuus, & ideo jure ad januam collocandus. Ait etiam foras illum spectare: quid, nisi alludens ad illum corporis mortui situm foras & in publicum obversi?*

CAP. XX.

1. *Cupressi domibus divitum nobiliumque appositæ tantum.* 2. *Causa duplex appositionis.* 3. *Cupressus feralis arbor.* 4. *An mos vetustus fuerit.* 5. *Græcorum similis ritus.*

1. Collocato cadavere, Cupressi, si Sext. Pompejo credamus, mortuorum domibus apponebantur, præcipue divitum nobiliumque, non omnium: Hinc Lucanus *lib.* III.

Et non plebejos luctus testata Cupressus.

Cujus rei causam nullam aliam putat Josephus Scaliger, quam raritatem arboris, quod initio pauci in agris, aut intra urbanas villas eam arborem instituerent.

2. Cur apponerentur non sum nescius, ideo quia hujus generis arbor excisa non renascitur, sicut ex mortuo, nihil est jam sperandum: vel ne quis imprudens funestam domum rem divinam facturus introeat, & quasi contaminatus suscepta peragere non possit, funere enim pollutis sacrificare non licebat.

3. Quod autem feralis sit hæc arbor Maro asserit, lib. VI. *Æneid.*

—— Et ferales ante Cupressos
Constituunt.

Et Horatius *Epodon* od. V.

Jubet Cupressos funebres.

Alius funestam hanc arborem dixit,

I, Puer, & postes funesta cinge Cupresso.

4. Addam ex Josepho Scaligero morem apponendi cupressos domibus mortuorum novum fuisse, neque tam vetustum, quam putet Servius, idque ex eo apparere, quod peregrina fuerit arbor, feroque Romam advectam, non multum ante Catonis ætatem.

5. Vis Græcorum similem consuetudinem attingamus? Hi ad fores privatarum ædium dum illæ funestæ essent, & dum πρόθεσις fieret ejus qui obierat, vas magnum statuebant aqua lustrali plenum, quæ esset e domo non funesta allata, & qua sese quisque exiens adspergebat qui ad exequias venerat. Eodem etiam spectabant capilli de ipsius defuncti capite secti, qui foribus appendi solebant. Hinc Eurip. *Alcest.* in Chori parte:

Non video ante portam, ut lex est, fontana
Lavacra pro mortuis in porta,
Nulla coma præcisa est in vestibulo: quæ
Accidunt in luctu mortuorum.

Et hæc observavit Kirchmannus.

CAP. XXI.

1. *Custos in collocatione.* 2. *Ante collocationem.* 3. *Post collocationem.* 4. *Cur hæ custodiæ.*

1. Claudam hunc Librum cum addidero Custodem collocationi appositum: nec id solum, sed etiam mortuum, neque ante *Collocationem*, nec in pompa ipsa sive exequiis sine custode fuisse. Primum liquet ex Virg. *Æneid.* XI.

—— recipitque ad limina gressum:
Corpus ubi exanimi positum Pallantis Acetes
Servabat senior.

Notabilis custos collocationi appositus. In Principum funeribus pueri lectulum solebant circunsistere, qui mortuo ventulum facientes muscas abigerent, ut est in l. v. Cod. *Sed & qui in lectulo stantes cadaver ventilare videntur, si hoc ex voluntate fiat vel testatoris, vel hæredis: fiant illico cives Romani.* Dio *lib.* LXXIV. de funere Pertin. *In eo lecto posita erat statua Pertinacis cerea ornatu triumphali a qua puer egregia forma, ita ut si dormiret Pertinax, pennis pavonis muscas abigebat.*

2. Ante collocationem patet ex Apuleji *Asini* lib. II. ubi & auctoratus custos ejusmodi feralis ex formula, *si quis mortuum servare vellet de pretio liceretur.*

3. Post collocationem etiam custos sepulchri subinde. Hinc illud, TITIO CENTUM RELICTA SUNT ITA UT A MONIMENTO MEO NON RECEDAT, *l.* 71. *§.* II. *D. de cond. & dem.*

4. Hæ custodiæ collocationum & sepulchrorum fuerunt, ne defuncto cadaveri fieret injuria, ut ab inimico aut creditore, aut violatore sepulchri, aut etiam sagis mulieribus. At quæ injuria a creditore? Rapiebatur pignoris loco, teste Luciano *de Luctu*, donec solveretur ab amicis: quod si non solveretur, maxima mortuum manebat infamia ac sepulturæ privatio. De hujusmodi creditoribus conqueritur Ambrosius *cap.* X. *in Tobiam. Quoties vidi a fœneratoribus teneri defunctos pro pignore & negari tumulum dum fœnus exposcitur? Quibus ego acquiescens dixi: Tenete reum vestrum, & ne vobis possit elabi; domum ducite, claudite in cubili vestro carnificibus duriores: quoniam quem vos tenetis, carcer non suscipit, exactor absolvit.*

PETRI MORESTELLI,

TORNUSIENSIS, ARTIUM LIBERALIUM MAGISTRI, DOCTORIS THEOLOGI, ET SANCTI NICOLAI DE LA TAILLE RECTORIS,

POMPA FERALIS,

SIVE

JUSTA FUNEBRIA VETERUM.

LIBER SECUNDUS.

Cap. I.

1. *Quibus verbis evocaretur populus ad funus.*
2. *Spartanorum mos.*

1. T ita ſeptem dies cadaver ſervatum fuiſſet in ædium veſtibulo, die octavo ne fraudarentur ſolenni honore ſupremi dies, & ut homines ad honeſtandas exequias convenirent, evocabatur populus ad funus per præconem his verbis: EXEQUIAS L. TITIO L. FILIO, QUIBUS EST COMMODUM, IRE JAM TEMPUS EST: OLLUS EX ÆDIBUS ECFERTUR.

His utitur Terent. in *Phor.* Act. v. Sc ult. EXSEQUIAS CHREMETI, QUIBUS EST COMMODUM, ITE, HEM TEMPUS EST. Alexander ab Alex. *Gen. Dier.* lib. III. cap. VII. aliis verbis ait proclamari ſolitum, OLLUS LETHO DATUS EST.

2. Apud Spartanos erat conſtitutum, ut Rege defuncto Equites obitum illius nunciantes curſitarent, fœminæque crinibus paſſis & libero conqueſtu, tinnitu ollas pulſarent æneas, quibus nec nocte, nec die quies. Cumque hoc fieret, neceſſe erat ex ſingulis domibus duos ingenuos marem & fœminam luctu fœdari, magnis pœnis, niſi hoc faxint, impoſitis. Ejuſmodi funus Feſtus appellat *Indictivum*, id eſt, ſolemniter promulgatum ab *Indicendo*: Huic opponebatur *Tacitum*.

Cap. II.

Quinam convenirent.

SIc evocato populo, quoniam ſolus hic & ſupremus haberi poterat mortuo honos, conveniebant plerumque ad eum celebrandum cognati omnes, affines, propinqui, amici, civitas univerſa. Aderant Magiſtratus, Senatores, Equites, ut hac ratione ſuam erga defunctum benevolentiam teſtarentur, ut teſtatur Livius *lib.* XXIV. Imo ſacerdotes quoque interdum iviſſe exſequias legimus, ut in funere Numæ teſte Plutarcho.

A

Cap. III.

1. *Ad quorum funus conveniebat populus frequens.*
2. *Ad quorum non conveniebat, nec licebat.*
3. *Quibus non licebat prodire in funus.*

1. ITa confluebant frequentes ut diximus ad mortuos honorandos, ſi eorum vita Reipublicæ profuiſſet. Recte ergo Lampridius ſepulturam, hoc eſt, funeris pompam, mereri negat eos, qui ſuis non eſſent beneficiis Senatus, Populique Romani benevolentiam conſecuti.

2. In reliquis funeribus pauci, præter cognatos. B Vitio enim dabatur ignoti hominis exſequias ire. Et Athenis lege erat prohibitum in aliorum funus accedere. Cicero *de Leg.* lib. II. *Sublata etiam erat celebritas virorum ac mulierum, quo lamentatio minueretur. Habet enim luctum concurſus hominum: quocirca Pittacus omnino accedere quemquam vetat in funus aliorum.*

3. Apud Meſſenios quoque mulieres in funus prodire probro habitum fuit. Id colligo ex Æliano, lib. VI. *Var. Hiſt.* cap. I. qui inhumanitatis accuſat Lacedæmonios, quod Meſſeniorum mulieres bello captas id facere coegerint: *Lacedæmonii* C *Meſſeniis ſuperatis, mulieres liberas in funera prodire coegerunt, & alienos neque quicquam ad ſe pertinentes mortuos lugere.* Sed nec Chriſtianis mulieribus virginibuſque id fuit permiſſum olim ut ex Sanctorum Patrum ſcriptis apparet D. Chryſoſt. *περὶ τῆς ιερωσύνης, l.* III. *Jam & virgini oportet funebres pompas & publica pervigilia interdicta eſſe. Novit en m, novit ingenioſiſſimus ſerpens ille vel per bona opera ſuum ipſius virus diſſeminare. Propterea virginem oportet undequaque tanquam circumſeptam eſſe, ac toto anno perraro domo egredi, idque demum cum inexſcuſabiles & neceſſariæ urgebunt cauſæ.* Et Synelius ait, *Non eſſe moris novam* D *nuptam ad funus convenire.*

Cap. IV.

Proximorum erat cura funeris.

AMici itaque & cognati præcipue ibi conſpiciebantur. Horum enim propria funeris cura. Quare Ariſtoteles lib. IX. *Eth.* cap. XI. monuit, *in funera cognatos potiſſimum prodire oportere.* Tangit nec obſcure Dionyſ. Halicarnaſſ. de Virginio loquens, *lib.* XI. *Virginius vero cum veram cauſſam Antonium celaſſet, & ſe cujuſdam cognati neceſſarii mortem audiſſe ſimularet, cujus funus & ſepultura ſibi ex lege eſſet curanda, dimiſſus eſt.*

Cap.

CAP. V.

Morientes invitabant quandoque amicos.

SOlebant morientes interdum amicos suos vel liberos legato aliquo invitare ut exsequias sibi venirent. Valens in *l. si tibi. D. d. leg.* 3. *Si tibi & ei qui ex tribus liberis meis in funus meum veniret centum aureos legavero.* Mæcianus etiam sub hac conditione, *Si ad exsequias funeris mei venerit*, legata quandoque data ostendit, in *l. condition. quæ. D. de cond. & dem.* Sed hæc forsan intelligenda sunt de amicis & liberis qui peregre aberant, vel alibi habebant domicilium.

CAP. VI.

Quid fieret cum populus convenisset.

POstquam autem populus convenisset, in lecto purpura aut linteis splendentibus floribus, corollis, unguentis, odoribus, aliisque donis constrato, ut antea collocabatur cadaver. Persius ob hanc rem beatulum vocavit superius, *Tandemque beatulus*, &c. non quod beatus sit, sed quod nunquam splendidior habitu fuerit, quam eo quo effertur. Dionysius tamen Halicar. *lib.* IV. Lucretiæ cadaver efferri facit *in lectica nigris vestibus instrata*. At qua fini in lecto ita constrato collocabatur cadaver? ut scilicet ad rogum ferretur. Non male ergo scripsit Virgilius *Æneid.* VI.

—— pars ingenti subiere pheretro
Triste ministerium.

Pro quo sit.

CAP. VII.

1. *Lectica in duplici usu.* 2. *Lex* XII. *de lectis inferendis.* 3. *Gloriosum efferri multis lectis.*

1. REm clare tangit Lipsius *Elect.* I. cap. XIX. *Lecticam apud Romanos comperior fuisse in duplici usu, ad mortuos ferendos & ad vivos. Ad mortuos antiquus Romæ mos & jam inde a Regibus mortui in lectis efferebantur, sive in lecticis.* Dionys. *lib.* IV. *Cadaver Lucretiæ efferri facit in lectica nigris vestibus instrata.*

2. Et inter Leges XII. cautum fuit, NE PLURES LECTI INFERRENTUR. vel ut extat apud Ciceronem II. *Leg.* PLUSA FONERA UNEI NEI FACITO, NEIVE PLUSEIS LECTOS ENDOFERTO: ad minuendos scilicet sumptus & mortuis & vivis inutiles.

3. Nam Servius tradit apud majores gloriosum fuisse plurimis lectis efferri. Itaque Sulla sex millia lectorum habuisse dicitur.

CAP. VIII.

1. *Joci aliquot apud Martialem a lectica sumpti.* 2. *Sandapila.* 3. *Vespillonibus.* 4. *Consuetudo Christianorum.*

1. A Lectica nati sunt joci aliquot ex Martiali: ut in Zoilum, *lib.* II. *epigr.* LXXXI.

Laxior hexaphoris tua sit lectica licebit,
Dum tamen hæc tua sit, Zoile, Sandapila.

Significat Zoilum in illa ipsa superba, & paucorum hominum lectica ferri ad sepulchrum: id est, non aliud esse, quam quod dicitur, vivum cadaver. Idem, *lib.* VI. *epigr.* LXXVII.

A *Invidiosa tibi quam sit lectica requiris?*
Non debes ferri mortuus hexaphoro.

Hoc est, tam indigne homines ferunt te juvenem, te egenum ferri hexaphoro, ut id vix passuri in mortuo videantur. Mortui siquidem honestiores lectica *hexaphoro* efferebantur: at tenuiores *Sandapila*, cui subjuncti saltem homines quatuor. Poeta idem, *lib.* VIII. *epigr.* LXXV.

Quatuor inscripti portabant vile cadaver.

B 2. *Sandapilam* ab hexaphoro, octophoroque secerno. *Sandapila* ergo genus pheretri, quo tenuiorum cadavera efferebantur. Fulgentius: *Sandapilam antiqui dici voluerunt pheretrum mortuorum, id est, loculum, non in quo nobilium corpora, sed in quo plebejorum atque damnatorum cadavera portabantur.* Sueton. in *Dom.* cap. XVII. *Cadaver ejus populari Sandapila per vespillones exportatum.* Huic favet Eutropius *lib.* VII. *Funus ejus cum ingenti dedecore per Vespillones exportatum & ignobiliter sepultum.* Hanc intellexit Horat. *lib.* I. *Sat.* VIII. *vilem arcam* appellans. Et Lucanus:

C *Da vilem magna plebeii funeris arcam.*
Quæ lacerum corpus siccos effundat in ignes.

Martialis *lib.* X. *epigr.* V. *Orcinianam spondam* dixit:

Orciniana qui feruntur in sponda.

Ab *Orco* dicta, quod mortui ad *Orcum* eant. Cælius Rhodiginus *lib.* X. *cap.* XVIII. *Valerio Martiali, Orciniana sponda, pro Sandapila ponitur, sive feretro.* Tale *pheretrorum* discrimen apud Massilienses observatum fuisse testatur Valer. Max. *lib.* II.
D *cap.* VI. *Duæ etiam ante portas eorum arcæ jacent: altera qua liberorum, altera qua Seniorum corpora ad sepulturam plaustro devehuntur.*

3. Vespillones autem sunt viles cadaverum funeratores, qui vespertino tempore eos efferebant, qui funebri pompa duci propter inopiam nequibant. Hinc alter jocus apud Martialem *in Diaulum lib.* I. *epigr.* XXX.

Chirurgus fuerat, nunc est Vespillo Diaulus.

E Diaulus enim primum Chirurgus, cum inter *Clinicos* (qui præstantiores Chirurgis) numerari vellet, nec propter ingenii stuporem ad artem aspirare posset, quæsivit aliam viam qua Clinicus fieret, factus est Vespillo. Itaque circum lectos & cum lectis habuit quod ageret, uti Clinici qui lecto affixos & decumbentes curant, παρὰ τὸ κλίνη, quæ vox *lectum* valet: factus est ergo Vespillo, idemque fecit quod fecerat Chirurgus, idem *lib. cit. epigr.* XLVII.

Nuper erat Medicus, nunc est Vespillo Diaulus,
F *Quod Vespillo facit, fecerat & Medicus.*

Antea enim vivos occidit, nunc occisos effert; semper illi cura non vivorum, sed mortuorum. Varie autem hæc vox scribitur. Alii cum simplice liquida, ut Isidorus in *Gloss. Vespilones fossarii, qui mortuos sepeliunt bajuli.*

Nonnulli vero *Vespillo*, ut Lexicon Græco-Latinum vetus. Sunt etiam qui *Bispellones*, vel *Bispelliones* scribunt: In qua scriptione diversa est origo, nempe a binis palliis, quod scilicet lugu-

bres vestes superinducerent. Rectius meo & Kirchmanni judicio Servius, qui hosce homines, a vespera primum *vesperones*, & deinde *Vespillones* dictos censet. Dicuntur etiam *Sandepelones*, ut in *Glossar.* Sidonius *lib.* XI. *epist.* VIII. vocat *Sandapilarios*.

4. Hic Christianorum quoque consuetudinem subjiciamus. In Ecclesia Constantinopolitana erant *Lecticarii* a Constantino magno primum instituti, qui exportandis mortuis operam darent.

CAP. IX.

1. Qui ferrentur hexaphoro octophoroque. 2. Pheretrum. 3. Capulus.

1. A *SANDAPILA* ad *hexaphorum octophorumque* transeo, quibus honestiores potentioresve efferebantur. *Hexaphorum* ita dictum quod a sex famulis *lectica* illa gestaretur: sicut *octophorum* ab octo Lecticariis.

2. Prætereiram *Feretrum Capulumve*, quæ mihi jam occurrunt: *Feretrum* ergo, & si mavis *pheretrum*, a *ferendo* dicitur utrumque, eratque nihil aliud quam *lectus* sive *lectica*, qua mortuus efferri solebat.

3. Alio nomine *Capulus* dicitur a capiendo, capit enim corpus, & hanc etymologiam habeo ex Servio in XI. *Æneid. Capulum dicitur quicquid aliquam rem intra se capit.* Hinc descendit vox *Capularis*, quæ senem jam morti contiguum significat, unde Plautus in *Mil. Glorioso*:

—— Itane tibi videor Acheronticus
Tam capularis?

Idem senem *capulo proximum* vocat. Et Artemoria anus maritum suum Demænetum vocat *capuli decus*.

CAP. X.

1. Funera interdum aperte elata, & in illis fucatæ facies, & cur. 2. Funera interdum tecta. 3. Larvata funera.

1. LEcticis mortuorum corpora efferri solita constat: sed (ut cum Kirchmanno) *interdum apertis, interdum tectis*. Nam qui sua morte obierant, vel facie erant non plane deformi, illorum cadavera palam ferebantur, itaut unusquisque defuncti faciem, & ex vestibus, & ornatu facile posset cognoscere. Non raro etiam faciem solebant fucare, præsertim fœminarum puellarum, ut mortuæ apparerent venustiores. Id constat ex eo quod Dio tradit Britannici corpus gypso oblitum a Nerone fuisse, ne livor appareret e veneno, sed pluviam coortam eluisse gypsum, dum cadaver per forum efferretur, omniumque oculis scelus subjecisse.

2. Quod si cadavera ita erant affecta, ut propter deformitatem, vel aliam causam honeste populo ostendi & oculis vulgi palam exponi non possent, vestibus involvebantur tegebanturque, ne cognoscerentur, & sic elatus est Scipio Africanus: Vell. Paterculus *lib.* II. *De tanti viri morte nulla habita est quæstio, ejusque corpus velato capite elatum est.* Interdum vero tectis *Lecticis* hujusmodi funera elata esse existimat Kirchmannus motus autoritate Dionis Cassii, qui autor est Sext. Condianum ut se condemnatum iri intellexit, equum conscendisse, ex eoque paulo post consulto lapsum mortem simulasse, & tum arietem pro ejus corpore elatum, combustumque esse. Idem hic suspicatur *Larvis* quoque interdum faciem ruina ædium detritam, vel alio casu mutilam velari solitam.

3. Hinc *Larvata funera* dicta sunt. Clarum id ex Epitaphio veteri duorum conjugum prima nuptiarum nocte in toro conjugali ruina ædium oppressorum:

CARI PARENTES NEC LUCTU, NEC LACHRIMIS MISERA AC LARVATA NOSTRA DEFLEATIS FUNERA, &c.

CAP. XI.

1. Noctu elata antiquitus omnia funera, at in sequenti tempore vulgaria tantum & acerba. 2. Hæc consuetudo ab Atheniensibus orta.

1. ELationis tempus antiquissimis temporibus fuit nocturnum, ut jam *lib.* I. *cap.* I. monuimus: Servius *ad lib. Æneid.* XI. *Antea per noctem cadavera proferebantur.* Idem: *Apud Romanos moris fuit, ut noctibus efferrentur ad funalia: propter sacrorum celebrationem diurnam*, inquit Donatus in *Andr. Terent.* Atque hic mos etsi in *Indictivis* funeribus desiit, mansit tamen in vulgaribus & *Acerbis*, id est, eorum qui intra Tyrocinii diem & ante sumptam togam virilem moriebantur. In vulgaribus, quomodo Tullius elatus: Dionys. Halicarn. *lib.* IV. *Tullii uxor, Tarquinii prisci Regis filia, prosequentibus paucis quibusdam amicis, noctu ex urbe ipsum ut hominis privati & plebeii funus extulit.* De *Acerbis* funeribus id etiam testatur Servius *ad* XI. *Æneid.* Erat *moris Romani ut impuberes noctu efferrentur ad faces, ne funere immaturæ sobolis domus funestaretur, quod præcipue accidebat in eorum qui in Magistratu erant filiis.* Ideo Virgilius *Pallantis corpus facit excipi facibus, quia acerbum funus.* Muretus *lib.* XIII. *c.* II. *Apud majores, qui juvenes immaturam, ut videbantur, mortem obierant, albescente cœlo ante solis exortum a propinquis efferri solebant, quod nefas opinarentur, tanti mali, tantæque calamitatis spectatorem ac testem esse solem.*

2. Sed unde orta consuetudo efferendi funera noctu? Ab Atheniensibus, qui & vita functos ante Solis exortum efferebant ex lege Solonis. Cicero II. *de Legib.* Demetrium Phalereum ejus ritus autorem facit: *Iste sumptum minuit, ante lucem enim jussit efferri.* Vides ergo morem efferendi noctu cadavera desiisse in Indictivis funeribus, mansisse vero in vulgaribus & *Acerbis*.

CAP. XII.

1. Hora elationis diurnæ. 2. Lex contra elationes diurnas.

1. DE hac nihil certi habet Kirchmannus, suspicatur tamen primis diei horis funera duci cœpisse. Nam Syllam, cui hora nona ductæ exequiæ, ut tardiuscule elatum notat Plutarchus in *ejus Vita*. *Cæterum cum ab aurora dies iste nubilus fuisset, pluviæque expectarentur, nona demum hora funus elatum est.*

2. Non possum quin saltem obiter moneam Julianum Imperatorem voluisse hanc diurnam elationem abrogare & nocturnam illam priscam reducere: hujus constitutio talis extat in vet. *Cod. Theod. tit.* 17. *de sep. viol. l.* 5. *Efferri cognovimus cadavera mortuorum per confertam populi frequentiam. Qui enim dies bene auspicatus a funere? aut quomodo ad Deos & templa venietur? Ideoque quoniam & dolor in exsequiis secretum amat, & dum functis nihil interest utrum per noctes aut dies efferantur, liberari convenit populi totius aspectu, ut dolor esse in funeribus non pompa exsequiarum, nec ostentatio videatur.*

CAP. XIII.

1. Funera a quibus elata & quomodo. 2. In Ecclesiam Sancti ab Episcopis sive sacerdotibus olim elati.

1. SEquitur de iis qui funus extulerunt. Hoc autem officium *propinquioribus virilis sexus dabatur*, referente Servio in *l.* VI. *Æneid.* Hinc Q. Metellum Macedonicum *a quatuor filiis illatum rogo*, testatur Plinius *l.* VI. *cap.* XLIV. & Valer. Maxim. *l.* VII. Nonnunquam ab hæredibus: Horatius *l.* II. *sat.* V.

——— cadaver
Unctum oleo largo nudis humeris tulit hæres.

Interdum servi manumissi cadaver Domini sui portabant: Persius *Sat.* III.

——— ait illum
Hesterni capite induto subiere Quirites.

Plerumque Imperatores a Senatoriis, Prætoriis, Consularibus, cæterisque qui amplissimis honoribus functi erant efferebantur. Nam Coriolanum extulerunt, teste Dionysio. Et C. Julii Cæsaris *lectum pro rostris in forum magistratus & honoribus functi detulerunt* ex Suetonio in *ejus Vita*. Sic Augusti *corpus ad rogum humeris senatorum ferendum* conclamasse patres autor est Tacitus lib. I. *Annal.* Imo vero quidam cum ex populo, tum exteris etiam Romæ commorantibus non contenti erant vulgari more funus prosequi, sed propenso in defunctum amore & observantia, suis humeris lectum efferebant, quod in funere Æmilii Pauli contigisse narrat Plutarchus in *ejus Vita*. *Quotquot forte eo tempore Romæ fuerunt Hispani, Ligures, Macedones: ex his juvenes qui erant corpore valido feretrum subierunt: majores natu vero prosecuti sunt Servatorem & patrem patriæ Paulum appellantes*. Sic Trebius qui ædilitate populo frumentum præstiterat, *supremo die populi humeris in rogum portatus est*, ut scriptum reliquit Plinius *lib.* XVIII. *cap.* III.

2. Hic non debeo omittere sæpissime etiam homines pietate & vitæ sanctimonia celebres ab ipsis Episcopis & Sacerdotibus ad sepulturam elatos. Audio enim D. Hieronym. de Paulæ matris funere. *Exhin. non ululatus, non planctus, ut inter sæculi homines fieri solet, sed psalmorum linguis diversis examina concrepabant. Translata est Episcoporum manibus & cervicem pheretro subjicientibus, cum alii pontifices lampades cereosque præferrent, alii choros psallentium ducerent*, &c. Sic cadaver B. Fulgentii per Sacerdotes deportatum legitur in *ejus Vita*: *Mane vero postquam multitudo maxima populorum de locis finitimis ad exsequias venit, sacerdotum manibus ad Ecclesiam Civitatis deportatus, sortitus est honorabile monumentum.*

Ex prædictis constat humeris elata fuisse funera. Quod si mortuus tenuioris esset fortunæ, vel populo invisus eum a Vespillonibus exportari solitum demonstravimus.

CAP. XIV.

Elatum corpus Tibicine præcedente, & idem mos Græcis, Judæis quoque.

EXtulerunt itaque corpus, sed post ultimam conclamationem, idque Tibicine præcedente, qui *Næniam* funebrem canebat. *Nænias* etiam Græcis in luctu sæpe decantari invenimus. Hi enim apio coronati defuncti laudes recensere carmine Apollini cani solito, quod *ἰάλεμον* vocant, & res memoratu dignas claro præconio celebrare assueverant.

Quia ventum est ad *Næniæ* mentionem descriptionem proponam. *Nænia, æ*, & *Næniæ, arum*, Græcum nomen est ab eo deductum quod est *νεάτον*, id est, *ultimum*. Erat enim ultimum carmen quod in funere concinebatur ad tubam si majoris ætatis, ad tibiam vero si minoris, ut ait Servius in V. *Æneid.* Et Placiades Lactantius in *Stat. lib.* III. *Jubet religio, ut majoribus mortuis tuba, minoribus tibia caneretur*. Ait tamen Alex. ab Alex. *Gen. dier. Senatoribus & patritiis atque summis ducibus, tuba: minoribus & plebeiis, exequiali tibia canebant Siticines* ante cadaver. De Tubis illud Virgilii *Æneid.* XI.

It cœlo clamorque virum clangorque tubarum.

Et Persii *Sat.* III.

Hinc tuba, candelæ. ———

Ubi Cornutus: *quia sepultura tubis apud antiquos celebrabatur*.

Propertii quoque *lib.* IX.

Sic mœstæ cecinere tubæ.

Artemidorus hunc ritum allusit de iis loquens qui in somno tuba canere somniant *lib.* I. *c.* LVIII. *Id tale somnium*, inquit, *ægrotantes tollit*.

Cur vero *tuba* mortem præsignificet ejus rei subtilem addit interpretationem, quod illa ex ossibus facta, notet ægrotum in cineres & ossa iturum, ita enim subjungit, *Composita est enim tuba ex osse & ære*.

Jam de *Tibia* quæ in pauperculis efferendis adhibebatur. Eo spectat hoc Statii de Archemoro, lib. IX. *Theb.*

Cum signum luctus cornu grave mugit adunco
Tibia, cui teneros suetum producere manes,
Lege Phrygum mœsta.

Ubi nota Phrygibus *Tibiarum* funebrium inventionem adscribi. Et Ovidius *Fast.* IV.

Cantabat mœstis Tibia funeribus.

Addam tamen Censoria funera omni genere Instrumentorum musicorum fuisse ornata: hoc agnoscit Sen. in *Claudio*: *Erat omnium formosissimum Claudii funus: Tibicinum, Cornicinum, omnisque generis sonatorum tanta turba, tantus conventus, ut etiam Claudius audire posset.*

Et is quoque fuit Judæorum ritus, Matth. *cap.* IX. 23. 24. *Cum venisset Jesus in domum principis, & vidisset Tibicines & turbam tumultuantem, dicebat, recedite, non est enim mortua puella, sed dormit*. Cum tubis, tibiisve tympana quoque adhibebantur. Et ea forte omnia ut lugentium languentes animi ejusmodi sono excitati minus dolorem sentirent, qui iis oblectamentis facile distrahi soleant: Hæc una causa. Vis aliam ex Macrobio? *Mortuos ad sepulturam persequi oportere cum cantu, plurimarum gentium vel regionum instituta sanxerunt, persuasione hac, qua post corpus animæ ad originem dulcedinis Musicæ, id est, ad cœlum redire credantur*. Sed hæc causa Platonicum dogma redolet.

CAP. XV.

1. Plura de Næniis. 2. Nænia Dea. 3. Carica musa. 4. Carmen λίνον quale? Emanerum sive Oetolinum etiam dictum.

1. DE iis clare Cicero II. *de Leg. Honoratorum virorum laudes in Concione memorant, easque etiam ad cantus, & ad tibicinem prosequuntur, cui nomen est Næniæ: quo vocabulo etiam Græci cantus lugubres nominant.* Festus, *Nænia est carmen quod in funere laudandi gratia cantatur ad tibiam.* Audio has laudes nugis & ineptiis plenas: Plautus in *Asinar.*

Hæc non sunt nugæ, non enim mortualia.

Quo allusit Agellius *lib.* XVIII. *cap.* VII. Philosophos perstringens ut loquaces & inanium verborum funditores, præficisque similes quæ in mortuos Næniam argutam & nugacem canebant.

2. Næniam quoque Deam funerum Veteres coluere, cui sacellum autore Festo extra portam Viminalem erat dedicatum.

3. Plato mentionem facit Caricæ musæ, quam interpretatur ἐπικηδείαν ᾠδὴν, id est, *lugubrem cantionem.*

4. Linum Uraniæ & Amphimari filium musices gloria præstantem & Apollini se conferentem, Apollo occidit. Ejus mortem non Græci tantum, sed & barbari luxerunt. Ægyptii autem ab illius nomine carmen lugubre *Emanerum* dixerunt, quod Græci λίνον: Pamphus Atheniensis Poeta *Oetolinum*, id est, flebilem appellavit.

CAP. XVI.

1. Tubicines, sive Tibicines, dicti Siticines. 2. Olim saltabundi canere soliti, posterioribus temporibus stantes.

1. TUbicines, Tibicinesve *Siticines* dictos docet Agellius *lib.* XX. *cap* II. & adducit testimonium Attei, in cujus *Conjectaneis* scriptum reperitur *Siticines* appellatos qui apud *situs* canere soliti essent, hoc est, vita functos & sepultos.

2. Idem etiam eodem loco auctor est *Siticines* olim ludibundos sive saltabundos, suo vero tempore stantes *Næniam* canere solitos.

CAP. XVII.

1. Quot fuerint Tibicines in funere veteribus temporibus. 2. Quot sequentibus. 3. Diali non licitum audire Tibicines. 4. Similes honores Claræ virgini habiti.

1. SAtis de Tibicinum nomine, superest numerus. Quamplurimos fuisse initio non dubium est. Ovidius lib. VI. *Fast.*

Temporibus veterum Tibicinis usus avorum
Magnus, & in magno semper honore fuit.

2. Sed sequentibus temporibus cautum, ne plures quam decem. Didici a Rosino in leg. XII Tabul. HOC PLUS NE FACITO, quam appendicem dicit superioris alicujus legis quæ funerum & sumptuum modum præfiniebat. Id quod etiam apud Athenienses teste Plutarcho Solonis lege cautum erat, *Ne plures Tibicines ad funerum pompam adhiberentur.*

Hujusmodi autem Tibicines funebres flamini
A Diali (hoc est, Jovis sacerdoti) audire non licuisse Festus autor est.

4. Lego in Fulgentio *lib.* VIII. *cap.* XVI. similes honores CLARÆ virgini habitos: *Nam cum in ea urbe Innocentius quartus Pontifex esset, statim cum toto urbis illius populo, totaque aula, ubi mortuæ corpus erat, profectus, canentibus Tubicinibus, intra urbem eam detulit, atque ipse omne funeris officium exequutus est.*

CAP. XVIII.

De Ludiis, Scurris & Mimis funus præce-
B *dentibus.*

NE quid ineptiarum intermitteretur *ludios* quoque & *histriones* in funeribus indictivis lectum mortui præcessisse invenio. Dionysius Halicar. *In illustrium virorum funeribus præter alias pompas vidi & satyricos qui lectulum præcedebant, & sicinnem saltationem saltabant, præcipue vero in fortunatorum virorum funeribus.*

Hoc loco collocandi Mimi & Scurræ, qui exsequiis interdum solebant adhiberi, ut patet ex Sue-
C tonio in *Vesp.* cap. XIX.

CAP. XIX.

1. Insignia præferri solita totiusque familiæ simulacra. 2. Quid hæc fuerint. 3. Atria nobilium ornata his simulacris.

1. DUm efferebatur cadaver, insignia honorum quos gessisset, ut fasces, secures, lictores, armaque & dona militaria, coronasque omnis generis quas in vita meruisset, vexilla atque urbium dona & legionum, spoliaque hostium ac munera quæ quis daturus, expressosque cera vultus, &
D decora majorum, totiusque familiæ longo ordine simulachra in oblongis perticis sive hastis præferebant ab ultima origine quanto cum poterant apparatu. Quare C. Cæsar in Amitæ funere, Marii statuas pro decore familiæ detulisse fertur. Et Tiberius in Drusi funere originem Juliæ gentis Æneam, omnesque Albanorum Reges, Romulum, Appiorumque effigies longo ordine produxit. Ferunt quoque Juniam quæ Cassio nupta fuit viginti clarissimarum familiarum imagines, velut indicium splendoris & vetustatis familiæ in funere præcessisse, inter quos Manlios & Quintios, Cassium-
E que & Brutum. De his imaginibus Horatius *Epod.* ode VIII.

—— Funus atque imagines
Ducunt triumphales.

Ubi sic ait Interpres: *In funere nobilissimis quibusque solebant præferri imagines majorum, quod observari videmus in funeribus principum.* Hujus ritus meminit Valerius Max. *lib.* VIII. *cap.* XV. *Africanus imaginem in cella Jovis Opt. Max. positam habet, quæ quotiescunque funus aliquod Corneliæ genti celebrandum est, inde petitur.* Propertius
F hanc pompam detestatur,

Nec mea tunc longa spatietur imagine pompa.

Neque in Germanici funere eas prælatas, autor Tacitus: *Funus sine imaginibus & pompa per laudes & memoriam virtutum ejus celebre fuit.*

2. Erant autem hæ imagines nihil aliud quam expressa corporis effigies humerorum tenus e cera consolationis ergo asservatæ. Nam ut Lactantius ait lib. II. *de falsa relig.* c. II. *Omnino fingendarum*

similitudinum ratio idcirco ab omnibus inventa est, ut posset eorum memoria retineri, qui vel morte subtracti, vel absentia fuerunt separati.

3. Hujusmodi imaginibus atria sua nobiles Romani exornabant, collocando eas ordine in ligneis quibusdam thecis vel armariis, unde exequiarum tempore depromebantur. Colligere est ex Plinio *lib.* XXXV. cap. XI. *Expressi cera vultus singulis disponebantur armariis, ut essent imagines quæ comitarentur gentilitia funera: semperque defuncto aliquo, totus aderat familiæ ejus, qui unquam fuerat populus.*

CAP. XX.

1. *Quæ aliæ imagines in funere Principum.* 2. *Qui ferrentur.* 3. *Simulacra devictarum gentium & spolia prælata.* 4. *Lictores præcessisse cum fascibus versis.* 5. *Manumissos quoque.*

1. IN Principum funeribus, non solum gentilitiæ, sed quorumlibet magnorum virorum ac virtute præstantium imagines prælatæ, ut in funere Augusti ostendit Dio *lib.* LVI. apud Kirchmannum.

2. Quod autem hæ imagines non modo in perticis oblongis vel hastis, ut diximus capite superiori, ferrentur, sed etiam in lectis, docet Silius *lib.* X. de funere Paul.

Non conjux native aderant, non juncta propinquo
Sanguine turba virum: aut celsis de more pheretris
Præcedens prisca exequias decorabat imago.

Quot igitur majorum imagines, totidem videntur lectuli funeribus prælati, ita ut suus cuilibet imagini lectulus esset in quo portabatur.

3. Porro non imagines solum, sed & simulacra gentium urbiumque subactarum, & nomina sub titulis hostium victorum præferri & exhiberi solebant in funeribus Imperatorum. Dio *lib.* LVI. *Omnes nationes quas subegisset cum suo ipsarum cultu effictæ cernebantur.* Id ipsum de Pertinacis funere narrat idem *lib.* LXXIV. *Transierunt deinde nationes omnes subjectæ Imperio Romano in statuis æneis, sic ornatis, ut est cujusque gentis patria consuetudo.* Intellexit Virgilius lib. XI. *Æneid.* in funere Pallantis:

—— longo prædam jubet ordine duci.

Nec multo post,

Indutosque jubet truncos hostilibus armis
Ipsos ferre Duces, inimicaque nomina figi.

Lucanus tandem de funere Pompeii, quem dicit non petere, *lib.* VIII.

Præferat ut veteres feralis pompa triumphos.

4. Quid? *Lictores* cum fascibus, aliaque insignia Magistratuum quos olim gesserant præcessisse Polybius *lib.* VI. tradidit. Notandum autem hosce fasces verti solitos, ut discimus ex Tacito *lib.* IV. *An.* de funere Germ. *Igitur Tribunorum Centurionumque humeris cineres portabantur: præcedebant incompta signa, versi fasces.*

5. Præterea etiam, si ab eo servi manumissi & libertate donati fuissent, illi præcipue qui fide insignes a Domino cogniti forent, herilem interitum miserantes, pleni lachrymarum elatum corpus

A præcedebant pileati, aut alba lana capitibus velatis, qui quanto plures erant, tanto plus nominis referebat Dominus decedens, quod familiam tantam tantis muneribus cumulasset, ac libertatis precio affecisset. Justinian. Imperat. *Cod. de Cat. libert. Qui Domini funus pileati antecedunt: si hoc voluntate fiat vel testatoris, vel hæredis, fiant illico cives Romani.* Ambitiosam hanc procerum Roman. consuetudinem perstringit Dionys. *Eth.* VIII. *Equidem scio quosdam qui testamento omnes suos servos manumiserunt, ut post mortem boni audirent, & multi lectulos eorum ferales prosequerentur pileati.* Et sic intelligis nonnunquam illos qui rasis

B capitibus triumphantis currum fuerant prosecuti, ejusdem defuncti corpus pileatos in pompa funeris præcessisse, ut Q. Terentium Culleonem, quem Scipio Africanus servitio exemerat, quique triumphantis currum capite raso fuerat prosequutus.

CAP. XXI.

1. *Nonnulli alii cum faculis etiam præcedebant.* 2. *Quæ funera ducta ad face & quæ ad cereos.* 3. *Mos Christianorum idem.* 4. *Lampadibus ardentibus quando usi Christiani.* 5. *Cur accendantur faces apud Christianos.*

C

1. SErvio teste, ad honorem præsertim Regum & nobilium cum faculis etiam præcedebant quidam. Virgilius de Pallante:

—— lucet via longo
Ordine flammarum & late discriminat agros.

Persius *Sat.* III.

Hinc tuba, candelæ.

D L. Seneca, lib. I. cap. II. *de Tranq. Totiens præter limen meum immaturas exequias fax cereusque præcessit.* Et *de Brevitate vitæ* cap. ult. *At mehercule istorum funera ad faces & cereos ducenda sunt.* Et *epist.* CXXII. *Quantulum a funere absunt, & quidem acerbo qui ad faces & cereos vivunt.*

2. Faces autem adultis, cerei pueris, ut colligitur clarissime ex Senecæ extremo, *de Brev. vitæ. At mehercle istorum funera tanquam minimum vixerint, non ad faces, sed ad cereos deducenda sunt.* Et quia facum etiam in nuptiis usus erat, sæpissime huc alludunt autores. Propertius *lib.* IV. *eleg. ult.*

E

Viximus insignes inter utramque facem.

Ovidius quoque, *epist.* XX. *Cydippæ ad Acontium:*

Et face pro thalami fax mihi mortis adest.

Apulejus itidem lib. IX. *Floridorum*: *Comœdiam ejus prius ad funebrem facem, quam ad nuptialem pervenisse.*

3. 4. A Romanis haud dubie ortum videtur ut apud Christianos illud idem in cujusvis funere servetur, quibus moris fuit sæculo quinto post Chri-

F stum lampades ardentes adhibere in his funerum Cerimoniis. Chrysost. *Hom.* IV. *cap.* II. *Hebr. Dic mihi, quid volunt sibi istæ splendidæ lampades?*

5. Ideo autem accenduntur & funeribus Christianorum præportantur faces, ut significetur defunctos deduci tanquam Athletas quosdam, qui de isto sæculo ad supremum illum designatorem pergant coronas ac præmia accepturi pugnatarum pugnarum.

CAP. XXII.

1. *Insignia Magistratus posita in luctu.* 2. *Annuli mutati.* 3. *Vestis quoque.* 4. *Mortualia induta.*

1. ANtequam de iis, qui funera sequebantur, dicamus, ordo postulat ut de cultu mutato & ornamentis depositis moneamus. Nam in publico luctu magistratus atque adeo totus populus, quicquid ad ornamenta pertinebat deponere solebat, ac solitum suum cultum viliori aliquo permutare. Placet locus Taciti *Annal.* lib. III. de funere Germanici: *Plena urbis itinera, collucentes per campum Martis faces, illic miles cum armis, sine insignibus Magistratus.*

2. Annulos mutatos videre est ex Suetonio, qui Augusto mortuo quosdam censuisse tradit, *Exsequiarum die ponendos aureos annulos, ferreosque sumendos.*

3. Vestem mutatam discimus ex Dione *lib.* LV. in fun. August. Mulierum quoque ornamenta sua deponere mos erat, nec aurum vel purpuram in luctu gestare. Terentius *Heaut.* Act. II. Sc. II.

Mediocriter vestitam veste lugubri
Ejus anuis causa, opinor, quæ erat mortua,
Sine auro tamen ornatam.

Livius *lib.* XXXIV. *Quid aliud in luctu quam purpuram atque aurum deponunt.*

Ovidius calamitatis suæ memor a libro suo *de Trist.* omne ornamentum removet,

Nec te purpureo velent vaccinia succo,
Non est conveniens luctibus ille color.

4. Ornamentis positis lugubria vel mortualia induebant, sic enim appellabantur vestes funebres. Ovidius de Ceyce & Halcyone in somnis apparente, lib. XI. *Metam.*

Surge, age, da lachrymas, lugubriaque indue, nec me
Indeploratum sub inania tartara mitte.

Idem, lib. IV. *Trist. el.* II.

Illa dies veniet, mea qua lugubria ponam.

Propertius lib. IV. *eleg. ult.*

—— *Nunquam mater lugubria sumpsi.*

Seneca *Consol. ad Helviam* cap. XVIII. *Nostis quosdam quæ amissis filiis imposita lugubria nunquam exuerunt.* Cujus autem coloris fuerint sequenti capite clarum fiet.

CAP. XXIII.

1. *Quinam sequebantur Funus.* 2. *Quid ab his dicebatur.*

1. SEquebantur liberi, propinqui, affines atque alii amici lugentium habitu, capillo demisso: Terentius in *Andria*:

—— *Funus interim*
Procedit: sequimur, ad sepulturam venimus.

Ovidius lib. I. *de Ponto*:

Funera non potui comitare.

Apulejus: *Funus vero toto feralem pompam prosequente populo, deducitur ad sepulturam.*

A 2. Sequebantur, inquam, quasi post ipsum defunctum morituri. subsecuturique, & ab his dicebatur, VALE, NOS TE SEQUIMUR.

CAP. XXIV.

1. *Filii velatis capitibus incedebant, filiæ nudis.* 2. *Causæ duæ.*

1. SEquebantur ergo filii: sed qui incedebant? velatis capitibus, filiæ vero nudis passisque crinibus.

2. Hujus moris causas affert Plutarchus in *Qu.* B *Rom.* qu. XIV. *An quod patres, inquit, tanquam Deos a maribus coli convenit, quos tamen eosdem filias luctu prosequi magis deceat. An ea lugenti accommodata sunt quæ sunt insitata? Consueverunt autem magis aperto capite mulieres, atque viri contra operto in publicum prodire. Apud Græcos enim si quid adversi acciderit, ut mulieres tonderi, sic viri comas alere consueverunt, quod viri tondere, mulieres vero promissiores habere crines moris est.*

CAP. XXV.

C 1. *Vestes albæ a mulieribus gestæ, & cur.* 2. *Idem mos & Græcis & aliis.*

1. IDem Plutarchus *loco cit.* quæst. XXVI. mulieres in luctu albas gessisse vestes, albasque vittas prodit: *An quemadmodum mortui corpus albis vestibus induunt, & propinquos idem facere volunt? corpus autem idcirco sic ornant, quando animum non possunt, quem purum ac splendidum deducere volunt, quasi jam emeritum, & magno ac vario certamine liberatum. An tenuitas his in rebus simplicitas maxime decet? Infectæ autem vestes tum superfluitatem præ se ferunt, tum elegantiam ac* D *sumptum.* Herodianus oculos hic habuit in funere Severi Imperatoris: *Fœminæ vestibus albis exilibus indutæ mœrentium speciem præbent.*

2. Apud Græcos etiam fœminæ, virique candida veste cum coronis amplissimi viri exequias prosequuntur, & velut in publico luctu complorant promiscue. Hoc fuit in more Syracusanis, qui candido amictu velati & fronde coronati Timoleonem extulere, sicut Sicyonii Aratum.

CAP. XXVI.

E 1. *Atra quoque veste usi Romani.* 2. *Usi & exteri cum nigro tum phæo colore.* 3. *Mos ab Ægyptiis ortus.*

1. INvenio quoque lugentes Romanorum usos atra veste. Alexander ab Alex. *lib.* III. *cap.* VII. *Tempore luctus apud Romanos Matronæ purpuram aurumque deponunt, atrasque vestes induunt, nec illa resumere donec eluxerint, licet. Viri autem Senatorii laticlavum, & annulos aureos exuentes, pullas vestes sumunt.* Ovidius *Met.* lib. VI.

—— *stabant cum vestibus atris*
Ante thoros fratrum demisso crine sorores.

F

Et idem de Progne, *ibid.*

—— *Velamina Progne*
Diripit ex humeris auro fulgentia lato,
Induiturque atras vestes.

Althæa apud eundem cum conspicaretur fratres extinctos, *ibid.* lib. VIII.

—— *mœstis clamoribus*
Urbem implet & auratis mutavit vestibus atras.

Ex hoc ritu Juvenalis, *Sat.* x.

Hæc data pœna diu viventibus, ut renovata
Semper clade domus multis in luctibus, inque
Perpetuo mœrore & nigra veste senescant.

Macrobius, lib. III. *Sat.* c. xv. fidem facit Cassium murænam in piscina mortuam tanquam filiam luxisse. In Germanici exsequiis atratam plebem agnoscit Tacit. lib. III. *Annal.* Sic ad nuncium e Pannonia allatum de obitu M. Antonini Philosophi *confusa luctu publico urbe Senatus in curia veste atra amictus lacrymans convenit.*

2. Hoc item commune Græcis probabit Sophocles, qui mortuo Euripide atrata & pulla tunica se induit, & sine corona suas Tragœdias actitari voluit.

Apud exteros quosdam phæus color sumebatur in luctu. Namque Antiochus audito fratris obitu purpura deposita phæum induit, qui inter album & nigrum fuisse color traditur, Gyraldus in *Hist. Poet.* Diodorus *lib.* x. de Carthaginensibus ait, solitos esse, si quando majus infortunium urbi contingat, nigris pannis mœnia tegere.

3. Morem autem hunc gestandi atras vestes in luctu funebri ab Ægyptiis ortum scribit Servius ad *l.* XI. *Æneid. Morem lugendi quidam dicunt Ægyptios invenisse: eos enim primos Liberum, quem Osirim appellant, a fratre Typhone per insidias interemptum, atra veste luxisse, inde cæteris gentibus traditum, ut post interitum proximorum suorum veste mutata lugeant, ita tamen ut intra annum finiretur luctus.*

CAP. XXVII.

1. *Vestes scissæ præ luctu nimio.* 2. *Eadem Hebræorum consuetudo.*

1. NOn tantum vestes albas aut nigras in luctu ferre, sed etiam scindere priscos Romanos legitur in Virgilii *Æneid.* XII.

——— it scissa veste Latinus
Conjugis attonitus fatis. ———

Et *lib.* v.

Tum pius Æneas humeris abscindere vestem.

Statius, *Epiced. in Glauciam.*

——— vestes & pectora rumpis.

Idem, *in Priscillam.*

——— tunc flere & scindere vestes.

Sic post allocutionem, & conventiones inter Triumviros & Sex. Pompejum habitas, utrarumque partium milites cognita suorum propinquorum morte *vestimenta lacerarunt*, ut tradit Dio *lib.* XLVIII. Idem a Cleopatra factum narrat Plutar. in *ejus Vita*, cum vulneratum Antonium statimque moriturum lugeret.

2. Et hæc fuit Hebræorum consuetudo, ut patebit Sacra legenti.

CAP. XXVIII.

1. *Qui præter dictos sequerentur cadaver in Regum & Imperatorum funere.* 2. *Pompa ducum aut Imperatorum, qui occubuerant in acie, describitur.*

1. 2. LEgimus Alexandrum ab Alex. offendimus digna nota de Regum Imperatorumque

A funere *lib.* III. *c.* VII. *Nonnunquam*, inquit, *Senatu universo & Magistratibus cum vexillis, interdum Equitum turmis, si quando Regum aut Imperatorum funus efferrent comitantibus.* Et paulo post: *Sæpe Imperatoris aut Ducis qui occubuisset in acie, funus milites quantum poterant militaribus studiis celebrarunt. Ea pompa fuit, ut armatæ instructæque legiones in turmas & centurias cum vexillis militaribus aversis, aut abjectis militiæ insignibus defunctum comitentur.* Hunc morem Virgilius *Æneid.* XI. expressit.

B *Tum mœsta Phalanx, Teucrique sequuntur,*
Tyrrhenique Duces & versis Arcades armis.

Ovidius lib. III. *Amor.* eleg. IX.

Ecce puer Veneris fert eversamque pharetram,
Et fractos arcus, & sine luce facem.

Nec fasces suos solum lictores, sed milites etiam invertebant scuta & arma, manentque in militia nostra hodie vestigia ejus ritus. Pergat Alexand. ab Alex. *Phaleras equis detrabunt, ensium mucrones & lancearum cuspides humi dejectos ferunt & rogum lustrant.* Et ibidem: *Græcis*
C *usurpatur ut Imperatore aut Duce fato perfunctis, funus efferatur solenni pompa & apparatu regio: Magistratus, sacerdotes, pueri atque juvenes cum trophæis, armis militaribus, coronisque funus prosequuntur.*

CAP. XXIX.

1. *Luctui præerant Præficæ.* 2. *Mulierum mos.* 3. *Jocus a Præficis.* 4. *Næniam agebant.* 5. *Psaltriæ Christianorum.*

1. LUctui Præficas præfuisse adjungo. Diceban-
D tur mulieres ad hoc conductæ, ut in funere lamentarentur, ac defuncti laudes prædicarent, cæterisque modum plangendi darent, unde etiam nomen habeant, quasi quæ huic rei sint præfectæ. Lucilius.

Mercede quæ conductæ flent alieno in funere Præficæ,
Multo & capillos scindunt, & clamant magis.

Id imitatus est Horatius, *de Arte Poetica* circa finem:

E *Ut quæ conductæ plorant in funere.*

De iis elegans est Æsopi Apologus: *Dives duas habens filias, altera mortua præficas conduxit: quum vero altera dixisset, ut nos miseræ ipsæ ad quas luctus pertinet, lamentari nescimus; hæ vero non necessariæ sic vehementer plangunt. Mater ait: Ne mirare filia, si hæ ita lamentantur, nam nummorum gratia id agunt.* Nævius apud Festum. *Hæc quidem mehercle, opinor, præfica est, quæ sic mortuum collaudat.*

2. Id enim familiare est uxoribus ut maritum de-
F functum in alterius invidiam sine fine prædicent. Plautus apud Nonium, in *Frivolar.*

Superavere omnes argutando præficas.

3. Ab his Præficis jocus sumitur in eos qui simulant amorem, aut dolorem, quum lucri causa faciant quicquid faciunt, *Præficarum more.*

4. Hæ itaque Mulieres in funere cum mercede lamentabantur, Næniamque agebant, hasque sequebantur alii, (ut probabile est) qui funeris deducendi causa confluxerant.

5. Apud Christianos Præficarum loco, olim *Psaltriæ* substitutæ, quæ hymnos canebant, ut meminit Corippus, lib. III. *de exsequiis Justin. Imperatoris:*

Omnis in exsequias sexus convenit & ætas,
Quis memorare potest tantæ miracula pompæ?
Huic Levitarum venerabilis ordo canentum,
Virgineus tonat inde chorus: vox æthera pulsat.

CAP. XXX.

1. Sine pompa quinam elati. 2. Modus funeris præscriptus.

1. HOc funeris solenne, & apparatum multi prætermitti jusserunt. Inter illos M. Æmilius Lepidus princeps Senatus decedens præcepit filiis, ut sine linteis, sine purpura, Tibicine & Præficis funus sibi facerent. Atticus etiam Pomponius multique clari viri sine pompa funeris efferri voluere. Cornelius Nepos: *Elatus est in lecticula ut ipse præscripserat, sine ulla pompa funeris, comitantibus omnibus bonis, maxima vulgi frequentia.* Annæum Senecam quoque *sine ullo funeris solemni* apparatu crematum tradit Tacitus lib. XV. *Annal.* nimirum ita *codicillis præscripserat*. Et de Othone Imperat. Suetonius: *Et celeriter & parvo cultu, nam ita præceperat, funeratus est.*

2. Ex quibus locis, ut annotat Kirchmannus, apparet solitos Romanos plerumque modum & rationem funeris sui præscribere, quod aliis exemplis demonstrat. Primo Augusti Cæsaris, qui, Suetonio docente, *mandata de funere suo uno volumine* complexus est, in *ejus Vita* cap. ult. Dio etiam *lib.* V. scribit *Julium Frontinum* vetuisse *omnino monimentum sibi fieri*, additis his verbis, IMPENSA MONUMENTI SUPERVACUA EST, MEMORIA NOSTRI DURABIT, SI VITAM MERUIMUS.

CAP. XXXI.

In luctu mulieres capillos scindebant, viri vero barbam capillumque alebant; mos ille ortus a Græcis.

PRæficæ itaque luctui præerant, cæterisque modum plangendi dabant, propinquis potissimum: mulieribus quidem, quarum mos erat, ut capillos deciderent, & lugerent in ejus honorem qui mortuus esset: viris quorum erat barbam capillumque summittere, ut significavit Alexander ab Alex. referens modum lugendi Græcorum ad Romanos: *Apud Græcos convenit in luctu viros comas alere, barbam capillumque summittere, mulieres vero tonsis crinibus esse: quem morem a Romanis usurpatum legimus, nam sorores defunctis fratribus, & matres filiis orbatæ in acerbo funeris luctu cum flebili vociferatione detonsos crines corpori imponebant: qui mos antiquissimus usque ab Homero traditur.* Apud eundem enim de iisdem capillis tonsis legitur:

—— illum nec enim reprehendere fas est,
Qui fleat hunc, cujus fregerunt stamina Parcæ.
Solus honor sequitur mortales ille misellos,
Et tondere comam, & lachrymas in funere spargi.

Apud Calabrum quoque Briseis tonsis crinibus herum suum luget. Sic Alcæus Epigrammatographus in his:

Extinctum luget Pylades te Græcia tota,
Ad vivam tonsis crinibus usque cutem.

Alexander ab Alexandro iterum de his, *lib.* III. *cap.* VII. *Græcis usurpatur ut Imperatore aut Duce fato perfunctis equi virique tondeantur.* Quid plura? *Iisdem in usu fuit in luctu capillum discindant manu & comam vellant.* De Romanis illud Propertii intelligendum,

Ille meo charos donasset funere crines.

CAP. XXXII.

Crines prædicti imponebantur super mortui pectus aut sepulchrum apud Græcos & Romanos.

EVulsos ac tonsos crines mortuis offerebant & super ipsorum pectora vel tumulos imponebant Græci parentandi gratia, unde Maximus Tyrius *Orat.* VII. comam dicit esse *ultimum quod jam sepulto donari potest.* Hunc ritum respexit Agathias, qui ad tumulum sororis suæ Eugeniæ Musas, Venerem & Themin crines totondisse ait hoc versu lib. III. *Anthol.*

Eugenie jacet hic, ad cujus busta secarunt
Cæsariem Musæ & cum Themide alma Venus.

Apud Homerum *Iliad.* Ψ. negat Achilles *lavacro daturum se operam, priusquam rogo imposuerit Patrocli cadaver* comamque sibi detonsam.

Nunquid & Romanorum hic ritus? Est certe. Ovidius de Narcissi sororibus, *Met.* III.

—— planxere sorores
Naiades & sectos fratri imposuere capillos.

Idem *epist.* XI. *Canaces ad Macareum.*

Non mihi te licuit lachrymis perfundere justis,
In tua non tonsas ferre sepulchra comas.

Sic est apud Petronium in *Sat. de Matrona Ephes. Illa ignota consolatione perculsa, laceravit vehementius pectus, ruptosque crines super pectus jacentis imposuit.* Statius, lib. VII. *Theb.*

—— tergoque & pectore fusam
Cæsariem ferro minuit, sectisque jacentis
Obnubit tenuia ora comis.

Seneca:

Placemus umbras, capitis exuvias cape,
Laceræque frontis accipe abscissam comam.

Sic Euryali mater ubi filium ab hostibus interemptum didicit, comam scindit:

Nuncia fama ruit, matrisque allabitur aures
Euryali: ac subitus miseræ calor ossa reliquit.
—— —— & fœmineo ululatu,
Scissa comam muros amens, atque agmina cursu
Prima petit.

CAP. XXXIII.

Exterorum nonnulli capillum etiam in luctu ponebant præter Græcos & Romanos prædictos.

HOc fecit Archelaus Macedonum Rex in funere Euripidis, & Alexander Magnus in funere Hephæstionis. Plut. de Thessalis: *Cum Pelopidas cecidit in acie, quam Thessali habebant contra Alex. Phereum Perseæ Tyrannum, milites ejus Thessali neque thoracem posuerunt, neque frænos equis detraxerunt, &c. sed equos totonderunt, ipsi quoque tonsi fuerunt.* In Sacris etiam Libris legimus Jobum audita

audita filiorum morte caput totondisse: *Tunc surrexit Job & scidit vestimenta sua, & tonso capite corruens in terram adoravit & dixit. Nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc.* Ægyptii atque Assyrii funera comitantur capillum summittentes, barba detonsa. Illi si felis moriatur in luctus & mœroris signum sola supercilia eradunt. Milesii suos mortuos erasis capitibus plangere consueverunt. Alexander ab Alexandro de Barbaris: *Mos apud Barbaros inolevit frequens, ut in funere & casibus adversis juvenes tonderent comam, barbam ipsi ponerent & uxorum capita deglabrarent.* Persæ quoque detonsis conjugibus & liberis, lacera veste, lugubri ululatu corpora efferebant: iidem in funere clarorum virorum se ipsos, equos & jumenta tondebant. Carthaginenses in luctu comas & ora lacerant. Apud Lacedæmonios obitu Regis enunciato, Spartiatæ, servi & mulieres ingenti coacta manu laceratis crinibus eum fuisse optimum Regum voce significant, quem morte sublatum omni genere honorum velut divinum cumulari Lycurgus lege sanxit. Habe iterum verba Alex. ab Alex. *l.* III. c. VII. *Prævaluit mos Regum & optimatum in funebri pompa: ubi dolore intestino premuntur, ut decoris immemores cinere caput aspergant, faciem deturpent, tunicam discindant, comam vellant.* Neoptolemus filius Achillis, postquam vindicatam mortem patris Achillis vidit ex Alexandro necato, initium lugendi fecit, & una cum Phœnice atque Myrmidonum exercitu crines sepulchro deposuit, pernoctavitque in eo loco, ut ait Dictys Cretensis, *lib. de bello Trojano.*

CAP. XXXIV.

Capilli etiam passi.

NON modo mulieribus sectos capillos observare licet, verum etiam solutos, ac circum colla fluitantes. Aperte Livius, *lib.* I. de Sorore Horatiorum: *Solvit crines & flebiliter nomine sponsum mortuum appellat.* Ovidius de Lucretia, *lib.* II. *Fast.*

—— passis sedet illa capillis,
Ut solet ad nati mater itura rogum.

Idem de Philomela, *lib.* VI. *Met.*

Mox ubi mens rediit passos laniata capillos
Lugenti similis.

Et in Epistola X. *Ariadnes ad Thesea:*

Aspice demissos lugentis more capillos.

Catullus, in *Arg.*

Illius egregias virtutes claraque facta
Sæpe fatebuntur gnatorum in funere matres:
Cum tremulo incanos solvent a vertice crines.

Virgilius de funere Polydori, *lib.* III. *Æneid.*

Et circum Iliades crinem de more solutæ.

Tibullus *eleg.* III.

Non soror Assyrios cineri quæ dedat odores,
Et fleat effusis ante sepulchra comis.

Petronius in *Satyr.* de celebri illa matrona Ephesina: *Non contenta vulgari more funus passis prosequi crinibus, aut nudatum pectus in conspectu frequentiæ plangere.* Terentius in *Heaut.* Act. II. Sc. III.

Capillus passus, prolixus, circum caput
Rejectus negligenter.

Et in *Phormione* Act. I. Sc. II. virgini matrem mortuam lamentanti *capillus passus* tribuitur.

CAP. XXXV.

Capilli etiam pulvere sparsi.

RItum passos ferendi capillos nosti, quos etiam pulveris cinerumque aspergine sordidasse reperies cum Græcos, tum Latinos. Id fecit Achilles audita Patrocli morte, Homerus *Iliad.* XXI. Et Priamus pulvere aspersus Hectoris filii mortem luget. Hinc Virgilius *Æneid.* XII.

Canitiem immundo perfusam pulvere turpans.

Idem, *Æneid.* X.

Canitiem multo deformat pulvere.

Catullus, in *Arg.*

Canitiem terra atque infuso pulvere fœdans.

Ovidius, *lib.* VIII. *Metam. fab.* IV.

Pulvere canitiem genitor vultusque seniles
Fœdat humi fusus.

Seneca, in *Troade.*

Solvite crines, per colla fluant
Mœsta capilli, tepido Trojæ
Pulvere turpes patet exortos
Tuba lacertos.

Chorus:

———— coma demissa est
Libera nodo: sparsitque cinis
Fervidus bora.

CAP. XXXVI.

1. *Convitia & querelæ in Deos.* 2. *Aræ lapidatæ.* 3. *Statuæ dejectæ.*

1. PRæter luctum nonnulli præ nimia impatientia etiam querelis Deos suos onerabant, eosque convitiis incessebant, quod ab illis aspectu charorum suorum essent privati: Unde Silius *lib.* XIII. de Scipione cum de morte suorum propinquorum audisset:

———— pietas irata sinistris
Cœlicolis furit, atque audit solatia luctus.

Claudianus, in præf. *lib.* III. *in Eutrop.*

Improbe quid pulsas muliebribus astra querelis,
Quod tibi sub Cypri littore parta quies?

Statius, *lib.* V. *Sylv.*

———— injustos rabidis pulsare querelis
Cœlicolas solamen erat.

2. 3. Nec se continuit illorum insania inter hos terminos: sed etiam Deorum suorum aras & templa lapidare soliti erant, statuasque dejicere. Sueton. *Quo defunctus est die lapidata sunt templa, subversæ Deum aræ, Lares a quibusdam familiares in publicum abjecti.*

Quo referendus & Sen. locus, *de vita Beata* cap. XXVI. *Nullam mihi injuriam facitis, sicut nec Diis quidem hi qui aras evertunt.*

CAP. XXXVII.

Quinam apud Veteres non luxerunt suos mortuos.

ROmanos, exterosve luxisse mortuos vidimus. Nunc non male me operam collocaturum existimo, si nonnullarum gentium nulli dolori indulgentium in funeribus consuetudinem ostendero. Placet prius Thracum, qui defunctos cum cantu & luxu lasciviaque gesticulatione patrium carmen canentes efferre soliti erant.

Massilienses quoque sine ullo dolore funera celebrarunt. Valer. Max. *lib.* II. cap. VI. *Duæ ante portas eorum arcæ jacent, altera qua liberorum, altera qua servorum corpora ad sepulturæ locum plaustro devehantur sine lamentatione, sine planctu, sine luctu: funeris dies domestico sacrificio, adjectoque necessariorum convivio finitur. Etenim quid attinet aut humano dolori indulgere, aut divino numini invidiam fieri, quod immortalitatem suam nobiscum partiri noluerit?* Apud Alex. ab Alex. *lib.* III. cap. VII. *Cimbri & Celtiberi si qui in acie mortem oppetunt, gaudio exsultant: si autem morbo affecti decedunt, in squalore & luctu sunt.* Val. Max. de Lyciis *lib.* II. cap. VII. *Cum iis luctus incidit muliebrem vestem induunt, ut deformitate cultus commoniti, maturius stultum projicere mœrorem velint.*

In Thera pueri citra septennium, aut homines ultra quinquagesimum annum indefleti fuere, quod illi rapti immaturo funere, vix primum vitæ lumen attigissent, isti autem satis diu vixissent. Alex. ab Alex. *cit. loco.*

Essedonum traditur mos, ut parentum funera cantibus prosequantur, mox cœtibus propinquorum advocatis (quod dictu audituque fœdum est) ipsis cadaveribus immistis ovillis carnibus vescantur. De Libycis Ælianus, *lib.* XII. *de Varia Hist. Libyci eos qui vel ab Elephantis, vel in venationibus, vel in prœliis interfecti sunt, honorificis sepulturis prosequuntur, hymnosque in eorum honorem cantant. Est autem hoc argumentum hymnorum, ut dicant eos se fortes viros præbuisse, qui tantæ bestiæ reluctari veriti non sint. Dicunt enim gloriose vitam cum morte commutasse. Id demum monumentum esse laudatissimum ei qui terræ mandatur.*

A Apud Locrenses luctu mortuos prosequi vetitum est: sed postquam elatum est funus, convivia agitant, ut refert Heraclides in *Polit.*

Quintus Maximus filio consulari: Et Lucius Paulus duobus paucis diebus amissis: Et Marcus Cato mortuo prætore designato filio non luxerunt. Marcus quoque Bibulus consul, quum toto consulatu domi delituisset, quo die de obitu duorum filiorum certior fuit, in Senatum venit & munus consulare obivit. Lucius Crassus cum piscinis maxime delectaretur, murænamque mortuam atratus plures dies tanquam filiam lugeret, probroque ei B daretur a Cn. Domitio collega tit. IV. *de hospit.* c. XXII. Nimirum respondit Crassus, fateor me ita pium esse, ut minima de caussa plorem: at tu qui extulisti tres uxores, minime ploras.

Inter statuta militum Hierosolymitanorum sancitum a Magno Magistro, seu generali illorum præfecto, ut honestissime quidem fratres & milites illorum sepeliantur, sed ne posthac ullus, sive fuerit frater, sive sæcularis, pullatus omnino, sive vestitus veste lugubri funus sequatur, neque etiam ipsius Magistri ubicumque mortem obierit: idque opinor ut mortem despicere, vel non timere assuescant. Audi Ennium dicentem:

C *Nemo me lachrymis decoret, neque funera fletu*
Faxit, cur? volito vivus per ora virum.

Plato ordinem pompæ funebris in funere præfectorum Civitatis, talem ponit in XII. *de Leg. Indumenta omnia alba, luctus ploratusque nullus. Chori duo, alter puellarum numero* XV. *alter vero totidem puerorum, qui pheretrum circumstarent, dum sacerdotes vicissim demortuum laudabant, ejusque fœlicitatem totum diem decantabant. At postero die bene mane juniores capulum ad sepulchrum ferebant,* &c. Cicero in *Cat. major. Solonis quidem sapientis* D *elogium est, quo se negat velle suam mortem dolore amicorum lamentisque vacare.*

Denique D. Hieronymus, in *Epitaph. Paulæ*, testis est, Christianos in funere & exsequiis suorum cecinisse *Alleluya*, quæ vox est gratulantis, non lugentis. Hoc autem sine cantabant, ut gratias Deo agerent, quod eum qui e vita excesserat, laboribus liberasset.

PETRI MORESTELLI,

TORNUSIENSIS, ARTIUM LIBERALIUM MAGISTRI, DOCTORIS THEOLOGI, ET SANCTI NICOLAI DE LA TAILLE RECTORIS,

POMPA FERALIS,

SIVE

JUSTA FUNEBRIA VETERUM.

LIBER TERTIUS.

CAP. I.

Funera per forum ducta.



IN viam, mi Lector, revertamur, hoc est, ad Romanos, & quo primum ferretur cadaver ab ædium vestibulo investigemus.

Si ergo illustris ac splendidi generis meritisque in Rempublicam insignis defunctus fuisset, ad *Rostra* ferebatur. Extat apud Polybium locus præclarus *lib.* VI. *Si quando apud Romanos quispiam ex illustribus viris ex hac vita discesserit, elato funere portatur cum reliqua pompa ad rostra sic dicta, in forum.* Non minus clare Dionysius Halicarn. expressit *lib.* IV. de fun. Ser. Tul. *Exorto autem ingenti tumultu & ululatu per totam urbem ob Tullii mortem, veritus Tarquinius ne si per forum funus duceretur, ut fert Romanorum consuetudo cum regia pompa & cæteris solemnibus ceremoniis, quæ in funere observari solent, plebs in se impetum faceret, regni potentia nondum satis confirmata, nullos sepulturæ consuetos ritus adhiberi passus est.* En Telemachus: Ecce jam *ad ultimum defletus atque conclamatus processerat mortuus, rituque patrio utpote unus de Optimatibus, pompa funeris publici ductabatur per forum.*

CAP. II.

Funus collocatum pro Rostris.

IN forum igitur funus ductum collocabatur pro Rostris. At quæ sunt *Rostra?* Polybio templum erat Romæ in foro, ante curiam Hostiliam, pulpitum habens navium rostris adornatum, ex quo ad populum orationes haberi solebant in defuncti laudem. Cum eodem Polybio loquor: *Si filius adultus superfit, ac præsens existat: sin vero alius quisquam ex ipsius genere Rostra ascendit, ac demortui virtutes, & quæ in vita præclare gessit prædicat.*

CAP. III.

Ibi funera laudata.

PAulo post Polybius hæc habet. *Ubi ad Rostra veniunt, cuncti ex ordine sellis elephantinis sedent, quo spectaculo haud facile poterit quicquam spectari pulchrius Juveni gloriæ & honestatis cupido. Etenim eorum virorum qui virtutis gratia glorificantur videre imagines, easque omnes veluti vivas, quem non excitaret? Quodnam aliud pulchrius spectaculum? Præterea qui de jam sepeliendo mortuo concionatur etiam de aliis disserere incipit, idque primum de majore natu, ex his qui præsentes sunt, recensens quid quisque illorum consecutus sit ac gesserit. Unde fit, ut frequenter bonorum virorum præconia virtute acquisita, renoventur, ac celebritas eorum, qui honesti aliquid gesserunt, immortalis, & gloria eorum qui patriæ benefecerunt, multis innotescat, & ad posteros propagetur. Et quod maximum est, Juventus ad hoc provocatur, ut nihil non pro Reipub. commoditate ferendum subeat, quo celebritatem quæ bonos viros comitatur, consequatur.* Acro vetus Horatii Interpres *in Epod. Varro pro Rostris sepulchrum Romuli dixit: ubi etiam in hujus rei memoriam duos leones fuisse erectos constat, unde factum est, ut pro Rostris mortui laudarentur.*

CAP. IV.

Origo orationum funebrium.

PRimus apud Romanos funebri oratione collegam suum Junium Brutum laudavit P. Valerius Publicola Consul anno primo post Reges exactos, quam orationem tam acceptam, tamque caram populo fuisse Plutarchus scribit, ut inde tractum sit, ut omnes boni ac magni viri, cum fato concessissent, ab optimis laudarentur. Adest & Dionys. Halicarnass. *lib.* V. *Postero die atratus Bruti corpus in foro proposuit splendide in lecto ornatum, populumque ad concionem convocavit, & suggestu conscenso in ejus laudem habuit funebrem orationem.*

CAP. V.

Habebantur hæ orationes vel a proximis. 2. Vel aliis si propinqui deessent.

1. HAbebantur autem orationes hujusmodi ab iis qui mortuum sanguine proximi accedebant, ut jam superius ex Polybio ostensum. Unde Appium Claudium eum qui se ipse interfecit, ne furiosæ multitudinis, cujus conatibus pertinaciter nimium se semper opposuerat, judicium subiret, allatum de more in forum per consules advocata concione filius adolescens laudavit, ut refert Liv. *l.* XI. Sic Fabius filium suum laudavit, autore Plutarcho: *Dolorem ut vir prudens & pius pater tulit moderatissime. Orationem, quam habent in clarorum virorum funere propinqui, ipse in foro dixit, quam postea edidit scriptis mandatam.* Marcum in prætura mortuum Cato pater laudavit: Scipionem minorem patruum Q. Fabius, Cicero Orat. *pro Mur.* C. Cæsarem occisum M. Antonius, Suetonius in *ejus Vita.*

2. Quod si propinqui deessent, qui officium hoc defuncto valerent præstare, aliis hoc laudationum funebrium munus demandabatur. Ad Quintilianum confugiendum *lib.* III. in *Gen. demonstr. Mos*, inquit, *Romanus etiam negotiis hoc munus inservit. Nam & funebres laudationes pendent frequenter ex publico officio, atque ex Senatusconsulto Magistratibus sæpe mandantur.* Demosthenes in præclara illa *Ctesiphontis defensione*, ab Atheniensi populo se dicit electum, ut eos qui in acie ceciderant laudaret. Appianus de funere Sy. *Pro Rostris deinde in suggestu, posito cadavere, funebrem orationem habuit vir ejus ætatis eloquentissimus, quod faustus filius nondum esset maturus.* Plin. *l.* II. *ep.* I. *Hujus viri exequiæ magnum ornamentum principi, magnum sæculo, magnum etiam foro & Rostris attulerunt. Laudatus est consule Cornelio Tacito: nam hic supremus fœlicitati ejus cumulo accessit, laudator eloquentissimus.*

CAP. VI.

Non solum viris orationes funebres decretæ, sed & juvenibus illustribus, & claris mulieribus.

NON viris tantum hic honor, sed etiam illustribus juvenibus: & claris mulieribus fuit concessus Plutarchus in *Vita Camilli: Cum Camillus ad Vejos expeditionem ageret, spoliorum decimas vovit. Capta direptaque urbe multo post tempore, quum votum solvere neglexisset, monuerunt augures in sacrificiis iram Deum apparuisse. Senatus jurejurando astrinxit eos qui in partem prædæ venissent, decimas in medium ut afferrent. Ut quisque quantum erat æquum in medium contulerunt, visum est aureum craterem Delphos mitti: sed parva auri copia erat in urbe. Quum ii quibus præcipua cura hæc demandata erat, de auro inveniendo consilia agitarent, matronæ inter sese sua sponte consultantes, omnia ornamenta aurea, quibus circa corpus utebantur offerentes, contribuerunt. Aurum fuit pondere octo talentorum. His mulieribus referens Senatus honorem, pro earum dignitate decrevit, post mortem quemadmodum pro viris, ita pro fœminis in funere laudativam orationem haberi.* Et Plato fœminas quoque post mortem laudandas censet. Libro enim septimo *de Legibus* ait: *Sequitur illa sine invidia lex:*

DECENS EST EOS CIVES LAUDIBUS EXORNARE QUI EXCESSERINT E VITA, SI CORPORIS VEL ANIMI VIRIBUS RES ARDUAS PRÆCLARASQUE GESSERINT ET LEGIBUS LIBENTER PARUERINT. VIVOS AUTEM LAUDIBUS HYMNISQUE HONORARE TUTUM NON EST PRIUSQUAM VITA DEFUNCTUS VIVENDI FINEM FECERIT: HÆC OMNIA VIRIS MULIERIBUSQUE VIRTUTE INSIGNIBUS COMMUNIA SINT.

Ad quod Plutarchus, *lib. de Virtutibus Mulierum: Romanam legem maxime probo, quæ mulieres itidem ut viros publice post mortem meritis laudibus affici jubet.* Id autem accidit anno ab U. C. CCCLXIII. juxta Sigonianam supputationem. Nonnullas mulieres rite subjungam, & primo *Popilliam* primam omnium a Catulo filio hoc honore affectam, ut putat Cicero *lib.* II. *de Orat. In eo quidem genere scio & me & omnes qui affuerunt delectatos esse vehementer cum abs te* (Catulum intelligit) *est Popillia mater vestra laudata: cui primum mulieri hunc honorem in nostra civitate tributum puto.* At omnesne primis temporibus sibi statim hunc honorem vendicarunt cum laudari cœptæ sunt? Minime, sed ætate tantum provectiores. Nam primus Jul. Cæsar morem laudandi Juniores introduxit, si Plutarcho credas in *ejus Vita: Enimvero ætate provectiores mulieres in funere laudari, moris antiqui apud Romanos fuit. Primus Cæsar uxorem suam, cum juniores laudari non esset receptum, mortuam oratione decoravit; quo facto animos multitudinis sibi favore obstrinxit, ut tanquam mansuetum placidissimisque moribus virum amarent.* Cajus Cæsar Juliam amitam uxoremque Corneliam laudavit.

CAP. VII.

Exteri quoque suos mortuos laudarunt.

LIcet a Romanis ad exteros transire. Alex. ab Alex. *Gen. Dier. lib.* III. c. VII. ex Diodoro Siculo: *Fuit in usu apud Ægyptios Rege defuncto, antequam justa darentur, per sacerdotem qui proximam tenebat dignitatem, omnem vitæ seriem & ipsius dicta factaque, & an fuerit fortissime præliatus, an vero segnis & deses, ex alto suggestu in maximo omnium conventu perlegi & recenseri: & si vitia prævalebant honore funeris privari, atq; insepultum cadaver abjici. Si vero virtutes præcellerent, omni honore cumulari, unguentis deliniri & laudibus celebrari. Reliquos vero cujusq; fortis hominis ita laudari, ut sine ulla opum fortunarumque mentione, solam religionem, justitiam, pietatemque commendarent.*

Apud Indos vero viguit mos, ut cum moritur quispiam, pro foribus Domus, Magistratus cui hoc munus impendebat anteactam vitam moresque describat, ut vitia laudesque innotescant omnibus, & palam fiant.

A Græcis simile quoddam accepimus, ut defuncti laudes solenni oratione & longe petito procemio prosequantur. Proditurque primus Pericles fuisse, qui carmine & laudibus eos qui in bello Peloponnesiaco pro patria occubuerant, prosecutus fuit. Alii vero Solonem Græcis funebrem orationem primum invenisse ferunt.

Galatæ funebrem orationem in Magnatum exsequiis habuerunt quoque, in quibus grandes natu, aut proximi necessarii de laudibus defuncti disserebant, ac illorum dicta factaque egregia, totiusque vitæ cursum recensebant, ut idem refert *ibid.*

A Cecrope Atheniensium Rege fuit institutum uti de mortui laude in funere Oratio haberetur inter propinquos, Plut. c. XV. *de magnif.*

Libyci eos qui ab Elephantis vel in venationibus, vel in præliis interfecti essent, honorifice sepeliebant, hymnosque in eorum laudem læta voce cantabant, quod tam honeste ac gloriose vitam cum morte commutassent.

CAP. VIII.

1. *Primis temporibus funera in urbem elata, ibique sepulta.* 2. *Postea prohibitum.*

A

1. ORatione funebri in foro habita, funus iterum procedebat. Ad quem locum? Ubi mortuus vel sepeliendus, vel cremandus erat. In urbem? Ita Servius *in l.* v. *Æneid. E foro domum suam referebatur mortuus primis temporibus*, unde est apud Virgilium, *l.* VI.

Sedibus hunc refer ante suis, & conde sepulchro.

2. Postea vero lege XII. *Tabul.* cautum fuit: HOMINEM MORTUUM IN URBE NE SEPELITO, NEVE URITO. Hæc lex extat apud Ciceronem *lib.* II. *de Leg.* quam sic explicat: *In urbe sepeliri lex vetat: sic decretum est a Pontificum Collegio non esse jus in publico loco fieri sepulchrum. Statuit enim Collegium locum publicum non potuisse privata religione obligari.* Idipsum vetant Cæsares Diocletianus & Maximinianus, & Julius Paulus, *lib.* I. *Sent. Corpus in Civitatem inferri non licet, ne funestentur sacra Civitatis, & qui contra ea fecerit, extra ordinem punitur.* Adrianus quoque, teste Ulpiano in *l.* III. *§. D.* rescripsit & pœnam statuit quadraginta aureorum, in eos qui in Civitate sepulchrum faciunt, quæ fisco inferri voluit, & in Magistratus eandem pœnam qui passi sunt, & locum publicari jussit & inde corpus transferri. Antoninus quoque Pius intra urbes mortuos sepeliri vetuit, teste Juliano Capitolino. Refert & Dio Cassius anno ab V. condita DCCXVI. Romæ cautum edicto, ne mortui intra duo millia passuum ab urbe cremarentur. Observatum idipsum non solum in privatis sepulchris, verum etiam in communibus multo magis, ut ea extra mœnia essent.

B

C

CAP. IX.

Mos sepeliendi in agris.

D

SEpultura ergo privata & communia erant mœnia, in agris scilicet, e quibus testatores certum loci spatium excipiebant, suisque adimebant hæredibus, ut Reipublicæ seu libertis & familiæ suæ donarent illisque esset sepulchretum. Hæc adimendi erat formula: HOC MONUMENTUM HÆREDES NON SEQUITUR. Vel hæ literæ, H. M. H. N. S. tantumdem enim valent, & reperiuntur etiam hodie in veteribus marmoribus & lapidibus incisa. Sunt qui ex amphibolo jocum captant: *Monumentum hæredes non sequitur, quia immobile, sed hæredes sequuntur monumentum:* ut est apud Comicum, *funus præit, sequimur.* Dion. Lambinus aliquot Inscriptiones hac de re proponit, unam quidem ex Marmoreo monimento quod Bononiæ vidit, alteram ex uno quod Romæ, & duas Mutinenses, ex his quatuor tres habe.

E

Prima Mutinensis:

CLAVDIA PLAVTILLA SIBI ET VERCONIO AGATONI MARITO OPTIMO ET LVCIFERAE LIBERTAE IN FR. P. XX. IN AG. P. XX. H. M. H. N. S.

F

Altera Mutinensis:

C. STATIVS C. F. SALVIVS SIBI ET C. STATIO C. FABIO RVSTICO ET P. POMPONIO. P. L. ANTEROTI. POMPONIAE. P. L. OPTATAE POSTERISQVE EORVM F. L. (id est, *faciendum locavit*) IN FR. P. XVI. IN AG. P. XX.

Illud quod est Romæ sequitur:

DIIS MANIBVS SACRVM MARIO L. LIB. HERMETI ET DOCETIAE FASIDI MARIVS L. LIB. FELIX PATRONIS SVIS BENEMERENTIBVS DE SVO FECIT SIBI ET LIBERTIS LIBERTABVSQVE SVIS POSTERISQVE EORVM, ITA NE VNQVAM DE NOMINE FAMILIAE EXEAT HOC MONIMENTVM. HOC MONIMENTVM HAEREDES NON SEQVITVR IN FRONTE LATITVDINIS PEDVM XX. ET DIG. II. IN. AG. LON. &c.

Certum enim spatium tumulo sacrum in fundo definiebatur a *fronte* & in *agrum*, hoc est, in *latum* & *longum*, quod erat inviolabile & usu capi non poterat, nec hæredes sequebatur, ut alia bona. Quis in agro jam neget sepultos mortuos? Non nocet præterea Cicero, qui demonstratione utitur, ut probet Roscium spoliatum omnibus fortunis fuisse, Orat. *pro Roscio: Cui de tanto patrimonio*, inquit, *ille nefarius prædo* (scilicet procurator Chrysogoni) *ne iter quidem ad sepulchrum patrium reliquisset.* Et in Campo Martio tantum Reges humari primum consuetum tradit Appianus, *lib.* I. *Bel. Civ.* cap. V. qui postea sepulti in via Flaminia, teste Strabone.

CAP. X.

Ritus sepeliendi in agris etiam cæterarum gentium.

NEque Romani solum, sed & alii populi consuetudinem hanc observarunt ut Græci, de quibus testis erit Æschines, qui dum Timarchum universum patrimonium profudisse ostendit, ait matrem ejus filium orasse ne fundum certum alienaret, ut si nihil aliud inde commodi caperet, saltem mortua haberet ubi sepeliri posset, & nec ipsi quoque prædio pepercisse. Scribit Dares Phrygius *lib. de Excidio Trojæ*, Priamum Hectorem filium suum ab Achille occisum, more suorum ante portas sepelisse, & ludos funebres fecisse. Hoc etiam colligi potest ex D. Chrysost. in *Ps.* v. I. *Si extra urbem*, inquit, *corpora mortua: multo magis qui verba mortua, & qui talia proferunt, & ne tegere aut obumbrare quidem volunt, longe amandare oportet.* Lex Plat. ostendit quoque: *Nullum in agro fœcundo, & agro ad culturam apto sepulchrum fiat: sed is locus corpora defunctorum recipiat qui ad cætera inutilis. Nec enim a vivis nec a mortuis terræ fœcunditas impedienda est.*

Corinthi extra urbem Maximorum virorum monumenta fuere, inter quæ Diogenis Synopensis, quem *Canem* Græci cognominarunt, sepulchrum visebatur.

Athenis in Academia, inquit Pausanias in *Atticis*, *gymnasio extra muros clarissimorum virorum sepulchra visebantur* THRASYBULI LYCI F. *qui cum* LX. *sociis Thebas profectus, Tyrannorum triginta dominatum evertit. Item* PERICLIS, CHARIÆ, ET PHORMIONIS. *Eorum omnium qui aut navalibus aut terrestribus prœliis oppetiere, iis exceptis qui ad Marathonem ceciderunt, quibus eodem quo occubuerunt loco sepulchra erecta fuere*, &c. De iis autem Athieniensibus qui in pugna contra Persas ceciderunt sic loquitur. *In Marathoniis campis tumulus*

est qui in pugna contra Persas ceciderunt, & ex eo pilæ eminent, in quibus cæsorum nomina & tribus inscriptæ sunt. In his ipsis campis audiuntur per totam noctem equorum hinnitus & pugnantium etiam virorum species cernuntur. Atque hæc quidem qui de industria auditum spectatumve venerint, male multati abeunt: iis vero, *qui fortuito id animadverterint, nihil omnino unquam triste accidit.* De iisdem Atheniensibus Serv. Sulpitius in Epist. ad Cic. de Marcello Athenis mortuo sic loquitur *lib* IV. *Fam. Ep.* XII. *Ab Atheniensibus locum sepulturæ ut darent intra urbem impetrare non potui, quod religione impediri se dicerent: neque ante id cuiquam concesserant.* Desideras plures? Smyrnæos offert Cicero *pro Flacco: Vellem tantum habere otii ut possem recitare psephismata Smyrnæorum, quæ fecerunt in Castritium mortuum, primum quod in oppidum introferretur, quod aliis non conceditur.*

Apud Sicyonios etiam legem antiquam fuisse quæ mortuos urbe arcebat, fidem facit Plutarchus in *Arato: Quia vero vetus lex humari quemquam intra suos muros vetabat & gravi legi adjuncta erat religio, Delphos miserunt ad consulendum super ea re vatem.*

In Delo neminem sepultum affirmat Strabo *l.* X. *Rhenea insula est exigua & deserta, intra quartum a Delo stadium, ubi monumenta sunt Deliorum. Nam mortuum in Delo sepelire non fas, neque cremare.* Non obscure de Syracusanis Cicero V. *Tusc. Est ad portas Acbradinas magna sepulchrorum copia.*

Suave sit hic miscere sacra profanis. De Abrahamo *Genes.* cap. XX. *Sepelierunt eum Isaac & Ismael filii sui in spelunca duplici, quæ sita est in agro Ephron filii Seor Hethæi, e regione Mambre, quem emerat a filiis Heth.* Ibi sepultus est ipse & Sara uxor ejus. Josephi Patriarchæ ossa Israelitæ ex Ægypto deportata, post occupatam terram sanctam sepelierunt Sichemæ, *in parte agri quem emerat Jacob a filiis Hemor patris Sichen, Josuæ* cap. ult. Moses sepultus est ab Angelis in valle Moabitarum, *& non cognovit homo sepulchrum ejus usque in præsentem diem*, quod habeo ex Marullo *libr.* V. cap. X. Lazari sepulchrum extra Bethaniam fuisse ex D. Joanne c. XI. astruitur. Ex eodem quoque cap. XIX. Josephi Arimathæi extra Hierosolymam: *Erat autem in loco ubi crucifixus est, hortus: & in horto monumentum novum, in quo nondum quisquam positus erat.* Præterea illustre hujus rei testimonium extat in historia passionis Christi, post cujus resurrectionem plurimos sanctos, tumulis suis relictis in sacram urbem ingressos esse, & multis apparuisse, narrat D. Matthæus c. XXVII. *Et monumenta aperta sunt: & multa corpora sanctorum qui dormierant, surrexerunt. Et euntes de monumentis post resurrectionem ejus venerunt in sanctam Civitatem, & apparuerunt multis.* Christianorum denique cœmeteria olim ante urbes fuisse, testatur Chrysostomus, *Serm. de fide & lege.* Sane Prosper Episcopus Aquitanicus extra urbem sepultus est in templo D. Apollinaris. Et Armenium Episcopum Lucanum extra urbem elatum refert Gregorius Turonensis.

CAP. XI.

1. *Cur extra urbem mortui sepulti.* 2. *Causæ tres afferuntur.*

1. 2. RItum Romanorum aliorumque populorum in agris sepeliendi monuimus, nunc vero causas inquirimus. *Duæ sunt*, inquit Kirchmannus, *si recte rem consideremus, una divina & altera civilis.* Divina cavebat a pollutione A sacrorum publicorum, quæ contaminanda existimabant, si intra urbis mœnia mortui sepelirentur. Jul. Paulus *l.* XI. *Recep. Sent. tit.* XXI. *Corpus in Civitatem inferri non licet ne funestentur sacra Civitatis, & qui contra ea fecerit, extra ordinem punitur.* Erant enim Romani mea opinione ut existimarent, quicquid Diis sacrum esset, id vel solo aspectu, aut contactu rei funestæ contaminari: quam ob causam indicia funestis ædibus fuisse apposita, supra monuimus.

Ideo etiam Flamini Diali non licebat locum in quo bustum erat ingredi, vel mortuum attingere: Agellius *Noct. Attic. l.* X. c. XV. *Locum in quo bustum est,* B *nunquam ingreditur, mortuum nunquam attingit.* Imo nec *tibias funebres audire*, teste Festo. Addo amplius ex Servio in IV. *Æneid. Flaminicæ non* licuisse, *neque calceos, neque soleas morticinas habere. Morticinæ autem dicuntur, quæ de pecudibus sua sponte mortuis fiebant.* Quæ quidem habet a Festo, qui sic loquitur: *Mortuæ pecudis corio calceos aut soleas fieri Flaminicis nefas habetur, sed aut occisæ alioqui, aut immolatæ: quoniam sua morte extincta omnia funesta sunt.* Ex eodem ritu si quando Pontifex funebrem haberet Orationem, velum ante mortuum erat, quod oculos C ipsius a funere arceret. Seneca *Cons. ad Mart. Tiberius Cæsar & quem generat & quem adoptaverat amisit, ipse tamen pro Rostris laudavit filium, stetitque in conspectu posito corpore, interjecto tantum velamento quod Pontificis oculos a funere arceret.* Huic Dio *lib. ult.* favet dicens morem fuisse ut statuæ Deorum velarentur aut transferrentur, si quæ in loco positæ ubi crebra supplicia & cædes: *Claudius delectabatur gladiatoribus & præsertim Meridianis. Ideo plerosque servos, qui Dominos sub Cajo, aut Tiberio calumniati erant, hoc modo perdebat. Eorum tantus fuit numerus, ut Augusti statuam eo loci positam jusserit transferri, ne aut* D *semper aspiceret cædes, aut semper velata esset.* Sicque contaminari existimabant statuas aspectu rei funestæ, quidni multo magis Pontifices? Hinc est quod Viduus Deus extra urbem colebatur: Cyprianus *de Vanis Idol. Viduus Deus*, sic dictus quod *anima corpus v duet, quasi feralis & funebris intra muros non habetur, sed foris collocatur:* ne scilicet in eum inciderent Pontifices, sicque polluti sacrificare non possent.

Videntur hæc instituta ex Judæorum legibus promanasse, apud quos Sacerdotibus ad mortuos accedere vetitum fuit *ex Levitico: Dixit quoque Dominus ad Moysem: loquere ad Sacerdotes filios* E *Aaron, & dices ad eos, ne contaminetur Sacerdos in mortibus civium suorum, nisi tantum in consanguineis, ac propinquis, id est, super patrem & matrem & filium & filiam, fratrem quoque & sororem virginem, quæ non est nupta viro: sed nec in principe populi contaminabitur.* Atque ea præcipua causa est, cur mortuos in urbe sepeliri non licuerit.

Caussam alteram Civilem dixi, ne aer putrefieret. Isidorus *l.* XIV. *Orig.* cap. XI. *Prius autem quisque in domo sua sepeliebatur: postea vetitum est legibus, ne fœtore ipso corpora viventium contacta inficerentur.*

F Addo tertiam, ne fortasse licentia illa sepeliendi familiaris delinquendi & occisos occultandi occasionem daret.

A

CAP. XII.

1. Locus sepulchri in alieno fundo emptus. 2. Interdum donatus iis qui carebant agris.

1. 2. EX dictis liquet cur extra urbem fuerint elati, & in suis agris sepulti: quod si carerent, locum ab alio sibi pecunia plerumque comparabant: interdum etiam quorundam ea fuit liberalitas, ut iis in suo fundo locum assignarint. Utrumque probatur ex antiquis Inscriptionibus: una est Romæ ad clivum Capitolinum, in ædibus Lacii Buccabellæ.

D. M.

C. ASINIO. C. F. PRISCO. VIXIT AN. XX.
ET ASINIAE. C. F. IVVENILIAE. VIX. AN. XXII.
FILIIS PIISSIMIS FECERVNT
C. ASINIVS. CHRYSEROS. ET CINCIA
EVTYCHIS. PARENTES ET
SVIS LIBERTIS, LIBERTABVS POSTERISQVE
EORVM LOCVS EMPTVS A LIBERTABVS
IVLIAE EPIPHANIAE

Altera est etiam Romæ trans Tiberim:

D. M.

MACARIAE. HELIODORO. HELIODORAE
FILIIS. PIISSIMIS. FECERVNT
M. PETRONIVS. CHESIMVS. ET ETETE
PARENTES. EX INDVLGENTIA DOMINI
ET PATRONI SYRAE MAMERTINI QVI
LOCVM DEDIT ET DONAVIT
ET SIBI. ET LIBERTIS LIBERTABVS
POSTERISQVE EORVM H. M. H. N. S.
IN FRONTE. PED. VIII. IN. AG. PED. VIII.

CAP. XIII.

In qua parte Agri sepulchra conderentur.

SI fundum viæ publicæ proximum haberent mortui, in ea parte quæ viam spectabat, sepulchra condi jubebant. Quo fine? Ut viatores mortalitatis admonerentur. Varro *lib. V. de Ling. Lat. Monumenta a monendo quæ sunt in sepulchris. Et ideo secundum viam, quo prætereuntes admoneant & se fuisse, & illos esse mortales.* Hoc aperte declarant antiquæ Inscriptiones, quibus viatores, vel hospites solent compellari: ASPICE VIATOR. CAVE VIATOR. Et similes. In Mart. de Paride, *lib.* XI. *epigr.* XIV.

B

Quis Flaminiam teris, viator,
Noli nobile præterire marmor,
Urbis deliciæ, salesque Nili,
Ars & gratia, lusus & voluptas,
Romani decus & dolor Theatri,
Atque omnes Veneres, Cupidinesque,
Hoc sunt condita quo Paris sepulchro.

C

Idem in *Epitaphio Glauciæ, l.* VI. *epigr.* XXVIII.

Hoc sub marmore Glaucias humatus,
Juncto Flaminiæ jacet sepulchro:
Qui fles talia, nihil fleas, viator.

Lipsius *lib.* III. *Admir.* cap. X. *Præcipuum ornamentum id fuit, quod monumenta & sepulchra passim ad viam adsita, & lauus utrumque prætexebant. Quam pulchre ille aspectibus viantibus, quanta & seriorum & jocorum materies? Illic illustrium ingeniorum, aut clarorum virorum memoria & Inscriptio: alibi libertorum, servorum, scortorum superba monumenta. Mirari, dolere, illudere, etiam detestari occasio erat: & quid in tot titulis & Inscriptionibus pasci? Quædam a meliore ingenio & scitæ; quædam aliqua nota aut inventiuncula spectabiles: & istæ quæ hodie extant, dicent. Ita me Deus, jucundum aspectum! Et ego si in tali via remorer, subsistam, indormiam.*

D

PETRI MORESTELLI,

TORNUSIENSIS, ARTIUM LIBERALIUM MAGISTRI, DOCTORIS THEOLOGI, ET SANCTI NICOLAI DE LA TAILLE RECTORIS,

POMPA FERALIS,

SIVE

JUSTA FUNEBRIA VETERUM.

LIBER QUARTUS.

CAP. I.

Viæ juxta quas ſepulchra erant condita in agris Romæ.


IÆ, juxta quas condita ſepulchra in agris Romæ, hæ præcipue:

APPIA,
FLAMINIA,
LATINA,
AVRELIA,
LAVRENTINA,
PRÆNESTINA,
OSTIENSIS,
SALARIA,
TIBVRTINA,
ARDEATINA,
NOMENTANA.

De ſingulis totidem capitibus agere mihi animus eſt.

CAP. II.

DE VIA APPIA.

1. *Via Appia viarum regina.* 2. *Quis ſtruxerit.* 3. *Ejus longitudo.* 4. *Latitudo.* 5. *Spectabilis.* 6. *Capuam uſque munita.* 7 *Quis Brunduſium uſque muniverit.* 8. *Quidam allati ex Ethnicis in ea ſepulti.* 9. *Quidam ex Martyribus.*

1. MIrifica hæc via, cum dicat Poeta,

Appia longarum teritur Regina viarum:

2. De qua Procopium audi: *Hanc Appius Romanorum Cenſor ante annos nongentos ſtruxerat, & a ſe dederat nomen.*

3. *Longitudinem ejus, quinque dierum ſpatio vir expeditus poſſit emetiri.*

4. *Ab urbe Roma Capuam pertinet, ea latitudine, ut duo currus ex adverſo obvii, libere queant pervadere, & commeare.*

5. *Et eſt ſane hæc via præter cæteras ſpectabilis: ſiquidem Appius ex alia & longinqua tunc, ut reor, regione exciſos lapides & hos quidem ſaliceos, ac ſuopte ingenio duriſſimos in hanc viam vehendos curavit. Quos planos deinde ac læves redditos & quadratos inciſione factos junxit, & in ordine locavit, nihil metalli vel alterius rei inſerendo. Sunt tamen ita connexi & valide inter ſe hærent, ut ſpeciem viſentibus præbeant, non conjunctos ita, ſed congenitos eſſe. Et quamvis jam tot ſæculis atterantur aſſiduis plauſtris jumentiſque, tamen neque ſerie ſua vel minimum exeunt & dimoventur, neque franguntur, aut lævorem ſuum amittunt.* Quem locum diligenter examinat & librat Lipſius *l.* III. *Admir.* cap. X.

6 Qui etiam paulo poſt notat ex Frontino *Appiam aquam* inductam eſſe ab eodem Appio Claudio Cenſore, *qui & viam Appiam a porta Capena uſque ad urbem Capuam muniendam curavit.* Neque potuit ulterius, cum nec ulteriores tunc Romani fines.

7. Quis autem longius, & Brunduſium uſque muniverit, in obſcuro eſt. Munitam tamen conſtat ex Strabone *l.* V. *Viam Appiam Brunduſium uſque A'a'am* faciente: Producta igitur. An a Julio Cæſare, quem Plutarchus ſcripſit *Appiæ curatorem factum, plurimum pecuniæ in eam impendiſſe?* An ab Auguſto, qui pleraſque omnes vias per Italiam ipſe, aut per alios munivit? *Nam Plinio accedere non poſſum* (inquit Lipſius) *qui Appium, viam Brunduſium uſque lapidibus ſtraviſſe ſcribit, unde illa Appia dicta. Nam hoc ſane certum, loca ea id ævi, hoſtilia aut aliena Romanis fuiſſe. Tota autem hæc longitudo eſt milliarium circiter* CCCL.

8. In illa autem via ſepultos ex Ethnicis habes:

POMPONIVM ATTIC.
ANTONIVM GETAM,
GALLIENVM IMPERAT.
M. T. CICERONIS FILIAM TVLLIOLAM, &c.
CORVVM ALITEM.

Pomponius quidem Cornelio Nepote aſſerente, in *ejus Vita: Sepultus eſt juxta viam Appiam ad quintum lapidem in monumento Q. Cæcilii avunculi ſui.*

Antonium Getam illatum eſſe *in Majorum ſepulchrum, hoc eſt, Severi, quod eſt in Appia via euntibus ad portam dextram,* teſtatur Ælianus Spartianus.

Gallienum Imperatorem in eadem via vult ſepultum eſſe Sextus Aurelius.

Pro

Pro Tulliola Alex. ab Alex. *lib.* III. *c.* II. *Memini dum Romæ agerem in vetustis sepulchris, quæ in via Appia visuntur inter ædificia hortosque, interque coagmenta lapidum erutum cadaver fuisse, multo ævo vetustum, adolescentulæ mulieris facie, capillo, oculis, naribus, & reliquis lineamentis prorsus integris & incorruptis: nisi quod vestigia liquaminum & unguentorum quibus delibutum fuerat, apparebant: recenti specie, Inscriptione nulla, qua nomen defunctæ innotesceret. Pomponius tamen vir ut in ea ætate, veterum literarum impense doctus, Tulliolam M. Tullii Cic. filiam, de cujus obitu ad Servium Sulpitium sunt Epistolæ: aut Priscillam Abascantii, de qua Sylva Papinii extat, fuisse augurātur. Id quibus argumentis asseveraret, cum nulla inscriptionis vestigia extarent, prorsus nescimus.*

Plinius Corvo Aliti funus innumeris celebratum exsequiis refert *l.* X. *c.* XLIII. *Constratumque lectum super Æthiopum duorum humeros, præcedente Tibicine & coronis omnium generum ad rogum usque, qui constructus dextera viæ Appiæ ad secundum lapidem in campo Rediculi appellato, fuit.*

9. Non sit modus, si omnes Ethnicos in hac via sepultos dicam: habe etiam ex Martyribus sanctos,

ZEEPHERINVM,
STEPHANVM,
SIXTVM SECVNDVM,
CORNELIVM,
ANICETVM SYRVM,
SOTHEREM,
CAIVM, } Pontifices.

FELICISSIMVM,
AGAPITVM,
JANVARIVM,
MAGNVM,
INNOCENTIVM,
STEPHANVM, } Diaconos.

De Stephano illud audi ex *Pont. decretis*. *Antonio Imperatore Martyrio coronatus est, & sepultus via Appia prope Cœmeterium Calyxti septimo Calen. Septembris.*

De Steph. Pontifice quid? ex *Pont. & gestis*. *Illi solemnia Missarum* perficienti *advenientibus Imperatorum satellitibus, in sua sede caput ei abscinditur. Corpus cum eadem conspersa martyris sanguine, a clericis sepultum est in Cœmeterio Calyxti quarto Non. Augusti.*

Audio ab Imperatore Decio accersitum Cornelium (is missus fuerat ab eodem in exilium) *quem plumbatis cædi raptumque ad Martis simulacrum sacrificare jubet: hanc impietatem cum detestaretur ei caput abscissum est decimo octavo Calend. Octob. Cujus corpus beata Lucina clericis adjutoribus humavit in arenaria prædii sui prope cœmeterium Calyxti.*

Anicetus item *propter Christi fidem Martyrio coronatus, sepultus est via Appia, in cœmeterio, quod postea Calyxti appellatum est, decimo quinto Calend. Majas*, ex *Pontificali*.

At ubi Sother? In eodem sepelitur, *more Majorum mense Decembri*, ex *Pont. Damasi & Gratiano de consec. dist.* II.

Cajus *Diocletiani crudelitatem in Christianos fugiens, aliquandiu in spelunca delituit: verum octo post annos una cum Gabino fratre Martyrii coronam consecutus est sepultusque in Cœmeterio Calyxti decimo Cal. Maii*, ut ait Damasus in *Pontificali*.

Sed plane omiseram Sixtum secundum, *qui una cum sex Diaconis, Felicissimo, Agapito, Januario, Magno, Innocentio, Stephano interfectus in Cœmeterio Calyxti sepultus* VIII. Idus Augusti: *Diaconi vero in Cœmeterio Prætextali*, ex *gestis Laurent. & Pont. R. Tom. XII.*

A

CAP. III.

DE FLAMINIA.

1. A quo nomen habuerit. 2. Ex hac via tota Roma videbatur. 3. Qui in ea habuerunt sepulchra.

1. HÆc via a porta Flumentana initium habuit & nomen a *C. Flaminio* iterum Consule, quid ad locum *Trasimenum* cum quindecim millibus ab Annibale cæsus est. Sunt qui dicant a filio *Flaminii* stratam, sed quidem censet a patre cœptam, a filio perfectam. Ab urbe per Tusciam &
B Umbriam Ariminum usque pertinebat.

2. Ex hac via tota Roma spectari poterat. Martialis *lib.* X.

Totaque Flaminia Roma videnda via.

3. In hac fuit sepulchrum.

PARIDIS PANTOMIMI
Et
GLAVCIÆ.

C Vide eundem Martialem, *lib.* VI. *epigr.* XXVIII. & lib. X. *epigr.* XIV.

CAP. IV.

DE VIA LATINA.

Qui in ea sepulti.

DE hac Juvenalis, *Satyr.* V.

Clivosæ veteris dum per monumenta Latinæ.

D Quo versu in ea fuisse sepulchra, videre est. *In hac*, ait Kirchmannus, *testamento inferri voluit.*

SEMPRONIVS TVCIDANVS
Et
GALLVS FAVONIVS JOCVNDVS,

Qui filios suos hæredes scripsit,

HAC TAMEN CONDITIONE VT AB VRBE ROMA HVC VENIANT, ET OSSA MEA INTRA QVINQVENNIVM EXPORTENT E LVSITANIA, ET VIA LA-
E TINA CONDANT SEPVLCHRO MARMOREO.

CAP. V.

DE AURELIA.

1. A quo traxerit nomen. 2. Qui in ea sepulti fuerint.

1. NOmen traxisse suspicor, vel ab *Aurelia* Cæsaris Dictatoris matre; vel ab *Aurelia* familia Romæ in primis Illustri *a Sabinis*
F *oriunda* (ut Festo credimus) *cui locus publice designatus erat in quo Soli sacra faceret.*

2. In hac sepultum lego

GALBAM

Apud Suetonium in *ejus Vita*: *Sero tandem dispensator Argius in privatis ejus hortis Aureliæ viæ sepulturæ dedit.* Subjungam

Xxxx

A { CALYXTUM Papam,
PANCRATIUM,
RUFINAM &
SECUNDAM sorores.

Calyxtus, inquit Damasus, *martyrio coronatus, illatus in Cœmeterium Calepodii via Aurelia tertio ab urbe lapide pridie Idus Octobris*.

Pancratius quatuordecim annos natus virili virtute, & præstanti in Christum fide, de Aureliani & *Dæmonum immanitate, datis fortiter cervicibus, triumphavit. Cujus corpus Octavilla matrona noctu sustulit, & unguentis delibutum via Aurelia sepelivit*, ex *Gestis*.

B Rufina & Secunda *extra urbem via Aurelia miliario decimo, capite plectuntur. Quarum corpora a Plautilla matrona in ejus prædio sepulta*, *ibid.*

CAP. VI.

DE LAURENTINA.

1. *Unde dicatur*. 2. *In ea Ancillæ Cæsaris Augusti monimentum*.

1. Laurentina unde? Forte a Laurentio Civitate Latii, vel a Laurentia uxore Faustuli pastoris Amulii, quæ Romulum & Remum expositos nutrivit, in cujus honorem *Laurentalia* fuerunt instituta, cur non & via ejus nomine appellata?

C 2. In ea Augustus Cæsar Ancillæ suæ quinque liberos uno partu enixæ monimentum fieri jussit. Agellius *lib.* X. *cap.* XI. *Sed & Divo Augusto imperante, qui temporum ejus historiam scripserunt, ancillam Cæsaris Augusti in agro Laurente peperisse, quinque pueros dicunt, eosque pauculos dies vixisse, matrem quoque eorum non multo postquam peperit, mortuam, monimentumque ei factum jussu Augusti in via Laurentina, inque scriptum esse numerum puerperii ejus, de quo diximus*.

D CAP. VII.

DE LAVICANA

Qui in ea sepulti sint.

Ibi situs

⟨ DIDIUS JULIANUS.

De quo Spartianus: *Corpus ejus a Severo uxori Manliæ Scantillæ ac filiæ ad sepulturam est redditum, & in proavi monumento translatum milliario quinto, via Lavicana*. Sed quos in ea humus injecta contexit?

E Cromatii præfecti urbis filium { TIBURTIUM,

Quatuor coronatos, { SEVERUM,
SEVERIANUM,
CARPOFORUM,
VICTORINUM,

F Summos sculptores, { CLAUDIUM,
NICOSTRATUM,
SYMPHORIANUM,
CASTORIUM,
SIMPLICIUM.

Ad Tiburtium redeo qui *extra urbem ductus ac via Lavicana tertio ab urbe lapide securi percussus ibi a Christianis sepelitur*. Quæ sequuntur, *Coronatos* una cum *Sculptoribus* commendant. *Severus, Severianus, Carpophorus & Victorinus fratres in persecutione Diocletiani. Deorum cultum libere detestantes plumbatis cæsi in verberibus vitam pro Christi nomine profuderunt. Quorum corpora canibus objecta cum ab illis intacta diu fuissent, sublata a Christianis, via Lavicana tertio ab urbe lapide in Arenaria sepeliuntur prope sepulcbrum Sanctorum Martyrum Claudii, Nicostrati, Symphoriani, Castorii & Symplicii, qui eodem Imperatore passi erant, quod cum essent summi sculptores, nullo modo adduci potuerant, ut Idolorum statuas facerent*.

CAP. VIII.

DE PRÆNESTINA.

Dicta est a *Præneste* oppido Latii secundo ab urbe lapide, in qua sepulchrum Q. Attæ.

CAP. IX.

DE VIA OSTIENSI.

Sic dicitur quod *Ostiam* versus ducat, ea nunc S. Pauli porta appellatur, quod in hac via fuerit sepultus.

⟨ D. PAULUS ⟩ teste Prudentio.

Sepulti & { TIMOTHEUS Antiochenus, FELIX, presbyter, ADAUCTUS, &c. } prope sepulcrum B. Pauli.

Romæ via Ostiensi passio Beati Felicis presbyteri, sub Diocletiano & Maximiano Imp. qui post equulei vexationem, data sententia, cum duceretur ad decollandum, obvius ei fuit quidam Christianus, qui dum se Christianum esse sponte profiteretur, mox cum eodem pariter decollatus est. Hujus nomen ignorantes Christiani Adauctum eum appellaverunt, eo quod S. Felici auctus sit ad coronam.

CAP. X.

DE SALARIA.

1. *Hujus viæ initium*. 2. Ετυμον. 3. *Sepulti in ea*

1. 2. Tacitus initium ponit viæ *Salariæ a* porta Collina. Dicta est autem hæc via a sale. Sextus Pomp. *Salaria via Romæ est appellata, quia per eam Sabini sal a mari deferebant*. Accedit ad hanc viam Plin. *lib.* XXXI. *cap.* VII. *Apparet ex nomine Salariæ viæ, quoniam illa sal in Sabinos portari consueverat*.

3. Observavit Cornutus in hac esse sepulchrum

⟨ LICINII tonsoris

Pretiosi operis in eoque sepulti: *Sepultus*, inquit, *via Salaria prope urbem ad lapidem secundum*.

De hoc nomine non invenustum Varronis Epigramma fertur:

Marmoreo Licinus tumulo jacet: at Cato parvo:
Pompejus nullo: quis putet esse Deos?

Ibi quoque ad sepulturam

Dati fuerunt { CHRISANTHUS, Et DARIA, } Conjuges.

Dati & { MARCELLINUS, Et MARCELLUS. } Pontifices.

Cum Marcellino { CLAVDIVS, CYRINVS, ANTONINVS,

Non debent omitti { CYRIACVS, LARGVS, SMARAGDVS, &c. } Diaconus.

Nec { POTENTIANA, Et PRAXEDES, } Virgines & forores.

B *Chrifanthus* quidem, & *Daria in Arenariam, quæ eft via Salaria, ducti, effoffa terra lapidibus obruti, parem Martyrii coronam adepti funt*, ex *Geftis per not. Rom. Ec. Armenium & Verinum.* MARCELLO *Maxentius beftias cuftodire jubet, qui propter loci fæditatem obdormivit in Domino, cujus corpus in cœmeterio Prifcillæ, via Salaria, a beata Lucina fepultum eft decimo feptimo Cal. Feb.* Tom. 11. Surii.

C Diocletianus una *cum tribus aliis Chriftianis Claudio, Cyrino & Antonino Marcellinum capite plecti jubet. Quorum corpora projecta, cum triginta fex dies juffu Imperatoris fepultura caruiffent beatus Marcellus a Sancto Petro in fomnis admonitus, presbyteris & Diaconis hymnis ac luminibus adhibitis honorifice fepelienda curavit in cœmeterio Prifcillæ, via Salariæ*, ex *Geftis Marcelli Papæ*. CYRIACVS *cum Largo & Smaragdo aliifque triginta fecuri percuffus eft, via Salaria ad hortos Saluftianos. Quorum corpora in eadem via feptimo Calend. Aprilis fepulta a Joanne presbytero, poftea fexto Idus Augufti a Marcello pontifice & Lucina nobili fœmina lineis velis involuta & pretiofis unguentis condita in ipfius Lucinæ prædium via Oftienfi, feptimo ab urbe lapide translata funt.*

D
CAP. XI.

DE TIBURTINA.

1. *Hujus ἔτυμον*. 2. *In hac monumentum Pallantis Claudii Cæfaris liberti.* 3. *Sancti in ea fepulti.*

1. VIa Tiburtina deducitur a *Tibure* civitate in *Sabinis* decimo fexto ab urbe lapide.

2. In qua via intra primum lapidem fuiffe fertur monumentum

E { PALLANTIS } Claudii Cæfaris liberti,

Splendidum & arrogantiffimo Titulo.

3. In *Geftis* etiam videre eft in eadem conftitutos

Septem fratres { CRESCENTIVM, JVLIANVM, NEMESIVM, PRIMITIVVM, JVSTINVM, STACTEVM, EVGENIVM. } S. Symp. filios.

F *Poftridie ejus diei, qui fuit decimo quinto Cal. Augufti, feptem fratres finguli ad palum alligati varie funt interfecti. Crefcentio guttur ferro transfigitur: Juliano pectus confoditur. Nemefio cor transverberatur: Primitivo trajicitur umbilicus*: *Juftinus mem-*

A *bratim fecatur: Stacteus telis configitur: Eugenius a pectore in duas partes dividitur. Ita feptem hoftiæ Deo gratiffimæ funt immolatæ. Corpora in altiffimam foveam projecta funt, via Tiburtina nono ab urbe lapide, quæ poftea Romam translata, condita funt in Ecclefia Sancti Michaelis in foro pifcario.*

CAP. XII.

DE ARDEATINA.

1. Ἔτυμον. 2. *Qui in ea humati fuerint.*

1. AD *Ardeatinam* imus viam; cui nomen impofitum ab *Ardea* urbis nomine in Latio, *Turni* & *Rutulorum* regia.

2. In hac humati fuerunt

Sancti { MARCVS, MARCELLINVS, NEREVS, ARCHILEVS, } fratres; PETRONILLA, } S. Petri filia.

Marcus quidem & *Marcellianus diem noctemque in tormentis divinas laudes canentes, denique telis transfixi, ad Martyrii gloriam pervenerunt: quorum corpora via Ardeatina fepulta funt*, in *Geftis S. Sebaftiani*. PETRONILLAM *divini fponfi amore flagrantem, ubi Euchariftiam fumpfiffet, ad cœleftes nuptias evocavit. Cujus corpus in via Ardeatina fepultum, poftea a Paulo primo Pontifice in Bafilica principis Apoftolorum translatum eft*, ex *Geftis*.

NEREI & ARCHILLEI *fratrum corpora ab Aufpicio eorum difcipulo. Domitillæque educatore in naviculam impofita & ad cryptam arenariam delata, ibi fepulta funt in prædio Domitillæ via Ardeatina fecundo ab urbe lapide, prope fepulchrum fanctæ Petronillæ filiæ B. Petri.*

CAP. XIII.

DE NOMENTANA.

1. *Ejus ἔτυμον*. 2. *Quinam fepulti in ea.*

1. NOmentanea via erat qua *Nomentum* ibatur.

2. Sepulti ibi fuerunt

ALEXANDER	Papa,
EVENTIVS	Presbyter,
THEODOLVS	Diaconus,
NICOMEDES	Presbyter,
AGNES	Virgo.

Alexander, inquam, *qui Martyrio coronatus eft, una cum Eventio presbytero & Theodolo Diacono, fepultufque eft via Nomentana tertio ab urbe lapide eodem in loco ubi fecuri percuffus fuerat Nicomedes plumbatis cæfus, in ea Martyrio animam Deo reddidit. Cujus corpus cum Flaccus Comes in profluentem Tiberim projici imperaffet, Juftus Nicomedis clericus diligenter conquifitum ad muros urbis via Nomentana honorifice in fepulchro condidit*, ex *Geftis, & paffione per S. Marcellum.*

Ambrofius de AGNETE, *Serm.* XC. *Afpafius ira concitatus eam fecuri percuti* juffit, *duodecimo Calend. Febr. Cujus corpus parentes in fuo prædio via Nomentana fepelierunt.*

PETRI MORESTELLI,

TORNUSIENSIS, ARTIUM LIBERALIUM MAGISTRI, DOCTORIS THEOLOGI, ET SANCTI NICOLAI DE LA TAILLE RECTORIS,

POMPA FERALIS,

SIVE

JUSTA FUNEBRIA VETERUM.

LIBER QUINTUS.

CAP. I.

De locis publicis sepulturæ destinatis.

HActenus de privatis sepulturæ locis dictum: jam de publicis, quæ erant,

Illustrium (Virorum, Et Fœminarum.) vel Pauperum.

CAP. II.

De locis Virorum illustrium sepulchris destinatis.

HÆc duo erant potissimum,

Campus: MARTIVS & EXQVILINVS.

CAP. III.

DE CAMPO MARTIO.

1. *Quis.* 2. *Unde dictus.* 3. *Varia in eo exercitia.* 4. *In eo illustrium Virorum monumenta.*

1. 2. CAmpus Martius fuit locus extra urbem Romam prope portam *Flumentanam*: Martius dictus, eo quod Marti sacer, vel dicatus esset.

3. Variæ ludicra in hoc Campo exercebantur: Hic enim fere schola erat militiæ Romanæ, ubi Juventus ad palum omni genere armorum & quidem veris duplo graviorum exercebatur, caput petendo, lateribus insidiando, poplites succidendo, insiliendo, punctim potius quam cæsim feriendo, & interim tamen assidue sese protegendo, item jaculando. Pars ibi Tyronum pilis, lapidibus, sagittis, manu, funda, arcu jaculandis exercebatur. Tum vero saltu fossæ latitudinem aut valli altitudinem superare, præcipue autem cursu locum occupare, fugientem assequi consuescebat. Erant etiam equi lignei in campo ut insilire, desilire, dextra, læva, inermis, armatus, districto etiam gladio futurus eques addisceret, verum etiam equos domaret & futuris præliis assuefaceret.

4. Quid? tumultu exorto delectus in eo habebatur: clari viri mortui sepeliebantur. Strabo: *Itaque Romani hunc locum maxime sacrum & venerabilem, rati, illustrissimorum virorum ac mulierum monumenta ibi collocarunt?* Quorum?

SYLLÆ,
HIRTII,
PANSÆ,
DRVSI,
OPPII,
JVLIÆ.

Collocarunt, inquam; sed non sine publico Senatus decreto. Consul. Appian. *lib.* I. *Epit.* Livii CXIX. Suet in *Claudio*, Dio *lib.* XLVIII.

CAP. IV.

DE CAMPO EXQUILINO.

In eo sepulti viri illustres.

IN campo Exquilino datum nonnumquam publice locum, colligere est ex Cicerone *Philipp.* IX. qui censet hunc honorem Ser. Sulpitio in legatione populi Romani vita functo tribuendum: *Utique locum sepulchro in campo Exquilino C. Pansa Consul, seu quo alio in loco videtur, pedes triginta quoquo versus designet, quo Ser. Sulpitius inferatur. Quod sepulchrum ipsius, liberorum, posterorumque ejus sit: uti quod optimo jure sepulchrum publice datum est.*

CAP. V.

DE LOCIS PAUPERUM.

Hæc fuerunt duplicia.

QUæ ista?

Fuerunt: PVTICVLI, sive PVTICVLÆ, & CVLINÆ.

Puticuli, pauperum & vilium mancipiorum erant: Culinæ in opum funeribus destinatæ. De Puticulis Varro lib. IV. *de Ling. Lat. Extra oppida a puteis puticulæ, quod ibi in puteis obruebantur homines.*

Nisi potius ut Ælius scribit, Puticulæ quod putrescebant ibi cadavera projecta, qui locus publicus ultra Exquilias. A

Hos puticulos aut certe eorum aliquot jugera Augustus Cæsar concessit Mecœnati, qui hortos ibi colere cœpit, de quibus Horat. *lib.* I. *Sat.* VIII.

Nunc licet Exquiliis habitare salubribus, atque
Aggere in aprico spatiari; quomodo tristes
Albis informem spectabant ossibus agrum.

Recte salubres vocat Exquilias: Loca enim salubria sunt in quibus amœnitates sunt, antea vero albebant ossa miserorum. In hortos sic conversis Exquiliis, Augustus alia loca suburbana (ut notat Kirchmannus *lib.* II. *cap.* XXIV.) sepulturæ destinavit. B *Quæ fortean*, inquit, *Culinæ istæ fuerint, de quibus Agentinus Urbicus ad Julianum Frontinum.* Quid ille lib. I. *de Controv. agror. Sunt*, ait, *in Suburbanis loca publica inopum destinata funeribus, quæ loca Culinas appellant.*

CAP. VI.

1. *Simile discrimen sepulchrorum apud Hebræos.*
2. *Simile etiam apud Christianos.*

1. APud Hebræos quoque discrimen hujusmodi sepulchrorum erat C

{ PLEBEIORVM,
DITIORVM,
EXTERORVM,
REGVM.

Primum patet in Josia Rege demoliente Idola quæ in templum Dei irrepserant, IV. *Reg. Et efferri lucum de domo Domini foras Hierusalem in Convalle Cedron, & combussit eum ibi & redegit in pulverem & projecit super sepulchra vulgi.* Secundum ex monumento Josephi Arimathæi quod in horto D suo habuit, & in quo sepultus est Dominus, *Joan.* cap. XIX. *Erat autem in loco ubi crucifixus est, hortus: & in horto monumentum novum, in quo nondum quisquam positus erat.*

Tertium ex Matthæi *c.* XXVII. *Principes acceptis argenteis dixerunt, non licet eos mittere in Corbonam: quia pretium sanguinis est. Consilio autem inito emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum, propter hoc vocatus ager ille Haceldama,* (id est, *Ager sanguinis*) *usque in hodiernum diem.*

Quartum ex *Chron.* c. XXVI. *Dormivitque Ozias cum patribus suis & sepeliverunt eum in agro regalium sepulchrorum, eo quod esset leprosus.* E Sicque olim cum apud Romanos, tum Hebræos sepultura

Duplex erat { COMMVNIS, Et PRIVATA.

2. Hodie Christianis sepulturæ in communi fiunt Cœmeterio, vel Ecclesia: ibi tamen quædam loca sunt certis familiis, vel personis interdum designata quæ non possunt a Curionibus illis invitis communicari: F Conradus Brunus late hoc explicat, *lib.* IV. *de Cer.* c. II. *tit. de sep.*

CAP. VII.

1. *Post leges latas etiam clari viri sepulti sunt in urbe virtutis causa.* 2. *Familiæ quædam.* 3. *Imperatores.* 4. *Vestales.* 5. *Tandem unicuique permissum lege abrogata.*

1. HOc capite notandum, quemadmodum ante; sic etiam post latas XII. Tabulas, fuisse quosdam in urbe sepultos: quos tamen legibus solutos virtutis causa id consecutos fuisse Cicero existimat, lib. II. *Leg. Claros viros credo Tite fuisse, aut eos quibus ante legem virtutis causa tributum est, ut Publicolæ & Tuberto, quod eorum posteri tenuerunt: aut eos si qui hoc ut C. Fabricius virtutis causa soluti legibus, consecuti sunt.*

2. Familias etiam

{ CINCIAM,
CLAVDIAM, &c.

in urbem monumenta habuisse docent clare Festus & Sueton. Festus quidem de prima: *Cincia locus Romæ ubi Ciniciorum monumentum fuit.* De Claudia vero Sueton. in *Tiberio. Agrum insuper trans Anienem clientibus, locumque sibi ob sepulturam sub Capitolio publice accepit.*

3. Quin etiam Imperatorum, qui hostes bello domuissent, vel armis Rempublicam auxissent, cineres urbem ferre licebat, primumque Trajanum Augustum sepulchrum in foro habuisse accepimus: Eutropius, *Solus omnium Imperatorum intra urbem sepultus est. Ossa ejus collocata in urna aurea in foro quod ædificavit sibi, columna ibi posita, sunt: cujus altitudo* CXI. *pedes habet.*

4. Nequeo missas facere Vestales, quibus ob sacram dignitatem sepulchra intra urbem data fuerunt, crede Servio: *Virgines Vestæ quia legibus non tenentur, in civitate habent sepulchra. Denique etiam nocentes virgines Vestæ, licet vivæ, tamen intra urbem in campo scelerato obruebantur.* Pro qua re ultima verba Dionysii apponi digna, *lib.* XI. *Vivæ funebri ritu & pompa efferuntur, amicis ac cognatis cum luctu & lachrymis comitantibus. Delatæ autem ad portam Collinam intra muros subterranea in cella cum funeralibus ornamentis, deponuntur.* Et Plutarch. in *Numa. Sceleratus campus proxime portam Collinam, in quo virgines Vestales quæ incestum fecerunt, vivæ defodiuntur.*

5. Verum lex de non sepeliendis mortuis in urbe paulatim exolevit & non solum tacita consuetudine, sed etiam singulari edicto Imp. *Leonis* abrogata est, permissumque uniuscujusque arbitrio, sive in urbe vellet mortuum sepelire, sive in suburbio: *Novel.* LIII.

NE IGITVR VLLO MODO INTER CIVILES HAEC LEX RECENSEATVR SANCIMVS: QVIN POTIVS, VT A CONSVETVDINE RECTE CONTEMNITVR, SIC ETIAM DECRETO NOSTRO PRORSVS REPROBATVR. QVICVNQVE AVTEM SIVE EXTRA MVROS SIVE INTRA CIVITATEM SEPELIRE MORTVOS VOLET PERFICIENDAE VOLVNTATIS FACVLTATEM HABET.

PETRI MORESTELLI,

TORNUSIENSIS, ARTIUM LIBERALIUM MAGISTRI, DOCTORIS THEOLOGI, ET SANCTI NICOLAI DE LA TAILLE RECTORIS,

POMPA FERALIS,

SIVE

JUSTA FUNEBRIA VETERUM.

LIBER SEXTUS.

CAP. I.

1. Pyra quid sit. 2. Erecta ad cremandum cadaver. 3. Eadem ara vocata. 4. Qui differat Rogus a Pyra. 5. Qui bustum. 6. Rogus cur sic appellatur.



DE elatione in urbem vel agros juxta vias publicas, hactenus: nunc de *Pyra* ibi extructa & cadavere in eam imponendo.

1. 2. *Pyra* ergo lignorum scilicet congeries in eo loco erigebatur, ubi cremandus erat mortuus. Hujus rei testem videor habere idoneum Virgilium *Æneid.* IV.

At regina gravi penetrali in sede sub auras
Erecta ingenti tædis atque ilice secta, &c.

Ejusdem verba sunt, *Æneid.* I.

Innumeras struxere pyras.

Et de Miseno, *Æneid.* VI.

Principio pinguem tædis & robore secto,
Ingentem struxere pyram.

Idem *ibidem:*

—— —— aramque sepulchri
Congerere arboribus.

3. Quid his vult? Nihil aliud quam pyram congestis arboribus struere, ad corpus Miseni ibidem tanquam in ara comburendum. Et quia hoc quoddam genus sepulturæ erat (etsi postea conderentur cineres) vocat aram sepulchri, ipsam *pyram*. Cum Marone videtur mihi conjungendus Silius Italicus *lib.* X. de funere Pauli:

Sublimem eduxere pyram.

Et Ovidius:

D: ...a succensæ membra cremanda pyræ.

4. 5. ROGUS eadem est lignorum congeries ad cremanda cadavera, quæ ita dicitur cum ardere cœpit: *Bustum* vero jam exustum. In Tullio de

A *Rogo* ista lib. I. *de Divin. Siquidem ad mortem proficiscens Calanus Indus, quum ascenderet ad rogum ardentem: o præclarum discessum,* inquit, *e vita, quum ut Herculi contigit, mortali corpore cremato in lucem animus excesserit.* Et iterum, *Tusc.* I. *Metellum multi filii, filiæ, nepotes in rogum imposuerunt.* Facit huc Maronis illud *Georg.* VI.

Impositique rogis juvenes ante ora parentum.

Silius non nocet:

Ardentemque rogum media spectabat ab unda.

B Mantuanus juvat:

Conflagrante rogo, non est deterrita flammis.

6. At cur Rogus appellatur? Quod in eo Dii Manes rogentur. Indicat Plautus in *Menæchmis:*

Age sane igitur, quando æquum oras
Quem mox incendo rogum.

CAP. II.

C *1. Pyræ pro qualitate personarum. 2. Lex XII. prohibens ligna polire. 3. Ex quibus lignis confici solebat. 4. Papyrus huic rei adhibita cum picea & pice. 5. Quas arbores intexerent. 6. Cupresso rogi circumdati. 7. Cur.*

1. 2. 3. RAtionem pyræ extruendæ ex Alex. ab Alex. subtexo. *Eam pyram pro dignitate & honoribus, quibus in vita functus erat, & prout amplissimos Magistratus & imperia gesserat, modo majorem, modo minorem* extruxisse ait, fuisseque *lege* XII. *Tab. cautum, ne de lignis politis extrueretur.* Lex est, ROGVM ASCIA NE POLITO: Cur? quia solebant Romani nimio quodam fastu,
D nimioque sumptu exornare sepulchra, id hæc lex prohibet & jubet e rudibus & impolitis ligneis pyram confici. Ascia enim fabrorum lignariorum instrumentum est, quo ad aspera ligna polienda utuntur.

4. Addit Alex. ab Alex. *In hac extruenda id servatum ut præter arida ligna papyrum quoque quo facilius cremarentur, apponerent.* Hoc ajebat Martialis *lib.* X. *epigr.* XCVII.

Dum levis arsura struitur Libitina papyro.

Intexebant eandem ob causam piceam, arbor enim

illa pingui abundans resina & pice flammam facile concipit, & reliquam pyræ materiam facile succensura est. Virgil. *Æneid.* VI.

Procumbunt piceæ.

Testatur vetus Inscriptio picem quoque adhibitam:

NEC EX EORUM BONIS PLUS INVENTUM EST, QUAM QUOD SUFFICERET AD EMENDAM PYRAM ET PICEM QUIBUS CORPORA CREMARENTUR.

5. Intexebant quoque laricem, taxum, pinum, fraxinum aliasque arbores quæ ignem non difficulter & caperent & nutrirent: Has Poetæ spectarunt: Virgil. *ibid.*

——— sonat icta securibus ilex,
Fraxineæque trabes, cuneis & fissile robur
Scinditur: advolvunt ingentes montibus ornos.

Advocemus locum ejusdem ex lib. XI. *Æneid.* ubi Trojanorum Latinorumque corporibus cremandis similiter arbores cæduntur:

Per sylvas Teucri, mistique impune Latini
Erravere jugis: ferro sonat icta bipenni
Fraxinus, evertunt actas ad sydera pinus,
Robora nec cuneis, & olentem scindere cedrum,
Nec plaustris cessant vectare gementibus ornos.

6. Circa eandem constituebant Cupressos: Virgilius *ibid.*

—— Et ferales ante Cupressos
Constituunt.

Statius, *lib.* VI. *Theb.*

Tristibus interea ramis teneraque Cupresso
Damnatus flammæ torus & puerile pheretrum
Texitur.

7. Hoc Servius ex Varrone factum fuisse dicit propter gravem ustrinæ odorem, ne eo offenderetur populi circumstantis corona, quæ tandiu stabat respondens fletibus Præficæ, quandiu consumpto cadavere & collectis cineribus dicebat novissimum verbum ILICET, quod *ire licet* significat.

CAP. III.

An exoleverit lex quæ jubebat ex impolitis lignis pyram confici.

Exolevit. Ex Plinio colligo cujus verba hæc sunt: *Quoniam & pericula expingimus: ne quis miretur & rogos pingi, juvatque pugnaturos ad mortem, aut certe cædem speciose vehi.*

CAP. IV.

Qua forma construeretur pyra.

Herodianus illustrium virorum rogos τετραγώνους καὶ ἰσοπλεύρους, hoc est, *specie quadrangula & æquis lateribus* fuisse credit. Xiphilinus Pertinacis pyram *forma triangulari & instar turris:* Servius in modum aræ, in *Virg. l.* VI. *Æneid. Pyram dicit quæ in modum aræ construi lignis solebat.*

CAP. V.

1. *Digitus mortuo abscissus & cur.* 2. *Hic mos prohibitus lege* XII. 3. *Legis exceptio.* 4. *Ravardi explicatio.*

1. 2. Antequam corpus imponeretur in Rogum digitus ei incidebatur, ad quem servatum justa fierent reliquo corpore combusto, id quod Decemviri prohibuerunt hac lege, HOMINI MORTUO NE OSSA LEGITO QUO POST FUNUS FIAT, id est, *ne membrum* (scilicet *digitum*) *adimito*. EXTRA QUAM SI MILITIÆ, AUT PEREGRE MORTUUS SIT.

3. 4. Tum enim permiserunt digitum adimi. Hanc legem sic interpretatur Jacobus Rævardus cum scribit, *Multum interesse inter ossa homini mortuo legere & inter ossa hominis mortui legere. Nam ossa hominis quæ dispersa sunt, & non cohærent, cum simul colliguntur, tunc hominis ossa legi dicuntur.* Seneca lib. II. *de Ira: Dignus fuit, cui permitteret a convivio ad ossa filii legenda discedere: Sed homini mortuo leguntur ossa cum ejus cadaveri aliqua ossa adimuntur. Eoque sensu vivis ossa legere dixit idem Seneca: legere siquidem pro adimere & auferre veteres dixisse non est obscurum, si consideremus eum dicendum esse sacrilegum qui adimit, qui aufert res Deo rite consecratas.* Verba legis, (ut clarum est) scilicet HOMINI MORTUO OSSA NE LEGITO, ad membri abscissionem astringit, & bene, quicquid dicat Kirohmanus.

CAP. VI.

Cadaver una cum pyra suffiebatur liquoribus. 2. *Id lege* XII. *prohibitum.* 3. *Murrhata potio.* 4. *Odorum copia exanimatos vivos.* 5. *Oleum in ignem fusum.* 6. *Idem mos Gerrborum & Taurorum.*

1. 2. In pyra cum jam esset corpus positum suffiebatur vino, lacte, melle interdum: pyra quoque respergebatur liquoribus quibusdam preciosis, cinnamomo, thure, vino, unguentis, omnique pigmentorum & aromatum genere, etsi lex XII. diligenter caverat, UTI NE SUMPTUOSA RESPERSIO FIERET: NEVE MURRHATA POTIO MORTUO INDERETUR.

3. Hac Murrhata potione usos antiquos fuisse scribit Festus, ejusque rei indicium esse, quod hac lege caveatur, ne mortuo indatur, docente id Varrone. Qualis vero fuit ea potio, de ea valde dubitant autores. Hieronymus Mercurialis medicus celeberrimus de Murrhina, quæ est eadem Murrhata potio, disputans in *Var. Lect.* Cujacii, Julii Scaligeri & Adriani Junii multum discrepantes opiniones primum recitat, & refutat, deinde quid ipse sentiat afferens, dicit se existimare Murrhinam potionem fuisse artificialem quandam potionem, quæ Veterum tempestate vulgatissima fuerit, a posteris autem intermissa, ut vix ejus remanserit nomen. Sumit autem nomen hæc potio a Murrha lapide pretioso odoris præstantia commendabili, & colorum varietate insigni nascente in Oriente apud Parthos & præcipue in Carmania, crediturque esse humor Solis calore sub terra condensatus. Sed de respersione Antiquorum dicere pergamus.

4. Mirum est quod legi odorum copia exanimatos etiam vivos ad Rogum stantes, ut in funere L. Corn. Syllæ, in quo audio ex thure & aro-

mate a mulieribus conjecto statuam legitimæ magnitudinis compactam esse. A

5. Coniiciebatur etiam oleum, quo facilius ignis conciperetur.

6. GERRHI *pariter &* TAURI *Scythica gens defuncto Rege cadaver odoribus delibutum in rogum imponebant*, si credas Alex. ab Alex. *lib.* III. *c.* VII. ex Diod. *lib.* IV. & Herodoto, qui notat amplius Æthiopum præcipuum morem fuisse, ut in ignem vinum & oleum fundant.

CAP. VII.

1. Oculi mortuo aperiebantur & cur. 2. Naulum in os inclusum. 3. Qui diceretur Græce. B

1. SIc delibuto cadaveri oculi, qui clausi fuerant spiritu excepto, iterum aperiebantur, ut cœlo ostenderentur.

2. Nunquid & obolum numisma perexiguum in os singulis mortuis includebant? Testatur Natalis Comes, apud quem *lib.* III. *Soli ex omnibus hominibus Hermonienses nullum naulum mortuis in os includebant.* Lucianus, *Dial. de Luctu*: *Cum quis e domesticis obierit primum quidem obolum illi in os depositum naulum portitoris fore arbitrantur.* Neque tamen ea parva mercede semper contentus fuit Charon, auctum est enim illi stipendium, & usque ad binos obolos, imo ad triobolum perventum est. C Aristophanes,

Mercede capta nauta te senex vehet
Binis obolis in nave parva protinus,

3. Tanta fuit antiquorum dementia ut Inferos etiam avaritia & nummorum desiderio vexari arbitrati sint. Is autem nummulus Græcis δανάκη dicebatur. D

CAP. VIII.

Sanguis captivorum & gladiatorum olim effusus. Postea mos ille immutatus.

OBolo incluso primis temporibus effundebatur sanguis vel Captivorum, vel Gladiatorum. Dux & auctor rei Tertullian. apud Lipsium, l. I. *Sat.* c. VIII. *Olim quoniam animas defunctorum humano sanguine propitiari creditum erat, captivos vel magno ingenio servos mercati in exequiis immolabant.* Unde Virgilius lib. XI. *Æneid.* E

Vinxerat & post terga manus, quos mitteret umbris
Inferias, cæso sparsuros sanguine flammas.

Et *lib.* X.

Quatuor hic juvenes, totidem quos educat Ufens
Viventes rapit, inferias quos immolet umbris
Captivoque rogi perfundat sanguine flammas.

Postea placuit impietatem voluptate adumbrare. F Servius, *in* Virg. ad hoc, *viventes rapit inferias*: *Moris erat in sepulchris virorum fortium captivos necari, quod postquam crudele visum est, placuit gladiatores ante sepulchra dimicare, qui a Busti cineribus Bustuarii dicti.*

CAP. IX.

Qui primi gladiatores dederint in funeribus.

PUblice primo in foro boario anno urbis CCCCXC. dederunt M. & D. Bruti, causa mortis patris. Valer. Maximus adnotavit: *Gladiatorum munus primum*, inquit, *Romæ datum est in foro boario a P. Claudio & M. Fulvio Coss. Dederunt M. & D. Bruti funebri memoria patris cineres honorando.* Et Epitome Liviana: *D. Junius Brutus munus gladiatorum in defuncti patris memoriam edidit primus.*

CAP. X.

1. Illustrium morte tantum primis temporibus dati gladiatores. 2. Mox in privatorum, idque ex testamento, non virorum solum, sed etiam fœminarum.

1. DAti ergo gladiatores, sed tantum in illustrium virorum funere primis temporibus. Verum paulatim, ut solet, res increbuit, & a tenui canali in mare quoddam excrevit.

2. Dare enim cœperunt vulgo etiam privati, & plerisque ea cura in testamentis. Tertullianus, *Privatorum memoriis legatoriæ editiones parentant.* Seneca *de brevitate vitæ*: *Quidam disponunt etiam illa quæ ultra vitam sunt, moles magnas sepulchrorum, & operum publicorum dedicationes, & ad rogum munera ambitiosas exsequias.* MUNERA AD ROGUM & LEGATORIÆ EDITIONES sunt *Gladiatores.* Cicero pro Sulla: *Ita prorsus interpositi sunt gladiatores, sed quos testamento patris deberi videmus.* Imo usque eo mos invaluit, ut ditiori aliquo mortuo populus munus efflagitaret, velut debitum & ex præscripto legis.

Nec in virorum funeribus stetit mos, transiit etiam ad fœminarum. Dux & auctor rei stirps illa Veneris Julius Cæsar, *qui munus populo epulumque in filiæ memoriam pronunciavit, quod ante eum nemo*, ait Suetonius in *ejus Vita* cap. XXVI. & confirmat Dio: *Filiæ suæ & ferarum cædes & virorum pugnas exhibuit.* Nec dubitandum quin Divi exemplum cupide imitatus sit vulgus. In Spartiano legit Lipsius *Hadrianum præcipuos honores socrui suæ ludis gladiatoriis impendisse*, lib. I. *Sat.* cap. VIII.

CAP. XI.

1. Lacerationes genarum, & cur. 2. Lege XII. *vetitæ, sed non sublatæ.*

1. HAbes de captivorum vel gladiatorum effuso sanguine. Quod si neutri fuissent, mulierum fundebatur sanguis, *e genis* videlicet, quas sibi ipsæ laniabant. Servius *lib.* III. *Æneid. Varro dicit mulieres in exsequiis & luctu ideo solitas ora lacerare, ut sanguine ostenso inferis satisfaciant.* Idem *lib.* XII. *Et moris fuerat ut ante rogos humanus sanguis effunderetur vel captivorum, vel gladiatorum, quorum si forte copia non fuisset laniantes genas suum effundebant cruorem, ut rogis illa imago restitueretur.* Unde Virg. de Anna Didus mortem deplorante, lib. VI. *Æneid.*

Unguibus ora soror fœdans.

2. Hunc

2. Hunc morem Decemviri severe lege XII. prohibuerunt: MULIERES GENAS NE RADUNTO: NEVE LESSUM FUNERIS ERGO HABENTO. Hæc lex a Solone desumpta est, quem Plutarchus scribit vetuisse corpus laniare lamentationemque meditatam edere. Servius prædictam legem XII. recitat his verbis, MULIER FACIEM NE CARPITO, in *illud* Virg. *Æneid.* XII. *Et roseas laniata genas:* recitat, inquam, sed mendose, non enim *faciem*, sed *Genas*: nec *Carpito*, sed *radito*, vel *radunto* numero plurium in legibus fuisse scriptum docent Plinius & Festus. Quid autem sit *radere genas* ita videtur interpretari Festus apud Rosinum, *lib.* VIII. *cap.* VI. ut sit eas unguibus cruentare & scindere. Male hanc legem accepit Adrianus Junius in *comm. de coma*, qui τὸ *reddere* hic idem esse quod forficula resecare, quemadmodum barbæ solent, existimat. Scribit enim XII. Tabularum interdicto vetitum fuisse mulieres genas radere, ne diutino radendi usu succrescentibus a natura non datis sub ementito virilis oris honore fallerent. Nam clarum est non id Solonem nec Decemviros voluisse, sed genarum lacerationes quæ unguibus fiebant. Et quanquam id vetitum esset, factum tamen fuisse etiam Varronis temporibus videre est ex Servio supra citato.

Huc pertinet legis posterior pars, NEVE LESSUM, &c. Cicero auctor est *lib.* II. *Leg.* L. Ælio *lessum* quasi lugubrem ejulationem dictam esse, quam sententiam probat & veram esse judicat, cum idem Solonis etiam lex vetet. Respexit ad hanc legem idem etiam, cum scribit in *Tusc.* XLIV. *Sed hoc quidem in dolore maxime est providendum ne quid abjecte, ne quid timide, ne quid ignave,* A *ne quid serviliter muliebriterque faciamus: imprimisque refutetur ac rejiciatur Philoctetis ille clamor. Ingemiscere nonnunquam viro concessum est idque raro: ejulatus ne mulieri quidem. Et hic nimirum est fletus quem* XII. *Tabulæ in funebribus adhiberi vetuerunt.* Plato autem, lib. XII. *Leg.* *fieri*, inquit, *mortuum jubere aut vetare absurdum est: plangere vero & voces ac lamenta extra ædes mittere vitandum.*

CAP. XII.

1. *Pyra a proximis averso vultu incensa.*
2. *Causa duplex.*

B 1. HIs peractis *Pyram* incendebant qui erant mortuo cognatione proximi, sed vultu & capitibus aversis. Donatus, *Prisci cum ignem rogis inferebant, non sub oculis suis: sed a tergo suo, ut dicitur, faces apponebant:* Virgilius *lib.* VI. *Æneid.*

—— Et subjectam more parentum
Aversi tenuere facem.

C Delrius: *Moris fuit, ut qui majori necessitudine defuncto devincti essent, aversi rogo flammam inferrent, vel facem impellerent.* Lucretius *lib.* VI. de Consanguineis agens:

Subdebantque faces multo cum sanguine.

2. At cur averso vultu? Causa erat ut id officium necessitatis esse ostenderet, non voluntatis; vel propter pellendum doloris argumentum.



PETRI MORESTELLI,

TORNUSIENSIS, ARTIUM LIBERALIUM MAGISTRI, DOCTORIS THEOLOGI, ET SANCTI NICOLAI DE LA TAILLE RECTORIS,

POMPA FERALIS,

SIVE

JUSTA FUNEBRIA VETERUM.

LIBER SEPTIMUS.

DE HIS QUÆ FIEBANT, ROGO JAM INCENSO.

CAP. I.

1. Venti optabantur. 2. Origo moris hujus a Græcis.

1. Ogo jam incenso ventos optabant qui flammam ardentiorem suscitarent, alerentque, & ita cadaver rogo impositum facilius citiusque absumeretur. Propertius, *lib.* IV. ubi Cynthia loquitur:

Cur ventos non ipse rogis ingrate petisti?

2. Ritus hujus origo fuit Græca superstitio: Homerus *Iliad.* Ψ. in funere Patrocli:

——— duos orabat ventos
Boream & Zephyrum, & promittebat sacrificia pretiosa:
Multa etiam libans aureo calice, supplicabat
Ut venirent, ut citissime igne comburerent cadaver,
Lignumque festinaret ardere.

CAP. II.

1. Dona in rogum conjecta fuerunt, vestes & ornamenta, odoresque varii. 2. De his XII. *Tab. cautum.*

1. Conjiciebantur deinde in Rogum certatim ab iis qui dabant operam funeri magna vis vestium & ornamentorum magni pretii. Qua de re elegans est locus Scævolæ: *Mulier quædam decedens testamento ita scripserat, funerari arbitrio viri mei volo & inferri mihi quæcumque sepulturæ meæ causa feram ex ornamentis.* Verba sunt testatricis volentis inferri ornamenta quibus culta efferretur mortua.

A Servius in *lib.* VI. *Æneid. Quoniam sumptuosissimum erat & crudele victimas vel homines interficere, sanguinei coloris cœpta est vestis mortuis injici.* Unde Virgilius lib. VI. *Æneidos*, in funere Miseni.

Purpureasque super vestes velamina nota
Injiciunt:

Lucianus in *Nigrino*: *Alii vestes, alii aliud quippiam earum rerum, quas olim in delitiis habuerant, eodem rogo secum cremari mandant.* Et certe præter vestes, fœminæ ornamenta sua, ut armillas,

B zonas, vittas, cincinnos, torques, bullas prætextas, omnemque mundum muliebrem inferebant. Quid? tam insana fuit hæc priscorum profusio, ut etiam unguenta & odores, thura, omnisque generis pigmenta & aromata in charorum rogos jactarent. Valer. Max. *lib.* V. *cap.* I. *Caput etiam Pompeii plurimis & pretiosissimis odoribus cremandum curavit Cæsar.* Cynthia apud Propertium sic loquitur, *lib.* IV.

Cur nardo flammæ non oluere meæ?

C Statius, in *Syl.* de rogo Glauciæ:

—— Quid ego exequias & prodigia flammis
Dona loquar?

Et paulo post,

—— cupit omnia ferre
Prodigus.

Et paucis interjectis:

—— sed non capit ignis
Invidus, atque arctæ desunt in munera flammæ.

Virgilius lib. VI. *Æneid.*

—— conjecta cremantur
Thurea dona, dapes.

A 2. Verum frænum injecit huic consuetudini Lex XII. vetando sepulchris aurum injici aliaque preciosa: lex est, NE AURUM ADDITO. Additur tamen deinde exceptio: AST QUOI AURO DENTES VINCTI ERUNT, IM CUM ILLO SEPELIRE ET URERE SE FRAUDE ESTO: Hoc est, *Si quis dentes, qui sibi excidissent, aut evulsissent, auro incrustasset, licere eos cum mortuo cremari, vel sepeliri sine fraude: hoc est, non peccari contra leges.* QUOI, pro CUI, antique. IM, pro EUM. SE, pro SINE antique, ut jam ostendimus ad legem de *Justis diebus* in nostro *Philomuso*.

CAP. III.

Hostilia spolia comburebantur una cum cadavere ejus qui de hoste triumphabat, cujus arma etiam addebantur.

B DE ornamentis diximus, ecce spolia in Virgilio, *Æneid.* XI.

> *Hinc alii spolia occisis direpta Latinis*
> *Conjiciunt igni, galeas, ensesque decoros,*
> *Frænaque ferventesque rotas: pars munera nota,*
> *Ipsorum clypeos, & non fœlicia tela.*

C Idem *ibidem*:

> *Addit equos, & tela, quibus spoliaverat hostem.*

Ad quem locum Servius: *In antiquis disciplinis relatum est quæ quisque ornamenta consecutus esset, ut ea mortuum eum condecorarent.* Nec solum cum armis hostilibus comburebantur, sed etiam cum suis; Virgilius *Æneid.* VI.

> ——— *decorantque super fulgentibus armis.*

D Ubi Donatus; *Fortium virorum*, inquit, *cum ipsis funeribus arma apud Veteres consumebantur: nec solum hæc, sed & cætera quæ habuissent charissima.* Suetonius in *Jul. Cæsare* cap. LXXXIV. *Veteranorum militum legionarii arma sua, quibus exculti funus celebrabant, injecere flammæ.*

CAP. IV.

Varia pecudum & animalium genera in ignem missa.

E NOn erit insuave auditu, si varia pecudum & animalium genera in Rogum mitti etiam solita ostendamus, eaque præsertim quæ defunctis charissima fuisse constabat. Virgilius lib. XI. *Æneid.*

> *Multa boum circa mactantur corpora morti,*
> *Setigerosque suos, raptasque ex omnibus agris*
> *In flammam jugulant pecudes.*

F Apollonius lib. II. *Argon.* cujus verba sic Latine redduntur,

> —— *Jugulant in funera multas*
> *Lanigeras pecudes, defunctis munera sueta.*

Reperio præterea canes, equos, & aves. Plinius de Regulo filium lugente *epist.* II. *lib.* IV. *Amissum tamen luget insane. Habebant puer manulos multos & vinctos & solutos, habebat canes majores, minoresque, habebat luscinias, psittacos, merulas, omnes Regulus juxta rogum trucidavit, nec dolor erat ille, sed ostentatio doloris.*

CAP. V.

Exempla eorum qui præ amore se in defuncti rogum conjecere.

SCimus capillos qui cæsi fuerant tanquam inferias mortuis consecratos, quod supra declaratum; quare his relictis mirum magis fatendum est quod lego in multis, nonnullos fuisse qui præ incredibili amore quo in defunctos existebant seipsos igni tradebant. Tacit. lib. XIV. *Annal.* de morte Agrippinæ: *Accenso rogo libertus ejus cognomento Mnestor ipse ferro se transegit.* Idem lib. XI. de funere Othonis: *Quidam militum juxta rogum interfecere se, non noxa, neque ob metum, sed æmulatione decorus & charitate principis.* Plin. *lib.* VII. *cap.* XXXVI. *P. Catienus Philotinus patronum adeo dilexit, ut hæres omnibus bonis instructus in rogum ejus se jaceret.* De fœminis Seneca, *lib.* II. *Controv. decl.* II. *Quædam se maritorum rogis ardentibus miscuerunt.* Alex. ab Alex. *lib.* III. *cap.* VII. *Palam factum novimus multos accensis Dominorum rogis, doloris impatientes, vel violentas sibi manus intulisse, aut igni pariter absumptos esse. Quod etiam de canibus qui charitate Dominorum in flammas se injecere, memoriæ proditum est. Nam Hieronis & Lysimachi canes accensis rogis Dominorum in flammas se injecisse & uno incendio arsisse tradunt.* Ideo etiam plerumque custodiebantur, ne se rogo injicerent.

CAP. VI.

Ritus iidem exterarum gentium fuere cum Romanis.

NOlim putes cærimonias hujusmodi solum fuisse Romanorum, sed etiam exterorum. Alex. ab Alex. *loc. cit.* *Etiam Græcorum & Æthiopum præcipuus mos, ut comas ad rogum dissecent, corporique & igni imponant: boves & pecora equosque & canes in ignem mittant, vinumque & oleum fundant. Utque Rege morte sublato familiares & qui eo conjunctissime vixerant, charitate principis vim vitæ sibi ad rogum afferant, unaque morte intereant. Indorum pervulgata historia est, ut viro defuncto, quæ charissima conjunx in vita fuerat, eodem igne absumatur, unaque concremetur. Thracibus & Getis erat iste mos, ut viro defuncto præcipue dilecta conjunx, maximo cultu ornata, ad tumulum duci, & a propinquiore mactari, eodemque tumulo humari debeat. Gallis vero ut servi clientesque cum Dominis patronisve una crementur viventes, eademque pyra intereant. Gerrbi Scythica gens defuncto Rege, in tumulo ubi cadaver odoribus delibutum erat præcipuam concubinarum, coquum, agasonem ac ministrum una tumulare, equosque & L. ex ministris ad rogum præfocare assuerant.* Et Scythas quoque una cum dilectis mortuis terra se obruisse, autor D. Hieronymus lib. II. *adv. Jovin.* & Theodoretus *Serm. de Leg.* eosdemque accepta Christiana religione hunc morem deseruisse. Apud Herulos quoque uxores maritis mortuis laqueo sese statim juxta sepulchrum solebant induere, nisi infamiæ notam vellent subire, teste Procopio, lib. II. *de bello Goth* Sic Abradata mortuo, non solum ejus uxorem, sed & Spadones se jugulasse tradit Xenoph. Albanis pecuniam cum mortuis sepelire in loculis mos erat patrius, apud Strabonem, *lib.* VII. Apud priscos Germanos dum igne accenso corpora defunctorum cremarentur, pro dignitate, proque opibus, quibus quisque potens erat, amici & affines, quique conjunctissimi aderant, quæ chara habebant & præcipui cultus cum gemitu & questu miserabili in luctus & gravissimi doloris signum ignibus injiciebant.

CAP. VII.

1. *Decursio funebris circa rogum.* 2. *Quomodo illa fieret.*

1. ADonis ad Decursionem transeo, quam in funeribus clarorum virorum fieri solitam testes mihi sunt non pauci. Milites enim funere in pyra collocato solemni ritu rogum ter ambire, & hoc modo affectum suum erga defunctum ostendere solebant. Virgilius lib. XI. *Æneid.*

Ter circum accensos cincti fulgentibus armis
Decurrere rogos, ter mœstum funeris ignem
Lustravere in equis, ululatusque ore dedere.

Imo interdum projectis armis, Lucanum audi *lib.* VIII. qui Pompejum ait non optare ambitiosas exsequias, nec

——— totus ut ignem
Projectis mœrens exercitus ambiat armis.

2. At quo ordine decursum? Sinistro ordine & versis insignibus, quod a Statio habeo,

A *——— versis ducunt insignibus ipsi*
Grajugenæ Reges: lustrantque ex more sinistro
Orbe rogum, & stantes inclinant pulvere flammas.

Cur orbe sinistro? Quia cursus in lævum luctus erat indicium. Deinde ut expiarent contagionem funeris in dextram decurrebant; quod non ignorans Papinius dixit *lib.* VI.

—— jubet dextero gyro & vibrantibus armis
Hac redeant.

B Id autem fiebat tuba sonante. Val. Flacc. lib. III. *Argon.*

Inde ter armatos Minyis referentibus orbes
Concussi tremuere rogi: ter inhorruit æther
Luctificum clangente tuba.

Unum aut alterum exemplum finem capitis illustrabit. Xiphilinus in Severi funere: *Post hæc corpus ejus militari more effertur a militibus, imponiturque in rogum hon statum militum & filiorum ipsius decursione.* Dio quoque in funere Augusti: *Postquam cadaver rogo impositum in Campo Martio fuit, primum omnes Pontifices id circumierunt,* C *deinde equites, tum Legionarii, reliquique milites, & demum qui custodiæ præfuerant.*

PETRI MORESTELLI,

TORNUSIENSIS, ARTIUM LIBERALIUM MAGISTRI, DOCTORIS THEOLOGI, ET SANCTI NICOLAI DE LA TAILLE RECTORIS,

POMPA FERALIS,

SIVE

JUSTA FUNEBRIA VETERUM.

LIBER OCTAVUS.

DE HIS QUÆ FIEBANT, CORPORE QUANTUM SATIS ERAT USTO.

CAP. I.

1. *Reliquiæ vino & lacte ante legem, post legem vero aqua respergi solitæ.* 2. *Spargendo manes advocabant.*

1. 
Cadavere soluto in cineres, flammaque quiescente, vino lacteque ante legem Numæ Regis perfundebantur reliquiæ, ut suavi cum odore extinguerentur: post legem vero, VINO ROGUM NE RESPERGITO, aqua respergebantur. Vinum ministrat Virgilius, lib. VI. *Æneid.*

D *Postquam collapsi cineres & flamma quievit,*
Relliquias vino ac bibulam lavere favillam.

Nomine reliquiarum intellige ossa, quæ non consumpserat flamma. Lac & vinum Tibullus, *lib.* III. *eleg.* II.

Et primum annoso spargant collecta lyæo,
Mox etiam niveo fundere lacte parent.

2. Spargendo Deos manes advocabant: Idem, *ibidem.*

E *Præfatæ ante meos manes, animamque precatæ,*
Perfusæque pias ante liquore manus.

CAP. II.

1. *Ossilegium quali veste fieret*. 2. *A quibus fieret*. 3. *Qui fieret*. 4. *Ossa irrigata lachrymis*. 5. *Ossa eventilata*.

1. VIno, lacte, sive aqua rigatis ossibus cineribusque colligebantur a matre, sorore, propinquis nigra veste, quod munus dicebatur *Ossilegium*: Tibullus, *lib.* III. *eleg.* II.

——— *Ossa*
Incinctæ nigra candida veste legant.

2. Idem matris hoc fuisse officium ostendit:

—— *non hic mihi mater*
Quæ legat in mœstos ossa perusta sinus.

Seneca de Alcmena matre Herculis:

—— *Sed quid hoc? mœstam intueor*
Sinu gerentem reliquias magni Herculis,
Crinemque jactans squalidum Alcmene gemit.

Proferam etiam locum Senecæ Philosophi, *de Consol. ad Helviam*: *Modo in eundem sinum ex quo tres nepotes emiseras, ossa trium nepotum recepisti*. Legebant ergo & in sinum collecta referebant matres. Nonne & patres? Innuit Seneca lib. II. *de Ira* cap. XXXIII. *Dignus fuit, cui permitteret a convivio ad ossa filii legenda discedere*. Parentum ossa si deerant parentes, filii legebant. Propertius *lib.* IV.

Ossaque legisti, non illa ætate legenda
Patris.

Vel eorum penuria alii hæredes, Martialis *lib.* VIII. *epigr.* LVII.

Ossaque defuncti licet olim non legat hæres,
Hoc sibi jam Pincens præstitit officium.

Vel alii propinquiores amicioresque, ut Patrocli Achilles Hectoris fratres & socii, *Iliad.* ψ'.

3. Principum & Imperatorum reliquias legebant Consules, vel majores ordines. *Augusti* enim *Imperatoris reliquias legerunt primores equestris ordinis*, teste Suet. qui id factum ait *pedibus nudis*: quod fuit reverentiæ indicium. Nam in plerisque religionis & superstitionis ritibus obeundis calceos ponebant.

4. Tandem ossa collecta lachrymis irrigabantur, de quo ritu Ovidius:

Et sepeli lachrymis perfusa fidelibus ossa.

5. Quo facto, linteo ventilabantur, ut exugeretur humor iste, quo sparsa erant.

CAP. III.

Quomodo dignosci potuerint cineres ac ossa eorum, quibus habitum honorem volebant, a reliqua favilla.

DIcat aliquis cum Natali Comite, *Cum colligerentur ossa & cineres mortuorum pyra exusta, non facile intelligere possum cur potius cadaveris quam lignorum essent illi cineres qui colligebantur, si corpus super pyra impositum cremaretur*. Sunt qui tunicas factas existimant e lino quodam Indico, quod exuri minime potuerit, atque iis operta cremandorum corpora, ut ita illorum favilla ac ossa a reliquis cineribus separarentur. Quem morem ab Indis & Ægyptiis servatum vult Alex. ab Alex. *lib.* III. *cap.* VII. *Fuit servatum apud Indos & Ægyptios Regum funebres tunicas, quo cineres cremati a reliqua favilla distincti jaceant, ex Licio quod igni non absumitur conficere, easque ad rogum defunctum corpus induere. Quippe in Carysto lapis nascebatur, qui velut lana intextus nullo igne adurebatur*. Casaubonus sentit cadaver cremandum sic in pyra fuisse collocatum, ut cineres & ossa separata manerent, neque aut ligni cineribus, aut animantium, quæ simul cremabantur, ossa commiscerentur, atque ita ex situ & collocatione cadaveris, facultatem fuisse discernendi cineres ac ossa: sed malo ego in eam opinionem venire ut credam fuisse lapideas arcas, in quibus inclusa urerentur.

CAP. IV.

1. *Honos habitus ossibus repertis*. 2. *Mortui in Divorum numero habebantur*. 3. *Animæ defunctorum Manes appellabantur*.

1. FIlii cum primum reperissent ossa parentis exusti, ei gratulabantur & tanquam Deum jam factum consalutabant.

2. 3. Et vero mortuos in Divorum numero habitos testatur lex XII. *Tab.* DEORUM MANIUM JURA SANCTA SUNTO. HOS LETHO DATOS, DIVOS HABENTO. Hoc enim nomine defunctorum animas appellabant. Idem docet solennis illa Inscriptio DIS MANIBUS, de quo plura suo loco.

CAP. V.

1. *Cineres & ossa condita in urnas*. 2. *Hæ pro cujuscumque facultatibus erant viles vel pretiosæ*. *Earumdem materia varia*.

1. CÆtero, habito honore Ossibus, ea una cum cineribus, vasculis quibusdam includebantur, quæ

Latini vocabant, { URNAS, OSSUARIA, CINERIA.

At qualia erant? { VILIA, vel PRETIOSA,

pro cujusque conditione & facultatibus. Nam

Alia erant aut { AUREA, ARGENTEA, ÆNEA, MARMOREA, FICTILIA.

Argenteæ urnæ meminit Amm. Marcell. *lib.* XIX. *Post incensum corpus, ossaque in argenteam urnam conjecta*, &c.

Aureæ Eutropius de Trajano Imperatore *lib.* VIII. *Solus omnium Imperat. intra urbem sepultus est, ossa ejus collocata in urna aurea in foro quod ædificavit sibi*.

Æneæ Virgilius, *lib.* VI. *Æneid.*

Ossaque lecta cado texit Corinæus abeno.

Marmoreæ Xiphilinus in *Severo*: *Ossa in urnam factam ex lapide porphyretico conjecta Romam perlata & in Antoniniano reposita sunt. Fertur Severus hanc urnam antequam decederet e vita jussisse ad se perferri, deinde contrectasse, atque ita dixisse. Tu virum capies, quem totus orbis terrarum non cepit*.

Denique fictilis meminit Propertius, *lib.* II. *eleg.* XII.

Deinde ubi suppositus cinerem me fecerit ardor,
Accipiat manes parvula testa meos.

CAP. VI.

1. Antequam discederet populus ter aqua lustrabatur, ramo lauri primis temporibus, posterioribus olivæ. 2. Carmen insusurrari solitum in lustratione.

1. OSsibus & Cineribus urna conditis antequam ab exequiis & a lugubri hoc officio discederet populus, a Sacerdote (ante Augusti quidem tempora) ramo lauri ter aqua lustrabatur expiationis causa, ut apud Juvenalem *Sat.* II.

—— lustrari si qua darentur
Sulphura cum tædis, & si foret humida laurus.

Id est, aqua perfusa & madens ad aspergendum & purgandum: Post Augustum vero ramo olivæ lustrabantur. Virgilius *Æneid.* VI.

Idem ter socios pura circumtulit unda,
Spargens rore levi & ramo felicis olivæ.

Circumtulit, hoc est, *lustravit*, vel *lustratione curavit*.

2. Qui enim id faciebant, certum carmen insusurrabant, & tæda, scilla, ovis, sulphure aliisque circumpurgabant. Itaque *Circumferre unda* apud Maronem, id est, *unda purgare*: quod confirmat Nonius, dum ait, *Circumferre*, *est lustrare*.

CAP. VII.

1. Discessuri salve & vale inclamabant. 2. Cur. 3. Hinc proverbium.

1. OMni munere absoluto supremum SALVE & VALE alta voce pronunciabant ii qui comitati funus erant, hoc modo, VALE, VALE, VALE, NOS TE ORDINE QUO NATURA PERMISERIT CUNCTI SEQUEMUR. Virgilius *Æneid.* III.

—— animamque sepulchro
Condimus & magna supremum voce ciemus.

Idem, *lib.* XI.

—— Salve æternum mihi maxime Palla
Æternumque vale.

Sic in veteribus quoque monumentis DULCIS AVE & VALE DOMINA. Catullus in Inferiis ad fratris tumulum,

—— frater ave atque vale:
Heu miser indigne frater adempte mihi.

Per *Ademptum* vero *vita defunctum* intelligunt Poetæ.

2. Servius ex Varrone: *Ideo mortuis Salve & Vale* dicitur, *non quod aut valere aut salvi esse possint, sed quod ab his recedimus eos nusquam visuri.*

3. Hæc verba in vulgi usu manserunt. Qui enim ab aliquo discedunt, & qui abalienari alicujus societate & amicitia significare se volunt, ii vulgo hæc verba usurpant, *Salutem tibi dico* & *Valere te jubeo:* ut etiam Cic. *ad Att. Valeant recta & honesta consilia:* Id est, sed jam abjecimus honesta consilia; sed jam nihil nobis & honestati.

CAP. VIII.

1. Ilicet dictum a Præfica. 2. Quid hac voce significetur. 3. Mos idem Græcorum & Christianorum.

1. 2. POst *Salve* & *Vale* dicta, Præfica verbum illud novissimum ILICET (quod est *ire licet*) alta voce pronunciabat. Sicque hac voce missum populum faciebat. Virg. *Æneid.* VI.

—— dixitque novissima verba.

Hac voce frequenter utitur Terentius, cum finem rei significare vult, ac proinde licere abire re omni perfecta. In Eunucho, *Actum est;* In Phormione, *Hoc nihil est*, *Ilicet*. Ubi Donatus ait *Ilicet* semper finem rei significare. Idem in Andriam enarrans eum locum. *Quid ego audio? actum est. In summa*, ait, *rerum desperatione ponitur Actum est*, *Ilicet*.

3. Græci cum sacris operati essent, missum populum faciebant, nec abeundi potestas prius cuiquam erat quam Sacrificulus pronunciasset λαοῖς ἄφεσις, id est, *populis missio*, quod Latini uno verbo *Ilicet* dicebant, quod est *Ire licet*. Unde & nunc sub sacri finem solet sacerdos dicere ITE MISSA EST, *Missam* ut videtur, pro *missione* accipiens: quo exemplo & Cyprianus remissam peccatorum, pro remissione scripsit. Videtur ergo a parte totum sacrificium *Missa* appellatum. Sed hæc sententia parum est probabilis, a recedendi facultate inditum nomen sacrificio, & Græci ipsi non ἄφεσιν, sed λειτουργίαν id appellant, quod nomen proprie id exprimit quod Hebraice *Missa* sonat. Est enim MUS apud Hebræos, unde MISSA formatur, Munus personale Tributi, censusque offerendi; & MISSA, ipsa oblatio, quæ Domino suo fit propter debitum personale. Credendum itaque est, priscos Christianos qui origine Judæi erant sua voce id sacrum appellasse, quam deinde Latini receperunt, sicut & PASCHA; nec enim ἀπὸ τοῦ πάσχειν est deductum, sed ab Hebræorum sermone quo *transitus* significatur, videlicet PESSAH sive PHASE. Quod ergo in fine sacri pronunciatur *Ite missa est*, perinde est ac si diceretur, *Ilicet*, *oblatum est*.

CAP. IX.

1. Terram levem precabantur, quietem & pacem, audito Ilicet. 2. Unde nata prior formula precandi. 3. Ut amicis terram levem, sic inimicis gravem precabantur.

1. ILicet a Præfica audito, tum omnes precabantur, ut cremato terra levis esset. Martialis hoc penitus expressit, *lib.* V. *epigr.* XXXV.

Mollia nec rigidus cespes tegat ossa, nec illi
Terra gravis fueris.

Et de Alcimo, *lib.* I. *epigr.* LXXXIX.

Alcime quem raptum Domino crescentibus annis
Labicana levi cespite velat humus.

Tibullus, *lib.* II. *eleg.* IV.

Et bene discedens dicet, placideque quiescas,
Terraque securæ sit super ossa levis.

Ovidius, *eleg.* VIII. lib. *Am.*

Ossa quieta precor, tuta requiescite in urna,
Et sit humus cineri non onerosa tuo.

Nota est etiam solemnis illa Inscriptionum formula prisca, HIC SITUS EST, SIT TIBI TERRA LEVIS: quæ plerumque literis hisce initialibus H. S. E. S. T. T. L. denotari solebant. Huc pertinent antiqua Epigrammata lapidibus incisa: ut illud in quodam lapide Romano:

OPTO SI QVA FIDES REMANET,
TELLVRIS AMICÆ,
SIT TIBI PERPETVO TERRA LEVIS
TVMVLO.

Habe & illud alterum,

NVNC VOS CONTESTOR MANES
QVIBVS OSSA RELINQVO,
TELLVS HVIC TVMVLO NE GRAVIS ESSE VELIS.

2. Hæc ergo fausta & solennis bene precandi mortuis formula Græcis, Latinisque usurpata, nataque ex eo quod putarent Veteres sepultos incantationibus obnoxios, piaque hac precatione illis ne incantarentur caveri. Quod si incantari contigisset, illis jam non levem amplius, sed gravem terram existimarunt. Disco hoc ex Quintiliani *declamatione decima* de sepulchro incantato. *Nunc*, inquit, *barbaro carmine gravem terram totis noctibus pulsat & impositum sepulchrum quod non possit evolvere quæ solebat ipsos discutere inferos miratur.*

3. Quemadmodum autem amicis & charis suis terram levem optabant: ita contra quibus male vellent iis terram gravem, ut bene notat Kirchmannus, imprecabantur, id est, ut sepulchrum illorum incantaretur, quo scilicet umbra pressa, e tumulo evocari non posset. Plin. lib. XI. *Natur. Hist.* cap. LXIII. *Cujus numen ultimum jam multis imprecamur irati grave tanquam nesciamus hanc esse solam quæ nunquam irascatur homini.* Tibullus, *lib.* I. *eleg.* IV.

Quisquis es infœlix urgeat ossa lapis.

Non dissimilem bene precandi formulam priori formulæ reperio, qua optabatur, ut BENE QUIESCERENT, aut MOLLITER JACERENT, in quo sensu Valer. Probus has notas H. R. I. P. interpretatur, *Hic requiescat in pace*. De hac formula Tibullus, *lib.* II. *eleg. ult.*

Sic bene sub tenera parva quiescat humo.

Inscriptio Prænestina, OSSA TIBI BENE QVIESCANT. Ovidius, lib. I. *Amor.* eleg. VIII.

—— sæpeque rogabis
Ut mea defunctæ molliter ossa cubent.

Idem, lib. III. *Trist.* eleg. III.

At tibi qui transis ne sit grave, quisquis amasti
Dicere: Nasonis molliter ossa cubent.

Virgilius, *Ecl. ult.*

—— o mihi tum quam molliter ossa quiescant.

Nec quietem tantum, sed & pacem mortuis optabant sensu fere eodem. Valentinianus Novella, *de sepulchris*, PAX SEPULTIS.

CAP. X.

1. Ignem supergradiebantur discedentes, & qua de causa: quod apud Græcos etiam usurpatum fuit. 2. Non omnes qui exequias venerant finem expectabant.

1. ITa precati silentio discedebant, qui tandiu expectarant, prius tamen per ignem transibant ad plenam, ut vocabant, suffitionem. Alexand. Neapolitanus lib. III. *Gen. dier.* cap. VII. *Quique funus prosecuti, quique comites fuerant, velut supremo sancti officio, ad proprios lares revertentes aqua aspersi, ignem supergradiebantur, hoc se piaculo ex funere expiari arbitrati, quod expiationis genus suffitionem dixere. Græci vero aqua lustrantur pura, eademque expurgantur, in qua torrem ex altari extinxissent prius.*

2. Dixi superius, *Qui tandiu expectarant*, quia non semper omnes qui exequias venerant, tandiu expectasse reperit Kirchmannus. Nam quosdam extra portam non processisse testatur Propertius, apud quem Cynthia de suo funere sic loquitur, *lib.* IV.

Si piguit portas ultra procedere, at illud
Jussisses, lectum lentius ire meum.

Imo Imperatores & illustres viri in funeribus suorum ad laudationem tantum, quæ fiebat in foro, videntur venisse, nec nisi rarissime interfuisse officio, cum efferrentur e Rostris ad bustum extra urbem: Alii autem rogo incenso conjectisque in eum muneribus & decursione peracta, relictis iis, quorum erat ossa legere, docente Dionys. *lib.* LVI. in funere Augusti: *Nonnulli diutius expectabant.*

CAP. XI.

1. Inferebantur sepulchro urnæ. 2. Antiquissimis temporibus condebantur multi fictilibus doliis cum thesauris.

1. TUm ossaria & urnæ sepulchro inferebantur, ibique in Arca, si Cassiodoro demus aures, sive in solio plerumque e marmore, quod etiam Sarcophagum dicebant, reponebantur. De his multa diligenter collegit Gregorius Fabricius Chemnicensis in *sua Roma*, quæ hic non pigebit efferre: *Faciendorum loculorum*, inquit, *& urnarum condendarum non admodum fuit diversa ratio, cum in urbe, tum in reliqua Italia, atque etiam in Græcia. Marlianus scribit antra concamerata fossionibus esse aperta in campo Esquilino, quædam unius testudinis, quædam duplicis concamerationis, ita ut ex superiore in inferiorem descenderetur. Pavimenta interdum tessellata, interdum vermiculata: in parietibus circumcirca loculos extitisse, singulos cum binis urnis: Alia quoque fuisse antra plurium parietum modico intervallo distantium, in quibus totidem urnas fuisse contiguas, & exiguo spatio rursus alias, bisque alias impositas, has pauperum, illas divitum fuisse opinatur. Nos in agro viæ Appiæ in profundum sub terram fornicem descendimus plenum loculorum inter se dispositorum: ex ruina autem parietum vere cognosci ordo loculorum non potuit. Inter Puteolos & Atellam ad utraque viæ silicibus stratæ latera, plurima sepulchrorum lustravimus monumenta, quorum ædificia partim quadrata sunt, partim rotunda. Inter cætera pulcherrimum est, quod arcum cellæ nominant, parietes ejus tetragoni cum laqueari vermiculato: in cujus medio Centauri imago puerum vehentis. Loculi ultra sexaginta, medii ampli fortasse patronorum, laterales*

contracti libertorum, libertarumque. In loculis urnæ singulæ pluresve dispositæ fuerunt, clausæ exterius tabellis marmoreis, in quibus nomina depositorum de more fuerunt adscripta. Testatur Ciriacus Anconitanus (cujus scriptas quasdam chartas evolvimus) se patris in Achaia ad ædem S. Andreæ antrum subterraneum ex integro solidoque lapide vidisse miro artificio celebratum, in quod per gradus sedecim descensus fuerit, quodque sub una testudine ad tetragonos parietes habuerit loculos quatuordecim, in quibus singulis binæ aut ternæ funerales fuerint locatæ.

2. Fictilibus doliis condi multos maluisse, memorat Plin. *lib.* XXXV. *cap.* XII. Solebant etiam interdum, sed antiquissimis temporibus, condi cum cinere & ossibus ad inanem scilicet ostentationem thesauri.

CAP. XII.

De sepulchrorum ornamentis.

DE his hæc habet Fabricius *loco cit. In sepulchris quæ hinc inde per urbem in multis locis occurrunt, varia rerum simulachra sunt exsculpta: Ludorum curulium quale est ante SS Cosmam & Damianum in foro Romano & in S. Joanne Laterano, in quo etiam nocentes objiciuntur bestiis, ut in alio quodam ante S. Mariam in via lata. Equestrium certaminum ut in S. Maria in ara Cœli, montis Capitolini. Pugnarum, ut in S Gregorio montis Cœlii. Venationum, ut in S. Laurentio in Lucina, campi Martii. Triumphorum, ut ante S. Laurentium in Panisperna montis Viminalis. Sarificiorum, ut in S. Maria de Strada inter Octavii porticum & Capitolium, & in S. Laurentio extra Esquilinam: Deorum ludentium, ut Apollinis canentis & Narcissi jaculantis discum in domo Augustini Maphæi. Satyrorum puellæ dormienti insultantium, in horto S. Marci: Amorum equitantium, in domo Columnensium. Deorum Marinorum in piscium caudas desinentium, & vehementium in eis Nymphas tribus in locis, in S. Joanne Paulo in Cœlio, in hortis S. Sabinæ montis Aventini, ante S. Cosmam in regione Harenulæ. Plutonis Proserpinam rapientis in S. Sylvestro prope arcum Domitiani, & ante S. Mariam Cosmedin, prope Velabrion. Ventorum quatuor simulachra in sepulchro domus Cæsiæ. Laborum Herculis in Domo Sabellorum supra Marcelli theatrum. Servilium suppliciorum, in quibus alii pede utroque suspenduntur, aliis cultro secatur collum, aliis brachium saxo impositum alio saxo frangitur in S. Maria in ara Cœli, & ante ædem S. Stephani de Cacabo in regione Pineæ. In quibusdam sepulchris exsculpta sunt ædificia, partim januis apertis, quibus dicunt animæ æternitatem significari, cujusmodi est in palatio Capitolino Triumvirum: partim clausis, qua interitus ejus una cum corpore notatur. Tale in domo civis cujusdam regionis Transtiberinæ cernitur e regione pontis Fabricii. Hæc e multis retulisse satis sit, quæ non ita accipi volo, quasi unius rei tantum effigies expressa sit: sed alia multa, quæ oratione depingi in hac brevitate nequeunt spectaculi gratia addita sunt: quod ut intelligatur duobus exemplis declarabo. In sepulchro sacrificantium in S. Maria de Strada, Mulier in bigis, quæ a Rhinocerotibus trahuntur, vehitur: ipsis animalibus duo juvenes insident, & animalia a Faunis naso ducuntur. Præcedit Tuscus fidicen, & viri nudi ac mulierculæ, donec ad aram perveniatur, cui fidicen canens astat, & inter cætera ludicra faunus cornibus cum hirco concurrit. Item in altero apud S. Sylvestrum, Pluto quadrigis vectus raptam Proserpinam amplexu tenet exanimi similem, supra quam volitat alatus Cupido, currum præcedit Mercurius alato pileo & caduceo. In altera parte Ceres bigis invehitur tractis a serpentibus pinea tæda, quam sinistra gestat, investigans amissam filiam. Inter hæc ab utraque parte Comites Proserpinæ flores collectos gestant, veste ultra pubem sublata. A lateribus Hercules est exuvio indutus, dextra tenens clavam, sinistra anum quandam invadens, cui verbera minitatur.* Addo quod sepulchra ipsa ornabantur statuis, pyramidibus & columnis, quod postremum erat nobilissimum. Sed jam revertor ad Cerimonias.

CAP. XIII.

1. Tituli sepulchro additi, in quibus nomen defuncti cum Epigrammate inscribebatur duplici formula. 2. Præter nomen parentes, patria, familiæ, res gestæ, spatium vitæ, matrimonium, pudicitia, causa mortis, testamenta & legata. 3. Præterea insculpebantur instrumenta artis, vel affigebantur 4. *Origo a Græcis.* 5. *Imagines ac columnæ erectæ.*

1. URnis in sepulchro repositis indicem ac titulum sepulchro addebant D. M. S. id est, *Diis Manibus sacrum*. Addebant & nomen sepulti, quod in omnibus antiquorum Inscriptionibus legitur sæpe cum dicto venusto & Epigrammate, cujus exempla non pono, cum hodie magna tumulorum & Inscriptionum Epigrammatumque copia voluminaque prostent. Communis formula erat, H. S. E. id est, HIC SITUS EST: vel HIC JACET. Prior formula legitur apud Ovid. HIC SITUS EST PHAETON. & Tibul. *lib.* III. *eleg.* II. LYGDAMUS HIC SITUS EST. Luciliumque,

> *Servus neque infidus Domino, nec inutilis cuiquam*
> *Lucilii Columella* HIC SITUS EST.

Posterior in Tibullo, *lib.* I. *eleg.* III.

> HIC JACET *immiti consumptus morte* TIBULLUS.

Et in Martiale, *lib.* VI. *epigr.* LII.

> HOC JACET *in Tumulo raptus puerilibus annis,*
> *Pantagathus Domini cura dolorque sui.*

2. Nec tantum nomen, sed & Parentes, patria & familia solebant interdum adscribi: solebant & res gestæ plerumque quibus præclarum nomen sibi pepererant. Sic Augustum Cæsarem res suas gestas columnis æneis ad sepulchrum suum collocatis insculpi jussisse autor est Dio *lib.* LV. Plutarch. de Sylla, *Monumentum Syllæ in campo Martio est. Inscriptionem ab ipso ferunt conceptam & relictam, cujus hoc caput est, se neque ab ullo amicorum beneficiis, neque ab ullo inimico maleficiis superatum fuisse.* Celebre etiam fuit spatium vitæ eorum qui sepultura afficiebantur exiliter ad calculos revocare, & quot annos, menses, dies, ac horas vixissent sepulchro inscribere, ut ex innumeris monumentorum Inscriptionibus quæ habet Kirchmannus intelligere est. Ex multis una sufficiet:

> VALERIA THROPHIMA FILIO DVLCISSIMO ET PIENTISSIMO ET FRVGALISSIMO ET FRVGATISSIMO. VIXIT ANNIS XXXIX. MENS. IX. DIEBVS XVI. HORIS VII.

Nec vero Matrimonium omittebant, si præsertim fuisset placidum & tranquillum: quo pertinent frequentes istæ clausulæ, SINE QUERELA: SINE OFFENSA: SINE DISCORDIA, & similes quæ passim occurrunt.

Romæ ad montem Jordanum:

D. M.
D. JVNIO PRIMIGENIO,
QVI VIX. ANN. XXXV.
JVNIA PALLAS FECIT.
CONJVGI CARISSIMO
ET PIENTISSIMO
DE SE BENEMERENTI.
CVM QVO VIXIT ANNOS
XV. MENSES VI.
DVLCITER SINE QVERELA.

Invenio præter hæc pudicitiæ mentionem apud Mart. in Epitaphio nobilis matronæ, *lib.* x. *epigr.* LXIII.

Contigit & thalami mihi gloria rara, fuitque
Una pudicitiæ mentula nota meæ.

Mortis causa sæpe afferebatur, unde Ovidius *lib.* III. *Trist.* eleg. III.

Hic ego qui jaceo tenerorum lusor amorum,
Ingenio pereo Naso Poeta meo.

Sic Nursini etiam Mutinensi acie interemptorum Civium tumulo publice extructo adscripserant PRO LIBERTATE EOS PVBLICE OCCVBVISSE, ut ait Suet. in *Augusto.* Non est silentio involvendum quod interdum testamenta sepulchris suis inscribi voluerunt, quemadmodum & legata sub conditionibus. Denique ita crebræ & frequentes erant apud Romanos hæ monumentorum inscriptiones, ut etiam puerorum & servorum viliumque capitum sepulchra titulis exornarentur, quod ex innumeris lapidibus videre est. Hujusmodi vero tituli nonnunquam soluta oratione concipiebantur, nonnunquam vero versibus.

Huic ambitioni circa Cipporum titulos ut Plato obviam iret in sua Repub. legem hanc tulit. *Ne cui liceret tumulo cujusquam longiorem quatuor versibus heroicis titulum inscribere.*

3. Præter inscriptiones mos erat insculpere tumulis instrumenta ejus artis quam vivus ille exercuisset, notavit Virgilius *lib.* VI. *Æneid.*

At pius Æneas ingenti mole sepulchrum
Imponit, suaque arma viro, remumque tubamque.

Nec solum insculpere, sed & sepulchris affigere; unde Seneca *lib.* IV. *Contr.* IV. *Bellum cum esset in Civitate, vir fortis in acie amissis armis, de sepulchro viri fortis arma sustulit, fortiter pugnavit & reposuit; præmio accepto accusatur sepulchri violati.* Suisne armis tantum sepulchra sua ornabant? Etiam exuviis hostium.

4. Hunc autem morem a Græcis Romanos traxisse, non temere mihi persuadeo, cum etiam monumenta sua diversis Emblematibus & signis quæ sæpissime studia defuncti denotabant quæ vivus exercuerat. Quare Cicero *Tusc.* v. in Archimedis Mathematici sepulchro positam fuisse Sphæram cum Cylindro narrat: *Ego autem cum omnia collustrarem oculis, animadverti columellam non multum e dumis eminentem, in qua inerat Sphæræ figura & Cylindri.* In Diogenis Cynici insculptum canem testatur Laertius *lib.* VI. Plutarchus vero Metellum nepotem Philagri Præceptoris sui sepulchro lapideum apposuisse corvum, quod videns Cicero, in eum sic jocatus est, *Hoc*, inquit, *sapienter a te factum, volare magis te docuit quam dicere.*

5. Præter dicta, Romani quoque domi & in loco celebri defuncti imagines in memoriam posteritatis plerumque cereas aut marmoreas vel æneas: columnas quoque cum trophæis & titulis ac magnificentissimis decretis publico consilio erigi curarunt levandi desiderii causa.

CAP. XIV.

Sepulchra sparsa floribus, idque sæpe ex testamento jussum.

MAnibus est imis Rosa grata, & grata sepulchris.

Quorsum non tibi calame? Omissis Emblematibus, imo armis, ad flores veni, quibus mos etiam antiquus tumulos aspergebat. Unde Cic. *pro Plancio*: *Sepulchrum L. Catilinæ floribus ornatum, hominum audacissimorum ac domesticorum conventu, epulisque celebratum est.* Et Capitolinus in *Vita M. Aurelii*: *Tantum honoris Magistris suis detulit, ut imagines eorum aureas in larario haberet, & sepulchra eorum additis hostiis & floribus semper ornaret.* Sueton. in *Nerone*, cap. LVII. *Non defuerunt qui per longum tempus vernis æstivisque floribus tumulum ejus ornarent.* Juvenalis, *sat.* VIII.

Dii majorum umbris tenuem & sine pondere terram
Spirantesque crocos, & in urna perpetuum ver.

Tibullus, *lib.* II. *eleg.* IV.

Atque aliquis senior veteres veneratus amores
Annua constructo serta dabat tumulo.

En Epitaphium Eutichetis aurigæ:

Sparge precor flores supra mea busta viator:
Favisti vivo forsitan ipse mihi.

Virgilius, *lib.* VI. *Æneid.*

Tu Marcellus eris. Manibus date lilia plenis.
Purpureos spargam flores, animamque nepotis
His saltem accumulem donis.

Non debent silentio præteriri antiquæ Majorum Inscriptiones, quæ defunctorum urnas rosis spargi, ornarique jubent ex testamento, qualis est Ravennæ in lapide ita inscripto:

OB MEMORIAM PATRIS SVI DEC. VII. COLLEGII FABR. M. R. S. ϖ. N. LIBERALITATE DONAVIT SVB HAC CONDITIONE VT QVOTANNIS ROSAS AD MONIMENTVM EJVS DEFERANT, ET IBI EPVLENTVR DVNTAXAT IN V. ID. JVLIAS QVOD SI NEGLEXERINT, TVNC AD VIII. EJVSDEM COLLEGII PERTINERE DEBEBIT CONDITIONE SVPRADICTA.

CAP. XV.

1. Præcipui flores qui spargebantur sepulchris apud Romanos & Græcos. 2. Hunc morem abborruerunt Christiani antiquissimi, quem deinde amplexi recentiores.

1. LIcet hæc satis capias, clarior tamen fax tibi accendenda, quod fiet si flores qui principatum obtinuerunt in sepulchris, recenseam.

Hi sunt { Purpurei, Lilia, Rosæ, Myrtus.

Meminit purpureorum Virgilius, *lib.* v. *Æneid.*

Purpureosque jacit flores, ac talia fatur.

Rosarum & Myrti multa Epitaphia. Liliorum Maro, *lib.* VI.

—— *Manibus date lilia plenis.*

Apud Græcos vero Sepulchra

Ornabantur { Amarantho, Potho, Apio, Myrto } auctore { Philostr. in *Her.* Theophr. *lib.* VI. Plutarcho. Euripide, in *Elect.*

2. Hunc Gentilium ritum coronis ac floribus spargendi sepulchra prisci Christiani penitus abhorruerunt, quod inter crimina Christianis objecta a Cæcilio relatum, teste Minucio Felice in *Octavio*. A qua tamen simplicitate postea Christianos recessisse ac variis floribus mortuorum tumulos sparsisse videre est in D. Hieronymo *ad Pammachium: Cæteri mariti super tumulos conjugum spargunt violas, rosas, lilia, purpureosque flores & dolorem pectoris his officiis consolantur.* Ex Prudentio, *Hymno in exseq. defunct.*

Nos tecta fovebimus ossa
Violis & fronde frequenti,
Titulumque, & frigida saxa,
Liquido spargemus odore.

CAP. XVI.

1. *Convivium Domi apparatum.* 2. *Silicernium quid & unde.* 3. *Suspensæ lucernæ olim in sepulchris.*

1. 2. PEractis ad sepulchrum Justis Convivium Domi apparabatur, ad quod amici atque cognati convocabantur. Senibus enim cœna funebris exhiberi solebat, quæ vocabatur *Silicernium*, sic dictum quod cum silentio edentes cernerentur, vel quod cogitarent se mox illum secuturos. Quapropter abeuntes a convivio, veluti se amplius non visuri mutuo se salutabant. Varro: *Antiquo more Silicernium confecimus, id est, Convivium, in quo pransi discedentes dicimus alii alii Vale.* Hinc lucem capit Terentius qui senem *Silicernium* vocat, id est, dignum cui *Silicernium* fiat, vel qui ad *Silicernium* vocetur. Et hæc prima nominis origo, quam si recte sentias ultro amplecteris. Quod enim quidam capiunt *Silicernium* quasi *Seleucernium*, id est, sine lucerna (ut Scaliger, *quia*, inquit, *lucernæ in sepulchris non accendebantur*) non probo, cum certum sit semper fuisse suspensas lucernas.

3. Petronius arbiter de Matrona Ephesina, quæ positum in Hypogæo virum afflicta custodiebat, sic ait: *Assidebat ægre fidissima Ancilla simulque & lacrumas commodabat lugenti, & quoties defecerat in monumento lumen renovabat.* Modestinus ex testamento Mæviæ *lib.* 44. *Mævia. D. de manumiss. testam. Saccus servus meus, & Eutychia & Hiene ancillæ meæ omnes sub hac conditione liberi sunto, ut monumento meo alternis mensibus lucernam accendant & solemnia mortis peragant.* Leone Pontifice a Normannis capto Pallantis Romæ corpus insanæ magnitudinis inventum adhuc incorruptum, cujus hiantia quoque vulnera cernere erat. Præterea lucerna ad caput ardens, quæ neque vento, neque aqua vel quovis alio liquore extingui poterat, verum subacto stylo, mox illo foramine ingruente aere, lumen evanuit. Tale huic Epitaphium fuisse fabulantur, FILIVS EVANDRI PALLAS, QVEM LANCEA TVRNI MILITIS OCCIDIT, MOLE SVA JACET HIC. Bonfinius hæc refert *lib.* II. *dec.* II. Apud Christianos quoque ad defunctorum inprimis Martyrum & Sanctorum sepulchra cerei accenduntur: Et hæc pro secunda Etymologia.

CAP. XVII.

1. *Epulum populo datum, ac Visceratio quoque.* 2. *Mortui laudes in Convivio celebratæ, cum apud Romanos, tum Athenienses.* 3. *Hæ ferales cœnæ apud Græcos & Judæos habitæ.*

1. PRæter *Silicernium* populo interdum Epulum a defuncti hæredibus dabatur, aut cruda caro distribuebatur, quod Visceratio dictum. De epulo Dionis illud *lib.* XXXVII. *Sub idem tempus Faustus Syllæ in honorem patris sui populum lauto Convivio excepit.* Sic C. Jul. Cæsar in filiæ suæ memoriam teste Suetonio in *ejus Vita*, cap. XXVI. *Munus populo epulumque pronunciavit in filiæ memoriam, quod ante eum nemo* De Visceratione Livius *lib.* VIII. *Populo Visceratio data est a M. Flavio in funere matris.* Cicero *Offi.* II. *Prodigi qui epulis & viscerationibus pecunias profundunt.* Iterum Livius *lib.* XLI. de T. Flamin. *Mortis causa patris sui cum visceratione & ludis scenicis dedit quatriduum.* Nolim autem intelligas in Visceratione data tantum fuisse intestina, sed & carnem multorum animalium: Nam ut ait Servius in *lib.* I. & VII. *Æneid. Viscera dicimus non tantum intestina, sed quicquid sub corio est.* Sæpe etiam hæ Viscerationes epulis erant adjunctæ, auctore *de viris illustribus* dicente, *Mortuo huic* (Q. Fab. Rutilano) *tantum æris populi liberalitate congestum, ut inde filius Viscerationem & Epulas publice daret.*

2. Venit mihi in mentem Ciceronis II. *de Leg.* qui in Conviviis laudes mortui fuisse celebratas ait: *Sequebantur epulæ, quas inirent propinqui coronati; apud quas de mortui laude, cum quid verum erat, prædicatum. Nam mentiri nefas habebatur.*

Id olim prisci Athenienses observaverant, sed eorum posteri ab hac virtute adeo degenerarunt, ut etiam improbos in funebri Convivio laudibus ornaverint: vulgare eorum proverbium satis superque planum facit, *Ne in funebri quidem cœna laudaberis*, in hominem improbum & ne mica quidem laudis dignum.

3. Nec vero apud Romanos solum, sed etiam alios populos funerales hujusmodi cœnæ celebrabantur: Nam pro Judæis autor est Joseph. *lib.* II. *de Bello Jud.* Archelaum Herodis F. septem dies patris sui mortem Hierosolymis luxisse, & funebre Epulum populo exhibuisse. Id quoque apud Græcos usitatum fuisse fatetur Homerus *Iliad.* φ. & ω. in funere Patrocli & Hectoris. Et Apollonius Idmonis funebrem cœnam eamque splendidam tertio post ejus obitum die celebratam asserit.

CAP. XVIII.

1. Denicales. 2. Exuerræ quæ, & unde dictæ; Everriator, & hujus munus.

1. Denicales inde feriæ celebrabantur, cum hominis mortui causa familia purgabatur.
2. Erant etiam *Exuerræ* purgatio quædam domus, ex qua mortuus ad sepulturam ferebatur, quæ fiebat per Everriatorem certo genere scoparum adhibito, ab extra verrendo dictæ, autore Pomp. Festo.

CAP. XIX.

1. Ludi funebres. 2. Ad hos intromitti matronas nefas duxerunt Veteres. 3. In his designatores, unde dicti, & quo signo internoscerentur. 4. *Horum ludorum origo.*

1. 2. Denicalibus & Exuerris peractis dabantur ludi apparatissimi, in quibus plerumque multa dimicabant paria gladiatorum; unde Alex. Neap. *lib.* IV. cap. VIII. *Eos ludos apparatu magnifico continuis novem diebus in bisque gladiatorum paria qui venalem sanguinem habebant, Romani exhibuere, ad quos intromitti matronas nefas habitum. Idque adeo usu & moribus interdictum fuit, ut P. Sempronius uxori quod ludis funebribus interfuisset, repudium dederit.*
3. In his autem observavi quosdam fuisse *Designatores*, qui ordinem processuris, aut sessuris locum designabant pro conditione cujusque & in ordinem redigebant: Donatus *Adelph.* Act. V. Sc. II. *Designatores dicti qui ludis funebribus præsunt, credo ob eam causam quod ipsis ludis multa fiant nova & spectanda: simul etiam turba retineatur.* At qui internoscebatur Designator in ludis funebribus? Signo virgæ.
4. Tandem horum ludorum origo ad Græcos A mihi videtur referenda, quos clarorum funera ludis & certaminibus celebrasse, satis superque clarum iis qui primoribus labris literas gustarunt. Eorum autores facit Plinius Acastum & Thesea *lib.* VII. cap. LVI. *Ludos Gymnicos in Arcadia Lycaon instituit: funebres Acastus in Iolco: post eum Theseus in Isthmo.* Ad quam consuetudinem respexit Anaxagoras Philosophus, ex quo jamjam morituro cum quæreretur, ecquid fieri mandaret? *Jubeo, inquit, ut pueris hoc mense quotannis ludendi potestas concedatur.* Quem ritum suo etiam tempore durasse scribit Diogenes Laertius *lib.* II. in *Anaxagora.* B

CAP. XX.

Dies in parentationibus antiquitus observari soliti.

Cæterum cum nonnulli essent qui suorum vel propinquorum, vel amicorum minus desiderium ferre possent,

Statuebant dies { Tertium, Septimum, Nonum, Vicesimum, Trigesimum, Quadragesimum. } C

Non sine quadam numerorum religione: Unde

Originem traxerunt { Novendialia, Decennalia, Vicennalia, Tricennalia. }

D Quæ omnia tum lacte, & vino, tum sertis & floribus, tum aliis rebus celebrabantur, ut docebimus Lib. sequenti.



PETRI MORESTELLI,

TORNUSIENSIS, ARTIUM LIBERALIUM MAGISTRI, DOCTORIS THEOLOGI, ET SANCTI NICOLAI DE LA TAILLE RECTORIS,

POMPA FERALIS,

SIVE


JUSTA FUNEBRIA VETERUM.

LIBER NONUS.

DE ANNIVERSARIIS.

CAP. I.

1. *In foveas effundebatur sanguis, vinum, lac, mulsum, aqua, multaque alia.* 2. *Hunc ritum reprehendit Divus Augustinus.* 3. *Quomodo apud Veteres advocabantur animæ.* 4. *Effusa unguenta in sepulcbris.*

1. UM *Anniversariæ* fiebant *exequiæ*, (fiebant autem singulis annis statuto tempore) nigræ oves mactabantur, & sanguis earum in crateres collectus cum precibus in effossas foveas effundebatur, animæque vocabantur ad bibendum, ut significavit Euripides in *Hecuba*:

Has mortuorum inferias meas cape
Mulcimen, adsis ut bibas hunc sanguinem
Castæ puellæ, quem tibi donavimus.

Sic Homerus *lib.* III. *Odyss*

Ast ibi ego mansi, genitrix donec mea venit,
Sanguinem & illa bibit atrum.

Neque vero sanguinem solum, sed vinum etiam in terram effundebant, ut est in *Iliad* XXIII.

Ad terram fudit vinum terramque rigavit,
Patroclique animam suprema voce vocavit.

Ad hæc referenda vetus Inscriptio:

IN HOC MONVMENTO ITVS, ADITVS, AMBITVS LIBERTIS LIBERTABVSQVE MEIS OMNIBVS PATEAT. THVS ET VINVM DATO AD SACRIFICIA FACIENDA QVOTIESCVNQVE OPVS ERIT.

His etiam fuit mos lac addere, ut patet in his Virgilii, *lib.* V. *Æneid.*

Ille e consilio multis cum millibus ibat
Ad tumulum, magna medius stipante caterva.
Hic duo rite mero libans carchesia Baccho
Fundit humi, duo lacte novo, duo sanguine sacro.

A Et *Æneid.* III.

Inferimus tepido spumantia cymbia lacte,
Sanguinis & sacri pateras.

Ubi Servius: *Ideo lactis & sanguinis mentio facta est, quia affirmantur animæ lacte & sanguine delectari.*

Mulsum præterea & aqua & molæ supra vinum & sanguinem in foveam jaciebantur, ut ait Homerus *lib.* II. *Odyss.*

B *Sacra simul ducunt Perimedes Eurylochusque.*
Ast ipse eripui vagina protinus ensem:
Effodi foveam, quæ descendebat in ulnam,
Inferias in quam cunctis effudimus umbris.
Ac primum mulsum plena hinc carchesia Bacchi,
Rursus aquam nivea texique deinde farina.

Omnino vero & res aliæ complures in foveam jaciebantur, & quod putabatur superfuisse mortuis, sive quæ res e fovea non evanuisset post absolutas exequiarum ceremonias, non longo temporis intervallo urebantur, ut significavit Lucianus in C *Charonte*: *Foveam quamdam excavantes magnificas istas cœnas urunt, & in foveas vinum & mulsum, ut mihi quidem videntur, infundunt.*

2. Tangit hunc ritum August. & reprehendit, *Serm.* XV. *de Sanctis*: *Miror cur apud quosdam infideles hodie tam perniciosus error increverit, ut super tumulos defunctorum cibos & vina conferant, quasi egressæ de corporibus animæ carnales cibos requirant. Epula enim & refectiones caro tantum requirit: Spiritus autem & anima iis non indigent.*

3. Ubi animas advocarent supra tumulum ascendebant, atque inde ter animas altissima voce vocabant ipsorum mortuorum. Quod si vocatæ ad has D exequias non accederent inter mortuos illi non numerabantur.

4. Pene præterieram unguenta, quæ sepulchris etiam effusa in Parentationibus, de quibus Propertius *lib.* III. *Eleg.*

Afferet huc unguenta mibi.

CAP. II.

1. *Convivia super tumulos fieri solita.* 2. *Hic ritus a Christianis frequentatus & abrogatus a Sanctis Patribus.*

I. NON prætermittenda Convivia, quibus parentatum mortuis super eorum tumulos, unde Cic. pro *Plancio*: *Sepulchrum L. Catilinæ floribus ornatum, hominum audacissimorum & domesticorum hostium conventu epulisque celebratum est.* Idipsum constat ex veteri Inscriptione Romana:

P. CORNELIA ANNIA NE INDESOLATA ORBITATE SVPERVIVERET MISERA VIVAM ME VLTRO IN HANC ARAM CVM VIRO CVM QVO VIXI ANN. XX. SINE VLLA QVERELA DO LIB. LIBERTABVSQVE NO. VT. QVOTAN. SVPER ARAM NO. PLVTONI ET VXORI PROSERPINÆ OMNIBVSQVE SACRIFICENT. ROSISQVE EXORNENT. DE RELIQVO IBI EPVLENTVR.

Quibus cibis? Omnis generis leguminibus, teste Plutarcho in *Proba*, sed

Speciatim { Fabis, Apio, Lactucis, } { Lentibus, Sale, Libo, } { Ovis, Carnibus, Pulticulis,

Suppeditat *Fabas* Festus: *Fabam nec tangere, nec nominare Diali Flamini licet, quod ea putatur ad mortuos pertinere. Nam parentalibus adhibetur sacrificiis.*

Plinius *Apium*, *lib.* XX. c. I. *Chrysippus & Dionysius dicunt neutrum Apium ad cibos admittendum: imo omnino nefas. Nam id defunctorum epulis dicatum esse.*

Athenæus *Lactucam*, *l.* II. *Deipnosoph. In eo quidem olere prædicant Adonim mortuum a Venere sepultum fuisse. Itaque mortuorum edulium est.*

Ova Juvenalis: *Lentem* & *Salem* Plutarch. in *Crasso*: *Libum* vero Appianus: *Carnem* Arnobius & *pulticulam*, *lib.* VII. *adverf. Gentes.*

2. Hunc ritum epulandi super tumulos defunctorum a veteribus Christianis frequentatum, atque adeo pravis moribus subinde succrescentibus eo intemperantiæ ventum esse indicant SS. Patres, ut plerique in sepulchris ad ebrietatem usque epularentur, quare ut eum abrogarent plurimum laborarunt. Ex multis tamen unum audi August. *de mor. Eccles. Cath.* c. XXXIV. dicentem, *Nolite consectari turbas imperitorum qui in ipsa vera religione superstitiosi sunt. Novi multos esse sepulchrorum & picturarum adoratores; novi multos qui cum luxuriosissime super mortuos bibunt, & epulas cadaveribus exhibentes super sepulchra seipsos sepeliunt.*

CAP. III.

1. *Vestitus accumbentium qualis fuerit in feralibus Cœnis.* 2. *Atro die parentare mortuis nefas.* 3. *Dies atri qui.*

I. AT qualis vestitus accumbentium in feralibus Cœnis? Albus, sicut & in aliis conviviis; nefas enim ducebant atratum ad epulas hasce accedere. Id nos docet Ciceronis invectiva *in Vatinium*, cui tanquam scelus quoddam objicit, quod in funebri convivio pullatus cœnaverit. *Atque illud etiam scire cupio, quo consilio, aut qua mente feceris, ut in epulo Cn. Arii familiaris mei cum toga pulla accumberes: quem unquam videris, quem audiveris, quo exemplo, quo more feceris? Dices supplicationes te illas non putasse: Optime, nullæ fuerint supplicationes*, &c. *Quis unquam cœnavit atratus?* Et paulo post. *Quis unquam in luctu domestico, quis in funere familiari cœnavit cum toga pulla?* &c.

2. Id tandem notandum atro die mortuis parentare nefas fuisse habitum. Macrob. *l.*I.*Satur.* c.XVI. *Sed & Fabius Maxim. Servilian. Pont. in lib.*II. *negat oportere atro die parentare: Quia tunc Janum Jovemque præfari necesse est, quos nominare atro die non oportet.*

3. Erant autem atri dies (ut docuimus in nostro *Philomuso l.* V. dial. XX. toto) quibus Romani aliquam cladem acceperant, cujusmodi fuit dies quo Jul. Cæsar fuit interfectus.

CAP. IV.

1. *Anniversariæ exsequiæ non privatæ solum, sed etiam publicæ.* 2. *Mensis & dies publicarum.* 3. *Harum autor.*

I. NOlim putes Justa anniversaria fuisse tantum privata, sed etiam publica stato quodam mense, dieque, quemadmodum & apud Christianos.

2. Erat autem solemnis ac status Justorum anniversariorum apud Romanos mensis Februarius: dies autem ejusdem mensis decimus nonus, hoc est, XI. Kal. Martii, ut videre est cum ex veteri Kalendario Romano, & ex Cicerone *Leg.* II. *Februario autem mense, qui tunc extremus anni mensis erat, mortuis parentare voluerunt*, ut ostendimus in *nostro Philomuso l.* I. dial. III.

3. Horum vero feralium originem Ovid. ab Ænea deducit, cujus versus notatu digni, quod multa de Justis Anniversariis habeant: sic ille *lib.* II. *Fast.*

Est honor & tumulis animas placare paternas,
Parvaque in extructas munera ferre pyras.
Parva petunt Manes, pietas pro divite grata est
Munere: non avidos Styx habet ima Deos.
Tegula porrectis satis est velata coronis,
Et sparsæ fruges, parvaque mica salis.
Inque mero mollita Ceres, violæque solutæ,
Hæc habeat media testa relicta via.
Nec majora veto: sed & his placabilis umbra est.
Adde preces, positis & sua verba focis.
Hunc morem Æneas pietatis idoneus auctor,
Attulit in terras juste Latine tuas.
Ille patris genio solemnia dona ferebat:
Hinc populi ritus edidicere pios.
At quondam, dum longa gerunt pugnacibus armis
Bella, parentales deseruere dies.
Non impune fuit: nam dicitur omine ab isto
Roma suburbanis incaluisse rogis.

Vix equidem credo, bustis exisse feruntur,
Et tacite questi tempore noctis avi.
Perque vias urbis, latosque ululasse per agros
Deformes animas vulgus inane ferunt.
Postea præteriti tumulis redduntur honores,
Prodigiisque venit, funeribusque modus.

CAP. V.

1. *Tempus luctus Antiquorum privati.* 2. *Nemini nubere poterant mulieres ante legitimum tempus sine facultate.* 3. *Pœnæ si nupsissent.* 4. *Tempus luctus auctum.* 5. *Causæ luctus tres.* 6. *Tempus in aliis lugendis.*

1. Superest ut quandiu apud Veteres lugeri solerent mortui explicemus. Constat autem ex Veterum monumentis, tum ex Plutarcho in *Numa*, menses decem viros ab uxoribus viduis lugeri consuevisse: *Numa longissimum luctus tempus statuit esse mensium decem: quamdiu & mortuorum uxores viduitatem servant.* Ovidius de Anno Romuli decem mensium agens ait, *Fast.l.*II.

Per totidem menses a funere conjugis uxor,
Sustinet in vidua tristia signa domo.

Et cum idem multa de numero denario dixisset, addit *lib.* III.

Assuetos igitur numeros servavit in anno,
Hoc luget spacio fœmina mœsta virum.

Seneca in *Cons. ad Helviam* c. XV. *Majores decem mensium spacium lugentibus viros dederunt.*

Quia vero Romuli annus decem tantum constabat mensibus, ut fuse ostendimus in nostro *Philomuso*, ideo illud tempus interdum ab autoribus annuum vocatur, ut a Seneca; *Annuum fœminis ad lugendum constituere majores, non ut tandiu lugerent, sed ne diutius.* Quod idcirco dixi ne existimes hoc intelligendum de Anni dimensione quæ Numæ tempore erat usitata. Etenim quamvis hic Annum Romuli duobus mensibus auxerit, in luctu tamen nihil immutavit, ut docet Plutarchus in *ejus Vita*.

2. Ita autem luctus tempus erat definitum, ut ante legitimum tempus illius nubere nemini possent, nisi id peculiariter a Magistratu aut Principe impetrassent.

3. Quod si non impetrassent & tamen nuberent infames a Prætore fiebant & multabantur: Plutar. in *Vita Numæ: Quæ vero intra id temporis nupserit, vaccam prægnantem ex Numæ legibus immolat.*

4. Cæterum Imperatores Gratianus, Valentinianus, referente Kirchmanno, decem mensibus duos adjecerunt, integrum annum Numæ, lugendo marito præscribentes. Sic enim loquitur lex II *Cod. de secundis nupt. Si qua ex fœminis perdito marito, intra anni spatium alteri festinaverit nubere (parvum enim tempus post decem menses servandum adjicimus, tametsi id ipsum exiguum putemus) probrosis inusta notis honestioris, nobilisque personæ decore & jure privetur.* Ex hoc igitur tempore uxores duodecim mensibus viros suos lugere cœperunt, nisi ut jam diximus vel Senatusconsulto, vel Principis beneficio luctus ipsis remitteretur, quod fieri solitum docebimus suo loco.

5. *Quid vero caussæ fuisse existimandum*, inquit Kirchmannus, *cur Veteres mulieribus hanc lugendi necessitatem imposuerint? Una mihi videtur esse publica honestas. Turpe enim & quasi illegitimæ cujusdam intemperantiæ signum judicarunt, fœminam simul ac a rogo Mariti reversa sit, de secundis statim nuptiis cogitare, & vix dum extincta funebri face ad nuptialem e vestigio properare. Quæ causa etiam viros plerumque movere solet ne lugubribus primo quoque die depositis calido adhuc & tantum non tepescenti a prioris concubitu lecto, aliam confestim uxorem inducant: quamquam id legibus facere non prohibentur. Sic enim expresse lex* XII. UXORES VIRI LUGERE NON COMPELLUNTUR. Et Seneca, *Viris nullum legitimum luctus tempus est, quia nullum honestum.* Alia fuit, metus Religionis & superstitio, putabant enim Manes offendi nisi elugerentur. Unde Apulejus *l.* VIII. *Metam. Quæ res cum meum pudorem, tum etiam tuæ salutis commodum respicit, ne forte immaturitate Nuptiarum indignatione justa, manes acerbos mariti ad exitium salutis tuæ suscitemus.*
B Tertia causa fuit ne familiarum fieret confusio, & turbaretur generatio prioris mariti.

6. Habes tempus uxoris in lugendo marito, nunc indicandum tempus in aliis lugendis. Indicet Plutar. in *Numa: Numa lugendi modum pro ætatibus temporibusque statuit: puerum non lugeri trimo minorem, neque etiam natu grandiorem plures mensium quam vixisset annos ad decem usque, & prolixiore fletu ætatem lugere nullam.*

CAP. VI.

C *Luctu publico qui defleti.*

Hactenus de luctu privato, nunc de publico. Quis enim dubitet viros præclare de Republica meritos a Matronis defletos? Hunc honorem Junio Bruto primo Consuli habitum demonstrat Livius *l.* II. *Sed multo majus decus publica fuit mœstitia, eo ante omnia insignis, quia Matronæ annum ut parentem, eum luxerunt, quod tam acer ultor violatæ pudicitiæ fuisset.* Habitus est & hic honor P. Valerio Poplicolæ, ut idem *ibid.* ait: *Luxere Matronæ ut Brutum.* Sic *Menio* Agrippæ & Coreliano, afferente Dionys. Halicarnassæo, D *lib.* IX. *&* VIII. Quo honore affectus est & August. Imp. & quidem ex Senatus Consulto: Dio *l.* LVI. *Viri in luctu fuerunt per paucos dies, ut erat consuetudo: matronæ vero cum decreto senatus annum luxerunt.*

CAP. VII.

1. *Uterque luctus interdum minutus, & quas ob causas.* 2. *Luctus utriusque tempore omnis ornatus abjiciebatur.*

E 1. Minuebatur tamen interdum luctus tam publicus, quam privatus. Ille ædis dedicatione, cum a Censoribus lustrum condebatur, cum votum publice susceptum solvebatur; quæ tres causæ ab uno eodemque fonte manant, quod nimirum nihil magis religionis adversari crederetur ceremoniis, quam luctus. Privatus, cum liberi nascerentur, cum honos in familiam veniret, cum pater & liberi, aut vir aut frater ab hoste captus domum rediret, cum puella desponsaretur, cum propinquiore quis cognatione, quam is qui lugeretur natus esset; quas causas ex Festo attuli.

F 2. Reliquum est ut luctus tempore omnem ornatum abjectum fuisse omniaque læta vitata ostendamus, idque cum in privato, tum in publico luctu. Alex. Neapolit. de utroque: *Tempore luctus Matronæ purpuram aurumque deponunt, atrasque vestes induunt & in pellibus degunt, nec illa resumere, donec eluxerint, licet. Viri autem Senatorii laticlavum & annulos aureos exuentes, pullas vestes sumunt, barbam capillumque summittunt.* In publico luctu si quis Principum decessisset justi-

tium a Magistratu indicebatur, imo sæpe sponte sumebatur: Tacitus de morte Germanici, *l.* I. *Annal. Hos vulgi sermones audita mors adeo incendit, ut ante edictum Magistratuum, ante Senatusconsultum sumpto justitio deserentur fora, clauderentur domus, passim silentia & gemitus, nihil compositum in ostentationem. Et quamquam neque insignibus lugentium abstinerent, altius animis mœrebant*. Pedo Albinovanus, in eleg. *de morte Drusi:*

Jura silent, mutæque jacent sine vindice leges,
Aspicitur toto purpura nulla foro.

Consules non solita sede, sed humili aliqua, puta Prætorum aut Tribunorum, sedisse legit Kirchmannus apud Tacitum, *lib.* IV. *Ann.* de Tiberio. *Consulesque sede vulgari per speciem mœstitiæ:* id est, sedibus Prætorum aut Tribunorum. Nam horum & omnium Senatorum sedes humiles erant, altæ vero Consulum, ut observavit Lipsius.

In privato vero luctu quilibet limine ac domo se continebat. Plin. *l.* IX. *epist.* III. *Mitto ad Ariam, rogo ut veniat, quia me recens adhuc limine contineret*. Fugiebant omnes lætos congressus ac festivas solemnitates, ne aliorum gaudia suo luctu macularent: Symmachus *lib.* III. *epist.* XXI. *Neque enim fas sinit læta officia obire lugentes, fortasse etiam hilaritatem vestram mea tristitudo contraheret*. Fugiebant præsertim Convivia: Paulus *lib.* II. *Sent.* c. XXI. *Qui luget abstinere debet a Conviviis*. Sueton. narrat Caligulam defuncta sorore Drusilla justitium indixisse, *in quo risisse, lavisse, cœnasse cum parentibus, aut conjuge liberisve capitale fuit*. Quid? ne focum quidem instruebant. Juvenalis *Sat.* III.

Tunc gemimus casus urbis, tunc odimus ignem.

Ubi vetus Interpres: *Nec focum in nostra domo fieri patimur, quod & lugentes observare solent*. Apulejus *l.* II. *Met. Abi fatue, qui in domo funesta cœnas & partes requiris, in qua tot jam diebus ne fumus quidem ullus est visus*. Ex quo ritu Mart. *lib.* X. *epigr.* XLVII. *Focum perennem*, & Tibullus *ignem assiduum* dixerunt, qui propter luctum extinctus nunquam fuit.

PETRI MORESTELLI,

TORNUSIENSIS, ARTIUM LIBERALIUM MAGISTRI, DOCTORIS THEOLOGI, ET SANCTI NICOLAI DE LA TAILLE RECTORIS,

POMPA FERALIS, SIVE JUSTA FUNEBRIA VETERUM.

LIBER DECIMUS.

CAP. I.

De cerimoniis habitis in funere eorum, quorum corpora non inveniebant. Cenotaphia quid Budæo.



Quorum ergo corpora non inveniebant, seu haberi non poterant, iis CENOTAPHIUM, seu *imaginarium sepulchrum* extruebant antiqui, ne defunctorum animæ aliquot annos ad inferorum fluminum ripas vagarentur. *Tantum autem*, ait Servius, *valebat inanis, quantum plena sepultura, quæ circa absentum cadaver, eorumque, qui in peregrina regione obiissent, corpora quibusdam solemnibus sacris fiebat*. Hoc aperte demonstrat Virg. *Æneid.* VI. de Deiphobo:

Tunc egomet tumulum Rhœteo in littore inanem
Constitui.

Ibidem, Palinurus honorarium sibi tumulum ab ipso Ænea constitui postulavit:

Da dextram misero, & tecum me tolle per undas,
Sedibus ut saltem placidis in morte quiescam.

Vetustissimi moris fuit, inquit Jovian. *l. de Mag. in honorem amici ac bene meriti cujuspiam viri sepulchrum illi statuere. Non quod conditi essent illic ejus cineres atque ossa: sed memoriæ tantum id tributum, illustrandique ejus nominis gratia. Quae re contigit ejusdem persæpe viri diversis in locis plura etiam sepulchra inveniri.* Sueton. de Druso: *Exercitus honorarium ei tumulum excitavit, circa quem stato die quotannis decurreret & Galliarum civitates publice sacrificarent*. Hic honor etiam militibus in acie cæsis habebatur. Monumentum ejusecmodi honorarium fieri Martiæ legioni, quæ ad Mutinam occubuerat suadet M. Tull. *Phi.* XIV. Est & hoc memoria non indignum quod de Pythagoreis prodiderunt Origenes *lib.* I. *contra Celsum*, & Clemens Alexandrinus. *Consueverant illi quoque tumulum inanem, ut vocat Maro, hoc est, Ceno-*

taphium extruere iis qui vel descivissent a familia & secta Pythagoræ: vel mysteria illa philosophiæ, quæ arcana habere debuerant, temere evulgassent, hosque pro mortuis ducebant. Budæus in *Pan. Cenotaphia* hodie vocari posse ait, funerum expositorum imagines, quas repræsentationes in Anniversariis dicimus. Erecto igitur absentibus tumulo sive *Cenotaphio*, ad hujus radices vinum & sanguinem victimarum & aliquando lac cum sanguine offerebant, ut ait Lucian. in *Necyomantia*, animasque vocabant ad bibendum sanguinem, ut innuit Virgilius, *Æneid.* III.

> —— *Manesque vocabat*
> *Hectoreum ad tumulum.*

Ausonius quoque in *Parentalibus*:

> *Voce ciere animas, funeris instar habet.*

Et mox:

> *Ille etiam mœsti cui defuit urna sepulchri,*
> *Nomine ter dicto pæne sepultus erit.*

Ornabantur præterea aræ sive tumuli quæ pro defunctis absentibus erigebantur Cupresso, quæ arbor funebris putabatur, ut diximus, & vittis nigris aut cæruleis: mulieresque adesse his exsequiis non solebant nisi solutis capillis, cujusmodi exequiæ illæ sunt apud Virgilium, *l.* III. *Æneid.*

> *Ergo instauramus Polydoro funus, & ingens*
> *Aggeritur tumulo tellus, stant Manibus aræ*
> *Cæruleis mœstæ vittis, atraque cupresso,*
> *Et circum Iliades crinem de more solutæ,*
> *Inferimus tepido spumantia cymbia lacte*
> *Sanguinis & sacri pateras animamque sepulchro*
> *Condimus, & magna supremum voce ciemus.*

Ornabantur etiam Inscriptionib. non aliter quam ipsa sepulchra: Ovidius *libr.* II. *Met.* fab. X. de Ceyce:

> *Et sæpe in tumulis sine corpore nomina legi.*

CAP. II.

An aliqua pompa pueri efferrentur.

ID negat Plutarchus *Consol. de uxo. Veteres neque infantibus pueris inferias ferebant, neque cætera faciebant, quæ par est facere alios pro mortuis: nondum enim his terra communicata est, neque eorum quicquam, quæ terra nascuntur: neque sepulchra extruebant, neque monumenta ac collocationes mortuorum amabant, neque corporibus assidebant.* Sic apud Græcos hoc ætatis discrimen observatum notat Euripides in *Alceste*, qui Apollinem sic loquentem facit,

> *Si anus moriatur, splendidius sepelietur.*

CAP. III.

1. *Romani initio humi condebant non cremabant corpora.* 2. *Cur sanxerint cremari.* 3. *Desitum iterum ab hac consuetudine.*

1. ROmanos olim ab ortu urbis defuncta corpora humi condere, neque cremare consuevisse illud argumento est, quod Numæ Pompilii corpus in arca lapidea post multa sæcula a Cneo Terentio in Janiculo inventum vetustissimi autores tradunt, Alex. Neap. *l.* III. c. II.

2. Postea cum longinquis bellis defunctos erui cognovissent, ut igni cremarentur, decreto sanxerunt. Primus ex Patriciis Cornelius Sylla traditur, qui decedens igne se cremari voluit, veritus talionem. Nam ipse corpus Marii & eruta ossa subvertit & in Anienem misit.

3. Inde mansit diu defunctos cremandi consuetudo, a qua secutis temporibus dum Antonini Cæsares imperitarent, desitum fuit. Tunc enim illo more abrogato denuo corpora humi condere cœpere ex instituto Thaletis, qui cum omnia ex aquis constare dicat defunctos terræ mandare jussit ut humore dissolverentur. Heraclitus vero igni ut tanquam ad originem suam reverterentur, quippe qui omnia ex igne constare diceret.

CAP. IV.

Qui populi præter Romanos, suos cremarunt mortuos.

CArthaginienses cum prius terra obruerent fato defunctos, postea a Dario admoniti, igni tradidere.

Fama quoque est Thraces & Indos, ætate confectos, illos præcipue quibus studium sapientiæ fuit incensis rogis mortem oppetere, & sine aliquo funerum apparatu lætos se in flammas injicere, non refugere nec formidare.

His Phryges addi debent, quibus corpora igni imponere antiquissimum in morem fuisse didici.

Bellinus Britannorum Rex pace belloque vir inclytus & in omni fortuna Brenno fratri (qui Romam cepit) nequaquam impar, vita privatus ac rogo impositus, Britannorum Regum primus crematus est.

Optimatibus Thracum (si Herodoto fidem habeas *l.* V.) tales sunt sepulturæ: *Prolato triduum cadavere, mactatisque omnifariis hostiis convivantur, illudque defletum prius, deinde combustum sepeliunt, aut aliter humo contegunt: aggestoque desuper tumulo, tum alia omnis generis certamina proponunt, tum præcipue certa cum ratione monomachiam.*

Mos erat olim apud Suecones & Gothos cadavera Principum in quercubus tanquam sacris locis suspendere aut flammis Juniperi ligni comburere, vel humi cum gladio & clava condere.

CAP. V.

Qui non cremarunt, sed humi mandarunt.

PYthagoræi non unguentis sed foliis populi, myrti & aloes stipati humi mandabantur, sicut M. Cato condi & humari voluit.

Lycurgum legit Alex. Neap. *lib.* III. c. II. *Nihil cum mortuo sepeliri mandasse, sed puniceo amictu velatum & oleæ fronde circundatum terræ mandari voluisse.*

Arabes Regum & summorum Ducum elata cadavera in loca terra & inculta stercore obruunt, ac cœno & fimo aggesto terræ imponunt.

Panebii, si quando Rex moritur, corpus quidem defodiunt, caput vero auratum in templo augustissimo consecrant, dicantque. Sicut Seitanis Reges qui imperitarunt intra septa Templi sepelire assuetum erat, hoc sepulturæ genus optimum & pietatis ultimum officium æstimantes.

Apud Athenienses & omnem fere Græciam corpora non cremare, sed terræ condere & sepelire cum funebri veste antiquissimus mos fuisse proditur, quibus sane maxima sepeliendorum cadaverum cura, præcipue bello peremptorum, ita ut qui illos inhumatos relinquerent, quovis supplicio dignos putarent. Idcirco

circo summos Duces, quia cæsos navali pugna in A mare dejecerant, gravibus pœnis & capitis supplicio affecere. Cum autem peremptorum corpora assequi nequirent, illorum ossa & disjecta membra passim strata exquirebant, ut humo tegerent, adeo ut Nicias cum exercitu inter faciens ne duorum militum inhumata cadavera relinquerent, totum subsistere agmen, donec humarentur, jussērit. Et Cimon Milciadis filius, ut pater sepulchro conderetur, captivum se præbere non dubitavit.

Traditum quoque est Cares morte sublatos milites armatos sepelire:

Nabathæi Arabes arbitrantur corpora æque atque stercus, ut Heraclitus inquit, & cadavera stercore abjectiora, quapropter Reges etiam in sterquiliniis defodiunt: qua de re lege Strabonem, l. XVI. B

CAP. VI.

Qui condiebant corpora servandi gratia.

APud Syros & Ægyptios condiendi & non cremandi corpora, medicataque cadavera asservandi in loculis, vetustum morem invaluisse accepimus; De his Alexand. Neap. *lib.* III. *cap.* II. *Condiebant cadavera myrrha, aloe, cedro, melle, sale, cera, bitumine & resina, odoribus & unguentis delibuta. Ex succo enim cedri exanimum corpus servari, sicut viventia corrumpi, haud dubie perspectum est: sudore quoque ligni tedæ concisæ & furnis adactæ apud eosdem mortuos delibutos, servari prodiderunt, ita lineamentis integris ut vivi apparerent.* C

Persæ fato defunctos cera circumlitos, ut maxime diuturni essent, domi condebant. Aethiopes vitro operta, ita ut integra spectarentur, & posteris spectaculo essent, asservabant.

Condebant Iberi corpora vel arcis lapideis, vel fictilibus cum funebri tunica, quia nudum jacere D cadaver pro flagitio erat. Reges vero externis differtos odoribus in montibus sepeliebant, unde deductum ut illorum sepulchris pyramides apponerent aut columnas.

CAP. VII.

Bestiis objecta cadavera.

SI qui apud Romanos Tyranni male de Republica meriti, vel supplicio affecti fuissent, aut malo letho occubuissent, illos condi sepulchro, aut humari non decebat, itaque insepulti abjiciebantur. E

Apud Iberos vultures olim erant pro sepulchro, sicut apud Hyrcanos, canes; qui ob id dicti sunt sepulchrales. De Iberis ita Silius:

Exanima obscœnus consumit corpora vultur.

De his Virgilius dixit,

—— *Alitibus linquere feris.*

Et Octavianus Philippensi prælio cuidam suppliciter sepulturam precanti respondit, *istam in volucrum potestate fore.* Barchæi, quæ apud Colchos & Iberos gens est, agnatos morbo extinctos, velut ignavos & degeneres igni tradebant, in bello F autem absumptos tanquam fortes & strenuos objiciebant etiam vulturibus.

Parthi procul a nostro orbe siti, honestissimam sepulturam vulgo avium aut canum laniatus putavere, nudaque tantum ossa quæ supererant terræ mandare assuerant.

Onesicritus scribit *lib.* III. *cap.* X. apud Diodor. lib. XVII. *Bibli.* Bactrianos senio, morbove confectos canibus adhuc vivos exponi solitos fuisse: quod cum Alexandri præfectus Nicanor emendare voluisset, pene amisit provinciam, ut testatur Polyd. Obeuntium apud Orbitas cadavera cognati nudi & lanceas gestantes in sylvam aliquam efferunt, atque ibi vinciunt: post id vestimenta omnia, & totum funeris apparatum diripiunt relictis corporibus uti a feris devorentur, raptas vestes concidunt, ac loci ejus Genio sacrificant; inde omnes domum revertuntur.

CAP. VIII.

Qui corporibus vescentur.

ESsedonum traditur mos ut parentum funera cantibus prosequantur, mox cœtibus propinquorum advocatis (quod dictu audituque fœdum est) ipsis cadaveribus immistis ovillis carnibus vescantur. Id quod ab Indis usurpatum ferunt, quorum prodigiosa immanisque natura est. Nam senio confecto in frusta cædere illorumque carnibus immistis pecudibus vesci assueverant. Id etiam apud Derbices Persicam gentem, & cum Hybernis ut parentes & affines qui succubuerant comesse, pietatis maximæque honestatis munus putarent, quod Chrysippus Philosophus probavit & literis prodere non dubitavit, Alex. Neap. *lib.* III. *cap.* II.

Massagetis nullus vitæ terminus propositus est, verum ubi quis admodum consenuit eum convenientes proximi quique cognati immolant, & cum eo pecudes aliquot, quarum carnibus pro epulo coctis vescuntur. Quod genus obitus apud eos beatissimum habetur. Morbo extinctos non edunt, sed terra operiunt, calamitatem esse judicantes quod immolationem non sint consecuti; sic Herodotus, *lib.* I.

CAP. IX.

Dati in mare præcipites, sepultique in fluctibus.

TRadunt Hyperboreos, qui in extremo orbis tractu siti sunt, eos qui longo ævo vixerunt, post epulas & familiare convivium sertis redimitos ex rupe abrupta in mare dare præcipites, Alex. ab Alex.

Latophagis nulla sepulchrorum habetur cura, sed defunctos in mare dejiciunt, parum referre arbitrati, igni, terra, vel aqua dissolvantur.

Pæones in stagna, Ichthyophagi in mare defunctos abjiciunt.

Arrianus *lib.* VII. quamplurima Assyriorum Regum monumenta in paludibus posita narrat.

CAP. X.

1. *Fame enecti.* 2. *Sepulti inter glaciem & nives.* 3. *Sublimes constituti.* 4. *Cadavera desecta.* 5. *Suspensi in arboribus.*

1. CAspii, parentes septuagenarios domi clausos, aut in locis incultis & desertis intimisque solitudinibus expositos siti & inopia conficere celebre funus putarunt.

2. In Scythia gens est quæ parentum cadavera inter nives & glaciem truncis affixa arboribus detinebant, illaque terræ mandare pro scelere proque flagitio arbitrabatur.

3. In Phrygia mortuos sacerdotes non defodiunt, sed super lapidibus decem cubitis erectos sublimes constituunt: sicut Namasones qui sedentes mortuos statuebant.

4. A Gymnasiarum Incolis usurpatum legimus ut incisa & desecta cadavera in urnam imponant, desuperque ingentia saxa accumulent, Alex. Neap. *lib.* III. *cap.* II.

5. Colchi mortuos suos in pellibus sepeliunt, & insutos ex arboribus suspendunt: vide quæ diximus superius de Sueonibus & Gothis *c.* IV. hujus Libri, vide & Ælian. lib. IV. *de Var. Hist.*

CAP. XI.

Sepulturæ & funeris contemptus.

ALbanis mortuorum curam habere aut meminisse nefas erat, Strabo *lib.* II.

Anaxagoras Philosophus cum Lampsaci moreretur, quærentibus amicis velletne Clazomenas in patriam efferri ibidemque sepeliri; *Non necesse est*, inquit, *undique enim ad Inferos tantumdem est viæ.* Cic. in *Tusc.* I. Diogenes Cynicus projici se inhumatum jussit: & quidem si canes cadaver suum lacerarent, Hircanam, si vero vultures, Iberam fore sepulturam dicebat: si nullum animal accederet, ipsum tempus pulcherrimam sepulturam largiturum afferebat, corpore preciosissimis rebus, Sole scilicet & imbribus absumpto. Cum eam sepulturam amici reprehenderent: Bacillum prope me ponite quo volucres abigam, inquit. At qui poteris, inquiunt illi, non enim senties. Quid igitur mihi ferarum, ait, laniatus oberit nihil sentienti? Interrogatus num Servum Ancillamve haberet, negavit: quumque percontator adjecisset, quis igitur te effert si moriaris? Cui domo, inquit, erit opus.

CLAUSULA.

SEd relictis illis quorum adeo prodigiosa immanisque natura in funere suorum patuit, ad Romanos revertamur quorum pietatem in luctu scripsimus.

Lugebant ergo Ethnici quos coluerant & dilexerant, ut supra *cap.* V. *l.* IX. luges & tu Christiane, quod fratrem, filium, uxorem vel necessarium amiseris? Immo vero non amisisti, sed in patriam præmisisti, ad quam tibi quoque eundum. Sed loquamur ut vulgus, non sentiamus ut vulgus. Ex his aliquem amisisti; non amisisses nisi fuisset ille mortalis. Querela est igitur non de unius hominis morte, sed de naturæ mortalitate, quæ nos ea lege introduxit in hanc vitam, ut egrederemur ad revocantis imperium. At revocavit ante tempus & præcipiti edicto fecisse videtur injuriam. Nullum hic præfinitum tempus est, sine termino debitores sumus. Si essemus in diem obligati, utique differre possemus, tergiversari & exactricis avaritiam culpare, nunc de celeritate conqueri non possumus, quasi ante diem repetatur, quod statim ut accepimus debuimus. Poterat ulterius vivere, poterat & citius mori, poterat & aliter mori. Sed quid interim faciam dixerit aliquis? Desiderio torqueor, amore langueo, aviditate crucior fratrem videndi. Quid facias aliud nisi quod facere solent qui casu aliquo a personis carissimis avelluntur? Memoriam retinent & absentium imaginem custodiunt, illos amant, de illis loquuntur, illis prosperum optant iter. Idem fac Christiane: fratrem tuum, filium tuum, uxorem tuam, amicum tuum in ea parte cordis absconde, unde nulla eum pellat oblivio. Illum dilige sepultum ut viventem dilexisti, vel etiam multo vehementius. Illum coge sæpius ad te reverti recordatione pia & frequenti: precare tandem, iter ut faustum illi contingat, & calcatis perfidi hostis insidiis velox in patriam reditus.

FINIS.



RERUM AC VERBORUM INDEX.

A

I N D E X.

B.

I N D E X.

D

INDEX.

F

— *in-*

G

H

Jovia-

K

M

N

—— ia-

O.

— Anti-

I N D E X.

I N D E X.

Q

T

—— hic

Z

FINIS.





